00035280

BOMBAY BRANCH
OF THE
ROYAL ASIATIC SOCIETY.
TOWN HALL, BOMBAY.

Digitized with financial assistance from
Government of Maharashtra
on 01 February, 2020

909
Tho/Jac
35280

JAC. AUGUSTI
THUANI
HISTORIARUM
SUI TEMPORIS

TOMUS QUARTUS.

35280

LIB. LXXIV.	—	XCIX.
CIↃIↃLXXXI.	—	CIↃIↃXC.
HEN. III.	—	HEN. IV.



4.
TT-6-4

LONDINI
Excudi curavit SAMUEL BUCKLEY
MDCCXXXIII.

00035280



B. Baron fecit.

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

IN *Belgio atque adeo Friſia Stenvica obſeſſa et fortiter defenſa.* II. *Amſterodamum Arauſionenſis venit, et inde in Friſiam tranſit. Staverae arx a Sonoio deſtructa et urbs munita.* III. *Rennebergius ex phthiſi moritur: Fr. Verdugus ei ſuffectus. Adverſus eum miſſus Norriſius Anglorum tribunus.* IV. *Novi Bruxellis motus. De Vliſſinga intercipienda captum ab Al. Farneſio conſilium.* V. *Breda a regiis aſtu intercepta. Eindovia aſtu itidem capta, et ſtatim amiſſa. In Flandria turbae. Andini de ſua in Belgium profectione ſcriptum.* VI. *Jus in Brabantiae principatu, quod ſibi ex uxoris dote competebat, publicato ſcripto Nivernius Andino id cedere paratus.* VII. *Andini copiae, cum quibus triumphali pompa Cameracum ingreditur. Arenſium, Sluſa, caſtrum Cameracenſe in manus ejus veniunt.* VIII. *Inde in Britanniam ad Eliſabetham ſe confert.* IX. *Ordinum ejeratio fidei ab obedientia Philippi Hagae Comitis facta et publicata.* X. *Matthiae e Belgio diſceſſus.* XI. *Tornacum a Farneſio tandem deditione captum.* XII. *Arauſionenſis de prava in Flandria publica adminiſtratione apologeticum ſcriptum. Bergae ad Somam irrito conatu ab Altapennio tentatae. Aquiſgranenſium ob religionem tumultus. Jacobo Elſienſi Trevirenſi praeſuli ſeptemviro Jo. Schombergius ſufficitur.* XIII. *Apud nos Flexianum de pace edictum* VII *Kal. Feb. in ſenatu recitatum. Aula in deliciis marceſcit.* XIV. *Legatio perhonorifica in Angliam de Andini matrimonio a rege*

a rege decreta. Dotalium tabularum conditiones. XV. *Poſtea Andinus ad eam venit, pacta rata habuit, datis utrinque annulis nec ſecutis nuptiis. Contra matrimonium et pro matrimonio diſcuſſae rationes, et virulentus ſuper ea re libellus a Puritanis diſſeminatus; contra eum ab Eliſabetha propoſitum ſeverum edictum, et de libelli auctoribus deprehenſis ſupplicium ſumptum.* XVI. *Per emiſſarios Eliſabetha, Durocortori Remorum et Romae, conjurationes et earum auctores ac conſcios rimatur. Everardus Hanſius capite luit. Edmundus Campianus e ſodalitio Jeſuitico ſacerdos ſupplicium tulit. Alii capite plexi. Edicta Anglicana contra Jeſuitici ſodalitii ſacerdotes. Ratio, ordo, et arcanum conjurationum. Contra ea ſcriptum a Gul. Alano publicatum.* XVII. *Randolphus in Scotiam miſſus, cum nihil proficeret, Anglicanae factionis addictos clam ad arma capienda incitat. Re detecta Randolphus aufugit, et Mortonius ad mortem damnatur.* XVIII. *Civitatum Hanſeaticarum negotium Andini interventu retractatur.* XIX. *Rex apud nos Jouſae nuptias celebrat invidioſis ſumptibus, paris Franciae dignitate prius ornati. Eadem dignitate Valeta ornatur. Jacobus Gobio Matignonus equitum tribunus in Aquitaniam cum primaria vicarii ſecundum Navarrum auctoritate mittitur. Miſſa et paulo poſt delectorum e ſenatu Pariſienſi decuria. Radeſianus res in Saluciano principatu poſt Rogerii Bellogardii mortem turbatas componit.* XX. *Secretus adverſus Argentinam conventus detectus et eluſus.* XXI. *Hiſpana contra Joannem Epiſcopium Caſſerium Melitenſis militiae principem ſubornato Romegaſſio noſtrate conjuratio. Miſſus ad motus componendos a rege Aemarus Caſtus. Uterque, et militiae princeps et Romegaſſius, a pontifice citati Romam veniunt. Utriuſque mors. Hugo Lupus Verdala in Caſſerii locum ſuffectus.* XXII. *Jacobi Billii Prunaei, Gul. Poſtelli, Huberti Langueti, Andreae Papii, Petri Ciaconii, Jo. Bapt. Camotii, Huberti Folietae, Lucae Paeti, Joannis Fichardi J. C. Franciſci Porti Cretenſis, Franc. Venerii patritii Veneti deceſſus.*

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, Jo. Parvo, Actis legationis, et tabulis dotalibus, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae, Actis Curiae Pariſienſis, P. Rogerio Tritonio, Aemari Caſti adverſariis.

LIBER SEPTUAGESIMUS QUARTUS.

CIƆ IƆ LXXXI. HENRICUS III.

QUAE dum apud Hiſpanos geruntur, longe alia rerum facies in Belgio et adjunctis provinciis erat; ubi coepta ſuperiore anno [a] Stenvicae in Friſia obſidio a Georgio [b] Lalanio Rennebergio urgebatur, et obſeſſi jam licentia inter milites exorta pridem tumultuare coeperant; tandemque refragantibus Joanne [c] Cornupto et Joanne [d] Berenbroekio, [e] Conradum Theodorum facto decreto ad Joannem [f] Norriſium Anglorum ducem miſerant cum mandatis, ut ipſe cum ſuis hoſtem aggrederetur; aut ſi id commodum non videretur, in urbem CIƆ delectos ſecreto immitteret, quorum ope ſubnixi oppidani in regios eruptionem facerent. Sub idem tempus Theodoricus [g] Sonoius ex [h] aquilonari Batavia cum milite egregie inſtructo [i] Blockezielam venit, uno a Stenvica milliari, et munitionem inibi magno ob viciniam obſeſſis uſui excitavit. Tumultuatum et in caſtris regiis; ubi coelo frigido cum miles aſſiduis oppugnationibus vexatus ſtipendium ſeditioſe repoſceret, Rennebergius ut periculo praeverteret, aliquot diebus abeſſe cogitur; quibus collecta undecunque pecunia ad ſuos reverſus tumultum utcunque pro tempore placavit. Miſſo dein aeneatore cum Martini [k] Schenkii et Joannis [l] Streuſii literis obſeſſos ad deditionem ſolicitat. Cum illi recuſarent, per contumelias et convicia res agi inter eos coepta: et cum regii obſeſſos ſaepius rogaſſent, an nondum equos ſuos devoraſſent, illi ſe quibuſcunque equis conſcenſis in armis pro moenibus oſtentarunt, et eruptione facta caſtra hoſtilia proturbant, turmam ſe equitum habere, neque aut animum aut rerum copiam deeſſe ſibi clamitantes; indeque incolumes ad ſuos revertuntur. Mutitandis inde ultro citroque literis tempus per [m] Bacchanalia inſumptum, et iis a Rennebergio adjecti libelli Gallice a Chriſtophoro Aſſonvillio ſcripti, quibus literae interceptae Arauſionenſis ad Andinum ducem continebantur, cum appoſitis ad marginem notationibus: de quibus literis in apologia ſua Arauſionenſis ſe jam purgaverat. Inter haec, plebs ſuſpicata de conditionibus inter duces ſpecie familiarium colloquiorum agi, tumultuare coepit; vixque, nec ſine ipſius Cornupti diſcrimine, motus ſedatus eſt. Per has ludicras verborum concertationes tandem ad arma deventum, et Thomas [n] Epirotarum ſtrenuus dux Joannem Norriſium Anglorum ducem ad duellum provocat. Id cum illi, utpote ſupremo ſuorum duci, per belli leges non liceret, Rogerius [o] Wilelmius ejus vicarius conditionem accipit; et juxta dictas utrinque in certamine leges ambo exercitu utroque in armis ſtante prodeunt, conflictuque facto, poſt illatos ac repulſos utrinque ictus, neutro laeſo diſceditur, cum prius alter alteri poſt gratias comitate militari actas praebibiſſet. Demum XVI Kal. Feb. Norriſius inſtantibus oppidanis per Conradum Theodorum, qui apud ipſum [p] Gietornae erat, de ſuppetiis ferendis ſerio cogitare coepit, et cum ſua, Naſſovii et Mich. [q] Caulerii legionibus, nec non aliquot Gualteri [r] Hegemanni et Stuperi cohortibus [s] Stenvikervolam invadere ſtatuit: ſed conatus irritus fuit; quippe coelo ita obſcuro, ut cum obſeſſi hora condicta erupiſſent, errantes huc illuc alii ab aliis deflecterent, non ſine multorum pernicie. Ipſe Norriſius a Rennebergio, qui de conſilio cognoverat,

INTERPR. [a] *Steenwijck.* [b] *de Lalain Comte de Rennebourg.* [c] *Cornput.* [d] *Berenbroeck.* [e] *Coen Dierckſen.* [f] *Norris.* [g] *Sonoy.* [h] *Nordthollande.* [i] *Blockziel.* [k] *Schenck.* [l] *Streuf.* [m] *Careſme prenant, ou Carnaval.* [n] *Albanois.* [o] *Williams.* [p] *Gyethorn.* [q] *Caulier.* [r] *Hegheman.* [s] *Steenwijcker-woldt.*

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III.

cognoverat, tormentorum ictibus graviter infeſtatus eſt, ac poſtremo re infecta diſcedere coactus, et [a] [1] Sennoiam, atque inde Blokezielam petit; ubi et ex Friſia adventura auxilia opperiri conſultum duxit; nam haud ita a commeatu, ſicuti jactabatur, in urbe laborari intellexerat. Dum ad coenobium B. Joannis Campenſis haereret, a ſuperveniente Rennebergio ſeptimo poſt die obſeſſus, et ad ſummas anguſtias redactus eſt, adeo ut obſeſſi equorum carnibus veſci cogerentur; vixque modico commeatu a Sonoio Blokeziela ſummiſſo primum recreati, dein auxilio cum commeatu veniente [b] Wiboldo Eviſumo Nienortio cum VI ex ſuis et totidem Friſiis, duce Hadriano [c] Meningo [d] Merodii vicario, omnino liberati ſunt. Rennebergius relicta copioſa annona et multis ſuorum ſauciatis Gietornae pago incenſo retro ſummo ſilentio abiit, fugae ſimili diſceſſu, cum militum ſuorum ſeditionem jam paratam praeſentiret; quam ſtatim modica pecunia repraeſentata ſedavit. Cum vero Norriſius pridie Kal. Feb. [e] Oldermarctam uno ab urbe obſeſſa milliari veniſſet, Rennebergius tuguria et tentoria deſerit, et ad munitiones juxta exſtructas ſuos contrahit, novaſque inſuper aedificat. At oppidani, qui viderent portas urbis a regiis vallo obſtructas, novam aperiunt, inter [f] Waltanam et Oſteranam, eamque [g] Cornuptanam vocant, quod ab initio Cornuptus ut inibi porta ſubſtrueretur, obſeſſis auctor fuiſſet. Nec multo poſt tres perdices in forum urbis advolarunt, et ſeu feſſae, ſeu ſupervolantis accipitris metu, a diſcurrente plebe manu captae ſunt; quod Cornuptus in omen accepit, et, ut Iſraelitis olim in deſerto laborantibus, ſic Stenvicanis eſca immiſſa ſubventurum Deum interpretatus: tamen ex numero praedixit, non ante III ſeptimanas id futurum, eventuſque fidem verbis Cornupti fecit. Nam interim pridie Non. Feb. Norriſius, Nienortius, Caulerius, Iſelſtenius, Hegemannus, et Stuperus, cum XLVI cohortibus, in quibus pedites III CIↃ et IↃ erant, et VI equitum vexillis, in [h] Stenvicana ſilva caſtra poſuerunt, ad [i] Hidingebergam vicum, II CIↃ et CCCC ab urbe paſſibus, ut ab obſeſſis conſpicerentur; quippe cum tantum medio ſpatio plani campi, prata, ericeta, et paludes interjacerent: ſed obſtabat novum propugnaculum a Rennebergio in meditullio nuper exſtructum. Heic aciem regii inſtruunt, et vi ab auxiliaribus facta, ignaris munitionem ex curribus factam ſubeſſe, acriter pugnatum, Henrico [k] Snatero exercitus ductore deſiderato. Eodem tempore eruptionem obſeſſi feliciter faciunt, et opima praeda potiuntur. Pluries ibidem poſtea certatum, dum Rennebergius interim novas munitiones inter Norriſii caſtra et urbem obſeſſam feſtinatis operibus ſtruit. In urbe non tanta viatici penuria erat, quantum tumultus ob penuriae metum; quippe cum, luſtratione et perveſtigatione paulo ante diligenti facta, in horreis alimenta ad duos menſeis ſuffectura a civibus ſaluti propriae ac libertati inſidiantibus celata eſſent reperta. Nihilominus incerta auxilii ſpe res in urbe turbabant. Itaque Cornuptus homo ingenioſus hanc mittendarum et recipiendarum a ſuis literarum rationem commentus eſt; globos plumbeos bilibreis biforatos fundi jubet, unique epiſtolam, alteri ex foraminibus igneam materiam apte inſerit, ut globi fumantes indicio inde facto facilius percipi poſſent. Hoc artificio inter obſeſſos et auxiliareis quotidie literae commeabant; quibus cum Norriſius ſignificaſſet, intra decimum quintum menſis diem ſe commeatum in urbem illaturum: interim ipſe munitionibus contra Rennebergium exſtruendis improbo labore incumberet. Tamen ob intenſiſſimum

frigus

INTERPR. [a] *Sonoy.* [b] *Wigboldt de Euwſum, Sieur de Nienoort. Petit le nomme de Nieuwenor.* [c] *Menning.* [d] *Merode.* [e] *Oldermarch.* [f] *la Walte & Ooſter porte.* [g] *Porte de Cornput.* [h] *vers le Steenwijcker-woldt.* [i] *Hiddingherbergh.* [k] *Snater.*

NOT. [1] *Sonoy* eſt pluſtoſt le nom d'un homme que d'une place. Meteren le met ainſi: *fut contraint de ſe retirer ſans rien faire prez de Sonoy* [qui eſtoit] à Blockziel. *Put. L.*

CIↃ IↃ LXXXI.
HENRICUS III.

frigus indurata gelu terra, ita ut perfodi non poſſet, operae minime ex voto procedebant; ſed commodum reſolvente ſe gelu, biduo, quam condictum erat, ſerius, Norriſius poſtridie novum propugnaculum ad veteres [a] Aae aquas molitur. Ibi rurſus acriter a Rennebergianis contra pugnatum ad diſturbandas Norriſianorum operas; interimque commeatus modicus ab auxiliaribus in urbem infertur. Cornuptus vix tandem ab oppidanis tumultuantibus impetraverat, ut ad plagam occidentalem aliquot propugnacula tumultuario opere excitarentur, et pontem Aae ab ea parte imponerent. Norriſianae munitiones ab urbanis tantum IↃ CCCXC paſſibus diſtabant, medio Rennebergio, qui propius ab urbe IↃ CCLXX paſſibus aberat. Eo fiebat, ut tam vicini crebro decertarent. Et jam regii de exitu veriti tormenta et apparatum ad loca magis idonea trans fluvium avehere conabantur, cum Norriſius VII Kal. Mart. totis viribus Rennebergianos oppugnat; eodemque tempore obſeſſi erumpunt, et omni ex parte regios invadunt, ſine damno fere ab equitibus repulſi, quod reſoluto gelu equi per paludoſa loca inſequi citra periculum ſe recipienteis non poſſent. Poſt diuturnum certamen regius peditatus in ipſo conflictu jam averſo a pugna animo tumultuare coepit, et pecuniam intempeſtive Rennebergium poſcere, ac voce minaci ſublata, nequicquam equitibus eos retinere annixis, e proelio diſcedunt. Tum tertia pomeridiana hora, cum vix ſe feſſi ad quietem et cibum ſumendum compoſuiſſent, rurſus erumpunt oppidani, ut auxiliaribus, quos ad ſe tendere e longinquo proſpiciebant, praeſto eſſent, ociuſque crateis ultra pontem deferunt, et copioſum allatum commeatum intra urbem accipiunt. Nec ceſſabat Cornuptus, qui dum commeatus importatur, cum ſuis egreſſus medium illud Rennebergii propugnaculum oppugnabat, et ardenti ſtramine ac circulis candentibus emiſſis ſtationarios, qui locum gnaviter tuebantur, infeſtabat, certamine ad noctem uſque extracto; ex cujus cruento et funeſto exitu, Rennebergius pluribus amiſſis, cum ſuarum et hoſtilium virium abunde periculum feciſſe ſibi videretur, mature de receptu cogitare coepit, tormentiſque tranſlatis nocte obſcura vaſa conclamari jubet; relictaque omni annona integra, quae mox in urbem illata eſt, cum ſuis [b] Weſtvicam tendit, tanto ſilentio, ut oppidani et auxiliares ſentire diſceſſum ejus minime potuerint. Luce jam clara Norriſius cum abeunteis inſequi ſtatuiſſet, ſubito mutavit. Tum commeatus allatus per otium introducitur, urbe poſt treis ſeptimanas a felici perdicum advolantium omine a Cornupto praedictas liberata, et obſidione poſt quatuor menſium oppugnationem ſoluta. Sed gaudium oppidanis minime ſolidum fuit, peſte ſub id inter eos graſſante. Nam aere et ſolo ob cadaverum foetorem infectis pleraque plebs miſere periit, deſertoque loco poſtea regii potiti bona, quae oppidani tanta cura ſepoſuerant, et quibus ſalutem propriam poſthabuerant, quaſi in manus tradita citra periculum poſſeſſum iverunt. Parum digna [c] Cornupto et Oltofio ob rem ſtrenue et tanta fide in defenſione [d] Stenvicae geſtam ab Ordinibus gratia repenſa eſt; quippe nunquam impetrata, quod provinciales eſſent, ſtipendiorum ſolutione modica: tantum [e] Stuperi et Berenbroekii Germanicis copiis, quibus haud multum debebatur, ſatisfactum eſt. Tempore obſidionis arx [f] Wolhovana, a Rennebergio haud hinc procul munita, deditione a Sonoio recepta eſt; et templum itidem a regiis munitum, a Gallis, Anglis, et Iſelſtenienſibus militibus in [g] Kuinderam miſſis in poteſtatem redactum. Dedita et [h] Lemmera, et Slota, poſt acrem tormentorum verberationem. Inde Angli et Scoti per praeſidia diſtributi.

INTERPR. [a] *Vieille riviere d'Aa.* [b] *Weſtwijck.* [c] *Cornput & Olthof.* [d] *Steenwijck.* [e] *Stuper & Berenbroeck.* [f] *de Wollenhove.* [g] *au Kuynder.* [h] *Lemmer & Sloten.*

CIƆ IƆ LXXXI. HENRICUS III.

diſtributi. [a] Nienortius in [b] Omelandes profectus Winſumenſem munitionem a Groeningenſibus obſeſſam adventu ſuo liberat, et praeſidiis [c] Winſumae et Warſumae aliiſque locis impoſitis, populareis violentis exactionibus divexat; cumque aliquot ex iis, qui ſub [d] Renoio et Werceno militabant, diſcurrentes ad templum quoddam a ſe munitum haud longe a [e] Midelſtuma ſe recepiſſent, a Rennebergianis obſeſſi per tribunorum abſentiam, vitam et res ſalvas pacti, deditionem loci fecere. [f] Oienbrugius quoque, cui Rennebergii defectio imputabatur, eodem tempore in [g] Salantam venit, arcemque [h] Boxburganam capit, multaque praeda abacta [i] Gooram et alia loca circumpoſita munit.

II. Sub id Arauſionenſis poſt pacatam Scotorum, qui Wilvordam tenebant, menſe Martio ſeditionem, alios item praeſidiarios, qui [k] Willebrocae et Bergis ad Somam erant, vix tandem advectis Antuerpia tormentis, ad obſequium reductos, Amſterodamum venit; ubi Bataviae Ordines de Andino in principem capiendo conſultaturi convenerant. Aprili dein menſe in Friſiam venit, luſtrataque provincia Sonoio negotium dat, ut Staverenſem arcem, quam [l] Reinerus Decama Rennebergii nomine cum circiter CLXX praeſidiariis tenebat, obſideret. Quod ille haud retractanter fecit; erectiſque ad arcem propugnaculis, et ſuperimpoſitis loricis, propugnatores moenia relinquere coegit. Tum admotis VI majoribus machinis opera Thomae [m] Bothii loricas ac ſepimenta arcis diruit; ac per cunicularios foſſam complanat, et ad murum ſuffodiendum operas propius admovet. Quo animadverſo obſeſſi colloquium poſcunt, et, reclamante Decama, quem cum XVIII aliis Friſiis hoſti in poteſtatem tradunt, cum Sonoio paciſcuntur. Recepta arce moenia, quae oppido imminebant, demolitur victor, et urbem feſtinatis operibus firmat. Menſe inſequenti Rennebergiani ex [n] magna Auwarta venientes [o] Rediepam occupant, et [p] munitionem ad aquas, quo inde Nienortium excluderent, moliuntur. Sed ſuperveniente Sonoio incauti et imparati opprimuntur, et amiſſis aliquot ſignis caeduntur. Quo facto Nienortius, accepto ab Ordinibus duorum menſium ſtipendio, Auwartam corona cingit, et mox tormenta ad monaſterium admovet. Id ut impedirent regii Midelſtuma approperant, et haud procul a Groeninga Rediepam tranſeunt cum CCC equitibus; et cedendum cenſebat Nienortius, ſed a ſuis confirmatus ad defenſionem ſe parat, et ruſticos Friſios fere belli rudeis imprudenter inter milites in prima acie ſtatuit; qui viſo ſtatim hoſte, nulloque praeterea pretio facto, contis oblongis, quibus pro armis uti conſueverant, confiſi, foſſas foveaſque objectas ſuperant, et fuga ſua ceteros ſecum fugienteis trahunt. [q] Hanſplombi et Berenbroekii ſigna militaria capta; [r] Stuperus et Viſcherus duces item capti; pauci de cetero caeſi. Reliqui fere ad [s] Auwerdeſielam perfugium habuere; quam regii fugientium veſtigiis inſiſtentes obſederunt. Primum cum damno repulſi, ſtatim tormenta admovent, et parte munitionis diruta tertia oppugnatione locum expugnant, obviis cunctis trucidatis, et in iis Gaſpare [t] Jargeſo tribuno, homine ſtrenuo, et, quod rarum eſt, egregie literis inſtructo. Ea clades confeſtim a Friſiis reſarcita, armis pecuniaque Nienortio popularium ſtudio repraeſentatis; quibus fretus ille ſtatim Winſumam, quam muniverat, rediit. Verum ea rurſus Rennebergio cum victricibus copiis adventante dedita, et exemplo graſſante cetera praeſidia cum Rennebergio ſucceſſum urgente tranſegerunt; qui ad [v] Documam uſque cunctis locis munitis citra ſanguinem

INTERPR. [a] *le Sieur de Nienort.* [b] *vers les Ommelandes.* [c] *Forts de Winſum & Warſum.* [d] *Renoy & Wercken.* [e] *Middelſtum.* [f] *d'Oyenbrugghe.* [g] *Zalland.* [h] *de Borborgh.* [i] *Goor.* [k] *Willebroeck & Bergen op zoom.* [l] *Reyner Dekma.* [m] *Bothe.* [n] *Grand Auwaert.* [o] *Reedyep.* [p] *un fort, ſur l'eau.* [q] *Hanſplomb. Meteren le nomme Haſpelmus.* [r] *les capitaines Stuper & Viſcher.* [s] *Auwerderziel.* [t] *Jarges.* [v] *Doccum.*

ſanguinem potitus eſt. Dein Norriſio cum Sonoii VIII et aliorum cohortibus ab Ordinibus miſſo paulum refractus victoriae Rennebergianae impetus; et cum [a] Scullius [b] Monicerſelianam munitionem cepiſſet ac vaſtaſſet, et Rennebergiani neceſſitate adacti [c] Gripcercam deſeruiſſent, dum ſe recipiunt, Sonoii legione incumbente fit conflictus, et cedentes regii ad Groeningam receptum habuerunt, IↃCC amplius ex ſuis deſideratis. Id actum VII Eid. Quintil. Norriſius victor caſtra haud longe a Groeninga metatur, [d] Auwartae magnae ac Selvertae coenobiis occupatis.

III. NEC multo poſt X Kal. Sextil. ipſe Rennebergius fatis conceſſit, phthiſi extenuatus, ex moerore, ut jactabatur, contracta, magnumque ſui moriens utrique parti deſiderium reliquit. Erat enim comis et humanus, diſciplinae militaris ſtudioſus, fortis, liberalis, ac potius magnificus ſupra quam vires ferebant; ab omni crudelitate, violentia, et ebrietate, quam fere feritas ac ſuperbia, familiaria gentium vino deditarum vitia, comitari conſueverunt, alienus: ad haec a pueritia egregie literis inſtructus. Nam et Latinam et Graecam linguam callebat, et mathematicarum artium ac muſicae inprimis ſtudiis oblectabatur. Corneliae ſororis, ut ſupra diximus, inſtinctu, quae Mariae [e] Brimeae Megenſis nuptiarum ſpem fecerat, a partibus Ordinum defecerat, poenitentiaque ductus paulo ante mortem auditus eſt, cum adventus ad Groeningam ſui diem deteſtaretur, ab eoque tempore ſororem averſatus, ne in conſpectum ſuum veniret, enixe prohibuit. In ejus locum a prorege praefectus eſt provinciae Franciſcus [f] Verdugus Hiſpanus, qui Petri Erneſti comitis [g] Mansfeldii filiam naturalem in uxorem poſtea duxit, et multa egregia virtutis militaris documenta dedit. Primus ejus conatus ad [h] Redingam fuit, e regione [i] Emdae, pagum ad [k] Amiſum ſitum inſtar peninſulae, unde paucos ante dies Egbertus [l] Bevelantus cum IV cohortibus regios expulerat, quem ſoluta a Norriſio Groeningenſi obſidione XV Kal. Sept. haud magno negotio recepit; ſed magna cum praefectorum infamia, qui locum ad ſummittenda per mare auxilia ac commeatum adeo opportunum, nulla neceſſitate preſſi, turpiter deſeruiſſent. Itaque Iſaacus [m] Wieringus et Joannes [n] Crommus, hujus criminis poſtulati et damnati, fuga mortis poenam evaſerunt. [o] Caterus munitionem dum obſtinatius tuetur, in eo vitam reliquit. Interea [p] Iſelſtenius cum delectis [q] Goram ducit, quam Simo [r] Limburgus cum IↃCCC peditum et CXX equitum praeſidio tenebat; et altero propugnaculo capto, dum alterum quatere inſiſtit, a Martino Schenkio cum magnis copiis inſperato adventante undique arcte cingitur, et quanquam miſſo ab Arauſionenſi, quo inconſulto temeraria expeditio ſuſcepta fuerat, ſubſidio, commeatus penuria tandem deditionem facere cogitur. Captus ipſe [s] Wermelous, et Eſceda, [ſ] Conradus, et [t] Daventriae ac Tranſiſelanae conſules, qui expeditionis Iſelſtenio auctores fuerant, et [v] Bliembekam ſub cuſtodia avecti. Milites dimiſſi, fide data intra treis menſeis contra Philippum non militaturos. Sed nequaquam dedititiis fide ſincere ſervata: nam ſpoliati multi, quidam etiam interfecti; quanquam Schenkius omnem operam daret, quibuſdam etiam ex ſuis propria manu interfectis, ne fidem datam violaſſe merito diceretur. Inde conventu [u] Leovardiae habito VII Eid. Sept. Norriſius ad Verdugi conatus impediendos rurſus in Friſiam mittitur; iſque cum XI Anglicanis cohortibus, quibus Morganus praeerat, IV Naſſovianis, IX Sonoianis,

INTERPR. [a] *le capitaine Schul.* [b] *Monickerziel.* [c] *Grijpskercke.* [d] *Abbaies de Grand Auwaert & Selwert.* [e] *de Brimeu comteſſe de Meghem.* [f] *Verdugo.* [g] *de Mansfeld.* [h] *Reide.* [i] *Embden.* [k] *Ems r.* [l] *de Bevelandt.* [m] *de Weiringhe.* [n] *Crom.* [o] *le capitaine Cater.* [p] *Yſelſtein.* [q] *Goor.* [r] *de Limbourg.* [s] *Warmelo & Eſcheda.* [ſ] *Coen.* [t] *Bourgmaiſtres de Deventer & Over-iſſel.* [v] *Blienbeeck.* [u] *Leeuwaerden.*

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III.

ix Sonoianis, vi Nienortianis, quae vix iii CIↃ peditum efficiebant, et IↃ circiter equitibus, [a] Goro, Ellerborno, et Henrico Ekio ductoribus, pridie Kal. Oct. caſtra movet, et per [b] Nievelae munitiones itinere facto prope [c] Northornam in conſpectum regiorum venit. Heic Verdugus, qui cum peſte, fame, et adverſa tempeſtate periculoſe luctatus honeſtam diſcedendi hinc ſine certamine occaſionem praeberi optaret, ex neceſſitate conſilium capit; et Deum magna animi demiſſione cum omnibus ſuis comprecatus, ut primis praefecturae ſuae auſpiciis incepta proſperaret, aciem pro vallo egregie loricis munito inſtruit; eo ordine, ut legio Rennebergiana [d] Monceano ductore et [e] Rinſvordeo ejus vicario, tum [f] Billiana ſive Friſica duce Joanne Baptiſta Taxi in medio ſtaret, [g] Gallobelgicae ſuae legionis cohortibus ad latera diſpoſitis. Contra, in Ordinum caſtris omnia confuſa, et ut in certa victoria ſecure adminiſtrabantur. Itaque promiſcue cujuſcunque nationis pedites conglobati prodiere, ſignis in medio collocatis, et ferentariis alas et frontem tegentibus. Rogerius [h] Wilelmius cum equitibus Anglis, et Ellerborni vicarius cum ſuis, duas equitum regiorum turmas magna vi invadunt, caeſaſque et magna fugientium infamia ultra Northornam pellunt. Quo ex loco cum v regiorum cohortes in equitatum hoſtilem impreſſionem facere meditarentur, ruſſus ſuperveniente in tempore [i] Wingardeno tribuno, et per media agmina perrumpente funduntur. Et huc uſque fortuna Norriſianis arriſit; quae mox diſcurrente huc illuc et inſolenter graſſante quaſi victoria jam parta milite mutavit. Nam dum in vias anguſtas foſſiſque crebris impeditas fervore inconſulto ruunt, pedite ad praedas averſo, a Verdugo cum recentibus, quos ille in vallo ad extrema ſepoſitos continuerat, nec opinato invaduntur, et palantes nullo negotio in fugam vertuntur. Fugienteis cum equitum turma victor uſque ad novum [k] Nieuezelae propugnaculum compoſito gradu inſecutus omnino profligat ac diſſipat. Periere in eo proelio media peditum pars, et ingens equitum numerus; vexilla pleraque capta. Primarii duces deſiderati, et in iis Carolus Wingardus Sonoii legatus, cui ſuffectus eſt Joannes [l] Cornuptus; Georgius [m] Robertus ſtrenuus centurio, [n] Scullius Naſſovii vicarius, [o] Winantius Omerus Ordinum ductor. Ex Nienortianis, [p] Certius, [q] Gerritus Entenſius, et Cornelius Leoveſcenus. Ex Anglicanis, [r] Cottonus, Biſhopus, et Fitzwilliamus. Praeterea Henricus Ekius, [s] Bellevoinus Ellerborni vicarius, alii. Capti [t] Donavus Nienortii legatus, [v] Bruno, Wilelmus [u] Henricius, Petrus [w] Berenſtenius, Georgius [x] Edimburgus, alii plerique ſtrenui Ordinum ductores. Norriſius in dextra glandis penetrantis ictu ſauciatus; Naſſovius pleroſque glandium ictus thorace avertit; [y] Nisbetus ex vulnere immedicabili in capite accepto tandem interiit. Ex Verdugianis pauci occubuere, nec clari nominis fere ulli; tantum [z] Wolfius Prengerus graviter in capite ictus. Hac victoria praeter ſpem parta inflatus Verdugus non utique pari felicitate uti potuit: nam ſtatim tranſmiſſa magno agmine palude cum ad [aa] Gripcercam et Visflietam caſtra poſuiſſet, exigua propugnacula juxta alveum ſub Nieuezelae moenibus moliri inſtitit, alveo ipſo catenis et cymbis praelongis terra ſaburratis clauſo, ne commeatus in oppidum intromitti poſſet. Sed ſerius id actum: nam [bb] Cnopius paulo ante cum annona et duobus fuſilibus tormentis ab Ordinibus eo miſſus fuerat. Locum tenebant [cc] Steinii

Malſenii

INTERPR. [a] *de Goor, d'Eldenborn, & Henr. d'Eeck.* [b] *Nievel.* [c] *Northorn.* [d] *le Sieur de Monceau.* [e] *Rinſwoude.* [f] *le regiment de Billy, ou des Friſons.* [g] *Wallons.* [h] *Williams.* [i] *Wingaerden.* [k] *Nieuziel.* [l] *Cornput.* [m] *Roberts.* [n] *Schul lieutenant du regiment de Naſſau.* [o] *Wynart d'Ommeren.* [p] *Gerts. Meteren le nomme Rets.* [q] *Gerard Entens & Cornelis Loeweſſchen.* [r] *les capitaines Cotton, Biſhop, & Fitzwilliams.* [s] *de Bellewijn.* [t] *Donaw.* [v] *Bruin.* [u] *Hendrickſen.* [w] *Berenſtein. Meteren le nomme Pieter Steyn.* [x] *d'Edenbourg.* [y] *le capitaine Nisbet.* [z] *Wolf Prenger.* [aa] *Gripskercke & Viſvliet.* [bb] *le capitaine Knoop.* [cc] *Steyn de Malſem.*

Malſenii Dani, Gerardi [a] Cornelii Scheii, Reineri [b] Jetſeni et Scheltemae cohortes; et ad adventum regiorum oppidani cataractis revulſis et aggeribus perfoſſis aquam in ſubjectos campos [c] Emmetielem uſque immiſerant, ita ut accedente copioſa pluvia Verdugi caſtra paene mergerentur. Quibus incommoditatibus preſſus modo victor victo ſimilis obſidionem ſolvere coactus eſt x Kal. Nov. cumque recedentem inſecuti obſeſſi magna clade ultimum agmen carpentes affecerunt: paulum ipſe Verdugus a periculo abfuit. Steinius Malſenius ob egregie navatam operam torque aureo a Friſiis donatus eſt, et Joannis Merodii ſupremi provinciae rectoris vicarius conſtitutus.

IV. DUM haec procul in Friſia geruntur, longe diverſi motus Bruxellis in [d] Atuaticis erant; ubi recenti adhuc Ecmundani conſpirationis, de qua ſuperiore libro diximus, item [e] Jodici Buchenſii, Andreae Anderlecheti, et Joannis Cobii Angli, nuper ob id in quatuor partes ſecti, ſenſu, et praevalente Proteſtantium in urbe potentia, [f] Auxius cum uxore [g] Leitkerkii filia in carcerem conjicitur. Is conjurationi [h] Heſaei, ob quam et ille ſecuri a Farneſio percuſſus eſt, participaſſe creditus, in arcem ſuam [i] Leitkercanam ſe receperat, haud longe ab urbe; eamque Ordinibus ad majorem ſecuritatem tradiderat. Sed poſtea cum inſtigatu uxoris homo obnoxius inconſtantiae et levitatis quaedam ſigna edidiſſet, ob id Ordinibus ſuſpectus fuit, parumque a periculo abfuit; niſi Olivarius [k] Templeus urbis gubernator, qui Auxii ſororem in matrimonio habebat, eum protexiſſet; cujus gratiae id datum, ut liber dimitteretur, fide data, ut ſe in Galliam ad Andinum conferret. Neque heic motus ſtetit: nam Antonius [l] Riſcenveldius profeſſione Dominicanus, qui nuper Gandavo cum aliis exactus ſe Bruxellas contulerat, eundem caſum veritus, proprium metum univerſorum religioni antiquae addictorum fecerat; eoſque in concionibus ad propugnandam majorum religionem hortatus ita animaverat, ut quadam die Templei gubernatoris aedeis circumſtarent, confuſa voce clamantes, nequaquam paſſuros Catholicos, immo vitae periculo prohibituros, ne concionator ſuus ex urbe ejiceretur. Inde capta occaſione poſt tumultum ſedatum a ſenatu edictum conditur, quo, poſt verboſam praefationem de abominabili reliquiarum et imaginum cultu, particulaque eucharisticae hoſtiae ſanguine falſo manare creditae, unde ab avaris ſacerdotibus credulae plebi pernicioſe impoſitum ſit, de [m] Vaurenſi et beati Antonii capſis, et hujuſmodi nugamentis (ita verba edicti ferebant) concilio ipſo Tridentino vetitis ac damnatis, de reliquiis ſanctorum quae contra eccleſiae Romanae doctrinam populo obtruduntur, de particulis ſepulchri beatae Virginis, et beati Michaelis cranio, de ſtatuarum quarundam capitibus perforatis, quibus impoſtores oleum aut alium liquorem inſtillabant, ut ſtatuae lachrimas aut ſudorem mittere viderentur; tandem ut tam deteſtandae ſuperſtitiones extirparentur, et avaritiae fomes, qui fallaciis hujuſmodi cauſam praebeat, e faucibus ſacerdotum eripiatur; his de cauſis, et aliis, quas ſenatus hoc rerum ſtatu propalare nequaquam conſultum exiſtimat, ad publicam concordiam ac ſecuritatem edicitur, ut Riſcenveldius cum complicibus ſuis faceſſat, templa ac monaſteria claudantur, imagines ac ſtatuae ad vitandam offenſionem tollantur, et optima quaeque idoneo loco ſeponantur, quaeque vendi poterunt pretio quam fieri queat maximo diſtrahantur, ut civitati grandi aere alieno gravatae, et pauperibus ſubveniatur: ad haec, Romanae religionis exercitium

INTERPR. [a] *Cornelisſen Schey.* [b] *Jetſen & Scheltema.* [c] *Emmentiel.* [d] *Brabant.* [e] *Joſſe Butkens, André Anderleck, & J. Cob.* [f] *le Sieur d'Auxy.* [g] *de Leidekercke.* [h] *de Hornes baron de Heſe.* [i] *Chateau de Leidekercke.* [k] *de Tempel.* [l] *Ruyſkenſvelt.* [m] *les chaſſes de Waure & de S. Antoine.*

CIƆ IƆ LXXXI.
HENRICUS III.

exercitium omnino ſiſtatur ac ſuſpendatur, donec rebus magis pacatis difficultates ac ſimultates hac in urbe et toto Belgio ſedatae ſint. Id decretum et pro roſtris civitatis promulgatum fuit Kal. Maii. Idem Antuerpiae factitatum; ubi ab opificum XIII, et juratorum VI collegiis oblato magiſtratui ex compacto libello decernitur, ut juxta eorum petitionem altarium praeſtantiores ſummaque arte elaboratas tabulas ipſis tollere et auferre liceret, remanentibus primo altaribus; donec tandem [a] tribuni ac civitatis ductores veriti, ne pars adverſa praetextu ad ſacra conveniendi in alteram conjuraret, publicum religionis antiquae uſum intermitti poſtularunt: quod et ad extremum, recuſante initio ſenatu, obtinuerunt, edicto ea de re Kal. Quintil. condito; quo libertas tamen, quantum ad baptiſmi, matrimonii ritus, et conſolationem aegrotorum, nec non et ſepulturas defunctorum, modo ſine pompa ac conventu id fiat, civibus permittitur, non item extraneis; et duo ſacella in urbe ipſis in id aſſignabantur. VI item ſacerdotes pacifici nominantur, ſacrorum conceſſorum celebrationi deſtinati. Eodem edicto, ex ſacro ordine, et alii, tam ex illa urbe quam reliquis Belgii exacti, aut qui ante quatuor annos in urbem migraverint, exire ex ea jubentur, exceptis mercatorum nationibus; cuncti autem arma ponere jubentur[α]. Sub id Alexander Farneſius Belgii prorex inſtigatu Bernardini Mendozae, tunc Philippi apud Eliſabetham Anglorum reginam oratoris, de [b] Vliſſinga intercipienda conſilium iniit. Solicitati a [c] Boccartio urbis patrono et tunc exule praefecti fuerant, qui rem [d] Arauſionenſi ſtatim renunciarunt. Is vero auctor illis fuit, ut cum Mendoza agerent, pecuniamque ab eo quam maximam poſſent, emungerent; et, ſi opus eſſet, obſidem darent. Itaque VI CIƆ florenorum a Boccartio praeſenti pecunia numeratis, datus unus ex praefecti filiis obſes, qui Londinum in aedibus Mendozae ſiſtitur. Condicta die praeſidiarii adventum regiorum exſpectant, ipſis pro meritis gratulaturi. Arauſionenſis autem conſilii auctor de periculo obſidis ſolicitus, in Angliam Chriſtianum [e] Huigenſium ab epiſtolis miſerat, qui obſidem e manibus volentis ſeu nolentis Mendozae eriperet: quod et opportune factum; juvene, dum ante fores Mendozae ſtaret, vi retracto, et in tutum ſubducto. Verum Farneſius interim, qui apprehenſa Auxii uxore facti conſcia rem detectam ſuſpicaretur, milites in tempore minime ſummiſit. Diverſa parte, regii menſe Junio [f] Barlenſe caſtrum juxta [g] Hochſtratum et Turnohutam in Campinia via, qua Bredam itur, ſatis firmum oppidum et aqua cinctum capiunt; cumque illud ruſticorum operis munire coepiſſent, [h] Stakenbrokius Bredae praefectus id impedire cupiens eo ducit, advectiſque tormentis locum pulſat, ſed irrito conatu. Miſſus poſtea ab Ordinibus eodem N. [i] Garda Gallus, militum tribunus; qui cum ſuis equitum turmis et CCCC peditibus Turnohutam arcem cinxit, eamque ad deditionem compulit. Dein Hochſtratanam horrenda tormentorum diſploſione pulſatam itidem in fidem recipit. Quo ſucceſſu territi circum praeſidiarii Barlenſe caſtrum prius incenſum deſtruunt. Inde Garda [k] Tilburgum, Loontum arenoſum, et Oſterhoutum occupat, lociſque praeſidio firmatis de [l] Eindovia et Silva-ducis in poteſtatem redigenda cogitare coepit. Cumque ſub id tempus plebs in urbe tumultuaret, eo miſſus a prorege Claudius [m] Barlemontius Altapennius, et Martinus

Schenkius

VAR. LECT. [α] In D. f. varia de rebus Anglicis ſequuntur, quae ex editione Genevenſi ad hujuſce libri partem poſteriorem ſuis locis inſerta diſtincte notavimus.

INTERPR. [a] *les colonels & capitaines de la ville.* [b] *Fleſſingue.* [c] *Bochart avocat.* [d] *le Prince d'Orange.* [e] *Huygens.* [f] *de Baerle.* [g] *Hooghſtraten & Turnhout en Campigne al. Kempen.* [h] *Stakenbroeck, droſſart de Breda.* [i] *la Garde.* [k] *Tilburg, Loon-opt-land, & Oſterhout.* [l] *Eindhoven & Bois le duc.* [m] *de Berlaymont, Sieur de Haultepenne.*

Schenkius cum aliquot turmis; quorum adventu cognito, Garda retro cedit Turnohutam verſus, levibus proeliis cum hoſte conſertis.

V. Id ſecreto de Breda intercipienda conſilio, ut procederet, commoditatem praebuit: nam Altapennius et Schenkius ſpecie avertendi a Silva-ducis periculi profecti, cum nullam de ſe ſuſpicionem hoſti feciſſent, protinus a via deflectunt, et Bredam hoc aſtu capiunt. Stakenbrokius loco ab Arauſionenſi impoſitus praeerat, et paucos praeſidiarios in Arauſionenſis palatio proxime urbem loco amoeno ad flumen ſito habebat; quippe ea arx ſumma magnificentia a Naſſoviis potius ad ornatum quam ad firmitatem exſtructa videbatur, duorum poſtremorum Arauſionenſium principum domicilium, armamentario praeter cetera inprimis inſignis, in quo LII aenea admirandi operis tormenta a Ferdinando Caeſare donata, ut inſcriptiones docebant, viſebantur; quae [a] Albanus partim rapuit, partim alio tranſtulit. Cum autem oppidani Naſſoviis valde addicti eſſent, Arauſionenſis praefecto mandaverat, ut eorum in agendis excubiis opera praecipue uteretur, ipſiſque palatii cuſtodiam committeret. Sed conſilium ſalutare adeo neglexit Stakenbrokius, ut minime neceſſarium. Carolus [b] Gaureus Freſinius captivus in arce erat, [c] Incii, qui [d] Cameracenſem arcem Andino ex Ordinum conſilio tradiderat, frater, ac annonae in Ordinum exercitu praefectus; ſed poſtea ob literas interceptas ſuſpectus, quibus invitum ſe Ordinibus adhaerere, et in eorum caſtris manere ſignificabat. Ejus aſtu factum putant, ut corruptis aliquot praeſidiariis conſilium de occupanda arce ab Altapennio tentaretur; qui IV Kal. Quintil. concubia nocte ad partem arcis qua declivior aſcenſus patebat, et tunc temporis ruinis paene complanata erat, cum delectis venit, et a conſciis, qui ſocios luſu aleae, ut fit, occupatos detinebant, introducitur; et ita oppreſſis praeſidiariis arce potitus, per portam ejus ſummo mane in urbem impetum facit. Nec oppidani in tanto periculo ſe deſerunt; qui quanquam nec opinato circumventi quinque horas extracto certamine gnaviter ſe defenderunt, aggeribus et munimentis opere tumultuario contra hoſtium vim objectis: ſed muralium tormentorum violentia diu ex arce infeſtati tandem ceſſerunt, et caeſi ac fugati ſunt, cohorte juvenum nondum conjuratorum, qui fortiter admodum rem geſſerant, ad internecionem exceptis paucis deleta. Godofridus [e] Montenſius urbis conſul equo conſcenſo, Stakenbrokius item arcis praefectus fuga evaſit, uxore et filia relicta; quae indignis modis a regiis habitae, patri mortis ſubitae ob moerorem ex tanta injuria conceptum cauſam praebuiſſe creduntur. Urbs crudeliter direpta, tantoque ſilentio et celeritate res acta, ut Garda, qui Turnohutae erat, nihil niſi re confecta de ea reſciſcere potuerit. Mox Joannes [f] Lindanus Ruremondae epiſcopus arceſſitus, qui majorum ſacra in oppido inſtauraret. Inde [g] Altapennius [h] Gertrudis-montem petit, et ſcalis admotis vim parat; ſed cum damno repulſus. Pari infelicitate [i] Heuſdam egregie munitam ac rebus neceſſariis inſtructam arcem tentat. Bredae aſtu interceptae caſus admodum Arauſionenſem et Ordines commovit; et cum ſub id tempus incidiſſet, quo de abolendis Romana in eccleſia uſurpari ſolitis ſacrorum ritibus Antuerpiae conſultabatur, cauſam dediſſe creditur, ut ſenatus, qui huc uſque collegiorum et opificum poſtulationes fruſtratus fuerat, poſtremo, cum aliam ſecuritatis pro tempore rationem non videret, eorum petitionibus annueret. Nec ipſi ceſſabant; ſed de [k] Silva-ducis rurſus tentanda cogitant, inſtigante Joanne [l] Junio equite, Antuerpiae tunc conſule. Rumoribus tamen imprudenter ſparſis, et equitum mora, factum eſt,

INTERPR. [a] *le duc d'Alva.* [b] *de Gaure Sieur de Freſin.* [c] *le baron d'Inchy.* [d] *de Cambray.* [e] *Montens.* [f] *de Linden, eveque de Ruremond.* [g] *le Sieur de Haultepenne.* [h] *Gertruydenberg.* [i] *Heuſden.* [k] *Bois le duc.* [l] *Junius chevalier, bourgmeſtre d'Anvers.*

eſt, ut conſilium exitu caruerit. Ne tamen profectio ad eam expeditionem miſſorum ſine aliquo operae pretio eſſet, cognito in via ex Eindovienſi, obvio forte facto, cive urbis ſtatu, eo divertunt; oppidoque capto, cum arcis praefectum in eo cepiſſent, minis et mortis metu intentato adigunt, ut praeſidiarii arcem dederent. Ibi III peditum cohortes, et una Italorum caeſae; pauci elapſi. Ordines dein Helmontem ducunt; ſed capto oppido non utique, ſicuti Eindoviae, arce potiri potuerunt. Mox Philippi Hohenloi comitis cum auxiliis ſuperventu quaedam munitiones circa Silvam-ducis captae, et poſtremo diſtributi per vicina praeſidia milites: nam conſultiſſimum viſum, ut Robertus Stuartus cum Scotis ſuis, et Garda cum Gallis, in Flandriam contra [a] Gallobelgas regios mitteretur; qui [b] Andinum [c] Cameracum venturum impedituri dicebantur. Eorum e [d] Campinia diſceſſu continuo Altapennius et Carolus Mansfeldius [e] Eindoviam rurſus obſident, obſeſſoſque, quibus de rebus neceſſariis minime proſpectum fuerat, tandem extrema neceſſitate victos ad deditionem compellunt. In Flandria et res vario eventu ab Ordinibus gerebantur; ubi jam Aprili menſe [f] Villerſius ſummus equitum praefectus juxta [g] Ipram et Dixmudam arma e longinquo oſtentaverat, dum prorex juxta Cameracum, exſtructis [h] Marconini, Crepacordiae, et Vauxellis munitionibus, occaſionem rei gerendae opperiretur. Sed cognito Andinum auxilio venturum, munitionem deſeruit, et equitatu potentior cum Ordinum exercitu, cui Petrus [i] Melodunus Eſpinoius marchionis Richeburgi grandior natu frater praeerat, conſerto levi proelio quaſdam copias cecidit. Eſpinoius viciſſim, ex [k] Tornaco crebris excurſionibus in [l] Hannoniam proximam factis, proregem maximis damnis toto eo tempore affecit. Is ad [m] Altumrivum inter Tornacum et [n] Aldenardam ad Scaldim ſitum pagum caſtra muniverat, unde crebris itidem excurſionibus hoſteis divexabat; cumque Tornaco XC currus omni mercium genere onuſti [o] Curtracum, Gandavum, et Antuerpiam tenderent, exiguo admodum armatorum comitatu, LXX ex iis a regiis capti ſunt, praeda in caſtra avecta. Ordinum exercitus, qui circiter III CIↃ peditum et IↃ CCC equitibus conſtabat, in [p] Ambacto Verano loco commodo foſſis ac vallis caſtra muniverat: unde cum regii, qui [q] Roesburgae contraria caſtra poſuerant, eos expellere conarentur, variis velitationibus toto Junio et Quintil. inter eos certatum eſt; demumque magno ſuo cum damno amiſſis plus CCC caſtra movent, atque Cameracum, ut ſubſidia ab Andino urbi obſeſſae miſſa arcerent, tendunt. Is poſt Flexianam collationem, et pacem in regno conſtitutam, toto animo in bellum Belgicum intentus, cum multos ſive Hiſpanicae potentiae metu, ſive gratia, ſuis partibus adverſari ſciret, ſcriptum evulgat, idque adjunctis ad regni curias, parlamenta vulgo vocant, literis mittit. Eo firmam, conſtantem, ac laudabilem ſuam in protegendis Belgii provinciis, et a crudeli externorum jugo liberandis, ſententiam multis verbis declarat; et expeditionem ob id ſuſceptam non ſolum ſibi honorificam, ſed regno nominique Gallico ſalutarem fore multis rationibus probabat. A ſenatu Pariſienſi minime acceptae literae, ſed ad regem non reſignatae miſſae ſunt, ex Chriſtophori Thuani conſilio; qui conſultus, ex majorum inſtituto, a quoquam alio quam a rege ejuſve cancellario literas in ſenatu recitari nefas eſſe reſpondit.

VI. DUM

INTERPR. [a] *Wallons.* [b] *Duc d'Anjou.* [c] *Cambray.* [d] *Campigne ou Kempen.* [e] *Eindhoven.* [f] *de Villers, mareſchal de camp.* [g] *Ypres & Dixmuiden.* [h] *Marquoin, Crevecœur, & Vauchelles.* [i] *de Melun, prince d'Eſpinoy.* [k] *Tournay.* [l] *Hainault.* [m] *Haulterive.* [n] *Oudenarde ſur l'Eſcault.* [o] *Courtray & Gand.* [p] *prez de Loo en la juriſdiction de Vuren.* [q] *Roesbrugghe, ou bourg du Pont-Rouard.*

VI. Dum de novo in Belgio principe eligendo ab Ordinibus conſultatur, Ludovicus Gonzaga [a] Nivernius, qui [b] Henrietam Cliviam jus in Brabantiae, Limburgi, Antuerpiae principatibus ſibi competere jam a multo tempore contendentem in uxorem duxerat, ne juri praetenſo per ſilentium ſuum praejudicium faceret, ſcriptum ea de re edit a Joanne [c] Chandono Matiſconenſi libellorum ſupplicum magiſtro, et ſibi multis nominibus devincto, compoſitum; quod et mox publicandum curavit. His autem rationibus nitebatur: [d] Philippum audacem vulgo dictum, Joannis regis, qui in Anglia deceſſit, quartum numero filium, patris beneficio Burgundiae, quae Philippi Burgundionis morte regi obvenerat, anno CIↃ CCCLXI ducem creatum; poſtea Caroli V fratris favore ſubnixum etiam Margaritam Ludovici III Flandriae comitis et Margaritae Brabantinae, quae Joannae amitae principatuum Brabantiae, Limburgi, et Antuerpiae dominae unica heres erat, filiam, ac proinde fere univerſi Belgii heredem in uxorem duxiſſe, nuptiis ſumma magnificentia ac laetitia [e] Gandavi anno CIↃ CCCLXIX octavo poſt XIII Kal. Quintil. celebratis; quo ex conjugio tres filii nati ſint, Joannes, Antonius, et Philippus. Sic autem ampliſſimam eam hereditatem poſtea inter filios ex utriuſque parentis voluntate diviſam eſſe, ut Joannes grandior natu ditiones omneis a Ludovico III avo profectas cum paternis principatibus acciperet; Brabantiae, Limburgi, Lotherii, et Antuerpiae principatus Antonio alteri filio cederent, ita ut ſi ſine liberis maſculis decederet, fideicommiſſi jure ad Philippum fratrem devolverentur. Ea de re Bruxellis inſtrumentum publicum confectum fuiſſe III Kal. Oct. anni CIↃ CCCCI; poſtea auctoritate Ordinum accedente roboratum: ab Joanne autem illo Burgundiae duces propagatos; dein Mariam Caroli ultimi Burgundiae ducis filiam Maximiliano Auſtrio nupſiſſe, ex quo Philippus natus ſit, Caroli V et Ferdinandi Caeſarum parens, et Philippi, qui nunc rerum potitur, avus. At Antonio poſtea et Joanne ac Philippo ejus filiis ſine maſcula prole defunctis, Philippum Antonii fratrem ex utriuſque parentis voluntate ſucceſſiſſe, et Carolum ac Joannem filios reliquiſſe; Carolo autem ſine liberis mortuo, rem omnem ad Joannem deveniſſe, eique jus in controverſis illis principatibus regio decreto adjudicatum fuiſſe; ſed poſtea bello a Carolo Burgundiae duce gentili ſuo captum, juri illi, ut libertatem reciperaret, renunciaſſe; facta prius XI Kal. Apr. anni CIↃ CCCCLXV a Joanne Bertoldo regii ſigilli cuſtode et ipſi Joanni ab epiſtolis proteſtatione, quam et auctoritate ſua Ludovicus XI biennio poſt confirmavit; confecto ea de re Lutetiae, et ad ſenatum Pariſienſem miſſo, diplomate XVII Kal. Jun. Joannem poſtremo illum duas filias reliquiſſe; Eliſabetham, quae Joanni Clivio; Carlotam, quae Joanni [f] Labretano Orvallio nupſerunt. Inde ortas eſſe graviſſimas inter ſorores earumque liberos controverſias, quae tandem felici matrimonio compoſitae ſunt, Maria Carlotae filia cum Carolo Clivio Engelberti filio, et Joannis Clivii et Eliſabethae Burgundae nepote, matrimonio conjuncta; ex quo Franciſcus, et ex Franciſco et Margarita Borbonia Antonii regis Navarrae ſorore, Franciſcus Nivernius, Jacobus, Henrieta Ludovici Gonzagae uxor, Catharina, quae Henrico Lotaringo Guiſiae duci, et Maria, quae Henrico Borbonio Condaeo nupſerunt, nati ſint. Franciſco demum et Jacobo ſine liberis defunctis, jus omne ad Henrietam grandiorem natu filiam deveniſſe; cui quanquam Joannes captivus renunciaverit, proteſtatione tamen a Bertoldo facta integra omnia manſiſſe; nec

CIↃ IↃ LXXXI.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Duc de Nevers.* [b] *Henriette de Cleves.* [c] *Chandon de Maſcon, maiſtre des requeſtes.* [d] *Philippe le hardi.* [e] *Gand.* [f] *d'Albret, Sieur d'Orval.*

CIƆ IƆ LXXXI.
HENRICUS III.

nec [a] Madritiana pacificatione, cum Franciſcus I ſupremo Flandriae dominio renunciavit, quidquam in praejudicium tertii decerni potuiſſe. Curaſſe quidem Carolum V, ut acta litis, quae in ſenatu Pariſienſi erant, [b] Mechliniam, ubi ſupremum Flandriae tribunal inſtituerat, deferrentur. Sed exempla prudenti ſenatus auctoritate confecta, et in [c] archivis curiae ad faciendam poſteris fidem caute depoſita fuiſſe. Hujus ſcripti publicationem Andinus, quanquam id Nivernius apud eum ſedulo excuſaſſet, et jure ſuo in ipſius gratiam ſe uxoremque cedere paratos oſtenderet, cum aliquo offenſionis ſenſu primum accepit, ac poſtremo contemptu eluſit; cum diceret, inter duos potentiores de imperio contendenteis infirmiorem medium interponere ſe importunum et intempeſtivum videri.

VII. Is copiis ſuis diem, quo convenirent, circa [d] Theodorici caſtrum condixerat; unde profectus ad limitem venit XVIII Kal. Sept. cum IV CIƆ equitum ex nobilitate regni primaria, et iis etiam qui regis ſtipendiis merebant, ac X CIƆ peditum. Exercitus [e] ſummus vicarius erat Gulielmus [f] Altamerius Fervacius; ſub eo [g] caſtrorum praefecti IV, [h] Bellogardius, Bellofontanus, Trappelus, et Suranius. [i] Ferentariis equitibus praeerat Claudius [k] Caſtreus; peditatui Antonius [l] Sillius Rupipotius. Cum eo praeterea erant Carolus [m] Lotaringus Ellebovii dux, [n] Vidus comes Lavallus, Claudius Bellovillerius Fani-Aniani comes, Jacobus Mongomerius comes; Henricus Turrius Turenae vicecomes, Gilbertus Levius Voltae comes, Gilberti Ventadurii ducis filius, Georgius Villoclarus Guerchius vicecomes, Drous, Malaviſſerius, Sandricurtius. [o] Cameracum, jam a longo tempore intercluſo omni commeatu, in ſummis anguſtiis verſabatur, adeo ut tantum equis, felium, et glirium carnibus in urbe obſeſſi veſcerentur; tanta vero erat caritas, ut vacca CC, ovis L florenis, libra butyri XXIV, caſei XXX, ovum II, uncia ſalis VIII ſtuferis veniret: ac poſtremo cum nihil ſalis ſupererat, quidvis, unde ſalſedo elici poſſet, elixabatur, et iterum atque iterum coquebatur, donec in muriam aut ſalſedinem verteretur. Laborantibus cum exercitu praeſto fuit Andinus; et dum juvenili ardore et decoris aviditate provecti Turenius et Voltanus ſobrini urbem ingredi, praeſentia ſua obſeſſis animos facturi, conarentur, cum noctu a viae ductoribus deerraſſent, a proregis copiis capti ſunt. Voltanus cuſtodiam fefellit, eoque diligentius Turenius aſſervatus; qui miſſo a regina parente, quam proxima cognatione contingebat, Pomponio Belleureo, vix tandem L aureorum CIƆ pretio exſoluto, altero poſt anno dimiſſus eſt. Adventu Andini copias ſubito contraxit prorex; et cum XVI Kal. Sept. ante urbem in armis ambo exercitus aliquandiu conſtitiſſent, tandem caſtra movet, et relictis propugnaculis et parte copiarum per vicina praeſidia diſtributa [p] Valencenas contendit. Andinus poſtridie armatus magna pompa urbem ingreditur, feſtis populi tanquam patriae liberatori acclamantis vocibus exceptus. Biduo poſt primum in aede beatae Virginis, poſtea in [q] civitatis curia ſolemni ſe ſacramento obſtrinxit, civitatem imperialem civeiſque protecturum, ac juxta privilegia, leges antiquas, ac immunitates rem publicam adminiſtraturum; ſparſa et miſſilia. Poſtridie [r] Arenſium et Sluſam contendit, hoſtibus inde depulſis; ac poſt aliquot dies

INTERPR. [a] *de Madrid.* [b] *Malines.* [c] *Regiſtres du parlement.* [d] *Chateau-Thierry.* [e] *Lieutenant general.* [f] *de Hautemer, Sieur de Fervacques.* [g] *Mareſchaux de camp.* [h] *de Bellegarde, de Bellefont, les Sieurs de la Trappe & de Suraine.* [i] *Chevaux legers.* [k] *de la Chaſtre.* [l] *de Silly, comte de Rochepot.* [m] *de Lorraine, duc d'Elbeuf.* [n] *Gui comte de Laval, Claude de Beauvilliers comte de St Aignan, Jacques comte de Mongomery, Henry de la Tour, vicomte de Turenne, G. de Levis comte de la Voute, fils de Gilbert premier duc de Ventadour, G. de Villequier vicomte de la Guerche, de Drou, de la Mauviſſiere, & de Sandricourt.* [o] *Cambray.* [p] *Valenciennes.* [q] *l'hoſtel de ville.* [r] *Arleux & l'Eſcluſe.*

dies [a] caſtrum Cameracenſe, id oppido nomen, ubi [b] Cameraci epiſcopi ſedes eſt, obſidione cingit. Locum tenebat cum praeſidio [c] Wordeus; quo deditionem facere juſſo, ac recuſante, tormenta admoventur; tandemque, poſt aliquot ictuum diſploſiones, oppidum arbitrio Andini traditum: ccc praeſidiarii, qui in eo erant, liberi dimiſſi extinctis funibus; benignitate illa invitatis ceteris ut idem facerent. Ea in obſidione Carolus [d] Belnenſis vicecomes Turonenſis occiſus: Joannes [e] Monlucius Balagnius, arci Cameraci ab Andino impoſitus, in femore glande plumbea ictus eſt.

VIII. His actis, cum ab Ordinibus et Arauſionenſi rogaretur Andinus, ut cum ſuis copiis agmina hoſtium perrumperet, et in [f] Atuaticos veniret, ad idque paratum haberent in Flandria militem, praemiſſis [g] Garda et Stuarto cum ſuis legionibus, qui venienti occurrerent: ille ſe excuſavit; et exercitu, qui ex voluntariis fere et regi merentibus conſtabat, ad haec exortis ob imperii praerogativam inter duces diſſidiis, ſenſim a ſignis dilabente, ſatius duxit, antequam ulterius in Belgium pergeret, in Britanniam deflectere; tum ut fidem de nuptiis datam, quantum in ſe eſſet, impleret, tum ut cum inde in Belgium veniret, non ſolum tantae reginae opibus ſubnixus, ſed quaſi petita ab ipſa venia eo venire videretur: quod ad capeſſendum novum principatum popularium ſuffragiis tam honorifice delatum non mediocrem rebus ſuis dignitatem et auctoritatem conciliaturum providebat. Interea copiae Ordinum in Flandria [h] Woroingium ceperunt; arcem [i] Lanoiam et Avelgemum incendiis deformarunt. Inde [k] Altarivum contendunt; quod cum capere diu nequicquam moliti eſſent, poſtremo Dunkerkam verſus iter inſtituerunt, tanquam Andino obviam proceſſuri; quos recedenteis inſecutus prorex cum fruſtra fuiſſet, cognito [l] Eſpinoium Tornaci gubernatorem cum majore praeſidiariorum parte abeſſe, et [m] Eſtrellum vicarium cum Eſpinoii uxore in urbe manſiſſe, eo ducit. Diverſa parte, Eſpinoius [n] Giſlenii-fanum ſubita invaſione occupat: ſed cum praeſidiarii loco impoſiti non ſatis temporis habuiſſent, quo ſe munirent, et neceſſaria ad defenſionem pararent, ſupervenientibus regiis oppidum vi expugnatur.

IX. Paulo ante [o] Hagae comitis in Batavia conventu Ordinum habito, VII Kal. Sextil. ejeratio fidei et obedientiae Philippo debitae ritu ſolemni facta ac promulgata fuit; ſcripto ea de re confecto, quo Ordines declarabant, non populos principis cauſa natos, ſed contra principes in uſum populorum a Deo datos: nam populos ſine principe, principem ſine populis ſtare non poſſe; principis autem munus eſſe, populos, ut pater filios aut paſtor oves ſolet, ſic diligere, et aequabili jure conſtituto gubernare; qui contra faciat, non principem illum, ſed tyrannum habendum; eique populos minime fidei aut obſequii neceſſitate obligari. Id ſibi uſu veniſſe, qui fruſtra votis, libellis ſupplicibus, expoſtulationibus, jam a tot annis de crudelitate Hiſpanorum in Belgium miſſorum conqueſti, aureis Philippi principis ſui fatigaverint; neque quidquam ab eo impetrare potuerint, quo minus Catholicae religionis, quam nunquam ipſi oppugnaverint, conſervandae praetextu ſaevum de Belgio ſub jugum mittendo conſilium proſequeretur. Id ex machinationibus et toties data fide cavillatorie ac ſumma perfidia ab ipſis miniſtris violata palam eſſe. His de cauſis, extrema neceſſitate adductos Ordines declaraſſe, ac nunc declarare, Philippum omni jure ac dominio provinciarum

INTERPR. [a] *Chateau-Cambreſis.* [b] *Cambray.* [c] *le Sieur de Wordes.* [d] *de Beaune, vicomte de Tours.* [e] *de Montluc de Balagny.* [f] *Brabant.* [g] *la Garde & Stuart.* [h] *Warcoing.* [i] *Chateaux de Lannoy & Havelgem.* [k] *Haulterive.* [l] *Prince d'Eſpinoy, gouverneur de Tournay.* [m] *d'Eſtrelles.* [n] *St Ghiſlein.* [o] *la Haye.*

CIƆ IƆ LXXXI. provinciarum Belgicarum excidiſſe; ac proinde nolle ſe, ut magiſtratus, judices,
HENRICUS III. praefecti, beneficiarii, aut incolae provinciarum, ejus nomen in actis publicis deinceps uſurpent, eumve pro ſupremo domino agnoſcant; quos itidem a jurejurando fidei, quod ipſi debent, abſolvunt; ita ut ipſis per jura divina humanaque, quae toties Philippus et Hiſpani violaverint, liberum fuerit, alium principem ſibi deligere, qui provincias juxta privilegia, libertates, immunitates patrias et antiquas adminiſtret, jus aequabile inter Belgas dicat, et tanquam pater filios foveat, ab omnique injuria protegat. Itaque cum is delectus fuerit dux Andium, et Matthias jam adminiſtrationem Ordinum ſuffragiis delatam anno ſuperiore a ſe abdicaverit, reliquum eſſe, ut per Andini abſentiam res in Belgio conſtituantur. Igitur placere, ut donec in provinciam venerit, omnia [1] concilii provincialis nomine adminiſtrentur: in Zelandia vero et Hollandia eo uſque cuncta pariter acta publica ſub nomine Arauſionenſis conficiantur. De ſigillis, quorum in poſterum uſus erit, et proſpectum decretumque, ne ulla poſthac moneta in ſingulis provinciis cudatur nomine, titulo, aut inſignibus Philippi Hiſpaniarum regis. Ad haec additum, ut magiſtratus ac praefecti ſe a juramento fidei abſolutos declarent, et novum ſacramentum coram Ordinibus aut ab iis delegatis dicant; quae eo uſque locum habitura ſint, donec [a] Celſitudo ſua advenerit. Secundum haec, cuncti, imperio magiſtratus, obedientiam Philippo renunciare per provincias jubentur. Ad quod plerique ſummopere, ut par erat, etiam ex iis quibus Hiſpanicum nomen magis inviſum erat, exhorruerunt; reputantes in quos ſe calamitatum labyrinthos eo facto induerent: nam huc uſque cum principe ſuo bellum geſſiſſe, idque non ſolum minime novum eſſe, ſed etiam excuſari poſſe, neque enim carere exemplo; ſimileis in Belgio tumultus plerunque incidiſſe, ſed populos ſemper in fide principum ſuorum manſiſſe; nunc, cum excutiendum ſit antiqui ac legitimi principis jugum, aliuſque novus aſciſcendus, merito metuendum eſſe, ut tanta mutatio citra perniciem provinciarum, de quarum incolumitate laboratur, ſequi nequeat. Itaque conſcientiae ſcrupulus hic multis injectus; et inter alios [b] Ralda Friſiae delegatus, homo induſtrius et prudens, cum novum jusjurandum ei juxta praeſcriptam formulam proponeretur, ſubito animi deliquium paſſus eſt; et paucos poſt dies, antequam juraret, e vita demigravit. Praeter conſcientiae ſcrupulum et alia accedebant, quae periculoſam eam mutationem faciebant: nam prudentiores metuebant, ne Philippus ex ea occaſione merces ac naveis Belgicas in Hiſpania retineret; quod jure ſuo facturum cum rebantur: tamen id, cum poſſet, ne faceret, in cauſa fuiſſe creditur, quod mercium in Belgio vendendarum commoditate adempta, et ita Indiarum navigatione inutili reddita, opes Hiſpanae, quae his fere rebus conſtant, ad nihilum redactae videbantur.

X. DECRETO promulgato, Matthias, qui, abdicata a ſe provinciarum adminiſtratione, tamen huc uſque in Belgio remanſerat, cum defectionem ab Auſtriaca familia honeſte ferre non poſſet, petito ab Ordinibus commeatu Antuerpia IV Kal. Nov. diſceſſit: a quibus cum annua CXX florenorum CIƆ dum in Belgio eſſet acciperet, etiam abſenti L CIƆ promiſſa ſunt. Ille per Clivenſem ditionem ac Coloniam facto itinere ad ſua perrexit; neque magnam gratiam ob delatam ultro operam ſuam ab Ordinibus conſecutus, et aeternum ob id Philippi odium promeritus.

XI. INTEREA

INTERPR. [a] *ſon Alteſſe.* [b] *le conſeiller Ralda.*

NOT. [1] *Lege* concilii communis nomine quae ad bellum pertinent, cetera nomine cujuſque concilii provinciae adminiſtrarentur. *Put.*

XI. Interea prorex, qui [a] Tornacum duxerat, per gubernatoris abſentiam urbem obſidione cingit Kal. Oct. Ea Nerviorum metropolis ampla ac dives, et ſitu et arte ſatis munita: arcem adjunctam habet ab Henrico VIII Anglorum rege exſtructam, cum urbem Gallis ademiſſet; quae ab Anglo Gallis reſtituta, poſtea rurſus ab Henrico Naſſovio capta fuit. Admotis XXIII tormentis cum muri magna vi aliquandiu pulſati eſſent, oppidani Proteſtantium religioni addicti aliquandiu fortiſſime reſtiterunt; quibus et pauci praeſidiarii, qui in arce erant, ad urbis defenſionem ſe conjunxerunt. Inde res ſuffoſſionibus et cuniculis acta, quos contrariis actis cuniculis obſeſſi everterunt, crebris interim eruptionibus certantes; in quibus plerique e Philippicis cecidere, et in iis [b] Glaionus junior, Maximilianus [c] Longavallus Vallius, nuper a Philippo [d] Bucoii comes creatus, [e] Pontius Noiella Burſius, qui in Antuerpiana arce capienda primum operam Ordinibus navaverat. Multi et ſauciati; in quibus [f] Montinius, Varanbonus marchio, Billius. Sed cum in urbe adeo ſpatioſa minus eſſet copiarum, quam ut diurnis nocturniſque ſtationibus ac continuis pugnae laboribus ſufficerent, alieni a Proteſtantium religione, inſtigante eos [g] Gerio Franciſcano, de deditione ſermonem ſenſim injicere coeperunt. Nec mediocriter obſeſſorum animos infregit dilata auxiliorum et per procraſtinationem praeciſa omnino ſpes: nam cum Andinum ſubito adventurum ſibi perſuaſiſſent, cognito eum de tranſmittendo in [h] Britanniam conſilium cepiſſe, admodum conturbati ſunt; et quanquam crebris Eſpinoii nec non Arauſionenſis literis confirmarentur, poſtquam [i] Preſtonius Scotus militum tribunus advenit, qui eos, adductis ſecum copiis, magis firmaturus credebatur, omnino animum deſponderunt. Is, cum aliis qui bellum ſuo arbitrio gerebant, neque Ordinum et Arauſionenſis dictis ſatis audientes erant, conſilium de [k] Borborgo, quod eſt oppidum Navarri ditionis haud longe a [l] Gravelinga, intercipiendo ceperat. Quod temere et ſpe praedae inconſultis Ordinibus ſuſceptum infeliciter ſucceſſit. Cum [m] Salina loci gubernatore Arauſionenſis de reconciliatione clam convenerat; et dum commoditas rei exequendae quaeritur, volones illi, quos dixi, vadoſum fluvii locum cum delectis tranſeunt, et ſcalis admotis, non expectatis ſociis, quos intenſae tenebrae in vado reperiendo fefellerant, in urbem penetrant. Ibi fortiter a Salina rei ignaro pugnatur. Idem a [n] Valentino Pardeo Mota Gravelingae praefecto, qui tum forte in urbe erat, factum. Itaque ſociis non advenientibus, ut ſibi perſuaſerant, oppugnatores quotquot in urbem ingreſſi fuerant caeduntur, capiuntur, et in fugam vertuntur. Deſideratus [o] Buchardus Ordinum ductor, et Salinas ipſe; cujus morte omnis recipiendae urbis ſpes evanuit. Preſtonius ex conſciorum numero erat; qui urbem minime ingreſſus, poſt infelicem ſucceſſum cum CCC equitibus [p] Meninga profectis excubias et agmina quaedam Germanorum perruperat, et equitum aliquot agminibus caeſis, inter quos erat [q] Cimaci principis turma, et XXX amplius ex iis captis, victor Tornacum venerat. Ex his auxiliaribus cognito Andinum non adventurum, et rem infeliciter ad Borborgum geſtam, plus hac ſiniſtra fama labefactati obſeſſi, quam ſubſidii appulſu confirmati ſunt. Itaque proregi, qui adverſa anni tempeſtate et ipſe multa incommoda in exercitu patiebatur, conditiones ſatis aequas ob id offerenti aureis praebuere;

INTERPR. [a] *Tournay.* [b] *de Glayon.* [c] *de Longueval, baron de Vaux.* [d] *Bucquoy.* [e] *Pontius de Noyelles, Sieur de Bours.* [f] *le Sieur de Montigny, le marquis de Varambon, & le Sieur de Billy.* [g] *Frere Gery Cordelier.* [h] *Angleterre.* [i] *Preſton, colonel Eſcoſſois.* [k] *Bourbourg du domaine du roy de Navarre.* [l] *Gravelines.* [m] *Salinas.* [n] *Valentin de Pardieu, Sieur de la Motte.* [o] *le capitaine Bouchard.* [p] *Menin.* [q] *Chimay,*

CIↃ IↃ LXXXI.
HENRICUS III.

praebuere; de quibus interventu [a] Raſſengemi convenit. Eae fuerunt, ut civitas cc florenorum CIↃ depenſis direptionem redimeret; Proteſtantibus et aliis quibuſcunque liberum eſſet abire, et ſuas facultates ſecum deferre; aut ſi locis neutri parti addictis domicilium figere vellent, eas retinere, iiſque frui, et per quem vellent Catholicum adminiſtrare; praeſidiarii cum armis et ſignis explicatis exirent, et ſua, quaecunque poſſent, aſportarent; iiſque ab oppidanis ante egreſſum XXX CIↃ florenorum pro ſtipendio adnumerarentur. Permiſſum et [b] Eſpinoii uxori, Emmanuelis [c] Lalanii Montinii, qui regias partes ſequebatur, ſorori, ut cum omni ſua familia, bonis, cimeliis, ac mundo omni muliebri abiret; cui quanquam omnia a fratre et [d] Risborgii marchione, mariti ipſius itidem germano, perhumane deferrentur, rogareturque ut in urbe manere vellet, virilis animi foemina ſe excuſavit, et ſumma conſtantia viri fortunam ſequi maluit. Ita deditum beati Andreae feſto die [e] Tornacum; quod mox prorex firmiſſimo praeſidio munivit, epiſcopo urbis impoſito Maximiliano [f] Morillono Ariae praepoſito, [g] Granvellani cardinalis, cujus antea vicarius fuerat, commendatione; qui et ſub idem tempus archiepiſcopatum [h] Mechlinienſem in Joannis [i] Auchini gratiam ejeravit. [k] Rupipotius cum delectis copiis ab Andino in Angliam navigaturo miſſus fuerat; qui per [l] maris ſinum Caleto ultra Gravelingam aequore decreſcente rivum tranſierat, et Dunkerkam uſque venerat; ſed ſerius, jam Tornaco dedito. Tunc et de [m] Aldenarda, quae Tornaco proxima urbs eſt, majore praeſidio munienda cogitatum; et Manſardus oppidi praefectus ea in re ſe morigerum Arauſionenſi praebebat. Sed oppidani, imprudentia, an quod in proregis partes propenderent, incertum, praeſidium admittere noluerunt; et tumultu excitato Manſardus parum a periculo abfuit, urbe ignominioſe a tumultuantibus exactus. Quod ubi prorex reſcivit, equitum turmam ad eos miſit, operam et opem ſuam ultro deferens; quam cum ſuperbe rurſus recuſaſſent, prorex irritatus, re in commodam occaſionem dilata, de urbe obſidione cingenda conſilium cepit.

XII. INTEREA Arauſionenſis, qui res quotidie in pejus ruere in Flandria cerneret, magnaque ſe ob id invidia flagrare intelligeret, cum [n] Gandavo [o] Antuerpiam rediiſſet, ſenatum et magiſtratum pro more conſtituit; et Kal. Dec. ſententiam coram Ordinum delegatis ſcripto edit, et negligentia ac ſecuritate ipſorum factum dicit, ut res infeliciter cedant. Nam antea praedixiſſe, ad refraenandos hoſtium impetus externis copiis opus eſſe; et III equitum millia, duaſque peditum egregie inſtructorum legiones conſcribi debuiſſe: ſed ſurdis, et re neglecta publica commodum privatum tantum curantibus, fabulam ceciniſſe. Atqui cogitare eos oportuiſſe, in hoc bello, quod ad univerſum Belgium pertinet, ſingulorum ſalutem, libertatem, ac omneis fortunas verti; et ſine pecunia principe belli nervo bellum geri non poſſe. Itaque imprudenter et inconſiderate eos feciſſe, cum collationibus ad ſingularum provinciarum imo ſingulorum uſus retentis publicum aerarium deſtituerint. Quid enim prodeſſe publicum conſilium nuper inſtitutum, ſi nulla poteſtate et auctoritate praeditum ac munitum ſit? ſi in milite ſtipendii defectu diſciplina, in pecunia diſpenſanda modus, in jure dicendo aequitas, in publicae rei adminiſtratione ordo ſervari non poſſit? Hoc vero ſcire ipſos cupere, ſe nunquam pecuniarum publicarum adminiſtrationi immiſcere,

INTERPR. [a] *de Raſſenghem.* [b] *Princeſſe d'Eſpinoy.* [c] *de Lalain, Sieur de Montigny.* [d] *Richebourg.* [e] *Tournay.* [f] *de Morillon, prevoſt ou prieur d'Aire.* [g] *de Granvelle.* [h] *de Malines.* [i] *d'Auchin.* [k] *Comte de Rochepot.* [l] *le long du rivage de la mer, de Calais juſqu'au deça de Gravelines.* [m] *Oudenarde.* [n] *Gand.* [o] *Anvers.*

immiſcere, aut eas ulla ratione contrectare voluiſſe. Hoc cunctis quanquam notiſſimum ſit, non deeſſe tamen malevolos, qui ipſum ſcientes prudenteſque falſo calumnientur. Haec magnis calamitatibus, quarum recens ſit memoria, et quae etiamnum ante oculos verſentur, et cauſam dediſſe, et porro datura eſſe. Jam enim Tornacum amiſſum; et niſi auſpicato Andini, cui ſecundum Deum haec gratia debeatur, adventu prohibiti fuiſſent Hiſpani, [a] Cameracum eandem fortunam experturum fuiſſe. Igitur moniti fruſtra ſaepius tandem ſapiant, et in collationibus ultro ſuppeditandis ad delectus externos habendos in poſterum minime moroſi ſint; alioqui Deum et ipſos obteſtari, non culpae ſuae, quicquid adverſa ſors feret, imputari debere; qui et in tempore officii ſui cunctos admonuerit, et imperium, quod Januario proximo exſpiraturum ſit, niſi meliore gerendarum rerum ordine conſtituto, prorogari ſibi minime velit. Hoc Arauſionenſis publicato ſcripto, in diverſa Ordinum ſententiae ſciſſae ſunt; cum alii negotiorum ſummam ei committendam cenſerent, alii Andini in Belgium adventum exſpectandum dicerent. Is Kal. Nov. in Angliam appulerat; in comitatu habens Franciſcum Borbonium [b] Delfinum principem, Vidum Lavallum, et Claudium Bellovillerium Fani-Aniani, Fervacium Grancei comites; ex equeſtri ordine, Franciſcum Martellum [c] Baccavillam, [d] Bretonum, Odetum [e] Telignium Lanovii captivi filium, [f] Rochum Sorberium Pruneum, alios. Cum eo erat et [g] Santalgondanus, et Juſtinus Naſſovius; nec non et [h] Incius, nuper arci Cameracenſi praefectus; quibus tunc ſummiſſi Ordinum decreto [i] Dohainius et Joannes Junius, qui reditum in Belgium Andini urgerent. Ipſe Arauſionenſis cum Eſpinoio principe, petita ab Ordinibus venia, in Zelandiam proficiſcitur; ibi novi principis adventum praeſtolaturus, et neceſſaria in belli uſum paraturus. Interea [k] Altapennius Bredae praefectus [l] Bergas ad Somam intercipere conatur, communicato prius cum Joanne [m] Witeno Berſelo conſilio; qui, ducta in uxorem [n] Merodii Petroſemii filia, conjugii jure marchio Bergo-Somae factus fuerat. Petroſemius ſiquidem ille marchionis [o] Bergenſis, qui cum [p] Florentio Momorantio Montinio in Hiſpaniam profectus ibidem ſupplicio ante xv annos affectus eſt, filiam et heredem in matrimonio habebat. Berſelus autem [q] Wodae haud a Bergis longe in arce ſua neutri parti addictus ſe hactenus continuerat; qui ex compacto cum Altapennio Non. Dec. ad CCCC milites Bergas per cataractae foramen ſummo ſilentio introducit, ita ut excubiae ad ſtrepitum introeuntium obdormiſcerent. Tandem fragore exaudito ab uno ex ſtationariis ad arma conclamatur; intercluſiſque iis, qui ſequebantur, quique jam praeceſſerant, in forum progrediuntur, inſtructa ad certamen ſumma animi praeſentia acie; et inde ad Wodanam portam tendunt, eamque violentis ictibus remoliuntur. Verum Garda, qui in praeſidio erat, cum Gallis ſuis accurrente, inde [r] Dalenio, Mekerkio, et Durando tribunis opem ferentibus, repreſſus hoſtium impetus; et adducto ponte prohibiti qui extra erant, ne a ſociis jam ingreſſis intra urbem acciperentur; tandem re deſperata, poſt aliquod certamen, in quo ex oppidanis [s] Riverius deſideratus eſt, huc illuc regii ſparguntur; pars ex moenibus ſe praecipites dedere: interfecti fere LXX; capti C, inter quos Paulus [t] Boboca fuit. Eo conatu,

quanquam

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *le prince Dauphin d'Auvergne, Gui comte de Laval, Claude de Beauvilliers comte de St Aignan, & le Sieur de Fervacques comte de Grancé.* [c] *de Bacqueville.* [d] *le chevalier Breton.* [e] *de Teligny, fils de François de la Nouë.* [f] *Roch de Sorbiers, Sieur des Pruneaux.* [g] *le Sieur de St Aldegonde, & le comte Juſtin de Naſſau.* [h] *le Sieur d'Inchy, gouverneur de la citadelle de Cambray.* [i] *Dohain, & le docteur Junius.* [k] *de Haultepenne, gouverneur de Breda.* [l] *Bergen-op-zoom.* [m] *Witen de Barſele.* [n] *Sieur de Merode & de Pieterſem.* [o] *de Berghe.* [p] *Floris de Montmorency, Sieur de Montigny.* [q] *Chateau de Wouwe.* [r] *les Sieurs D'Allens, de Meetkercke, & le capitaine Durant.* [s] *le capitaine la Riviere.* [t] *Boboca.*

CIↃ IↃ LXXXI.
HENRICUS III.

quanquam irrito, renudata voluntate, Berſelus ab Ordinum partibus ad regios defecit. Hoc anno res [a] Aquiſgrani ob religionem turbaverunt. Urbs eſt in [b] Menapiorum finibus inter Rhenum et [c] Moſam ſita, loco depreſſo et collibus fere cincto; ob commoditatem medicarum aquarum, unde et illi nomen, ut credibile eſt, condita: nam in ea praecipuae thermae ſunt; [d] regiae alterae, alterae [e] Corneliae dictae; ut locorum intercapedine, ita vi et facultatibus diverſae. Eam Carolus rex Francorum, qui primus imperium in occidente fundavit, ſive ob Germaniae viciniam, ſive loci venationibus opportuni commoditate captus, ab Hunnis primum vaſtatam inſtauravit, palatio regia magnificentia exſtructo; et inauguratione Caeſarum, quippe in illa coronam ſumunt, et ſepultura ſua nobilitavit. Vetteram a Ptolemaeo memoratam quidam fuiſſe putant. In illa urbe Proteſtantes Helveticae ſive Genevenſi confeſſioni addicti jam convenire coeperant; et hoc agebant, ut proximis comitiis ii conſules eligerentur qui ipſorum partibus faverent. Id cum praeſenſiſſet Rodolfus Caeſar, ad Aquenſeis ſuperiore anno literas dederat, eoſque novarum rerum inſimulaverat: ad quas illi Eid. Dec. reſponderunt; et Catholicam majorum religionem ſe religioſe ſervaturos, et legationem amplioris fidei gratia miſſuros pollicebantur. Datum interim negotium Erneſto [f] Bajoaro nuper in Leodicenſem epiſcopum electo, et Gulielmo Cliviae duci, ut cum iis agerent, efficerentque proximis comitiis, quae ſancti Urbani die feſto celebrari moris erat, ut ii conſules crearentur, qui nihil in religionis cauſa novarent. Nihilominus tenuit, ut in ſuffragiis ferendis pares eſſent utriuſque partis calculi; et duo quidem Catholici a delegatis confirmati: alii duo cum confirmationem peterent, nec a delegatis impetrarent, claveis urbis retinuerunt. Id initium ſeditionis fuit. Proteſtantes tum vicos catenis claudunt, et [g] forum curiamque armati occupant; portaſque ac turreis urbis, quas tenebant, convectis tormentis munire aggrediuntur, charta alba, mutuae teſſerae loco, galeris affixa: quibus cum Catholici ſe opponerent, fit concurſus; ſed levi utriuſque partis damno. Tandem pridie Kal. Jun. conveniunt omnes in ſenatum, et per delectos concordiae inter civeis ſanciendae rationes ineuntur. Id vero ubi intellexit Caeſar, ad ſenatum dat literas XI Kal. Quintil. et oppidanis quidem ob tumultum excitatum noxam remittit; ea tamen conditione, ut deinceps pacem colant, nihil in religionis negotio innovent, concionatores ac ſeditioſos urbe ejiciant, Catholicos bonis ac civitati reſtituant. Diverſa parte, Auguſtus Saxo ſeptemvir et Joannes Georgius Brandeburgicus apud Caeſarem partes ſuas interpoſuerunt; non tam Proteſtantium Aquenſium factum excuſantes, quam Caeſarem orantes, pro ſua prudentia videret, ne ex tumultus illius cauſa quidam occaſionem arriperent civitatem armis ſubjiciendi, magno imperii detrimento: quibus verbis Hiſpanos procul dubio deſignabant; quorum conatibus avertendis uterque per literas IV Kal. Sextil. ad Caeſarem datas operam ſuam ei deferunt; ſummaque reverentia petunt, id ut majeſtas Caeſarea non aliter quam in bonam partem accipere velit. Verum id ſecus quam illi cupiebant accepit Caeſar; et literis VII Eid. Sextil. ad eos datis Aquenſeis acerbe perſtringit; qui non contenti contra jurisjurandi formulam, et creandi magiſtratus ritum hactenus uſurpatum, res novas in religione moliri, etiam re aliter quam ſe habeat paſſim evulgata, ipſorum advocationem in cauſa iniquiſſima expoſcant: proinde non acceptis Aquenſium excuſationibus, XVI Kal. Sept. mandat, ut decretis abſque ulla mora ac ſubterfugiis ſatisfaciant, et debitae obedientiae documentum

INTERPR. [a] *Aix la Chappelle.* [b] *Ceux de Cleves & Juliers.* [c] *la Meuſe.* [d] *Bains du roy.* [e] *Bains Cornelis.* [f] *de Baviere, eveque de Liege.* [g] *le marché & la maiſon de ville.*

CIↃ IↃ LXXXI.

HENRICUS III.

documentum edant ad ſe quamprimum tranſmittendum. Cum nihilominus quaedam imperiales civitates intercederent, nihil ab eo impetrari potuit; Catholicis apud ipſum inſtantibus, ut Gallici concionatores urbe expellerentur; alioqui fore, ut Germanis conjuncti totam Germaniam conturbent. Sub id tempus Jacobus [a] Elſius Trevirenſis archiepiſcopus ſeptemvir fatis conceſſit III Non. Jun. cum tantum octiduum decubuiſſet; cujus in locum Joannes Schombergius ſuffectus eſt, Jeſuitici ſodalitii fautor eximius.

XIII. Apud nos initio anni VII Kal. Feb. edictum [b] Flexii in Petrocoriis, interventu Andini factum, de quo ſuperiore libro diximus, in ſenatu recitatum eſt; et cum multi imprudenter bellum, quod in [c] Aquitania ardebat, ad ſe pertinere minime exiſtimantes pertinaciter contradicerent, a Vido [d] Fabro Pibracio praeſide elegantiſſima oratione laudatum, inſtigante Chriſtophoro Thuano ſenatus principe, qui paci ſemper ſtudebat; ac tandem promulgatum fuit. A quo tempore per quinquennium fere toto regno alta quies fuit, aut averſo bellis externis internecino malo, aut aula deliciis occupata; quibus tamen effectum eſt, ut ignium civilium ignes, qui ſopiti credebantur, vitiis in aula adultis et prava ignavorum conſiliariorum diſſimulatione, in majus incendium tandem exarſerint; et, paulum abfuit, totum regnum ad exitium ultimum poſtea ſint depaſti: nam rex quidvis pati certus, dum ſibi in otio privatis voluptatibus indulgere liceret, omneis injurias diſſimulare in animum induxerat; et fratri in Belgium profecturo, ut exercitum, magno regni detrimento, et majore regii faſtigii imminutione, licentioſe graſſantem conſcribere poſſet, conceſſerat; et parenti poſtremo aſſenſus fuerat, ut legatio in Angliam, ad matrimonii inter Eliſabetham reginam et Andinum contrahendi negotium procurandum, decerneretur.

XIV. Princeps legationis deſtinatus Franciſcus [e] Borbonius Delfinus princeps; cui adjuncti viri primarii auctoritate, Arturus [f] Coſſaeus Secundinei comes equitum tribunus, Ludovicus [α] [g] Luſinianus Sangelaſius Lanſacus, [h] Tanaquillius Venator Carrugius Rotomagi praefectus, Bertrandus [i] Salignacus Motafenelonius, qui in Anglia prius orator fuerat; Barnabas Briſſonius curiae Pariſienſis praeſes, nuper in locum Pomponii Belleurei creatus, Michael [k] Caſtronovius Mauviſſerius, Claudius [l] Pinarius a ſecretis epiſtolis. Hi regis nomine interveniebant. Ab [m] Andino cum iis miſſi, Petrus [n] Clauſſa Marcomontius, Jacobus Vraius a ſecretis ipſius epiſtolis: qui omnes menſe Aprili profecti et [o] Caleto ſolventes in Angliam perrexerunt, ubi perhonorifice ab Eliſabetha excepti ſunt. [β] Iis ſubitario opere exſtructae aedes [p] Weſtmonaſterii, regio omni apparatu ordinatae; haſtiludiis, ad tantorum hoſpitum oblectamentum, a Philippo [q] Arundeliae comite, Friderico [r] Windeſoro, Philippo [s] Sidneio, et Fulcone [t] Grevillio, contra omnes de more promulgatis, et profuſo ſumptu celebratis. Pro regina intervenere in perſcribendis matrimonii capitibus, Gulielmus [v] Cecilius magnus regni quaeſtor, Edvardus [u] Clintonius Lincolniae, Thomas [w] Ratcliffus Suſſexiae, Franciſcus

VAR. LECT. [α] Luſinianus *deeſt.* *D.* f. *ad* Pro regina, *deſunt.* *D.* f.
[β] *Quae ſequuntur quatuor circiter lineae, uſque*

INTERPR. [a] *d'Eltz, arch. de Trier ou Treves.* [b] *Fleix en Perigort.* [c] *Guienne.* [d] *du Faur, Sieur de Pibrac.* [e] *de Bourbon, prince Dauphin d'Auvergne.* [f] *de Coſſé, comte de Secondigny, mareſchal de France.* [g] *de Luſignan de St Gelais, Sieur de Lanſac.* [h] *Tanneguy le Veneur, Sieur de Carrouges.* [i] *de Salignac, Sieur de la Mothe-Fenelon.* [k] *de Caſtelnau, Sieur de la Mauviſſiere.* [l] *de Pinar.* [m] *Duc d'Anjou.* [n] *Clauſſe de Marchaumont, & Jacques de Wray.* [o] *Calais.* [p] *Weſtminſter.* [q] *Arundel.* [r] *Lord Windſor.* [s] *Sidney.* [t] *Grevil.* [v] *Cecil, Lord Burghley, grand treſorier.* [u] *Clinton, comte de Lincoln.* [w] *Ratcliff, comte de Suſſex.*

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III.

Franciſcus [a] Ruſſellus Bedfordiae, Robertus [b] Dudleius Leiceſtriae comites ac periſcelidis equites, Chriſtophorus [c] Hattonus et Franciſcus Walſinghamus. Ab iis perſcriptae tabulae his legibus: ne illuſtriſſimus dux ac domeſtici ejus sereniſſimae reginae minime ſubditi contra conſcientiam ſuam, quantum ad religionem, quidquam facere cogantur; ſed liceat tam ipſi quam domeſticis, et iis qui in ejus comitatu erunt, cujuſcunque ſint nationis, ubicunque in regno diverterit, loco aſſignato ſacra ritu inter ipſos uſurpato celebrare, dum ne ad ea Angli, Hiberni, aut inſulani Anglicanae ditioni ſubditi admittantur. Illuſtriſſimus dux, poſt contractum et conſummatum matrimonium, titulo, honoribus, ac nomine regio, quandiu matrimonium durabit, fruatur; reſervata reginae uxori omnimoda beneficiorum, officiorum, terrarum, vectigalium, ac fructuum regnorum ac ditionum diſpenſatione, quae tantum in indigenas et oriundos Anglos, non etiam exteros, conferri poſſint. Res regni tantum vernacula lingua et per Anglos indigenas explicentur, et adminiſtrentur. Ab ordinibus regni, ſeu parlamento, reginae poſtulatu impetretur, ut illuſtriſſimus dux coronam regiam accipiat: et ea honorum participatione gaudeat, tam conſtante matrimonio, quam durante tempore gubernationis, ſi ſupereſſe ejus uxori contingat, extantibus ex eo conjugio liberis, quandiu illi in minore aetate conſtituti erunt. Omnia diplomata et publica acta illuſtriſſimi ducis et ſereniſſimae reginae nominibus inſcribantur, eo modo ac forma quibus Philippi regis et reginae Mariae temporibus ſtatutum fuit. Penſio conveniens ex aerario Anglicano, ad tuendam dignitatem et ſumptus majores faciendos, illuſtriſſimo duci, ex ordinum ſeu parlamenti conſenſu, attribuatur. Dotalitium ab illuſtriſſimo duce reginae aſſignetur XL CIↃ aureorum annuorum in [d] Bituricenſi principatu, idque ratum rex habeat; qua veluti penſione, viro priore decedente, regina dum vivet fruetur, et plenam beneficiorum, officiorum, fructuum, qualem dux ipſe nunc habet, diſpenſationem habeat. Ne controverſiae inter liberos ex eo conjugio prognatos oriantur, quae ſperatum pacis et concordiae inter duo regna fructum impediant, ita ex utriuſque regni ordinum conſenſu ſtatuatur: primum, quantum ad maternam hereditatem attinet, qui maſculi ſeu foeminae ex eo matrimonio naſcentur, in eam ſuccedant ſecundum regni jura, leges, ac conſuetudines; ſi contingat, ut jus regni Franciae legitima ſucceſſione ad illuſtriſſimum ducem ejuſve maſculos liberos devolvatur, eo caſu, ſi duo plureſve nati exiſtant, grandior natu Francicum, ſecundo genitus Anglicanum, aut liberi ex eo procreandi ſuperſtites, poſſeſſum eant; tantumque liberi ejus, aut, deficientibus liberis, fratres et ſorores, excluſo grandiore natu filio ejuſque ſobole, in illud ordine ſuccedant. Si vero unus tantum ex eo matrimonio filius naſcatur, quia juxta regni utriuſque jura utriuſque regni heres futurus eſt, in utrumque regnum, tam paternum quam maternum, ſuccedat; ea lege, ut in Angliam venire ipſe non recuſet, in eaque morari, ac ſecundum jura regni illud adminiſtrare; ſaltem ſingulis bienniis per VIII menſeis. Ei vero qui in utrumque regnum ſuccedet ſi plures liberi naſcantur, ſecundo genitus ſemper Anglicanum regnum poſſeſſum eat, excluſo grandiore natu filio; et ſi unus tantum maſculus, ac praeterea filia ſeu filiae, filia filiaeque ordine ſecundum regni jura in illud ſuccedant, excluſo fratre. Si illuſtriſſimus dux uxori ſuperſtes fuerit, extantibus ex eo matrimonio liberis, ſi quidem illi ad aetatem plenam non pervenerint, hoc eſt, maſculi XVIII, foeminae XV annos non expleverint, neque vivente matre regina in matrimonium

INTERPR. [a] *Ruſſel, comte de Bedford.* [b] *Dudley, comte de Leiceſter.* [c] *le chevaliers Hatton & Walſingham.* [d] *Duché de Berry.*

matrimonium viro non excedenti XVIII annos elocatae fuerint; eo caſu, regimen regnorum maternorum, ac tutela liberorum et educatio, patri deferatur. Tempore autem ſuae adminiſtrationis illuſtriſſimus dux nullum extraneum, aut non natum in ditione Anglicana, ad ullam dignitatem, ſeu ſacram ſeu civilem, admittat; nihilque faciat, quo aliquid in ſtatu ſeu jure, tam publico quam privato, ac conſuetudinibus regni innovetur, aut praejudicium ullum eis fiat. Conſtante matrimonio illuſtriſſimus dux reginam uxorem extra regni fineis niſi ipſius rogatu non abducat, neque liberos ex ſe prognatos; ſed in regno, in ſpem futurae ſucceſſionis, nutriri et educari ſinat, niſi de reginae conſenſu aut magnatum regni conſilio aliter faciendum videatur. Diſſoluto matrimonio nullis extantibus liberis, illuſtriſſimus dux nullum ſibi in regno jus vindicet; ſed ejus ſucceſſionem ad eos, ad quos jure et legibus pertinebit, pervenire, citra ullum impedimentum permittat. Extra regnum res pretioſas non aſportet, aut quidquam ex eo alienet, aut alio transferat, aut per ſuos uſurpari patiatur. Non occaſione hujus matrimonii regnum bellis externis miſceat, ſed pacem cum regni foederatis religioſe ſervet; neque eam violari aut turbari, niſi aliqua juſta de cauſa, ſinat. Inter Franciae et Angliae regna firma pax et concordia ſanciatur et maneat. Pacta matrimonii hujus ratione conventa in utriuſque regni curiis omnibus promulgentur, et in acta referantur. Poſtremo cautum, proteſtatione ab Andino interpoſita, ne quidquam propterea de jure ſuo, tam in regno Franciae quam aliis ditionibus ubicunque terrarum ſitis, quantum ad jura, privilegia, et actiones, decedere intelligatur. Confectis matrimonii tabulis, nondum tamen ſubſignatis, quod eas a rege ratas haberi prius oporteret, legati domum redierunt.[α] Cautum fuerat de foedere offenſionis et defenſionis intra utrumque regnum ſeorſum a matrimonialibus tabulis ineundo; cujus cauſa, poſt legatorum diſceſſum, miſſus in Galliam Joannes [a] Somerus ab epiſtolis, qui a rege nullum aliud reſponſum tulit, quam rata habere ſe quae a delegatis acta eſſent, nihilque aliud ſupereſſe, quam ut quamprimum nuptiae contractae celebrentur: cum inſtaret Somerus, et ante foedus percuſſum nuptias conſummari non poſſe contenderet, Walſinghamus denuo miſſus, qui cum [b] Henrico Cobhamo oratore ordinario ageret. His autem rationibus nitebantur; reginam non alio conſilio adductam ut de nuptiis cogitaret, quam ut populo ab ea efflagitanti ſatisfaceret, ad firmandam in regno legitima prole ſucceſſionem. Andinum etiam nuptias ipſius ambientem, ob virtutem et generis regii ſplendorem, ex omnibus procis quem in amore praeferret, merito delegiſſe, et adhuc in ipſius animo eum vigere; in connubio tamen conſummando eo uſque aſſenſum cohibere, donec populo prius gratam ſe rem facere perſentiſcat; nec temere quidquam in re talis momenti facere decreviſſe, ne poenitentia, quod minime putat, ſubeunte, ſero ſapere videatur. Multa ſiquidem, ex quo hac de re ſermones injecti ſunt, impedimenta interveniſſe; internum in Gallia bellum, adflictas Andini fortunas, alienato ab eo, praeter meritum, regis animo; in Anglia vero averſos a nuptiis multorum animos eſſe: itaque intempeſtivum videri, quod de celebrandis nuptiis urgeatur, bello tantae molis contra Philippum ab Andino ſuſcepto; quod ſine honoris macula, et utriuſque regni incommodo, Belgiique pernicie, nec gerere poſſit nec deponere, augeſcente in dies Hiſpanorum potentia. Anglos autem, quorum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur* 40 *circiter lineae, uſque ad* Nec multo poſt Andinus, *deſunt.* *D.* f.

INTERPR. [a] *Somers, ſecretaire du conſeil privé.* [b] *Henry Brooke, frere de Guillaume Brooke, baron de Cobham.*

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III.

quorum deſideriis et incolumitati ante omnia conſultum cupit regina, has nuptias non ad bellum foris movendum, ſed ad pacem domi conſtituendam tantopere exoptare, ut verendum ſit, quin ne quam ſe importunos in earum petitione flagitatores praebuerant, tam alienos ab iis ſe deinceps ſint oſtenſuri. Itaque conſultum videri, ut de celebratione nuptiarum ſuſpendatur negotium, donec Andinus tam periculoſo ſe bello explicaverit, et mutuae defenſionis ac offenſionis inter Angliae et Galliae regna foedus ſanciatur; id petere et optare reginam. Ad haec rex, de mutuae defenſionis foedere quod petatur, placere ſibi reſpondet; de offenſionis foedere, antequam nuptiae celebrentur, plura audire plane recuſavit. Ita cum rex, niſi poſt conſummatas nuptias, belli ſibi cum Philippo neceſſitatem impoſitam nollet, illa, niſi poſt bellum Hiſpanis a nobis indictum, in nuptias minime conſentiret; poſt longas utrinque altercationes Walſinghamus et Somerus re infecta in Angliam reverterunt; eo exitu, ut neuter tam de foedere propoſito cogitaſſe, quam rex belli cum Philippo non habendi, Eliſabetha non contrahendarum cum Andino nuptiarum, excuſationem quaeſiviſſe videretur: et uterque ſatis ſibi et ad famam factum putavit, rex, ſi procuratis nuptiis fratrem, a quo ſibi metuebat, placatum haberet; regina, ſi oſtentatis nuptiis tantiſper Hiſpanis, res novas in Anglia molientibus, terrorem injiceret.

XV. Nec multo poſt Andinus, ſoluta [a] Cameraci obſidione, quo cum exercitu profectus fuerat, in Angliam magno comitatu deſcendit, et arctiore fide pacta jam conventa x Kal. Dec. confirmavit; quae tamen plenum exitum minime ſortita ſunt. Dati pro tempore ab utraque parte pignoris loco annuli, non ſine magna procerum et nobilitatis, quae aderat, gratulatione et plauſu; cujus rei nuncio in Belgium perlato, Gandavi, Antuerpiae, Bruxellis, magna laetitiae publicae ſigna edita ſunt, accenſis paſſim ignibus, et diſploſis ubique tormentis. [a] Non ſine fremitu tamen multorum in Anglia res tranſacta; qui religionis cauſam, reginae ſalutem, regni quietem prodi muſſitabant; [b] Leiceſtrio faces ſubdente, et Hattono et Walſinghamo idem ſecum ſentientibus, et toto gynaeceo, quod ſibi fere Leiceſtrius devinxerat, nuptias improbante. Itaque poſtridie regina Andinum convenit; et poſt mutuas, quales inter amatores eſſe ſolent, utrinque exprobrationes, ille acceptum a regina annulum reddidit, ac mox reſumpſit; et, poſt unum et alterum in mulierum levitatem et inſulanorum inconſtantiam dicterium, in cubiculum cogitabundus ſe recepit. Nec animo minus anxio in diverſa raptabatur regina; cui in arcano ſemper ab initio conſtitutum multi crediderunt, nunquam nubere: melius quippe, et ad decus jam partum, et ſecuritatem publicam, coelibatu quam nuptiis conſuli poſſe; nec aequo animo laudis verae cupida foemina patiebatur, gloriam regni bene adminiſtrati, quae ſolida et indelibata ſibi debebatur, in maritum per nuptias, non ſine periculo, tranſcribi. Nam cui poſſet nubere? Si ſubdito, ex diſparitate dedecus ac contemptum ſecuturum; id Edvardo IV male vertiſſe, qui primus a Normanica victoria ſubditam in uxorem accepit: ſi extero, et ſe et regnum externo jugo ſubjecturam, et religionem in diſcrimen devocaturam. Recentem adhuc cruentarum Mariae ſororis cum Philippo nuptiarum memoriam in animis hominum vigere. Ad haec obverſabantur pericula ex conceptu ac puerperio a medicis et mulierculis olim praedicta; de quibus alias diximus. Contra, qui publicae magis rei ſtudebant, Cecilius et Suſſexius, ad nuptias cum Andino eam

VAR. LECT. [a] *Quae ſequuntur duae circiter paginae, uſque ad* Nihil ulterius in matrimonii, *deſunt.* *D.* f.

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *Comte de Leiceſter.*

eam confirmabant; a coelibatu, cum res periculo vacabat, antea non alieni: ſed temporum mutata ratione, quod prudentes facere ſolent, etiam mutaverant. Sic etiam diſputabant: offenſionis foedus tantopere expetitum, a Gallis, niſi ſecutis nuptiis, ſperari non poſſe; ipſam coelibem ac ſolitariam adverſus Hiſpani tot opibus ſubnixi immenſam potentiam propriis viribus imparem eſſe; a Philippo, ne nihil non moveat, Scotorum regi filiam offerri; qui tanta adfinitate auctus, Pontificios in Anglia, qui plerique ſunt, transfugas, rebelleis, rebus accifis remedium per bella civilia quaerenteis, ad ſuas partes ſit pertracturus. His opibus quid non Scotum auſurum, non facturum Philippum? Interea bonorum ſpem, qui ex his nuptiis ſubſidium in praeſens, in poſterum ſobolem regiam firmandae ſucceſſioni expectabant, infractum iri; multos etiam, qui nunc in obſequio perſeverant, deſperata ſalute, oculos in aliquem competitorum, poſthabita regina, conjecturos. Quam vero impatienter laturos repulſam regem Galliae et Andinum, poſt tot conſultationes, honorificas legationes, tantamque pecuniam effuſam; quos proculdubio et injuriam ad animum revocaturos, et captato tempore ultionis occaſionem minime praetermiſſuros: nam utcumque diſſimulet nunc Andinus, quod reginae gratia ad res quas in Belgio parat peragendas opus habeat; facile levis gratiae, contra tantam injuriam, memoria exoleſcet, et occaſione oblata ſenſus injuriae recurret. Quis ſcit, an et Philippus, qui tantas irarum moleis adverſus reginam coquit, filiam, quod ſemper hactenus facere recuſaſſet, nunc odio caecus ultro in uxorem Andino ſit elocaturus, ut ambo commune odium communi ope contra Anglam diris a pontifice devotam expleant? Quod ſi contingat, populus in tot calamitates praecipitatus merito in ipſa prudentiam, quae privatis affectibus publicam neceſſitatem poſthabuerit; in eis qui ei ſunt a conſiliis fidem deſiderabit, qui monſtratum periculum, praepoſtera ſive diſſimulatione ſive aſſentatione, neglexerint. His rationibus in foeminae ingenio, quae potiorem ſemper benevolentiae apud populum quam auctoritatis rationem habuit, et omnia ſua conſilia ad communem ſuam utilitatem et famam direxit, praevalidis, acceſſit ſcriptum virulentum, cui titulus exoticae notae, gurges ad Angliam connubio Gallico abſorbendam; quo conciliatores harum nuptiarum tanquam proditores et in reginam ingrati ſuggillabantur, ipſa inter medias adulationes quaſi ſui diſſimilis perſtringebatur. Andinus convitiis indignum in modum lacerabatur, natio Gallica contumelioſe carpebatur; nuptiae vero, ob religionis diſcrepantiam, tanquam profanae, eccleſiae exitiabiles, et reipublicae detrimentoſae, verbis e ſacra ſcriptura miſere detortis, damnabantur: id in ingenio generoſae foeminae longe diverſum, quam rebantur auctores, effectum ſortitum eſt; ſic enim interpretabatur, ſcriptorem libelli non aliud ſibi propoſuiſſe, quam ut reginam publico ſuorum odio exponeret, et viam ad aliquam monſtroſam novitatem praemuniret: quippe qui poſt tot convitia nullum de ſalute reginae, publica ſecuritate, neceſſariis contra impendentia mala praeſidiis, verbum adjeciſſet; cum tamen publice conſtaret, regni ordines nuptias, tanquam unicum malorum impendentium remedium, a regina ſumma contentione efflagitaſſe. Itaque, eo ſcripto aſperata potius quam perſuaſa, edictum proponit; quo, libelli auctore ut ſeditionis praecone damnato, et propenſo Andini in ſe et Proteſtantium religionem animo laudato, tantam injuriam tanto principi de ſe optime merito, qui nihil in republica neque in religione immutari poſtulaverat, illatam fuiſſe conquerebatur; et [a] Simieum Andini intimum, quem

INTERPR. [a] *de Simié.*

CIƆ IƆ LXXXI. quem calumniis nonnulli oneraverant, ob prudentiam ac modeſtiam commendabat; populumque ad extremum monet, libellum illum nihil aliud eſſe, quam commentum proditorum, ad ciendam foris invidiam, domi ſeditionem; et coram magiſtratu igne abſumi praecepit. A concertationibus alienis res in vulgus emanaverat; et Puritani, quorum jam factio in regno invaluerat, ad omnem occaſionem intenti, hanc praecipui ſui in religionis periclitantis cauſa ſtudii oſtentandi occaſionem arripuiſſe credebantur: et famoſum illum libellum ex eorum officina prodiiſſe facile ſibi perſuaſit regina, quae ſemper antea averſo in novatores illos animo, ex illo infenſior eſſe coepit: et diligenti indagatione facta poſt pauculos dies compertum, Joannem [a] Stubbum, juris municipalis in Lincolnienſi [b] ſchola profeſſorem, libri auctorem eſſe, et exemplaria a [c] Singletono typographo excuſa, per Gulielmum [α] [d] Pageum diſperſa: homini autem alioqui non malo ſcribendi libri conſilium dediſſe Thomam [e] Cartwrightum inter Puritanos anteſignanum, qui Stubbi ſororem in matrimonio habebat. Itaque renovata lex Philippi et Mariae contra ſeditioſorum librorum ſcriptores, et ſententia lata decretum, ut dextrae Stubbo et Pageo praeciderentur: nam typographo parcitum. Cum legem illam temporariam fuiſſe, et moriente Maria una intermortuam quidam juriſperiti dicerent, [f] Daltonus, qui hoc clamitabat, in carcerem datus, et [g] Monſonus, in communi placitorum foro aſſeſſor, loco motus: tanta tamen ad novi et inauditi ſupplicii ſpectaculum commotio animorum fuit, ut animadverſum ſit, cum rei ad pegma ſiſterentur, et poſt praeciſas cultro laniario dextras Stubbus ſiniſtra caput nudaret, et clara voce diceret, VIVAT REGINA, circumfuſam multitudinem, quae feſtis acclamationibus hujuſmodi voces proſequi conſuevit, prorſus obmutuiſſe: incertum horrore rei, an commiſeratione hominis famae integerrimae, an denique nuptiarum odio, quas plerique tanquam religionis exitio futuras reformidare ſe dicebant. Nihil ulterius in matrimonii negotio peractum; tantum Andinus ad trimeſtre inter haſtiludia et laetitiae ſpectacula totam hyemem apud Eliſabetham ſumma familiaritate exegit; mitigato in ſpeciem ob religionis contentiones utrinque odio, cum conjugio illo non ſolum ſuſpiciones veteres purgari, ſed et viam concordiae aequabili ratione iniri poſſe multi exiſtimarent. [β]

HENRICUS III.

XVI. SUB id tempus cum undique de turbis ac conjurationibus religionis cauſa a ſacerdotibus clam initis afferretur, eo diligentius in vicina Britannia, ubi de induſtria a Belgis Proteſtantibus ad leniendam facti proprii invidiam res in majus extollebantur, in ſuſpectos inquiri coepit. Jam ante Eliſabetha ſibi a ſicariis metuens homines fidos miſerat [h] Durocortorum Remorum, ubi ſeminarium Anglorum erat a cardinali Lotaringo ſtudioſe olim inſtitutum, et a Ludovico, qui poſtea cardinalis Guiſianus dictus eſt, in Mariae Scotorum reginae cum Lotaringis proxima cognatione conjunctae gratiam, amplificatum. Ii ſe ob religionem patria aut pulſos aut ſponte exules ſimulantes arcana ſociorum rimabantur; et reginam poſtea ſecretorum conſiliorum certiorem faciebant, et nomina conjuratorum ac ſociorum edebant. Miſerat et Romam alios, ubi majoris molis conſilia contra ipſam coquebantur. Eorum delatione captus Everardus [i] Hanſius ſacerdos pridie Kal. Sextil. jam capite luerat. Iiſdem indicibus cum cognitum eſſet,

VAR. LECT. [α] Pageanum *D.* f. d. Ed. Gen. [β] Quae ſequuntur 43 circiter lineae leguntur ad p. 462 in *D.* f.

INTERPR. [a] *Stubbs.* [b] *Lincoln's-Inn.* [c] *Singleton.* [d] *Page.* [e] *Cartwright.* [f] *Dalton.* [g] *Monſon.* [h] *Reims.* [i] *Hance, alias Ducket.*

eſſet, [a] Edmundum Campianum Londinenſem, Radulfum [b] Sherwinum, et Alexandrum [c] Briantum, qui Jeſuitico ſodalitio nomen dederant, a Thoma [d] Goldwello Aſaphenſi epiſcopo, qui jam octogenarius Roma ob id in Galliam venerat, perſuaſos, diverſis itineribus in [e] Britanniam clam appuliſſe, miſſi qui latenteis veſtigarent. Prodente Georgio [f] Elioto capitur Campianus; ſocii alio atque alio loco; [1] equuleoque torti, poſtremo a quodecimviris ad mortem tanquam perduelles damnati, et Kal. Dec. ſummo ſupplicio affecti ſunt; quod ſumma conſtantia pertulerunt. Iis crimini datum, quod in tranſmarinis regionibus peſtem ac perniciem reginae machinati eſſent, de ipſa regno ſedibuſque exturbanda cogitaſſent, populi ac quorundam e nobilitate fidem ſolicitaſſent. Producti contra eos teſtes Georgius ipſe Eliotus, [g] Cradocus, Sledus, Mundius, Hillus, qui de conjuratione fidem faciebant; nam ſibi compertum dicebant, conjuratis conſtitutum eſſe, ut L delecti arma veſtibus tegentes, impetu facto, reginam, et cum ea Robertum Dudleium Leiceſtriae comitem, [α] Gul. Cecilium magnum theſaurarium, et Walſinghamum ſecretarium, interficerent; captata occaſione, cum illa animi gratia regni partem aliquam viſeret; tum, facinore perpetrato, primarius quidam vir, cujus nomen non edebatur, exclamaret, VIVAT REGINA MARIA. Addebant conſilia illa [h] Durocortori et Romae agitata eſſe. Seorſim interrogatus Campianus cum conſtanter objecta pernegavit, tum quod ad reginam ſpectaret; confirmavit, ſe pro illius ſalute atque incolumitate ſemper oraſſe, et nunc preces apud Deum fundere paratum. Quod multis audientibus et varie affectis cum diceret reus, eum Carolus Howardus, qui aderat, interrogavit, quamnam reginam intelligeret, Eliſabetham an aliam? Et illo reſpondente de Eliſabetha ſe loqui utriuſque regina, curru ſubducto, faucibus laqueo, qui jam collo inſertus erat, compreſſis expiravit. Ita tres viri, ut conſiliorum ſocii, ſic eundem vitae exitum habuerunt. Capti et Lucas [i] Kirbius, Thomas [k] Cottonus, Laurentius [l] Richardſonus, Robertus [m] Johnſonus, Thomas [n] Fordus, Joannes [o] Shertus, et Willelmus Filbius ſacerdotes; qui, tanquam conſcii, anno ſequenti menſe Maio ſuſpendio vitam finierunt; et ante eos Joannes [p] Painus, qui IV Non. Apr. capite plexus fuerat. [β] Qui rem excuſant, id extrema neceſſitate factum dicunt; vix enim toto decennio, poſt motum ſeptentrionalem, de quinque Pontificiis ſumptum ſupplicium fuiſſe: regina, quae conſcientiis vim afferri minime aequum cenſebat, a fundendo ſuorum ſanguine aliena; quae tandem, poſtquam religionem in factionem tranſiiſſe ſenſit, neque jam de conſcientiarum libertate certari, verum id agi, ut ſubditi a debita principi obedientia divellerentur, fidei ſacramento ſolverentur, et conjurationibus ſub

VAR. LECT. [α] Gul. Cecilium *deſunt*. *D.* f. [β] *Quae ſequuntur* 40 *et amplius lineae, uſque ad* Cum igitur ſe magna, *deſunt*. *D.* f.

INTERPR. [a] *Edmund Campian.* [b] *Sherwin.* [c] *Briant.* [d] *Goldwell, evêque de St Aſaph.* [e] *Angleterre.* [f] *Elliot.* [g] *Cradock, Sled, Mundy, & Hill.* [h] *Reims.* [i] *Kirby.* [k] *Cotton.* [l] *Richardſon.* [m] *Johnſon.* [n] *Ford.* [o] *Shert & Filbie.* [p] *Payne.*

NOT. [1] Haec Thuanus ex Campiani, aliorumque pontificiorum, in Anglia regnante Eliſabetha, ad mortem, non religionis ergo, ſed ob ſeditionis laeſaeque majeſtatis crimina, damnatorum, martyrii, quod vocant, actis, ad ſui gloriam aliorumque invidiam, minus quam par eſt habita veri ratione, ſcriptis deſumpſiſſe videtur: ut ut ſit, in manifeſtum incidit errorem; certoque certius eſt, equulei uſum nunquam apud Anglos uſurpatum fuiſſe: gens quippe ab omni crudelitate maxime aliena, libertatis impenſe amans, et immunitatum, juriumque, ſiquae alia tenax; haec non tam criminibus conſciiſve detegendis inſervientia, quam apta, ſi forte principes eorumve miniſtri privatis affectibus addicti animique impotentes potentia, qua pollent, abuti vellent, ad libertatem opprimendam, confeſſiones ſive prorſus falſas ſive dubiae fidei extorquendas, atque adeo vitae fortuniſque innocentium inſidias ſtruendas, inſtrumenta merito cenſet. *C.*

CIↃ IↃ LXXXI.
HENRICUS III.

ſub confeſſionis ſigillo initis via Hiſpanis ad Britanniam invadendam muniretur, praevertendum rata, legum ſeveritate utendum cenſuit. Si quidem ad eam allatum fuerat; non omnes quidem ſacerdotes qui ex ſeminariis mittebantur, arcani conſcios eſſe, ſed eos a conſciis, in quorum poteſtate erant, in errorem religionis praetextu induci; conſcios vero gratia a pontifice accepta ſervatos, et militari habitu Pontificiorum aedeis occulte perambulare, et quae habebant in mandatis clam ſociis ſtrenue peragere; iis [a] Perſonium, inſigni audacia virum, alios praeire, et quae agenda ſint auctoritate qua pollet praeſcribere. Nuper vero, cum factionis anteſignani praecipitatum negotium alieno tempore viderent, antequam ad executionem Pontificii decreti contra Eliſabetham quae neceſſaria eſſent parata haberent, tamen ad eam perſequendam conſcientia ſe attineri putantes, a pontifice petierunt, ut bullam, quantum ad ipſos attinebat, aut dilata executione, quae tunc periculoſa erat, aut interpretatione mitigare dignaretur: quibus reſponſum fuit, bullam ſemper obligare Eliſabetham et haereticos, non utique Catholicos rebus ſic ſtantibus; ſed tunc demum, cum publica bullae executio fieri poterit. Id ſuperiore anno XVII Kal. Maias Olivario [b] Manareo inſtante Romae decretum eſſe. Praeterea, cum poſtea ſuſpecti comprehenſi interrogarentur, Pii V de regina abdicanda et ſubditis obſequii jurejurando liberandis, ut arma contra eam ſumerent, decreto, et [c] Sanderi ac Briſtoi de eo ſententiae ſubſcriberent, an illam legitimam reginam agnoſcerent; alios ita ambigue reſpondiſſe, alios ita ferociter, alios denique tam aperta praevaricatione et flagitioſo ſilentio judices eluſiſſe, ut ſe monſtri quid et perfidioſi alere cunctis manifeſtum reliquerint. Itaque Joannem [d] Biſhopum, alioqui pontifici Romano devotum, ut cavillationi omnem anſam praeriperet, diſerte ſcripſiſſe, Lateranum concilium, ex cujus canone XXXIII pontifices Romani principes abdicandi et regna eorum transferendi jus et poteſtatem ſibi arrogant, nunquam in Anglia locum habuiſſe: ſuſpiciones deinde auctas quod majore numero ſacerdotes in dies advenirent, animos hominum clancularis coitionibus ſolicitarent, novae doctrinae ſemina ſpargerent; jam enim paſſim inter eos audiri, principibus excommunicatis obedientiam negandam eſſe, eoſque regno deturbandos; magiſtratus in Anglia legitimos non eſſe, eccleſiaſticos a juriſdictione principum immuneis habendos, ut nec eorum legibus parere, cum poſſint, aut majeſtatem, niſi comiter, revereri, teneantur: pontificis denique Romani ſummam in omnes ac pleniſſimam poteſtatem et imperium aſſeri, tam in ſpiritualibus quam civili adminiſtratione. Cum igitur ſe magna ob id apud multos invidia flagrare intelligerent conſiliorum conſcii, apologiam edunt; qua crimina objecta multis verbis diluunt, et Joannis Nicolai cujuſdam, qui [e] Rotomagi poſtea comprehenſus, rem, ut habebat, confeſſus eſt, aſtu et calumniis factum dicunt, ut innocentis vitae homines et tantum ad conſolationem concivium eadem ſecum in vera religione ſentientium in patriam profecti, de cetero, qui nihil unquam tota vita contra reginae regnique incolumitatem aut ſalutem, ſicuti adverſarii maligne comminiſcebantur, attentarunt, comprehenſi fuerint, et ignominioſa morte poſtremo perierint. Has ſectariorum artes eſſe, qui, ut veram religionem opprimant, viros bonos ſceleratorum conſiliorum reos faciunt, quorum ipſi olim auctores Mariam, et Eliſabetham ipſam, quae nunc in Britannia regnat, de ſolio deturbare Edvardi VI temporibus conati ſunt. Id edictis cauſam dedit antea promulgatis in Anglia contra Jeſuitici ſodalitii ſacerdotes, et ſeminariorum alumnos;

INTERPR. [a] *Parſons.* [b] *Manareo.* [c] *Sanders & Briſtow.* [d] *Biſhop.* [e] *Rouen.*

alumnos; quibus non ſolum illi ut perduelles proſcribebantur, ſed Angli omnes qui in eorum ſcholis degebant revocabantur; graviſſima addita poena in eos qui Jeſuitas, ſeminarios, miſſificantes ſacerdotes, ſic illi appellabantur, aut qui jam venerint, aut porro a pontifice miſſi in regnum venturi ſint, ſuſceperint, hoſpitio foverint, aut quocunque loco latenteis non detexerint. Jam enim exemplo graſſante in Hibernia ab emiſſariis illis turbare res coeperant. Itaque cum edictis illis tanquam quietis publicae perturbatores proſcinderentur, Gulielmus [a]Alanus Lancaſtrenſis, qui ſexennio poſt in collegium cardinalium a Sixto V cooptatus eſt, alteram apologiam publicavit, qua ſuorum innocentiam tuetur: et quia vitio illis vertebatur, quod in externis regionibus ac praecipue Romae degerent, cauſas illorum morae explicat, et cur Durocortori ac Romae ſeminaria a Gregorio XIII inſtituta ſint; laudataque tam piorum coetuum diſciplina, quare ſacerdotes, tam e Jeſuitico ſodalitio quam alii, in Angliam mittantur, aperit; nimirum, ut ad unionem eccleſiae devios reducant, non ut publicam tranquillitatem turbent. Addita inſuper conſolatio ad Catholicos, qui ob conſtantem verae religionis cultum in Anglia affliguntur.

CIϽ IϽ LXXXI.

HENRICUS III.

XVII. [α] NEC interim de Scotiae rebus non ſolicita erat regina; quae ſub anni initium Thomam [b]Randolphum miſit cum mandatis, ad religionem conſtituendam, amicitiam cum Scotis firmandam, cauſam [c]Mortonii commendatione ſua ſublevandam: quam ad rem cum nihil opportunius videretur, quam ſi [d]Levinius aula ſummoveretur, ei in occulto negotium datum omni ope eniteretur, ut factionem Anglicanam contra Levinium adjuvaret, et per proceres ſibi addictos Levinii extra Scotiam amandandi neceſſitatem regi imponeret. Pro Mortonio egit ſtrenue Randolphus; cui favorem, ab ingentibus in regem meritis, delatorum invidia, reginae, quae in tam juſta cauſa repulſae dedecus deprecabatur, commendatione, quantum in ſe fuit, conciliavit. Rex ad haec, reginae erga ſe benevolentiam tot teſtatam officiis minime diffiteri, cui proinde nihil negare poſſit; ceterum non poſſe hominem majeſtatis poſtulatum non judicio ſubjicere: hoc ſe promittere, religioſe curaturum, ut nihil niſi rite atque ex legum praeſcripto in ea cauſa agatur; atque effecturum, ut Mortonius intelligat, ut ſi ad accuſandum minime libertas adverſariis defuit, nec ipſi ad innocentiam tuendam facultas denegata videatur. Tum in ordinum conventum admiſſus Randolphus merita Eliſabethae et in regem regnumque Scotiae prolixe commemorat, Scotiam a Gallis Anglorum ſanguine liberatam, regem religionemque propugnatam; inter haec, ne de jugere quidem terrae in alieno occupando cogitaſſe, cum tamen occaſiones non defuerint Scotiam debellandi, rege in cunis vagiente, matre in Anglia exulante, et proceribus inter ſe diſſidentibus: omnem contra curam impendiſſe, ut regem ſibi arctiſſima et religionis et proximitatis neceſſitudine conjunctum conſervaret incolumem: ea mente conſilia cum proregibus ſedulo communicaſſe, et mutuis officiis amicitiam, magno regis et utriuſque regni bono, cum iis coluiſſe, quo uſque Albinius Levinius in Scotiam venit; qui mox regem in poteſtate habere voluit, animum ejus ab Anglorum amicitia ad Gallos, qui nondum eum regem agnoverint, avertit, fidiſſimis regi miniſtris adventu ejus ſtatim aula ſummotis, et aliis in eorum locum ſubſtitutis; miniſtros

VAR. LECT. [α] *Sexaginta quae ſequuntur* Andinus, *deſunt.* *D.* f. *circiter lineae*, *uſque ad* Dum adhuc in Anglia eſſet

INTERPR. [a] *Allyn, ou Alan, natif de Roſſal dans la province de Lancaſtre ou Lancaſhire.* [b] *Randolph.* [c] *Comte de Morton.* [d] *Duc de Lenox.*

miniſtros denique verbi divini tanquam turbulentos et conviciatores in odium regi adduxit; omiſſa interim omni juris inter limitaneos adminiſtrandi ſollicitudine. Cum videret Randolphus nihil ſe palam pro Mortonio deprecationibus proficere, multo minus ſuas adverſus Levinium criminationes valere, quas ut exacerbaret, fraudis literas etiam quaſdam, ut multi ſuſpicabantur, ementitas protulerat, cum amicis ac cognatis Mortonii, et Levinii aemulis, in arcano agit; deploratoque miſerabili Scotiae ſtatu, pericula regi, reipublicae, ac ipſis impendentia ſub oculos ponit, et Eliſabethae interceſſionem ingrate neglectam conqueritur; nullumque aliud adverſus tot mala praeſentius remedium ſe videre dicit, quam ſi priſtinam libertatem, quam jure nequeunt, armis tueantur: in id opem, et pecuniam, et apparatum bellicum, ab Eliſabetha pollicetur. Jamque in ſuas partes [a] Argatheliae, Montiſroſae, Marriae comites, [b] Anguſium Mortonii ex fratre nepotem, [c] Glencarnium, [d] Ruthvenum, Lindſeium, alios e nobilitate, in ſuas partes pertraxerat; cum [e] Levinius et Aranius praevertendum rati, regem circumſtant, et periculo a factione Anglicana propoſito maturandum contra Mortonium judicium ſuadent, antequam Anglorum copiae in limite comparerent: illi regis gratia freti, metu adverſae partis ſociis intentato, alios promiſſis, alios minis, a ſocietate ineunda deterrent. Soli Marrius et Anguſius in fide Randolpho data conſtantes permanſere, et ad omnia pro Mortonii ſalute contra Levinium audenda paratos oſtenderunt. Sed re per [f] Wittinghamum ſpe citius detecta, Randolphus ſibi metuens [g] Berwicum ſe repente ſubduxit, monitis prius Marrio et Anguſio ut ſibi conſulerent. Anguſius ſe in cuſtodiam dare ultra [h] Speam flumen, Marrius [i] Sterlini arcem regi tradere, juſſus eſt: nec multo poſt praecipitato judicio Mortonius damnatus ac ſecuri percuſſus fuit. Hunc in vinculis confeſſum aiunt, [k] Bothuelium et Archibaldum [l] Duglaſſium gentilem ſuum ſibi de rege interficiendo conſilium impertiiſſe, ſe vero tam dubiis temporibus non habuiſſe cui id aperiret, aut auſum aperire; poſtea Archibaldum inter intimos retinuiſſe, et Bothuelio de ipſo defendendo, ſi quis eum accuſaret, fidem chirographo obſtrinxiſſe: de [m] Moravio interrogatus, an de regicidio ſermones contuliſſet cum eo Bothuelius; ſe vero id ſcire pernegavit, ceterum vero ſimile minime fieri, ut inter tam male convenientes homines de re tanta ac tam periculoſa convenire potuerit. Poſt ſumptum de Mortonio ſupplicium Marrius et Anguſius proſcripti ſunt, qui apud Anglam perfugium habuerunt.

XVIII. DUM adhuc in Anglia eſſet [n] Andinus legatum [o] Lubeeam miſit, qui ſocietatis maritimae foederatis civitatibus amicitiam ac benevolentiam ſuam et operam in componendis cum regina Anglorum ſibi foederata, immo jam matrimonio deſtinata, controverſiis, deferret; qui et viciſſim petiit, ut unioni ac foederi inter civitates et regnum Angliae ſancito ſe quoque adjungerent: quod ſi fiat, perpetuam fidem, promptiſſima auxilia, et magna quaeque prolixe pollicetur. Cui reverenter pro amica voluntate et promiſſis magnificis gratiae actae; et reſponſum, ſi quid in Angliae regina civitatibus concilianda, et privilegiorum jam XXII annos irrito eventu petita confirmatione, interventu ac patrocinio ſuo tandem impetranda, ſocietati commodare poſſet, pro tanto beneficio ſempiterna grati animi memoria civitates obſtrictas fore. Conventus IV ſocietatis metropolium et Vandalicarum civitatum ac Bremenſis, de Anglorum monopoliis in Germania

INTERPR. [a] *les comtes d'Argyle, Montroſs, & Marr.* [b] *le comte d'Angus.* [c] *le comte de Glencairn.* [d] *le Lord Ruthven & le Lord Lindſey.* [e] *le duc de Lenox & le comte d'Arran.* [f] *Wittingham.* [g] *Berwick.* [h] *Spey.* [i] *Sterling.* [k] *le comte de Bothwell.* [l] *Douglaſs.* [m] *le comte de Murray.* [n] *le duc d'Anjou.* [o] *Lubeck.*

Germania prohibendis, et priſtina commercii libertate Londini reciperanda, Oct. proximo inchoatus fuerat: verum Caeſar ampliorem negotii cognitionem ad comitia imperii rejecit. Cum vero periculum eſſet in mora, legati civitatum decreta Luneburgi ſuperiore anno contra Anglos facta executioni demandari, et per fiſcalem contra [a] Ezardum Friſiae orientalis comitem jure agi, urgebant: et Eliſabetha quidem de edictorum ſuorum ſuſpenſione annuebat, modo foederatae civitates prius decreta ſua adverſus Anglos in conventu Lubecenſi aboleviſſe docerentur. Inter has contentiones legatus Gallicus advenit; qui, ſuſpenſione utrinque facta, controverſias pro tempore compoſuit. Moniti ſub id Elbingenſes, ne, contra ſocietatis decreta, Anglicis mercatoribus monopolium inſtituentibus ſedem in urbe ſua cum privilegiorum praerogativa attribuerent. Poſtea in conventu actum de decuplice collatione a ſingulis civitatibus praeſtanda; alioqui ſocietatis negotia explicari non poſſe; et Lubecenſes ad CIↃ taleros conferendos ſe offerebant: ſed cum legati nulla ſe a civitatibus mandata habere reſponderent, res ad frequentiorem ſocietatis conventum rejecta. Tum legatio ad Stephanum Poloniae regem decreta; cui obeundae deſtinatae ſunt [b] Colonia, Gedanum, et Roſtochium civitates: ſed Colonienſibus ſe excuſantibus, aliae duae eo ire recuſarunt. Querentibus vero nautis in [c] Luſitania praeter veterem morem graviorum ſe exactionum mole onerari, placuit auſpiciis regni Philippi initiis tam periculoſis obviam iri; miſſaeque ad ſocietatis conſulem, qui [d] Oliſſiponae erat, ad Philippum literae, quibus et onerum gravitatem deprecabantur, et privilegiorum ſuorum documenta, in ſacello quodam urbis depoſita, ad ſe, vel integra vel fide publica deſcripta, tranſmitti petebant.

XIX. INTEREA rex, quaſi omni cura ſolutus et tantum voluptatibus intentus, nullum inſanis ſumptibus modum faciebat; quibus cum aerarium, quamvis multiplicatis toties regni vectigalibus, non ſufficeret, ad exoticas artes et pernicioſa Italorum et hujuſmodi hominum in plebe excarnificanda ingenioſorum commenta converſus, quotidie novos magiſtratus, nova officia, nova tributa excogitabat; conditis ea de re edictis, quorum publicationi ſemper intercedebat ſenatus. Itaque IV Non. Quintil. ipſe in ſenatum venit, et XXVII edicta fiſcalia uno die promulgavit; unoque ex iis XX conſiliarios creavit: qua re odium jam ante de publica adminiſtratione conceptum non mediocriter auctum eſt, fremente paſſim ob onera immodica plebe, et prudentiſſimis quibuſque intra ſe tacite indignantibus; qui, cum viderent illis edictis cunctos ordines in regno perverti, et ingentem ex iis pecuniam conflatam luxu et in pravos uſus diſperdi, turpiſſimam omnium rerum nundinationem, etiam praefecturarum, peſſimo exemplo inſtitui, augeri in dies vectigalia, aerarium minui, regium faſtigium labefactari provectis ad honores adoleſcentulis, omnia gratiae foediſſimis obſequiis quaeſitae, nihil virtuti dari; de rege regiſque rebus non poterant non male [α] ominari. Inter haec prima cogitatio fuit de maritandis [e] Jouſa et Valeta: et

VAR. LECT. [α] ominari. Tunc rerum in aula potiebantur, et in flagranti regis gratia florebant, Annas Jouſa Arcuenſis Guilhelmi Jouſae vicecomitis et Septimaniae legati filius, et Joannes Ludovicus Nogaretius Valeta, Joannis bello clari ducis, de quo ſuperioribus libris crebra mentio fuit, itidem filius; qui ſoli, tum, contracto ad ſe regis favore, ceteros excluſerant: nam et Franciſcus Dous, olim praecipuus, ſecundum Villoclarum ſocerum, deliciarum regis arbiter, gratia exciderat, et paulo ante Franciſcus Spinaeus Sanlucius fuga ex aula ſe proripuerat; cujus hae cauſae occultae memorantur. Ad privatas Doi aedes crebro rex, cum juvenibus illis quos plures initio circa ſe habebat, divertere ſolebat; et in ſpatioſo coenaculo cellulas aliquot, tantum tabulis abietinis pro parietibus diſtinctas, exſtrui curaverat, in

INTERPR. [a] *Ezard, comte d'Embden en la Friſe orientale.* [b] *Cologne, Dantzick, & Roſtoch.* [c] *Portugal.* [d] *Liſbone.* [e] *de Joyeuſe & de la Valette.*

CIƆ IƆ LXXXI.
HENRICUS III.

et cum Jouſa cum Margarita Helionori [a] Cabotii Carnii comitis filia et herede principali ſponſalia prius contraxiſſet, animis cum gratia creſcentibus, pactis renunciat; et rege [α] annitente, nuptiis illis quanquam perhonorificis ſibi ac valde locupletibus repudiatis, cum [b] Margarita Aloiſiae regis uxoris ſorore matrimonio conjungitur; exorato per Henricum [c] Memmium,* illuc per diſpoſitos equos a rege miſſum, Carolo Lotaringiae duce; nam parens Nicolaus ante quadriennium jam deceſſerat, ut in nuptias conſentiret. [β] Nuptiae dein Lutetiae, quanquam in ſumma plebis egeſtate, plus quam regali pompa celebratae: nam primum

in quibus, poſt diei licentiam, omnes pernoctabant. Ex eorum numero erat Sanlucius, qui nuper, regis commendatione, Joannam Coſſaeam, Caroli Briſſaci equitum tribuni famoſi adeo ducis filiam, cum grandi dote in uxorem acceperat. Ea virilis animi mulier, et eleganti modicique literis tincto ingenio praedita, cum propudioſae mariti vitae taederet, ſtimulis, qui vel caſtiſſimas exaſperant, incenſa, cum ipſo agit; et hinc minis metu incuſſo, hinc vitae infamia propoſita, facile juveni decoris cupido perſuaſit, ut mores mutare vellet: ſed volentem ſcrupulus tenebat, quod vereretur, ne priſtina cum rege vitae conſuetudine omiſſa, regis quoque, a quo multa commoda et magnam opum ac dignitatum amplificationem ſperabat, gratiam amitteret. In eo dubiae ſententiae ſalo fluctuante viro, haud ſibi defuit Coſſaea; et ſcrupulus, inquit, opportune hic incidit, ut dum de vitae ſalute et decore tuo ſerio cogitas, eadem opera ipſum regem ſalvum praeſtes; et gratiam, quam fluxam et incertam per foeda miniſteria et obſequia ſectaris, ſi ei vitae in melius mutandae auctor et adjutor fueris, ſolidam ac conſtantem conſequaris. Id autem qua ratione fieri poſſit mihi nunc in mentem venit: noſti ingenium principis, quod, ut in voluptatibus ſolutum, ita cum effoeto corpore faſtidium illarum ſubiit, per intervalla, conſcientiae morſu recurrente, ſuperſtitionibus vexari ſolet; adeoque alteri alterum in ejus ingenio ſuccedit, ut voluptatum per illas expiationem petat, et rurſus in illis pabulum harum reperiat, dum ſuperſtitionibus plene Deo ſatisfactum putat; et ſic anima expurgata et refocillato corpore alacrior ad voluptates redit. Igitur, ut boni imperatoris eſt in obſidionibus loca per debiliores partes aggredi, ſic tibi in ejus ingenio expugnando faciendum exiſtimo. Superſtitionibus multum tribuit; religionis terrore injecto, tibi cum eo agendum eſt; et cum ludo diurno feſſus in cella ſua ſomnium capiet, per fiſtulam aut alia ratione, quaſi coelitus emiſſa voce, monendus eſt, ut ſe a prava vitae conſuetudine, ſi ſe regnumque ſalvum cupit, abſtineat; alioqui Deum fore ultorem. Non diſplicuit uxoris commentum Sanlucio; qui ſpe concepta, ut et vitam mutare et priſtinum dignitatis locum in regis gratia retinere poſſet, ſic dolum inſtruit. Poſtquam regem dormire ſenſit, ceteris jam ſopitis, gracili, et tamen ad horrorem compoſito ſono, quae dixi, per fiſtulam in aurem inſuſurrat; experrectuſque rex cum ſe ſomniare initio putaret, rurſuſque ſe ſomno reddidiſſet, eadem verba repetitis vicibus inculcari poſtquam extra ſomnum intellexit, animo perculſus eſt; vixque inter anxias cogitationes noctem exigit: ac ſummo mane ſurgit, ſubtriſti vultu et inſolitam moeſtitiam prodente ſilentio. Hinc ſocii mirati ſubitae mutationis cauſam, ſe circumſpectare, attoniti inter ſe muſſare: at Sanlucius, qui procedere aſtum gauderet, attonito et ipſe ſimilis, ſciſcitari a ſociis quid rei eſſet; tum compoſito ad moeſtitiam vultu regem adire, et prior ſeducto eo occupare, noctu ſibi terribile ſomnium contigiſſe: nam angelum ſibi viſum minaci facie, qui Dei juſſu ipſi exitium interminatus eſſet, niſi a licentioſa vita abſtineret, et regi idem, ni faceret, perſuaderet. Rex primo fidem Sanlucio habuit, et viciſſim quid ſibi eadem nocte accidiſſet enarravit, monuitque ut rem ſilentio tegeret; de cetero, ſibi divina monita curae fore. Ab eo tempore cum ſe alieniorem ab aliis minime conſciis qui circa eum erant adoleſcentibus oſtenderet, neque ad ſolitam familiaritatis nocturnae conſuetudinem rediret, Dous, qui adhuc in aula erat, artium aulicarum peritiſſimus, et ſummus religionis diſſimulator, ſenſim in regis ſecretum penetrat; cognitoque quod erat, fraudem Sanlucii anxio regi aperit, et uxoris imperioſae in virum foeminae zelotypia factum dicit, ut Sanlucius, tot beneficiis ab ipſo cumulatus, tam impudenti commento ejus patientiae illuſerit; fiſtulaque, quam in illius cella repertam aiebat, producta, fidem dictis adſtruit: et ita regem, jam ſubeunte poſt poenitentiam priſtinae licentiae deſiderio, facile ad intermiſſarum libidinum conſuetudinem reducit, non admiſſo Sanlucio; cujus ſalutaria per ſe monita non tam animo reputans, quam ſibi ab eo impoſitum indigne ferens, non ſolum omni aulae favore, ut indignum, deinceps interdicere, ſed dignitatibus ac fortunis ſuaſu ſociorum prorſus evertere, decrevit. Poſt Broagium in Santonibus ante quadriennium captum, loco Vidus Sangelaſius Lanſacus rei maritimae tunc praefectus impoſitus fuerat, homo vaſti animi et profuſi luxus; cui cum opes domeſticae non ſufficerent, peſſimi exempli more ab ipſo rege introducto, ut praefecturae etiam militares turpi nundinatione inter privatos divenderentur, Broagii praefectura, pretio grandi ex regis aerario accepto, in Sanlucii gratiam ceſſerat. Ea rex exuere Sanlucium meditabatur, quod vereretur, ne cum Sanlucius ſe gratia excidiſſe ſenſiſſet, conſilium ex deſperatione caperet, et loco non ſolum ob Salinas, ſed etiam ob provinciae ſecuritatem tam opportuno, ad ultionem uteretur, et cum Proteſtantibus, qui illis in locis praepotentes ſunt, conſilia communicaret: cui periculo ut praeverteret, Jacobum Savarium Lanconium legionis Picardiae praefectum, et Jacobae Villoclari ſororis filium, hominem alioqui ſtolide ferocem, citatis equis in

VAR. LECT. [α] annitente, immo ſe demittente, nuptiis *MS. Samm. Put. et Rig.*

[β] *Quae ſequuntur decem circiter lineae, uſque ad* Paulo ante rex, *deſunt.* *D.* f. d.

INTERPR. [a] *de Chabot, comte de Charny.* [b] *Marguerite de Lorraine de Vaudemont, ſœur de la reine Louiſe.* [c] *de Meſmes.*

primum dicta dos a rege nuptae quamvis externae CCC aureorum CIϽ, quales regum filiae habere ſolent; totidem marito erogata: quod per ſe invidioſum cum eſſet, longe invidiam illam et omnem fidem ſuperavit apparatus nuptialis; qui duodecies centenis aureorum CIϽ in haſtiludia, equeſtres choreas, nocturna ſpectacula, naumachias, donativa, nullo modo facto, conſtitit. Praeterea, a Lotaringiae duce ipſo, qui aderat, et ex inſania noſtra lucrum in praeſens, in poſterum fortunarum amplificationem ex regni everſione aucupabatur, ingentes ſumptus facti; nec non et a Carolo cardinali Borbonio, quem Jouſa adfinitate contingebat. Paulo ante rex, quo majorem nuptiis tantis dignitatem conciliaret, cum ducem

in Santones miſerat, ut Broagii praeſidiarios in fidem acciperet, et loci ingreſſu Sanlucium excluderet. Verum mox id per Henricum Lotaringum Guiſium, occaſiones in aula novarum rerum captantem, cum reſciviſſet Sanlucius, nulla mora interpoſita pernicibus equis conſcenſis eodem tendit; ita ut per veredarios tardius properantem Lanconium antevertit; et loco jam firmato Lanconium poſt horam venientem, ne admitteretur, prohibuerit: unde uber materia cauſam repentini ex aula Sanlucii diſceſſus curioſis veſtigantibus praebita; nec tamen, rege et qui circa eum erant, alias, ut vera ignoraretur, obtendentibus, pro tempore certò cognita. Incidit et haud multo poſt aliud, quod regis animum jam eo caſu perculſum non mediocriter conturbavit. Florebat in ejus gratia Paulus Stuartus Cauſſada Sanmegrinius, Santonum regulus, forma corporis praeſtans, nec minus animo generoſo praeditus; non tam ob ſecretarum libidinum conſcientiam, quam quod cum * illuſtri matrona primarii in aula viri, cui rex minus benè volebat, uxore conſueſcere crederetur, ipſi gratioſus: qua re ille abunde ſibi de hominis praepotentis injuriis ſatisfactum putabat, contraria a Sanmegrinio illata injuria, quam et rex contumelioſis jocis crebro inter ſuos repetitis exacerbabat. Eam cum is, ad quem vere pertinebat, ad altiora videlicet animum intendens, contemneret, minime ejus ultionem neglexit Carolus Lotaringus Meduanae dux, magna neceſſitudine cum illo conjunctus; qui ſicarios in Sanmegrinii perniciem ſubornavit, qui commodum nacti hominem, ubicumque circumventum interficerent. Nec inſidiae a Meduano ſtructae eum aut regem denique latuerunt; qui, cum profunda jam nocte diſcedentem Lupara Sanmegrinium enixe rogaſſet ut in arce pernoctaret, eo magis juvenem natura ſuperbum et gratia aulica inflatiorem incendit, ut periculum negligeret, et ſe in paratum exitium praecipitaret; ſubinde dictitans, ſiquidem inimici ſe aggrederentur, fore ut eteſticulati homines, ſic Lotaringos contemptim vocabat, ſibi cum viro rem eſſe intelligerent. Ita digreſſus, haud longe ab arce a percuſſoribus diſpoſitis opprimitur, puero nobili, qui cum face praelucebat, diſturbato; et multis ac deſtinatis ictibus confoſſus in hoſpitium defertur, ex quibus paulo poſt deceſſit. Corpus inde ad ſancti Pauli illatum eſt, et cum Cailuſio et Maugirono ante triennium interfectis conditum. Mortuo regis juſſu honorifice parentatum; et Arnoldus Sorbinus, epiſcopus Nivernenſis nuper a rege factus, eoque beneficio obſtrictus, orationem funebrem habuit; qua potius genus, mores, ac virtutes defuncti adulatorie laudavit, quam caedis auctores, quibus in occulto favebat, deteſtatus eſt. Ea re etſi patientiam ſuam tentari rex judicaret, tamen privatis affectibus intentus, et ab iis qui circa ipſum erant male conſultus, praepoſtera prudentia injuriam diſſimulavit. Ii, hoc rerum ſtatu, quidvis potius, vel cum regiae majeſtatis detrimento, ferendum cenſebant, quam ut adverſus eos, qui religionis majorum tuendae praetextu partes in regno fovebant, et ſupremi magiſtratus auctoritatem occultis machinis in dies convellebant, quidquam inclementius ſtatueretur. Ea vero diſſimulatione non tam malum mitigatum, quod ignavi illi conſiliarii ſibi

* *Huic narrationi in MS. Rigaltiano Carolus Mauritius Tellerius Remorum archiepiſcopus, quae ſequitur, memoratu dignam, ſua ipſius manu exaratam, ſubtexit hiſtoriam.* Illuſtri matrona.] Haec erat Catharina Clivia Guiſii uxor, cujus conſuetudo cum Sanmegrinio non tantum credebatur, ſed eos in cubiculo reginae parentis et ſub ipſo pulvinari a quodam aulico in furto deprehenſos fuiſſe palam per aulam jactabatur: quod cardinalis Guiſius et Meduanae dux fratrem non latere debere arbitrati, illi per Chriſtophorum Baſſum-petram, Guiſii intimum et omnium conſiliorum participem, renunciare decreverunt; quam ille provinciam aegre et invitus, quippe qui ingenium Guiſii noverat, ſuſcepit; trium etiam dierum petito ſpatio, quo modum rei Guiſio dexterius aperiendae excogitaret. Tandem Guiſium ſubtriſti vultu aggreditur; ab eoque interrogatus quaenam hujus triſtitiae cauſa eſſet: reſpondit, a quodam nuper conſultum fuiſſe, quo modo amico, cujus uxor parum caſte vivebat, nihil tamen tale ſuſpicanti, pravos impudicae uxoris mores detegeret; quod cum ſibi difficile et arduum viſum eſſet, nihil adhuc reſpondiſſe; et hoc in cauſa eſſe, cur, de reſponſo quod daturus erat anxius, triſtis ille videretur; ſed data occaſione libenter ab eo petere, quodnam amico conſilium dare deberet: cui Guiſius, quod erat ſuſpicatus, illico reſpondit; ſi ille, quiſquis eſt, amicus eſt, aut videri vult, amici cauſam ipſe ulciſcatur; ceterum marito quod ignorat in re tali revelare, et inutile et injurioſum mihi videtur. Tum ſubjunxit: ego uxorem iis quos optem moribus praeditam nactus ſum, nec de ea quidquam cur ſolicitus ſim in cauſa eſt; ſi tamen alio quam pudicam matronam decet modo viveret, et quis hoc mihi renunciare auſus eſſet, illum ſubito pugionis hujus, ferrum quo accinctus erat oſtendens, ictibus confoderem. Baſſum-petra, gratiis Guiſio ob conſilium impertitum actis, quid cum illo actum, et quaenam ejus mens eſſet, Meduanae duci et cardinali retulit; qui injuriam quam frater contemnebat inultam nolentes, eo quo omnes norunt modo rem orditi ſunt: quae, ut a Franciſco Baſſum-petra equitum tribuno Chriſtophori filio ſaepius audivi, ita huic hiſtoriae ſubjungenda duxi.

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III.

ducem et Franciae parem creaverat; condito edicto menſe Sextili, quod in ſenatu recitatum eſt VII Eid. Sept. Eo nobilitas vicecomitum Jouſae recenſebatur, quos adfinitate ſua olim reges dignati eſſent: nam cum Joanni Borbonio [a] Vindocini comiti complures filiae eſſent, Joanna grandior natu Joanni duci Borbonio, et, eo mortuo, Joanni [b] Turrio Bononiae comiti, Catharina Gilberto [c] Chabanio Curtonio, Joanna altera Ludovico [d] Jouſae vicecomiti, et Carlota Engilberto [e] Clivio Nivernio, nupſerunt. Ita vero ea dignitas in Jouſam conferebatur, ut poſt regii ſanguinis, quos vocant, principes, et IV familias, (eae ſunt [f] Sabaudiae, Lotaringiae, Cliviae, et Aurelianenſium Longavillanorum,) ceteros omnes pari dignitate ornatos, quamvis tempore anteriores, ubique in regum inaugurationibus, ſenatu, et [g] regio conſiſtorio, aliiſque publicis conſeſſibus, praecederet. Eodem gratiarum cumulo et dotatus eſt eodem tempore Valeta: [α] nam pari gradu, quod rarum eſt, in regis gratia cum Jouſa florebat; ſummeque cavebat impotens animi princeps, qui effictim utrumque diligebat, ne beneficiorum inaequalitate ſimultates et aemulationes, quae tamen non eſſe non poterant, inter eos exorirentur; plus de concordia inter amicos ſarcienda, quam de regni in poſterum ſecuritate et quiete, ſolicitus. Cum vero Chriſtierna Nicolai [h] Valdemontii itidem filia, quae ſuperabat, reginae et Margaritae ſoror, nondum nubilem aetatem attigiſſet, tantum ſponſalia inter eam et Valetam contracta,

ſibi perſuaſerant, et regi otii cupido affirmabant, quam animus ad majora audendum hominibus turbarum occaſionem undecunque captantibus factus. Interea adverſus odium ob nimia tributa, et publicam ob indignos homines praeter merita ad honores provectos indignationem, affectatae religionis per inſolita ſpectacula oſtentatio, ſed intempeſtive, opponebatur: nam eodem tempore venalia omnia proſtabant, ita ut officia illa nova, de quibus dixi, a Jouſa et Valeta ſeplaſiariis, coquis, holoſerici inſtitoribus, in ſolutum pro inſanis ſumptibus, quos immodicos regis benefici gratia freti faciebant, in propatulo aſſignarentur; et qui ea habere vellent a vilis conditionis hominibus grandi pretio quaſi merces publicas turpiſſima licitatione comparare cogerentur; magna omnium offenſione, nec minore ampliſſimi ordinis dedecore et publicae tranquillitatis detrimento; dum plebs ob eam cauſam magiſtratum ſpernit, et ſpreto magiſtratu principem ipſum diſcit contemnere. Diverſa parte, Capucini, Foliaceni, et hujuſcemodi pavendae vetulis edentulis religionum larvae, quaſi in theatrum, producebantur. Capucini Franciſci Aſſiſinatis arctius votum profeſſi, horrido victu et veſtitu praecipuam ſanctimoniam prae ſe ferebant; et haud ita pridem anno hujus ſaeculi XXVII a Franciſco Matthaeo Baſſo nobili, in Umbria ad Maridam fluvium oppido nato, inſtituti, ſive renovati, quamvis alii id ad Paulum quendam Clodienſem referant, et a Bernardino Ochino, de quo ſaepius diximus, ſive latius propagati, ceteros Franciſcanos, quaſi ſolutioris diſciplinae, tandem in Italia expungebant; in Galliam a cardinali Lotaringo ſummo rerum novarum ſectatore, cum poſt motum Pariſienſem ante XII annos Roma domum rediret, primum introducti, haud occulta aliorum ejuſdem ordinis fratrum invidia. Foliaceni, a coenobio quodam Ciſtercienſis ordinis in Toloſana dioeceſi ita dicti, novitia auſterioris vitae vix humanae imbecillitati ferendae diſciplina, et incondita, nec tamen inſuavi, in precibus faciendis vocis modulatione, oculos et aures omnium in ſe converterant; hiſque praeerat ipſius, quod dixi, coenobii antiſtes, homo minime malus, ſed indoctus; qui fanatico quodam animi raptu, os, oculos, et brachia, inter concionandum contorquens, magna cum plebis admiratione audiebatur. His ſaepius, veluti ad plebis ſpectaculum, productis, rex tandem et ipſe in ſcenam cum toto aulico comitatu prodire voluit, et ſe flagellantium atras venetas et candidas factiones dudum in Italia et Avenione, et ob viciniam aliquibus Provinciae locis, frequentes, ceteroqui coelo Gallico incognitas, maleferiatorum hominum impulſu Lutetiae invexit; et poſtremo Hieronymianorum collegium ad Vicennarum caſtrum inſtituit, ad quod ſecretum ii tantum admiſſi qui magis in gratia flagrabant. Et haec quidem adverſus commune odium excogitata remedia, ut rex rebatur valde idonea, ceterum ipſi regnoque exitioſa; ad odium accedente contemptu, qua efficacior ad evertenda regna peſtis nulla dici poteſt. Guiſiani ad ea non ſolum connivebant, ſed etiam affectata adulatione in aula applaudebant; periculum interim flagitioſo ſilentio diſſimulantibus, qui minus probabant, pravis conſiliariis, partim ne ſaniora monendo regi inter adulationes educato diſplicerent, partim ut Guiſianorum ex regis contemptu partibus ſuis potentiam et gratiam conciliantium ambitioni officioſo flagitio morem gererent. Rex vero, qui placata his ſpectaculis plebe omnia ſibi impune licere exiſtimabat, ad privatas charitates revolutus, pecuniae undique corradendae incumbebat; praecipue ex edictis fiſcalibus, quorum partem Guiſiani ipſi tulerunt; unde rex odium, illi lucrum et commodum reportabant. Inter haec *MS. Samm. Put. et Rig.*

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur duodecim circiter lineae, uſque ad* feſtinata emptione Eſpernonium, *deſunt. D.* f. d. *in quibus editionibus* feſtinata *in id* emptione *legitur.*

INTERPR. [a] *Vendoſme.* [b] *de la Tour, comte de Boulogne.* [c] *de Chabanes, Sieur de Curton.* [d] *Vicomte de Joyeuſe.* [e] *de Cleves, duc de Nevers.* [f] *Maiſons de Savoye, de Lorraine, de Cleves, & d'Orleans de Longueville.* [g] *Conſeil privé.* [h] *de Vaudemont.*

contracta, repudiata Joanna [a] Moia Joannis Moii marchionis filia, cum qua prius, nondum adulto in tantum favore, ſponſalia contraxerat; quae mox Valetae repulſam paſſa Claudio [b] Sanſalvatorio Annae Jouſae fratri elocata eſt. Interea praeſenti pecunia, quamvis nuptiis in idoneum tempus dilatis, dos Valetae numerata, ac praeterea donativum; et, nequid eſſet quod alter alteri invidere poſſet, feſtinata emptione [c] Eſpernonium in Carnutibus Navarrae ditionis oppidum comparatum, edictumque conditum eodem anno menſe Novembri, quo iisdem conditionibus et pari ſecundum Jouſam praerogativa Valeta dux Eſpernonii creatur; quod in ſenatu relatum eſt v Kal. Dec. quo eodem die et Valeta jusjurandum ritu ſolemni praeſtitit. Edicto illo nobilitas Joannis Ludovici Nogaretii a Gulielmo Nogaretio illo repetitur, qui Philippi pulchri temporibus pro libertate regni Galliae inſigni facinore Bonifacium VIII [α] pontificem Romanum, Franciae regnum pontificiae majeſtatis beneficiarium aſſerentem, [d] Anagniae ope [e] Sarrae Columnae oppreſſit, circa annum CIϽ CCCIII; idque inter decora familiae, tanquam illuſtre majorum ipſius virtutis et meritorum erga rempublicam teſtimonium, memoratur. Demum XII Kal. Jan. Franciſcus [f] Lucemburgus, qui diploma de ducis titulo ante Eſpernonium a rege impetraverat, dux [g] Pinei creatus et par Franciae, ſacramento in ſenatu adactus eſt: [β] quod aliorum gratiae, id ſplendori illuſtriſſimae toto Chriſtiano orbe familiae datum, et tamen cum praerogativae Eſpernonio attributae onere; quod magnis poſtea contentionibus ac moleſtis litibus Eſpernonio, non ſolum cum Lucemburgo, ſed aliis tempore anterioribus proceribus eadem dignitate ornatis, cauſam praebuit. Cum vero pontificis ejuſque oratorum in procuranda concilii Tridentini promulgatione conatus hactenus irritus fuiſſet, inventa eſt a Guiſianis ratio, qua deſiderio ejus, utcumque pro tempore, ſatisfactum putabatur, ſi provinciales ſynodi celebrarentur, in quibus illius ſanctiones per partes reciperentur. Initium a Carolo Borbonio cardinali [h] Rotomagenſi archiepiſcopo et [i] Neuſtriae primate factum, inſtigante Claudio [k] Sanctio Ebroicenſi epiſcopo magni nominis theologo, olim in familia Caroli Lotaringi cardinalis educato: nam Guiſiani jam [γ] animum Borbonii cardinalis occupaverant, poſtquam Ludovicus [l] Minternus Caſtricii abbas, praecipuus voluntatum ejus moderator, vivis ante biennium [δ] exemptus eſt. Succeſſerat enim in ejus locum Andreas [m] Borbonius Rubenpratus, ex familiae illuſtriſſimae notho oriundus, et cubiculariorum ejus princeps; qui ſe facile a Guiſianis corrumpi paſſus eſt, et Guiſium ad cardinalem cum ſuis ſenſim introduxit; qui facta ſpe de regni ſucceſſione, excluſo Navarro, ſi rex et Andinus frater

VAR. LECT. [α] P. R. mira impudentia Franciae *MS. Samm. Put. et Rig.*

[β] *Quae ſequuntur 23 circiter lineae, uſque ad* Inter haec rex, *deſunt. D.* f. d.

[γ] animum voluptuoſi ſenis occupaverant, *MS. Samm. Put. et Rig.*

[δ] exemptus eſt. Is ſiquidem, ſive imbecillitatis heri ſui conſcius, ſive propriae auctoritatis tuendae, quod aemuli jactabant, cupidus, ſtudioſe ſemper caverat, ne Guiſiani in ejus familiaritatem ſe inſinuarent; cumque id illi a quodam Guiſianis partibus addicto, me praeſente, objiceretur, memini hominem aulicarum fraudium non ignarum, invidiam rei a ſe modeſte amoliri initio ſatagentem, nihilominus ſumma libertate tandem ſubjeciſſe, praeſagire ſe, ſi quidem ſe mortuo Guiſiani heri ſui ingenium moderarentur, fore, ut alienato ejus a ſuis animo ac voluntate, credulum ſenem in poſterum ad regno aeque ac ſibi perniicioſa conſilia impellerent: nam et ambitionem et artes illorum ſe a longo tempore, atque adeo a Franciſci primi fatali augurio, diligenter notaſſe; et heri ſui levitatem ac credulum ingenium ſemper ſibi ſuſpectum fuiſſe: id vero triſte de hero ſuo praeſagium ut exitu careret, ad extremum, lachrimis ubertim profuſis, optaſſe: nec certe caruit; nam, eo mortuo, Andreas Borbonius Rubenpratus, ex familiae illuſtriſſimae notho oriundus, et cubiculariorum ejus princeps, homo avarus, qui Minterno in gratia ſucceſſerat, ſe facile a Guiſianis pecunia accepta corrumpi paſſus eſt; et Guiſium *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Mouy.* [b] *de S. Sauveur.* [c] *Eſpernon en Beauſſe du domaine du roy de Navarre.* [d] *Anagni.* [e] *Sciarra Colonna.* [f] *de Luxembourg.* [g] *Piney.* [h] *de Rouen.* [i] *Normandie.* [k] *de Sainctes, evêque d'Evreux.* [l] *de Minterne, abbé de Chaſtrices.* [m] *de Bourbon de Rubenpré.*

CIƆ IƆ LXXXI. HENRICUS III.

frater ſine liberis maſculis decederent; praeterea blanditiis [α] et aliis variis obſequiis ſenem ita faſcinavit, ut odium, quo Lotaringos huc uſque proſecutus fuerat, ſtatim deponeret, et illud adverſus agnatos et gentileis ſuos indueret. Igitur Guiſianorum ſuaſu ſynodum Rotomagenſem celebravit; et alios archiepiſcopos ac primates, etſi non eodem conſilio, ut idem deinceps facerent exemplo ſuo invitavit. Inter haec rex, fratre Andino in Belgium profecto, ſecurus, ut pacificatoriis edictis ſatisfaceret, et Navarri eadem opera conatus impediret, Jacobum [a] Gobionem Matignonum antea equitum tribunum creatum, qui [b] Farae Veromanduorum ſuperiore anno expugnatae obſidioni praefuerat, Birono amoto, in [c] Aquitaniam titulo legati mittit, (nam provinciae praeſes Navarrus erat) qui ampliſſimae regni provinciae, ex qua bellorum procellae praecipue in ceteras provincias incumbebant, motus praeſentia ſua ac prudentia componeret. Paulo ante exeunte Julio, nobilitatis ſecreto conſilio, quae ex Proteſtantium praeſidiariorum excurſionibus multum incommodabatur, in [d] Petrocoriis [e] Veſuna provinciae metropolis noctu intercepta eſt; longeque maxima intemperie graſſati regii, quaſi injurias, capta ante ſexennium a [f] Langorano urbe, acceptas ultum irent: qua de re cum apud regem quereretur Navarrus, nihil aliud quam excuſationes ab eo pro reſponſo tulit, cum ſibi rex minime integrum eſſe diceret, urbem a Catholicis occupatam poſt tam graveis offenſas Proteſtantibus reſtitui. Itaque loco ejus [g] Pimirolium, haud longe ab [h] Aginno oppidulum, illis ſecuritatis cauſa attributum eſt. Miſſi et paulo poſt delecti judices ex ſenatu Pariſienſi, Petro [i] Seguierio praeſide, qui loco [k] tripertitae decuriae, ex ſenatu [l] Burdigalenſi Aginni Nitiobrigum ante triennium inſtitutae, de Proteſtantium cauſis juxta XI caput collationis Flexianae cognoſcerent; quorum ex numero tunc ſacri ordinis ſenator fui. Ii magna popularium gratulatione excepti in Dominicanorum-fano anno ſequenti convenerunt, et poſtea Aginni; dein Veſunae Petrocoriorum; ac poſtremo [m] Mediolani Santonum magna cum integritatis laude toto triennio aſſidue jus dixerunt, pacata per id tempus provincia; quod, ſecundum Matignoni prudentiam, praecipue optimorum ac lectiſſimorum virorum aequitati attributum eſt. In Saluciano principatu a morte Bellogardii res adhuc turbabant; majorque ex eo metus regem inceſſerat, ne conſilia cum Philippicis inita ab aliis reſumerentur. Miſſus initio in provinciam Bernardus [n] Nogaretius Valeta, cum pleraque loca a reliquiis factionis occupata offendiſſet, per Carolum Emmanuelem Sabaudiae ducem egerat, ut belli duces, qui nutabant, honeſtis conditionibus placati ad obſequium reducerentur. Cum fruſtra fuiſſet, et Jacobus Laſinius rem irrito conatu Andini nomine tentaſſet, Albertus [o] Gondius Radeſiarum comes equitum tribunus, cujus ſoror [p] Pancallerii comitis uxor Sabaudi pueritiae admota erat, ob idque in illa aula plurimum poſſe credebatur, eodem mittitur, cum plenis mandatis. Petrus [q] Fangerius Anſelmius e provinciali nobilitate, homo perditae audaciae ac Bellogardii arcanorum conſcius, [r] Centalium feſtinatis operibus muniebat, ac [s] Dragoneriam, Fanum-Damiani, Venaſcum, circumpoſita caſtella, valido praeſidio tenebat. Is, quod per praeteritas

VAR. LECT. [α] et aliis turpibus obſequiis ſenem, inter monachorum greges educatum et tamen voluptatibus ſumme deditum, ita faſcinavit, ut odium, quo Lotaringos tanquam capitales familiae ſuae hoſtes huc uſque proſecutus fuerat, ſtatim deponeret, et illud adverſus agnatos et gentiles ſuos, majore inhumanitate an imprudentia incertum, indueret. Igitur Guiſianorum *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Goyon de Matignon.* [b] *la Fere.* [c] *Guienne.* [d] *Perigord.* [e] *Perigueux.* [f] *Baron de Langoiran.* [g] *Puy-Mirol.* [h] *Agen.* [i] *Seguier.* [k] *Chambre tripartie.* [l] *Parlement de Bourdeaux.* [m] *Saintes.* [n] *Nogaret de la Valette.* [o] *de Gondy, mareſchal de Retz.* [p] *Pancallier.* [q] *Fangier, Sieur de St Anſelme, provençal.* [r] *Cental.* [s] *Dragoniere, St Damian, & Venaſque.*

praeteritas turbas multorum in ſe concitata odia diceret, aegre ſe ad vitam privatam retrahi patiebatur; petebatque tutum ſibi receptum dari, quo ab injuria defenſus regi fidelem operam in poſterum navare poſſet. Petere non iniqua viſo, a Radeſiano, regis atque adeo ipſius Andini nomine, conceſſum, Sabaudi interventu, ut [a] Taraſcone pro receptu uteretur, quod eſt oppidum in ripa [b] Rhodani ſupra [c] Arelatum, cum II equitum alis ad [d] Rupi-Maurae ſive Vallambergae cuſtodiam deſtinatis, quibus ex regis aerario ſtipendia procedant; modo id cum bona [e] Momorantii vicinae Septimaniae praeſidis gratia fiat. [f] Majoris-montis coenobium inſuper fratri Anſelmii a rege donatum, et pro impenſis Centalii factis, bellicoque apparatu et annona copioſa locorum quae traditurus eſt, X CIↃ aureorum promiſſa. Dum haec a rege rata haberentur, loca quae Anſelmius tenebat in Sabaudi manus conſignata ſunt. Haec acta Kal. Febr. Sabaudus, Valeta, et ipſe Anſelmius, ad Momorantium literas in eam rem dedere, rogantes, ut aut Vallamberga aut Rupi-Maura equites ſuos recipi juxta regis mandatum pateretur. Inde Anſelmius Taraſconem conceſſit; cumque aliquanto poſt [g] Aquas Sextias veniſſet, rixa ſuborta, juſſu, ut creditur, Henrici [h] Engoliſmenſis Provinciae praeſidis, interfectus eſt. [α] Is qui Vincentii [i] Laurei cardinalis vitam ſcripſit, Pinarolii abbas Rogerius [k] Tritonius, tradit pontificem, cum, occupato a Bellogardio Saluciarum principatu, et inde dejecto Carolo Birago, motum inter regem et Sabaudum, cujus inſtigatu ſecreto id fiebat, ſuboriturum provideret, extra ordinem miſiſſe Vincentium, tunc [l] Montis-regalis epiſcopum, ad Carolum, qui Philiberto parenti nuper defuncto ſucceſſerat, et poſt Bellogardii obitum [m] Carmaniolam arcem munitiſſimam, colore quaeſito, ne a ſectariis vicinis occuparetur, valido praeſidio a patre firmatam, tenebat. Id autem cum juvene praefervida ambitione jam tum ardente agebat Vincentius rerum uſu praeſtans, ut Carmaniolae negotium ſumma prudentia ac temperamento tranſigendum oſtenderet: ſi enim reſtituendam eam decerneret, videret ne metu adactus ſed aequitate ductus id facere videretur, ex ejuſque reſtitutione aliquod ſibi commodum apud regem compararet; et in eam partem inclinabat Vincentius: ſin retinendam duceret, vireis ſuas diligenter metiretur, ſicque ſibi perſuaderet, ad propulſandos Galli tantam injuriam minime laturi impetus, ſibi pontificis et Hiſpanorum ſubſidio opus eſſe. Idem tradit, Carolum initio Carmaniolam omni ratione ſe retenturum Vincentio aſſeveraſſe, rogata etiam in id pontificis ſententia; ſed metu potentioris hoſtis male conſultum poſtea mutaſſe, et non ſolum Carmaniolam Radeſiano reſtituiſſe, ſed Anſelmio qui Centalium tenebat, ut conditiones a rege oblatas acciperet, auctorem fuiſſe; eo conſilio, ut cum jam tunc de Geneva in poteſtatem redigenda cogitaret, pacatum in ea expeditione regem haberet, neque Gallos adverſarios experiretur; eaque de re tabulis etiam obſignatis Radeſianum ei fidem feciſſe. Id necne verum ſit non dixerim; ſed quia a Tritonio, qui Vincentio ab epiſtolis erat, ſcriptum eſt, et ad noſcenda quae tunc inter principes agitabantur conſilia, quoque animo inter ſe affecti eſſent, magnum momentum habere judicavi, minime celandum exiſtimavi.

XX. SECRETUS

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur viginti-ſeptem circiter lineae, uſque ad* Secretus hoc anno, *deſunt.* D. f.

INTERPR. [a] *Taraſcon.* [b] *le Rhone.* [c] *Arles.* [d] *Roquemaure, ou Vallebregues.* [e] *le mareſchal de Damville, gouverneur de Languedoc.* [f] *Abbaye de Mont-major.* [g] *Aix.* [h] *le chevalier d'Engouleſme, gouverneur de Provence.* [i] *Lauro.* [k] *Tritonio, abbé de Pignerol.* [l] *Mondovi.* [m] *Carmagnole.*

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III.

XX. Secretus hoc anno adverſus [a] Argentinam conatus, paulum abfuit, exitum habuit; tandemque ab iis, a quibus minus ſperabatur, detectus, omnino evanuit. Erat Roberto [b] Heuio Malaregio, notae nobilitatis et militaris virtutis adoleſcenti, et, quod favorem illi non mediocrem conciliabat, Claudii Antonii [c] Viennenſis Claravantii ſororio, arcta cum Franciſco [d] Quinquapodio Maio Vignorii comite ex militari contubernio amicitia; qua fiebat, ut ille nihil non tanto auctore et ejus gratia auſurus facturuſve eſſet. Itaque ſibi facile a Vignorio magni animi duce, quique vaſtas cum Guiſio ſpes coquebat, perſuaderi paſſus eſt, ut ad aliquam urbem in limite Germaniae occupandam operam ſuam addiceret; facta ſpe, ut aut ei praeficeretur, aut cum valido praeſidio imponeretur. Is facultates et clientelas in [e] Mediomatricibus habebat, ſub Germanici imperii ditione, eoque notior illo tractu ac minus ſuſpectus civitatibus vicinis; et, quia Proteſtantium doctrinam ſequebatur, nihil tale moliturus credebatur. Dum occaſio rei conficiendae quaeritur, interea in [f] Farae obſidione Vignorius occubuit: nec propterea conſilium jam cum Guiſio communicatum, haud inſcio, ut putatur, Carolo duce Lotaringiae, intermiſſum eſt; ſed, quo magis retardatus conatus, eo majus in hominis ambitione juveniliter ardentis ingenio accenſum deſiderium; cum Guiſius per nuncios ac ſecretis notis ſcriptas literas igniculos aſſidue ſubjiceret, et, cum voti compos effectus eſſet, nihil in religione ſe mutaturum religioſe affirmaret. De urbe ambigentibus, tandem inter eos convenit, ut Argentina tentaretur; quae, quo natura et arte munitior, eo indiligentius cuſtodiebatur, inſidiis proinde obnoxia; et quae ſemel capta propter eandem firmitudinem facile ſervari poſſet; eoque ſitu eſſet, ut ad res gerendas maxime opportuna Rhenum veluti fraenaret, et tanquam arx Germaniae ab illa parte impoſita videretur. Tunc Belgii ordines delectus per Germaniam habebant, iiſque diribitorium in campis Argentinae ſubjectis aſſignatum erat; et Claravantii apud Arauſionenſem commendatione facile ab iis impetratum, ut Malaregio IV CIↃ peditum per Alſatiam ſcribendorum negotium demandaretur. Inde ad urbem accedendi, ad arma ceteraque militi neceſſaria emenda, commoditas data. Malaregius ipſe quotidie ad eam cum ducibus militaribus itare, crebro cum conſulibus agere; foſſam, vallum, propugnacula, in horas luſtrare: et cum eodem tempore Guiſius eventum opperiturus cum delecta amicorum manu ex primaria nobilitate ad Lotaringiae limitem veniſſet, adventuque ſuo Argentinenſibus novi motus ſuſpicionem feciſſet, continuo ſenatus ultro Malaregium, tanta de eo fiducia erat, in conſilium advocare, et bona reipublicae ſorte factum dicere, ut vicino tam formidoloſo principe ipſe copias juxta urbem haberet: tum de ſecuritate cum eodem conſultare, et ex ejus ſententia ſtationes ordinari; Guiſio interim ex propinquo urgente, et omnem ulteriorem moram rei ſuſceptae periculoſam dictitante. Id tamen aliquandiu conatum retardavit, eo uſque, donec ſecreta a rege mandata ex Gallia venere; quibus Argentinenſes de inſidioſis Guiſii conſiliis certiores fiebant, et ut militem urbis ingreſſu prohiberent, ac finibus ſuis quamprimum excedere juberent, ſedulo admonebantur. Rex a pueritia Lotaringos, obſequioſos erga ſe Carolo fratre rege ſuperſtite expertus, impenſo amore proſecutus fuerat, in eorumque gratiam Momorantios aemulos ſemper infeſtaverat; ſed idem, poſtquam regnum inivit, ſtatim mutaverat; quippe qui paci ſtudens animadverteret homines ad imperia natos, quod ipſis ſors negabat, per occaſiones quaerere, et belli cauſas undecunque ſectari.

INTERPR. [a] *Straſbourg.* [b] *de Heu Maleroy.* [c] *de Vienne, Sieur de Clervant.* [d] *de Quinquempoix, Sieur de Mais, comte de Vignory.* [e] *Pays Meſſin.* [f] *la Fere.*

ſectari. Itaque cum provideret, eos, ſi Argentina potirentur, protinus pontifici et Hiſpanorum regi, cum quibus jam ſecreta conſilia ſpecioſo religionis emendicato praetextu agitabant, tanquam ex primaria Germaniae arce potentiam ſuam oſtentaturos, et factioſis ac credulis populis in regno ad arma capienda ſignum daturos; publicae quietis intereſſe exiſtimabat, ut efferenteis ſe nimias hominum ambitioſorum ſpes, irrito conatu reddito, compeſceret. Igitur Argentinenſes quanquam nihil tale de Malaregio ſuſpicarentur, tamen conſultum rati, ſi monita tanti regis minime negligerent; ſtatim Malaregio denunciandum curant, de ipſo ac fide ejus quaedam honorifice primum praefati, ut militem ex finibus ſuis ſine mora deduceret. Poſtea ipſis, ex jactabundis conſciae nobilitatis vocibus, quae poſt detectas inſidias de auctoribus ſecura, eos nominare, remque ubique in limite propalare ſus deque habebat, conſtitit, Malaregium a Guiſio perſuaſum rei exſequendae ſe ducem praebuiſſe; quod illum magna invidia inter ſuos oneravit, et ſuſpectum Germanis Galliſque Proteſtantibus reddidit: ob id acerbe a Claravantio fratre increpitum, quem, licet rei ignarum, ſive ſcelere ſuo ſive temeritate, paene nocentem fecerat. Tantum ſane de exiſtimatione juvenis inconſiderati eo facto deceſſit, ut vix poſt multa ſeriae poenitentiae documenta fidem ſuam Germanis approbare potuerit: et bello deinceps apud nos accenſo, a Claravantio vicem ejus miſerante Rupellam ad Navarrum deductus hac fere ratione culpam excuſavit, quod ſibi juveni ac nimis credulo a veteratoribus impoſitum diceret; qui rem pro nominis Gallici amplificatione ſuſceptam adſeverabant, non inſcio rege; ſed qui, ſi conatus non ſuccederet, hoſtilis animi ſignificationem Germanis ſine ullo operae pretio dare nollet: et Navarrus, Claravantio pro fratre ſupplice deprecante, excuſationem in bonam partem viſus accipere, Malaregium operam ſuam deferentem in [a] Septimaniam longe a ſe ablegavit; ubi Henrico Momorantio provinciae praeſidi militans in exigui oppidi juxta [b] Spiritus-fanum obſidione, cum rei tormentariae praeeſſet, ex vulnere in ea accepto periit.

CIↃ IↃ LXXXI.
HENRICUS III.

XXI. Pertinet et ad res Gallicas motus eo anno, quantumvis procul a Gallia, in [c] Melitenſi inſula Hiſpanorum factione exortus: nam foederatae conjurationis, quae quietem publicam in Gallia miſcuit, jam ſcintillae ardere, et in Italia ac remotioribus locis vireis concipere, incipiebant; apud nos tandiu tectae, quandiu Andinus in vivis fuit. Hiſpani vero illius incentores a Melita principium fecerunt, Mathurino [d] Scuto Romegaſſio Hieroſolymitano equite, cujus jam ſaepius honorificam mentionem fecimus, terribili adeo per totum orientem rei maritimae duce, in [e] ſupremum ordinis magiſtrum concitato, ſpeque de ſummo magiſtratu in eum conferendo facta: quod non eo conſilio faciebant, ut Gallo a ſumma dignitate abdicato eam in alterum Gallum transferrent, quod tamen Romegaſſio ambitione caeco impoſuit; ſed ut commiſſis inter ſe Gallis, et divulſa eorum potentia, ipſi, qui bene ſecum conveniebant, in inſula rerum potirentur. Tunc princeps ordinis erat [f] Joannes Epiſcopius Caſſerius Arvernus, meritis ſuis et pietatis ac prudentiae opinione eam dignitatem adeptus; cui tamen a factioſis vitio datum, quod negligenter rempublicam curaret, ſacrum patrimonium dilapidaret; ac poſtremo ſumma calumnia et impudentia additum, illum cum Chriſtiani nominis hoſtibus occulta conſilia agitare: eoque audaciae ſive inſaniae factio excrevit, ut concurſu facto ipſum circumſiſterent; quos ille tumultuoſe adverſum ſe venienteis intrepido vultu excepit, neque

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *Pont St Eſprit.* [c] *Iſle de Malte.* [d] *de l'Eſcut, Sieur de Romegas.* [e] *grand maiſtre de l'ordre.* [f] *Jean l'Eveque de la Caſſiere Auvergnat.*

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III.

neque adduci potuit, ut terrore ab inimicis artificioſe injecto quidquam indignum tanto faſtigio admitteret; ſed rebellionem ac perfidiam illis in os exprobrans, ad extremum ſub cuſtodia in S. Angeli arcem truſus eſt, et Romegaſſius ſummus ordinis legatus creatus. Haud diu factum audaciae plenum latere potuit, quin ſciſſo factionibus equitum collegio fama ejus Romam, et inde mox in Galliam, emanaret; ubi rex Romegaſſium ab Hiſpanis, ut id auderet, ſubornatum interpretatus, qui domeſtica mala tam ſecure negligebat, minime periculum ſummi ordinis magiſtri contempſit; ſed miſſo Aemaro [a] Caſto ejuſdem ordinis equite et Jouſac proxima cognatione conjuncto, viro ſpectatae fidei et nominis Gallici perſtudioſo, primum apud pontificem egit, ut partes ſuas interponeret; communicatiſque cum Aloiſio [b] Ateſtino cardinali, ut dignitate, ſic fide ac moribus et praecipuo in Gallicum nomen affectu, conſiliis, minas occultas ſpargit; ac fore dicit, ſi lentius in eo negotio procedatur, ut rex Chriſtianiſſimus omne ſacrum patrimonium, quod equites Hieroſolymitani in regno ſuo poſſident, ipſe fiſco addicat, et commendatoribus beati Spiritus nuper a ſe inſtitutis attribuat. Is ſtimulus opportune additus, ut tarditatem aulae Romanae excitaret, et pontificem proprio periculo ad propulſandam alienam injuriam cogeret. Inde iter Melitam verſus proſequitur, minacia mandata a rege ad ſenatum equitum ferens. Interim ordinis princeps, de perduellionis crimine contra ſeditioſos equites proteſtatus, pontificem de injuria appellaverat. Itaque equites, intellecto regii legati adventu, magno conſenſu, etiam ii qui factioni Hiſpanae nomen initio dederant, jam poenitentia ſubeunte, ad captivum adeunt, et ſupplices ut magiſtratus priſtini inſignia capiat, et praeteritorum oblivionem ſanciat, petunt: verum ille, quam conſtantem ſe in injuria patienda praebuerat, tam in publica ejus ultione perſequenda pertinax, carcere exire recuſavit, antequam pontificius legatus, quem in itinere eſſe intellexerat, adveniſſet. Is erat Gaſpar [c] Vicecomes Rotae auditor; qui, ubi venit, prolatis pontificis mandatis, quibus, ſicuti ipſe per literas petierat, [d] magiſter Romam citabatur. Ille ſubito inſtructis IV triremibus, quamvis octogenarius, ſe mari cum CCC equitibus commiſit; et Neapolim prius deinde Romam appulſus inſigni ubique pompa excipitur; nam IↃ CCC equites in urbem venienti obviam proceſſerant. Ipſe ad aedeis Aloiſii Ateſtini cardinalis divertit, ubi ipſi et CCC equitibus quae comitibus hoſpitium paratum erat: et obſervatum eſt a curioſis eo tempore, plus CIↃ homines in magnificentiſſimi, qui hoc ſaeculo nati ſunt, principis palatio diverſatos fuiſſe; qui, pro conditione quiſque ſua, quandiu magnus magiſter Romae vixit, perquam honorifice habiti ſunt. Inde in Vaticanum perrexit, eodem, quo venerat, comitatu, et ad ejus ſpectaculum per vias paſſim occurrente plebe, ut triumphanti potius quam reo ſimilis per urbem incedere videretur. Ea pompa ad pontificem ab hoſpite ſuo deducitur; ubi cum in genua procumbens ejus pedes deoſculatus eſſet, habeo, inquit, omnipotenti Deo gratias, quod mihi, antequam vivis excederem, iſtuc aetatis, in qua beatiſſimorum apoſtolorum limina adire nulla ſpes erat, huc incolumi veniſſe contigerit; quod tanquam reo, hoc animum meum angit; quanquam nemo reus eſt, niſi qui ſibi male conſcius judicum conſpectum reformidat: ut autem ad te venirem, ſtatim ex quo inſidiis meorum petitus ſum, optavi et petii; et, accepto mandato, nulla mora interjecta neque valetudinis infirmae habita ratione, me in viam dedi, innocentiae meae lauream laturus; loquor ad te et ad homines, non crimina purgaturus: miles, eques, inculpate vixi; et, omnibus honoratiſſimae toto Chriſtiano orbe militiae

INTERPR. [a] *le commandeur de Chaſtes.* [b] *da Eſte.* [c] *Viſconti.* [d] *le grand maiſtre.*

militiae gradibus ac muneribus cum aliqua virtutis et integritatis laude decurſis, tandem merui, ut non prenſationibus ſed legitimis ſuffragiis in ordinis principem electus ſim: quod puero, adoleſcenti, viro, et jam inclinata aetate, minime improperatum eſt, id quomodo octogenario et propediem vitae rationem reddituro ſeni juſte imputari poſſit, tuae prudentiae et aequitatis erit conſiderare. Sic eſt, beatiſſime pater, vita mea longa pro crimine eſt; quae, mihi ipſi fortaſſe moleſta, ſpes eorum, qui me accuſant, nimis avidas remoratur. Factione, non criminibus, obruor: nam in hos canos vix eorum ſuſpicio cadit. Magiſtrum, non me, petunt adverſarii; et quidem ſçelerate petunt, dum feſtinato ordine ad illum pervenire cupiunt: cum vero id conantur, etiam hoc faciunt, ut nationem Gallicam ſemper bene concordem factionibus divellant, et per diſcordias imminentibus Turcis viam, non ſolum ad inſulam invadendam, ſed Italiam proximam vaſtandam, aperiant. Haec apud ſupremum aequitatis tribunal pro me dixiſſe ſatis eſt. Ad tuam porro prudentiam pertinet, concordiam in noſtro ordine maxime neceſſariam ſarcire, et publicam ſecuritatem, quae in meo periculo vertitur, contra pernicioſas factioſorum conjurationes aſſerere; meamque injuriam, cum tua ipſius et Chriſtiani orbis ſalute conjunctam, digna paſtorali faſtigio ſeveritate vindicare. Interim hunc ex mea calamitate fructum capio, quod optatiſſimo conſpectu tuo, quod alloquio, ac gratia, praeter ſpem frui licet; ut mihi mors amplius moleſta eſſe non poſſit, quando animam veluti in ſinu tuo deponere datur. Perorando ad extremum beati Simeonis [a] canticum uſurpavit, quod de ſe dici pontifex haud gravate tuliſſe viſus eſt. Tum ad eum converſus perbenigno vultu reſpondit, et laetari ſe adventu ejus dixit, nec temere de criminibus objectis cuiquam fidem habuiſſe; ac ſperaſſe, ut non ſolum ea coram diluere facilius poſſet, ſed conceptam de virtute ipſius ac probitate omnium opinionem praeſentia ſua confirmaret; ſolatuſque eum bono animo eſſe, et in pedes a cubiculariis erectum honorifico loco poſt quatuor cardinaleis (huic actioni duodecim interfuerant) ſedere juſſit: inde poſt varios et familiareis de itinere ſuo ſermones magiſter dimiſſus, et in hoſpitium eadem pompa reductus eſt. Paulo ante Romegaſſius ad urbem venerat; qui, cum ſummam ſolitudinem, contra quam ſperaverat, offendiſſet, factum ejus non ſolum aula Romana ſed etiam populo deteſtante; demum, poſt admiſſum facinus, magnitudinem ejus ſenſit, et privatum hoſpitium ſibi ſuiſque conducere coactus, cum non amplius eum ſe eſſe, qui fuerat, videret, plebis mirabundae, cum ad urbem antea itaret, occurſu circumfundi ſolitus, in magnum moerorem incidit; ex eo auctum, quod pontifex ſignificari ei paulo poſt curavit, non prius eum ad colloquium admiſſurum, quam ſolita demiſſione in principe ſuo ſalutando officio defunctus eſſet. Inde tanta animi aegritudine correptus eſt, ut, nequicquam ſolantibus eum amicis, vitam paucis poſt diebus cum morte mutaverit pridie Non. Nov. majore, quam venerat, pompa ad ſanctae Trinitatis templum ſepultus; quem altero poſt menſe anno exeunte ſecutus eſt magiſter ipſe: et ita finis juxta injurioſae et temere ſuſceptae accuſationi impoſitus fuit, magnaque moleſtia in lite hac decidenda curia Romana levata eſt, praepotente in ea Hiſpanorum et mediam ſe interponente factione; quibus ne diſpliceret pontifex, ex animi ſententia minime pronunciaturus credebatur. Poſt mortem magiſtri, ne ſciſſo collegio in electione novi motus exorirentur, pontifex quatuor equites nominavit, e quibus, magno omnium conſenſu, Hugo [b] Lupus Verdala Vaſco ordinis princeps

INTERPR. [a] *Nunc dimittis.* [b] *Loubens Verdale Gaſcon, grand maiſtre.*

CIƆ IƆ LXXXI.
HENRICUS III.

princeps electus eſt pridie Eid. Jan. ſexennio poſt in cardinalium collegium cooptatus. Is vero ſummum honorem deceſſori ſuo habuit, nec prius magiſtratum inire voluit, quam ei, licet a factioſis depoſitus eſſet, inſignia cum corona reſtituta eſſent; cum quibus, ab Ateſtino cardinali eadem munificentia, qua vivum complexus erat, etiam mortuum proſequente, cohoneſtatum corpus magno comitatu et honore in inſulam remittitur.

XXII. EODEM hoc anno III Non. Sept. Lutetiae obiit immatura morte Jacobus [a] Billius Prunaeus Sanmichaeliani coenobii in eremo antiſtes: vir non plus nobilitate, quam propria virtute ac vitae ſanctimonia, et doctrina ab omni fuco aliena, linguaeque Graecae exacta cognitione, clarus, quam in veteribus patribus illuſtrandis praecipue exercuit; qui, arthritidis doloribus attenuato corpore, fere in medio vitae curriculo, quippe vix XLVII annum ingreſſus, in eadem, qua vixerat, pia animi tranquillitate ad Deum migravit. Poſt quem commemorandus venit, longe diſpar et pietate et ingenio, ſed fortaſſe haud minore fama, Gulielmus [b] Poſtellus, [c] Barentoni vico in Neuſtria loco ignobili natus; qui philoſophiae et mathematicarum artium ſtudia primum profeſſus, et inde longinquis peregrinationibus linguarum externarum ac maxime [1] orientalium cognitionem adeptus, innumera exotici guſtus ſcripta paſſim in Italia, Germania, et apud nos, edidit; et cum Venetiis eſſet, virginis vetulae cujuſdam familiaritate uſus, in errorem delirum juxta ac deteſtandum de foeminei ſexus ſalutari reparatione, nondum conſummata, incidit; quem, domum reverſus, inter praelegendum publicavit et defendit: verum accuſatus a theologis, et a magiſtratu increpitus, tantum pro poena omni praelectionum uſu ad tempus interdictus eſt. Sed cum rurſus praelegendi pruritu tangeretur, retractationem libello ad reginam parentem directo anno hujus ſaeculi LXIV complexus eſt; qua non tam errorem fatetur, quam interpretatione per fanaticos ſenſus detorta eludit: rurſuſque, dum mathematica rudimenta, quod illi permiſſum erat, auditoribus publice interpretaretur, eandem quaeſtionem repoſuit; ob quam, interdicto [α] plane in poſterum publicarum praelectionum uſu, in [d] monaſterium Sanmartinianum Lutetiae relegatus eſt; ubi centenario proximus, et, ut ipſe credi volebat, impollutam a congreſſu venereo naturam profeſſus, cui robuſtae adeo ſanitatis conſtantiam tribuebat, tandem quarto poſt Billium die deceſſit. Nec praetermitti debet Hubertus [e] Languetus [f] Vitellii in Heduis natus, vir doctiſſimus et humaniſſimus, ac rerum Germaniae, in qua fere totam vitam contrivit, et ubi mihi arcta cum eo amicitia fuit, peritiſſimus, et ſummus Joachimi Camerarii amicus; qui, cum Auguſto Saxoni ſeptemviro operam ſuam addixiſſet, et praecipui conſiliarii officio apud eum diu defunctus in ſuſpicionem veniſſet, quaſi epexegeſis de coena Domini a Gaſpare [g] Peucero et aliis juxta Helveticam confeſſionem diſſeminatae conſilio participaſſet, ab ea aula diſceſſit, et ſe ad Arauſionenſem contulit; apud quem dum graviſſimis negotiis explicandis, quibus par illius animus erat, ſedulo incumbit,

VAR. LECT. [α] plene. *D.* f. d.

INTERPR. [a] *de Billy de Prunay, abbé de St Michel en l'Herm.* [b] *Poſtel.* [c] *Barenton en Normandie.* [d] *Prieuré de St Martin.* [e] *Languet.* [f] *Viteaux en Bourgogne.* [g] *Peucer.*

NOT. [1] Plurimos libros in Arabum lingua conſcriptos ex peregrinationibus ſuis huc advexit; quorum praecipui erant libri hiſtoriarum Ciaferi Perſae, res geſtas Iſmaelitarum annis DCCC complectentes, et coſmographia Abelfedeni Meſopotamiae principis; ſed hujus operis eximii ſupereſt duntaxat partis orientalis Aſiae deſcriptio, quam ipſe, ut olim Ptolemaeus, ſecundum longitudines et latitudines deſcripſit; quod ſummo univerſi occidentis commodo vertit: ſed horum librorum et quamplurimorum aliorum exemplaria αὐτόγραφα extant in bibliotheca illuſtriſſimi ducis Bavariae: hos etenim libros idem Poſtellus, anno MDXLIX, Othoni Henrico tunc Bavariae duci in ducentos aureos nummos oppignoravit. *Put. L.*

incumbit, morbo correptus anno climacterico ſuo pridie Kal. Oct. Antuerpiae deceſſit. Ante Languetum Andreas [a] Papius Gandenſis, utriuſque linguae ac muſicae poeticaeque periti[ſſ]imus, quod pauca ejus ſcripta apud poſteritatem teſtabuntur, Laevini [b] Torrentii ſummi et dignitate et eruditione viri ex ſorore nepos, [c] Leodici, dum per caniculae aeſtus nocte ſilenti corpus natatu in fluvio ſubjecto exercet, meando remeando tandem fatiſcens, admodum juvenis defecit; triduo poſt ad beati Lamberti, cujus collegii [d] ſodalis erat, ſepultus, et a Jano Gulielmio collega veris lachrimis deploratus. Poſt hos Petrus [e] Ciaconius, [f] Toleti in Carpetanis natus, Romae ultimum diem clauſit VII Kal. Nov. aetatis anno LVI, in beati Jacobi aede, cui inſtructiſſimam bibliothecam legavit, ſepultus; vir exquiſita in omni ſcientiarum genere, antiquitatis, et omnis politioris literaturae, cognitione clarus; et quem unum video ex omni literatorum, qui aevo noſtro innotuerunt, numero, qui Aemaro [g] Ranconeto noſtro comparari poſſit: nam nihil fere vivens ſcripſit, et pauca poſt mortem ab amicis edita exſtant; ſed crebra illius et honorifica in alienis ſcriptis mentio exactae et reconditae ejus, ut et in Ranconeto, doctrinae apud poſteros fidem facit. Nunc ordine Italos recenſebimus; ac primum inter eos Joannem Baptiſtam [h] Camotium Aſulanum, ex vetere in eo oppido familia ortum; qui linguarum etiam orientalium cognitione inſignis, ac Graecae prae aliis periti[ſſ]imus. Cum medicinae operam dediſſet, omiſſis ejus experimentis, ſub Julio III [i] Bononiae in ſchola Hiſpanienſi publice philoſophiam profeſſus eſt; dein ſub Paulo IV [k] Maceratae in Piceno eandem profeſſionem exercuit; poſtea a Pio IV Romam evocatus patrum Graecorum ſcriptis interpretandis incubuit; ac tandem hoc anno XIII Kal. Apr. in urbe, anno aetatis LXVI, e vita demigravit, Timotheo filio ſuperſtite. Multa ſcripſit, ex quibus tantum orationes ſparſim variis temporibus habitae, dum vixit, editae; et commentarii Graeci in metaphyſicam Theophraſti, et tranſlationes e Graeco pleraeque: plura non edita, quorum indicem ad me Italia tranſmiſſum longum eſſet et ad rem ſuperfluum heic inſerere. Romae paulo poſt deceſſit anno ſuo climacterico, et ad S. Salvatoris Laureati ſepultus eſt, Hubertus [l] Folieta, [m] Genuae natus; vir Latine ſcribendi facultate praeſtans, et in literario otio elati animi; qui, exortis in ſua republica turbis, novam, nec aequiorum judicio abſurdam, de nobilium et plebeiarum familiarum diſtinctione ſententiam cum invexiſſet, dialogis duobus ea de re lingua populari publicatis, immane quantum in ſe nobilium invidiam concitavit: de cetero, multa elegantiſſime et acri judicio ſcripſit, partim ab ipſo particulatim publicata, partim poſt ejus mortem a Paulo fratre edita, quae ſimul edi publice intereſt. Is unus noſtro aevo dignus fuit, qui, ſicuti ſpem fecerat, hiſtorias ſui temporis Pauli Jovii veſtigiis inſiſtens perſequeretur: verum per particulas earum potius guſtum dare, quam continuum opus pertexere, eum in animo habuiſſe crediderim; quippe cum ea, quae dedit, tam diffuſa ſint, ut, ſi eadem ubertate et copia cetera ſcripſiſſet, res procul dubio in immenſum excreviſſet. Multa ex eo cum operi huic inſeruerim, ac plerunque verba ipſa, nam qui meliora potuiſſem? non ſolum ingenue id profiteri, ſed ejus memoriam digna recordatione heic recolere, officii mei eſſe duxi. Poſt Folietam Lucas [n] Paetus juriſconſultus, Romae honeſto loco natus, in patria denatus eſt VIII Eid. Oct. ad S. Nicolai in carcere Tulliano ſepultus, in proprio ſacello, cum annum aetatis LXIX attigiſſet. Puriorem

antiquitatem

INTERPR. [a] *Papius de Gand.* [b] *Torrentin.* [c] *Liege.* [d] *Chanoine de St. Lambert.* [e] *Chaccon.* [f] *Tolede dans la nouvelle Caſtille.* [g] *Ranconnet.* [h] *Camotio, natif d'Aſolo au Treviſan.* [i] *Bologna.* [k] *Macerata nella marca d'Ancona.* [l] *Foglietta.* [m] *Genoua.* [n] *Pæto.*

CIↃ IↃ LXXXI. HENRICUS III. antiquitatem et meliorem literaturam ad juris civilis interpretationem attuliſſe creditus; pauca tamen in eo genere praeſtitit, et hanc palmam noſtris hominibus reliquit. Profeſſionis conjunctione Paeto accenſebitur Joannes [a] Fichardus, qui [b] Huldrico Zazio, maxime illuſtri inter Germanos juriſconſulto, [c] Friburgi Briſgoiae operam dedit; dein [d] Patavii et Bononiae eandem ſcientiam profeſſus: Francofurtum, quae illi patria erat, reverſus, in eaque urbe ſyndici munere XLIV annos magna fidei et induſtriae laude functus, ibidem ſeptuagenarius deceſſit; et a Bernardino Rutilio vitas veterum juris ſapientum deſcriptas ad ipſum Zazium uſque perſecutus eſt; hoc certe facto meritus, ut qui tot clarorum virorum memoriam in occulto latere paſſus non eſt, ſilentio minime praetereatur. Abſtulit et hic annus Franciſcum [e] Portum, [f] Creta, nobiliſſima mediterranei maris inſula Venetae ditionis, ortum, Graeciae ſuae magnum noſtra aetate ornamentum; qui in Renatae Ludovici XII filiae et Herculis II Ferrarenſium ducis uxoris familia quaſi educatus, etiam Ferrariae literas Graecas profeſſus. Poſt Herculis mortem Renata in Franciam reverſa Italiam reliquit; et, ut liberiorem doctrinae, quam in Renatae comitatu imbiberat, profeſſionem haberet, [g] Aureliam Allobrogum conceſſit; et voce ac ſcriptis Graecos auctores interpretatus, ad ſeptuagenarium annum vitam produxit, in eaque urbe defecit; a Theodoro Beza, cum quo conjunctiſſime vixerat, carmine epitaphio laudatus. Annum clauſit Franciſcus [h] Venerius patritius Venetus, qui philoſophicis ſtudiis innutritus in adoleſcentia, de voluntate, de anima, de fato, vernacula lingua commentarios edidit; deinde in republica ſua honores magna integritatis et prudentiae laude geſſit; et jam ſenex Patavinae academiae inſtaurandae praepoſitus, editis poſtremo de generatione ſcriptis, ad meliorem vitam migravit.

INTERPR. [a] *Fichard.* [b] *Hulrich Zazius.* [c] *Fribourg en Briſgaw.* [d] *Padoua & Bologna.* [e] *Porto.* [f] *Candie.* [g] *Geneve.* [h] *Veniero.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

A*RTURI Coſſaei E. T. obitus. Meduanius exercitui praepoſitus ad belli reliquias in Allobrogibus profligandas. Edictum in Proteſtantium gratiam denuo confirmatum.* II. *Ordinis ſacri a conventu delegati ad regem veniunt, et luculenta Reginaldi archiepiſcopi Bituricenſis oratio, qua Tridentini concilii promulgationem urget; de qua rex ſe excuſat. De electionibus item altercatum, non ſine mutua offenſione: de cetero, benigno cum reſponſo delegatos dimittit. Edicta gravia in ſenatu, curia vectigalium, publicata.* III. *Expeditio in Aſſoras a Philippo et Antonio ſuſcepta. Inſularum ſitus, numerus, deſcriptio.* IV. *Ad Tertiam, amoto Figeredo, Emmanuel Silva Turrisviridis comes magno errore ab Antonio miſſus. Ejus cum Landereo noſtrate diſſidia.* V. *Philippi claſſis, et noſtra duce Philippo Strozzio, confligunt. Strozzius fortiter pugnando vincitur, et ſemi-mortuus in manus hoſtium venit.* VI. *Santacrucii in captivos et dedititios ſaevitia. Galli, frémente Hiſpano milite, in S. Michaelis inſula* CCC *circiter ſupplicio adfecti.* VII. *Indicae claſſis ad Santacrucium adventus et ſalutatio.* VIII. *Antonius e Tertia in Galliam profugit.* IX. *Didaci principis Hiſpaniarum, Albani, et Sanctii Avilae, deceſſus.* X. *In Luſitanos ſacerdotes, ſeu monachos, exercita a Philippicis ſaevitia. Exequiae regis Sebaſtiani peraguntur.* XI. *Andini e Britannia in Belgium adventus; Antuerpiae ſolemnis inauguratio: de ſupplendo aerario conſultatio.* XII. *In Flandria regii caeſi; in Atrebatibus Lentium interceptum. Farneſius, capto ſuperiore anno Tornaco, occaſionem capit militis externi conſcribendi.* XIII. *Inſidioſus contra Arauſionenſem conatus. Ejus ratio et executio. Joannes Jaureguius patrator captus, et cum aliis conſciis ſupplicio adfectus. Arauſionenſis ex vulnere convaleſcit, et Carlota Borbonia uxor ex pavore et vigiliis moritur.* XIV. *Aldenarda a Farneſio capta. Aloſtum a Gallis interceptum; iſque caſus, arce Gaesbekana a regiis itidem intercepta, penſatus. Dunkerka irrito conatu tentata.* XV. *Lira aſtu a Semplio Scoto prodente capta. S. Bernardi coenobium ampliſſimum, ob viciniam Lirae captae, demoliuntur Antuerpiani.* XVI. *Nicolai Salſedae conjuratio. Confeſſiones quibus multos involvebat, et ſupplicium.* XVII. *Chriſtophori Thuani praeſidis primarii mors: ei ſuffectus Achilles Harlaeus, tanto magiſtratu digniſſimus ſucceſſor.*

EX AUCTORIBUS,

Actis publicis, Actis curiae Pariſienſis et vectigalium, H. Fr. Conneſtagio, Ant. Errera, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Actis probatoriis et confeſſionibus.

LIBER SEPTUAGESIMUS QUINTUS.

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

ANNI ſequentis, alioqui variis caſibus memorabilis, initium funeſtum fuit morte Arturi [a] Coſſaei equitum tribuni, viri virtute militari, cujus primum periculum ſub Briſſaco fratre [b] Subalpinis bellis [1] famoſo duce fecerat, et longa rerum experientia clari; qui [c] Gonnorii in Andibus, ſeptuagenario major, VI Eid. Jan. mortalitatem exuit. Is [d] Aureliani, Bloeſarum, Andium, Turonum, Cenomanorum, et Carnutum, praefectus fuerat: et Turones quidem, Andes, et Cenomani, poſtquam eae provinciae a rege Franciſco fratri ante quinquennium ad portionis hereditariae amplificationem aſſignatae ſunt, ab ea praefectura avulſi fuerant, et ſingulis praefectis a Franciſco attributae: poſt mortem vero Coſſaei, Aureliani et Bloeſarum praefectura, cum Carnutibus et [e] Lovioduno, in Philippum [f] Huraltum Cevernium procancellarium a rege collata eſt. Belli reliquiae nondum in Delfinatu compoſitae erant; et metus erat, ne negligentia latius malum ſerperet: itaque deſtinatus in eam provinciam Carolus Lotaringus [g] Meduanae dux, cujus moderationem rex, inter cunctos illius familiae proceres, et aequitatem magis probabat. Horum cum in bellis opera ſibi neceſſario utendum videret, ſpreto Henrico Guiſio fratre, cujus ambitio ei ſuſpecta erat, pro arcano rex habebat Meduanium exercitibus praeponere: verum veritus ne ex ejus in Delfinatum profectione res in aliis provinciis turbarent, quaſi ad edicta convellenda, et non confirmanda, potius Meduanius mitteretur, edictum, cum ad [h] Mauri Foſſatenſis fanum eſſet, IV Kal. Quintil. propoſuit; quo declarabat ſuae voluntatis eſſe, ut edicta in Proteſtantium gratiam facta ſervarentur, cuncti juxta ea pacate viverent, nec vano metu proinde ullibi turbae excitarentur.

II. INDE [i] Fontembellaqueum venit, dum conventus ſacri ordinis permiſſu ejus Lutetiae haberetur; a quo delegatus ad ipſum Reginaldus [k] Belnenſis archiepiſcopus et patriarcha Bituricenſis, Aquitaniae primas; qui, in comitatu Arnoldi [l] Pontaci Vaſatenſis et Claudii [m] Angenei Noviodunenſis epiſcoporum, qua erat facundia et doctrina praeditus, gravem orationem habuit XVI Kal. Sextil. qua ante omnia ſacrum ordinem regi commendavit, et deceſſorum ſuorum exemplis eum ad pietatem hortatus eſt; nam tamdiu felices fore reges, quandiu in Deum pii, in eccleſiam et eccleſiae miniſtros munes eſſent. Id Philippi [n] pulchri, qui privilegia ſacri ordinis aut labefactavit aut plerunque abolevit, exitu patere; cujus poſteritas abſque maſculis heredibus deceſſerit, tranſlata in [o] Valeſiorum familiam regni ſucceſſione; qui, ob contrariam cauſam, quod benefici erga eccleſiam fuerunt, huc uſque feliciſſime regnaverint. Tum concilii Tridentini, ad conſtituendam religionem et diſciplinam in domo Dei ſarciendam, publicationem urget; quod, praeſentibus et inſtantibus Caeſaris et omnis orbis Chriſtiani principum oratoribus, celebratum ſit, et cui religioſe ſervando

ſe

INTERPR. [a] *le mareſchal de Coſſé.* [b] *de Piedmont.* [c] *Gonnor en Anjou.* [d] *Orleans, Blois, Anjou, Touraine, le Maine, & pays Chartrain.* [e] *Loudun.* [f] *Hurault, Sieur de Chiverny, garde des Sceaux.* [g] *Mayenne.* [h] *St Maur les Foſſez.* [i] *Fontainebleau.* [k] *de Beaune, archevêque de Bourges.* [l] *le Pontac, evêque de Bazas.* [m] *d'Angennes, evêque de Noyon.* [n] *le bel.* [o] *de Valois.*

NOT. [1] Il n'y a que Tacite & Pline le jeune qui ſe ſervent de ce mot au ſens de M. de Thou: le ſiecle d'or de la langue Latine s'en ſert toujours au contraire en mauvaiſe part. *Put. L.*

ſe regis ipſius legati jurejurando obligaverint. Nec vero bonas leges ſatis eſſe, niſi et magiſtratus pari probitate iis praeſint. Eos eſſe praeſules, quos rurſus non ſolum vitae ſanctitate praeſtare oporteat, ſed ad mores accedere debere doctrinam, prudentiam, linguarum ſcientiam, et dicendi facultatem, ut populum docere et publice alloqui cum fructu valeant. Purgandas item et abolendas nundinationes, turpia lucra, fiducias, illicitas pactiones, penſiones privata auctoritate impoſitas, et quae plurima monſtra pravo uſu ac ſaeculi ſeu bellorum licentia in eccleſiam irrepſerunt: quod ut commode fiat, quam demiſſe poſſunt regem cunctos orare, ut antiquam electionum libertatem in primariis ſacri ordinis dignitatibus reſtituat, abdicato a ſe nominationis jure. Id Ludovicum IX optimum et ſanctiſſimum principem vidiſſe; qui, allato a pontifice diplomate, quo ei nominandi jus in epiſcopatibus, quod majores ſui diu ante uſurpaverant, tribuebatur, non ſolum illud recuſavit, ſed diploma concerpi et exuri, magno pontificis dedecore, juſſit; addito, nolle ſuas in dijudicandis iis partes interponere, qui animae ſuae ac conſcientiae judices eſſent a Deo conſtituti, et in quos judicium penes ſolum Deum et eccleſiam eſſet. Tum, deplorata ſacri ordinis veluti in praedam expoſiti calamitate, novum decimae nuper imperatae onus et ſolidariam ejus exactionem deprecatur; alioqui fore dicit, ut contractui cum rege et Pariſienſi civitate inito, pro grandi illo vectigali annuo, ſatisfieri non poſſit, et curiones greges ſuos et curam paſtoralem deſerere cogerentur. Ad extremum rex oratur, ne vivorum beneficia, quae vocant, morbi aut alterius cujuſcunque cauſae praetextu, cuiquam concedat, ne mortis votum inducatur. Haec monita, ſive poſtulata, a viro in aula educato ac prudenti copioſe et eleganter illuſtrata ac pronunciata, non utique conſimiliter ab aſſiſtentibus accepta ſunt: nam alii actionem ſupra modum laudabant, cujus eum eventum ſperabant, ut cum rex petitionibus tam juſtis nullo pacto ſatisfaceret, ex eo in invidiam majorem incurreret, opportunitaſque res novas molientibus ex repulſa illa ad ſolicitandum ſacrum ordinem praeberetur. Contra, quidam improbabant, quod in actione illa orbitatem Philippi pulchri filiorum et infelicitatem ademptis eccleſiaſticorum privilegiis et immunitatibus aſſignaret: nam nullum prudentiorem regem, nullum pro libertate eccleſiae Gallicanae et nominis Francici dignitate magis ſtrenue pugnaſſe. Id vero non ſatis bona fide a Bituricenſi additum, ad ſuadendam Tridentini concilii promulgationem, quod oratores regii ad id jurejurando ſe obligaſſent; cum contra conſtet, eos contra concilium proteſtatos eſſe, et poſt proteſtationem cum Venetias ſeceſſiſſent, regem ratam actionem habuiſſe, nec ab eo tempore illos Tridentum revertiſſe. Interea cardinalem Lotaringum, ut gratiam a praefeſtinante pontifice iniret, pro aliquot capitibus a legatis pontificiis in regis et eccleſiae Gallicanae praejudicium directe propoſitis generalem clauſulam interponi curaſſe, quae oblique idem complecteretur; et ita finem concilio, minime tamen revocata noſtrorum oratorum proteſtatione, impoſitam eſſe. Inter hos pugnanteis animorum affectus et diverſa de hac actione judicia, plures erant, qui non tam aut fidem aut aequitatem in Bituricenſi deſiderarent, quam ex praeſcripto dicere coactum excuſarent: rex vero coram regina parente, Borbonio, Guiſiano, is erat Ludovicus Lotaringus nuper in collegium cooptatus, et Birago cancellario, cardinalibus; [a] Monpenſerio, Guiſio, Meduanio, Mercuriano, Jouſa, ducibus; Chevernio procancellario, ſacri ordinis ſibi praecipuam curam, ſicut antea ſemper fuerit, porro fore, et ad eorum poſtulata brevi ſe reſponſurum, dixit. Itaque quinto poſt die admiſſis

INTERPR. [a] *Ducs de Monpenſier, Guiſe, Mayenne, Mercœur, & Joyeuſe.*

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III.

admiſſis delegatis, cum, de aerarii anguſtia et regni neceſſitatibus multa praefatus, eo anno ſibi neceſſariam decimae exactionem oſtenderet, et in poſterum melius de benignitate ſua eos ſperare juſſiſſet; quod ad concilium, cum ſenatu, cujus praecipua de ea re cognitio ſit, ſe acturum recepit. De electionibus aliquandiu altercatum fuit: et, cum excuſante ſe rege nihilominus delegati conventus nomine inſtarent, ille commotior; atqui ſi electiones locum habuiſſent, inquit, multi eorum, qui tantopere pro iis pugnant, ea dignitate minime praediti nunc inter vos comparerent. Ita dimiſſi delegati, rege nullas excuſationes admittente, quominus decima eo anno exigeretur; quae tamen cum ſumptibus extraordinariis minime ſuffectura eſſet, inventae et aliae rei nummariae expediendae rationes; edictaque paſſim ad [a] ſenatum et rationalium ac vectigalium curias miſſa, et, juſſionibus repetitis, tandem eo anno promulgata ſunt, magno plebis et omnium ordinum fremitu ac detrimento. Nam rex, qui privatis affectibus ſtuderet, et inde bello Belgico, quamvis invito ſe a fratre ſuſcepto, nec non expeditione reginae parentis inſtigatu pro Luſitano regno temere et tumultuoſe parata, gravaretur; nihil ſatis eſſe poterat, unde tot ſumptibus ſatisfieret.

III. De Luſitana expeditione, antequam ulterius progrediar, ut primum dicatur, rerum ordo exigere videtur. Philippus ſuperiore anno Luſitani in Hiſpania regni poſſeſſionem vi, ſed fere citra negotium, adeptus, in eo erat, ut res in provincia ordinaret; et, quia varia erant ejus ordinum poſtulata, tum innumerae privatorum flagitationes, duos, quos dixi, [b] Leirienſem epiſcopum et Chriſtophorum Moram, huic negotio praefecerat. Plerique etiam ex nobilitate et iis qui Philippo operam navaverant, in magnam praemiorum et beneficiorum ac dignitatum a munificentiſſimo principe accipiendorum ſpem venerant; et importunis petitionibus novi regis aureis fatigabant, fidemque ejus ac miniſtrorum, prolatis eorum ſchedis, appellabant: qua moleſtia ut ſe ille exoneraret, ad tribunal, quod conſcientiae menſa vulgo appellatur, et in quo religionis negotia agitari ſolent, eos remiſit; callidoque magis, quam tali faſtigio digno, commento, avaras credulorum hominum et meritis temere fidentium preces eluſit. Sic enim judices delegati ex compacto cum iis agebant: nam aut de jure Philippi in legitima Luſitani regni ſucceſſione inſtructos ex animi ſententia, et prout jure divino et humano obligati erant, fidem et operam ſuam ei addixiſſe; aut contra animi ſententiam, cum alios in jure ſucceſſionis potiores putarent, tamen ſpe praemiorum aut metu ejus potentiae eidem Philippo militaſſe, aut alia ratione opera ſua inſerviiſſe: et priore caſu, minime ex neceſſitate obligari regem ad promiſſa praeſtanda; praeſertim cum, exhauſto ſuperiorum temporum calamitatibus regno, citra populi perniciem, cujus levamento bonus princeps ante omnia ſtudere teneatur, tanta pecunia exſolvi nequeat; et, impendente undique ab hoſtibus periculo, ea potius in belli quam privatorum uſus ſeponi debeat: altero caſu, non ſolum non teneri regem, verumetiam ne promiſſa praeſtentur religione prohiberi; quippe ipſos indignos eſſe qui ea petant, ut qui contra animi ſententiam et pretio corrupti, ei, quem legitimum regni heredem minime exiſtimabant, fidem et operam ſuam, ſumma perfidia contra patriam, addixerint. Ita miſeri a conſcientiariis illis judicibus non ſolum deluſi, ſed contumelioſe cum rapacitatis et proditionis nota dimiſſi ſunt. Fiduciariae tamen dignitates, beneficia, et alia ejuſmodi praemia, inter quoſdam diviſa a Philippo, judicii per ea mitigati gratiam aucupante; quam tamen minime propterea conſecutus eſt: quippe cum pauci eſſent, qui ea acciperent; ſicque illi interpretarentur,

non

INTERPR. [a] *le parlement, chambre des comptes, & cour des aydes.* [b] *de Leyria.*

non tam meritis ipſorum ea dari, quam id Caſtellenſium aſtu agi, ad alendam inter proceres aemulationem, et ex ejus occaſione partes in regno novo fovendas. Qui vero non acceperunt, qui plures erant, non tam ſe praemiorum ſpe fraudatos, quàm alios ſibi praelatos, dolebant: nam ita eſt Luſitanorum ingenium, ut bonis alienis potius invideant, quam damnis propriis tangantur. Sed haec mala, quae tempore langueſcere et corrigi poſſe ſperabat, rerum in Luſitania potitus facile contemnebat Philippus; de inſulis et Indicis provinciis, quibus fere regni Luſitani opes conſtant, magis ſolicitus; ac de [a] Aſſoris praecipue. Eae a genere [1] avium rapacium vocatae, quaſi Accipitrarias dicas, et Caſſiterides olim, ut quidam putant, cognominatae, in mari Atlantico ab ortu occaſum verſus navigantibus occurrunt, ſub altitudine XXXIX, XXXVIII, et XXXVII graduum; a [2] Betencurio noſtrate primum detectae, et Luſitanis venditae ante novum orbem a Chriſtophoro Columbo luſtratum, ſicuti alias diximus. Numero ſunt IX. Prima S. Mariae nomine indigitatur, admodum exigua; quae a S. Vincentii promontorio CCXLII leucis abeſt. Supra eam XV leucarum diſtantia apparet ſancti Michaelis inſula dicta, in qua omnium illarum inſularum epiſcopi ſedes eſt; omnium maxima, in longum porrecta, XXXVII leucas ambitu complectitur: et LX CIↃ abhinc paſſuum ſpatio, ſive XXX leucarum, occaſum verſus, [b] Tertia; inde dicta, quod tertia ſit ordine ex Hiſpania venientibus, quae XVI leucas cum ſemi in circuitu habet, frumenti et fructuum admodum ferax, nec vini omnino ſterilis: copioſa in ea rubia naſcitur, tingendis pannis idonea: primaria ejus urbs eſt Angra, in ſinu commodo ſita, qui [c] Brazilio promontorio tanquam propugnaculo firmiſſimo tegitur. Quarta S. Georgii nomen ſortita eſt, a Tertia VIII leucis diſſita: circa quam ſunt ad ſeptentrionem [d] Gratioſa, quae a Sangeorgiana VI leucis abeſt, ita ob amoenitatem dicta; ad occaſum [e] Fagina, a [3] faginis lucis appellata; et [f] Pica, a monte, qui III CIↃ paſſuum altitudine in ea aſſurgit, intus ſpelaeis excavatus, ac nonnunquam inſtar [g] Aetnae Siculae flammas ejaculari conſpicitur, ſic dicta. Minima omnium hinc longe XXXV leucarum ſpatio diſſita [h] Corvina; et ultima [i] Florida: quae duae, leucae et ſemi ſpatio a ſe invicem diſtantes, ad occaſum magis vergunt. Naves Indicis mercibus onuſtae fere ad has inſulas in reditu ſolent appellere, priuſquam Oliſſiponam aut Gadeis contendant; ideoque magnum ad navigationes illas longinquas momentum habere creduntur. Navigantibus autem illac mirum quiddam accidere narratur; ut, cum ex Hiſpania venientes et in Americam tendentes [k] Accipitrarias a tergo reliquerint, continuo a cimicibus, pulicibus, pediculis, et hujuſmodi homines infeſtante peſte, liberentur; quae, poſtquam illas praetervecti ſunt, ſtatim extinguuntur. S. Michaelis inſulam in Philippi fide ſervaverat epiſcopus; Tertiam Antoniani tenebant: quibus duabus qui potitur, ceteras in poteſtate habet.

IV. POST cladem ab Hiſpanis ad Tertiam ante aliquot menſeis acceptam, Cyprianus [l] Figeredus, qui Antonii nomine inſulae cum ſummo imperio praeerat, quorſum

INTERPR. [a] *Iſles Açores.* [b] *la Tercera.* [c] *Cap de Brazil.* [d] *la Gracioſa.* [e] *Iſla del Fayal.* [f] *Iſla del Pico.* [g] *Mont Gibel.* [h] *del Cuervo.* [i] *Iſla del Flores.* [k] *les Açores.* [l] *de Figueredo.*

NOT. [1] Açor en Eſpagnol c'eſt un Autour. *Put. L.*

[2] *Lege* a Belgis, ſive, ut alii volunt, Luſitanis, anno CIↃ IↃ V *primum* detectae. M. de Thou s'eſt abuſé; car ce fut Bethencourt qui découvrit les Canaries, & non point les Açores découvertes depuis par les Flamands, ou Portugais, l'an CIↃ IↃ V ſelon Marmol; & ce Bethencourt ne vendit point les Canaries aux Portugais: mais bien ſes heritiers les vendirent aux Caſtillans. *Put.*

[3] de Faya, qui ſignifie un Heſtre en Eſpagnol. *Put. L.*

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

quorſum plebis atque adeo ſacerdotum et monachorum intemperies evaderet, dubius; res, qua erat prudentia, ad moderationem reducere ſatagebat. Itaque auctor fuerat [a] Angrenſibus, ut cum Jeſuitis, quos arcte intra clauſtra concluſos diximus, et cum Joanne [b] Betencurio, mitius agerent: quae res turbidis ingeniis ſuſpicionem fecit, quod tepidius in eo negotio verſari videretur, quaſi Philippi partibus in occulto faveret. Proinde, cum inſulani minus ejus dictis audientes eſſent, Figeredus inſolentiae illorum, de qua male ominabatur, pertaeſus, ad Antonium, qui in Gallia erat, dat literas, et quo ſtatu res ſint eum edocet; additque, providere ſe, niſi ipſe quamprimum ad inſulam jam paene deſolatam veniat, ut res inſania quorundam, ex affectibus privatis eventus metientium, in pejus ruant. Eodem tempore ſeditioſi illi fraterculi, quos dixi, ad Antonium itidem ſcripſerunt, et multa in Figeredi invidiam per emiſſarios miſero regi ſuo inſuſurraverunt; quibus ei Figeredi fidem ſuſpectam plane reddebant. Itaque ille, ab iis qui circa ipſum erant perſuaſus, confeſtim eo Emmanuelem [c] Silvam Turris-viridis comitem nuper creatum mittit, hominem ſibi gratioſum; cum pleniſſimis mandatis, ut, depoſito Figeredo, ſummum toto illo tractu imperium acciperet. Juvit turbidorum ingeniorum contra Figeredum conjecturam, quod, antequam Silva in inſulam veniſſet, navis farina onuſta in Braſiliam deſtinata cum [d] Tertia ſolviſſet, quaſi ventis abrepta, contrario curſu [e] Oliſſiponam contenderit. Itaque, hinc ſecretorum cum Philippo conſiliorum fide facta, Figeredus, mox ut Silva venit, magiſtratu deponitur; et Silva, qui, praeter Luſitanos fere tirones, tantum CCC Gallos duce N. [f] Carlo Burdigalenſi, et totidem Anglos ab Antonio nuper miſſos, circa ſe habebat, res ad inſulanorum arbitrium adminiſtrare coepit. Interea cuncta in Hiſpania ad bellum comparantur. Diu in Philippi conſilio altercatum fuit, an ad Tertiam in poteſtatem redigendam eo anno claſſis ducenda eſſet: nam alii, rei difficultatem in praeſens cauſati, famae inſiſtendum ſentiebant, et expectandum, dum, tepentibus Gallorum, qui in armis eſſe nunciabantur, conſiliis, majore mole atque adeo totis viribus res tutius poſtea tentaretur: alii contra cenſebant, et, antequam Galli et Angli illis in inſulis ad navigationem Indicam adeo opportunis ſe muniviſſent, expeditionem ſuſcipiendam eſſe, nec citra magnum periculum differri poſſe, oſtendebant; quae ſententia vicit. Itaque datum negotium [g] Ferdinando Toletano priori, [h] Albani notho filio, ut intra [i] Durium et Minium delectus haberet. Miſſus [k] Santacrucius marchio [l] Hiſpalim, qui claſſem inſtrueret; ad eum convenire juſſis ex [m] Cantabria XVIII navibus. Mandatum et Neapolitano proregi et Mediolanenſis imperii gubernatori, ut VI CIↃ peditum Italorum conſcriberent. Conſcripta et X CIↃ Germanorum; ſparſa fama, quaſi in Belgium Itali et Germani deſtinarentur. S. Michaelis inſulam tenebat Ambroſius Aguiar cum majore navi armata; cui ſubſidio a Philippo miſſus Petrus [n] Pixotus cum V navibus, quae ad civitatem inſulae S. Michaelis paulo poſt appulerunt. Antonius a regina claſſem auxiliarem impetraverat, huicque ſummus dux deſignatus Philippus Strozzius, homo probus et Gallici nominis ſtudioſiſſimus; qui a patre quaſi traditum odium contra Hiſpanos ſervabat, nondum extincto injuriae graviſſimae Philippi avi ab Hiſpanis indigne proditi morte olim acceptae ſenſu. Plures et huic militiae ex primaria nobilitate et juventutis Gallicae flore nomen dederunt. Dum claſſis Burdigalae inſtruitur, ne inſulani interim animis deficerent,

praemiſſus

INTERPR. [a] *d'Angra.* [b] *de Bethencourt.* [c] *de Silva, comte de Torres-vedras.* [d] *Tercera.* [e] *Liſbonne.* [f] *le Sieur de Carle de Bourdeaux.* [g] *el grand prior Don Hernando de Toledo.* [h] *Duc d'Alva.* [i] *Duero & Miño r.* [k] *de Santa Cruz.* [l] *Seville.* [m] *Biſcaye.* [n] *Peixoto.*

praemiſſus Reginae juſſu Carolus [a] Roaldus Landereus, a nobis ſaepius comme- CIↃ IↃ LXXXII. moratus, peritia rei navalis clarus dux, cum IX navibus, quae IↃ CCC bellatores HENRICUS III. portabant. Is cuncta maxime in inſula confuſa cum reperiſſet, et, poſt Figeredum a Silva homine ſuperbo imperio exutum, res violenter adminiſtrari, nihil non plebi et inſanientibus monachis ac ſacrificis licere, cerneret; de exitu veritus, Silvam monere inſtiterat, ut moderationem rebus adhiberet, et ſe ad defenſionem in tempore pararet: nam mox cum ingenti claſſe venturum Hiſpanum; qui ſi tumultuanteis opprimat, quid ſpei in claſſe Gallica ſero ventura ſupereſſe? nam, amiſſa Tertia, quo eam appulſuram? Igitur non ſolum ei muniendae attendendum eſſe, ſed proximam S. Michaelis inſulam, in qua robur Hiſpanorum conſiſtat, tentandam. Silva haec monita, non quaſi ab amico profecta, ſed veluti imperantis increpationes, interpretatus, ſubiracundo vultu ſibi, quid muneris ſui eſſet abunde gnaro, curae fore omnia reſpondit: viciſſim Landereus ſua curaret; diverſam quippe utriuſque rationem ac conditionem eſſe: Landereo in ſuos imperium attributum; ceterum ſibi in univerſos, atque adeo in Landereum ipſum, imperium eſſe. Inde ortae inter eos ſimultates, quae calamitatibus poſtea ſecutis occaſionem praebuiſſe creduntur. Nam cum Silva vanitate inſita Caſtellenſium vireis impudenter in ſermonibus quotidianis elevaret, etiam famam ſpargi curaverat, S. Michaelis inſulam, quae validis copiis firmata erat, exiguo et debili admodum praeſidio teneri. Itaque cum de Landereo potius perdendo quam propria ſalute cogitaret, avide occaſionem ex illius verbis arripuit, inſulae S. Michaelis tentandae; non tam rei conficiendae ſpe, quam ut moleſtum ſibi Landereum et Gallos ſuſpectos aut manifeſto exitio objiceret, aut a ſe longius amoveret. Landereus expeditionem ſuſcipit cum VI navibus: nam tres in inſula retinuerat Silva, in tempore, ſicuti receperat, ſummittendas. In ancoris ſtabat Pixotus, qui nuper ad inſulam appulerat; qui treis Gallorum naveis in alto conſpicatus, nam tres aliae latebant, tamen ſe caute continuit, donec Landereus, [b] Crenaeo legato praemiſſo, cum Hiſpana nave acre certamen iniit: et quanquam Ambroſius Aguiar nihil proelii aleae committendum exiſtimaret, tamen, cum in Pixoti et claſſis ſalute univerſae inſulae ſalutem verti videret, ſuppetias laboranti in tempore tulit, miſſiſque circiter CC in locum feſſorum certamen reſtituit: quod tandem, aequato partis utriuſque damno, diremptum eſt. Nam multi ex Hiſpanis, nec pauci ex noſtris, perierunt; in iiſque Crenaeus ipſe: ac multi e nobilitate graviter ſauciati. Ante Landerei appulſum Silva duas Anglicas naveis miſerat, quae Hiſpanos deditionem facere juberent; quod Galli maligne factum interpretati ſunt, ut hoſtem de noſtrorum adventu certiorem facerent: unde rurſus magis exacerbata inter duces odia; quae eo uſque exarſerunt, ut Landereus conviciosis verbis Silvam palam accipere non dubitaverit, qui regis ſui et amicorum cauſam imprudentia ac rei militaris ignorantia, ſive perfidia, proderet. Silva, perſoluto aliquot Gallorum ducibus ſtipendio, inter Gallos hac arte induſtrioſe diſſidiorum ſemina ſparſerat, rumore paſſim evulgato, quaſi Landereani inſulam direpturi veniſſent. Itaque ex Gallis, qui huic culpae affines credi nolebant, eum deſerebant: ipſe cum iis, quos in officio retinere poterat, ſe locis munitis continebat, et ab inſidiis Luſitanorum ſibi cavebat; ſaepe ab immiſſis percuſſoribus, ſemel etiam veneno petitus. Jamque XVIII Cantabricae [c] Oliſſiponam appulerant; ex quibus IV ad Aſſoras miſſae, quae IↃ C circiter bellatores portabant; et paulo poſt conflictum, de quo modo dixi, curſum ad S. Michaelis inſulam tenuerunt. Adhuc dubitabatur in

INTERPR. [a] *de Rouhaut, Sieur du Landereau.* [b] *de Crené.* [c] *Liſbonne.*

in Philippi conſilio, quo vires eo anno vertendae eſſent; quod incertum eſſet, quorſum apparatus, qui in Gallia proxima fiebat, pertineret. Nam ſic prudentiores judicabant; Belgium, ex quo ad res in regno firmandas majus momentum allatum iri apparebat, peti, et Luſitanae expeditionis ſpecie id diſſimulari, ut Philippus, diviſis copiis, facilius opprimeretur: quod et in cauſa fuit, ut ſerius claſſis inſtructa ſit.

V. Quae tandem VI Eid. Quintil. ex [a] S. Vincentii promontorio ſolvit, duce Alvaro [b] Baſſano S. Crucis marchione; quae conſtabat XX navibus [c] Baeticis, et XII triremibus, et XXXI grandioribus navibus, et V minoribus non ita bene inſtructis, quae ex Tagi aeſtuario ſolverunt; in his comprehenſis aliquot [d] Cantabricis, quibus Michael [e] Oquenda rei maritimae peritus dux praeerat; et Belgicis, quae vi a mercatoribus extortae ac conductae fuerant. Univerſae ad VI CIↃ Hiſpanorum portabant, quibus praeerant Lupus Figeroa, Franciſcus Bovadilla, et Antonius [f] Morenus; et IↃ Germanos ex Hieronymi [g] Lodronii comitis legione. Huic militiae plerique e nobilitate nomen dederant; Petrus [h] Toletanus, Hugo Moncata, [i] Favarae marchio, et alii proceres alioqui ſine ullo imperio. Interea Burdigalae claſſis noſtra inſtruebatur, quae LV circiter navibus omnis generis conſtabat; in eamque V CIↃ bellatorum impoſita erant. Praeerat univerſae Philippus Strozzius, vir ſtrenuus, ſed parum futuri providus. Secundum eum in ea principem locum tenebat Carolus [k] Coſſaeus Briſſaci comes, Briſſaci adeo bellis Subalpinis famoſi filius; juvenis paterno et fraterno nomine clarus, et opibus potens. Erant et in claſſe [l] Bellomontius ſummus caſtrorum praefectus, et Joſephus [m] Doinellus Sanſolinus, [n] Bordatus Aquenſis, Leo [o] Fumanus, Antonius [p] Scalinus; alii e nobilitate belli duces, pluresque e juvenilis nobilitatis flore. Cum Strozzio navigabat praecipuus expeditionis incentor et auctor Franciſcus Portugallus Vimioſi comes, homo ſuperbus et inſita vanitate periculorum contemptor; qui Strozzio, alioqui naturae ſecordis, nec minus de hoſtibus ſecuro, falſa comminiſcendo imponebat; nuſquam comparituros cum claſſe Hiſpanos, et inſulanos ad primum Gallicae claſſis conſpectum, quippe in occulto Antonio faventeis, actutum in poteſtatem venturos. Itaque noſtri, non tamquam ad pugnam, ſed quaſi ad luſtrandas novas terras et ad amicos proficiſcerentur, negligenter omnia adminiſtrabant. Regina, cujus auſpiciis et auctoritate expeditio ſuſcipiebatur, in mandatis Strozzio dederat, ut recta ad inſulas curſum dirigeret, neque cum hoſte forte obvio, quippe quem viribus potiorem credebat, confligeret; ſic enim ſalvo foedere, quod Gallis cum Hiſpanis intercedebat, expeditionem poſſe excuſari: nam et jus ſibi in regno Luſitano arrogabat, et licere ſibi exiſtimabat Antonium foederatum principem in ea re auxilio juvare. Varie admodum erant affecti utrinque in Gallia et Hiſpania animi: nam Caſtellenſes, tanquam de Hiſpania ſoliciti et in ſuo bellum gerentes, anxietate futuri multum diſcruciabantur; quippe qui, re infeliciter geſta, de regno Luſitano, quod tantopere ambiebant, et Indica claſſe, in qua ſummam ſpem reponebant, actum exiſtimarent. Non eadem noſtrorum conditio erat; qui expeditionem animi gratia, neque uberiore quam decoris ſpe, ſuſcepiſſe, et qui proinde longe a domo bellum gerentes in pugnae alea tantum de fama periclitari, videbantur. Sic enim prudentiores judicabant, in famae diſpendio diſpar utriuſque periculum eſſe: nam Hiſpanorum res fama ſtare; contra, Gallos ſaepius adverſam fortunam expertos

INTERPR. [a] *Cap de St Vincent.* [b] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [c] *d'Andalouſie.* [d] *de Guipuſcoa, ou Biſcaye.* [e] *Oquendo.* [f] *Moreno.* [g] *de Lodron.* [h] *de Toledo.* [i] *Favara.* [k] *de Coſſé, comte de Briſſac.* [l] *de Beaumont.* [m] *Doineau de St Soline.* [n] *le Sieur de Bourdas d'Aix.* [o] *Sieur de Fumée.* [p] *de Scalin.*

expertos nunquam ſuccubuiſſe, et poſt rem infeliciter geſtam famae inſtaurandae ſemper ſe pares animis praebuiſſe. Augebat Hiſpanorum anxietatem noſtrorum alacritas, et in expediendis auxiliis, ut illi quidem exiſtimabant, diligentia. Tum, repetita priſci temporis memoria, ſic diſputabant: Alfonſum v Luſitaniae regem olim in Galliam ad opem contra Ferdinandum Arragonium implorandam veniſſe, et poſt longioris temporis moram nihil auxiliorum a Ludovico xi impetraſſe, et, re infecta, triſtem domum rediiſſe: quo magis mirabantur, Andino tunc temporis ad bellum Belgicum tot copias ſecum trahente, tantam claſſem in Gallia Antonii auxilio inſtrui potuiſſe. Inter haec claſſis noſtra ad S. Michaelis inſulam appulit Eid. Quintil. et ad [a] Lacunam vicum jactis ancoris II CIƆ peditum in terram expoſuit; vicoque direpto noſtri ulterius ad praedam progrediuntur. Inſula XXXIII circiter leucas ambitu, ut jam dictum eſt, fere continet, crebris promontoriis vallata; in longum ab ortu in occaſum porrecta ſpatio circiter XIV leucarum; qua latior vix IV leucas habet. Praecipuae in ea urbes Villa-franca et [b] Punta Gadana. Paulo ante Ambroſius Aguiar inſulae praefectus fatis conceſſerat; cujus cum privignus imperium retinere vellet, Petrus [c] Pixotus Silva interceſſit, et illud meliore jure ſibi vindicavit. [d] Santacrucius, qui inſulae metueret, et lente omnia, ut fit fere inter Hiſpanos, procedere doleret, jam ante Aguiaris mortem [e] Michaeli Oquendae negotium dederat, ut ex numero navium, quas ex Cantabrico litore adduxerat, IV ſeligeret, eaſque, impoſitis IƆ C bellatoribus duce Joanne [f] Ochoa Arriola Devenſi Oquendae vicario, in inſulam mitteret, ut ſe cum Pixoto conjungeret. Eae erant ipſius Ochoae, Thomae [g] Alcolae Devenſis, Martini [h] Arriolae Sanſebaſtiani, et Dominici [i] Adurriagae Orienſis; quae tam ſecundo vento uſae ſunt, ut poſt nonum diem ad inſulam incolumes appulerint. His viribus ſubnixi inſulani circiter II CIƆ duce Laurentio [k] Nogera, qui Hiſpanis praeerat, et Petro Pixoto Luſitano, contra noſtros ducunt. Noſtri initio, qui urbem vacuam reperturos ſe ſperaverant, quippe oppidanis in montana proxima diffugientibus, a via deflexerant: verum Nogera metuens ne Galli capta urbe vacua ſine certamine inſula potirentur, inſtante Petro [l] Caſtello epiſcopo, et ipſe a via deflexit, ut noſtris occurreret; hortatuſque ſuos cum iis ad manus devenit, ſed infelici exitu; quippe deſertus ab inſulanis, cum ipſe ſtrenue rem geſſiſſet, amiſſis pleriſque Hiſpanis, multis vulneribus confoſſus, ad arcem cum IƆ CCC circiter ſe recipit. Nogerae, qui ex vulneribus ſtatim obiit, Joannes Caſtellus Petri epiſcopi frater in praefectura ſucceſſit. Pixotus, ſtrenuus dux hactenus creditus, cum de inſula actum putaret, conſcenſa nocte nave ad claſſem ſubito contendit; et [m] Oliſſiponam, antequam ea ſolveret, venit. Sed felicia haec belli initia mox noſtrorum ſive ſecuritas ſeu imprudentia corrupit, neglecta et omiſſa arce, qua capta Hiſpani inſulae appulſu prohibebantur, neque receptum habebant; et contra, noſtri citra certaminis neceſſitatem inſulis potiti, claſſem Indicam, quod caput erat rerum, intercipere potuiſſent. Antonius in claſſe erat, qui poſt proſperum certamen cum ad urbem veniſſet, ad ſancti [n] Rochi juxta arcem ſumpto hoſpitio, tanquam rex a cunctis ſalutatus; cum jam ſibi inſita vanitate in regnum plane reſtitutus videretur, cognito penuria aquae arcis praeſidiarios laborare, vim abſtinendam cenſuit, et tantum minis et inanibus verbis cum obſeſſis egit. Ita ſex dies, nullo operae pretio facto, elapſi;

INTERPR. [a] *Village nommé Laguna. Herrera met poblacion de la Laguna.* [b] *Punta Delgada.* [c] *Peixoto de Silva.* [d] *Marquis de Santa Cruz.* [e] *Don Miguel d'Oquendo.* [f] *Ochoa de Arriola, natif de la ville de Deva.* [g] *de Alcola de Deva.* [h] *de Arriola de San Sebaſtian.* [i] *de Adurriada de Oria.* [k] *Noguera.* [l] *Don Pedro del Caſtilla.* [m] *Liſbonne.* [n] *St Roch.*

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

elapſi; quibus et colligendi ſe ex pavore obſeſſis ſpatium datum, et auxiliorum expectandorum; quae, praeter ſpem Antonianorum, tandem ſeptimo ab appulſu claſſis noſtrae die comparuerunt. Pridie [a] Aguirem cum celoce [b] Santacrucius ad inſulam miſerat cum literis ad Aguiarem, quem adhuc in vivis eſſe rebatur, et ad Pixotum, quem jam ad inſulam remiſerat; quibus de ſtatu inſulae et claſſis noſtrae, ubi locorum eſſet, nam ad inſulam jam eſſe perſuadere ſibi non poterat, certior fieri poſtulabat. Noſtri, promontoriis et ſinibus crebris intra retractis tecti, Hiſpanos ex alto venienteis fallebant. Itaque, capta Aguiris celoce et Santacrucii literis, quibus ſignificabatur, partem claſſis, quae in Baetica inſtruebatur, nondum adveniſſe, et quaſdam naveis a via deerraſſe, quaſdam etiam interceptas eſſe; conſultatum inter duces noſtros, quid facto opus eſſet. Magna erat commeatus in Gallica claſſe penuria; quippe Antonio et Vimioſo, ut profectionem noſtrorum accelerarent, omnia ad primum conſpectum patefactum iri, et annonam abunde ex inſulis ſubminiſtratum iri ſpondentibus. Quae cum ſpe longe minora compeririſſet Strozzius, plus animis quam prudentia validus, tunc vero periculum in mora veritus, conſilium ex occaſione capit; et certaminis ſibi a regina interdicti neceſſitatem impoſitam gaudens, cunctos ad pugnam fortiter capeſſendam ſumma alacritate hortatur. Ab aqua et laborabatur; quam toto octiduo, quo deſides in inſula ſederant, in naveis comportare neglexerant. Nec minus initio tumultus in hoſtili claſſe erat, Santacrucio ad inſperatum noſtrorum adventum perculſo. Itaque, adhibitis in conſilium Petro Toletano, Lupo Figeroa, Favarae marchione, Chriſtophoro [c] Eraſto, Petro [d] Taxi exercitus curatore, et Franciſco Bovadilla, placuit, ut data occaſione confligeretur: nam neque receptum tutum aut honeſtum eſſe, diſceſſum fugae ſimilem fore; nec expeditum eſſe gravioribus navibus Hiſpanis, et contra, Gallicis agilioribus, locum ſuperiorem ſumi, ex quo, venti favore adjuti, in noſtros impetum facerent. Ita utriſque neceſſitate pugnandi injecta, eo magis inſtabant noſtri, quod et multarum rerum egeſtate premerentur, et, cognito nondum omnem claſſem hoſtilem adveniſſe, quo magis maturarent, tanto certiorem victoriam ſe adepturos ſperarent. Santacrucius ad [e] Morri promontorium ancoras jecerat, et poſtridie Villam-francam venerat XI Kal. Sextil. ubi ſumpto pugnae conſilio ſic aciem inſtruit, ut ad majoris navis praetoriae IV CIↃ IↃ CCC amphorarum, cui S. Martino nomen, dextrum latus Lupus Figeroa cum ſua [f] grandiore nave, cui S. Matthaeo nomen, ad ſiniſtrum Franciſcus Bovadilla cum ſua a S. Petro cognominata, itidem delectis bellatoribus munita, ſtarent; reliquae naves XXIV hinc inde ordine diſpoſitae utrumque latus tegerent: Chriſtophorus Eraſtus cum grandiore navi nonnihil quaſſata in ultimo agmine remanere juſſus. Sed nihil eo die actum; tantum aliquot tormentorum ictus ab Hiſpanis, quaſi ad pugnam laceſſentibus, e longinquo diſploſi. Poſtridie in conſpectum utrique venerunt, ſed remittente vento et molli adeo, ut, quantumvis noſtri ſummam pugnandi alacritatem prae ſe ferrent, neque hoſtes certamen detrectarent, nihil agi potuerit; curſu interim in inſulam S. Mariae auſtrum verſus directo, quae XV leucis circiter a S. Michaelis inſula abeſt. Tandem cum noſtri ſequenti die pugnae aleam tentare decreviſſent, X naveis, quae inſulae litus legerent, ſub veſperam miſerunt, primo diluculo certare certi; ita ut cum a fronte impetum facerent, decem illis navibus in tergum eodem tempore incumbentibus, omni ex parte hoſtem

INTERPR. [a] *le capitaine Aguirre.* [b] *Marquis de Santa Cruz.* [c] *de Eraſſo.* [d] *de Taxis veedor general.* [e] *Cap de Morro.* [f] *un gallion.*

hoſtem cingerent. Sed neque vento adverſo conatus exitum habere potuit, tantumque e longinquo eo die res tormentis acta; quorum ictibus Gallica una quaſſata aquam hauſit, vixque recipiente ſe in altum claſſe a pernicie aſſeri potuit. Santacrucius vero, cui cunctatione ſeu ſecuritate noſtrorum ſatis temporis datum eſſet ad res ſuas per otium caute inſtruendas, ad inſulam S. Michaelis navigare conſtituit; ut inde vento a tergo flante in noſtros ſequenti die, qui beato Jacobo ſacer eſt, ac proinde Hiſpanis in ſumma veneratione, totis viribus incumberet. Id ut ad exitum perduceret, noctu vela facit; et, ne noſtri curſum ejus obſervare poſſent, non ignem in praetoria, ut fit, accendit; ſed ceteris ſe ſequi juſſis, ad tormenti diſploſionem, quod ſignum media nocte dandum erat, ut ad praetoriam contenderent, mandavit: quod et ſummo ſilentio et pari diligentia factum. Tantum II Belgicae naves, quae CCCC Germanos portabant, a reliquis aberrarunt. Sed illuceſcente die cum res hactenus ex voto ſucceſſiſſet, malo [a] Eraſtianae navis, de qua dixi, ex tormenti diſploſione rupto, morae aliquantulum in ſarciendo damno impenſum eſt; et interea noſtri, aſtu hoſtium cognito, eos anteverterunt, ventique amiſſam commoditatem reciperarunt. Tantum eo die tormentorum ictibus eminus certatum fuit. Tandem VII Kal. Sextil. qui dies B. Annae ſacer eſt, cum utraque claſſis in conſpectum veniſſet, ita ut non amplius III CIƆ paſſuum intercederent, VII ab inſula S. Michaelis leucis, Strozzius pugnae avidus, ut commodius pugnae initium faceret, navem praetoriam, ut ſibi videbatur, graviorem, cum [b] Bellomontana nave permutat; qua velociore fretus Hiſpanos inſequitur, et X CIƆ paſſuum emenſus, cum totidem ab inſula S. Michaelis abeſſet, adſequitur. Cum Strozzio eadem nave portabatur Vimioſi comes, quem Briſſaci comes et Strozzii vicarius cum ſua ſequebatur, et III Anglicae egregie inſtructae: pone veniebat reliqua claſſis. Hoſtili claſſi praeibat Franciſcus Bovadilla, quem ſequebatur [c] Sanmartiniana praetoria, qua vehebatur Santacrucius, quae Eraſtianam remulco trahebat; dein ordine incedebat Sanmatthaeana, quam ducebat Figeroa: eae grandiores naves, et tanquam arces in mari, caeterae claſſi ſequenti praetendebantur. Primus in Figeroam, qui tardius incedebat, a praetoria noſtra, et Coſſaeana, ac III navibus, factus impetus: et praetoria quidem in proram hoſtilis navis incubuit, obliquato latere ad vitandos tormentorum violentius ex Hiſpanis utpote majoribus navibus diſploſorum ictus; a quibus duae ex noſtris infeſtatae poſtremo in altum conceſſerunt; ita ut tantum a praetoria, et Coſſaeana, et tertia, Figeroa premeretur: ſed cum ſcapharum ope novi in feſſorum locum ſummitterentur, jamque ignis a noſtris immiſſus multis in partibus arderet, magni animi vir non tamen ſe deſeruit; et duarum horarum ſpatio magnis difficultatibus conflictatus ſe gnaviter defendit, donec Petro [d] Garagarza Cantabro, qui duas Hiſpanorum cohortes nave ſua portabat, auxilio ſuperveniente animos collegit. Nam Santacrucius, qui jam praeceſſerat, quamvis Figeroae periculo magnopere commoveretur, minime tamen ſe loco movebat; quippe qui videret, retro, adverſo vento, niſi ſenſim et obliquato, modo in hanc modo in illam partem, curſu, contendi non poſſe; quod citra periculum fieri non poterat: verebaturque prudentiſſimus dux, ne reliqua claſſis id fugam interpretata confuſis ordinibus huc illuc dilaberetur. Nec a pugnae periculo et ipſe aberat, a duabus grandioribus navibus noſtris eodem tempore obſeſſus; ſed quae violenta grandiorum tormentorum, non ſolum ex Sanmartiniana praetoria, ſed ex Bovadillae nave diſploſorum, pulſatione infeſtatae

ipſae

INTERPR. [a] *de Eraſſo.* [b] *du Sieur de Beaumont.* [c] *la capitane gallion St Martin.* [d] *Garagarza de Guipuſcoa.*

ipſae periculum adierunt, altera ex iis paene depreſſa. Bovadilla [f] diu cum IV Gallicis conflixit, quas tandem crebra tormentorum grandine infeſtatas repulit, [a] Buſſio legionis unius ductore graviter ſauciato; quo ex vulnere poſtea in inſula Tertia obiit. Tandem Santacrucius, duabus Gallicis navibus faceſſere coactis, ad Sanmatthaeanam laborantem converſa fronte contendit; ita ut qui in prima acie ſtabant, agmen ducerent. Tum mutata cum ordine aciei rerum facies; primique Michael Oquenda, Villa-vicioſa, [b] Acacius Iera, et Michael [c] Beneſa, in Coſſaeanam impetum fecerunt, quae a [d] Nipivilla Harflorienſi rei maritimae juxta perito et ſtrenuo duce regebatur, et crebris tormentorum ictibus quaſſata, jamque aquam hauriens, vix tandem manibus ferreis extricata ſe recipiebat. Villa-vicioſa junior in proram incubuerat, ubi fortiter pugnans interfectus eſt. Oquenda feliciori ſucceſſu per puppem militem immittit: jamque ſignis captis et aliquot e noſtris, direptaque adeo navis parte, rerum potiri ſibi videbatur; cum ictu tormenti aperta navi ſua, et ſuperveniente Gallorum auxilio, abſcedere coactus eſt, atque ita Coſſaeana libere abire permiſſa; quae tamen, dum ad S. Michaelis inſulam contenderet, aquis poſtremo hauſta eſt; vixque Briſſacus ipſe parvo navigio conſcenſo periculum cum Nipivilla evaſit. Inde tota belli moles in praetoriam incubuit, quaſi ad ſpectaculum ſedentibus noſtris, quippe immanem hoſtilium tormentorum vim minime ſuſtinentibus. Tantum Cantabrica una, qua Michael Cardona et Petrus [e] Pardus vehebantur, Gallicam injecta manu ferrea invaſit et ſuperavit; quae tamen direpta poſtea aufugit. Altera et [f] Villa-vicioſae ſenioris, qua Ludovici [g] Gevarae cohors portabatur, cum Gallica altera conflixit; quae gravi damno affecta, nec tamen capta eſt. Duae ex noſtris, quae Sanmatthaeanam aggreſſae fuerant, poſtremo tormentis quaſſatae ac depreſſae ſunt. Superabat praetoria, cum qua praetoria Hiſpana diu poſtea conflixit; quae undique circumfuſa a victrici claſſe, jam dilabentibus noſtris, cum Baſtida et Joannes [h] Biverus Cantaber, qui navem, cui Catharinae nomen, ducebat, in eam exſcendiſſent, et ad CCC primo appulſu trucidaſſent; tamen a nobilitate, quae cum Strozzio erant, aliquandiu generoſe et obſtinata pugna certatum eſt; in eaque occiſus Bellomontius, vir ſpectatae virtutis. Sed Santacrucio in omneis partes, ut militi ſuo animos faceret, cum [i] Marolino et Roderico Varga diſcurrente, tandem lethalibus plagis confecto Strozzio, qui nullo non ſolum ducis ſed militis ſtrenui eo die munere defunctus eſt, et Vimioſo itidem vulneribus debilitato, capto etiam praetorio ſigno ab Antonio quodam [k] Hiſpalenſi cum brachii alterius ictu tormenti confracti jactura, milites ducibus deſtituti clamorem tollunt, quaſi dedentium ſe; qui tamen ab Hiſpanis feritate inſita et ultione ardentibus minime exauditus eſt. Itaque obvii quique interfecti. Nobiles, qui primum impetum evaſerunt, aut ex vulneribus debiles jam a pugna diſceſſerant, capti, et pejori morti reſervati. Strozzius captus, et, ſive vulnerum atrocitate, ſive, qua erat animi magnitudine, Hiſpanis ſupplex fieri non ferens, cum ad Santacrucium duceretur, non miſſa voce exſpiravit: vir fide, integritate, liberalitate, cum maximis principibus comparandus: ad haec, fiducia virtutis, periculorum contemptor, et, quod merito in eo deſideraſſes, parum futuri providus, et interdum ſecurus. Fuit is Petri equitum tribuni filius, qui in [l] Theodonis-villae obſidione ante XIV annos periit; viri, in quo ſolertia, ingenii comitas, praeſentia animi, cum virtute militari ac ſingulari in expeditionibus diligentia

INTERPR. [a] *de Bus, capitaine d'un regiment, ou meſtre de camp.* [b] *Acacio de Yera.* [c] *de Veneſa.* [d] *Nipeville de Harfleur.* [e] *Pardo.* [f] *el capitan Villa-vicioſa.* [g] *de Guevara.* [h] *de Bivero de Guipuſcoa.* [i] *Marolin & Rodrigo de Vargas.* [k] *de Seville.* [l] *Thionville.*

diligentia certabant; ita ut maximus belli dux ſua aetate haberi meruit. [a] Vimioſi comes et captus a [b] Mondenaro Cremonenſi volone, et ad Santacrucium, quem adfinitate contingebat, ductus, atque, ut ſcribunt Hiſpani, perhumane exceptus; biduo poſt ex vulneribus deceſſit. Sed hanc rurſus gloriam Hiſpani Italo homini inviderunt, ut fere ſemper, vitio gentis, quae ſola habere neque cum quoquam honores partiri ſolet: nam Alfonſus Peres, ex Joannis [c] Gamboae, qui in [d] Figeroae legione militabat, cohorte miles ſtrenuus, Vimioſi capti decus et praemium a Philippo tuliſſe memoratur. Praecipuum certamen fuit praetoriae, Figeroanae, Bovadillanae, Eraſtianae, et Oquendiae navium; in quibus, praeter navium duces, maxime excelluit virtus Petri [e] Toletani, qui puppis arcem in praetoria tuebatur, Michaelis Cardonae, Chriſtophori [f] Pacii, Petri Sanſtephani, Joannis Bolani, ac poſtremo Joannis Biveri. Deſiderati ex Hiſpanis fere CC, ut Hiſpani ſcribunt; ſauciati IↃ. Ex noſtris bis mille et amplius periere. Amiſſae VIII naves; pluresque capi potuere, ſi nauclerorum copia Hiſpanis fuiſſet. Hic exitus pugnae fuit, toto Oceano maxime omnium, quarum memoria exſtat, famoſae. Nam quae in Belgico litore commiſſae XX abhinc annis memorantur, in aeſtuariis fluminum et canalibus tantum commiſſae ſunt; cum in hac medio mari, procul omni continenti, inter duas bellicoſiſſimas nationes de opulentiſſimo regno certamen fuerit: nam victoriae praemium propoſitum erat regnum Luſitanum, qua qui caderet, et omni regni adipiſcendi ſpe excidebat. Eoque in majus victoriam illam extollunt Hiſpani, quod ea regnum nuper partum et Indicarum opum poſſeſſionem, quae in unius proelii alea vertebatur, firmatam exiſtimarent. [g] Sanſolinius, nulla conſerta pugna, in altum cum IX navibus vela fecit, et ad [h] Faginam, quam et ſui milites diripuerunt, receptum habuit: quod levibus juxta ac credulis Antonianorum ingeniis ſuſpicandi cauſam praebuit, quaſi ille ab Hiſpanis corruptus certamen detrectaſſet. Itaque et poſtea Antonius ob id [i] Edvardum Caſtrenſem, tanquam proditionis auctorem et pararium, ſecuri percuſſiſſe creditur; quanquam alii alias cauſas afferunt; quod poſt eam victoriam in occulto cum Philippo conſilia communicaſſet, et [k] Antonium Baracium Antonii intimum amicum, et qui primus Antonium ante regem ſalutaverat, occidiſſe convictus eſſet. Certe Sanſolinius a Briſſaco, qui cum XVIII navibus in Galliam primus tam triſtem nuncium attulit, coram regina, quae Strozzii caſum aegerrime ferebat, accuſatus, poſt reditum in Galliam a [l] latrunculatoribus ignominioſe [m] Auguſtoriti Pictonum captus, et in aulam adductus eſt; vixque tandem interventu amicorum condonata ignaviae culpa, ut proditionis crimen elueretur, non ſine vitae diſcrimine dimiſſus eſt. Errant Hiſpani, et, qui eos ſecutus eſt, [n] Hieronymus Conneſtagius Francus, qui hanc hiſtoriam alioqui ſumma fide ac pari prudentia ac libertate deſcripſit, cum [o] Landereum pro Sanſolinio nominant: nam Landereus, cui acreis cum Emmanuele Silva inimicitias interceſſiſſe jam ſupra retulimus, minime proelio interfuit; aeger adhuc ex veneno ſibi, ut rebatur, ab inimicis propinato, et navibus, quas ſecum adduxerat, ad Viride promontorium profectis. Antonius, pridie quam pugna commiſſa eſt, cum nave expedita ad [p] Tertiam ſe contulerat, jam tum mali praeſagus; et Angram profectus, cum arcus triumphaleis et cetera ad pompam regiam parata offendiſſet, his omiſſis, per pontem ligneum urbem modico comitatu ingredi voluit:

INTERPR. [a] *Vimioſo.* [b] *Mondenaro Cremoneſe.* [c] *de Gamboa.* [d] *de Figueroa.* [e] *de Toledo.* [f] *de Paz, P. de Saniſtevan, J. de Bolaños, & J. de Bivero.* [g] *de St Soline.* [h] *Fayal.* [i] *Duarte de Caſtro.* [k] *Antonio Baracho.* [l] *Prevoſts des mareſchaux.* [m] *Poictiers.* [n] *Hieronimo de' Franchi Coneſtaggio.* [o] *de Rouhaut, Sieur du Landereau.* [p] *Tercera.*

voluit: ubi cognito ſucceſſu non mediocriter indoluit; acceſſu propterea prohibito Sanſolinio, cum tamen XVIII naveis, quae cum Briſſaco venerant, comiter excepiſſet, praeſidio contra Santacrucium, ſi victoriae inſtitiſſet, futuras. Is non ulterius fugienteis inſecutus ad S. Michaelis inſulam ſe contulit, ac [a] S. Mariae et Floridae indigenas praeterita excuſanteis in fidem accepit.

VI. Tum per tubicinem captivis ſiſti juſſis, ex numero procerum XXVIII numerati ſunt, ex nobilitate circiter L; ex omni numero CCC: quos omneis ad mortem damnavit, publicato elogio, quod pacem inter Chriſtianiſſimum et Catholicum reges juratam violaſſent; Antonio [b] Crati priori ad claſſem Indicam intercipiendam inſidias ſtruenti operam navaſſent; inſulas regis Catholici, uti jam ad S. Michaelis inſulam fecerant, praedaturi veniſſent; conſerta pugna Catholici claſſem oppugnaſſent. Proinde, tanquam publicae tranquillitatis ac commercii perturbatores, erga majeſtatem Catholicam perduelles ac piratae infames, utriuſque regis bono, ſic Santacrucii ſententia ferebat, criminalium cauſarum judici capite plectendi traduntur. In id erectum Villa-francae in foro pegma, frementibus militibus, qui, ſive paria veriti, ſive ſpem ex redemptionis pretio conceptam eripi moerentes, conferti vitam captivis petituri Santacrucium circumſtetere. Nam quid meruiſſe illos? Cur, quibus belli fortuna peperciſſet, non vita incolumi dimitterentur? Martem communem minime ipſum ignorare, qui plerunque victorem in victi manus tradere gaudeat. Neque vero ita firmam inter utroſque reges pacem vigere, quin diſſimulatione bellum inter eos legitimum intercedat. Quid in Belgio agatur, cunctos ſcire; ubi Andinus regis Galliae frater Gallicis opibus ſubnixus regem Catholicum oppugnet. Et auctoritate ac nomine reginae parentis bellum hoc defendi; etiam ex diplomatis hoſtium captis patere, regis auſpiciis delectus actos, et expeditionem hanc ſuſceptam eſſe. Alioqui quanta apud omneis laboraturos invidia Hiſpanos? Proinde petebant, ut ſententia contra captivos lata mitigaretur, et belli jure in bello captos victor uteretur. Contra, Santacrucius invidiam facti deprecari; ſcire id e re regis Chriſtianiſſimi fore, et voluntate ejus fieri, qui cunctos ſe ſpreto arma extra regnum ferenteis tanquam perduelleis plecti cupiat. Habere ſe certa a rege mandata; et quanquam aegre faciat, ut in perſpectae virtutis viros tanquam in latrones animadvertat, tamen neceſſitatem ſibi impoſitam, ut ſententiam ſine cunctatione exequatur. Quibus dictis et placato milite, cuſtodibus circa pegma per Bovadillam appoſitis, captivi producti, in iiſque Fabius [c] Vivonus Caſtaneus; et quaterni a Teutonicae nationis carnifice ſupplicio affecti ſunt; contaminata tantae victoriae per immanitatem ſuppliciorum gloria. Saevitum etiam eadem foeditate ſupplicii in Strozzium et Vimioſum mortuos quidam dixere: quod tamen Hiſpani, tradere contenti quae celare non poterant, diſſimulatione tranſegerunt. Ut primum ſucceſſus fama in Hiſpaniam allata eſt, Joannes [d] Vivonus Sangoartius regis apud Philippum orator, vir non ſolum nobilitate ſed virtute ac meritis inſignis, veritus quod erat, ſubito [e] Madrito ad eum advolavit; et cum pro captivis inſtaret, cum ambiguo reſponſo dimiſſus eſt. Poſtea re evulgata Philippus factum excuſavit, quaſi ignoraretur, quali dignatione viri eſſent, qui ſupplicio affecti ſunt. Emmanuel Silva, qui Angrae erat, ſtatim ubi de pugnae exitu cognovit, ad Santacrucium literas dederat, et benigne cum captivis agi petierat, pretiumque in id obtulerat; qui poſtea crudelitatem victoris deteſtatus, ut erat elato et praecipiti ad iram animo, Antonio ſuadere voluit, ut totidem Caſtellenſeis,

quos

INTERPR. [a] *Iſles de Ste Marie & de Flores.* [b] *Crato.* [c] *de Vivonne, Sieur de la Chaſtaigneraie.* [d] *de Vivonne, Sieur de St Goart.* [e] *Madrid.*

quos in vinculis tenebat, pari ſeveritate plecteret: verum ille, qui licet Strozzii, Vimioſi, et ceterorum Gallorum indignam vicem doleret, plus tamen de ſecuritate ſua, rebus jam deploratis, quam de ultione cogitaret, conſilio Silvae minime auſcultavit; et rei pecuniariae expediendae, a qua praecipue laborabat, intentus, ceteris rebus omiſſis, in percutienda moneta nova, pretio ejus augendo, mutuo a volentibus nolentibus ſumenda pecunia, et jure ſive injuria undiquaque emungenda, occupabatur. Qua in re ejuſdem Emmanuelis Silvae conſilio, et Blaſii [a] Vivaldi Genuenſis praecipue induſtria utebatur; ſolemnia pluſquam antea etiam poſt cladem acceptam inſanientibus Antonianis, ac praecipue monachis et ſacrificis; qui gravitatis ac modeſtiae obliti, cum nihil non ſibi permitterent, et omnia Antonio regi ſuo licere volebant.

VII. Interea ad inſulam Joannes [b] Martines Recaldus, peritus rei maritimae dux, cum triremibus et reliqua claſſe Baetica appulit, de ſucceſſu anxius; quippe qui infeliciter pugnatum in itinere intellexiſſet, et nihilominus rurſus aleae proelii tentandae certus. Hujus adventu laetus Santacrucius et magis confirmatus, relicto in inſula Auguſtino [c] Inico Zarata, cum II Hiſpanorum CIↃ et magna tormentorum ac bellici apparatus parte, claſſi ex India orientali venienti, quam tamquam victoriae praemium exſpectabat, obviam proceſſit: quae cum [d] Faginam praeterveheretur, quo Sanſolinius poſt pugnam ſe receperat, aliquot tormentorum ictibus a noſtris petita eſt. Ei praeerat Ferdinandus [e] Telles Silva, qui poſt [f] Toguiae comitis mortem ſe pro prorege Indiarum geſſerat, et, quanquam ab Antonio ſolicitatus, eas remotas provincias in officio ac Philippi fide continuerat; atque, ut fidem obſequii ſui faceret, terreſtri itinere Hieronymum Limam in Hiſpaniam miſerat, quod maritimam navigationem incertam et longiorem eſſe arbitraretur. Lima igitur Goa ſolvens [g] Ormuſium in ſinu Perſico appulerat, Luſitanae ditionis provinciam, et inde per Perſiam camelorum magno comitatu, ut fit in illis regionibus, ad ſuperanda deſerta et vitandas latronum inſidias, incedentium ope, magnis difficultatibus ac periculis conflictatus [h] Bagdacum venerat; ubi tranſmiſſo Euphrate fluvio, per Alepum ac Damaſcum, et poſt trajectum Jordanem Hieroſolymorum civitate religioſe ſalutata, [i] Tripolim Phoeniciae venit; ibique nave conſcenſa Melitam ac Siciliam verſus tendit, atque inde in Hiſpaniam ad Philippum profectus eſt, laetum inſperato nuncio, ex eoque cognito, terreſtri etiam itinere ad Indias orientaleis penetrari poſſe. Tunc vero Telles obvius factus [k] Santacrucio, quanquam eo perhumane et comiter ſalutato, tamen, aemulatione inter Luſitanos et Caſtellenſeis adhuc vigente, minime vexillum demiſit: quod licet Santacrucius injurioſum duceret, nihilominus diſſimulavit; de jure ſuo aliquid remittendum ratus, ne hominem magnae dignationis et praecipui inter Luſitanos nominis, primo congreſſu a Philippi obſequio alienaret. Poſt Indicae claſſis in Hiſpaniam tendentis diſceſſum, Santacrucius de Belgicis naucleris, qui navibus ſuis Germanos portabant, et deerrantes a via proelio non interfuerant, caſtigandis conſultavit. Naves eorum fiſco addictae, ipſi majorem partem remo mancipati ſunt. Germani milites arbitrio Hieronymi [l] Lodronii eorum praefecti permiſſi ſunt, qui dignas poenas de iis exigeret. Mox per [m] Tertiam traducta ſub Antonii oculos claſſe, non levis metus miſero principi injectus; qui, quanquam XVII Gallicas naveis ex proelio profugas penes ſe haberet, fidei tamen inſulanorum diffiſus, ne fortuna mutata mutarent,

INTERPR. [a] *Vivaldo de Genes.* [b] *Martinez de Recalde.* [c] *Iniguez de Zarate.* [d] *Iſla de Fayal.* [e] *Tellez de Silva.* [f] *la Toguia.* [g] *Ormuz.* [h] *Bagdat.* [i] *Tripoli en la coſte de Syrie.* [k] *Marquis de Santa Cruz.* [l] *Comte de Lodron.* [m] *Tercera.*

mutarent, navem expeditam ad fugam paraverat. Nihil tamen ulterius a Santacrucio tentatum, qui inde ovans re bene geſta in Hiſpaniam perrexit, et [a] Oliſſiponam IV Eid. Sept. cum claſſe incolumi appulit; a Philippo inſolito favore et honore exceptus, cum omnibus ſuis; quibus et ipſius commendatione praemia honorifica a prudentiſſimo principe diſtributa ſunt.

VIII. INTEREA Antonius, cum Hiſpanae claſſis diſceſſu pariter metus omnis evanuiſſet, non utique quo debuit animo adverſam fortunam tulit; ſed ad licentiam et voluptates revolutus, ei, magno exiſtimationis detrimento, quaſi illudere viſus eſt; corruptis paſſim virginibus, et ſolicitato matronarum pudore, quibuſdam etiam, ut Hiſpani ſcribunt, vi intentata: nec a ſacris ac velatis virginibus abſtinuiſſe dicitur, cum iis, familiarius quam honeſtius, converſari ſolitus. Tandem, inclinata jam tempeſtate, apud ſe et cum Emmanuele Silva conſultare coepit, tutum ſibi eſſet in inſula manere, an in Galliam rurſus perfugeret. Tandem conſultius viſum, ut inſulam relinqueret: et, quanquam contemptum poſt adverſum caſum merito apud nos veritus, tamen reginae parentis ingenio confiſus, quae impotentia muliebri ob cariſſimi ſobrini ac tot procerum Gallorum indignam mortem proculdubio ultione arſura credebatur, in Galliam navigare conſtituit. Erat in inſula adhuc Landereus, qui ab Antonio poſt cladem exoratus, ut praeſidio inſulae cum ſuis navibus manere vellet, bimeſtre totum hactenus haeſerat. Tandem poſt Santacrucii diſceſſum, cum incertum eſſet, an diutius longiorem in inſula moram faceret Antonius, petita ab eo venia cum ſuis in Galliam vela fecit; et ubi in Galliam venit, ſtatim ad reginam ſcribit, et, quod non ipſe ad eam proficiſcatur, morbi obtentu excuſat; rationibus interim propoſitis, qua Strozzii et tot Gallorum indignam necem ulciſceretur, et res Luſitanas denuo conturbaret. Verum excuſationes nequaquam in bonam partem acceptae ſunt; neque conſultum viſum, ut ei negotium, quod tam ſegniter curaſſet, quod tamen ille enixe petebat, committeretur. Itaque, annitente Anna [b] Jouſa maris praefecto, expeditio in ſequentem annum deſtinata, Aemaro [c] Caſto ſibi proxima cognatione conjuncto, viro probitate et fortitudine inſigni, nec niſi ſemper honorifice nominando, commiſſa eſt. Interea Antonius, relicto in inſula [d] Carlo, qui jam ante annum cum IV Gallorum cohortibus ad [e] Tertiam venerat, et [f] Baptiſta Florentino quodam ordinum ductore, cum aliquot Gallicis et Anglicis navibus inſula ſolvit ineunte Octobri; eo conſilio, ut in itinere Maderam tentaret: ſed deerrantibus Anglicis navibus, omiſſa illa expeditione, in Galliam recta perrexit; ubi, quanquam acciſis rebus, perfugium miſeris principibus ſemper paratum invenit; ſpe etiam facta, ut anno ſequenti Tertiae praeſidiariis ſuppetiae mitterentur.

IX. JAMQUE Ferdinandus Telles cum Indica claſſe appulerat, a Philippo perbenigne exceptus; et ad proſperae pugnae nuncium etiam Antonii Manricae literae acceſſerant, quibus ſignificabat Peruvianam et novae Hiſpaniae claſſem, cui metuebat rex, ſalvam eſſe; cum de [g] Didaci grandioris natu filii, tunc novennis, XI Kal. Dec. extincti immatura morte allatum eſt: quod non mediocriter laetitiam tot ſucceſſuum conturbavit; quippe familia tot regnorum quaſi heredibus orbata: nam Philippus, qui ſupererat, admodum debili valetudine eſſe ferebatur. Inter triſtia numerari debeat [h] Albani ducis mors, dubium fecit odium, quo rex eum ſemper proſecutus eſt, poſtquam Belgio devicto potius quam pacato in Hiſpaniam rediit. Is famoſiſſimus ſua aetate, vel aemulorum confeſſione, belli

INTERPR. [a] *Liſbonne.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *le commandeur de Chaſtes.* [d] *Sieur de Carles.* [e] *Terſera.* [f] *Battiſta Fiorentino.* [g] *l'infant Don Diego.* [h] *Duc d'Alva.*

belli dux; patre Garſia, qui ad [a] Lotophagitidem ante LXXII annos oppreſſus eſt, felicior; Friderico avo, qui Garſiae, turbato naturae ordine, ſuperſtes fuit, et biennio poſt regnum Navarrae citra certamen occupavit, major; maximis expeditionibus ſub Carolo V Caeſare et Philippo ejus filio tota Europa, in Germania, Italia, Belgio, ac poſtremo in Luſitania, praefuit: tamen ad plenam bellicae laudis gloriam hoc defuiſſe ipſe aiebat, quod exercitum Turcicum in aciem inſtructum ſibi videre non contigiſſet: bello quam pace melior; quippe meritorum fiducia ſumme ambitioſus, alienae virtutis obtrectator, et vitio gentis erga ceteras nationes contumelioſus, et plus juſto imperioſus ac ſeverus fuit; dum inſita animi feritate terrorem potius quam amorem Hiſpani nominis ubique ſpargi ad firmandam imperii magnitudinem conſultum exiſtimat. Ita Philippi [b] Heſſorum principis contra fidem datam minus honeſte retinendi, procerum in Belgio plectendorum, et Gallorum Villa-francae indigna morte afficiendorum, auctor et ſuaſor exſtitiſſe creditur: quae conſilia aut principibus ſuis damnoſa fuerunt, aut ipſorum gloriam crudelitatis labe foedarunt. Livori et ejus tribuitur, quod Carolus Caeſar Ferdinandum Gonzagam, multis nominibus de ſe optime meritum, tam inhoneſta miſſione a Mediolanenſis principatus praefectura removerit, et omni imperio ac dignitate exutum deſperatione gratiae ad mortem ſumma ingratitudine compulerit. Nihilominus ſupremos honores ſub utroque meruit; ſed minus Philippo gratus, ac levi de cauſa domum relegatus; nec niſi extrema neceſſitate urgente rex ejus induſtria in ultima hac expeditione uſurus creditur, quae tot adoreis jam mactum extrema gloria cumulavit. Nam in gratiam ex ejus occaſione cum rege rediit, et, cum in palatio regio hoſpitium haberet, veluti inter amplexus ejus animam exſpiravit; ad alias felicitates hoc etiam accedente, quod Ludovicus [c] Granatenſis profeſſione Dominicanus, ſummo ingenio et eloquentia vere ad pietatem nata praeditus, aegroto et morienti aſſedit, et conſolator aſſiduus tandem ſupremi viatici beneficium impertivit. Vixit annos LXXVII, pridie Eid. Dec. extinctus. Sub eo et in ejus familia puer educatus et militiae rudimentis inſtructus fuerat Sanctius Avila, ab Avila civitate, unde ortus erat, ita dictus; militari et ipſe laude ac felicitate, quam natalibus, clarior; qui herum optime de ſe meritum, ſic enim Albanum appellare ſolitus erat, paulo poſt ſecutus eſt, deplorando exitu: nam qui ad ictus tot aditis periculis in proeliis et obſidionibus impenetrabili corpore fuerat, equi calce petitus, dum vulnus negligit, et plus ſuperſtitioſis praeſtigiatorum epodis quam naturalibus remediis tribuit, in lethalem morbum incidit; ex quo aliquot poſt menſibus, magno ſui relicto deſiderio, periit. In locum Albani cum ſummo imperio regiis copiis praefectus eſt Carolus Borgia Candiae dux; diſpar ſucceſſor, et moribus, quam rerum uſu aut virtute militari, melior. Interea, cum rex inſulas nondum in poteſtatem redactas videret, cuncta ad bellum inſequenti anno inſtaurandum parat; et duas triremeis vaſtioris magnitudinis, quarum magnus eſt uſus in mediterraneo mari, ab Oſſunae duce Neapolitani regni nuper conſtituto [d] praeſide miſſas, quod plano alveo eſſent, minus idoneas, refici, et, quo contra aeſtum et elatos oceani fluctus durare poſſent, rotundiores carinas iis aptari, juſſit.

CIƆ IƆ LXXXII.

HENRICUS III.

X. INDE de reditu in Caſtellam cogitans, antequam Luſitania excederet, gratiam praeteritorum jam factam ampliavit, et exceptos, qui magno numero erant, ad X contraxit: nihilominus tamen ſacras perſonas ſemper excepit; quibus adeo contra ſe animatis ipſe viciſſim exacerbatus nunquam ignoſcere voluit, libertate cunctis

INTERPR. [a] *le Gerbe.* [b] *Landgrave de Heſſe.* [c] *de Grenade.* [d] *Viceroy de Naples.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

cunctis eos occidendi et ſevere animadvertendi facta. Bello confecto conſtitit ad bis mille ex ſacro ordine in inſulis aut Luſitania ferro aut alia peſte ob belli hujus cauſam periiſſe; et gratiae breviculo, quod Philippus ob id a pontifice poſtea impetravit, hic numerus expreſſus fuit. Gratiae regiae diploma publice [a] Tomarae recitatum ac publicatum eſt Decembri ineunte. Poſtea celebratae fuerunt Sebaſtiani et Henrici Luſitaniae regum exequiae, corporibus eorum [b] Almerino ad [c] Bethlemiticum coenobium tranſlatis. Modice laudatus Sebaſtianus, ad faſtidium Henricus; cujus mortis recordatione plus quam Philippi laudum commemoratione plerique adſtantium laetati ſunt. Cum vero procuratores et ſyndici civitatum ad juramentum praeſtandum citati nondum adveniſſent, conventus in proximum Februarium rejectus fuit, et Philippi profectio eo uſque dilata: qui, dum Antonium delato ab ordinibus regno ſpoliaret, ipſe ab Andino antiquis et avitis in Belgio principatibus ſpoliabatur.

XI. ANDINUS totam hyemem in [d] Britannia apud Eliſabetham inter haſtiludia ac nocturnas pompas, nuptiarum fiducia, de quibus jam tabulis confectis convenerat, moratus; poſtremo, petita a regina venia, et cum bona ejus gratia, Londino diſceſſit Kal. Febr. Ipſa [e] Cantuariam uſque abeuntem proſecuta eſt, et pecunia ac milite juvit. Inde [f] Dovera ſolvit Andinus v Eid. Febr. etiam magno Anglorum comitatu: cum eo quippe erant Robertus [α] [g] Dudleius Leiceſtriae comes, Carolus Howardus maris praefectus, [h] Hunſdonius, periſcelidis equites, et majeſtatis ſuae conſiliarii; praeterea [β] [i] Willoughbeius, Windſorius, Sheffeildius: equeſtris ordinis Philippus [γ] [k] Sidneius, Shirleius, Perrotus, Ruſſellius, Drurius, [δ] Bourchierus, Howardi fratres, et Hunſdonii ipſius tres filii, et alii c circiter e nobilitate. Biduo poſt [l] Vliſſingam appulit Andinus, ubi apparatu triumphali exceptus, obviam Arauſionenſi ipſo cum principe [m] Eſpinoio cum cymba profecto, et tanta ac toties repetita tormentorum diſploſione ſalutatus eſt, ut fragor [n] Caleti in Gallia exaudiretur. Heic Arauſionenſis ſumma animi demiſſione genu Andini complexus, adventumque ejus cum ceteris proceribus gratulatus, gaudere ſe dixit, illuxiſſe felicem eam tamdiuque optatam diem, qua celſitudinem ſuam ſalutare, eique vitam, opes, induſtriam ſuam, deferre poſſet: nam ſperare ſe, ut ipſius praeſentia, virtute, et ope, Belgae a calamitatibus, quibus tot annos conflictantur, graviſſimis reſpirare valeant, et provinciae hae, tota Europa olim potentiſſimae ac florentiſſimae, nunc attritae atque per bellorum ſaevitiam ad ſolitudinem paene redactae, priſtinum ſplendorem ac frequentiam reciperent, et cum bona tanti principis fortuna in tutam et formidoloſam hoſtibus ſuis concordiam coaleſcant. Ad quae Andinus breviter et apte, ut erat compoſito et admirabili ingenio, pro tempore reſpondit; et ceteros proceres in genua procumbenteis humaniſſime complexus eſt. Paratum ei fuerat in [o] curia hoſpitium, in quo pernoctavit; ac poſtridie [p] Mildeburgum pedeſtri comitatu profectus eſt, quod propter glaciem et intenſum frigus tuto aliter incedi vix poſſet. Ante portam ordines Zelandiae obvios habuit, adventum novo principi gratulanteis, eumque laudanteis ob pacem in Gallia ab eo nuper procuratam, [q] Cameracum obſidione liberatum, et profectionem in Angliam pro Belgii ſalute ſuſceptam.

VAR. LECT. [α] Dudleus Leceſtriae *D.* f. d. Ed. Gen.
[β] Villongbeius, Vindeſorus, Scheffeldius: *D.* f. d. Ed. Gen.
[γ] Sidneus, *D.* f. d. Ed. Gen.
[δ] Burcherus, *D.* f. d. Ed. Gen.

INTERPR. [a] *Tomar.* [b] *Almerin.* [c] *Belen.* [d] *Angleterre.* [e] *Cantorbery.* [f] *Dover, ou Douvre.* [g] *Dudley, comte de Leiceſter.* [h] *Baron de Hunſdon.* [i] *les Lords Willoughby, Windſor, & Sheffield.* [k] *Sidney, Shirley, Perrot, Ruſſel, Drury, & Bourchier.* [l] *Fleſſingue.* [m] *d'Eſpinoy.* [n] *Calais.* [o] *l'hôtel de ville.* [p] *Middelburg.* [q] *Cambray.*

ſuſceptam. Inde ſub veſperam a porta urbis ad hoſpitium deſignatum, per ſepimenta quatuor paſſuum ſpatio exſtructa et facibus ardentibus quaſi coronata, deducitur; oppidanis ſub x ſignis egregie armis inſtructis, inter tubarum clangores et tormentorum ubique ex navibus et ex urbe diſploſorum fragores, ſemper praecedentibus. Poſtea in urbis baſilica ſumptuoſiſſimo epulo exceptus; et, dum apparatus Antuerpiae maturaretur, aliquot dierum moram facit, quibus magnitudinem urbis plateis et aedificiis ad ſplendorem exſtructis inſignis praecipue miratus eſt, in tam exigua inſula, [a] Walacrena ſcilicet, ſitae, et a tribus aliis haud contemnendis oppidis uno tantum milliare diſtantis. Claſſem etiam LIV navium, quae ad eum per [b] Scaldim portandum in portu erat, luſtravit; ac demum XIII Kal. Mart. conſcendit, et Lilloam poſtridie venit, propugnaculum loco commodo, qua anfractuoſior et anguſtior fluvius contrahitur, ſitum; in quo pernoctavit, ac matutino tempore ad urbem venit; qua juxta arcem praeternavigata praeſidiariarum navium longo ordine praecedentium et ultimum agmen claudentium comitatu, et ad crepidines, ripas, paſſim armatis ad XX CIↃ ſe circumfundentibus, tandem inter tormentorum fragores ex claſſe et urbe reſalutantium praetoria exſcendit; a Brabantiae ordinibus et urbis ſenatu, quos [c] aeneatores et ceteri miniſtri equis inſignibus vecti comitabantur, magnifice admodum exceptus. In campo XX oppidanorum peditum cohortibus et aliquot equitum alis cincto [d] tribunal cum ſella aurea erectum erat, ad quod dux deducitur. Ibi coram Ordinum proceribus, nobilitate ac delegatis provinciarum, [e] Heſſelius juriſconſultus, nomine omnium, qui aderant, habita oratione, Deo optimo maximo et celſitudini ducis gratias agit, adventumque felicem gratulatur, quem, repudiato ob juſtiſſimas cauſas Philippo, in patriae defenſorem delegerint: proinde paratos cunctos ei cultum et obedientiam juſto ac legitimo more jurare ac praeſtare. Ad haec convenienter pro tempore dux gratias viciſſim agere pro delato ſibi tam honorifice provinciarum patrocinio, ut eas ab Hiſpanorum tyrannide liberet, et juxta legum ac conſuetudinum normam privilegia et libertates antiquas gubernet. Neque vero ſe ſola aequitate cauſae, quae maximum momentum apud ſe habuerit, ſed honoris et benevolentiae tam prolixe ſibi ab ipſis exhibitae ſignificatione permotum, ut hoc negotium ſuſciperet: in quod ſe proprias, regis fratris, reginae Anglorum opes, vitam denique et ſanguinem, profundere paratum oſtendit. Secundum haec [f] laeti introitus, ut vocant, capita [g] Teutonice cum Gallica interpretatione recitantur, in quae dux, praeeunte [h] Theodoro Lieſveldio Brabantiae cancellario, et evangeliorum codicem ad id paratum habente, adigitur. Alterum et jusjurandum proceribus, nobilibus, ac civitatibus provinciae dicit; ſe nempe bonum aequumque principem fore, et rempublicam non ad arbitrium, ſed juxta juris et libertatum formam, adminiſtraturum. Quibus peractis, toga longa ex [i] holoſerico purpureo armellinis pellibus farta, pileus item [k] ducalis ſeu diadema, proferuntur: dumque togam Arauſionenſis ei induit, Deum comprecatus, ut felix fortunataque inauguratio eſſet, hoc [l] principale pallium, quod ſumis, (inquit) arcta tibi fibula nectendum eſt, ne quis illud detrahere poſſit. Mox et pileum ſolemni ceremonia capiti imponit, eumque ducem Brabantiae primus ſalutat. Poſt Arauſionenſem Ordinum proceres novo principi certa formula, cancellario verba praeeunte, ſacramentum dicunt. Inde [m] Verkeus urbis patronus coram magiſtratu, et ejus juſſu, affatur populum, edicitque ducem urbi et ſacri imperii marchionatui fidei

INTERPR. [a] *Walcheren.* [b] *l'Eſcault.* [c] *Trompettes.* [d] *Theatre.* [e] *le docteur Heſſelz.* [f] *les articles de la joyeuſe entrée.* [g] *en Flamand.* [h] *Dierick de Lieſveldt.* [i] *de velours cramoiſy fourré d'ermines.* [k] *chapeau ducal.* [l] *manteau ducal.* [m] *Vanderwercke, penſionaire d'Anvers.*

CIϽ IϽ LXXXII. HENRICUS III.

juſjurandum paratum dicere; quae ſimulac Brabantica lingua dicta lectaque fuere, dux juſjurandum in [a] Straleni urbis ammanni manus dicit; quo accepto, Stralenus clavem deauratam in obſequii ſignum duci tradit, quam ille acceptam Straleno reddit, eamque fidei ejus committit. Tum fecialium praeconio dux Brabantiae, Limburgi, ac [b] Loterii, alta voce pronunciatur, perſonantibus tubis et feſtis acclamationibus praeconium publicum excipientibus. Sparſa dein in vulgus miſſilia, in quibus nummi aurei et argentei erant, Franciſci tanquam Brabantiae ducis effigie in antica parte ſignati: in poſtica ſymbolum ipſius coelatum erat; ſol nempe nubeis diſcutiens et terram fovens, cum hac inſcriptione, FOVET ET DISCUTIT. Poſtea dux equo ſtragulis pretioſiſſimis inſtrato vectus per portam imperialem ingreditur urbem. Praecedebant praefectorum militiae urbanae [c] vicarii, viatores, aeneatores, tum inſtitores diverſarum nationum, Germani, Angli, (nam Itali fere et Hiſpani antea exceſſerant) patrio habitu veſtiti. Sequebantur longo ordine civitatis publici miniſtri ac magiſtratus; poſt eos Ordinum aeneatores, proceres, ac delegati incedebant, quos rurſus nobiles Brabantiae ſequebantur; quos excipiebant cancellarius provinciae, et Lamorallus [d] Ecmondanus, comitis Ecmondani, qui Ordines deſeruerat, frater. Dein Helvetii ſtipatores, et Galli ac Angli proceres. Proxime ante ducem incedebant praefectus urbis, [e] margravium vulgo vocant, aperto capite virgam juſtitiae ferens, et [f] Peterſemius Merodius, qui tribuni equitum Brabantiae officio die illa fungens gladium diſtrictum geſtabat. Ducem cingebant ſtipatores Galli, et urbis ſcloppetarii, ac baliſtarii, cujuſmodi armorum collegia in ea urbe plurima ſunt. Sub portam ſeviri Antuerpiani cum [g] uraniſco ex panno aureo villoſo occurrunt; ſub quo dux dum incedit, obvium habuit currum triumphalem, quo virgo Antuerpiana civitatem referens vehebatur. Inde per arcus ubique ſumma magnificentia exſtructos ad palatium tandem deducitur; jam inclinata die, ita ut paſſim funalia accendi oportuerit: quod tanta frequentia et ordine adminiſtratum fuit, ut in mediis tenebris clariſſima dies illuceſcere videretur. Ad reliquam pompam acceſſit comitatus CCC circiter reorum ac damnatorum, qui nudis capitibus longae reſti omnes annexi lamentabili voce novum principem veniam admiſſorum poſcentes ſequebantur; quam et impetrarunt. Ita dies inter ceremonias, tormentorum diſploſiones, feſtas acclamationes, ſpectacula, exacta. Dein VIII Kal. Mart. qui in diem Jovis incidebat, dux in [h] baſilicam urbis venit, et in [i] ſolio ad id parato conſedit; ac conceptis verbis [k] conſulis manu prenſa juſjurandum, viciſſim ammanno verba praeeunte, magiſtratu urbis coram populo erectis digitis eadem verba reddente, obedientiae ſacramento fidem duci obſtrinxit; ſparſis interim, ut prius, in vulgus miſſilibus, et tubis paſſim clangentibus. Tum magnificentiſſimo epulo dux et nobilitas Gallica et Anglica in baſilica ipſa parato excepta eſt. Poſtridie Angli proceres, commendata multifarie Belgicis provinciis ac duci regina, et viciſſim poſt gratias a duce actas, honorificentiſſime dimittuntur. Dein Proteſtantium delegati ſeorſim ad ducem per Arauſionenſem introducuntur, et, poſt gratulationes ſolitas et cauſam ſuam commendatam, ſpe non dubia foveri ſe dicunt, cuncta novi principis auſpiciis proſpere afflictis his provinciis obventura, haud aliter atque olim ſub Burgundiae ducibus ex eadem gente, hoc eſt, ex illuſtriſſima toto orbe Gallorum regum gente, prognatis; quorum inſigneis virtutes ut imitari velit, rogant, et exemplo avi ſui

INTERPR. [a] *le Sr de Stralen, l'Amptman de la ville.* [b] *Lothier.* [c] *les ſergents majors, huiſſiers, trompettes, marchands.* [d] *d'Egmond.* [e] *Marckgrave d'Anvers.* [f] *le baron de Merode Sieur de Pieterſem, qui pour ce jour faiſoit l'office de mareſchal de Brabant.* [g] *Dais de drap d'or frizé porté par ſix gentilhommes.* [h] *Maiſon de ville.* [i] *Theatre.* [k] *Bourgmaiſtre.*

ſui Franciſci literas ac literarum profeſſores in ſuam tutelam patrociniumque recipiat, et honorifice habeat, obſecrant: nam honorem artes alere, et cunctos accendi ad ſtudia gloria. Poſtremo fauſta ei et pacata omnia precati, Deum optimum maximum, ſupremum regum ac principum Dominum, orant, ut ipſum ſtrenuum ac juſtum inſtar Davidis, ſapientem inſtar Salomonis, gloriae divinae ſtudioſum inſtar Ezechiae praeſtet. Ad haec dux cum modeſte pro ſe reſpondiſſet, laudata populorum concordia, et Proteſtantium ſibi praecipuam curam fore, et virorum doctorum patrocinium ſuſcepturum ſe pollicetur; atque effecturum, ut ſpei de ſe conceptae exitus rerum porro reſpondeat, neque ſtudium ac diligentiam ſuam in publica adminiſtratione deſiderare poſſint. Dimiſſis animo bene ſatisfacto Proteſtantibus, ſuperabat, ut majorum religionis cultoribus, quibus uſus ſacrorum et conveniendi libertas paulo ante interdicta fuerat, ſatisfieret; eo magis, quod dux eandem cum ipſis religionem profiteretur. Ea de re jam cum Arauſionenſi egerat, qui, qua erat prudentia et animi aequitate, aequum duxit, ad placandam mutati in Belgio rerum ſtatus invidiam, ut Catholicis libertas priſtina novi principis beneficio reſtitueretur. Itaque diploma ea de re confectum, quo prius interdictum abrogatum eſt; ac Eid. Mart. publice promulgatum fuit. Eo templum B. Michaelis Catholicis libere ad conveniendum aſſignabatur, et ſacerdotibus, qui a duce deligerentur, in eo ſacra peragendi facultas dabatur; ea lege, ut regi Hiſpaniarum Philippo obſequium renuncient, et obedientiam celſitudini ſuae et Antuerpianae civitati jurent: quod ni prius fecerint, templi aditu prohibeantur. Inſuper, ne extraneis in urbem confluendi et religionis praetextu turbas excitandi occaſio praebeatur, ex oppidanis ii tantum hoc beneficio fruantur, qui tribus ab hinc annis hac in urbe larem fixerint. Qui vero convenient, ſine armis in templum veniant. Praeterea edicitur, ne quis ob religionis diverſitatem in vigiliis et excubiis agendis, aut alibi, injuriam dicto vel facto inferat; addita capitis et bonorum amiſſionis poena. Cum autem eo edicto Catholici, ut beneficio ducis fruerentur, ipſi fidem addicere ex formula tenerentur, et in exedra templi ad conveniendum conceſſi ad id delegati ſtarent, complures tam diu expetito ſacrorum uſu carere, quam antiquum principem ejerare, ſive inſito amore, ſive periculum veriti, maluerunt: ac nemo fere, praeter mulierculas, templo intereſſe conſpectus eſt; donec alio edicto III Eid. April. promulgato, poena CC florenorum in non parenteis pronunciata, ad obedientiam praeſtandam a magiſtratu compellerentur. Poſtremo, cum ne ſic quidem edicto ſatisfieret, cuncti coram praefecto quiſque ſuo citati ſunt; exilii poena ſancita, niſi intra treis dies ſacramentum dicerent. Inde cum Ordinum delegatis agi coeptum; et prima de republica conſultatio fuit, qua ratione, in hac rerum perturbatione et aerarii anguſtia, duci CC florenorum CIↃ in ſingulos menſeis promiſſa exſolvi, et reliquis neceſſitatibus ſatisfieri poſſet, remediumque malis praeſentibus tempeſtivum adhiberi; ita ut, hoſtium refraenatis conatibus, pax tantopere optata ac ſecuritas ſperata toto Belgio conſtituatur. Nam Brabantia hactenus aluerat praeſidia [a] Lirae, Mechliniae, Bruxellis, Herentalae, Dieſtae, Wilvordae, Hochſtratae, Weſterloii, Mergretae, Willebrocae; partim etiam [b] Bergis ad Somam. Querebantur et Flandriae ordines ſe nimiopere gravari; quippe qui CXXX peditum [c] cohortibus, XX [d] turmis equitum, ſtipendia penderent: quae onera, exſolutis CC florenorum CIↃ promiſſis, in ducem recidebant. Quae

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Liere, Malines, Bruxelles, Herentals, Dieſt, Vilvorden, Hooghſtraten, Weſterloo, Margrite, & Willebroeck.* [b] *Bergen-op-zoom.* [c] *Enſeignes de gens de pié.* [d] *Cornetes de cavallerie.*

CIϽ IϽ LXXXII. HENRICUS III. Quae cum dignitati ac ſplendori principali tuendo et militi tot locis alendo non ſufficerent, inde fiebat, ut bellum ſegniter et lentius, quam par erat, plerunque gereretur.

XII. In Flandria ſub id [a] Meningae praeſidiarii haud longe a [b] Vorcomio multos primarios viros ex regiis callide interceperunt, cc Epirotis equitibus fuſis; quos equis, ſarcinis, et omni re ſpoliarunt. In Atrebatibus et feliciter a noſtris [c] Lentium tentatum ac captum, duce [d] Braveo: quod ubi nunciatum Emmanueli [e] Lalanio Montinio, ſtatim eo accurrit, luſtratumque locum cum equitibus obſidione cingit; ratus terrore ſubitae obſidionis injecto Gallos nondum firmatis rebus inde diſceſſuros. Verum ſpe ſua falſus eſt, et tardius, quam ſperaverat, adveniente peditatu ad obſidionem neceſſario, noſtri eruptione facta cum damno ipſum repulerunt, et recedentem intra pomoeria uſque [f] Duaci caedendo inſecuti ſunt. Poſtea obſeſſi cum haud ſatis muniti ſibi viderentur, inſtante neceſſitate, cum hoſte denuo obſidionem moliente paciſcuntur, et locum Kal. April. relinquunt. Prorex, poſt captum anno ſuperiore [g] Tornacum, militem indigenam, quem reliquum habebat, locis vicinis diſtribuerat; qui non contentus, non ex diſciplina militari, magno hoſpitum incommodo, delicate vivere, etiam a nolentibus ingentem pecuniam exigebat: unde cum crebrae querelae non ſolum ad ipſum afferrentur, ſed etiam ad Atrebatum et Hannoniae ordines, ille, qua erat prudentia et ſagacitate, inde occaſionem arripuit militis externi, quem nuper in gratiam ordinum dimiſerat, revocandi. Nam vocatis in conſilium ordinibus demonſtrat, quanto cum provincialium onere ac detrimento bellum a voluntariis militibus licentiae aſſuetis, neque ducum imperiis audientibus, maximo ſuo cum dolore, non geratur, ſed cauponetur: neque vero modum aut eorum licentiae aut juſtis provinciarum querelis factum iri, donec externi milites dictis ſuorum ducum parentes, et qui ſtrenue rem gerant, reducantur. Id ipſos exemplo Ordinum foederatorum diſcere debuiſſe, qui viribus propriis diffiſi Gallorum veterum Belgii hoſtium opem imploraverunt. Itaque conſultum videri, ut legatio in Hiſpaniam quamprimum decernatur, mittanturque viri fidei exploratae ac prudentiae, qui de re pecuniariâ cum rege agant, et neceſſaria in id bellum ſerio deinceps gerendum parent. In id facile a proceribus et ordinibus belli morae pertaeſis aſſenſum, mittiturque in Hiſpaniam Jo. [h] Saracenus S. Vadaſti abbas; cujus adventus eo gratior Philippo exſtitit, quod is maxime omnium in Hiſpanos initio debacchatus fuerat, habita etiam oratione, quae publicata eſt; et ſuſcepta hac legatione errorem agnoſcere, et poenitentia ductus quaſi recantare, videbatur. Auditus is perbenigne a Philippo, qui rurſus Hiſpanorum in Belgium mittendorum apprime cupidus, occaſionem tam opportune a Farneſio captatam tacitus in ſinu gaudebat. Itaque duas Hiſpanorum, totidem Italorum, legiones ſine mora in Belgium mitti placuit; in idque ſeptingenta aureorum millia aſſignata ſunt: inſignes etiam tituli, ut nuper Roberto [i] Meloduno Eſpinoii fratri, ita et aliis proceribus, ad eorum promerendam gratiam, indulgenter a Philippo conceſſi ſunt.

XIII. Dum res ad vim apertam parantur, minime ab inſidioſis conſiliis ceſſatum fuit. Poſt proſcriptum a Philippo Arauſionenſem, Joannes [k] Iſonca Cantaber Bellica Camarica oriundus, et annonae olim in Belgio praefectus, cum rei conficiendae commoditatem circumſpiceret, cognovit Gaſparem [l] Anaſtrum popularem.

INTERPR. [a] *Menin.* [b] *Warcoin.* [c] *Lens.* [d] *le Brave.* [e] *de Lalain, Sieur de Montigny.* [f] *Douay.* [g] *Tournay.* [h] *Saraſin, abbé de St Vaaſt.* [i] *Robert de Melun, frere puiſné de Pierre prince d'Eſpinoy.* [k] *de Yſunca Biſcayen, natif de Victoria.* [l] *de Añaſtro.*

popularem ſuum, Antuerpiae [a] menſariam a longo tempore exercentem, in eo eſſe, ut acciſis rebus [b] foro cedere cogeretur; cumque ex deſperatione ad quodvis facinus patrandum facile impelli poſſe ratus, per literas ante decem menſeis [c] *Oliſſipona* datas, et poſtea per emiſſarios ſolicitaverat, ut ad Dei gloriam, quam Arauſionenſis per ſectarium virus oppugnaret, ad Belgii tranquillitatem, quam ille per defectiones turbaret, rem ſuſciperet, quae ipſi ad decus et privatum commodum redundatura eſſet: in idque chirographum a rege miſerat, quo re confecta xxc ducatorum CIↃ praeſenti pecunia, et inſuper S. Jacobi, quam vocant, commendam, et fortunarum amplificationem, prolixe promittebat. Anaſtrus periculum veritus diu ſuſpenſa mente deliberaverat, ſed ad cladeis domeſticas novis quotidie ſupervenientibus oppreſſus, tandem ex deſperatione conſilium capit, et rem Antonio [d] Venero Flaviobriga Vaſconum nato, qui argentariam arcam apud ipſum ſervabat, in arcano aperit; et, denudatis vulneribus domeſticis, quid Iſonca ſecum egerit, demonſtrat, profuſis ubertim lachrimis, quas paribus lachrimis Venerus remunerat, heri ſui vicem dolens, et tamen ad facinus, ſive ob periculum, ſive conſcientia, exhorreſcens. Cum igitur videret Anaſtrus Venerum ſe facinori patrando minime offerre, ex ipſo percontatur, an Joannes [e] Jaureguius, qui ipſi ad menſariam inſerviebat, juvenis xx circiter annorum, ſubtriſti et obſtinata natura, et, ut ſibi videbatur, conſtanti ad quodvis, quod patrandum ſuſcepiſſet, animo praeditus, facinus auſurus eſſet: verum ille conſcientiae ſcrupulum injicit, monetque videat, an imprudentem juvenem manifeſto exitio objicere ſalva conſcientia liceat. Cum nihilominus inſtaret Anaſtrus, et poſtquam Arauſionenſis a principe, qui juris vicem ſuppleat, perduellis pronunciatus et proſcriptus eſſet, cuivis licere ipſum interficere, tanquam in jure ad mortem damnatum, pertenderet, idque conſultis in Hiſpania theologorum ſententiis ſibi ita conſtare affirmaret; faceſſere juſſo Venero, Jaureguium evocat, et altum ſuſpirium ducens, niſi, inquit, fidem tuam et conſtantiam cum vera pietate conjunctam exploratam haberem, minime te hoc reipublicae et rerum mearum ſtatu compellarem. Oculos meos rubenteis et turgidos vides, nec cauſam, ut puto, ignoras: nam te principis noſtri injuriis, et publica calamitate hujus provinciae, quae nobis, licet in Hiſpania natis, altera patria eſt, pridem tangi animadverti. Meam autem privatam vicem, qui aliorum calamitate et culpa non mea obruor, dolere te ſerio ſenſi. Harum exitum jam diu fruſtra circumſpicienti tandem occaſio a Deo oblata ſe in manus dedit, qua principem, patriam, meque ſimul, ſi tibi tantum animi eſt, his turbarum et calamitatum labyrinthis extricare potes. Illarum caput et ducem reſpice: is eſt Arauſionenſis, qui prima fide, quam Deo debebat, irrita facta, eam principi ſuo poſtea abnegavit, et jure merito ob id proſcriptus, contumelioſo ſcripto deteſtanda audacia publicato, principis nomen ac dignitatem petere auſus eſt; et poſtremo, corruptis popularitate affectata Belgarum ingeniis, exterum principem ſuperinduxit. Is ſupremi magiſtratus ſententia, hoc eſt, principis judicio, damnatus; ſi fidem erga Deum, et, ſecundum Deum, erga principem et patriam liberare volumus, de medio tollendus eſt. Magna in id rex pollicetur: ſed neque tam promiſſorum magnitudine, quanquam et haec ad res privatas meas ac tuas pertinent, quam conſcientia moveor; quae ignaviam, imo et perfidiam, nobis exprobrat, ſi Deo hominibuſque inviſum tyrannum, ad perniciem harum provinciarum natum, diutius vivere patiamur. Deſinenti obortae rurſus lachrimae, et poſtquam juvenem irretortis

INTERPR. [a] *etoit banquier.* [b] *preſt à faire banqueroute.* [c] *Liſbonne.* [d] *de Venero, natif de Bilbao en Biſcaye.* [e] *de Jaureguy.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

irretortis oculis et toto vultu, antequam vocem mitteret, ſcelus promittentem arcte complexus eſt, Jaureguius ore imperterrito retulit: ecce me paratum vides; ad caedem jamdudum apud me meditatam auctoratus adſum, aeque de periculo, quam de conditionibus, nam nullas peto, ſecurus; quippe mori certus. Tantum vide, ferrone an ſcloppeto res tentanda ſit: ego ſcloppeti inſolens ferro certius feriam. Unum hoc te rogo, ut me apud Deum precibus tuis commendatum habeas, et apud regem efficias, ut patris jam ſenis rationem habeat, neque eum in egeſtatis ſqualore mori patiatur. Dicentem heic interfatus Anaſtrus; ut laudo propoſitum et conſtantiam tuam, ita te melius de exitu ſperare velim gloriae, quae tibi ex recte facto parata eſt, ſuperfuturo. Hanc te fiduciam ex precum et votorum, quorum tibi exempla tradam, vi et efficacia capere jubeo. Tum pugillares ſuperſtitioſis codis devotarum precationum ſpecie conceptis implet, et ante omnia ſcripto fidem facit, quod qui pugillares caperet, legere neceſſe haberet; quo regis nomine promittebatur, ſi is, qui facinus patraſſet, humaniter a magiſtratu urbis tractaretur, fore, ut quas vellet aequas a rege conditiones urbs acciperet. Ea ſpes caute ab Anaſtro injecta furenti juveni, ne calore primo remittente temerarii promiſſi poenitentia ſubiret; qua et effectum eſt, ut audaciam adjuvante impunitatis ſpe in propoſito perſeveraverit; explorataque commoditate xv Kal. April. qui in dominicam incidebat, facinus adgreſſus ſit. Anaſtrus Martis die praecedenti urbe exceſſerat, et per [a] Brugas facto itinere [b] Dunkerkam ac Gravelingam, ac poſtremo [c] Tornacum venerat. Jaureguius die conventa coram Antonio [d] Timermanno olim Dominicano, qui in Anaſtri aedibus ſacrum in arcano celebrare, et ipſum ac domeſticos ejus ad fidele colloquium admittere, ſolitus erat, peccata pro more confeſſus; poſtremo ſubjecit, ſibi animum eſſe, ad liberandum tyrannide et pravitate ſectaria Belgium, Arauſionenſem occidere. Nec abnuit Timermannus, modo non ſpe lucri id faceret, ſed omnia conſilia ſua ad Dei gloriam, regis et patriae commune bonum, referret. Ita expiationem delictorum ab eo impetravit, et poſt ſacrum peractum euchariſtico myſterio participavit. Inde cum Antonio Venero ſe rem confecturum rurſus confirmaſſet, ſumpto vini exotici hauſtu ad arcem tendit, in qua Arauſionenſis hoſpitium habebat; qui poſt matutinam concionem, cui interfuerat, jam prandebat cum [e] Lavallo et Hohenloo comitibus, ac propriis filiis, [f] Joanne Naſſovio, Henrico [g] Guſſerio Bonniveto, [h] Rocho Sorberio Prunaeo, aliis. Remotis demum menſis, dum ille globo aſtantium circumfuſus in cubiculum pergeret, Jaureguius turbae immiſtus ſcloppetum diſplodit; nam interim ut res ſcloppeto ageretur, convenerat; cujus glans ſub aurem dextram penetrans maxillam ſiniſtram per palatum ſub dentibus ſuperioribus tranſvolavit. Attonitus ictu Arauſionenſis, ut poſtea ipſe teſtatus eſt, primo corruere aliquam aedium contignationem exiſtimavit; mox in deliquium incidens a circumſtantibus, ne caderet, ſublevatus eſt. Ubi paulatim ad ſe rediit, ſtrepitum et confuſas voces audiens, et ex igne jam ad crineis ardente, quod erat, conjiciens, rogare coepit, ne percuſſorem interficerent; aequo ſe animo quippe, malefico ignoſcere. Sed jam a nobilibus primum irae impetum non cohibentibus aliquot enſium ictibus tranſfixus, et poſtremo a corporis ſtipatoribus ac ſatellitibus interfectus fuerat. Cum in cubiculum duceretur Arauſionenſis, in proceres Gallos intuens ſaepius auditus eſt, cum diceret, ducem in ſe

INTERPR. [a] *Bruges.* [b] *Dunquerque, & Gravelines.* [c] *Tournay.* [d] *Timmerman.* [e] *Comtes de Laval & Hohenlo.* [f] *Comte Jean de Naſſau.* [g] *Gouffier, Sieur de Bonnivet.* [h] *Roch de Sorbiers, Sieur des Pruneaux.*

ſe fidum miniſtrum amittere. Sparſa rei fama ſubito ingens in urbe tumultus exoritur, paulumque res a ſeditione abfuit: nam populus paſſim diſcurſare, arma quaſi contra hoſteis poſcere. Tum ſtatim tenduntur catenae, et ad ſtationem ſuam cum armis ſub praefectis quiſque ſuis ſe confert. Ita in turbata civitate utcunque ſedatus motus. Major in aedibus ipſius Arauſionenſis trepidatio fuit, ubi inter credula et levia ingenia diſſeminato rumore, quaſi conſciis Gallis et ſtipatoribus ipſis ſcelus patratum eſſet, qui percuſſorem non irae impetu, ſed de induſtria, ne auctor noſceretur, interfecerant; eoque magis vereri domeſtici, ne quod per unum tentatum erat, conferta vi perficeretur. Itaque prima cura fuit, Hohenloo ſatagente, ut domus oſtia fidis cuſtodibus munirentur; faceſſere juſſa turba, et quibus minus fidebatur. Dux ad S. Michaelis coenobium hoſpitium habebat, eo die natalem ſuum celebraturus; in idque paratae erant decurſiones, ludi Trojani, haſtiludia, et in veſperam pompae perſonatae. Qui ubi de caſu cognovit, perculſus animo, et quod jam ſpargebatur paſſim veritus, ludicra illa ſpectacula omiſit, et fidos mittit ad Arauſionenſem; qui, quaſi moriturus, et Belgii et ducis, cui tot difficultatibus conflictandum eſſe provideret, vicem lamentabatur. Interea Mauritius, ex Anna Mauritii Saxonis ſeptemviri filia paulo ante mortua natus, adhuc puer, ſed prudentia ſupra annos innata praeditus, corpus interfecti percuſſoris diligenter veſtigat, ſcloppetumque primo reperit, mox ſchedulas quaſdam et faſciculum literarum; tum pugillareis, quibus vota et epodae illae ſuperſtitioſae, quibus poſt patratam caedem ſe periculum elapſurum ab [a] Anaſtro deceptus ſperaverat, continebantur: quae omnia poſtea publicata, quia lingua Hiſpanica conſcripta erant, jam tum Gallos a ſuſpicione de ipſis falſo concepta abſolverunt, Santalgondano ultro citroque commeante, ut ſuſpiciones purgaret; eoque major in aedibus quies, et ſola cura ut veritas facti indagaretur. Igitur cadaver occiſi in [b] pegmate erectum in foro ſtatuitur, ut ab omnibus conſpiceretur; cognitoque ex multorum conſenſu ex Gaſparis Anaſtri domeſticis fuiſſe, protinus ad ejus aedeis itur; et Antonius Venerus, qui in iis eventum opperiens remanſerat, comprehenditur. Captus et Antonius Timermannus ex ſuſpicione, quod ad Anaſtri aedeis crebro itare, et ex indicio etiam eo die ſacrum in iis celebraſſe dicebatur. Primo negabat Venerus; ſed interceptis Anaſtri literis, quas Brugis ad ipſum dederat, et prolatis, convictus, rem, ut erat, confeſſus eſt: ejuſque indicio Timermannus etiam convictus rem itidem confeſſus eſt; ad extremumque addidit, putaſſe ſe poſt proſcriptionem licuiſſe cuivis impune et ſalva conſcientia Arauſionenſem occidere; ſed poſtea melius inſtructum, et re apud ſe diligentius perpenſa nunc priorem ſententiam retractare, et errorem ingenue agnoſcere, ejuſque veniam a ſenatu implorare; ac petere ut ad priorem confeſſionem haec declaratio addatur, et, ſiquidem olim illa edatur, cum hac declaratione conjunctim publicetur. Tandem uterque ad mortem damnatus, et rogante Arauſionenſi, ſi quidem morte digni judicarentur, ut mitiſſimo ſupplicio afficerentur, in pegmate prius ſtrangulati in quatuor partes ſecantur, et capita ac membra eorum pro portis et urbis propugnaculis ſtatuuntur: quae quadriennio poſt, urbe recepta, inde ex quorundam Pontificiorum conſilio ablata, et ſummo cultu ac veneratione publice prius habita, poſtremo terrae mandata ſunt. Arauſionenſis, ut erat robuſto ac optimo corporis habitu, initio convaleſcere viſus fuit, venis ex ſcloppeti ictu admoto propius igne contractis ac corrugatis, ita ut ſanguis omnino ſiſteretur; donec poſt

INTERPR. [a] *de Anaſtro.* [b] *Eſchaffaut.*

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

poſt decimum a vulnere diem, cruſtula vulneris decidente, tam copioſus ſanguis tamque abundanter fluxit, ut ſiſti omnino non poſſe putaretur; fruſtraque tentatis remediis a medicis, tandem, ex Leonardi [a] Botalli Aſtenſis regii medici, qui tum Andino operam navabat, conſilio, homines adhibiti, qui aſſidui alii aliis ſuccedentes, pollice ad vulnus applicato, profluvium, quod alia omnia remedia reſpuebat, ſtiterunt. Et ita per aliquot dies continuato remedio, praeter omnium ſpem contracto vulnere, Arauſionenſis priſtinam ſanitatem reciperavit, et poſtridie Kal. Maii in templum, ut Deo gratias ageret, venit; cum ſuperiore omni tempore, ex quo vulneratus fuerat, ſumma in urbe moeſtitia et conſternatio oppidanorum, tanquam in patriae parentis et liberatoris funere, fuiſſent, et aſſiduis precibus ac indictis ſaepius jejuniis pro ejus ſalute litatum eſſet; Catharina ipſius ſorore, Guntheri Schuartzenburgi comitis uxore, nullum genus officii circa aegrotum praetermittente, et Carlota Borbonia conjuge inprimis, quae, inopinato viri caſu jam ab initio perculſa, ad pavorem et pavori dolorem ſupervenientem accedente vigiliarum incommodo, in graviſſimum morbum incidit; ex quo III Non. Maias tandem, ingenti non ſolum marito cariſſimo ſed etiam omnibus deſiderio ſui relicto, deceſſit, et quatriduo poſt magno plus quam CIↃ CC atratorum funus proſequentium comitatu elata, et ad primarium urbis templum in circumciſionis ſacello tumulata eſt. Arauſionenſi ſtatim vulnerato Anaſtrus [b] Tornacum ad Farneſium venerat; et ad primam rei famam, Anaſtri inſtigatu rem confectam affirmantis, prorex ad Antuerpianos, Gandenſeis, Brugenſeis, Iprenſeis, et alias civitates, VIII Kal. April. literas dederat, quibus eos, quaſi per Arauſionenſis turbarum incentoris mortem ſublata mali cauſa, ad concordiam et obſequium regi ſuo, de cujus clementia ſpem faciebat, praeſtandum, enixe hortabatur. In eandem rem ipſe Anaſtrus ad Dionyſium et Laurentium [c] Meurſios, qui [d] Gandavi erant, eodem die ſcripſerat. Sed contrariis literis ad urbes ſcriptis, de bona Arauſionenſis valetudine ſpem facientibus, cuncti in officio ſe continuerunt; eoque majoribus animis, facti indignitate ac pravo exemplo exacerbati, ad bellum gerendum inflammati ſunt.

XIV. PRIMUM omnium a Gallis tentatum fuit [e] Namurcum, ubi erat Margarita proregis parens; expugnatu facile creditum per Aegidii comitis Barlemontii, qui loco praeerat, abſentiam. Igitur comportatae ſcalae plicabiles, nigro colore, ut magis fallerent, tinctae: ſed diſſidentibus ducum ſententiis, et praepotenti proregis equitatu vicino tantam rem aggredi minus tutum cum videretur, re infecta diſceſſum eſt. Contra, prorex, [f] Lentio Hannoniae oppidulo Kal. April. eo, quo diximus, modo a Montinio recepto, in Flandriam exercitum deduxit, tanquam [g] Meninas obſeſſurus; verum mox [h] Aldenardam deflexit, urbeculam ſitu munitam ad [i] Scaldim poſitam, a Nerviis antiquis, ut indigenae volunt, olim Nervium dictam. Loco praeerat Fridericus [k] Borcthius, poſt [l] Manſardum inde ab oppidanis, quod praeſidium introducere conatus eſſet, expulſum. Admotis XXIII majoribus tormentis magna vi oppidum pulſatum; cui ſuſtinendae cum intus pares non eſſent ſeu praeſidiarii ſeu oppidani, cataractis laxatis ſubjectam planitiem mergunt. Sed prorex belli prudentiſſimus et locorum naturae gnarus ſic caſtra muniverat, ut relicto a tergo commeatus, qui Tornaco ſubvehebatur, libero acceſſu, minime ab inundatione incommodaretur: et contra, per eam auxiliaribus ad obſeſſos aditus praecluderetur. Nam planis cymbis ad id paratis diſcurrebant regii, et crebris oppugnationibus obſeſſos gnaviter ſe initio defendentes

INTERPR. [a] *Botal d'Aſte.* [b] *Tournay.* [c] *de Meurs.* [d] *Gand.* [e] *Namur.* [f] *Lens en Hainaut.* [g] *Menin.* [h] *Oudenarde.* [i] *l'Eſcault.* [k] *Vander Borcht.* [l] *le Sieur de Manſard.*

CIↃ IↃ LXXXII.

HENRICUS III.

defendentes fatigabant. Maxima ad unius portae propugnaculum vis fuit, in qua multi utrinque interfecti, et ex defenſoribus [a] Bernouillius Antuerpianus; cujus morte infracti oppidanorum, alioqui continuis vigiliis ac laboribus multum debilitatorum, animi; tandemque diſcordantibus ſententiis, cum nulla aut ſera ſpes auxiliorum eſſet, obſeſſi cum prorege paciſcuntur, his conditionibus: ut praeſidiarii, qui vix L erant, nam nuſquam ab initio plures admittere voluerant, cum armis et ſignis exirent; oppidani XXXVI CIↃ florenorum exſolverent; Proteſtantibus ſpatium unius anni conceſſum ad deliberandum, religionem ſuam ejerare, an urbem relinquere malint. Paulo poſt regii [b] Gauram quoque capiunt. Dum prorex caſtris ſe contineret, neque dux viribus inferior cum aggredi par eſſet, urbes circum tentatae: [c] Rupipotius comes [d] Curtracum, Antuerpiani Araſchotum eodem tempore tendunt, quo pluribus locis hoſtium vireis auxilio venienteis diſtraherent. Interea [e] Tianus Nivellae, Olivarius [f] Templeus Bruxellarum praefecti, et [g] Garda peditum tribunus, evocatis undique praeſidiariis, Aloſtum hora intempeſta noctis ſecunda aggrediuntur IX Kal. Maias. Oppidum tenebat [h] Mucronius, et cum aliquot militibus [i] Likerkius; qui ſtrepitu excitatus, cum ad arma cunctos vocaſſet, oppidani ad partem debiliorem accurrunt: noſtri contra, quo defenſores non venturos providerant, hoc eſt, per magis munitam partem juxta Bruxellenſem portam, vim faciunt, et ope tabulatum et carrorum propius accedentes treis ſcalas in foſſa erigunt; ad quas plerique pectore tenus aqua extantes, et ore ſcloppetos, funeis accenſos, et pulverem nitroſum, ne aquae madore corrumperentur, gladios denique ſtrictos dextra geſtantes, tranſeunt, et in murum enituntur; et quanquam ſcloppeti ictu trajectus, qui primus nomine Regius ſtrenuus miles aſcenderat, ceteri nihilominus audacter pergunt, et ad CC murum ſuperant, trucidatis primum excubitoribus. Tum pulſata, quae de induſtria comportaverant, tympana, ut major oppidanis terror injiceretur; qui ad ſtrepitum ſubito accurrentes duo tormenta diſplodunt, ſed exiguo Gallorum damno. Secundum haec in platea a noſtris inſeſſa acriter pugnatur, qui bis repulſi tandem reſtituentibus certamen ducibus oppidanos loco pellunt, et portam Bruxellenſem occupant; qua refracta Gallicus equitatus introducitur, eoque conſpecto praeſidiarii, qui C ac X circiter erant, et cives armati, ſe ad [k] curiam urbis recipiunt, per vias CC caeſis, et in iis XVII ſacerdotibus; aliis noctis favore defenſis, et per muros ſe demittentibus. Ad extremum, poſt ſemihorae ſpatium, quod mutua ſcloppetorum diſploſione extractum eſt, fit deditio. Capti Mucronius et [l] Aloiſius Nivellae abbas, qui ſe cum aliquot monachis IV CIↃ florenorum redemit. Deſiderati ex noſtris XXV. [m] Tianus Merodius cum Gallorum praeſidio oppido capto a duce imponitur. Is caſus a regiis, arce [n] Gaesbekana aſtu intercepta, penſatus eſt. Sic autem res geſta: aliquot cohortes alterae alteras fugant, propelluntque uſque ſub ipſam arcem: fugientes, praeda ſe onuſtos Aloſto nuper capto venire ſimulantes, portam aperiri petunt; nimiſque creduli praeſidiarii hoſtem intra arcem accipiunt. Haud multo poſt, ineunte Maio, Dieſtenſes et Herentalenſes diripiunt [o] Thenas, tanto praeſidiariorum terrore, ut ii ſe coenobio quodam vallis munito continuerint, quaſi ſpectaculum ſedentes, donec illi praeda avecta diſceſſiſſent. Sub id tempus Carolus Mansfeldius comes, qui nuper ejerata noſtra militia Philippo operam

INTERPR. [a] *Bernoeille.* [b] *Chateau de Gaure.* [c] *de Rochepot.* [d] *Courtray.* [e] *le Sieur de Tiant, gouverneur de Nienove.* [f] *de Tempel, gouverneur de Bruxelles.* [g] *le colonel la Garde.* [h] *le Sieur de Mouchron.* [i] *de Liedekercke.* [k] *Hotel de ville.* [l] *Pierre Aloy, abbé de Nienove.* [m] *le Sieur de Tiant de la maiſon de Merode.* [n] *de Gaeſbecque.* [o] *Tilemont.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III. operam ſuam addixerat, cum CIƆ IƆ equitibus Germanis Dunkerkam venerat, & aliquot Gallorum cohortibus, ope quorundam ex Guiſianorum factione ductorum, rege connivente, ne Andino fratri nimis aperte favere videretur, in limite conſcriptis. Contra eum [a] Rupipotius aliquot copias mittit, adjunctis iis, quas ad ſolvendam [b] Aldenardae obſidionem nuper miſerat. Quo cognito, prorex capta Aldenarda confeſtim advolat Kal. Sextil. et caſtra ſub [c] Bergarum Fani-Vinochi moenibus haud longe a Dunkerka metatur. Ibi et Galli caſtra proxime muniverunt, ita ut uterque exercitus rivo tantum interjacente dirimeretur. Rupipotius Bergis ex morbo decumbebat; qui tamen ſe in moenia portari jubet, ex quibus hoſtilium caſtrorum ſitum contemplatus, ex omnibus copiis, quas penes ſe habebat, bis mille ſcloppetarios delectos et IƆ equites emittit III Non. Sextil. ceteris in caſtris manere juſſis. Hoſtes numero majores jam foſſas et ſepes occupaverant, ita ut multis partibus ſuperiores noſtris viderentur. Noſtri tamen acri impreſſione facta amiſſam commoditatem reciperant. Heic Balenſonius regulus cum ferentariis ſuis equitibus ac ſcloppetariis juſſu proregis in peditatum impetum facit, ab Anglis haſtatis fortiter exceptus; qui et ipſum et ejus ſigniferum ceperunt. Tandem poſt obſtinatum certamen, in neutram partem plena victoria inclinante; ſed longe maximo hoſtium damno, utrinque diſceditur.

XV. PRIDIE illius conflictus [d] Lira, III ab [e] Antuerpia milliaribus, exiguum ſed munitum admodum oppidum, miro aſtu ex occaſione a prorege capitur. [f] Etveldius patricius Antuerpianus loco praeerat; qui, praeter alias cohortes praeſidiarias, unam Scotorum duce Gulielmo [g] Semplio ſecum habebat. Semplius, ut ipſe poſtea ad eluendam proditionis infamiam publicavit, injuriam ab Ordinibus ſibi factam ulturus, de oppido proregi tradendo clam egerat; quod ut perficeret, Etveldio inter pocula nimis credulo, neque quidquam de Semplio ſiniſtri ſuſpicanti, perſuadet, ad redimendum unum ex militibus, quem ullo pretio regii libertati reſtituere recuſabant, ut ex iis aliquot intercipiendi occaſionem captare ſibi liceret. Itaque re prius cum fratre, quem in oppido reliquit, communicata, ipſe cum XX delectis, VII praeſidiariis, et tympaniſta, quos illi Etveldius attribuerat, per portam Lovanienſem exit; et, cum duo a Lira milliaria proceſſiſſet, ſuos in pagi cujuſdam templum introductos quieſcere jubet. Tunc inſidiae patuere: nam Scoti milites Semplii juſſu praeſidiarios ab Etveldio attributos hoſtiliter apprehenſos vinciunt. Demum ex vicinis praeſidiis ex compacto delecti duce Claudio [h] Barlemontio Altapennio adveniunt, unaque cum Scotis quaſi ab expeditione redeuntibus Liram tendunt, vinctoſque praeſidiarios in medio agmine ſtatuunt. Scoti ceteri, qui in urbe remanſerant, cum fratre Semplii vicario, ac ſignifero, et duabus cohortibus excubias agentibus, in planitiem ſummo mane ante horam tertiam convenerunt; eodem tempore, quo Semplius cum hoſtium copiis ante portam oppidi comparuit, et intromitti petiit. Ilicet frater in [i] curiam pergit, et claveis a vigiliarum praefecto afferri poſtulat; nam Semplium ac ſocios re bene geſta et praeda onuſtos adeſſe. Praefectus nihil doli ſuſpicatus, is erat ea nocte Cornelius [k] Criecardus, admittendum Semplium cenſet, et cum ſuis ad portam tendit. Tranſeundae ad eam IV portulae erant, quas ut aliam poſt aliam tranſierant, ſubito qui intus remanſerant repagulis adductis claudebant. Ubi Criecardus intra vallum Semplium admiſit, mox ille, qui reliquas portulas clauſas ſciret, oſtiarium, qui cum Criecardo venerat, transfodit;

INTERPR. [a] *Comte de Rochepot.* [b] *Oudenarde.* [c] *Winoxberg.* [d] *Liere.* [e] *Anvers.* [f] *Eetveldt.* [g] *Semple.* [h] *de Berlaymont, Sieur de Haultepenne.* [i] *l'hôtel de ville.* [k] *Criechaert.*

transfodit; ipſum Criecardum graviter vulnerat. In eo conflictu Antonius [a] Graius, quidam e numero vinctorum, effugit, et ad [b] Fraſmanni turrim eos, qui in excubiis erant, ad arma vocat; quo intellecto Scoti conſcii, qui huc uſque diſſimulaverant, ocius accurrunt, clavibuſque oppidanis ereptis, portas inſtrumentis ad id paratis refringunt, et hoſteis intus accipiunt. Illi ſine ſtrepitu introducti cum jam pontem altum, quem vocant, ſuperaſſent, ab Hadriano [c] Buiteno cive principium fit tumultus; qui, quid rumoris eſſet, percontatus, cum multa inimici occurſus ſigna cernere ſibi videretur, gladium ſtringit; mox a Semplio gravi vulnere ſauciatus: continuoque tubae clangunt, Altapennio ſuperveniente; et hoſtes plateas, ne oppidani ad eas convenire poſſent, occupant; diffugientibus paſſim praeſidiariis ac oppidanis, qui muris ſeſe demittentes foſſas natatu ſuperabant. Tum ad praedas vertuntur; quibus minime contenti, in mulieres ac pueros mira intemperie ſaevierunt: nam plus CC occiſi; pleraeque etiam ſacrae virgines, et ipſa [d] noſocomii antiſtita, trucidatae ſunt. Semplius patrato facinore poſtea [e] Namurcum ad Parmenſem ſalutandum venit; a quo, praemium recepturus, ſive ut ſecuritati ſuae conſuleret, in Hiſpaniam ad Philippum cum literis commendatitiis ablegatur. [f] Lira capta perculſi Antuerpiani, B. Bernardi ſumptuoſiſſimum coenobium, cui ob viciniam, ne ab hoſte occuparetur, metuebant, ſtatim demoliuntur, et novas peditum ac equitum copias ad urbem tuendam conſcribunt. Antea dux, cum de republica conſultaret, ex Arauſionenſis et procerum ſententia multa decreverat; et ad evitandas fraudes ac impoſturas de captivis leges ſanxerat, et commercium omne cum hoſtibus, quantum ad merces et annonam, interdixerat. Quibus conſtitutis, ipſe in Flandriam profecturus, et poſſeſſionem ampliſſimae Belgii provinciae adepturus, cum Arauſionenſi, [g] Eſpinoio, aulicoque omni comitatu, Antuerpia diſcedit pridie Eid. Quintil. et per [h] Vliſſingam facto itinere biduo poſt [i] Sluſas venit; ac poſtridie ſumma cum magnificentia [k] Brugas per arcus triumphaleis ſub veſperam ingreditur, et, per vicos diſpoſitis armatis et facibus tota urbe collucente, paſſim Flandriae comes feſtis acclamationibus ſalutatur.

XVI. [α] HEIC conjuratio, longe omnium, quae retro ſaeculis memorantur, maxima, ex confeſſione Nicolai [l] Salſedae Dauvillerii per occaſionem detecta eſt: quae fatali caecitate a rege, privatis affectibus intento ſecus quam decuit, pro tempore accepta, et ad Andinum tantum et ejus ſequaces pertinere credita; poſtea ipſum regem totumque adeo regnum complexa eſt, et internecino decennali bello nomen Gallicum, paulum abfuit, extinxit. Nicolaus is Petri Salſedae Hiſpani, qui [m] Vici et Marſalii in Mediomatricibus praefectus bellum [n] cardinalitium ante XVII annos excitaverat, et poſtea in tumultu Pariſienſi ob id interfectus fuerat, ut ſuo loco diximus, filius, arcta neceſſitate Philippum Emmanuelem Lotaringum Mercurii ducem contingebat; quippe cum Nicolai parens, et Mariae Lucemburgae, quam Mercurius in uxorem duxerat, mater, ex [o] Belcaira Puiguillonia familia ambae prognatae eſſent. Eo factum, ut quanquam ſenſus paternae caedis repugnare videretur, Lotaringorum partibus in occulto

addictus

VAR. LECT. [α] *Tota haec de Salſedae conjuratione per novem fere paginas continuata ſerie ducta narratio, uſque ad* Thuanus cum reus torqueretur, *deeſt in* Edd. *D.* f. d. *quae tantum habent*, Sub id de Nicolao Salſeda ſupplicium Lutetiae ſumptum. *Obſervatu tamen non indignum videtur, quod in* *D.* f. hic locus duobus aſteriſcis * * quaedam deeſſe monſtrantibus notetur, quae in editione Genevenſi CIↃ IↃ CXX primo in lucem prodierunt. *C.*

INTERPR. [a] *Grey.* [b] *Fraſman.* [c] *de Buiten.* [d] *l'abbeſſe de l'hoſpital.* [e] *Namur.* [f] *Liere.* [g] *Prince d'Eſpinoy.* [h] *Fleſſingue.* [i] *l'Eſcluſe.* [k] *Bruges.* [l] *de Salcede, Sieur d'Auvilliers.* [m] *Vic & Marſal au pays Meſſin.* [n] *la guerre cardinale.* [o] *de Beaucaire de Peguillon.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

addictus eſſet. Viciſſim Lotaringi, ut facti illius memoriam obliterarent, omni eum officio demereri non ceſſabant; jam tum hominis opera, quem ad omne ſcelus obfirmatum animo norant, uti certi. Itaque, cum paulo ante adulteratae monetae poſtulatus, et, quia non comparebat, tanquam contumax ad mortem ignominioſam Rotomagi damnatus eſſet, Caroli Lotaringiae ducis interventu ei gratia tam gravis criminis ab rege indulgentiſſimo facta fuerat; quo magis ad quidvis, illorum ſeu rogatu ſeu juſſu, audendum ſe obligari ſentiebat. Poſt Joannis Auſtrii mortem [a] Philippus, qui eam inter proſpera ducebat, diligenter defuncti chartas ipſius ob ſuſpiciones, quas alibi dixi, conquiri, et in Hiſpaniam ad ſe afferri curaverat; ex quibus cognito arcano, quod illi cum Henrico Lotaringo Guiſio familiae ſuae apud nos principe, licet Mercurii dux prior gradu eſſet, intercedebat, quod ſuperſtite Auſtrio Franciae et Hiſpaniae aeque exitioſum rebatur, ſublato Auſtrio nobis quidem detrimentoſum ſed ſibi utile exiſtimans, foedus cum Guiſio jam ab illo tempore in occulto Philippus renovaverat, ad ejus onera ſuſtinenda L [b] aureorum CIƆ annua pactus. Foederi quaeſitus a religione color, quae, [c] regis nimium otio gaudentis diſſimulatione ac conniventia, et duarum religionum tolerantia, non mediocriter labefactabatur. Nam interea virus ſectarium paſſim pullulare; quod in Gallia adultum et vireis in dies ſumens, ne porro in Italiam et Hiſpaniam, ut jam in Belgium, ſerperet, metuere ſe dicebat Philippus; eaque de cauſa apud Guiſium inſtabat, cujus majores ſemper antea religionis cauſam tam ſtrenue propugnaſſent, ut ejus in Gallia, non ſolum florentiſſimi regni ſed vicinarum provinciarum periculo, intermorientis patrocinium ſuſciperet; eoque magis, quod rex, quamvis toties a pontifice et a ſe monitus, quarundam frivolarum rationum praetextu id negligeret, et negligentia ſua porro malum aleret. Itaque licere ipſi, qui principem in regno locum teneat, ſalva conſcientia tam juſtam cauſam tueri, omnique ratione efficere, etiam occultis tam in regno quam extra regnum foederibus et pactionibus, ut majorum religio ſarta tecta, et ab omni novae pravitatis vitio integra, ſervetur. Id conſultis theologorum, quorum magnus in Hiſpania proventus eſt, quidvis ad regis gratiam reſpondentium ſententiis confirmabat Philippus; et Guiſius ambitione innata et a cardinali Lotaringo patruo quaſi per manus tradita ardens, jampridem obnoxius, et foedere nuper cum Joanne Auſtrio inito veluti obligatus, facile ſibi hoc perſuaderi, et neceſſitatem res novas in regno moliendi imponi, paſſus eſt; accedente ad haec ſacri ordinis [α] favore, et quorundam religioſorum non ſegni opera, qui faſcinatam per ſcrupuloſas quaeſtiones plebem, ſenſim a principis et magiſtratus obſequio alienatam, ad defectionem ſolicitabant; adjuvante factioſorum conatus profunda regis ſecuritate, qui, dum privatis voluptatibus indulget ac rempublicam negligit, inter adulationes et pravas conſiliariorum, qui ex illius profuſis largitionibus ditabantur, diſſimulationes, futuri improvidus, nihil non agebat, quo omnium in ſe contemptum et ex eo exitiale odium concitaret. Inter haec, non tam virtute propria quam peccatis alienis, Guiſianorum nomen et opes quotidie invaleſcebant, ſolique in regno rerum potentes apparebant; Navarro religionis odio procul in extremas regni

VAR. LECT. [α] favore, et novorum religioſorum non ſegni opera, ac Jeſuitarum patrum inprimis, qui faſcinatam per ſcrupuloſas in arcanis confeſſionibus quaeſtiones plebem, ſenſim a principis et magiſtratus obſequio alienatam, ad defectionem ſolicitabant: quae omnia conſcio pontifice gerebantur, crebro commeantibus ad eum emiſſariis, qui brevia et occulta diplomata ad partium duces afferebant, et indies magis plebem ad ſeditionem incendebant; adjuvante factioſorum conatus fatali regis ignavia, qui, dum privatis *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *roy d'Eſpagne.* [b] *cinquante mille eſcus de penſion.* [c] *Henry* III.

regni oras atque adeo extra regnum in [a] Benearni pagum veluti relegato, ac Condaeo pariter, et reliqua familia, quae in aula manſerat, ſive ob rei privatae tenuitatem, ſive imbecillitatis conſcientia, in ordinem redacta. Nam cardinalis [α] Borbonius, poſt Ludovici [b] Minterni, de quo dixi, mortem, ab emiſſariis illis praeoccupatus, et a Guiſio, ſpe de regni ſucceſſione excluſo Navarro facta, deceptus, jam pridem omnem ſuorum charitatem exuerat, et ad ſeditioſorum partes toto animo propendebat. His jactis fundamentis facile erat belli internecini aedificium ſuperſtruere. Unus regis frater conſilia bene in ſpeciem procedentia retardare videbatur; quippe qui omnem paene regni nobilitatem, quae plurimum in eo poteſt, ſecum trahebat, et tranſlato in Belgium bello pacem in Gallia neceſſario duraturam reliquerat; alioqui averſo et infeſto erga Lotaringos animo, quorum conſilio et artibus factum putabat, ut Carolo et Henrico fratribus ſuſpectus, et ipſorum juſſu liberiori cuſtodiae eſſet traditus. Cum igitur Philippus prudentiſſimus princeps, cujus veluti ſtipendiis res gerebatur, ita judicaret, aliter ſe pacem in Belgio habere non poſſe, quam ſi bellum quamprimum in regno aemulo excitaretur; eo magis apud Guiſianos inſtabat, ut arma ſumerent: quod illi, alioqui omnis morae impatientes, et fidem ſuam Philippo approbare cupientes, cum tamen, niſi remoto impedimento, ad exitum perduci poſſe deſperarent, ante omnia Andino, quem rebus ſuis remoram afferre exiſtimabant, inſidias ſtruere decreverunt. Ad id Guiſius cum operam Nicolai Salſedae ſibi utilem judicaret, ad Carolum Lotaringiae ducem, et ipſum foedere occulto cum Philippo Guiſii interventu conjunctum, diligenter ſcribit, ut Salſedae per literas enixae voluntatis plenas injungeret, ad ſe quamprimum veniret. Salſeda, poſt gratiam a rege Lotaringi ſororii deprecatione factam, tamen quod ea in ſenatu [c] Rotomagenſi, a quo ſententia damnationis emanarat, promulgata non fuerat, in [d] Neuſtria manere nequaquam ſibi tutum exiſtimans, ab eo tempore apud [e] Curſanos cognatione ſibi conjunctos in [f] Campania latuerat. Tunc vero, acceptis Lotaringi literis, ad Guiſium venit; a quo ad facinus, quod mente agitabat, audendum ingentibus promiſſis invitatur; atque hac ratione inprimis, quod clara in Hiſpania familia oriundus indignam nobilitate ac meritis ſuis fortunam in Gallia experiretur, priſtinum gratiae et dignitatis locum in Hiſpania et apud Philippum reciperaturus, ſi operam ſibi addicere vellet. Videre illum quid in Gallia agatur, ut diſſimulatione ſectarium virus adoleſcat; cui malo ne remedium adhiberi queat obſtare Andinum, nunc, ſi Deo placet, ſe Brabantiae ducem indigitantem: quem in ordinem cogi, non ſolum unici religionis majorum hodie defenſoris, ſed et regni Galliae, quod monſtris hactenus caruit, ſummopere interſit. Ad haec Salſeda, ſcelerum conſcientia territus et grandi aere alieno oppreſſus, cum nihil non ſe facere paratum oſtenderet, ita inter eos convenit, ut ipſe legioni, quam Lotaringi ex milite delecto et egregie armato ſuis ſumptibus conſcripturi eſſent, ſe ducem praeberet; et per Philippi caſtra ad Andinum tranſiens ſe et amicorum ſuorum operam ei deferret, peteretque ut cum bona ejus gratia ſibi legionem conſcribere liceret; ſpe facta, ut milites, quos adduceret, ad compluſculos menſes ſub ſignis manerent. Sic enim fore confirmabat, ut dux in novo principatu conſtitutus, nec indigenis ſatis fidens, ſuis in dies non perſoluto ab Ordinibus ſtipendio dilabentibus, avide conditionem arripiat;

VAR. LECT. [α] Borbonius, qui aſſidue vici *MS. Samm. Put. et Rig.* inter monachorum greges verſabatur, poſt Ludo-

INTERPR. [a] *Bearn.* [b] *de Minterne.* [c] *Parlement de Rouen.* [d] *Normandie.* [e] *de Courſan.* [f] *Champagne.*

arripiat; et Salſedae aut firmiſſimum ex iis, quae duci ab Ordinibus attributa ſunt, oppidum committat, aut penes ſe ad corporis cuſtodiam legionem retineat: quorum alterutrum ſi in poteſtate habeat, magnum id ad res gerendas momentum allaturum. Sic autem ſibi perſuaſerat Guiſius, dolum feliciter proceſſurum, et Andinum animo repetentem cardinalitii belli memoriam, et ob Petri Salſedae parentis tumultu Pariſienſi a Lotaringorum emiſſariis ob veteres ſimultates interfecti ſenſum, facilem fidem Salſedae dictis adhibiturum. Nec opinione ſua omnino falſus eſt: nam cum Salſeda ad ducem Antuerpiam veniſſet, et legionem ſuam in limite mox adfuturam affirmaſſet, magna honoris et benevolentiae ſpecie acceptus eſt. Verum, ut ſcelera conſilium non habent, cum per hoſticum ex Lotaringia veniens iter feciſſet, et in caſtris regiis fuiſſe ſe minime negaret, idque res hoſtium noſcendi deſiderio velaret; Arauſionenſis, vir ſagax, qui omnia tuta metuebat, ex eo diligentius in advenae, ſibi ob Hiſpanam originem et criminum, ob quae damnatus fuerat, infamiam ſuſpecti, conſilia ac vitae rationem inſpicere coepit; animadverſoque, Lamorallum Ecmundanum, quem ipſe a matre nuper defuncta ſibi commendatum inter chariſſimos habebat, mutato proximo a ſuis aedibus hoſpitio in Salſedae hoſpitium remotius conceſſiſſe, juvenem levitatis ſuſpectae ſeducit, et, quid ei cum Salſeda homine novo negotii intercedat, ſubiracundo vultu quaerit. Cum Lamorallus vagis et longe petitis rationibus id primo excuſaret, ad extremum ſubjecit, in Salſedae familiaritatem ſe veniſſe, ut hominis rei alchymiſticae peritiſſimi opera uteretur. Id vero cum Arauſionenſem in ſuſpicionem adduxiſſet, aliquid monſtri alchymiſtico pejoris latere, Lamorallum monet, a ſcientia, quae tot hominibus impoſuiſſet, et homine non ſatis integrae exiſtimationis, aeque ſibi caveret; rogatque, ne quod eum monuerit Salſedae indicet. Interea rem ad ducem defert, et ſibi aliunde conſtare dicit, Salſedam obſtricta prius proregi, per cujus caſtra tranſierat, et a quo homines duos arcani conſcios acceperat, fide veniſſe; et, ſiquidem comprehendatur, multa de occultis hoſtium conſiliis per eum cognoſci poſſe. Prudentiſſimi viri monita minime neglexit dux; qui, poſtquam Salſeda ad ſe venerat, eum cum Lotaringis in gratiam rediiſſe cognoverat; quod ab initio ignorabat. Itaque, inſtigante Arauſionenſi, in ducis aedibus capitur, et coram duce ſiſtitur. Cum eo erant Franciſcus [a] Baſſa Brixianus, qui ſub Ferdinando Gonzaga olim meruerat, et Nicolaus [b] Hugotus Bordaeus Belga; ambo illi a Farneſio attributi: quorum ille, cum extra palatium exiturum Salſedam exſpectans de eo interrogaret, ex indicio comprehenditur; Hugotus fuga ſibi conſuluit. Id actum XII Kal. Sextil. Primo interrogatus Salſeda ſuſpicionem potius occultarum machinationum fecit, quam quidquam confeſſus eſt. Poſtridie coram duce rurſus ſiſtitur, et ſacramento adactus, ſponte, nec vi metuſve cauſa, ſicuti in ſcripto ferebat, confeſſionem hanc propria manu perſcripſit; culpam, quam erga regem ipſumque ducem admiſiſſet, agnoſcere ſe prius profeſſus, et utriuſque venia implorata culpam deprecatus. Eo ſcripto literas Lotaringi ducis ab [c] Aſſonvillio, qui res illius in aula procurabat, ſibi ſuperiore anno datas aiebat, quibus jubebatur ad Guiſium adire. His acceptis Guiſium in aedibus ſuis conveniſſe Lutetiae, a quo his, quae jam memoratae ſunt, rationibus invitatus operam ſuam ei addixerit; et primum ejus juſſu in Neuſtriam profectum, ut de claſſe, quae ad [d] Tertiam Strozzio duce deſtinabatur, et [e] Dieppae inſtruebatur, cognoſceret; inde reverſum, rem, ut ſe habebat, ſpeciatim Guiſio renunciaſſe. Illum vero, de numero navium, militum, commeatus copia, certiorem factum, cum Joanne Baptiſta

INTERPR. [a] *Baza de Breſcia.* [b] *Hugot dit de la Borde.* [c] *d'Aſſonville.* [d] *Tercera.* [e] *Dieppe.*

Baptiſta [a] Taxi Philippi apud regem oratore egiſſe, qui mox nepotem ſuum ad Alexandrum Farneſium in Belgium miſerit. Poſtea in Lotaringiam ejuſdem juſſu profectum eſſe cum literis ad Lotaringiae ducem, Chriſtophorum [b] Baſſumpetram, Chriſtianum [c] Savinium Ronaeum; aliiſque ad Helionorum [d] Cabotium Charnium Burgundiae praefecturae legatum, [e] Rupibaronium, et Clemontium: dein, poſtquam [f] Meduanius Guiſii frater ex Delphinatu rediit, ex Campania, ubi cum [g] Curſanis ſibi cognatis et Cl. [h] Eſſartio Solturio rei ignaris commoratus fuerat, evocatum tertio Lutetiam veniſſe, et ſub veſperam in Guiſii aedibus cum ipſo, Meduanio fratre, et [i] Villaregio, ad ſecretum colloquium admiſſum eſſe. Ibi varios a Villaregio ſecum habitos ſermones, quibus ad operam fideliter Guiſianis fratribus et regi Hiſpaniae navandam ipſum excitabat; dum interim Guiſius et Meduanius deambularent, chartas per vices e manibus Villaregii capientes, et ſibi nonnunquam oſtendentes: quibus lectis Villaregius ab ipſo quaerebat, nunquid res ex voto ſucceſſuras judicaret; nam nobilitatem fere omnem a ſuis partibus ſtare; Picardiam Aumalio duci addictam eſſe; Guiſium et Meduanium Campaniae et Burgundiae nobilitatem in poteſtate habere, proceres utriuſque provinciae Cabotii interventu jampridem fidem obligaſſe; in [k] Caletenſi agro Joannem [l] Moium Millaregium nobilitatem ſolicitare; Matignonum rei conſcium in [m] Conſtantienſi praefectura [n] Granvillam et Chereburgum tenere: in [o] Armorica item omneis portus a fidis teneri, ut [p] Breſtum a [q] Crenaeo, ita ut propugnaculis illis per mare appoſitis Andinus toto eo tractu prorſus excludatur. Contra, [r] Lugdunum ad excipiendos ex Italia foederatorum auxiliareis patere; et ab ea parte venturas copias a pontifice conſcriptas, et ſe cum Sabaudiae ducis exercitu, quem Jacobus [s] Nemoroſii dux Sabaudi gentilis adducturus ſit, conjuncturas. Diverſa parte, Hiſpanos per [t] Benearni pagum deſcenſuros, et Mendoſam Salſedae cognatione conjunctum cum delectis ex Biſcaia per [v] Lapurdenſem agrum et Baionam, cujus [w] Hillerius praefectus facti conſcius ſit, in regnum penetraturum. Tum Guiſianos fratres, Villaregio ad obſignandum faſciculum, quem ad Farneſium illi ſcribebant, intra cubiculum pergere juſſo, ſecum egiſſe, ut ad Farneſium fiduciarias literas perferret; excuſataque mora omnem ab ipſis diligentiam adhibitam confirmaret, ut omnia brevi parata eſſent ad regem in caveam conjiciendum: faſciculo autem illo exemplum commentarii ad regem Hiſpaniae mittendi contineri; ex quo perſpecturus ſit, quid virium in Gallia habeant, et quam praepotens ſit eorum factio. Tum ſibi a Guiſianis mandatum, moneret interim Farneſium, ut aliquantiſper exercitum contineat, et ſenſim [x] Caleto propinquet, ut cum tempus erit locum occupet; nam inde metu regi injecto, ipſum protinus ſummam armorum potentiam in eorum manus traditurum. Ipſe vero diplomate facultatem conſcribendae legionis a duce obtineat, nam eam ſumptibus ſuis inſtructam mox in limite adfuturam; et rationem reperiat, qua praeſidio Dunkerkae imponatur: ſiquidem portum in eo tractu habere maxime ad res ſuas firmandas pertinere. Id autem facile ſperare poſſe, ſi Farneſius Dunkerkae copias admovet: nam neceſſitate inde adactum, inde commoditate invitatum, ducem procul dubio legionem ex delecto milite conſcriptam in oppidum introducturum. His dictis, Villaregium cum faſciculo in conclave rediiſſe.

INTERPR. [a] *de Taxis.* [b] *de Baſſompierre.* [c] *de Savigny de Roſné.* [d] *de Chabot de Charny.* [e] *de Rochebaron, & de Clemont.* [f] *le duc de Mayenne.* [g] *Sieurs de Courſan.* [h] *des Eſſars Sautour.* [i] *Sieur de Villeroy.* [k] *Pays de Caux.* [l] *de Mouy, Sieur de la Meilleraie.* [m] *de Coutances.* [n] *Granville, & Cherbourg.* [o] *Bretagne.* [p] *Breſt.* [q] *de Crené.* [r] *Lyon.* [s] *Nemours.* [t] *Bearn.* [v] *Pays de Lapourdan, & Bayonne.* [w] *la Hilliere.* [x] *Calais.*

rediiſſe. Ipſum vero, accepto faſciculo, et obſtricta denuo fratribus fide, in Lotaringiam perrexiſſe: cum vero [a] Nancium jam veniſſet, per curſorem literis Guiſii monitum eſſe, ne, priuſquam nova mandata brevi mittenda accepiſſet, inde diſcederet. Poſtea luſcum quendam Hiſpanum brevi ſtatura veniſſe cum Guiſii literis, quibus jubebatur ad Farneſium contendere: Hiſpanum vero illum inde ad pontificem et Philippum cum Guiſii literis profectum eſſe VIII Kal. Quintil. qui dies B. Joanni Baptiſtae ſacer eſt; quo eodem die et ipſe inde diſceſſerit. Se vero, cum in Farneſii caſtris eſſet, multum a Farneſio interpellatum, ut a duce conſcribendae legionis diploma impetraret, ad occupandum in Flandria aliquem portum, ſicuti cum Guiſio convenerat. Poſtea, rurſus cum in aulam ducis veniſſet, cum Michaele [b] Combello ſecretos ſermones habuiſſe; quorum haec ſumma erat, illum III ſcloppetariorum CIϽ penes ſe habere, cum quibus aliam quam ducis fortunam experiri paratus eſſet. Nomina vero eorum, quos huic conjurationi participare ex Guiſianis intellexerat, haec edebat; Joannem [c] Aumontium equitum tribunum, Claudium et Renatum [d] Villoclaros fratres, et Georgium Claudii filium; Claudium [e] Caſtreum Biturigum, Franciſcum Mandelotum Lugduni, Joannem Moium Millaregium [f] Caletenſis praefecturae; Gerardum [g] Mauleonum Gurdanium [h] Caleti, [i] Corboranum Cardillacum Sarlabuſium [k] Franciſcopolis, Ren. [l] Tornaminium Hunaldaeum, [m] Armoricae praefectos. His addebat et Lud. Gonzagam [n] Nivernenſium ducem, Carolum [o] Lotaringum Ellebovium, Jo. Leomontium Pigallarium, Vidum Sangelaſium Lanſacum, Franc. Caſillacum Seſſacum Guiſii alae equitum legatum, Fulcaudum Jouſam Granpratenſem comitem, Franc. Balſacum Interamnatem Aurelianenſis provinciae legatum, Carolum Balſacum Dunenſem, fratres; Franciſcum Ciconiam Dieppae praefectum, Hadrianum [p] Breauteium regulum, Franciſcum [q] Serilliacum legionis Picardiae tribunum, [r] Aſſonvillium, et Barlemontium: et jactare Lotaringos [s] Arcuenſem, ita tunc inter eos vocabatur Annas Jouſa, ſuis partibus in occulto favere, quamvis in regis gratia praecipuum locum cum Eſpernonio teneret. Pro Lutetia vero regni metropoli quaſi fidejuſſores intervenire Nicolaum [t] Gendreum [v] Villaregii parentem, et Nic. Hotomanum, hominem inter plebeios magni nominis, et opulentum [α] creditum. Cum a Farneſio diſcederet, Italum ſibi quendam comitem datum aiebat, qui ad Gurdanium proficiſceretur, et de Caleto tradendo cum eo ageret. Praeterea inter conjuratos nominabat Franc. [u] Doum, qui gratia paulo ante deciderat, et in [w] Conſtantienſem Neuſtriae praefecturam conceſſerat; Joannem Doum [x] Manovium fratrem, ſtipatorum regii corporis praefectum; Laurentium Maugironum Delfinatus legatum, Franciſcum [y] Balmam Suſae comitem, Philebertum Guichium rei tormentariae praefectum. Poſtremo addebat, Romae apud pontificem conjurationis negotium curare Nic. [z] Pelieveum cardinalem; idque conjuratis conſilii eſſe, ut rege in carcerem conjecto, Andino in ordinem redacto, ac regia familia omni oppreſſa, regnum Franciae in regis Hiſpaniae

VAR. LECT. [α] creditum; qui tamen neſio poſtea in ſumma egeſtate deceſſit. Cum a Far- *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Nancy.* [b] *Sieur de Combelles.* [c] *le mareſchal d'Aumont.* [d] *de Villequier.* [e] *de la Chaſtre gouverneur de Berry, François de Mandelot gouverneur de Lyon, Jean de Mouy Sieur de la Meilleraie.* [f] *Pays de Caux.* [g] *de Mauleon de Gourdan.* [h] *Calais.* [i] *Corboran de Cardillac de Sarlabous.* [k] *Havre de Grace.* [l] *de Tournemine, Sr de la Hunauldaie.* [m] *Bretagne.* [n] *Nevers.* [o] *de Lorraine marquis d'Elbeuf, J. Leomont Sieur de Puygaillard, Gui de St Gelais Sieur de Lanſac, Fr. de Caſillac Sieur de Seſſac lieutenant de la compagnie du duc de Guiſe; Foucaud de Joyeuſe comte de Grandpré, Fr. de Balſac Sieur d'Entragues lieutenant general en Orleannois; Ch. de Balſac Sieur de Dunes, François de Cicogne gouverneur de Dieppe.* [p] *de Breauté.* [q] *de Serillac.* [r] *d'Aſſonville, & de Berlaymont.* [s] *le Sieur d'Arques.* [t] *le Gendre.* [v] *de Villeroy.* [u] *d'O.* [w] *de Coutances en Normandie.* [x] *Sieur de Manou, capitaine des gardes du corps.* [y] *de la Baume comte de Suſe, & Phil. de la Guiche.* [z] *de Pellevé.*

Hiſpaniae manus conſignarent: in hoc Ericum Brunſvici ducem, Lotaringiae ducis ſororium ac Hiſpanorum ſtipendiarium, ingenteis peditum et equitum Germanorum copias conſcripturum. Haec tunc confeſſio manu Salſedae ipſius conſcripta fuit, coram Rocho [a] Sorbeo Prunaeo, Mathurino [b] Carterio, Hugone [c] Lavernio ſtipatorum ducis praefecto. Poſt aliquot dies Salſeda literas ad ducem e carcere dedit, quibus in quibuſdam confeſſioni priori addebat, in quibuſdam detrahebat, remque leniebat; ac poſtremo ſe excuſabat, et poenam deprecabatur. Nam ad ſuperiores conjuratos etiam alios in Neuſtria, [d] Cantalupium et Bellangerum, addebat; et quod de [e] Nivernio, [f] Rupiguidonio, Cantalupio, de Caleto tradendo, de ſpe a Guiſianis concepta ut Caleto occupato rex ſummam armorum poteſtatem eis committeret, de Combello denique dixerat, amplius confirmabat. Tum ſubjiciebat, non ut vitae ducis inſidiaretur ad exercitum veniſſe; nam nunquam tam ſceleratum conſilium mente agitaſſe, neque ut id faceret a quoquam ſolicitatum eſſe: verum id ſibi conſilii fuiſſe, ut [g] Cameracum et Dunkerkam occuparet, et fidem tribunorum ſolicitaret, deque ſtatu rerum ipſius Guiſianos plenius edoceret, qui ad Farneſium inde reſcriberent, et porro Farneſius ad Philippum; efficeretque ut Lud. [h] Figeroa ipſius avunculus antiquo majorum patrimonio, olim occupato in ſuum commodum cederet. Nec vero aliud Guiſianorum conſilium fuiſſe, quam ut Picardiae ingreſſu et [i] Armoricae portubus ducem excluderent, eique omnem in patriam reditus viam obſtruerent. Tum ut cum tribus illis, quos priore confeſſione nominaverat, committeretur, petebat; fiduciamque in Deo certam ſe habere aiebat, ut, quae dixiſſet, nemo illorum diffiteretur. Ad extremum veniam ducis implorabat, ac flagitabat, ut ratio juvenilis aetatis haberetur, neque ſicarii aut [k] Maurevellii cujuſdam numero cenſeretur, ſed facinus a ſe non tanquam Gallo, ſed veluti ab Hiſpano, ab iiſque prognato, qui magnis in negotiis Hiſpaniae regibus operam ſuam navaſſent, ſuſceptum aeſtimaretur; ſicque dux ſtatueret, ſiquidem criminis gratiam faceret, vitam, quam dediſſet, ſe pro ſalute ac dignitate ejus quam fideliter et honorifice poſſet impenſurum. Ad has confeſſiones cum exhorruiſſet dux, et rem non ſolum ad proprium ſui ipſius, ſed etiam regis fratris periculum pertinere exiſtimaret, ad regem confeſtim [l] Dammartinum mittit cum literis fiduciariis, adjuncto confeſſionum exemplo; rogatque rem profunda cogitatione penſitet, ac propius inſpiciat, neque privatis affectibus propriae ſalutis regnique curam poſthabeat: jampridem ſuſpecta Lotaringorum conſilia eſſe debuiſſe, qui, regis indulgentia et impunitate audaciam adjuvante, nullum ambitioni modum cum faciant, neque ullam ipſi occaſionem praetermittendam, quo eos in ordinem cogat, naſcentique malo occurrat, ne adulta factione ſerum omne et intempeſtivum ſit remedium. Dum Dammartinus in itinere eſſet, Franciſcus [m] Baſſa, qui cum Salſeda captus fuerat, ſive conſcientia terrente, ſive ut tormentorum ſaevitiam effugeret, reperto forte ferro ſe confecit III Kal. Sextilibus. Itaque ſententia lata ad ſupplicium trahitur, et in quatuor partes ſectus patibulo affigitur; addito elogio, quod ducem et Arauſionenſem ferro aut veneno necare expreſſo principis Parmenſis mandato machinatus eſſet. Rex ad inopinatum nuncium et ipſe primo cohorruit, dimiſſoque Dammartino ſtatim Pomponium [n] Bellevreum, cujus innocentiae multum tribuebat, in arcano evocat, ſubtriſtique vultu ac confuſo;

Jampridem

INTERPR. [a] *de Sorbiers, Sieur des Pruneaux.* [b] *Chartier.* [c] *de Lavergne.* [d] *Chanteloupe, & Bellanger.* [e] *Duc de Nevers.* [f] *Comte de la Rocheguyon.* [g] *Cambray, & Dunkerque.* [h] *de Figueroa.* [i] *Bretagne.* [k] *Maurevel, qui en* 1569 *aſſaſſina Louis de Vaudrai Sieur de Moui; & en* 1572 *attenta à la vie de l'amiral de Châtillon.* [l] *le Sieur de Dammartin, conſeiller & chambellan de Monſieur.* [m] *Baza.* [n] *de Bellievre.*

Jampridem me expeditionis Strozzianae, inquit, eventus anxium tenet, de qua ſcis me ſemper cum dilectiſſima parente pugnaviſſe, ſed ad extremum precibus ejus victum, ut ſuſciperetur, annuiſſe, triſti ejus capto augurio: verum de eo Deus pro voluntate ſua decernet, et jam decreviſſe puto; major ſolicitudo animi inhaeret ex nuncio, quem modo a fratre accepi. Salſedam [a] Brugis ob ſuſpicionem captum audiviſti, cui, Lotaringiae ducis ſororii mei rogatu, nuper criminis [b] monetarii, cujus reus a Rotomagenſi ſenatu peractus et damnatus fuerat, gratiam feceram. Is interrogatus dira et horrenda narrat: ecce confeſſionis ad me miſſum exemplum; lege, et, ſi potes, conſtantiam in vultu ſerva. Acceptum ſcriptum cum percurriſſet Bellevreus, vultum identidem inter legendum mutans; rex, commotum te video, ut par fuit, et quanquam in his confeſſionibus multa ſunt, quae fidem earum apud me elevent, tamen, quia primordio veritatis nituntur, eas minime negligi exiſtimationis ejus intereſſe puto, qui non pro vita tantum propria, ſed pro tot animarum ſibi a Deo commiſſarum ſalute et publica ſecuritate, excubat. Itaque te unum ex omnibus conſiliariis, qui circa me ſunt, elegi, cui hoc ſecretum participarem, et per quem rei veritatem inveſtigarem. Te, cum [c] Villaregio arctiſſima voluntatum non ſolum conſenſione, ſed etiam neceſſitudine, conjunctum nequaquam ignoro; ſed potiorem fidei principi debitae et communis boni tibi curam eſſe ſcio: et quae de Villaregio heic dicuntur, merito mihi multis nominibus ſuſpecta ſunt, cujus fidem et induſtriam multis ac maximis negotiis mihi perſpectam habuiſſe videor. Te igitur ad fratrem cum Petro [d] Brularto (is erat unus e quatuorviris a ſecretis epiſtolis, cui Belgii negotiorum procuratio attributa erat,) proficiſci quamprimum jubeo; ipſe parenti rem communicabo: nec Villaregium id te celare volo, ne fidei ejus diffidere videar. Sic autem cum fratre ages, ut me de hoc negotio ſumme ſolicitum eſſe intelligat; omnique ratione apud eum contendes, ut reus, poſtquam eum meo nomine interrogaveris, in Galliam ſub fida cuſtodia adducatur. Quod ſi frater concedat, eum extra calumniae conſcientiam poſitum; ſi neget, ab iis qui circa ipſum ſunt, ſimultates occultas inter nos alentibus et quieti vitae meae inſidiantibus, rem confictam exiſtimabo. Cum his mandatis profectus Bellevreus et Brulartus Andinum Brugis conveniunt, et perhonorifice excepti ejus permiſſu reum interrogant; qui eadem, quae prius, Brularto loquentis verba excipiente et ſcriptis mandante, confeſſus eſt. Nec Bellevreo, ut ad regem reus deduceretur petenti, repugnavit Andinus, ultroque vinctum tradidit; ſubinde monito rege, ut diligenter in reum inquireret, nec ſe ullis affectibus aut praejudicata opinione in tantae molis negotio, in quo peccanti non ſit poenitentiae locus, tranſverſum agi ſineret. Ita ductus in Galliam Salſeda, et in [e] Vicennarum caſtro tertio ab urbe lapide primum a rege auditus, coram regina parente, cardinali [f] Birago, [g] Cevernio procancellario, Bellevreo, et Brularto, advocatis Chriſtophoro Thuano ſenatus principe, et Joanne [h] Gueſlaeo cognitore regio; cum recantaſſet, et vi ſibi a [i] Prunaeo, Lavernio, et Carterio illata, has confeſſiones ab ipſis dictatas deſcripſiſſe diceret, rex interfatus, cur eadem poſtea coram Bellevreo et Brularto, neque illis, quorum vim obtendebat, praeſentibus, repetiiſſet, quaeſivit: et Salſeda minis itidem Bellevrei territum ſe tunc fuiſſe, neque metum, quamdiu in ducis poteſtate fuerit, ceſſaſſe reſpondente, Bellevreus, alioqui homo patiens et ad aulicum obſequium factus, ſilentium abrupit, et calumnioſe haec a reo in ſe dici alta voce inclamavit. Inde ductus in urbem et in Baſtiliam arcem incluſus

eſt

INTERPR. [a] *Bruges.* [b] *la fauſſe monnoye.* [c] *de Villeroy.* [d] *Brulart, ſecretaire d'eſtat.* [e] *Vincennes.* [f] *de Birague.* [g] *de Chiverny, garde des ſceaux.* [h] *de la Gueſle, procureur general.* [i] *des Pruneaux, de Lavergne, & Chartier.*

eſt Salſeda, ubi rurſus coram rege iiſdem praeſentibus a Birago interrogatus, cum confeſſiones [a] Brugis factas a ſe vi extortas, ut prius, reſponderet, conſultatum fuit, quid de reo varia et ſibi pugnantia reſpondente agi deberet. Et variatum ſententiis: nam Thuanus, primus dicere juſſus, non tanti eſſe unius ſcelerati hominis vitam cenſebat, ut in ea perdenda multum ad ultionem momenti eſſet. Itaque videndum eſſe, an eum vivum ſervari expediret, ad conſcios, ſi quidem conjuratio vera ſit, terrendos, et, cum occaſio ſe offerret, etiam convincendos: ſin haec ab inquietis et malevolis hominibus calumnioſe conficta eſſent, ad innocentiam eorum, qui accuſantur, patefaciendam. Et ita ſibi videri paucorum verborum vir confirmabat. Enimvero prudentiſſimus ſenex, qui regem ad exitium ſuopte ingenio ruentem, ſolo mali impendentis metu intra legitimos dominandi fineis coerceri, eo ſublato in effuſam licentiam et omnia audendi libidinem laxari, magno cum aegri animi ſenſu doleret, fraenum impotenti naturae injici e re putabat; ut, ſervato Salſeda, tanti periculi memoria in oculos veluti incurrens in ſecuro ejus ingenio quotidie renovaretur, et conjurati ipſi a deteſtandis conſiliis indicii metu deterrerentur. Contra, alii diſſerebant, ſi quidem vera eſſent quae jactarentur, poena unius metum multis poſſe injici; qui contra, ſi ille ſervaretur, conſilium extremum rebus ſuis ex deſperatione eſſent capturi: ſin falſum Salſeda dixiſſet, matura calumniatoris poena innocenteis quamprimum abſolvi debere; alioqui fore, ſervato Salſeda, ut illi ſe ſuſpectos praeter jus haberi indignantes ex innocentibus nocentes reddantur. Sententia eorum tenuit; rege ſe cura illa ſemel liberare praefeſtinante, et Thuani mentem ſecus interpretante; quem, quod Andini fratris cancellarius eſſet, ſuſpectum eo in negotio habebat. Cum ille paucos ante menſeis regem moneret, ut tandem in [b] edictis fiſcalibus condendis modum faceret, alioqui, quod magno ſuo cum dolore dicere cogeretur, animo providere, ut crebrae defectiones ex eo paſſim toto regno conſequerentur; rex ingenuam viri optimi libertatem non ad ejus innocentiam ſed ad proprii ingenii contumaciam metiens, non ſolum recte monentem non audiverat, ſed ad adulatores, qui nimium quam multi in ejus aula erant, converſus, delirare illum contemptim reſponderat. Quod tamen vir bonus minime ad animum revocaverat; quippe qui nullo privato, ſolo reipublicae ſenſu, tangeretur: verum fatalem male conſulti principis caecitatem miſeratus, ſummum ex eo moerorem conceperat; qui poſtremo illi lethalis fuit. Nam Salſedae cauſa ad ſenatum, ut de ea cognoſceret, rejecta, cum mali ominis ſui haec prooemia interpretaretur, lenta febre, quae in hemitritaeum poſtea degeneravit, corripi coepit. Neque tamen propterea ſenatu abſtinuit, ſed judicio, ne abſentia ſua moram affectare videretur, aſſiduus praefuit, donec VIII Kal. Nov. ſententia in eum lata; qua decretum eſt, ut, tanquam majeſtatis regiae convictus, reus a quatuor equis in quatuor partes diſcerperetur, et ſingula membra totidem patibulis affixa ad quatuor praecipuas urbis portas ſuſpenderentur; caput Antuerpiam transferretur, loco a magiſtratu urbis deſignando affigendum; confeſſiones, literae privatae, et declarationes in lite factae, tanquam maligne ac calumnioſe ab ipſo contra decus quorundam principum, procerum, et aliorum, confictae, igni abolerentur. Additum, antequam ſupplicio afficeretur, ut quaeſtioni extraordinariae ſubjiceretur; in qua rurſus eadem, quae prius, confeſſus eſt: ſed poſtea, dum in carcerem per obſcuram ſcalam reduceretur, a Jeſuita quodam ſacerdote monitus, denuo recantavit, et ad mortem uſque in ea inficiatione

INTERPR. [a] *Bruges.* [b] *Edits burſaux.*

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

inſiciatione perſeveravit; Lotaringos bonos principes et innocentes a criminibus objectis inclamans. Rex quaeſtioni intereſſe voluit, ſed velo interjecto; et eodem die ex aedibus publicis ſupplicium ſpectavit: quod regia clementia minus dignum a pleriſque judicatum eſt.

XVII. [α] THUANUS cum reus torqueretur minime praeſens fuit, neque ſententiae, quae ex [a] breviculo tantum recitata eſt, ſubſcribere potuit, morbo ingraveſcente debilitatus; ex quo ſeptimo poſt die Kal. Nov. deceſſit, cum annos LXXIV, menſes III, dies V, exegiſſet; veris, non ſolum urbis ſed procerum et omnium regni ordinum, lachrimis defletus. Cum extremum diem inſtare cerneret, qui tota vita intrepidus fuerat, ſummam conſtantiam ſervavit; et multa de divina providentia praefatus, poſt actas pro tot cumulatis in ſe a Deo optimo maximo beneficiis demiſſa mente gratias, et commendatam regi, qui crebro ad eum viſendum miſerat, uxorem et familiam, etiam uſurpata B. Martini oratione, palam teſtatus, ſiquidem adhuc populo neceſſarius eſſet, nullum ſe laborem recuſare; ad extremum de republica etiam ſermonem habuit, et calamitoſiſſima tempora animo praeſagiens, eorum, qui poſt ſe victuri eſſent, vicem ſe dolere dixit, ac merito vereri, ne idem, quod olim Caſſandrae, et Salſedae fatum eſſet, ut cum uterque vera praedixiſſet, neutri a civibus ſuis, niſi poſtquam calamitatibus defuncti eſſent, de periculo fides habita fuiſſet. Quae illi noviſſima ad amicos verba fuere: poſt quae ſumpto ſacroſancto viatico ad tacitas preces converſus, in praeclaro animae cum corpore certamine placide defecit. Vir, praeter raram in rebus ſacris et juris priſci ac Gallici ſcientia eruditionem, vera pietate, prudentia, animi magnitudine, candore, gravitate minime fucata, charitate erga patriam, in omneis humanitate et aequitate inſigni, praeditus; et extra omnem avaritiam, quam et maxime deteſtabatur, ac livorem poſitus: hoc etiam aequali vitae tenore et innocentia conſecutus, ut, quanquam a ſuperſtitione et factionibus, quibus tanquam hamis homines ambitioſi vulgo auram popularem venantur, ſummopere alienus eſſet, maxima in veneratione apud populum fuerit, et ex ejus nutu ac voluntate omnes urbis ordines pendere crederentur. Itaque ejus auctoritate, quamdiu vixit, plerique factum putant, ut conſilia occulta, quae jam tum in arcano coquebantur, in apertam ſeditionem non eruperint; et ejus memoriae hic honos a prudentiſſimis etiam hodie habetur, ut credant, ſi in vivis fuiſſet, cum civitas inſano furore ſex poſt annis in principem bacchata rebellavit, eum praeſentia ſua motus ſedare potuiſſe: nam virum regii nominis perſtudioſum et patriae amantiſſimum, cui ex innocentia animus, ex animi magnitudine auctoritas apud plebem erat, ultro in publicum proditurum, et, cum cuncti ſibi privatim metuentes in aedibus laterent, inter medios ſeditionis clamores pectore intrepido plebi tumultuanti occurſurum fuiſſe. Rex, qui vivum, ut aſperum monitorem, defugerat, mortuum luxit et deſideravit; ex ipſiuſque ore ſaepius poſt ſeditiones paſſim exortas auditum, cum Hoſpitalium et Franciſcum Momorantium fruſtra itidem requireret, certam ſe fiduciam habere, Lutetiam, quamdiu Thuanus principem in ſenatu locum teneret, nunquam defecturam fuiſſe. Tunc certe, ſive invidiam mortis illius, quae aulicis imputabatur, apud populum leniret, ſive ex animo, poenitentia jam ſubeunte, Thuano magna pompa juſta perſolvi voluit; et cum is modicis exequiis, ut erat ab omni faſtu et oſtentatione alienus, ſepeliri maluiſſet, et mors ejus in id tempus incidiſſet, quo rebus prolatis

VAR. LECT. [α] Chriſtophorus Thuanus, qui judicio praefuerat, cum reus *D. f.* d.

INTERPR. [a] *la minute, arreſt qui n'eſt pas encore en forme.*

prolatis a jure dicundo ceſſabatur, eas differri juſſit, quouſque ſenatus poſt ſancti Martini feſtum coiiſſet. Funus, quod ipſe, cum intereſſe non poſſet, cum regina parente et uxore ex feneſtris ſpectavit, duxit frequentiſſimus ſenatus; et principes ac proceres omnes, qui in aula erant, atrati, cunctique urbis ordines, clauſis paſſim tabernis qua incedebat, effuſaque per vicos plebe, ſummo ſilentio in publici moeroris indicium proſecuti ſunt. Mortuum laudavit Joannes [a] Prevotius, magni nominis theologus, S. Severini curio et archipresbyter; et poſtea carminibus epitaphiis celebrarunt viri, non ſolum in Gallia, ſed etiam Italia et Germania, doctiſſimi; quae monumento marmoreo, illi a [b] Jacoba Tullia lectiſſima matrona, quae L totos annos cum eo concorditer ſine ulla animi laeſura vixerat, et heredibus, in proprio ſacello ad S. [c] Andreae aedem exſtructo, potiora cum viri innocentiſſimi memoria ad aeternitatem ſunt victura. In ejus locum a rege ſuffectus eſt, tanto magiſtratu digniſſimus, Achilles [d] Harlaeus curiae praeſes, qui Catharinam defuncti filiam in uxorem duxerat, et tunc ad juridicos dies peragendos, qui [e] Auguſtonemeti ſive Claromontii in Arvernis eo anno celebrati ſunt, aberat; ubi et perhonorifico funere et cenotaphio Thuani memoriae parentatum eſt. Ejus mortis nuncius novum Brabantiae ducem, cum jam Antuerpiam rediiſſet, oppreſſit, ex quo magnum dolorem ſenſit; quippe amico optimo orbatus, et in cujus fide, ſi quid regi fratri per abſentiam ſuam humanitus contigiſſet, ad continendos in officio Pariſienſeis, et Pariſienſium exemplo ceteras regni civitates, magnum momentum ponebat: ejuſque loco cancellarium dixit [f] Vidum Fabrum, de quo ſaepius honorifice locutus ſum, Thuano ipſi chariſſimum; qui tunc et ipſe per juſtitium abſens, in [g] Pibracium ſuum haud longe a Toloſa conceſſerat.

INTERPR. [a] *Prevoſt, curé de St Severin & archi-preſtre.* [b] *Jaqueline Tuleu.* [c] *St André des Arcs.* [d] *de Harlay.* [e] *Clermont en Auvergne.* [f] *Guy du Faur.* [g] *Pibrac.*

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER SEPTUAGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

ANDINUS *Brugis mutato ſenatu Gandavum tendit. Pugna apud Gandavum.* II. *Gaesbeka arx expugnata.* III. *Auxilia Farneſio ſummiſſa. Auxiliares item copiae Andino ſummiſſae.* IV. *Turcici legati, pro commercii libertate ad Andinum, Antuerpiae auditi.* V. *Schenkius in Friſia capitur, et, cum a regiis negligeretur, ad Andinum tranſit.* VI. *Lochemum fruſtra a Verdugo tentatum, qui Stenvicam tandem aſtu intercipit.* VII. *Regis profunda ſecuritas; et ſancti foederis, quod extinctum putabat, per eam renovata factio.* VIII. *Concionatores ex ambone ſeditioſe detonant; et plebis accenſae in Guiſianos occultus favor.* IX. *Kalendarii emendatio ex Antonii Lilii ſententia. Erroris altius repetitae et diſcuſſae rationes. Ejus publicationem urgente Caeſare in comitiis Auguſtanis Saxo ſeptemvir intercedit, tenuitque ne in Germania ab Auguſtanae confeſſionis principibus ac civitatibus reciperetur. In ſenatu Pariſienſi promulgatur; et in Belgio, Andino annitente. Synodus provincialis Burdigalae celebrata. Foedus cum Helvetiis renovatum.* X. *Foetus lapidei in utero Columbae Chatriae Agendici Senonum, cum corpus ſecaretur, hiſtoria amplius diſcuſſa.* XI. *Obitus Jac. Pelletarii, Laurentii Joberti, Georgii Buchanani.* XII. *Belli Colonienſis cauſae et initia. Coloniae urbis antiquitas et origines ſub Chriſtiano imperio. Gebbardus, qui Iſenburgico ſucceſſerat in archiepiſcopali et ſeptemvirali dignitate, ducta uxore, ſeptemviratum retinere tentat. Coloniae convenire Proteſtantibus interdictum. Gebbardi ad comitia Auguſtana legatio, et Coloniae cum armatis ingreſſus. Pontificis monitoriae ad Gebbardum literae. Proteſtantes Gebbardo praeſto ſunt. Ejus edictum, quo de confeſſione in religione ſua et libertate proteſtatur, nulla matrimonii mentione facta. Hoienſium comitum familia hoc anno extincta.* XIII. *In Ruſſia Pleſcoviae ſuperioris anni obſidio continuat; tandemque, interventu pontificis, pax inter Polonos et Moſcos coit, et Livonia penes Polonos remanet.* XIV. *Inde inter Polonum et Suecum de Livonia oritur controverſia.* XV. *Tatarorum ad Stephanum, dum Rigae eſſet, legatio. Jancola Walachiae deſpota principatu ſpoliatus, et Leopoli, Stephani juſſu, ſupplicio adfectus.* XVI. *Polonica comitia, et in iis propoſita à Samoſcio, ac decreta. Rigenſis archiepiſcopatus aboletur. Tatarorum Precopienſium motus.* XVII. *Res Boruſſiae ordinantur.* XVIII. *In Pannonia majoris motus metus.*

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, Jo. Parvo, Cenſorino, Plutarcho, Dione Nicaeno, Cl. Ptolemaeo, Dionyſio Exiguo, Jo. Regiomontano, P. Alliacenſi, Jo. Cuſano, Roberto Lincolnienſi, Paulo Mildeburgico, Jo. Geneſio Sepulveda, Jo. Fr. Spinola, Benedicto Majorino, Luca Gaurico, Ant. Ricobono, Joſepho Moletio, Sperone Speronio,

Speronio, Matthaeo Macino, Junctino, Alb. Leonino, Vido Ubaldo e marchionibus Montis, Fr. Fuxio Candala, Ant. Lilio, Joſepho Scaligero, Mich. Maeſlino, Chriſtophoro Clavio, Hugolino Marcello, Franc. Vieta, Mauritio Cordaeo, Jo. Aliboſio, Simone Provenchero, Mich. Iſſeltio, R. Heidenſtenio, Jo. Leunclavio.

LIBER SEPTUAGESIMUS SEXTUS.

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

ANDINUS interea, Brugis de more mutato ſenatu, [a] Gandavum cum Arauſionenſi proficiſcitur, urbemque regali pompa ingreſſus eſt. Ad eum mox exercitus [b] Loa et Dunkerka venit VI Kal. Sept. multum imminutus. Nam permulti Angli, quod cum Jo. [c] Norriſio tribuno ſuo minus conveniret, ad hoſteis transfugerant: neque plus IV armatorum CIↃ in ducis caſtris erant. Eos in pago quodam haud longe a Gandavo ſolutius agenteis cum aggredi in animo haberet Farneſius viribus potior, ſarcinis relictis, quo expeditior eſſet, eo tendit. Verum aſtus noſtros non latuit, qui ſubito arma capiunt. [d] Petreius caſtrorum praefectus, relicto [e] Seſſevallio, qui legioni praeerat, cum ducis ſatellitio, qui hoſtem levi certamine, dum ceteri ad iter ſe accingerent, et ſarcinae ac reliqua impedimenta in tutum ſubducerentur, diſtinerent, ſuos in aciem in tempore inſtruit, ſervatiſque ſemper ordinibus Gandavum verſus iter intendit. Fronti contra hoſtem praetendebatur Anglorum legio, adjunctis Germanorum equitum turmis; quos Joannis [f] Bukii legio ſequebatur, et ipſe Norriſius cum III Anglorum equitum et IV Gallorum ferentariorum [g] alis, qui volonum et emiſſariorum loco procurrebant. Poſt eos III equitum cataphractorum Gallorum turmae incedebant, cum legione [h] Foquerollii Petreii fratris, et Flandrorum ac Scotorum cohortibus: quae ſimul aciem conficiebant. Ultimum agmen ducebat Seſſevallius, cum Anglorum, quam dixi, legione, et magno haſtatorum numero. In prima hoſtium acie IV CIↃ peditum, et CIↃ circiter equites erant; quos noſtri, diſpoſitis per loca idonea a Bukio et Foquerollio inſidiis crebro contra eos erumpentibus, non mediocri damno affecerunt; retardato ipſorum impetu, quo minus totis viribus incedenteis aggredi poſſent; qui tandem incolumes, amiſſis tantum aliquot centurionibus, in urbem pervenerunt. Tum [i] Rupipotius, licet nondum bene confirmatis ex morbo viribus, urbe exit, et contra hoſtem ſuperbe adventantem inſtruit aciem; colle et molatrinis, quae [k] Livinianae portae adjacent, occupatis. Inde IV delectas cohortes cum Norriſii equitibus et aliquo haſtatorum Anglorum numero vim facere jubet, et hoſtem prolectare; ante praemonitas, ut incaleſcente certamine ſenſim cederent, et ſub moenia cedendo ſe reciperent: nam tunc res tormentis agi debebat. Sedebat ad ſpectaculum in pomoerio dux cum Arauſionenſi et [l] Eſpinoio. Heic acriter certatur, multis utrinque caeſis, pulſoque interdum hoſte, dum noſtri propius moenia aciem ſolutam rurſus inſtruunt: infeſta tormentorum diſploſione interim e moenibus fulminatur, qua non parum incommodati hoſtes; ſuperveniente tamen cum robore exercitus

INTERPR. [a] *Gand.* [b] *Loo.* [c] *le general Norris.* [d] *le Sieur de la Pierre, mareſchal de camp.* [e] *le Sieur de Seſſeval.* [f] *le colonel le Beuck.* [g] *Cornetes de chevaux legers.* [h] *de Fouqueroles.* [i] *le comte de Rochepot.* [k] *Porte de St Lievin.* [l] *Prince d'Eſpinoy.*

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III.

exercitus Parmenſi, ad duas horas in procinctu ſteterunt, velitari pugna nequicquam noſtros laceſſentes. Cum vero dux ab Arauſionenſi monitus in ſuſpicionem veniſſet, quaſi hoſtis trajecto flumine in [a] Vaſiam regionem commeatu abundantem tranſire vellet; ut tranſitum impediret, ſtatim omnem equitatum intra urbem revocat, exceptis tribus turmis, quas cum peditatu manere jubet. Quo cognito, Parmenſis in peditatum jam exiguo equitatu defenſum vim facit, acrique conſerta pugna rurſus multi utrinque cadunt. Octavius Gonzaga graviter vulneratur; equus Chriſtophori Mondragonii ſuffoditur: CC ex Hiſpanis deſiderati; nec minor noſtrorum numerus. Sub veſperam Parmenſis, humo mandatis ſuorum corporibus et ſauciis in currus impoſitis, cum exercitu diſcedit; plura, ſi majorem diligentiam adhibuiſſet, multorum judicio praeſtiturus. Poſtridie dux, relicto [b] Gandavi [c] Eſpinoio, cum omnibus ſuis tam peditum quam equitum copiis [d] Teneramundam proficiſcitur; ubi et ſumma magnificentia excipitur: et inde IV Non. Sept. [e] Antuerpiam eodem comitatu redit, dimiſſo per loca vicina ad vireis reficiendas milite.

II. DEMUM exeunte Septembri Franciſcus [f] Spinaeus Sanlucius cum II CIↃ peditum et IↃ equitibus, cum [g] Templeo item et Seſſevallio tribunis, in hoſtem educit; et, avectis Antuerpia tormentis, Bruxellas primo intendit: tum a Bruxellenſibus perſuaſus arcem [h] Gaesbekanam, quae a cohorte foederatorum et dimidia equitum ala tenebatur, et ob propinquitatem multum urbi incommodabat, aggreditur; tranſlatiſque, magna cum temporis jactura, alio atque alio tormentis, quod loricam arcis exteriorem altius ſpe exſtructam comperiſſet, tandem praeſidiarii ad colloquium adacti; qui cum puris baculis vita ſalva dimiſſi ſunt. Inde a Sanlucio miſſus Seſſevallius cum IV ferentariorum alis, qui [i] Toluſam arcem dedi peteret; quae iiſdem, quibus Gaesbekana, conditionibus tradita eſt. [k] Rupipotius, qui Liranos infeſtare in animo habuerat, [l] Ekovam, ſeſquimilliari a [m] Lira ſitam, duobus admotis tormentis verberare conſtituit; ſed vim veriti praeſidiarii ante pulſationem locum dedunt, et cum puris baculis vita ſalva dimittuntur. Mox et [n] Roſtum-caſtrum ad Demeram flumen juxta Hactham oppugnat; quod a praeſidiariis, cum per triduum reſtitiſſent, deditur. In ea obſidione ſauciati Rupipotius et [o] Garda tribunus. Poſtea [p] Duflenſes, aliorum exemplum ſecuti, in fidem a duce recepti ſunt. Exſpectabantur ab eo novae in dies e Gallia copiae, duce Monpenſerio; ita [q] Delfinus princeps, Ludovico Borbonio patre [r] Campiniaci in Turonibus IX Kal. Oct. ex morbo defuncto, jam vocabatur.

III. QUO cognito, Parmenſis limitem valido praeſidio munire conſtituit, et ingentem exercitum conſcribere, cum quo ſe medium noſtris, quo minus vireis jungere poſſent, interponeret. Exeunte aeſtate venerant ad eum ex Italia XLI Hiſpanorum ſigna, quae circiter V CIↃ peditum conficiebant, ſub duobus tribunis Mondragonio ſeniore et Petro [s] Paceco; totidem Itali ſub XVI ſignis, quibus praeerant [t] Marius Cardonius et Camillus Montius: praeterea ingens Germanorum, ac Burgundionum, et cunicSalariorum e Bohemia numerus. His acceſſerat nova Burgundionum legio ſub marchione Varambonio tribuno; VI Germanorum, ducibus Roberto [v] Gimbergo, Carolo comite [u] Arembergio, comite Barlemontio, Joanne

INTERPR. [a] *Pays de Waes.* [b] *Gand.* [c] *le prince d'Eſpinoy.* [d] *Dendermonde.* [e] *Anvers.* [f] *d'Eſpinay, Sieur de St Luc.* [g] *de Tempel, & Seſſeval.* [h] *de Gaeſbeke.* [i] *Chateau de Toulouſe.* [k] *le comte de Rochepot.* [l] *Eckoven.* [m] *Liere.* [n] *Roſt chateau ſur la Demere prés de Haeght.* [o] *le colonel la Garde.* [p] *Ceux de Duffele.* [q] *Dauphin d'Auvergne.* [r] *Champigny en Touraine.* [s] *Pacheco. Les autres hiſtoriens le nomment Pedro de Paz.* [t] *Mario Cardoino, & Camillo del Monte.* [v] *de Gimbergh.* [u] *les comtes d'Aremberg & de Berlaymont.*

Joanne [a] Manrice, Carolo [b] Mansfeldio comite, Floro [c] Barlemontio Floiono; IX Belgarum ſub totidem tribunis, Emmanuele [d] Lalanio Montinio, Philippo comite Ecmundano, Gabriele [e] Liqueſio, Pontio Noiella Burſio ſub id vita functo, [f] Albinio, et Manvio: praeterea Claudii Barlemontii [g] Altapennii, et Valentini Pardaei Motae copiae, ex omni natione collectae; [h] Billii Robleſii, item Anholtii Friſiae reguli, et Franciſci Verdugi legiones; XXVII Hiſpanorum et Italorum equitum alae, XII Belgarum; quae tantum IV CIƆ equitum conficiebant. Recenſito omni numero, in eo comprehenſis limitum praeſidiariis, numerata ſunt armatorum LX CIƆ; et putata diligenter ratione deprehenſum eſt, tanti exercitus ſtipendia quovis menſe regi ac Belgicis provinciis ſexcentis ſeptuaginta uno millibus, octingentis quinquaginta ſeptem aureis conſtare; praeter expenſas machinarum bellicarum, cunicularicrum, foſſorum, ac ſimilium, quae pro tertia juſti exercitus parte vulgo aeſtimari ſolent. Et tamen ex tam numeroſo exercitu Parmenſis ſaepe conquerebatur, vix XXX CIƆ in aciem educi poſſe, dimidia altera parte in praeſidiis tot locorum occupata. Cum iis quas penes ſe habebat primo [i] Cluſam Cameraco vicinam, quam noſtri munire coeperant, tentat, et admotis tormentis ad deditionem cogit. Mox et [k] caſtrum Cameracenſe deditur; CL praeſidiariis, qui in eo erant, cum armis dimiſſis. Loca et complura in propinquo in fidem accepta. Inde Novembri ineunte [l] Ninoven Flandriae oppidum corona cingit; quae, cum longius poſita eſſet quam ut ſuppetias laborantibus dux ferre poſſet, ab oppidanis deditur. [m] Likerka dein et Gaesbeka circa Bruxellas arces in fidem acceptae: quo ſucceſſu Parmenſis etiam Bruxellas tentare inſtituit, et, ſi vi non poſſet, penuria ad deditionem cogere. Sed cum commeatu viriſque egregie munita eſſet, erant quippe in urbe II CIƆ ſtipendiariorum Anglorum, et Gallorum duae peditum cohortes, et quatuor veteranorum equitum alae, tantum ſparſo e longinquo exercitu itinera inſedit: ſed irrito exitu; quippe illi, vaſtata a tergo [n] Hannonia et Atrebatibus, cum nihil e Gallia importaretur, ſummis anguſtiis conflictandum erat. Itaque, omiſſo hoc conſilio, in [o] Vaſiam, quae regio inter Antuerpiam, Bruxellas, et Gandavum jacet, maxime abundantem, et adhuc a direptionibus integram, diſcedere ſtatuit; rurſus infelici exitu: nam dux venientem antevertit, praecluſis itineribus, et perfoſſis aggeribus; ita ut accedente ad commeatus penuriam aſperitate hyemis, et inundationum incommodo, regii morbo et miſeria paſſim, magno cum imperatoris dolore, quotidie perierunt. Itaque exercitus in praeſidia reducitur, cum IƆ CC amplius Itali, ſive Hiſpani, toto illo tractu, ac praecipue circa Bruxellas, ex morbis languidi in aggeribus, ruſticorum ſeu ſaevitiae ſeu miſericordiae expoſiti ac relicti eſſent. Nec minor in ducis caſtris rerum omnium tota illa hyeme anguſtia fuit, morbo populari inter milites graſſante, et ad morbum accedente ſtipendii defectu; quo deſtituti milites turpiter ſtipem emendicare a praetereuntibus, magna nominis Gallici infamia ac dedecore, cogebantur. Jamque auxiliares copiae in limite comparebant, quas ſub Monpenſerio ducebat Armanus [p] Guntaldus Bironus equitum tribunus, praeteritis bellis tota Gallia clariſſimus dux, et iis, quae poſtea ſecuta ſunt, adhuc clarior; qui otii impatiens, a duce ſolicitatus, connivente rege, ultro hanc provinciam ſibi a regina demandatam ſuſcepit, et III CIƆ Helvetiorum, IV CIƆ peditum Gallorum, et aliquot equitum

INTERPR. [a] *Manriques.* [b] *de Mansfeld.* [c] *de Berlaymont, Sieur de Floyon.* [d] *de Lalain, Sieur de Montigny.* [e] *de Liques, & Pontius de Noyelles Sieur de Bours.* [f] *le baron d'Aubigny, & le Sieur de Manvy.* [g] *Sieur de Haultepenne, & Val. de Pardieu Sieur de la Motte.* [h] *de Robles Sieur de Billy, le baron d'Anholt de Friſe, & Fr. Verdugo.* [i] *l'Eſcluſe proche de Cambray.* [k] *Chateau Cambreſis.* [l] *Ninove.* [m] *Liedekercke & Gaeſbeke.* [n] *Hainaut, & Artois.* [o] *Pays de Waes.* [p] *de Gontaud de Biron.*

CIϽ IϽ LXXXII. HENRICUS III.

equitum alas, ſecum adduxit. Erant praeterea in exercitu [a] Lavallus et Anianus comites, nuper in Galliam ad maturanda auxilia profecti, aliique plerique e nobilitate Gallica. Ii per [b] Bononienſem agrum itinere facto, et [c] Caletum ac Gravelingam praetervecti, Dunkerkam petunt. Inde per vicina praeſidia [d] Teneramundae, [e] Diſmundae, et aliis locis diſtributi: nonnulli ulterius tendere, [f] Ekeloae ac in regione Vaſia manere juſſi. Conſcripti praeterea a duce Germani equites, quos Carolus Mansfeldius nuper dimiſerat. Quibus actis, Monpenſerius, Bironus, aliique belli duces, [g] Antuerpiam ad ducem venerunt, cum eo de belli proximo anno gerendi rationibus coram conſultaturi. Tantis copiis ſubnixo duce nihil virtuti Gallicae impervium videbatur; nec eventus defuiſſet, niſi pravis eorum, qui circa ipſum erant, conſiliis deceptus, vireis ad fortunae ſuae amplificationem comparatas, praepoſtera abſoluti imperii ambitione, in perniciem vertiſſet.

IV. Cum de Belgio in nominis Gallici tutelam ac patrocinium recepto fama Conſtantinopolim uſque emanaſſet, legati a Turco de mutuis inter Turcos et reliquas Europae gentes commerciis Antuerpiae inſtituendis acturi ad ducem venerunt. Ii XVIII mercatoribus Turcis in urbe ſedem praeberi petebant, ad quos merces Turcicae ex Aſia et Graecia per mare mediterraneum et Maſſilienſe in Galliam, inde terreſtri itinere [h] Burdigalam ad Garumnam, ac rurſus per mare Gallicum ac Britannicum Antuerpiam deveherentur. Re propoſita potius quam confecta, ac lautiis acceptis, dimiſſi legati; qui Antuerpia digreſſi per litoris Baltici civitates in Poloniam Lublinum, atque inde in patriam redierunt. Nec in aliis Belgii remotioribus provinciis interea ceſſabatur: nam Franciſcus Verdugus Friſiae pro tempore praefectus, qui ex humili loco, cum comitis Manſfeldii primum ſtabularius fuiſſet, virtute bellica et comitate morum meruerat, ut ſummis hominibus par haberetur, et tandem a munifico hero filiam notham in uxorem impetravit, IX Kal. Febr. [i] Oldemhornum obſidione cinxit; verum crebris obſeſſorum eruptionibus non ſine damno repulſus, tandem ab ea diſceſſit. Neque heic damnum ſtetit: nam [k] Nienortius poſtrema abeuntium agmina carpens multos ex iis cecidit, cepit, ac ſpoliavit. Sed mox ea jactura, [l] Bronkorſta et Keppela ab Ordinibus deficientibus, penſata eſt; ad quas cum diu Angli et Nienortii haeſiſſent, tandem poſt longam obſidionem, aquis intenſo frigore concretis, loca illa, vi facta, expugnata ſunt.

V. Nec multo poſt Martinus Schenkius, aetate vigens et rei militaris peritia pollens, qui [m] Blienbekam et alias circumpoſitas arces tenebat, ex iiſque crebro excurrens Rheni navigationem infeſtam Ordinibus reddebat, ab [n] Hohenſaxeno vicini praeſidii in Geldria praefecto aſtu deluſus intercipitur pridie Non. April. et ex urbe [o] Santena captivus abducitur. Jam ante biennium eandem fortunam expertus fuerat, a [p] Curtsbacchio captus; ſed hoſtileis manus deluſis cuſtodibus evaſerat. Cum vero libertati reſtitui peteret, idque negligenter a regiis curari aegre ferret, indignatione inde concepta homo generoſus regias partes deſeruit, et rurſus Ordinum militiae nomen dedit.

VI. Verdugus interea [q] Lochemum ad [r] Bekelam amnem haud longe a [s] Zutfania obſedit; jamque ad extremas anguſtias obſeſſos redegerat, cum Willelmus Naſſauvius Joannis grandior natu filius cum aliquot copiis ſupervenit, et copioſum commeatum ſecum advectum in oppidum invexit: quem cum in

complufculos

INTERPR. [a] *Comtes de Laval & de St Aignan.* [b] *le Boulonois.* [c] *Calais & Gravelines.* [d] *Dendermonde.* [e] *Dixmuyden.* [f] *Eeckeloo.* [g] *Anvers.* [h] *Bourdeaux ſur la Garonne.* [i] *Oldenhorn.* [k] *le Sieur de Nienort.* [l] *Bronckhorſt & Keppel.* [m] *Blienbeeck.* [n] *le Sieur de Hooghſaxen.* [o] *Santen.* [p] *Curtſback.* [q] *Lochem.* [r] *Berckel r.* [s] *Zutphen.*

compluſculos dies ſuffecturum Verdugus provideret, paulum ab arctiore obſidione diſcedit, et caſtra aliquot propugnaculis e terra exſtructis haud longe ab oppido munivit. Inde cum crebris excurſionibus prohibita commeatus importatione rurſus obſeſſos extrema neceſſitate premeret, Hohenlous et Naſſauvius comites, tumultuario milite in Geldria conſcripto, (II CIƆ peditum et CIƆ equites omnino ſecum trahebant) aſſumptis praeterea aliquot machinis, ſuppetias obſeſſis laturi iverunt; tantaque alacritate res primo impetu ab auxiliaribus geſta, ut Verdugus, quo ſaluti ſuae conſuleret, in collem pone propugnacula confugere ſit coactus: ubi cum ſe ſumma cura ac diligentia muniviſſet, triduo poſt [a] Alenius Gallus e nobilitate [b] Arelatenſi, ſtrenuus bello dux, unum ex caſtrorum propugnaculis inferioribus cum ſua legione oppugnat; eodemque tempore obſeſſi eruptionem faciunt, et propugnaculum portae molatrinarum objectum capiunt, trucidatis in eo XXC hoſtibus. Dum acriter utrinque pugnatur, ponte, quem illi diruerant, inſtaurato, copioſus commeatus in oppidum rurſus infertur. Proxima nocte alia duo propugnacula vi ſuperantur. Sed dum ſolutius equitatus in hoſtem, quem in colle veluti indagine cinxerat, fertur, Verdugus interea animos colligit, et in palanteis obliqua impreſſione facta eos diſſipat, ac turbatos in fugam multis occiſis vertit. Alenii legio, et [c] Bergenſis comitis tres filii, ac reliqua Geldriae nobilitas, ad Lochemum receptum habuit; complures [d] Daventriam profugerunt. Hoc ſucceſſu elatus Verdugus, qui videret tantae multitudini commeatum, qui exiguus in oppidum illatus fuerat, haud diu ſuffecturum, rurſus obſidionem urget; quam crebris eruptionibus infeſtam obſeſſi regiis fecere. Itaque auxilio venere Carolus comes Mansfeldius et [e] Altapennius cum IƆ equitibus et CIƆ IƆ peditibus; quorum viribus confirmatus Verdugus deditionem obſeſſis minacibus verbis imperat; qui, licet extrema neceſſitate preſſi, ut qui jam ab XX diebus tantum equorum carnibus victitaverant, tamen ſuperbe reſponderunt. Nec Hohenlous periculum obſeſſorum neglexit; qui Zutfaniam profectus, et inde Antuerpiam, cum bis mille IƆ pedites, CIƆ IƆ equites, cum III Anglorum turmis duce Norriſio, a duce impetraſſet, tertio Lochemum venit. Ejus adventu magna in caſtris regiis trepidatio fuit. Ipſe Mansfeldius, ut Verdugo praeſto eſſet, locum caſtris captum non citra tumultum relinquit, ac trans flumen evadit. Hohenlous contra, eodem, quem Mansfeldius prius ceperat, loco caſtra metatur. Heic ad propugnaculum quoddam caſtrorum e regione oppidi acriter utrinque pugnatum, multiſque caeſis ſuperior Hohenlous inter duo hoſtium propugnacula munitionem exſtruit, eaque tectus pontem ſternit; per quem in urbe militi et pabulatoribus liber ingreſſus eſſet, et citra periculum et incommodum ultro citroque commeari poſſet. Aliud et propugnaculum pontis munitioni imponit; quo facto hoſtes, qui oppidum commeatu in dies juvari viderent, veriti ne a tergo tam lenta obſidione circumvenirentur, caſtra deſerunt, et inſtructa acie IX Kal. Sept. ab obſidione diſcedunt: Verdugus [f] Grollam, Manſfeldius et Altapennius in [g] Atuaticos concedunt. Poſtridie neceſſaria quaeque copioſe Lochemum invehuntur, ac propugnacula in obſidione paſſim circum exſtructa ſolo aequantur. In ea obſidione [h] Anholtius Geldriae regulus, qui expeditionem illam ſuaſerat et promoverat, glande ictus occubuit. Verdugus, homo impiger, qui moram infeliciter ſuſceptae expeditionis aliquo operae pretio purgare cuperet, [i] Stenvicam, toties jam aperta vi tentatam, ad extremum aſtu aggreſſus

INTERPR. [a] *d'Allens.* [b] *d'Arles.* [c] *le comte Vanden Berghe.* [d] *Deventer.* [e] *le Sieur de Haultepenne.* [f] *Groll.* [g] *Brabant.* [h] *le baron d'Anholt, gentilhomme Gueldrois.* [i] *Steenwijck.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

aggreſſus eſt, opera cujuſdam ruſtici uſus, qui, ſive innato odio, ſive ob non perſolutam mercedem ultione incenſus, vadum quoddam in foſſa, quod, dum alveus profundior fodiebatur, relictum fuerat, Verdugo indicat; per quod, tempore ſervato, quo praeſidiarii majorem partem contra hoſtem egreſſi fuerant, nocte intempeſta regii evaſerunt, et ſcalis admotis moenia ſuperarunt, ſtationibus, quae in oppido manſerant, crudeliter trucidatis. Id actum XV Kal. Dec. Sed eo minor haec jactura aeſtimata fuit, quod oppidum lue graſſante paene deſertum, et, munitis egregie circumpoſitis locis, ejus amiſſio parum rebus Ordinum incommodare viſa eſt.

VII. DUM haec procul a nobis geruntur, nam Luſitanas et Belgicas res hujus anni ut conjunctas Gallicis miſcuimus, rex, qui duobus graviſſimis caſibus conflictatus fuerat, tamen ut erat ejus ingenium fere praeteriti ſecurum, ad futura improvidum, et de praeſentibus tantum ſolicitum, poſt eos tranſactos ſe quoque omni periculo defunctum exiſtimabat. Nam ſic de conjuratione a Salſeda detecta judicabat, eam maligne a fratre, et iis qui circa ipſum erant, confictam, ut proceribus regni ac primariis miniſtris in ſuſpicionem adductis moleſtiam illis ac ſibi faceſſeret, et, amotis iis ab aula, fraterna opera utendi neceſſitatem imponeret. Thuanus, poſt dictam coram rege palam ſententiam, in arcano eum monuerat, ne temere fidem de omnibus a Salſeda nominatis haberet; ſed ne propterea conjurationem omnino negligeret. Nam ejus auctores certos eſſe, et animos ac voluntatem minime deeſſe; ac veroſimile fieri, multos ab iis Salſedae nominatos eſſe, qui alieni ab ea ſunt: verum id ab iis de induſtria factum, partim ut illos ſuſpectos regi redderent, partim ut majorem inde factioni ſuae apud homines gratiam ex fama conciliarent: nam favorem hominum vulgo ad fortunam inclinare. [α] Haec et multa alia optimus ſenex regi nequicquam in aurem inſuſurrabat; verum ipſe regi ob eas, quas dixi, cauſas ſuſpectus, haud perinde ab eo auditus eſt; Annae Jouſae, nuper in [a] Septimania quo ad patrem viſendum evolaverat, reverſi contemplatione praecipitato judicio; cum contra enixe pugnaret [b] Villaregius, qui a Salſeda nominatus ſpatium purgandi ſe concedi comperendinato judicio petebat. Strozzianae autem cladis, cujus nuncius regem fere eodem tempore oppreſſit, ſenſus, non qualiter debuit, eum affecit; praevalente conjurationis Salſedianae in ipſius ingenio, quamdiu duravit, metu, et, diſcuſſo eo, obliterata ſtatim triſtiſſimi caſus, ad Gallici nominis decus maxime pertinentis, memoria. Nam qui in aula erant, partim privatis rebus intenti rem diſſimulabant, partim, dum turpiſſima adulatione regis praeſentia tantum ſectantis ingenio morigerantur, quae ad famam et exiſtimationem ſpectabant flagitioſo ſilentio tranſigebant. Nec ſibi eo rerum ſtatu factionis duces deerant; qui, ut novo metu veterem emoverent, per emiſſarios, quos jam diſpoſitos ubique in regno per civitates, in aula, et inter nobilitatem habebant, rumuſculos ſpargi curant, quaſi Proteſtantes civile bellum denuo molirentur.

VIII. INDE concionatores, quod violentiſſimum ad ciendam plebem telum fuit, paſſim in virus Sectarium quaſi ſigno dato debacchari, ex eo perniciem religioni impendentem ominari; ex ambone, in ſcholis, in circulis, atque etiam ſecretis confeſſionibus, credulas animas de periculo admonere, cunctos ad coitiones hortari; principes religionis majorum cultores ac defenſores populo commendare, eorumque fidem et pietatem in majus extollere, ac plerumque ex illorum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur quinque circiter lineae, uſque ad* Strozzianae autem cladis, *deſunt. D.* f. d.

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *Sieur de Villeroy.*

illorum comparatione aliorum diſſimulationem ac ignaviam oblique ſugillare. Quibus verbis et Lotaringos laudabant, et regem regiique ſanguinis principes manifeſte in odium ac contemptum populi vocabant. Quae tamen omnia rex, ne otium ſuum omittere cogeretur, negligebat; et qui circa eum erant ſic exiſtimabant, quidvis potius ei patiendum eſſe, quam committere, ut vel ex juſta occaſione inter Catholicos diſſidii ſerendi occaſio praeberetur. Regina parens, quae alienato a Navarro animo erat, et in Lotaringiae ducem alterum generum numeroſa ex Claudia uxore prole ſubnixum toto affectu propendebat, jam tum Lotaringis favens regi perſuadebat, ut eam concionatorum libertatem contemneret. Sibi idem olim, cum ſub Carolo IX fratre regnum adminiſtraret, uſu veniſſe, ut concionatorum linguis et vulgi ſermonibus ubique proſcinderetur: ceterum ea eſſe hujuſmodi, ut ſpreta exoleſcant; quae, ſi contra iraſcaris, agnita videantur. Itaque rex, quaſi rebus in regno pacatis nullius motus niſi a Proteſtantibus metus ſubeſſet, libertate quidvis faciendi Lotaringis et concionatoribus in eorum gratiam loquendi poteſtate facta, ut religionis ſibi praecipuam curam eſſe oſtenderet, odium in Proteſtanteis vertit; quos aſtu ab eo tempore, cum vi aperta non poſſet, dignitatibus, auctoritate, et omni potentia, evertere decrevit. Et quia edicti ante quinquennium in gratiam eorum facti capite LIX ad ipſorum ſecuritatem octo urbes aſſignatae erant, quas cum praeſidio tenerent, et poſt ſexennium reſtituere tenerentur; appetente reſtitutionis tempore, per delegatos ad Navarrum hoc anno miſſos eas repetiit.

IX. PROXIMA de anni a pontifice emendati ratione et promulgatione cura fuit; de qua, ut re maxime memorabili, quaedam dicere pretium duxi. Priſcus Romanorum annus non x, ut voluerunt Junius Gracchus, Fulvius, Varro, Ovidius, Suetonius, ſed XII menſibus conſtabat; quae ſententia fuit Licinii Macri, et poſtea L. Feneſtellae, ſicuti Cenſorinus ſcribit; quorum primus erat Martius, et ultimus Februarius. Martius, Maius, Quintilis, October, XXXI dierum erant ſinguli; reliqui XXIX, praeter Februarium, cujus dies XXVIII tantum erant; ut ſumma eſſet anni priſci Romani dies CCCLV, deficeretque ab Aegyptiaco diebus X. Itaque opus fuit intercalatione; quae ita obibatur: ſingulis bienniis exactis intercalabantur inter Terminalia et Regifugium alternis XXII et XXIII dies; XXII quidem poſt viceſimum ſecundum Februarii, XXIII poſt viceſimum tertium: ſicque fiebat, ut poſt intercalationem XXVIII relinquerentur, qui erat Februarius ordinarius. Antecedentes XXII aut XXIII erant extra ordinem, et dicebantur Mercedonii, vel Mercedonius menſis, ut ſcribit Plutarchus. Ita poſt biennium celebrabatur intercalatio a pontificibus in curia Calabra ſine interpellatione, praeterquam poſt duodecimum biennium, hoc eſt, poſt XXIV annos: tunc enim omittebatur Mercedonius XXIII dierum, quod putarent tunc juſtam eſſe periodum, et annum in caput ſuum redire. Viceſies enim quater trecenti quinquaginta quinque dies, cum ſexies viginti duobus et quinquies viginti tribus, faciunt omnes octies mille ſeptingentos ſexaginta ſeptem. Sed unus abundat, quod anni a Caio Julio Caeſare poſtea emendati XXIV ſint octies mille ſeptingenti ſexaginta ſex. Quare cum vitioſa eſſet illa intercalatio, crevit vitium per libidinem intercalandi; cum tota res eſſet arbitrii pontificum, qui, odio magiſtratuum, nunc ſerius, nunc maturius, intercalabant: atque eo res venit, ut XLV anno ante Chriſtum natum caput anni priſci incideret in Octobrem Julianum. Quae res magnam perturbationem in ratione temporum et civilibus actibus adferebat; adeoque aberratum eſt, ut Caius Caeſar pontifex maximus ſuo III, et M. Aemilii Lepidi conſulatu, quo retro delictum corrigeret, animum ad faſtorum emendationem

applicare

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III.

applicare coactus ſit: et, dum Alexandriae eſſet, ut ſcribit Dio libro XLIII, a rei peritis, quorum in ea urbe magnus proventus erat, plenius inſtructus, poſtea etiam Soſigenem in conſilium adhibuit; ac tandem, poſt multas ultro citroque velitationes, anni ſolaris a Calippo Cyziceno et Ariſtarcho Samio diebus CCCLXV cum quadrante definiti forma accepta eſt. Itaque quatuor quadrantes diei poſt quatuor annos fiunt unus dies; et ideo annus quartus eſt dierum CCCLXVI. Annus ergo confuſionis, qui vocatur, erat quadrageſimus quintus retro putatus ante epocham hodiernam Chriſti; quo cyclus lunae erat tertius decimus, cyclus ſolis viceſimus: habuitque ille annus confuſionis dies CCCCXLIV, ut veteres ſcribunt; ex quibus ſi deducantur CCCLXV, hoc eſt, annus Julianus, remanent LXXIX; qui retro putati deſinunt in quarta decima Octobris. Ita Kalendae Januarii priſci conveniebant in XIV Octobris; quo tempore Caeſar ad faſtos corrigendos aggreſſus eſt. Et quia eo anno dies XXIII intercalandi erant, ideo poſt viceſimum tertium Februarii collocarunt ſedem intercalationis diei, qui quarto anno excreſcit ex quatuor quadrantibus diei appendicibus. Quare primus annus Julianus incidit in cyclum ſolis viceſimum primum, lunae quartum decimum. Caeſare dein ſecundo anno Juliano interfecto, cum poſt quartum exactum dies unus intercalandus eſſet, pontifices, mentem Caeſaris et edictum ejus non aſſecuti, poſt XXIII diem Februarii quarti diem intercalarunt, cum deberent poſt XXIII Februarii quinti. Itaque cum per XXXVI annos non IX, ut poſtulabat ratio, ſed XII dies intercalati eſſent, anno Juliano Auguſtus Caeſar edicto propoſito juſſit XII annos ſine intercalatione procedere, a triceſimo ſeptimo putandos, ad exitum quadrageſimi octavi. Igitur poſt viceſimam tertiam Februarii anni Juliani quadrageſimi noni, qui eſt quartus epochae Chriſti vulgaris, coepta eſt rite obiri intercalatio, quae ſine interpellatione celebrata eſt; eaque vocata biſſextum, quod viceſima quarta Februarii ſit ſexta Kal. Martii; et quia bis putatur propter intercalationem, dictum inde biſſextum. Prior viceſima quarta dicitur VI Kal. Martii priores; viceſima quarta poſterior dicitur VI Kal. poſteriores. Hanc formam anni, ut commodiſſimam, omnes nationes imperii Romani acceperunt: quae tamen vitio non carere poſtea deprehenſa eſt. Nam centeſimo trigeſimo quarto anno dies unus excreſcit ſupra rationes ſolis, quod non plene quadrans accipiendus ſit, cum XII horariis ſcrupulis minus ſit tempus illud quam quadrans diei. Magna ſiquidem veterum in naturali anno definiendo ſententiarum diſcrepantia fuit; quas Claudius Ptolemaeus, qui CXXC circiter poſt Caeſarem annis Alexandriae floruit, libro III magnae conſtructionis pluribus perſequitur. Itaque tractu temporis magna inde perturbatio ſecuta, accedente ad haec ſolis eccentrico et apogaei mobilitate. Nam cum aequinoctium hodie deprehendatur in undecima Martii Juliani, neceſſario illud erat in viceſima tertia aut viceſima quarta ejuſdem, aetate Caeſaris, temporibus autem Conſtantini magni in viceſima prima: et cum paſcha celebrandum eſſet Dominica, quae proxime ſequebatur plenilunium quod proxime ſequebatur aequinoctium, ideo patres Nicaeni ſtatuerunt, ut plenilunium, quod poſt viceſimam primam Martii ſequebatur, illud eſſet terminus paſchatis; poſt quem terminum Dominica, quae proxime ſequebatur, eſſet paſcha reſurrectionis. A quo tempore rurſus magna in aequinoctiis confuſio ſecuta eſt. Poſtea [a] Dionyſius abbas, vulgo parvus dictus, circa annum Chriſti IↃ XXVI, progreſſo jam aliquantum malo, nova ratione remedium, ſed ad paucos annos, adhibuit. Itaque jam ante C annos Joannes Regiomontanus ab Innocentio VIII pontifice ob artis praeſtantiam Romam evocatus fuerat,

INTERPR. [a] *Dionyſius Exiguus.*

fuerat, ut Kalendarii errorem corrigeret; a Georgii Trapezuntii, ut creditur, filiis, qui Germanum Graecis longe doctrina ſuperiorem ferre non poterant, veneno extinctus: qui proinde pontificis deſiderio ſatisfacere ea in re non potuit, cum ſcriptis, quid praeſtare potuiſſet, abunde poſteris teſtatum reliquerit. Eodem tempore de recta anni ratione ſcripſerunt Petrus [a] Alliacenſis Cameraci epiſcopus ac poſtea cardinalis, Joannes item cardinalis [b] Cuſanus; et aliquanto poſt Robertus [c] Lincolnienſis, et Paulus [d] Mildeburgenſis epiſcopus Foroſempronienſis, qui ea de re opus magnum a ſe compoſitum Maximiliano I inſcripſit. Poſtea magna ingenia in eo ſe campo exercuerunt, poſtquam primum concilium Tridentinum indictum fuit; et in iis Joannes Geneſius Sepulveda [e] Cordubenſis, Joannes Franciſcus Spinola [f] Mediolanenſis, Benedictus [g] Majorinus, Lucas [h] Gauricus Pauli III familiaris, et Petrus [i] Pitatus Veronenſis, qui peculiari libro, quo Gaurici ſententiam refutat, eam rem executus eſt. Sed concilio Tridentino promulgato, cum emendatio illa, toties agitata et expetita, eſſet omiſſa, Gregorius XIII ad eam conficiendam eo majore cura incubuit, quod vereretur, ne idem in Germania Caeſares molirentur, idque ut juris imperialis negotium ſuſciperent. Itaque paſſim per Italiae academias peritos conſuluit; datiſque ad ſenatum Venetum literis, ut a peritis Patavii ſuper Kalendarii Chriſtiani correctione conſultaretur, petiit. Id negotii datum Joſepho [k] Moletio Meſſanenſi, qui ante biennium tabulas Gregorianas edidit. Conſultis vero ſententiis alii alia, ob eas, quas dixi, cauſas, ſenſerunt: nam initam a Caeſare anni rationem aut non exacte factam, aut male a pontificibus poſtea perceptam, perturbationi inde ſecutae cauſam praebuiſſe, aiebant; ita ut aequinoctium vernum, quod Chriſti nati tempore in XXIV inciderit, Nicaenae ſynodi tempore per treis dies jam retroceſſerit, in viceſimum ſecundum videlicet Martii relapſum. Id vero ex inaequali anni magnitudine non ſatis bene obſervata accidiſſe. Nam poſt Ptolemaeum exacta magis ratione inita, [l] Muhamedem Albatenium Aracenſem, correcta et confutata Hipparchi et Ptolemaei allucinatione, anni ſolaris ſpatium CCCLXV diebus, horis V, ſcrupulis XLVI, ſecundis XXIV, definiviſſe; juxta quod unus dies intercalaris in CVI annis omitti deberet: nam comperiſſe, a temporibus Ptolemaei ad ſua, per annos IƆ CCXLIII, aequinoctia gradum in anteriora feciſſe dies ſeptem fere. Poſtea Alfonſum X Arragoniae regem ex aſtrologorum ſui temporis ſententia totidem dierum annum feciſſe, ſed in quadrantis ſpatio variaſſe: nam horas V, ſcrupulos XLIX, ſecundas XVI, conſtituiſſe; adeo ut in annis CXXXIV fere unus dies omittendus eſſet. Denique Nicolaum Copernicum, diligentiſſimum motuum coeleſtium obſervatorem, cum ſuas cum priſcorum obſervationibus comparaſſet, deprehendiſſe, ſolaris anni magnitudinem inaequalem eſſe; ita ut quibuſdam ſaeculis maxima, quibuſdam minor, aliquibus minima ſit. Itaque variae ſententiae fuerunt: nam Spero Speronius, admodum jam ſenex ſed acri judicio praeditus, tantum ſtata tempora in anno conſtituenda cenſebat, et, ut aequinoctia ac ſolſtitia certa eſſe debebant, ſic paſchatis celebrandi certum definiendum tempus: ejus autem deducendam eſſe perpetuo rationem a conceptu Chriſti, quae ſolemniter in VIII Kal. April. incidit; ita ut die illa Dominica paſcha celebraretur, qui vel ſit viceſimus quintus Martii, vel viceſimum quintum proxime antecedat, vel proxime conſequatur. Alii, et in iis Matthaeus [m] Macinus, et

INTERPR. [a] *d'Ailly, evêque de Cambray.* [b] *Cuſano.* [c] *de Lincoln.* [d] *de Middelburg, evêque de Foſſumbron.* [e] *de Cordoue.* [f] *Milanois.* [g] *Maggiarino.* [h] *Gaurico.* [i] *Pitatto Veroneſe.* [k] *Moletio de Meſſine.* [l] *Muhamet Albategni d'Arac.* [m] *Macini.*

CIↃ IↃ LXXXII. et ipſe Moletius, amplius remedium adhibendum cenſuerunt, ut uterque annus, et naturalis et civilis, corrigeretur; et, cum aequinoctium vernum tempore conceptus Chriſti inciderit in VIII Kal. April. nunc vero ſit inter decimum et undecimum Martii, XIV dies detrahendos eſſe, diemque viceſimum quartum Martii ad duodecimum, et viceſimum quintum ad undecimum reducendum. Rurſus in modo reducendi ſententiis variatum fuit: nam quidam exiſtimarunt, id ſpatio duorum annorum fieri debere, ut VII menſes, qui in anno XXXI dies habent, in iis duobus annis tantum XXX dierum eſſent. Alii eam ſubſtractionem commodius fieri poſſe dixerunt, ſi in LVI annis proximis intercalatio omitteretur. Moletius autem, cui praecipue hujus diſquiſitionis ſenatus negotium commiſerat, cenſuit, ut vel principium Januarii inciperet a XVIII Decembris, vel XV Februarii primus dies Martii putaretur: de cetero, in futurum peritum aliquem aſtrologum conſtituendum eſſe, qui aequinoctium vernum diligentiſſime obſervaret, ut Dominica poſt plenilunium, quod proxime ſequeretur, paſcha celebraretur; ac ſi Dominica caderet in plenilunium, caveretur, ne, Judaeorum exemplo paſcha in plenilunio celebrantium, tanti myſterii ſolemnia peragerentur. [a] Junctinus a pontifice conſultus XI dies ſemel anno eximendos cenſebat, ac deinde ſingulis CXXX annis diem unum itidem eximendum. Albertus item [b] Leoninus Ultrajectenſis edito libello XI dierum abjectionem probavit; ſed poſt CL annos exactos diem unum eximendum contendit. Conſultus et eadem de re a Franciſco Maria Urbini duce in pontificis gratiam [c] Vidus Ubaldus, ex illuſtri marchionum Montis familia, hujus ſcientiae peritiſſimus; qui ſcripto edito ſententiam ſuam complexus eſt, ſed habita ſemper correctionis a patribus Nicaenis olim inſtitutae ratione. Cum vero pontifex ad regem ſcripſiſſet, conſultus ea de re fuit Franciſcus [d] Foxius Candala, non plus ſplendore natalium, quibus arctiſſima cognatione principibus toto fere orbe conjunctus erat, quam regiarum harum ſcientiarum excellenti cognitione praeſtans; qui erroris initia ab ipſis fontibus repeti, et annum exacte putatis momentis ad curſum ſolis dirigi debere, certis aequinoctiorum terminis conſtitutis, cenſebat. Interea pontifex, qui ad ſacrae ſedis auctoritatem pertinere exiſtimaret, ne quis alius hoc negotium ſuſciperet, quanquam exquiſitis aliorum principum ſententiis in hoc invigilabat, ut quicquid de ea re ſtatueretur, a ſe, non ab alio, proficiſci videretur. Itaque, Antonii [e] Lilii medici ſuggeſtione, rationem olim in Kalendarii emendatione ab Aloiſio fratre initam, et exiguo volumine comprehenſam, [α] et a Vincentio [f] Laureo Montis-regalis epiſcopo, cui plurimum tribuebat, adprobatam, ſibi amplectendam duxit; quam et ad Chriſtianos principes ac celebriores academias tranſmittendam curavit, ut res, quae communis omnium eſſe debet, communi etiam omnium conſilio perficeretur. Haec autem a Lilio ratio inita eſt, ut anno decem dies, qui excreverant, eximerentur. Cum autem annus ſolaris ſit CCCLXV, lunaris CCCLIV dierum, differentia utriuſque eſt XI dierum; qui dicuntur epactae primi anni. Secundo anno erunt bis undecim, hoc eſt, XXII: tertio debebunt eſſe XXXIII. Sed auferendus menſis XXX dierum, et relinquentur III epactae: et ita ſemper incremento XI dierum, et deminutione XXX, ubi opus erit, uſque ad XIX annos progrediendum erit. Nam cyclus lunae periodus eſt XIX annorum, ut cyclus ſolis eſt periodus annorum quater ſeptem, hoc eſt, XXVIII annorum; quae periodus XIX annorum aliter dicitur aureus numerus, et a Cenſorino

HENRICUS III.

annus

VAR. LECT. [α] et a Vincentio Laureo Montis-regalis epiſcopo, cui plurimum tribuebat, adprobatam, *deſunt*. *D*. f. d.

INTERPR. [a] *Juntino*. [b] *Leonin d'Utrecht*. [c] *Guidubaldo*. [d] *de Foix*, *Sieur de Candale*. [e] *Lilio*. [f] *Lauro*, *evêque de Mondovi*.

annus Metonicus; quo intervallo putatur luna redire in illud punctum cum ſole, a quo primum digreſſa erat. Lilius itaque, auferendo x dies, qui ſupra ſolis rationem excreverant, exemit quoque totidem dies ex epactis. Praeterea in ratione ſolis cum in cccc annis tria biſſexta eximenda ſint, ipſe Lilius, Pitatum ſecutus, poſt primum centenarium unum biſſextum exemit, poſt ſecundum alterum, poſt tertium ultimum. Poſtremum centenarium jubet ſine biſſexto tranſigi ultimo, ita ut a fine tertii ad finem quinti unum tantum biſſextum eximatur. Quae ratio, quaſi tam in ſole quam in luna vitioſa, a multis poſtea rejecta eſt; nempe ex depravato ſolis et lunae cyclo deducta; unde ſequi neceſſe ſit, ut ſaepiſſime paſcha praepoſtere celebretur, et in errorem Quartodecimanorum aliquando incurratur, qui paſcha in plenilunio ex inſtituto celebrabant, ſicuti pluribus diſputavit literatorum hujus ſaeculi princeps Joſephus Scaliger, in illo admirando et ad omnem aeternitatem victuro opere, quod de emendatione temporum compoſuit. Lilianam et rationem impugnavit uno et altero commentario Michael [a] Maeſtlinus Goepingenſis, in [b] Tubingenſi academia profeſſor: contra quos Chriſtophorus Clavius, e ſodalitio Jeſuitico celeberrimus Romae profeſſor, prolixa apologia Rodolfo Caeſari inſcripta diſſeruit; et altero opere Joſephi Scaligeri elenchum anni Juliani confutare conatus eſt. In eandem rem Hugolinus [c] Martellus epiſcopus Glandavenſis aſſertionem ſacrorum temporum ſcripſit, et clavem Kalendarii Gregoriani etiam edidit. Poſtea et apud nos Franciſcus [d] Vieta Fontenaienſis, libellorum ſupplicum magiſter et harum rerum peritiſſimus, longo tempore poſt Kalendarium Gregorianum receptum, Henrico IV rege, novam rationem edidit; confectis etiam tabulis ad uſum Romanae eccleſiae accommodatis: neque tamen publicavit, quod eam prius cum legato pontificio, qui nunc in Galliam deſtinabatur, et propediem venturus exſpectabatur, communicare ſtatuiſſet. Tunc autem Gregorius, qui jam ſuperiore anno VI Kal. Mart. [e] Tuſculi diploma de novi anni promulgatione emiſerat, Ludovicum Madrucium Tridentinum epiſcopum cardinalem ad Caeſarem allegavit. Caeſar ad comitia, quae prima poſt Maximiliani parentis mortem [f] Auguſtae Vindelicorum celebrata ſunt v Kal. Quintil. venit: eique mox praeſto fuerunt Auguſtus Saxo ſeptemvir, Ulricus Megalopolitanus dux, aliique Saxoniae principes. Ibi de pecuniae collatione ad fineis contra Turcas tuendos actum; in quam delegati, antequam de eorum querelis cognoſceretur, aſſentiri recuſarunt. Jam ante Aprili menſe Caeſar [g] Poſonii in Pannonia conventus regni habuerat, in quibus de vectigali trium Hungaricorum ſingulis januis ſeu domibus impoſito, de collatione ad alendum in arcibus ac limite militem, et de Maximiliano fratre vicario Pannoniae praeficiendo, retulerat. Contra, proceres et ſenatus regni alia a rege petierant, de quibus amice inter eos convenit. Sed male Proteſtanteis habebat, quod Carolus archidux, Caeſaris patruus, cum provincialibus [h] Graecii templum ad conveniendum denuo conceſſiſſet, ſenatui tamen et civibus, ne illuc accederent, interdixerat; et ex eis aliquot, quod mandatum ſpreviſſent, in vincula conjectos grandi pecunia mulctaverat. In Auguſtanis comitiis Caeſar principibus propoſuerat, an non imperio detrimentoſum videretur, novum in Belgio principem Ordinum auctoritate conſtitui; omnique ope enitebatur, ut injuriam, quae ad Auſtriacam familiam tantum ſpectabat, totius imperii propriam faceret: ſed nihil ea ſuper re, aliiſve multis, decretum fuit. Tandem, ſub exitum comitiorum, de Kalendarii promulgatione agi coepit; de quo Auguſtus

ſeptemvir

INTERPR. [a] *Maeſtlin de Goepinghen.* [b] *de Tubinge.* [c] *Martelli, evêque de Glandeve.* [d] *Viete, de Fontenay en Poictou.* [e] *Freſcati.* [f] *Augſpurg.* [g] *Preſbourg en Hongrie.* [h] *Gratz.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

ſeptemvir cum antea actum iri intellexiſſet, diligenter ad Willelmum Heſſorum principem ſcripſerat. Is, ſummae non ſolum ob prudentiam et animi aequitatem inter Proteſtanteis auctoritatis, ſed ob raram in tantae dignitatis viro harum rerum peritiam, conſultus reſponderat, non tam de re ipſa conſultationem eſſe, quam de rei peragendae modo. Nam in eo negotio Caeſaris et ſacri imperii auctoritatem et exiſtimationem verti; quam cum in dies pontifex dolis ac machinis convellere nitatur, non committendum eſſe, ut ipſi rem, ad ejus dignitatem atque adeo majeſtatem tantopere pertinentem, neglexiſſe videantur. Anni, qui nunc ab omnibus nationibus obſervatur, rationem a Caio Julio Caeſare inſtitutam eſſe: dein Carolum magnum, imperii in Occidente conditorem, et Kalendarium ipſum et nomina menſium Teutonica lingua Germanis dediſſe. Canonem vero concilii Nicaeni de paſchali celebratione, non pontificis Romani, qui ea poteſtate ac auctoritate, quam nunc ſibi vindicat, minime tunc fuerit, ſed communi Conſtantini Caeſaris, qui ſynodo praefuerit, et patrum decreto, conditum eſſe. Concilia vero ipſa non a pontifice, ſed ab imperatoribus Romanis, indici ſolita; ſicuti Conſtantienſe Caeſar Sigiſmundus, recenti adhuc hominum memoria, indixerit: et jus conſtituendi non ſolum epiſcopos in Germania, ſed etiam pontificem Romanum, penes Caeſarem ante et poſt Caroli magni tempora uſque ad Othonem I, et deinceps uſque ad Gregorii VII papae aetatem, fuiſſe. Cavendum igitur, ne Kalendarii, quod correctione indigere minime inficias eat, emendandi praetextu, novam et inuſitatam pontifici in imperii majeſtatem ac Caeſarem ipſum juriſdictionem et mandandi poteſtatem tribuant; praeſertim cum inconſulto Caeſare, et non requiſito imperii principum et ordinum conſenſu, res tanta a pontifice ſuſcepta ſit. Placere igitur, ut ante omnia deliberetur, ad quem anni, quem ab omnibus nationibus eadem forma recipi publici commercii maxime intereſt, emendandi et paſſim promulgandi jus pertineat. Tum de re ipſa, de qua minime cum Lilio conveniat, facilem fore diſquiſitionem. His rationibus ab Heſſo inſtructus Saxo prolixa oratione habita interceſſit; et, cum nemo principum aut civitatum Auguſtanam confeſſionem amplectentium Kalendarium in Germania accipere vellet, Caeſar negotium diſtulit, et veterem formam hactenus uſurpatam in camerae judiciis eo anno ſervare mandavit. Apud nos res minime a rege harum rerum gnaviter ſecuro, ejuſve conſiliariis, perpenſa; Thuano nuper defuncto, qui, dum in vivis eſſet, fuerat acerbe de eo cum rege ipſo altercatus, et, ſi ſupervixiſſet, ne in ſenatu promulgaretur, auctoritate, qua in eo maxima pollebat, impediturus credebatur. Verum, eo mortuo, et Achille Harlaeo abſente, conditum a rege III Non. Nov. ea de re edictum; quo poſt [a] Martinalia allato in ſenatum, nemine contradicente anni novi emendatio promulgata eſt; exemptiſque decem diebus, ſancitum, ut qui decimus dies Decembris erat, viceſimus numeraretur: et ita XV Decembris natalis Domini eo anno celebratus eſt. Regis aemulatione novus Brabantiae dux Franciſcus, ut gratiam pontificis ea re aucuparetur, etiam a Proteſtantibus in Belgio Arauſionenſis interventu obtinuit, ut ea anni emendatio reciperetur; et, exemptis pariter X diebus, XV Decembris XXV numeratus eſt, eoque die natalis Domini celebratus fuit: quod in Batavis, Friſia occidentali, ac ceteris provinciis, locum habuit. Tantum in [b] Sicambris et Ultrajecti adhuc vetus forma ſervatur; quod ante Franciſci obitum ab ordinibus civitatis et provinciae promulgatio facta nondum fuiſſet. Eodem fere tempore, ac menſe Novembri, ſynodus provincialis [c] Burdigalae ab Antonio [d] Prevotio archiepiſcopo, Sanſaci famoſi

INTERPR. [a] *Aprés la St Martin.* [b] *Gueldre & Utrecht.* [c] *Bourdeaux.* [d] *Prevoſt.*

ſamoſi quondam ducis fratre, celebrata eſt; cui interfuere ac ſubſcripſere [a] Aginnenſis, Pictavienſis, Engoliſmenſis, Santonenſis, et Sarlatenſis, ſuffraganei epiſcopi. Renovatum et eo anno foedus Helveticum; miſſis a rege procuratoribus Franciſco Mandeloto provinciae Lugdunenſis praefecto, Joanne [b] Bellevreo Altafortio ſenatus [c] Gratianopolitani primario praeſide, Henrico [d] Clauſſa Floriano, qui tunc apud Helvetios regii oratoris munere fungebatur, et Joanne [e] Grangerio Liverdio, qui apud [f] Rhaetos res regis procurabat. Tabulae [g] Soloturni confectae XI Kal. Sextil. capitibus XXV diſtinctae, quibus eaedem fere conditiones, quae ſuperiorum foederum inſtrumentis continebantur, repetuntur; et iidem tituli, qui Franciſco I, qui primus foedus illud anno hujus ſaeculi XVI cum [h] tredecim pagis inſtituit, nimirum, Mediolani ducis, Genuae domini, et comitis Aſtenſis, regi tribuuntur. Conditiones poſtea rex ratas habuit, et Lutetiae IV Non. Dec. publica ceremonia coram pagorum delegatis in majore urbis templo, tactis ſacroſanctis evangeliis, ſolemni ſacramento [α] confirmavit.

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III.

X. Eo

VAR. LECT. [α] confirmavit. Quaedam et domeſtica ſuperant, quae non omitti rei publicae intereſt. Superiore anno Joannes Poella ſenator Pariſienſis repetundarum poſtulatus fuit; homo magnae per turbas, hactenus inter factioſos, auctoritatis, dictiſque ac factis audax; qui, praeteritorum flagitiorum, quibus pleroſque innocentes oppreſſerat, impunitate, in tantam fiduciam devenerat, ut optimum quemque de capite et fortunis periculo creato divexare pro ludo haberet. Itaque ante octennium poſt tumultum Pariſienſem a Carolo rege eadem fiducia petierat, ut ſibi in Joannem Morvillerium primarium ſacri conſiſtorii conſiliarium, et Sebaſtianum Albaſpinaeum epiſcopum Lemovicenſem, tanquam ſuſpectos, quod in occulto Proteſtantibus favere dicerentur, quamvis longe aliter ſe res haberet, inquirere liceret. Ita cum annos complures in ſenatu graſſatus eſſet, ex levi admodum occaſione accuſatus eſt a Renato Rullerio ſenatore itidem Pariſienſi, ex ſacro ordine, magni animi adoleſcente. Poella antea, pignoratitia, ut fit, emptione, Torſium, quod eſt regii patrimonii municipium, comparaverat; et, regiorum jurium conſervandorum praetextu, circumpoſitam nobilitatem et vicinarum ditionum inquilinos moleſtis litibus vexabat: itaque, ſyndicatu facto, illi Torſium pretio reſtituto luerant, ſed, contra quam alii faciunt, ab homine litigioſo ſervata litium jam a ſe inſtitutarum perſecutione. Cum igitur Latiniaci ad Matronam, cujus coenobii abbas erat Rullerius, inquilinis moleſtus eſſe non deſineret, Rullerius liti ſe obtulit; et, exorta inter eos de conſtituendis judicibus contentione, a verbis ad jurgia deventum; et coram cognitore regio cum Poella Rullerium rixoſum, hic illum latronem, convitium regerendo, appellaſſet, inde ad judices itum; et, Poella ſibi de tanta calumnia ſatisfieri petente, Rullerius ſe accuſatorem profeſſus, ab eo tempore accuſatio inſtructa, longo appellationum et exceptionum ſufflamine; quod nihil in ea cauſa, niſi convocatis univerſis claſſibus, decerni poſſet; et Rullerio a curiae ingreſſu ſe ſponte abſtinente, ut Poella viciſſim ea interdiceretur, decretum. Tandem hoc anno Matthaeo Quadrigario, antiquae probitatis et gravitatis viro, et Germano Valla referentibus, praeſide Bernardo Prevotio Morſano, probationes examinatae, et auditus reus, ac poſtremo damnatus eſt: decretumque factum, quo crimina agnoſcere, et veniam a Deo, rege, curiaque petere, jubebatur. Tum ſenatu motus eſt, indignuſque pronunciatus qui magiſtratum alium publicum deinceps gereret, et extra praefecturam Pariſienſem ad ſeptennium relegatus: mulcta praeterea dicta, et lis reo aeſtimata eſt. Demum XIV Kal. Jun. e carcere productus, et coram univerſo ſenatu in genua procumbens, aperto capite verba ignominioſa, praeeunte commentarienſi capitalium cauſarum, protulit, et in exauctorationis ſignum clavus ei ademptus eſt. Neque tamen heic hominem pertinax impudentia ſua deſeruit; qui mox in pedes erectus, et, quaſi inſons damnatus eſſet, ad adſtantes converſus, Qui in Domino, inquit, ſpem locat, nunquam confundetur: tum alta fronte, et exertis oculis, minimeque turbato vultu, per poſticum, quamvis per majus oſtium egredi deberet, ut occurſum exſpectantium vitaret, egreſſus eſt, nequicquam reclamante apparitore, qui illi datus erat; tantamque fiduciam etiam tunc toto die retinuit, ut cum in carcerem ad mulctam exolvendam remitteretur, apparitorem ducere, non duci ab eo, videretur. Hoc rarum et inter pauca corruptiſſimo hoc ſaeculo numerandum ſeveritatis exemplum, non tam vitiorum odio, quam occultis regis, atque adeo Joannis Ludovici Nogaretii Eſpernonii, contra Guiſianos ſimultatibus debetur; quorum Poella partes, ut ceteri factioſi, ſecutus, etiam eorum nomen ſceleribus ſuis praetexuerat.

Aliud et incidit infauſti ominis. Claudius Tonarius Stampis natus, [i] viri dignitate in urbe praeſtantis domeſticus, cum heri ſui filiam nomine Arturam, prius interveniente clandeſtinarum nuptiarum pacto, compreſſiſſet, ex eaque prolem ſuſcepiſſet; ob id comprehenſus, et in capitalium cauſarum claſſe ad mortem damnatus eſt IV Kal. Oct. Puella inſano juvenis praeſtanti forma et ingenio praediti amore incenſa, quo eum poena eximeret, dum cum reo committeretur, non ſe ab illo ſolicitatam, ſe contra ipſum ſolicitaſſe, conſtanter coram judicibus affirmaverat. Id vulgatum multos ad miſericordiam traxerat; in compluribus, ſeveritatem judicii accuſantibus, indignationem excitaverat.

Itaque,

INTERPR. [a] *d'Agen, Poictiers, Angouleſme, Saintes, & Sarlat.* [b] *de Bellievre, Sieur de Hautefort.* [c] *de Grenoble.* [d] *de Clauſſe, Sieur de Fleury.* [e] *Grangier, Sieur de Liverdis.* [f] *Griſons.* [g] *Soleurre.* [h] *les cantons Suiſſes.* [i] *Bailli, qui etoit preſident des comptes.*

CIↃ IↃ LXXXII.

HENRICUS III.

X. Eo anno res incidit, quo magis mira, eo minus fidei apud poſteros habitura, niſi certiſſimis veritatis teſtimoniis niteretur; quam quia pro comperto habemus, hoc loco, ne in dubium olim revocetur, amplius aſſeri, officii noſtri et inſtituti eſſe duxi. Mulier quaedam [a] Agendici Senonum, quae Celticae noſtrae metropolis eſt, archiepiſcopali dignitate ornata, [b] Columba Chatria nomine, Ludovico [c] Caritati ſartori nupta, cum ad annum XXXVIII valetudine integra perveniſſet, neque adhuc uterum geſtaſſet, certiſſima habuit concepti foetus indicia; menſtruis purgationibus non jam, ut antea, ſtatis temporibus erumpentibus, et frequenti uteri motu jam manifeſto, ac tumore lumborum et abdominis paulatim ſuccreſcente, mammiſque lacte turgentibus. Tandem, decurſo ſtatae geſtationis curriculo, graveis puerperii labores et alvi tormina experiri coepit, urina ad aliquot dies ſuppreſſa, quae poſtea, currente veluti alveo, magna vi erupit; profuſo illo ichore non tam ex veſicae meatu, ut medicis videbatur, quam ex muliebribus loculis ſcaturiente; et tunica diſrupta, una cum ſeroſis recrementis ſanguinis coacti, quaſi rhombus emerſit. Ex eo mammae concidere viſae, et motus infantis aut ignavus, aut nullus, ac labores mulieris tolerabiliores fuere; quae a ludibrio illius foeturae totum triennium in lecto decubuit, ſemper de valetudine adverſa, de duritie, de tumore, de torminibus alvi, ac de inutili illo pondere, quod per ſe mobile, pro vario geſtantis motu, modo in hanc modo in illam partem procumbebat, quamdiu vixit, conqueſta. Cum rideretur a vicinis, ut erat ſatis lepido ingenio, reſpondere ſolita erat, fore, ut foetus, quem utero geſtabat, cum parentis exitio aliquando prodiret. Fato poſt XXVIII geſtationis illius annum functae diſſecto abdomine, uterus rugoſus apparuit et verſicolor, tactu durus et veluti teſtaceus; ſectoque rurſus eo, vix tandem, renitente ad novaculae aciem portentoſa mole gypſea, eductus foetus, bene conformatis membris, ac eodem prorſus quo ceteri poſitu; de cetero, paene lapideus, ita tamen ut oſſa capitis quaſi cornea interlucerent: partes autem internae, viſcera, cor, cerebrum, naturalem habitum ſervabant, niſi quod ultra modum induruerant; non tamen ut externae. Hodie adhuc corpuſculum illud Agendici a praetereuntibus miraculi inſtar viſitur, expers putredinis et teredinis. De eo ſcripſere Jo. [d] Aliboſius Auguſtodunenſis, qui poſtea Henrici IV archiatros fuit, et Simo [e] Provencherius Lingonenſis, praeſtantes medici; cauſas concretionis, et poſt extinctum foetum duritiei contractae, cum potius putrefieri debuiſſet, ex arte rimati: quas rerum naturalium peritis amplius diſcutiendas relinquo. Tantum addam

Itaque, cum ad ſupplicium duceretur, inſolitus a plebe concurſus factus, jam tum praeparatis ab occultae conjurationis emiſſariis ad ſeditionem animis; et cum in eo eſſet, ut, laqueo in collum injecto, patibulo demitteretur, principio a ſcribis palatinis facto, qui nimium quam multi in urbe ſunt, impetus fit in lictores et latrunculatores, qui reos deducere ſolent; quibus diſturbatis, et perditiſſimo quoque ſe turbae immiſcente, jam numero tumultuantium creſcente, etiam carnifex e ſcala detruditur; continuoque nutrice, quae aderat, aut homine nutricem foemineo amictu mentiente, in ſcalam enitente, vinctus ſolvitur, et laqueus e patibulo pendens, quo ille adligabatur, cultro ſcinditur: tum pallio injecto velatus per turbam miſero faventem in tutum deducitur, parato ad id equo, quo inſcenſo fuga mortem evaſit. In turba renitentium quatuor a ſeditioſis interfecti, multi graviter vulnerati, et furore invaleſcente vix a carnifice temperatum; ſcala, carruca, et patibulo, a plebe in proximum flumen tractis. Quod audaciae in regis regiique magiſtratus contemptum vergentis exemplum ſic a prudentioribus acceptum eſt, ut hoc majora aliquando auſurae plebis, cum ducem nacta eſſet, ſpecimen foret. Contemptum auxit, quod, cum in ſeditioſos inquiſitum eſſet, nulla digna in eos poena ſtatuta eſt; plebe id, quod diſſimulatione fiebat, ad imbecillitatis conſcientiam ac confeſſionem referente. Reus, tanto periculo praeter ſpem defunctus, fortunae beneficio minime ſe indignum poſtea praebuit: nam cum ad Franciſcum Bonam Diguierium receptum habuiſſet, multa fidei, ſolertiae et egregiae virtutis exempla edidit; quibus et meruit, ut, Diguierii commendatione longo poſt tempore, vitae gratia ab Henrico IV impetrata, etiam famae et dignitati reſtitutus fuerit. Eo anno *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Sens.* [b] *Colomba Chatri.* [c] *Carita.* [d] *d'Alibour d'Autun.* [e] *de Provencheres de Langres.*

addam huic gemellum fere naturae miraculum proximis annis Lutetiae in illuſtriſſima foemina viſum; ſed poſt quinquennium, ſeu medicamentis ſeu ferramentis, fruſtillatim eductus foetus fuit; eundem procul dubio exitum, ſi diutius in utero haeſiſſet, habiturus; quippe qui jam lapideſcere incipiebat.

XI. Hic annus non ſolum variis ac triſtibus caſibus memorabilis, ſed et virorum literis illuſtrium mortibus funeſtus α fuit. Nam Jacobus [a] Pelletarius Cenomanus, profeſſione medicus, ſed poetica et mathematicarum artium, quas editis pleriſque ſcriptis illuſtravit, exquiſita ſcientia praecipue clarus, Lutetiae, ubi, vita per longinquas peregrinationes extra patriam acta, ſenectuti tot laboribus fractae nidum poſuerat, menſe Sextili deceſſit: quem mox ſecutus eſt Laurentius [b] Jobertus, profeſſione item medicus, [c] Rondeletii, famoſi adeo in ea arte, quondam diſcipulus. Is, cum academiae [d] Monpeſſulanae, in qua artis medicae celebris ſchola eſt, cancellarii dignitate praeeſſet, in aulam evocatus fuerat a Margarita Navarri uxore; ubi, edito de erroribus popularibus inſigni opere, magnum nomen adeptus, cum patriam negotiorum quorundam cauſa repetiiſſet, morbo lethali correptus eſt; ex quo, non ita ſenex, quippe vix LIII annum egreſſus, obiit IV Kal. Nov. Ante eum Georgius Buchananus IV Kal. Oct. exacta aetate, et LXXVI annum ſupergreſſus, deceſſerat: vir, ingenii felicitate et ſcribendi facultate, quod ejus ſcripta ad omnem aeternitatem victura, vel fatente invidia, teſtantur, noſtra aetate incomparabilis; in [e] Levinia Scotiae provincia ad [f] Blanum amnem natus, ſed adoptione noſtras; qualis Antonius [g] Goveanus Luſitanus, ſummus et ipſe Buchanani amicus, dici et exiſtimari volebat. Nam poſt prima utriuſque linguae tirocinia apud ſuos facta omnem fere aetatem in Gallia exegit, Lutetiae literas humaniores primum profeſſus, et poſtea [h] Burdigalae in gymnaſio [i] Aquitano; unde ab Andrea Goveano in Luſitaniam cum Nic. [k] Gruchio, Gulielmo [l] Guerentaeo, Jacobo [m] Tevio, Elia [n] Vineto, et Patricio fratre abductus, [o] Conimbricae juventuti erudiendae operam dedit. Toto eo tempore inſignem illam poeticam pſalmorum paraphraſim commentatus. Dum in Luſitania eſſet, ob liberius carmen in Franciſcanos ſcriptum, exagitatus eſt; quamvis Jacobi V Scotorum regis juſſu id feciſſet, ultionem contra eos quaerentis; quod in conjuratione a quibuſdam e nobilitate contra ſe inita minus ſincere verſatos illos perſuaſum haberet. Inde in Galliam reverſus operam ſuam Timoleonti Coſſaeo, Briſſaci equitum tribuni filio, addixit; cum quo quinquennium totum haeſit, et ad annum uſque hujus ſaeculi LX; quo, bellorum civilium apud nos ardente incendio, ad patriam antiquam, alumna et nutrice Gallia relicta, reverſus eſt. Ibi Proteſtantium doctrinam palam amplexus, tandemque, poſt regno exutam Mariam reginam, erudiendo Jacobo VI ejus filio appoſitus. In ſenili otio patriam hiſtoriam aggreſſus eſt; quam tanta puritate, prudentia, et acumine ſcripſit, quamvis interdum libertate genti innata contra regium faſtigium acerbior, ut ea ſcriptio non hominem in pulvere literario verſatum, ſed in media hominum luce et in tractandis reipublicae negotiis tota vita exercitatum, redoleat: adeo ingenii felicitas et animi magnitudo omnia obſcurae et humilis fortunae impedimenta ab eo removerant, ut propterea non minus recte de maximis rebus judicare et ſcribere prudenter poſſet. Et ſane memini Petrum Ronſardum, virum acerrimi judicii, qui, licet in diſpari fortuna conſtitutus, tota vita

VAR. LECT. α Galliae fuit. *D. f.*

INTERPR. [a] *Pelletier, du Mans.* [b] *Joubert.* [c] *Rondelet.* [d] *Univerſité de Montpellier.* [e] *Province de Lenox.* [f] *Blane.* [g] *Govea, Portugais.* [h] *Bourdeaux.* [i] *College de Guienne.* [k] *de Grouchy.* [l] *Guerente.* [m] *Tevio.* [n] *Vinet.* [o] *Coimbra.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

vita ſcholaſtico otio oblectatus fuerat, cum de Buchanano, Hadriano Turnebo, Antonio Goveano, M. Antonio Mureto, quibuſcum arcta amicitia conjunctus fuerat, verba faceret, dicere ſolitum, illos homineis nihil paedagogicae praeter togam et pileum habuiſſe; et tamen de vulgo paedagogorum ſic cenſere, nunquam incorrigibilis ineptiae ex paedagogica contractae characterem vel longiſſimi aevi curriculo deleri [α] poſſe.

XII. In Germania ex occaſione archiepiſcopi Colonienſis hoc anno res turbavere. [a] Colonia Ubiorum antiquitus Agrippina dicta, et in citeriore ripa Rheni Auguſti temporibus ad prohibendas Suevorum, Uſipetum, et Tenchterorum, excurſiones ſita, paulatim ſub imperio Romano crevit, donec eam Childericus Francorum imperii conditor Romanis eripuit, circa annum Chriſti CCCCLXII: ſed poſtea Otho I, tranſlato a Francis ad Germanos imperio, eam juris Germanici fecit anno IƆ CCCCXLIX; [β] ſive potius, ut alii volunt, Ludovicus II Pii filius, jam ante circa annum IƆ CCCLXX; a quo tempore Colonia liberis imperii civitatibus annumeratur, et in comitiis civitatum inter eas principem locum tenens, primarii quoque ſuffragii praerogativam obtinet. In ea eſt epiſcopalis ſedes, a B. Materno B. Petri diſcipulo primum fundata, poſt natum Chriſtum anno XCVI, ut Colonienſium annales memorant; a quo ad Agilolfum, qui primus archiepiſcopus creatus eſt, intercesſerunt anni IƆ CXLVII: et anno demum CIƆ III ſeptemviratus archiepiſcopali dignitati acceſſit, cum ampliſſima dioeceſi; quam poſtea Fridericus I, depoſito Henrico Leone, Weſtphaliae principatu auxit. Poſt Maternum, circa annum CCCLVI, Euphrata Photinianus a Gothis epiſcopus conſtitutus Arianae ſectae virus in ea ſpargere voluit; ſed, convocata epiſcoporum Germanorum ſynodo, ſede motus eſt, cum Julius I Romae ſederet. Ab eo tempore nullus ob religionem in ea eccleſia motus fuit. Sed noſtra memoria Hermannus e [b] Wedenſium comitum familia archiepiſcopus, exortis ob Lutherum controverſiis, cum emendationem in eccleſia ardentiſſimis votis expetere prae ſe ferret, neque negotium hoc, reipublicae Chriſtianae periclitanti adeo neceſſarium, per quorundam ambitionem ſatis ex animo procedere putaret; a Martino Bucero perſuaſus in Proteſtantium partes inclinare viſus eſt: ob idque poſtulatus, cum ſe eandem cauſam foventium ope tueri poſſet, ſuorum quieti vel cum propria jactura conſulens loco cedere maluit, et ipſe ſe ad quietem compoſuit; ſicuti ſuo loco diximus. Adolfus [c] Scavenburgicus, malam gratiam bene merito de ſe ſeni rependens, huic ſuffectus; et poſt eum Antonius Adolfi frater. Rurſus Antonio Jo. Gebbardus Mansfeldius, et eo mortuo Fridericus Hermanni gentilis, et poſt Fridericum Salentinus, ex [d] Iſemburgicorum comitum familia, ordine ſucceſſerunt. Verum Salentinus, qui et Paterbornenſem epiſcopatum tenebat, cum X annis praefuiſſet, dignitate utraque ſe ſponte abdicavit, ut Antoniam Willelmam Caroli Arenbergi comitis ſororem, praeſtanti forma virginem, in uxorem duceret, nulla in religione mutatione facta aut tentata. Itaque cum tantam

VAR. LECT. [α] poſſe. Cum autem morti proximus eſſet Buchananus, a rege alumno rogatus, ut quae de Maria parente nimis libere ſcripſerat revocaret, et infamiam ejus nomini ſcriptis ſuis inuſtam inſigni aliquo teſtimonio elueret; nihil aliud reſpondit, quam brevi fore, ut ipſius deſiderio abunde ſatisfieret. Repetitis dein vicibus per fidos eadem de re interpellatus, hoc poſtremo reſponſo regi ſatisfecit: ſe, quae ex animi ſententia vere ſcripſerat, revocare quidem non poſſe; ceterum, ubi exſpiraverit, in regis poteſtate futurum, ut de ſcriptis illius pro arbitrio ſuo ſtatueret: tantum quid in ea re acturus eſſet, pro prudentia ſua, ante mature conſuleret; ſciretque reges cum ſoluta poteſtate a Deo conſtitutos nihil non poſſe; ſed veritatem, quae a Deo vires ſumit, quantum Deus hominibus major eſt, tantum potentia adverſus reges ipſos praepollere. In Germania *MS. Samm. Put. et Rig.*

[β] ſive potius, ut alii volunt, Ludovicus II Pii filius, jam ante circa annum IƆ CCCLXX; *deſunt. D.* f. d.

INTERPR. [a] *Cologne.* [b] *Comtes de Wied.* [c] *de Schauenburg.* [d] *d'Iſenburg.*

tantam dignitatem multi ambirent, et in iis Erneſtus Alberti Baioariae ducis filius; ei praelatus eſt a ſacri collegii ſodalibus, annitente Hermanno [a] Nuenario comite, Gebbardus [b] Truchesius, ex illuſtri Walburgenſium regulorum familia in [c] Suevia, et Othonis cardinalis Auguſtani ex fratre nepos; ac anno hujus ſaeculi LXXVII VIII Eid. Maias inauguratus. Is vero cum exemplo deceſſoris ſui et uxorem ducere in animo haberet, non utique eadem moderatione uſus eſt; ſed, ducta uxore, etiam ſeptemviratum retineri poſſe ſibi perſuaſit. In Agnetem Jo. Georgii Mansfeldii comitis filiam jam ante oculos conjecerat, quae pietatis exercitiis addicta in coenobio [d] Girriſeimio degebat; cumque illa in ſororis Mariae, quae Petro Erneſto [e] Krickingio regulo conjux deſtinabatur, comitatu Coloniam veniſſet, immane quantum ex aſſiduo ejus colloquio exarſit: dein cum illi in Thuringiam ad ſua pergerent, et inde Coloniam crebro commearent, in itu et reditu in Gebbardi arcibus excepti, novis amoribus conciliandis occaſionem praebuerunt. Tandem, cum inſtaret Petrus Erneſtus Mansfeldius frater, ut promiſſis fidem publica nuptiarum celebratione faceret, et ita ſermonibus, qui haud ſatis belli de familiaritate utriuſque paſſim per Germaniam ſpargebantur, materiam praecideret; ipſe Bonnae coram fratre ac ſorore, ſed in arcano, Agnetem in uxorem duxit, ſub initium hujus anni: et homo exiguis facultatibus, ut occaſionem retinendi ampliſſimi patrimonii haberet, ex [f] Solmenſis et Nuenarii comitum, quibuſcum illi arctiſſima neceſſitudo intercedebat, conſilio Proteſtanteis ſuſcitat, qui liberam religionis ſuae profeſſionem et uſum in Colonienſi ditione concedi a magiſtratu urbis peterent. Porrectus in eam rem libellus ſatis prolixus, quo gratiam libere conveniendi ſibi fieri poſcebant, et ad ea, quae contra objici poterant, reſpondebant: Auguſtanae nimirum confeſſionis admittendae ſpecie id agi, ut omnis generis ſectae clam introducantur; et magiſtratus auctoritas ea licentia imminuatur. Nam gratia facta mox omnibus manifeſtum futurum, non aliam ſe quam Auguſtana confeſſione comprehenſam doctrinam, et Martini Lutheri apologia explicatam, in comitiis imperii multoties approbatam, amplecti; et eo majorem tot animarum fame ſitique verbi divini tamdiu cruciatarum in magiſtratum, qualis Francofurti, Spirae, Wormatiae, Ratiſponae, [g] Auguſtae, et aliis in imperii civitatibus viſitur, obedientiam fore. Ad eum libellum nihil pro tempore a magiſtratu reſponſum; tantum qui ei ſubſcripſerant, in carcerem per apparitorem ire juſſi: ita enim in ea urbe mos eſt, niſi graviſſima cauſa ſubſit, ut cives non inviti in cuſtodiam rapiantur. Interea contrario libello a Melchiore [h] Bruino collegii ſanctorum apoſtolorum paſtore reſpondetur, quibus ſingula petitionis capita exagitantur, ac refelluntur; mittunturque utrinque Auguſtam delegati, qui in comitiis, ad quae cauſa Aquiſgranenſium antea rejecta fuerat, eandem cauſam agitarent. Sed non expectato Caeſaris ac delegatorum reſponſo ac reditu, Proteſtantes, qui porrecto libello obedientiae magiſtratui debitae officio ſe defunctos putarent, inſtigante Adolfo Nuenario, ad [i] Mecterenſem vicum ipſius ditionis Nonis Quintilibus conveniunt; Zacharia Urſino Sileſio concionatore in id a Jo. Caſimiro ſummiſſo. Ea re commotus in urbe magiſtratus cum portas proxima Dominica claudi juſſiſſet, varie id a multis acceptum. Nam alii id per leges imperii Nuenario licere contendebant; vicum Mecterenſem in ejus juriſdictione ſitum, nec proinde religionis ab imperio approbatae

INTERPR. [a] *de Newenar.* [b] *Truchſes.* [c] *la Souabe.* [d] *Geriſheim.* [e] *le baron de Kreickingen, (nommé en François baron de Creange) près de Mets.* [f] *de Solms.* [g] *Augſpurg.* [h] *Bruin.* [i] *Village de Mechtercn.*

35280

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III. approbatae libertatem in ea interdici poſſe: alii contra dicebant, et villam juriſdictionis quidem Nuenarii eſſe non inficiabantur; ſed ſuperioris ditionis, nimirum in archiepiſcopi territorio ſitam, ac beneficiariam; in qua proinde ſine illius conceſſione quidquam in religione innovare non poſſet. Gebbardus ſe inſcio id auſum Nuenarium credi volebat; et Solmenſis, alter conſiliarius, quidquam de ea re reſciviſſe pernegabat. Itaque, poſt repetitos aliquoties conventus, magiſtratus vim adhibuit; et ſucciſis arboribus, quae proſpectum ex urbe in villam impediebant, admotis ad locum conventus majoribus tormentis collimari mandat; tectoque perforato, parum abfuit quin Nuenarius ipſe interfectus ſit. Ad eum Solmenſis, qui, purgatione a magiſtratu accepta, in conſilium admiſſus fuerat, cum plenis mandatis profectus erat, et ipſe tunc cum Nuenario colloquebatur. Eo re infecta reverſo cum res ad apertam ſeditionem ſpectaret, inſtante collegio, delegati ab utraque parte cauſae diſceptatores; quibus [a] Mullemum convenire juſſis, Gebbardus et ipſe adfuit. Ipſe cauſa agitata Nuenarius, Gebbardo hortante ut a concionibus celebrandis abſtineret, cum contra, prolata in ſe emiſſa pila, de injuria expoſtularet, tandem ceſſit; id ſe non collegii, ſed archiepiſcopi, gratiae ac precibus condonare teſtatus. Inde cum Gebbardus profectionem ad comitia adornaret, ſacri collegii ſodales veriti, ne quid ille cum Proteſtantium principum legatis in ſuam perniciem agitaret, eo Fridericum Saxonem e ſuo numero ablegant. Inde ortae inter Fridericum et Gebbardum damnoſae utrique ſimultates, ex quarum occaſione Willelmus Cliyenſium dux a ſenatu et collegio ſolicitatus fidem de auxiliis contra novatores ſuppeditandis obſtrinxit; nec non et Alexander Farneſius, Philippi in Belgio ſupremus dux, operam ſuam et vireis ultro detulit. Quibus confirmatior ſenatus edicto propoſito decernit, quo ſeditioſis coitionibus et turbis in dies naſcentibus occaſio praecideretur; ut omnes, qui alteram a majorum religione doctrinam amplecterentur, ob ſciſſuram ac Sectarium virus ante XVI annos urbe pulſi, et poſtea admiſſi, intra menſis ſpatium urbe excederent. Interea Proteſtantium delegati in comitiis ab Auguſtanae confeſſionis principum legatis commendatitias ad ſenatum literas impetrant; quibus a principibus ſuis ſibi mandatum dicebant, ut Proteſtantium, qui Coloniae erant, cauſam ſuſciperent, orarentque, in eos eadem benignitate, qua alii imperio ſubditi fruebantur, concives ſui uterentur, nec tanquam honoribus ac dignitatibus indigni a conſortio ſuo removerentur; ſed juxta imperii pacificationem ante annos XXVII promulgatam, quae firmiſſimum publicae tranquillitatis inter omneis vinculum eſſet, beneficium libertatis, quantum ad religionem, illis impertiretur: id enim ad concordiam, quae omni tempore, tum hoc maxime, neceſſaria ſit, pertinere. Scripto eo ad ſenatum allato, Proteſtantes libellum non jam magiſtratui, ſed Gebbardo, quem in occulto cauſae ſuae favere noverant, ex compacto porrigunt XIV Kal. Oct. cui et acceſſerunt itidem legatorum ad eundem commendatitiae literae [b] Auguſta ſcriptae, quibus publice conveniendi libertatem Proteſtantibus ea in urbe concedi petebant. Jamque Gebbardus, quaſi ad comitia profecturus, ſe in viam dederat; et in Heſſiam uſque venerat; ſed cum propter cauſas neceſſarias comitia ſuſpenſa intellexiſſet, eique per Caeſaris nuncios ſignificatum eſſet, ne iter acceleraret, in Weſtfaliam reverſus eſt. Miſſi a collegio legati cum Gebbardum non venturum ſcirent, tamen eum mox adfuturum adfirmabant; ſic enim promiſiſſe; ut ex promiſſorum ludificatione ei invidiam apud imperii ordines crearent. Tandem, ſub exitum comitiorum, venerunt ab Gebbardo legati Adolfus Solmenſis ejuſdem

INTERPR. [a] *Heren Mullem.* [b] *Augſpurg.*

ejuſdem collegii ſodalis, et Suartius; qui et abſentiam ejus excuſarunt, et ſi quidem religionis libertas, et eccleſiaſticorum principum citra adminiſtrationis ſuae jacturam matrimonia, impetrari poſſent, periculum facerent. Vagi ea de re, ſed ſine certo auctore et expreſſo mandato, ſermones ſparſi, aliter atque aliter, prout animi varie affecti erant, excepti; nec alio praeterea pretio facto comitia exeunte Septembri dimiſſa ſunt. Ipſe Gebbardus jam collegium et magiſtratum contra ſe ad vim ſive inferendam ſive ſuſtinendam cum videret inſtrui, copias cogit, ſpecie defendendi limitis; qui, Belgico bello ardente, et diſcurrentibus regiis et Ordinum militibus, periclitabatur: mox et apertius declarat ſibi compertum eſſe, inſidias adverſum ſe collegium moliri. Ad quae aperte itidem collegii ſodales reſpondent, nihil ſe indignum fide, quam ei debeant, animo cogitare; ſed videndum ipſi, ne quid indignum conditione ac ſacro faſtigio moliatur: ubique ſpargi, eum de uxore ducenda cogitare, et ſtatum religionis mutare velle; quae ſi vera ſint, fruſtra fidem ſuorum deſiderare, aut ab ipſis auxilia expectare. Cum ille collapſam ipſorum culpa diſciplinam in ſacro ordine contra regereret, et delectos theologos ad eam inſtaurandam propediem miſſurum formulamque perſcripturum promiſiſſet, ſatis ad purgandas ſuſpiciones pro tempore actum putans, [a] Bonnam verſus iter intendit; praemiſſo Gaſpare [b] Heieno ſatellitii domeſtici praefecto cum literis ad [c] Ekium urbis praetorem, qui apud ſenatum ageret, ut non ſolum honorifice admitteretur, ſed familiae ſuae diverſoria in urbe commoda aſſignarentur: nam ſtatuiſſe ad aliquot dies moram in ea facere. Jam Siburgum proceſſerat, ibique prandium ſumpſerat; unde cum trajecto trans Rhenum milite ad portam Colonienſem veniſſet, initio tumultuatum ad inſolitum armatorum conſpectum, ita ut portae urbis clauderentur: verum ſubito egreſſis obviam fidis portae aperiuntur, et Gebbardus cum omni comitatu intra urbem accipitur; continuoque per Ekium et Heienum coram ſenatu adventum ſuum armatum excuſat; additque inſidias ſibi ſtructas, et externum ac vicinum bellum, quouſque melius de conſiliis hoſtium ex eventu cognoſcatur, militis conſcribendi limitemque muniendi ſibi neceſſitatem impoſuiſſe: proinde ad aliquod tempus in urbe manere decreviſſe, ac velle, ut militi circa ſe commoda hoſpitia aſſignarentur. His auditis, ſenatus adventum ſibi principis ſui gratum eſſe renunciat; quanquam eum pacato habitu, quam militari, veniſſe maluerit: militis in urbe recipiendi onus deprecatur, atque ut in pagos et caſtra vicina transferatur, petit; quod ſi celſitudo ſua eum dimittere non poſſit, per monaſteria et eccleſiaſticorum familias potius diſtribuatur; quae ſi non ſufficiant, diverſoria publica eſſe, in quibus ſtipendiis ſuis ali poſſint. Ita a ſenatu in ſacrum ordinem rejectum onus, et a publico urbis ſcriba hoſpitia in breviculum referuntur; quod deinde manſori traditum eſt. Interea vocati [d] conſules ad prandium, quod Gebbardus in diverſorio apparari mandaverat; ac remotis menſis de militum hoſpitiis et clavibus urbis actum; quas non tam initio abſolute ſibi petebat, quam certos a ſe nominari volebat, qui communem cum ſenatu urbis et clavium cuſtodiam eſſent habituri. Sed ſenatus interceſſit, et ſibi eas a tempore inaugurationis ſuae traditas ac creditas reſpondit; quarum proinde cuſtodia, citra totius populi conſenſionem, privari nec poſſet nec deberet. Concurſus ſub id plebis factus, quae publicas aedeis circumſiſtens, ſi quid contra magiſtratum tentaretur, vim prohibitura videbatur; nihil tamen ulterius auſa, attemperato praeſentia militis, qui nondum in hoſpitia diſtributus adhuc in armis in foro ſtabat, tumultuantium furore. Inde ſub veſperam Gebbardus in vallem

INTERPR. [a] *Bonne.* [b] *Heien.* [c] *Eik.* [d] *Bourgmaiſtres.*

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III. vallem [a] Roſarum tendit, ubi tunc Agnes Mansfeldia cum Maria ſorore [b] Krickingii reguli uxore morabatur; vocatiſque e ſenatu quos placuit, claveis quidem ipſis, et cum clavibus etiam murorum et portarum cuſtodiam creditam eſſe dixit; ceterum id minime principi praejudicare, quo minus neceſſitate urgente et tempore ſuſpecto, in quo de capite ipſe periclitetur, eas repetere poſſit: mandare igitur, ut eas ſine mora in palatium adferant, ampliora mandata ab eo accepturi. Quibus dictis in palatium pergit. Nox inter ancipites metus et minas tranſacta, reſtitante ſenatu, et Gebbardo ultra modum incandeſcente, vixque ab amicis, ne vim ultimam tentaret, cohibito. Poſtridie, qui in Nonas Novembreis incidebat, Hermannus Adolfus [c] Solmenſis et alii in ſenatum conveniunt, et ſumma moderatione agunt; repetitaque brevibus ſuperioris diei de urbis claviumque cuſtodia actione, petunt, ne Gebbardi principis ſui fidem ſuſpectam habeant: nam non fuiſſe aliam illius mentem, cur claveis poſtulaverit, quam ut civium obedientiae ac voluntatis periculum faceret; ſi ad mandatum ejus claves tradantur, ipſum eas ſtatim ſenatui reſtituere decreviſſe, et novo ritu oppidi cuſtodiam ſenatui denuo demandare; hac conditione, ut praecipui quidam ex ſuis ſenatui adjungerentur, ſicuti ab initio propoſuerat. Igitur petere, ut claves tradantur, cives ab armis diſcedant, et ſenatus edicto caveat, ne populus ad ſympoſia conveniat: nam hoc rerum ſtatu, vino aeſtuantibus animis, vix fieri poſſe, ut non multa ſeditioſe interveniant. Mandat inſuper, ut in portarum cuſtodia et ſtationibus obeundis, quis uſus ſit, et quae diligentia adhiberi ſoleat, ſcripto patefiat. Ad ea a ſenatu non pari moderatione reſponſum: nam de ſua fide praefati, clavium traditionis negotium ad collegium metropolitanum rejiciunt; quo inconſulto quidquam ea in re facere ſe non poſſe oſtendunt. Cives ut arma deponant, non in ſua poteſtate ſitum; quippe quae illi minime mandatu ſuo ſumpſerint: id autem ab iis facile impetrari poſſe, ſi viciſſim ipſe militem nuper introductum dimittat. Hujus reſponſi duritiam ut lenirent, multa de fide ac diligentia ſua in portis ſervandis, inſuper ad corporis ipſius cuſtodiam ſatellitium e numero oppidanorum pollicentur. Tandem poſt multas altercationes conventum, ut leges ſcriptis mandarentur; quarum praecipuae hae erant: claves et cuſtodia portarum penes ſenatum eſſet; urbi Ekius praeeſſet; Gebbardus praeſidium introductum, niſi neceſſitate urgente, non augeret. Cum Ekius, vir moderato ingenio, dum ultro citroque res ad concordiam adducere conatur, in utriuſque partis offenſionem incurriſſet, ipſe ſe ſponte praefectura abdicavit; et Wernerus Schenkius in ejus locum ſuffectus eſt. Harum rerum paſſim evulgata fama, cum ſciſſis ſtudiis res in apertum bellum erupturae crederentur, Parmenſis, qui Gebbardum, Franciſci Brabantiae ducis opibus confiſum, bellum moliri putaret, collegii et magiſtratus Colonienſis patrocinium, opibus Philippi et opera ſua ultro delatis, ſuſcipit; quanquam datis ad eum literis Gebbardus diligenter hortatus fuiſſet, ne quid de ſe ab officio ſuo alienum temere ſibi perſuaderi ſineret. Ne tamen interea imparatus opprimeretur, Ludovico [d] Rompio et Hontſelero negotium dat, ut militem in propinquo ſcriberent: quo propius urbi admoto cum paſſim trepidaretur, praeſidia [e] Ditcircenae, quod eſt coenobium virginum, [f] Poppeleſdorpio, Godesbercae, Ceſſeniae, quae ſunt archiepiſcopi arces, imponuntur. Interea Solmenſis, [g] Winnenbergius, et Krickingius, Coloniam ad ſacri collegii ſodaleis profecti ſunt, relicto in Gebbardi comitatu Nuenario comite; ex cujus conſilio ille literas ad tribus Colonienſeis dat x Kal. Dec. quibus et

INTERPR. [a] *Roſenthal.* [b] *Baron de Creange, ou Kreickingen.* [c] *le comte de Solms.* [d] *Romp & Hontſelaer.* [e] *Dietkircken.* [f] *Poppelſdorf, Godeſberg, & Keſſenich.* [g] *le comte de Winnenberg.*

et ſcriptum a ſe militem excuſabat, et ſenatum graviter accuſabat, quod arma contra ſe pararent, et impulſu quorundam res novas molientium auctoritatem ac jura ſua imminuere et labefactare conarentur; ex eaque cauſa gravibus et inutilibus ſumptibus plebem vexarent. His literis plebem adverſus ſenatum cum ſe concitaturum ſperaret Gebbardus, longe aliter evenit: nam allatas mox ad collegium et ſenatum tribus pertulerunt, qui Clivenſis et Parmenſis opibus freti ſuperbe admodum pro tribulibus ſuis ad eas reſponderunt; et, cum objecta de armis in ipſum paratis, de auctoritate ac juriſdictione ſeptemviralis dignitatis imminuta, diluiſſent; contra, de ipſius injuriis conteſtabantur, qui juriſdictioni alienae ſubditos populos ſolicitaſſet, eos invito et inſcio magiſtratu in ſuam tutelam recepiſſet, pacem publicam ſparſis famoſis libellis turbaſſet, ſimultates et occulta odia inter eos diſſeminaſſet; contra jus ſcriptum, aequitatem, communem reipublicae Germanicae ſalutem, decreta ac conſtitutiones imperii, pactiones et contractus inter ſe initos, rempublicam adminiſtraret: hiſque de rebus, tanquam ad injuriam, contemptum, et ignominiam ſibi a ſeptemviro factam pertinentibus, conſules, ſenatores, et XLIV viros optimates civitatis Colonienſis, querelam apud Caeſarem et imperii ordines inſtituere paratos oſtendebant. Quo cognito, Gebbardus, qui minime ignoraret quantae molis negotium ſuſcepiſſet, a pecunia, quae praecipuus belli nervus eſt, omnino imparatus; cum tamen longius provectus eſſet, quam ut retro pedem ferre poſſet, in eam curam animum intendit: ac primum quidem [a] Bruelam, quae eſt archiepiſcopi arx, in qua donaria et cimelia pretioſa de more aſſervabantur, fidos mittit; qui, ſcriniis et apothecis reſeratis, omnem gazam ſecum [b] Bonnam deveherent. Eodem tempore exilis pecunia Theodoro [c] Cnipenbergero adnumeratur, ut conſcripto milite tractum [d] Recelnienſem tueretur. His anxius curis Gebbardus circa ſe homines tantum militareis habebat, conſiliariis faceſſere juſſis; et epiſcopi Bremenſis, Jo. Caſimiri, Arauſionenſis, Naſſoviorum gentilium, legati frequentes in ejus aula viſebantur. Interea a collegio, ſecretis Romam miſſis ejus rei nunciis, mirum in modum pontifex, ut debuit, commotus eſt; qui, quanquam minime ignoraret quantam ea res, ſi negligeretur, in religione per Germaniam mutationem eſſet allatura, tamen cardinalis Auguſtani patrui, cujus egregia erant in ſedem Romanam merita, reverentia tenuit, ut nihil in eo negotio praecipitaretur. Itaque decreta in Germaniam legatio, eique deſtinatus fuit Ludovicus [e] Madrutius cardinalis; qui, antequam in viam ſe daret, [f] Minutium Minutianum a ſecretis cum pontificis mandatis ad [g] Moguntinum et Trevirenſem ſeptemviros praemiſit; qui per amicos, quos Coloniae habebat, certius de re omni cognoſceret. Nec multo poſt, crebreſcente fama de novis Gebbardi conſiliis, pontifex ad eum ſcribit Nonis Decembribus; et multa de claritudine generis ipſius, et Auguſtani cardinalis adeo glorioſa memoria praefatus, monet, ut famae ac ſaluti ſuae in tempore conſulat, et ſi fortaſſe longius, quam oportuit, ſit progreſſus, pedem retro ferat: ſin falſa ſunt, quae objiciuntur, animum ac ſenſum ſuum quamprimum aperiat; cogitetque, quid ſedi apoſtolicae, quid patriae, quid Chriſtiano nomini, quid ſibi ipſi debeat; nec patiatur, ex malevolorum ſermonibus perpetuam ignominiae notam agnationi ſuae et ſacro ordini inuri. Ad extremum, poſt paterna monita, ſignificabatur, mandatum Trevirenſi archiepiſcopo datum, ut ad ipſum proficiſceretur, et pontificis nomine cum eo amplius ageret: rogatus et a pontifice

INTERPR. [a] *Broel.* [b] *Bonne.* [c] *Knipenbergern.* [d] *Recklingſhauſen.* [e] *Madrucci.* [f] *Minuccio Minucci.* [g] *de Mayence, & de Treves.*

pontifice Rodolfus Caeſar eodem officio apud Gebbardum per legatum defunctus eſt. Interea a principibus Proteſtantibus undique ad eum legati veniebant. Venerunt et praeter legatos Joannes [a] Naſſauvius Arauſionenſis frater, cum filio cognomine; Albertus item Naſſauvius [b] Sarverdenus, Hermannus [c] Wedenſis, et Carolus Mansfeldius, comites; Conradus et Erneſtus [d] Solmenſes, Hermannus Adolfus Solmenſis ſacri collegii ſodalis, Adolfus [e] Nuenarius, Carolus [f] Trucheſius Gebbardi pater, Jo. [g] Winnenbergus, [h] Brukius, Girolſecus, et Oberſtenius, comites; necnon et Ferdinandus Truchesius Gebbardi frater, nuper in collegium ſacrorum ſodalium cooptatus, et Ludovicus [i] Witgenſtenius; cuncti opes ſuas ad incendenda ejus turbida conſilia pollicentes: quibus fidens ille, quam nuper anxio vultu, tam hilari fronte ac plane ſecuro animo deinceps in publico conſpectus eſt; ita ut cum prius centurionibus, tribunis, et armorum fragore ejus atria circumſtreperent, nunc mutata facie choreis, tripudiis, ac ludicris ſpectaculis, ſuccedente poſt triſtitiam laetitia, omnia perſonarent. Jamque renudata mente multa licentioſe in pontificem palam in ſermonibus et inter pocula in ipſius aula jactabantur, ut nullus de ejus voluntate ac conſiliis dubitandi locus eſſet; cum a quibuſdam ex ſuis monitus eſt, ſcrupulum pleriſque inhaerere, qui alioqui cauſae ipſius faveant, quaſi archiepiſcopatum ac dioeceſim, quae ducta uxore et mutata religione retinere cuperet, etiam poſt obitum ad poſteros et heredes transferre cogitaret: id validiſſimum ab aemulis ejus telum in eum torqueri, quod in illos publico teſtimonio reflecti maxime rerum ſuarum interſit. Itaque eodem menſe edictum proponit, quo Deum homineſque teſtabatur, poſtquam benigniſſimus Deus ex tenebris papatus, haec verba edicti erant, in lucem et veram ſancti ac ſalutiferi verbi ſui cognitionem ipſum adſeruiſſet, nihil aliud exoptaſſe, quam ut in vocatione et officio cum tranquilla conſcientia vivere, et ſubditis ſibi a Deo commendatis publicum incorruptae doctrinae ac ſacramentorum uſum legitimum permittere, liceret. Interim ſe nullius conſcientiae vim inferre velle, ſed utriuſque tantum religionis in imperio approbatae liberam profeſſionem juxta pacem in comitiis promulgatam inſtituere decreviſſe: nec vero collegium metropolitanae eccleſiae electione ſua fraudare ſtatuiſſe, vel quidquam contra privilegia, immunitates, ac conſtitutiones moliri; ita ut ſi brevi vel poſt multos annos mori ſe contingat, aut per occaſionem dignitati renunciet, electio ſine ulla controverſia ad collegium devolvatur. Ad literas a legatis Proteſtantium principum, de quibus diximus, ex [k] Auguſtanis comitiis Coloniam miſſas nondum reſponderat ſenatus. Inde capta occaſio, ut Joannes [l] Baioarus Bipontinus, cum Ludovici ſeptemviri, Jo. Caſimiri, Richardi Palatinorum legatis, Coloniam veniret, et coram cum ſenatu et metropolitano collegio ageret: de cujus legatione, cum res anni ſequentis exequemur, plenius dicemus. At Gebbardus, qui omni ratione Bonnam in poteſtate habere cupiebat, per abſentiam Ekii prolatis collegii literis, ut putatur, ſuppoſitis, clavium traditionem fruſtra antea tentatam urget, ac tandem impetrat. Eas conſul ac duodecimviri a ſenatu nominati ad eum detulerunt; ſera poenitentia ſubeunte, cum de veris collegii literis, quibus, ne id facerent, prohibebantur, poſtea conſtitit. Clavibus a Gebbardo acceptis, vigiliae oppidanis interdicuntur; cuſtodiae ad portas ex milite externo conſtituuntur, ſtatimque ſuſpecti armis exuuntur, et quidquam ex urbe exportari prohibetur: tantaque novorum hoſpitum licentia fuit, ut plerique

ſolum

INTERPR. [a] *de Naſſau, frere du prince d'Orange.* [b] *de Sarwerden.* [c] *Comte de Wied.* [d] *Comtes de Solms.* [e] *Comte de Newenar.* [f] *Truchſes.* [g] *de Winnenberg.* [h] *de Bruck, Geroldſſeck, &* *Oberſtein.* [i] *de Witgenſtein.* [k] *Diete d'Augſpurg.* [l] *de Baviere, duc de Deux Ponts.*

ſolum vertere coacti ſint; Franciſcanis etiam res ſuas alio transferre, et coenobium ſuum deſerere, ob ſuſpicionem juſſis. Scripſerant ad nobilitatem circumpoſitam ac praefectos tam ſenatus quam collegium, viderent, ne quid dioeceſis horum motuum occaſione detrimenti caperet: et cum per Moguntinum et Trevirenſem ſeptemviros, qui legatos Bonnam ad Gebbardum miſerant, nihil ſibi obtinuiſſe viderentur, etiam Rhenanorum conſiliariorum advocationem poſcunt; qui per literas Gebbardum monuerunt, a rebus novis abſtineret, neque praecipiti conſilio ſe in difficultates, ex quibus poſtea extricare ſe non poſſet, temere indueret. Poſtremo et ad nobilitatem antea monitam ſcribunt, eique diem poſt Chriſti natalem, ut Coloniam veniret, condicunt. Quo cognito, Gebbardus ad eos dat literas, et, exagitata collegii audacia, mandat, ut in hoc conventu praeter juris ordinem coacto tantum quod a ſodalibus proponeretur audiant; ceterum nihil, quod legitimo ſuo principi aut archiepiſcopatui praejudicet, cum ipſis tranſigant. Illuſtriſſima hoc anno comitum [a] Hoienſium gens, quae CCCCL annos a Lotarii Caeſaris Saxonis temporibus ad [b] Viſurgim floruerat, extincta eſt; Othone, ultimo ex ſeptem fratribus Jodoci II filiis, vivis exempto, cum Joannes patruelis [c] Monaſterii epiſcopus, magnum tantae familiae ornamentum, ante IX annos deceſſiſſet, ut ſuo loco diximus. Hereditatem deficientibus maſculis jacentem, jure beneficii ad ſe reverſam, Luneburgici, Julius Brunſvicus, et Willelmus Heſſorum princeps, pro parte quiſque ſua, creverunt.

XIII. TURBATIS in Germania rebus, laetiora apud Polonos erant; ubi pax inter eos et Moſcos tandem convenit, ſub initium hujus anni; multum ſatagente pontifice per Antonium Poſſevinum, ne promiſſi a Moſco contra Turcos auxilii ſpes irrita caderet, et quod ipſe tanto beneficio obſtrictus ad unionem eccleſiae Romanae rediturus putaretur. Interea ad Pleſcoviae obſidionem haerente et cum frigoris ſaevitia ac aliis incommoditatibus luctante exercitu, quibus, qua ratione ſupra diximus, cum [d] Samoſcius remedia pro tempore attuliſſet, raris exterioribus excubiis, et ex iis, qui bello minus utiles erant, diſpoſitis; [e] Suiſcius, qui urbi praeerat, ut ad ſervatae urbis famam etiam captorum caſtrorum ac deleti exercitus Poloni gloriam adjiceret, de iis oppugnandis conſilium cepit pridie Non. Jan. In hunc uſum IↃ CC equos, quos obſidionis incommoda reliquos fecerant, tota urbe conquirit, eoſque promptiſſimo cuique e praeſidiariis attribuit. Duobus locis excubiae a Polonis habebantur; ultra [f] Welicam flumen, qua [g] Pezzuram itur, et in citeriore ripa ſupra caſtra. Ex altera parte, qui ad [h] Suantohoram erant, excubabant. CCC trans flumen contra eos, qui ad Pezzurenſem viam ſtabant, deſtinat; quibus, ſi qui in citeriore erant, ſuppetias per flumen glacie concretum ferrent, tum caſtra milite nudata, eruptione delectorum facta, invaderent. [i] Sboroviana turma, cui Thomas [k] Orinſcius praeerat, trans Welicam eo die excubabat in citeriore ripa: Laurentius [l] Scarbecus ſtationes obibat. Univerſis imperatum erat, ut, erumpenti hoſti nulla pugnandi copia facta, ambitu capto ad caſtra ſe reciperent; quo et auxilium illis e propinquiore loco facilius ferri poſſet, et hoſtis longius ab urbe ad certaminis neceſſitatem pertraheretur. Quod cum feciſſet Orinſcius, et Suiſcius peditatus partem emiſiſſet, ſuperveniente, uti juſſus erat, Scarbeco, quem mox cum delectis Samoſcius ipſe ſubſecutus eſt; Suiſcius caſtra omnino deſerta ratus eruptionem ab urbe in ea fieri jubet. Sed latebant diſpoſiti, quos alias diximus, delecti; qui, ducibus Joanne [m] Cretcovio et Sarnacio, Staniſlai [n] Erremſtii et Hieronymi

INTERPR. [a] *de Hoye.* [b] *Weſer r.* [c] *Munſter.* [d] *Zamoyſki.* [e] *Suiſki.* [f] *Welika.* [g] *Petzur.* [h] *Swantohorn.* [i] *de Zborowſki.* [k] *Orinſki.* [l] *Scarbec.* [m] *Kretkow.* [n] *Erempſki.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

Hieronymi [a] Goſtomicii legatis, ex tentoriis, quaſi ex inſidioſis latebris, nec opinato contraria eruptione in praeſidiarios impetum facientes, CCC ex iis ſternunt, et LX circiter capiunt, reliquos intra urbem compellunt; deſideratis interim in prima eruptione ex ſuis [b] Piontkovio, Orinſcio ipſo, et Petro [c] Grudeſcio, Polonis equitibus; ex Pannoniis, Franciſco [d] Kobore et Barraba [e] Balogo tribunis. Cum ad cadavera ſuorum reportanda, quorum humandorum maximam curam habent Moſci, rurſus venturi crederentur, diſpoſitae inſidiae fuerant: verum illi, quod erat ſuſpicati, minime ſe commoverunt. Itaque poſt biduum conceſſum illis, ut corpora ſuorum tollere poſſent. Ex ea occaſione cum Poloni egregie armis inſtructi quaſi per inducias ſub moenibus propius obequitarent, hoſtes, ſcloppetis majoribus diſploſis, eos, tanquam ad explorandas munitiones veniſſent, petunt. Melchior Saviſſa vix fortitudine armorum periculum evaſit: Staniſlaus Solkevius, praeſtantis ingenii juvenis, et quo praecipue in negotiis explicandis utebatur [f] Samoſcius, converſis ſubito equis cum ſuis in caſtra ſe recipit. Quam injuriam poſtea ut ulciſcerentur Poloni, indigno virtute militari aſtu uſi ſunt; quem, jam ante paratum a Joanne Oſtromecio, Samoſcius ſemper improbaverat; ſed nunc, ut fraus fraude revinceretur, eo uti permiſerat. Arcam ferream, et in ea XII tubos ſcloppetarios de induſtria tenuatos, ut facilius rumperentur, paraverat Oſtromecius, eoſque ciſta lignea incluſerat; alligatis ad fundum ac operculum ejus funibus, qui ad ſcloppetos pertinebant; ita ut cum arca ferrea educeretur, attractis funibus rotam laxari, et igne e venis ſilicis diſſiliente diſplodi ſcloppetos, qui confractis tubis circumſtanteis diſcerperent, neceſſe eſſet. Arca ad Suiſcium perlata Jo. Molleri nomine; qui, ſimulato transfugio, arcam illam, quaſi gemmis, et auro, ac pretioſiſſimis rebus ſuis plenam, praemiſerat. Nec exitu omnino res caruit: ſed cum abeſſet Suiſcius, arca ab Andrea Choroſtino, altero Palatino et Suiſcii aemulo, praeproperanter aperta, ipſe et Koſecius perierunt; compluribus aliis, qui ad rei novitatem confluxerant, diſcerptis, et tecti etiam conclavis parte convulſa: qua de re contumelioſae poſtea literae a Suiſcio contra Samoſcium ſparſae, ab iiſque ad duelli provocationem deſcenſum eſt; ſed majore utrinque ſtrepitu, quam certaminis deſiderio, res tranſacta. Dum interea ad Sapoliam legati de pace ſedulo agerent, tandem de Livonia arcibuſque utrinque reddendis ſerio agi coepit: de qua non parum controverſiae fuit; quippe cum durum videretur, ut provinciam, quam XXIX annos tenuiſſent, et in qua tot Ruſſici generis nati eſſent, deſererent: ad extremum de [g] Torpato et Novogrodeco, cum de ceteris convenirent, acriter pugnatum fuit. Sed Poſſevini interventu cum res ad Pleſcoviam minus ex voto ſuccederent, Moſci poſtremo aſſenſerunt; pacti ut vaſa ſacra Torpato ac Novogrodeco tollere ſibi liceret, nec epiſcopus ſacerdoteſve eorum contumelia afficerentur: de cetero, omni Livonia, quam princeps eorum tenuit, decederent. Stephani nomine contra [h] Luki, Savolocia, Nevela, aliaque caſtella, quae ſuperioribus annis capta eſſent, [i] Weliſio ac [k] Polotienſi agro penes Polonos remanente, reſtituta ſunt. De Narva, aliiſque caſtellis, quae a Sueco tenebantur, ultima diſceptatio fuit; Polonis ea tergiverſatione Moſcorum in alienas manus veniſſe aſſerentibus; contra, Moſcis nihil ad ſe praeſtationem eorum pertinere contendentibus. Dein, ſalvo manente Polonis in ea jure, de captivis et bellico apparatu actum eſt; et pax decennalis facta: qua nec amiſſa reciperandi ſpem praeciſam Moſcus ſibi perſuadebat; et Poloni, omni Livonia recepta, ac tanta vaſtitate in hoſticum illata, ad

INTERPR. [a] *Goſtomſki.* [b] *Piontkow.* [c] *Grudeſki.* [d] *Kobor.* [e] *Balog.* [f] *Zamoyſki.* [g] *Derpt & Novogrodeck.* [h] *Luki, Sawolocze, & Newel.* [i] *Weliſch.* [k] *de Ploczko.*

ad quam ſarciendam longo tempore opus erat, majora aliquando audendi, ſi Moſcus olim bellum redintegraret, ſibi facultatem datam gaudebant. Poſtea miſſi utrinque legati, qui principum juramento intereſſent; et cum primi ad Moſcum Poloni veniſſent, in literis foederis conſcribendis aliquandiu controverſum fuit. Nam Moſcus, praeter antiquos titulos, univerſae Ruſſiae, dein [a] Aſtracanenſium et Caſanenſium Tatarorum, quae regna ille paternae ditioni adjecerat, [b] Ciarium ſe nominari volebat. Poſtremo tenuit, ut, praeter majorum titulos, nulli alii novi aſcriberentur. Tandem VIII Eid. Febr. exercitus Pleſcovia deducitur; in quo ultimum agmen XXIV CIↃ equitum egregie inſtructorum, et cum Moſcorum admiratione incedentium, claudebant: et cum eo Samoſcius [c] Seskelium venit, ſupra [d] Torpatum diſtributo milite; qui, ſi Moſci conditionibus non ſatisfacerent, faciliorem receptum haberet, et [e] Parnoviae, ſi ab ejus obſidione non ceſſaſſet [f] Pontius Gardia, ad auxilia ſummittenda paratior eſſet. Inde Novogrodecum diſſimulata perſona ingreditur, et tradito caſtro praefectum excedere jubet: mox et Torpatum petit; et, cum jumentorum inopiam praefectus cauſaretur, in proximum monaſterium divertit. Torpatum dein traditum eſt, poſtquam XXIX annos in Moſcorum poteſtate fuerat; non ſine magno indigenarum et foeminarum circa ſepulchra diſcurſantium planctu: nam ea gens ſupra alias in ſepulchrorum et mortuorum cultu ſuperſtitioſa eſt; nec, ut alii, mortuos ſtatim terrae mandant, ſed annum in loculis conditos loco fornicato aſſervant; rati eo diutius eorum ſe vel mutuo conſortio fruituros, aut non ita cito carituros. Viciſſim [g] Oſtrovia, Luki, Nevela, Savolocia, Moſcis reſtituta ſunt: et ita bellum Moſcicum deſiit, minori quam pro priorum temporum aut ſua fama a Joanne Ruſſorum principe geſtum; vaſtato longe lateque Moſcico agro a [h] Boryſthene [i] Cernihovam uſque, et a [k] Duna fluvio [l] Stariciam et Novogardiam ac Lahodem uſque lacum; CCC hominum praeterea CIↃ abſumptis, et ad XL CIↃ in captivitatem abductis: quod ſolitudinem magnam in Lukenſi, Savolocenſi, Pleſcovienſi, et Novogardenſi ditionibus ſecum traxit; juventute omni fere ſublata, et adultioribus ſine prole decedentibus. Illud et addunt Poloni ſibi de tanta victoria blandientes, quod ea pace Moſcus, portubus cunctis Baltici maris amiſſis, et a Boryſthenis navigatione jamdudum a Turco, atque adeo a mari fere omni, praeterquam importuoſiſſimo, quale glaciale eſt, ac periculoſiſſimo, tum aliarum fere nationum occidentalium et auſtralium commerciis excluſus, in interiorem Ruſſiam, tanquam injectis compedibus, quominus libere vagari queat, relegatus videatur.

XIV. CONTROVERSIAE cum Moſco tranſactae nova cum Sueco ſucceſſit; qui, ſparſis per Livoniam rumoribus, quaſi eam Stephanus rex inter Hungaros ſuos diviſurus eſſet, et propoſito edicto, quo ſuorum cuique bonorum, et, quas prioribus temporibus majores cujuſque beneficiario jure tenuiſſent, poſſeſſionum reſtitutio promittebatur, Livonos ad defectionem ſolicitabat. Jamque Parnovia arctius in dies premebatur, ita ut intra paucos dies deditionem obſeſſos facturos eſſe appareret. Id tamen pro tempore diſſimulatum: et cum Laurentius [m] Cagnolus, qui egregiam adeo operam in Narva occupanda navaverat, cum literis a Pontio Gardia e [n] Septimaniae nobilitate ad Samoſcium veniſſet, ut inde acceptis ab eo literis ad Moſcum tranſiret; excuſavit ſe Samoſcius, et honeſto reſponſo poſtulata

INTERPR. [a] *Tartares d'Aſtracan & de Caſan.* [b] *Czar, ou Tzar.* [c] *Sekel.* [d] *Derpt.* [e] *Pernau.* [f] *Pontus de la Gardie.* [g] *Oſtrow.* [h] *le Nieper.* [i] *Czernigow.* [k] *la Duine.* [l] *Staricie, Novogrod, & le lac Lahod.* [m] *Cagnolo.* [n] *Languedoc.*

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III. poſtulata Sueci eluſit, cum nulla ſe a rege ſuo ea de re mandata habere diceret. Poſt factam pacem Stephanus Rigam IV Eid. Mart. venerat, ubi Gotthardi [a] Wellingi ſyndici urbis et Joannis Taſtii opera templum Jeſuitis a ſenatu ad Jacobum impetravit; licet intercederet Gotardus Curlandiae dux, et fidem regis oppidani appellarent, qui nihil in religionis negotio ſe innovaturum religioſe promiſerat. Verum ad ſedandam eorum querelam primarium urbis templum viciſſim conceſſit; et ſcripto publico poſtea ſibi de populi conſenſu templa Jacobi et S. Magdalenae tradita declaravit. Actum et cum ſenatu et civibus de munitionibus inter urbem et arcem belli Moſcici tempore exſtructis; et eorundem, hoc eſt, ſyndici et Taſtii, interventu convenit, ut, aggere conjuncto civitatis moenibus integro manente, ipſe viciſſim alterum pari altitudine ad arcem propinquam excitaret; et portam urbis verſus arcem ſibi ac praefectis ſuis civitatem etiam noctu ingredi volentibus, ſi ita res ferret, aperire, vel novam portam e regione portae arcis, quae cum illa ponte jungeretur, in vallo patefacere liceret. Pro tam egregie opera ſibi ac Jeſuitis navata ſyndicus ſalarium annuum ex portorio, Taſtius aliquot ruſticorum familias, dono a rege accepit. Antequam urbe diſcederet Stephanus, qui injuriam, ut ſibi videbatur, a Sueco acceptam huc uſque diſſimulaverat, miſſo legato, is erat Dominicus [b] Alamannius Florentinus Catharinae cum Joanne Sueciae rege nuptiarum olim pararius, ob idque non ingratus ei fore creditus, Livoniae partem ab eo nuper occupatam imperioſe repetiit. Ea XL amplius milliarium longitudine a Narvae fluminis oſtio per [c] Toleſburgum, Weſenbergam, Revaliam, Padiſam, Witenſteinium, Hapſelam, ſecundum maris Baltici litus ad [d] Parnoviam uſque porrigebatur. Alamannius, gravi de injuriis initio inſtituta querela, quod, dum Pleſcoviam nuper obſideret, Suecus a tergo Narvam et alias in Livonia arces occupaſſet, poſtremo petitiones omneis ad unam contraxerat; ut, dum de jure partium communium amicorum interventu decideretur, Narva, ob quam praecipue bellum ſuſceptum fuerat, regi traderetur; fide data, ut, ſi controverſiae componi non poſſent, rex eam Sueco redderet, aliaeque juris ſui perſequendi rationes inirentur; alioqui periculum ſubeſſe, ne, dum ipſi inter ſe de ea diſceptarent, Moſcus rem controverſam occuparet. Ad quod iniquum, ut rebatur, poſtulatum Suecus indignabundus reſpondit; cum ſibi ac conjugi dilectiſſimae liberiſque ſuis non dos tantum promiſſa, et ingens pecuniae ſumma mutuo a ſe regi Sigiſmundo Auguſto data, verum etiam portio hereditaria tam paterna quam materna, et alia bona mobilia ac ſoli ex regio Poloniae ac Lituaniae patrimonio debeantur, quae totos jam XX annos magna cum moleſtia ac ſumptibus nequicquam popoſcerit; exiſtimaſſe ſe, regem Poloniae ea, quae ſibi deberentur, ſoluturum potius, quam Suecicam ditionem, nullo jure ad ipſum pertinentem, minacibus verbis petiturum fuiſſe. Id praeter expectationem, et contra adfinitatis et amicitiae, quae regibus Sueciae et Poloniae intercedit, jura accidiſſe. Cum vero legatus plena mandata non habeat, et inter loquendum amicorum communium meminerit, quorum interventu hoc negotium componi poſſit; minime ſe recuſare, quo minus delegati ab utraque parte de propoſitis a legato capitibus cognoſcant et pronuncient. Quod vero ſcribat rex Poloniae, dum ipſe in Pleſcoviae obſidione haereret, Suecos a tergo Livoniae partem occupaſſe; ad hoc reſpondere, ſe non a tergo, ſed a fronte, non clandeſtino, ſed aperto Marte, Moſcos communeis hoſteis invaſiſſe; ac ſaepe antea cum literis tum per legatos foederato regi ſignificaſſe,

INTERPR. [a] *Wellingen.* [b] *Alamanni.* [c] *Tolſburg, Weſenberg, Revel, Pades, Wittenſtein, &* *Hapſel.* [d] *Pernau.*

ſignificaſſe, omnia fore occupantium, et ſe retinere ac ſervare velle quae ab hoſte recepiſſet; quippe qui multos annos, antequam Stephanus de bello petendis Moſcis cogitaret, omnem belli tanti adverſus eos molem ſolus propriis ſumptibus ſuſtinuerit. Cumque Polotiam Poloni oppugnarent, ſe quoque Narvam, ſicuti aliquoties antea, oppugnaſſe; neque tamen tunc, vel literula, Stephanum juriſdictionis ſuae mentionem feciſſe; immo per epiſtolam, quam ipſe penes ſe habeat, Pontio Gardiae de Weſenberga et Tolſeberga ſuperiore anno receptis gratulatum eſſe. Quantum ad arcem et praefecturam Witenſteinenſem, ſcire ipſum, ea pignoris loco Sueciae regi dotis nomine a Polonis obligata eſſe, et [a] Wicchiam antea Suecis ſubjectam fuiſſe. Quemadmodum autem rex Poloniae minime Suecum rogavit, quae Livoniae aut Ruſſiae majoris loca Poloni ſervare deberent; ita nec ſibi cauſam ullam fuiſſe, ex rege eorum ſciſcitandi, quid in Livonia ſibi occupandum eſſet; praeſertim cum rex Sueciae neminem ſecundum Deum agnoſcat, cui rerum ſuarum rationem reddere teneatur: et tamen validis argumentis ac certis documentis demonſtrare poſſe, non plus juris in Livoniam Polono, quam Sueco, competere. Cum hoc reſponſo Stocolmia dimiſſus Alamannius: quem Chriſtophorus [b] Warſevicius mox cum literis Annae reginae Catharinae ſororis ſubſecutus eſt; qui Suecum [c] Upſaliae nactus, ad eadem mandata, quae a Polono habebat, idem quoque reſponſum tulit. Literarum Sueci VIII Eid. Quintil. ſcriptarum haec ſumma fuit; de [d] Eſtoniae principatu, quem Polonus repoſcebat, aſſentiri non poſſe: cum vero videat Polonos parvi Suecicum regnum facere, eos velle ſcire, brevi fore, ut cognoſcant, quam parvi minas eorum ipſe viciſſim faciat. Interim petere, ut ſibi primo quoque tempore ſatisfiat; idque ſe facturum per literas aut nuncium rex Polonus denunciet: ni faciat, non eſſe quod quiſquam miretur, ſi conſilium dignitati ſuae conveniens ex neceſſitate capiat. Ad has literas acceſſere Sueci uxoris etiam literae; quibus ſe excuſabat, quod petitionibus Polonorum, ut duris et iniquis, apud maritum favorem conciliare non poſſet, et Stephanum ſororium ſuum ad aequiora conſilia hortabatur. Dum Rigae eſſet Stephanus, ad eum rediit e Moſcovia Ant. Poſſevinus, multis difficultatibus in itinere conflictatus. Is cum Moſco egerat de ſciſſura in religione tollenda, ipſoque ad eccleſiae unionem reducendo. Tum foederis contra Tataros cum Polonis pro communi reipublicae Chriſtianae ſalute ſanciendi mentionem injecerat, quidque animi Moſcus de bello contra Turcos ſuſcipiendo haberet, exploraverat. Sed ambigua fere reſponſa tulerat; et quantum ad Tataros, jam pacem cum iis ſe feciſſe Moſcus oſtendebat. Cum Poſſevino venerant a Moſco legati ad Rodolfum Caeſarem et pontificem miſſi: alter item Conſtantinopolim deſtinatus; qui, ut Poloni ſcribunt, muneribus ad patriarcham miſſis, caedis filii expiationem ab eo impetraret.

XV. Venere et eodem tempore legati a Mahomete [e] Chireio Tauricano. Summa legationis eorum haec erat: Poloni donativa perſolverent; de injuriis Koſacorum circa Pontum [f] Euxinum excurrentium ſatisfacerent, eaſque in poſterum impedirent; exaggerata illorum de induſtria in majus incommoditate, quo, domeſtici metus ac vicini periculi ſimulatione, a longinqua Perſica militia, ad quam ab Amurathe evocabatur, ſe excuſaret. Verum arrogantiam legatorum minime ferens Stephanus, magni animi princeps, ira juſta patientiam ſuperante, ad ſuos converſus, Nolo, inquit, huic beſtiae amplius tributum pendere. Mox tamen

INTERPR. [a] *la province de Wikke.* [b] *Warſewicz.* [c] *Upſal.* [d] *Eſthen.* [e] *Chirei, prince des petits Tartares Precop.* [f] *la mer Noire.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

tamen tempori accommodata oratione reſpondit, donativa more majorum datum iri, iiſdemque, quibus antea fuiſſet, legibus pacem cum eo futuram. De Koſacorum injuriis oſtenſum, manum eos hominum ex diverſarum gentium colluvie coactam, qui proinde nullius in poteſtate eſſent: tamen operam ſedulo datum iri, ut eorum, quantum in ſe eſſet, depraedationes prohiberentur. Inde rex, relicto in arce Rigenſi Georgio Radevillio epiſcopo Vilnenſi, Vilnam, et Vilna Grodnam, conceſſit; ubi cum aliquandiu haeſiſſet, Sextili menſe Warſaviam ad comitia celebranda venit. Heic nuncius de [a] Jancola Walachiae palatino capto, a quo ſe graviſſimis injuriis affectum antea conqueſtus fuerat, eum oppreſſit. Is e Saxonibus Tranſilvanicis humili loco ortus, ſed Walachiae deſpotarum genus, ut crebro in iis locis fit, ementitus, favore [b] Achmetis purpuratorum principis Walachiae principatum adeptus fuerat, et injurioſum ſe ſemper erga Polonos oſtenderat. Tunc vero, poſt Achmetis mortem mutantibus rebus, ad Portam ſucceſſore ei ſummiſſo evocatus, expilata provincia omnibuſque rebus convaſatis, cum manu hominum fida in proximam ditionis Caeſareae Pannoniam confugere ſtatuerat; quo tendens, dum vias a Tranſilvanis, qua recta incedendum erat, obſeſſas exiſtimat, ambitu capto ad [c] Pokutiam Polonicae ditionis deflexit; quam dum perrumpere conatur, a Nicolao [d] Soſlevicio [e] Siniatinenſi praefecto captus Leopolim perducitur; ubi juſſu Stephani de eo ſupplicium ſumptum eſt. Publicata ejus bona, et ab Hyacintho [f] Melodſevio palatii quaeſtore in aerarium redacta, parte eorum in alimenta annua liberis uxorique conſtituta.

XVI. TANDEM comitiis initium factum, et Jo. Sarius [g] Samoſcius regni cancellarius pro ratione muneris regis nomine orationem habuit, capitaque, de quibus ad ordines regni referri voluerat rex, propoſuit; de certa eligendorum in poſterum regum ratione conſtituenda; de concordia ſarcienda; aequabili jure inter omneis conſtituendo; ita ut jus ſuum cuique tribuatur, ab injuriis abſtineatur, odiorum fomites extinguantur: in jure dicundo id ſervetur, ut tricis anſa praecidatur; et a captionibus, in quibus nimis multi ingenioſi ſunt, deinceps temperetur. Tum converſo ad Livoniae res ſermone, quomodo rex delegatos, qui provinciam luſtrarent, miſiſſet; quid item cum Moſco egiſſet, expoſuit: commemoratiſque Sueci injuriis, in id intendit, ut ordinibus perſuadeat, nullum in ea vicinum majores ſumere vires patiantur; omnem quippe ſocietatem imperii infidam; nec prudentem quemque in novam provinciam ejuſdem linguae ac nationis, dum nondum conſtitutis in ea rebus animi adhuc dubii adfectibus nutant, temere vicinum admiſiſſe; aut qui admiſerunt, non ſtatim poenituiſſe. Tum de Tatarorum minis ob Koſacorum incurſiones relatum; de juriſdictione ordinaria ad tempus regi permiſſa, et ſtipendiis militi perſolvendis: in eamque rem multa in operae tam ſtrenue ab eo navatae commendationem a Samoſcio addita, non ſine acerbitate et propria invidia; quippe qui inhumanitatis nobilitatem inſimularet, quae militi bene merito tam malam gratiam rependeret; et de ſe, qui militi praefuiſſet, militem laudando nimis honorifice loqui videretur. Pupugit et ordines, quod cum incommodos de rerum ſucceſſu rumores ſparſos carperet, videre ſe jam Petilios in republica exiſtere dixerat, ac vereri, ne mox Catilinae etiam exiſterent: quod ad injuriam revocantes illi diu muſſarunt. Tandem de electione ac ceteris a cancellario propoſitis capitibus deliberatum; neque fere quidquam diſſidentibus ſententiis conſtitutum. Poſtea Staniſlai [h] Carncovii cauſa

INTERPR. [a] *Jankoli.* [b] *Achmet, premier Viſir.* [c] *Pokucie.* [d] *Soſlewicz.* [e] *de Siniatinie.* [f] *Melodſewicz.* [g] *Zamoyſki.* [h] *Karnkowſki.*

cauſa magnis contentionibus agitata fuit; cum rex ejus cognitionem ad ſe traheret; ille contra, ſe fori exceptione tueretur. Mortua Sophia Sigiſmundi Auguſti ſorore, quae Henrico Brunſvico duci nupſerat; cum Anna Poloniae et Catharina Sueciae reginae de ſucceſſione contenderent, poſtea compertum fuit, hereditatis illius non eam cauſam eſſe, ut ſucceſſorio jure peti deberet, ſed ad regem Poloniae ac rempublicam pactis et interpoſita ſtipulatione pertinere. Quare miſſus in Germaniam a Sigiſmundo, dum viveret, Staniſlaus Carncovius; qui, quod inſtrumenta dotalitia ipſi tradita in theſaurum publicum non retuliſſet, poſtulatus fuerat. Nam miſſus in Germaniam poſtea Laurentius Goſlecius, cum inſtrumenta, ſicuti juſſus erat, ei reſtituere noluiſſet Carncovius, in eo fuerat, ut cauſa paene caderet, quod non ſatis probare petitionem ſuam videretur. Aliud et accuſationis caput gravius erat; quod inſcio rege et ſequeſtribus externis aliquot principibus coadjutorem ſe Jacobo [a] Uchanſcio archiepiſcopo Gneſnenſi dari a pontifice impetraſſet, ejuſque rei fiducia [b] Sninum archiepiſcopi oppidum violenta poſſeſſione invaſiſſet. Tandem inter acreis animorum aeſtus lata in eum ſententia; et cauſae Brunſvicanae inſtrumenta reſtituere juſſus, etiam coadjutoris jure, quod contra regni leges petierat, a pontifice attributo excidit: de cetero, violentae poſſeſſionis cognitione ad ordinaria nobilitatis judicia remiſſa. Ita tumultuario dimiſſa comitia, contra pugnante et obteſtante Samoſcio; qui regni dignitatem, et Livoniae ac Ruſſiae ſalutem, Moſco et Tataro utrique imminente, hac praecipitata feſtinatione prodi inclamabat. Venerant ad comitia Moſci legati, ut ſacramentum in pacem a rege acciperent. Id magna omnium ordinum corona celebratum; ara in publico erecta, et archiepiſcopo, poſtquam foederis tabulae lectae ſunt, ei in verba praeeunte. Actum et de captivis permutandis; et in gratiam Livonorum certus [c] Bojarici generis numerus dimiſſus. Poſtremo, dimiſſis comitiis, rex cum Livoniae ſenatu egit, et ordinandis provinciae rebus aliquot dies impendit. Inprimis [d] Wendae ut epiſcopus inſtitueretur ab ordinibus impetravit; qui Rigae, ad abolendam veterum de principatu controverſiarum memoriam, aboleto archiepiſcopatu, provinciae, quantum ad ſacram juriſdictionem, praeeſſet. Alia et ad rempublicam pertinentia, ſed contra ordinum votum pleraque, conſtituta ſunt. Quibus actis, cum crebri de Tatarorum Precopienſium apparatu nuncii allati eſſent, rex Warſavia Cracoviam venit. Venientem a Tataro legatio antevertit; quae, niſi conditionibus, quae ferebantur, a rege quamprimum ſatisfieret, bellum denunciabat. Addiderat et Sinan purpuratus literas ſuas, quibus Turcorum imperatorem injurias Tatari minime necglecturum ſignificabat. In eos cum exercitu miſſus Samoſcius; cui Conſtantinus [e] Oſtrogiae dux copias, quas non contemnendas e clientibus ſuis in limite coactas habebat, mox conjunxit.

XVII. In proxima [f] Boruſſia, quae juris Polonici eſt, et quam Georgius Fridericus Brandeburgicus curatoris nomine adminiſtrabat, antea ordinum conventus [g] Regio-monte Aprili ineunte celebratus fuerat: in quo actum de [h] Sambinenſis epiſcopatus vectigalibus non in fiſcum redigendis, ſed idoneo cuidam paſtori, juxta formulam ante XVI annos praeſcriptam, attribuendis; de academia Regio-monte inſtauranda; de jure [i] Culmenſi, quo in provincia ea utuntur, recognoſcendo, et typis mandando; de rerum ſumma per Boruſſos ſolos adminiſtranda, et ſummo IV conſiliariorum ſenatui nullis exteris adjungendis; de judicio

INTERPR. [a] *Uchanſki.* [b] *Snena.* [c] *Bojares.* [d] *Wenden.* [e] *Oſtrog.* [f] *la Pruſſe royale.* [g] *Konigſberg.* [h] *Sambie,* al. *Samland.* [i] *Culm.*

judicio aulico recte conſtituendo; de ſumptibus in aula minuendis; de moneta; de navigandi libertate; de vectigalibus in Lithuania et ad Viſtulam contra Boruſſorum immunitates inſtitutis denuo abolendis, et aliis in [a] Helleſponto Danico principis interventu tollendis. De quibus capitibus cum principem interpellaſſent, neque de iis conveniret, major ex eo acerbatio inter partes ſecuta eſt; quae vix tandem temporis tractu mitigari ac componi potuit.

XVIII. IN [b] Pannonia hoc anno res paene ad bellum apertum inclinarunt, ex ea occaſione. [c] Praetor Solnoccenſis, qui deinceps Saſvarenſis ſive Zigetanus purpuratus dictus fuit, praedandi cauſa cum VI CIƆ circiter Turcorum celeritate quadam inexpectata regionem [d] Cepiſienſem invaſerat; [e] Onodium, quod iis locis oppidulum eſt, direptum incenderat; multa Chriſtianorum capita, cum ampliſſima praeda, ſecum abduxerat. Quo cognito, noſtri, qui illorum reditum ad Agriam praeſtolabantur, injuria irritati, quamvis numero inferiores, praeda onuſtum hoſtem aggrediuntur: et initio anceps pugna fuit; ſed cum noſtris deſtinata auxilia ſummitterentur, quae erant Pannonicorum equitum II CIƆ, reſtituitur proelium; numero Turcis, virtuti Chriſtianis, fidentibus: rurſuſque, cum nutaret victoria, ſupervenientes Germani ſcloppetarii eam noſtris vindicarunt: nam in latus Turcorum incumbentes diſploſis ſcloppetis aciem hoſtilem ſolverunt ac turbarunt. Plures caeſi, nec pauciores capti: praeda cum mancipiis omnis reciperata. Caedis nuncio ad Portam allato, immane quam Turcorum animi commoti ſunt. Sinan, qui pro tempore inter purpuratos principem locum tenebat, infeſtus Chriſtianorum hoſtis, furenter fremere, et terribilia minari: ac, niſi mox ex praefectis Pannoniae quidam ad purpuratos deductus et de re interrogatus reſpondiſſet, ſuos nulla laceſſitos injuria regionem Chriſtiani imperatoris violenter invaſiſſe, mancipia praedamque maximam ſecum abegiſſe, qua onuſti dum ad fineis ſuos properant, a Chriſtianis caeſi eſſent; jam purpuratorum animi in id propendebant, ut ruptis induciis bellum Chriſtianis ab ea parte inferretur. Verum his intellectis, et in dies ab aliis confirmatis, Turcorum alio bello occupatorum irae nonnihil mitigatae ſunt; et de renovandis ac prorogandis cum rege Hungariae induciis, quae anno ſequenti exſpiraturae eſſent, cogitatum fuit: quas impediturus credebatur Sinan; ſed commodum interea dignitate principali motus eſt, ſicuti ſuo loco dicemus.

INTERPR. [a] *Deſtroit de Dannemarck*, al. *le Sund.* [b] *la Hongrie.* [c] *le ſangiac de Zolnock, qui depuis fut appellé le baſcha de Seſwar, ou de Zighet.* [d] *le pays de Scepus.* [e] *Onody.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

MECHEMETIS theatralis circumciſio, et in ea edita multorum dierum Conſtantinopoli ſpectacula. II. *Cladis in Media Atropatena acceptae nuncio allato, legatus Perſicus indignum in modum Amurathis juſſu habetur. Mahametes purpuratus ad ſuppetias Teſliſio ferendas miſſus magno damno accepto tandem Teſliſium venit, et praeſidiarios tumultuanteis placat; et recta Carſam, nullo damno accepto, venit.* III. *Conſultatum, ut damni accepti invidiam apud Portam elevaret, de Muſtafa Georgiano, cujus proditione id factum dicebatur, morte adficiendo; quod cum ille praeſenſiſſet, praeſenti virtute periculum diſcuſſit, interfectis qui ad ſe interficiendum deſtinati erant.* IV. *Sinan in vanitate ſua ac ſuperbia perſeverans a ſupremi purpurati dignitate excidit. Huic in dignitate Siauſes ſuffectus.* V. *Hodabenda, Merize Salma incentore, contra Abam Merizem alterum filium, ad imperia ſua contumaciter reſpondentem, ducit; et cum ad Erim veniſſet, ſubeunte poſt iram poenitentia, cum ſupplice filio reconciliatur, et expeditionis auctorem Salmam interfici jubet.* VI. *Ferhates in expeditione Perſica ſuffectus, qui anno ſequenti Erzirumum cum exercitu venit: inde ad Reivanum Armeniae oppidum caſtra ponit.* VII. *Manucciar Muſtafas a Turcis ex occaſione deficit. Per Haſſanem purpuratum ſubſidia Teſliſio illata. Oſmanis in Atropatia geſta.* VIII. *Fames Romae. Seditio Romae ob caedem Raimundi Urſini et Syllae Sabelli a latrunculatoribus patratam. Ludovicus Urſinus Raimundi frater Vincentium Vitellium interficit, et Roma excedens, exulibus per Latium ſe ducem praebet; ac tandem in Venetam ditionem concedit.* IX. *Apud nos regis in otio ſedentis de Belgico bello et fratris fortuna ac ſucceſſibus conſilia.* X. *De quibus monitus Andinus exitiale et dedecoroſum de Belgio per inſidias ſubjugando cum ſuis conſilium capit.* XI. *Antuerpia infeliciter tentata. Idem aliis locis pari infelicitate ac dedecore tentatum. Antuerpiani, revicta foeda cum Gallorum clade injuria, apologetico ſe ſcripto purgant.* XII. *Male-contentorum ex ea occaſione ad Ordines literae, et mox Parmenſis. Gandenſes turbant.* XIII. *Ad Andinum Pontius Mirambellus a rege fratre miſſus; et poſt eum Pomponius Bellevreus.* XIV. *Arauſionenſis in hoc caſu moderatio, et de reconciliandis cum Andino Ordinibus ſcripto propoſitum conſilium.* XV. *Andini poſtulata, et ad ea conditiones ab Ordinibus dictae.* XVI. *Eindovia interim per illud diſſidium a Car. Mansfeldio capta, et Dieſta dedita. Weſterloa item amiſſa.* XVII. *Andinus, ſpretis conditionibus, in Galliam diſcedit. Arauſionenſis inſidiis ab Hiſpanis petitus.* XVIII. *Dunkerka, et mox Neoportus, in Parmenſis poteſtatem venit.* XIX. *Arauſionenſis in Zelandiam ſecedit.*

EX AUCTORIBUS,

Georgio Lebelſcio, Henrico Porſio, Jo. Th. Minadoio, Jo. Leunclavio, A. Cicarella, Imm. Meterano, Jo. Parvo.

LIBER

LIBER SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS.

CIƆ IƆ LXXXII.
HENRICUS III.

ET ita quidem res in Europa atque adeo Chriſtiano orbe erant. In Aſia vero bellum, quod miſſa a Perſis legatione componi poſſe ſpes fuerat; pace non conventa, majore quam antea motu rurſus inter potentiſſimos ejuſdem ſectae principes exarſit. Sinan, praeparata anno ſuperiore a Perſa legatione ad Portam, ut veniret, impetraverat; ſummo magiſtratu nuper delatò coram pleniore cum poteſtate fruiturus. Tandem miſſus Ebraimus Chanus, magno et inſigni comitatu plus quam CCC equitum, Conſtantinopolim venit IV Kal. April. cum ei obviam extra [a] Chalcedonem [b] Graeciae praetor et Uluzalis cum claſſe XXV triremium proceſſiſſent. Ibi a Sinane ad Amurathem introductus, multa de egregia Mechmetis Hodabendae erga ipſum voluntate et pacis ſtudio praefatus, miſſum ſe dixit, ut aequis conditionibus cum eo concordiam aeternum duraturam ſanciret: cujus is effectus eſſet, ut utriuſque imperii citra alterutrius perniciem fines hinc inde producerentur, et vatis ſui dogma longe lateque propagaretur. Inde ad Sinanem, ut cum eo ageret, a Sultano remiſſus eſt. Jam tempus celebritatis ſaeculo noſtro inauditae appetebat; qua Mechemetes Sultani filius, XVI plus minus annorum adoleſcens, ſolemni ritu circumcidendus erat. Circumciſionis ceremonia, ex praecepto Dei profecta, et electo Judaeorum populo tradita, ad vicinos populos, qui alioqui rei myſterium ignorabant, Syros, Aegyptios, Arabas, communicatione tranſiit; eamque apud illos populos ſuo tempore in uſu fuiſſe ſcribit Herodotus: ita ut Mahumetani, qui diu poſtea his in regionibus primum ſedem habuerunt, et ex Hebraica et Chriſtiana, quae Hebraicae ſucceſſit, religione admiſtis deteſtandis ſuperſtitionibus ſuis ſatyram veluti confecerunt, circumciſionem retinuerint. Aderant, Rudolfi Caeſaris, regis Galliarum, Poloniae, ſenatus Veneti, Perſicus, Marochenſis, Feſſanus, Tataricus, Tranſilvaniae, Moldaviae, et Walachiae principum legati: ſed noſter non interfuit, quod obtinere non potuiſſet, ut legati Poloniae regis excluderentur, quem pro rege non agnoſcebat: nam hos titulos rex Galliarum ſibi ſumebat. Falſo, qui haec deſcripſerunt, Gallicum legatum, quod ſecundo poſt legatos Caeſareos loco ſedere juſſus eſſet, ſpectaculo abſtinuiſſe aiunt. Nam quamvis rex ubique in orbe Chriſtiano primas Caeſari concedat, quia tamen ad Portam Othomanicam Caeſaris legati, non tanquam Caeſaris, ſed ut Hungariae regis, qui tributum Turco pendit, legati comparent; qua ſimulatione utcumque imperii majeſtati principes et ordines conſultum exiſtimant; iccirco eo in loco nunquam controverſus fuit regi primarius locus; quem inter reges principem locum tenere extra controverſiam eſt. Ceterum tunc regis nomine oratorem ad Portam agebat [c] Germinius Germolaeus; homo et ſordidis natalibus, et tanto munere indignus; qui cardinalis Borbonii, in cujus familia non ita dignum locum tenuerat, commendatione reginae inſinuatus, poſt Franciſcum et Aegidium [d] Noallios fratres, qui ordine hac legatione magna cum laude defuncti ſunt, in Orientem miſſus fuerat; cum nulli fere tunc temporis magnis rebus pares legationes obeundas ſuſciperent; quippe ſumptuum, deficiente honorario, pertaeſi. Nam tunc regis immoderatis

INTERPR. [a] *Scutari.* [b] *Beiglerbey de Romelie.* [c] *le Sieur de Germigny de Germoles.* [d] *de Noailles.*

immoderatis profuſionibus, et aulicorum, ac eorum praecipue qui in gratia regis florebant, avaritia ac rapacitate, ad eas anguſtias redactum erat aerarium, ut, cum cuncta devoranti luxui nihil ſatis eſſet, rebus ad regni ſalutem ac dignitatem neceſſariis omnia deeſſent: quo et factum, ut homo minus dignus poſt taleis viros tanta legatione honeſtatus ſit; qui tunc ob eas, quas dixi, cauſas, ne dignitati regis praejudicium praeſentia ſua faceret, toto ceremoniae illius tempore ſe domi continuit. Spectacula totos XL dies interdiu noctuque continuata; pergulis in [a] hippodromo CIↃ IↃ CCC paſſus longo, et CIↃ CC lato, et pyramidibus admirandi operis Conſtantini et Theodoſii imperatorum diſtincto, utrinque diſpoſitis: in quibus in dextra purpurati et ceteri Portae proceres, in laeva principum legati ſtabant, diſtinctis veluti diverſoriis. Ipſe Amurathes in medio, cum filio, uxore, ac ſorore, loco commodiore tentorium habebat; ex quo omnia, quae in theatro agerentur, ſpectare, et a nemine ſpectari, poterat. Quo omni tempore epulum de publico innumeris hominibus, qui aderant, ſingillatim praebitum; majore largitate, quam ſumptu ac luxu; qui fere in conviviis hactenus Turcis incognitus eſt. Nam tantum vervecina et gallinae appoſitae, cum piſis, juſculis, et vili paratu bellariis; et pro potu aqua ſaccharo diluta propinabatur: vinum quippe inter Turcos prohibitum eſt, rixarum et tumultuum in publicis laetitiis fomes et incentivum. Itaque ſumma modeſtia et ſine ſtrepitu in tanta hominum multitudine, quanta nunquam ad ullum ſpectaculum confluxerat, res peractae ſunt. Celebritati V Kal. Jun. initium factum; quo die Amurathes ingenti pompa et comitatu e palatio prodiit, praecedente delirorum et lymphaticorum agmine, qui clavas ferreas, enſeis ſtrictos, galeas, intra cutem, pervulneratis lateribus ac temporibus, geſtantes, et in mortis contemptus ſignum tripudiantes, ante regem ſaltabant, cum multa ſanguinis effuſione, quem ſpongiis abſtergebant. Inde ad pergulam ſuam ſe contulit; miſſilibus paſſim ab eo et filio, qua incedebant, in publicum ſparſis: quae largitio ſingulis diebus majore magnificentia continuata eſt; poſt menſas remotas etiam vaſis aureis et argenteis in populum ſparſis. Ita autem ſpectaculorum diſtinctus ordo, ut antemeridianis, pomeridianis, et veſpertinis horis diverſi ludi ederentur. Principium a Sinane purpurato poſtridie factum, exhibita duorum caſtellorum oppugnatione, quae Cypri inſulae ante XII annos a Muſtafa ſub jugum miſſae expugnationem repraeſentabat; tam tenui tamque contemnendo apparatu, ut id ab eo de induſtria ac maligne factum cuncti interpretarentur, ut aemuli, quem praecipuo odio vivum ſemper proſecutus fuerat, etiam mortui gloriae obtrectaret. Poſtea in theatrum introducti cuncti urbis ordines et artifices, munera quiſque ſua, pretioſa quam maxime poterant et exquiſita, ad Sultanum afferentes; quae ille, innata genti avaritia, et moroſe penſitabat, et avide accipiebat. Hos praecedebant Mahumetanae ſectae ſacerdotes longo ordine; et inter eos ſacrorum princeps Mophtis, camelo inſidens, et in [b] Corani ſui foliis pervolutandis attenta contemplatione defixus. Inter Turcos fortaſſe tolerandum fuit, ut ſacerdotes eorum ſpectaculis intervenirent, quae rei ſacrae occaſione celebrabantur: ſed prorſus lamentabile Chriſtianis fuit, videre patriarcham Conſtantinopolitanum, qui mox cum toto ſacro ordine ſequebatur, et poſt eum Antiochiae itidem patriarcham, palliis ſacris indutos, cum muneribus in ſcenam prodire, et fauſta omnia imperio Sultani precari; renovata per id ſpectaculum in piorum animis calamitoſorum temporum memoria, quibus, poſt Babylonicam migrationem, electus

CIↃ IↃ LXXXII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Place publique de Conſtantinople, nommée par les Turcs At-Maydan.* [b] *Al-Coran.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

electus Dei populus miſeram ſervitutem Aſſyriorum regibus ſerviebat. Pone ſequebatur innumera ariolorum, circulatorum, agyrtarum, morionum, inconditae modulationis ſymphoniacorum, colluvies; qui, voce et diſtorto ore, geſtu ſcurrili, riſum ſpectantibus movebant. Quidam ex iis praeſtigiatores a viperis et aliis ſerpentibus morderi ſe patiebantur, et mox, tanquam alteri Pſylli, ſanabantur. Haec antemeridianis horis acta. Pomeridianis exhibitae caſtrorum oppugnationes, tanto numero armatorum, tanquam ſerio pugnantium, ut multi utrinque caderent. Producti dein pugiles, athletae, qui oleo uncti et pulvere conſperſi lucta certabant; ſagittarii equites, qui, exſtructis tumultuario opere ex arena in hippodromo metis, inter diſcurrendum a tergo et a fronte ſcopum mira felicitate petebant. Poſt eos veniebant andabatae, qui, magno aſtantium ſtupore, inter currendum equos permutabant; et modo deſiliebant, modo in ſellam inſiliebant, plerumque bini; nunc in pedes ex ſella erigebantur, nunc inverſo corpore pendebant, et lunatis arcubus in equorum currentium ſoleas ictus dirigebant. Funambuli et producti cum grallis ſacco induti, et acinacibus ſtrictis ad pedes affixis per funeis ſaltantes; quod non ſolum admirationem, ſed horrorem, ſpectantibus plerunque incutiebat. Admirationi et ſummae fuit homo incredibilis roboris; cujus ſpecimen fuit, quod ſtipitem, quem vix duodecim homines humo totis viribus connixi ſuſtollere poterant, ipſe una manu in altum tollebat, et non manibus ſed humeris excipiebat. Stratus humi, et catenis per humeros et femora trajectus, praegrande ſaxum, quod vix decem homines provolvebant, impoſitum, et quatuor homines ligna findentes ſupino ventre ſuſtinere pro ludo ducebat. Stans et ingenti lapidum mole coopertus non ſuccumbebat; ſoleam ferream equi nuper fabricatam dentibus et manibus confringebat. Ad ultimum, vomerem tertio pugni ictu rumpebat; lingua exerta ferrum candens lingebat: quod tamen non tam robori, quam induratae naturae, tribui debet. His nocturnae pompae ſuccedebant; quae, ad calcem et carcerem hippodromi diſpoſitis facibus ac funalibus, et rota, quae ſuopte motu agebatur, igneas flammas jaculante, illuſtrabatur. Tum crebri et artificioſi ignes aſſidue jactabantur; et figurae Germanorum, Italorum, ac praecipue Perſarum more indutae, ac nitroſo pulvere repletae, proponebantur; quae indito igne flammas ſpargebant, et tota nocte conſumebantur. In Perſarum, quos Turci ſummo odio habent, contumeliam, ſpectante ipſo Perſa legato, id factum: quam contumeliam longe majore injuriarum mole poſtea cumularunt; deſtructo legati diverſorio, et ipſo in carcerem conjecto, ubi periculum mortis adiit. Haec ſumma ſpectaculorum fuit; quae alii, quibus plus otii fuit, fuſius deſcripſerunt; ſicuti Georgius [a] Lebelſcius Polonus, qui ipſis interfuit. Demum VII Eid. Julii edicto propoſito citati pueri, qui circumcidendi venerant, ſinguli togam, tunicam, et C aſperos, a rege accepturi; qui, exigui lucelli ſpe potius quam religione inducti, tanto numero confluxerunt, ut vix XXX chirurgi continuata diei nocte operi faciendo ſufficerent. Qua eadem nocte, peractis celebritatis ſolemnibus, Mechemetes Sultani filius a Mechmete, qui olim Solimani tonſor fuerat, tunc inter purpuratos allecto, non publice, ut alii, ſed in cubiculo patris, circumciſus fuit. Poſtea celebratae Sultani ſororis nuptiae; quarum occaſione prolatis ad V dies ludis, eo ſpatio, quod minime antea toto ceremoniae tempore acciderat, tumultus [b] Praetorianorum intervenit; qui coram rege, ſpreto Sinanis ac praefectorum ſuorum imperio, ad mutuam perniciem certarunt; vixque, VI ex iis interfectis, motus ſedari

INTERPR. [a] *Lebelſki.* [b] *Janiſſaires.*

ſedari potuit. Quo periculo defunctus Amurathes in palatium rurſus ſe abdidit, accepto prius triſti de rerum in Armenia geſtarum nuncio.

II. OSMAN purpuratus a Sinane [a] Colchidi impoſitus collecta manu per inducias [b] Sirvanum invaſerat, quae eſt Media Atropatia, et praedis ubique abactis maximum damnum Perſis intulerat; ſed longius provectus viciſſim ab iis caeditur, omni praeda recuperata. Id cum nec dum finita circumciſione reſciviſſet Amurathes, in furialeis iras exarſit; ac primum ſtationem Perſici legati, uti diximus, ac ſedem in [c] Atmindane, ita platea hippodromi apud eos vocatur, dirui jubet; ipſumque in Mechmetis purpurati palatio cum ſuis includi, donec Oſman Temircapi, quae portae ferreae olim dictae ſunt, Conſtantinopolim veniſſet. Fuit autem habitus eo loco tam ſtricta in cuſtodia tamque inhumaniter, accedente ad reliquas injurias vitae periculo, ut peſte in urbe graſſante ac domeſticis ea correptis, quorum ad c hac dira lue abſumpti ſunt, nullam ab infeſtis Turcis, qui Perſam, non ut legatum, ſed veluti exploratorem, ad [d] Sultanum ludificandum veniſſe cauſabantur, relaxationem aut loci mutationem impetrare potuerit; ac poſtremo Erzirumum cuſtodiendus miſſus ſit. Interim Tefliſii magna omnium rerum inopia conflictabantur praeſidiarii; quippe exiguo commeatu vere proximo ſublevati, et ad extremas anguſtias tunc redacti. Itaque Sinan auctor fuerat Amurathi ut novas copias [e] Vannum mitteret, impedimento futuras, ne citra has regiones Perſae excurrerent; tum ſuppetiae Tefliſium ſummitterentur, ad idque dux bello ſtrenuus deligeretur. Sententiam rogatus Sinan, quis tanto muneri idoneus videretur; cum multos nominaſſet, omnibus his rejectis Sultanus Mahametem purpuratum, qui proxima cognatione Muſtafam Sinanis aemulum nuper mortuum contingebat, delegit; quamvis contra pertenderet Sinan, et minus eum tantae expeditioni parem multis rationibus evinceret: quod primum jam labentis gratiae apud Amurathem Sinani indicium fuit; a qua omnino brevi poſt excidit. Igitur ſtatim Mahametes in viam ſe dedit, et Erzirumum, revocato Reſvanio purpurato, profectus eſt; miſſis ad purpuratos circumpoſitos, praetores, ac praefectos literis, ut ſecum copias jungerent, et ſub ductu ac vexillo ſuo ad Tefliſianam expeditionem ſe pararent. Secundum haec Haſſan eunuchus [f] Amidae in Meſopotamia purpuratus, et Muſtafas, copias ſuas inſtruunt. Is erat Manucciar Georgianus, qui deteſtanda ambitione, ut fratrem in regni aviti ſucceſſione excluderet, fidem Chriſtianam ejeraverat; ſicuti ſuperius diximus. Juſſi Alepi et [g] Maronitae in Cilicia purpurati Vannum cum ſuis item copiis progredi, ut Perſarum excurſiones prohiberent. Ipſe Mahametes, commeatu ac annona, quam Tefliſium introducturus erat, praemiſſa, exeunte Sextili cum Amidae purpurato et praetoribus evocatis ac univerſo exercitu Erzirumo proficiſcitur, et octavis caſtris Carſam venit. Inde ſine ullo impedimento [h] Archelecam progreditur; ubi Muſtafam, viduae annoſae filium, de quo dixi, cum ſuo comitatu obviam habuit: qui, poſtquam excuſavit ſe quod non Erzirumum uſque proceſſiſſet, et muneribus ſolitis a purpurato donatus fuit, de ratione itineris conſultus, cum alii per [i] Tomanim viam minus periculoſam dicerent, ipſe, ut per ſuam ditionem commeatu ac omni re neceſſaria abundantem exercitus duceretur, cenſuit; ejuſque deducendi, Mahamete permittente, provinciam in ſe ſuſcepit. Igitur, per [k] Altuncalam et Caracalam viduae illius oppida itinere facto, ad [l] Gorium tandem tranſierunt; [m] Joſephi olim, qui ad Turcos itidem defecerat, caſtellum, et quod mortuo illo a Turcis tenebatur: quo ex

INTERPR. [a] *Mingrelie.* [b] *Sirvan.* [c] *At-Maydan.* [d] *le Grand Seigneur.* [e] *Wan.* [f] *Cara-Hemid en Diarbekir.* [g] *Maras en Caramanie.* [h] *Archelech.* [i] *Tomanis.* [k] *Altunchala, & Carachala.* [l] *Giori.* [m] *Giuſuf.*

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III.

ex loco in planitie ſubjecta copias hoſtileis Georgianorum, Perſis admiſtis, et Georgianorum ritu veſtitis, primum conſpexerunt. Ii Tauriſio a Mechmete Hodabenda miſſi fuerant, qui Turcos Teflisium ſuppetias ferenteis impedirent; diſſimulato habitu, ne, legato Conſtantinopoli manente, primi inducias violaſſe dicerentur; et Georgianorum id, non Perſarum, factum videri volebat Hodabenda. Illi igitur per [a] Gengem et Grinum profecti ſe cum Simone Chano Georgiano ſummo duce conjunxerant; qui, viciſſim conſpecto exercitu Turcico, ſtatim miſſis fecialibus Turcos, tantum de annona munitionibus ſuis inferenda, quod per inducias licebat, cogitanteis, ad proelium denunciatione facta provocant. Mahametes nuncio perculſus tamen metum diſſimulavit, et, quaſi conditionem acciperet, honorifice fecialeis dimiſit; copioſoque imbre ſupervenicnte, qui, quo minus eo die congrederentur, impedimento fuit, pugnae dilationem utcunque excuſare potuit: ſed nocte pluvioſa tranſacta cum ſub auroram ſerenior dies illuceſceret, tunc, omni tergiverſandi honeſta occaſione ablata, ubi pugnae neceſſitatem impoſitam vidit Mahametes, aciem inſtruit; et in conſpectu hoſtilis exercitus, medio amne interjecto, uſque ad meridiem iter ſuum perſecutus eſt. Tandem, ubi ad vadum amnis ventum eſt, deliberatum inter duces fuit, ante noctem, intendentibus ſe jam tenebris, an proximo mane, amnis tranſmittendus eſſet: et Muſtafas noctem exſpectandam cenſebat, interimque in veſtigio manendum. Non placuit Mahameti conſilium; jam ex conjectura ſuſpicione concepta, quaſi Muſtafas cum Georgianis hoſtibus occulta conſilia agitaret, ob idque viam eam prae Tomanenſi elegiſſet, ut Turcos in inſidias a conſciis paratas praecipitaret. Itaque, ut fraudes hoſtium et machinationes eluderet, praevertendum ratus, amnem eo die tranſvadere ſtatuit; ut traductis copiis locum idoneum, in quo pernoctaret, caſtris deligeret, et inde hoſtium conatus ſecure derideret. Primus Mahametis vicarius, [b] Chicaia vulgo dictus, cum pecunia et ſagmariis annona onuſtis vadum intravit; in quo complures gurgitibus hauſti ſunt, potius equorum et camelorum calcibus protriti, quam rapiditate fluminis raptati. Quod ubi Georgiani, qui in altera ripa erant, animadvertere, confuſis adhuc Turcis incumbunt, eoſque magno cum damno poſt aliquod certamen fundunt, et retro in flumen rejiciunt; ubi rurſus ex iis, quos gladii acies reliquos fecerat, multi ſubmerſi ſunt; adeo ut amnis tot hominum caeſorum cruore paſſim luberet. Capta pecunia, et annona, ac reliqua impedimenta, in poteſtatem Georgianorum venerunt. Qui ſuperfuerunt ex clade Turci, poſtridie et damno attriti nec minus pudore confuſi, tamen refectis viribus etiam animos reſumpſere; et cum modico, qui adhuc ſupererat, commeatu recta Teflisium contendunt: quo ſub veſperam tandem magnis difficultatibus conflictati pervenerunt; adventu ſuo majorem praeſidiariis deſperationem, quam levamentum, afferentes. Illi ſiquidem contra Mahametem, niſi ſubſidio neceſſario juvarentur, de praeſidio deſerendo arroganter proteſtati ſunt; exorto poſt proteſtationem tumultuantium propiore ſeditioni clamore: qui cauſam dedit ſparſae per Aſiam, et in Italiam uſque perlatae, de Teflisio a Georgianis recepto famae. Verum Mahametes, qui majore prudentia, quam virtute, rem contra hoſtem geſſerat, ſeditioſorum motus compreſſit. Nam, paulum remittente impetu [α] primo, purpuratos, praetores, curdos, praetorianos, ac centuriones primarios, coacto ſenatu vocat; et deplorato rei ſucceſſu, et in communem omnium, qui plus de fuga ac vita, quam de decore et imperii ſalute, ſoliciti pecuniam et annonam hoſti

VAR. LECT. [α] primo, mox *D.* f. d.

INTERPR. [a] *Genge & Grin.* [b] *Kihaia.*

hoſti prodidiſſent, ignaviam rejecta culpa; indignationis Sultani vitandae et damni reparandi eam ſolam rationem eſſe oſtendit, ſi quiſque de peculio ſuo et privata pecunia publicam jacturam ſarciret. Ipſe ceteris exemplo ſuo praeivit, IV CIƆ ducatorum mox exſolutis; quem alii etiam, qui minus volebant, alii denique volentes, ſecuti ſunt; ita ut collatione ab univerſis facta XXX CIƆ aureorum collecta ſint. Inde miſſi [a] Zagenam ad [b] Leventolium, qui annonam, ovium carnes, et cetera ad commeatu firmandum locum compararent. Quo facto, et recenti milite in locum mortuorum aut inutilium ſuffecto, Mahametes ſummo cum imperio Omarem purpuratum, amoto Joſepho, loco impoſuit; ac poſt biduum, praeſidiariis in officio confirmatis, Teflifio diſceſſit, pronunciato per Tomanim itinere. Quod ingreſſi cum eſſent praetores ac praefecti, ſtatim mutante Mahamete revocantur: verum illi nequaquam jubenti obtemperavere; ſe quoque bellicae rei peritos, et pueris quam viris mutabilia in horas conſilia magis convenire, dictitantes. Itaque, perſecuti per Tomanim inceptum iter, Mahamete citius Carſam incolumes pervenerunt. Is vero contumacia illorum irritatus, de ea cum [c] Amidae et Altuncalae purpuratis in arcano expoſtulavit; et tamen, ut in adverſis, injuria publice diſſimulata, quam veniens tenuerat, viam inſtitit.

III. Et ubi Altuncalam venit, cum purpuratis et fidis conſultare coepit, qua ratione accepti damni ignominiam ac dedecus apud Sultanum excuſaret: et conſultum viſum, ut injuriam, ſumpta de Muſtafa Georgiano, qui Turcos in inſidias praecipitaſſet, tanquam conſcio, ultione, tot ſuorum caedeis expiarent: ſic enim fore, ut alienum ſcelus propriae culpae praetexeretur, et exacta veluti a proditore poena aliquo modo Sultanum placarent. Itaque vocantur in conſilium purpurati et praetores conſcii, negotio dato Chicaiae, ut cum Muſtafas ad tentorium veniſſet, ſpecie officii eum cum delectis proſecutus, manu injecta ſiſteret, et occiſo caput amputaret. Dolum ſenſit Muſtafas; et cum honeſte, quo minus ad Divanum veniret, ita locus conſeſſus vocabatur, recuſare non poſſet, ab amicis monitus fidos ſecum juxta tentorium adducit; qui, ſi quidem ſtrepitum audirent, ſtatim accurrentes obvium quemque trucidarent. Cum igitur veniſſet, quid Mahametes ſibi vellet ſcitatus, diploma Sultani, cujus intelligendi cauſa proceres convenerant, recitatur, ſtantibus Turcis; ſic enim inter eos in reverentiae ſignum conſuetudo eſt: moxque ſedere juſſis, qui aderant, ipſe Sultani imperiis obedire ſe paratum profeſſus, petita venia diſcedere voluit. Cumque tentorio egrederetur, manica a ſtipatorum Mahametis praefecto prenſus ac ſedere juſſus, vocem, quae ſociis pro ſigno fuit, ſuſtulit; ſtrictoque protinus gladio Chicaiam tam valido ac deſtinato ictu, prius laeva pileo turbinato amoto, petiit, ut cum ſtupore aſtantium caput, collum, et pectus, ad umbilicum uſque diviſerit, humerique hinc inde brachiis ſolutis penderent. Inde geminato ictu eunuchum purpuratum in capite, ſed pileo tecto, percuſſit; tantumque auriculam et maxillam inferiorem ſtrinxit. Tumque ultione ardens in Mahametem ipſum ad tumultum conſurgentem incubuit, eumque quinque plagis vulneravit; ex quibus tamen, chirurgorum exquiſita cura et peritia, convaluit. Is caſus cum accurrentibus ſuis magnum in caſtris motum excitaſſet, mox, ne ex eo hoſtes aliquid moliendi occaſionem arriperent, vaſa conclamantur; et exercitus Carſam cum duobus purpuratis ſauciatis ducitur. Muſtafas, praeſenti periculo virtute propria diſcuſſo, cum ſe nihilominus magna apud Portam invidia flagraturum minime ignoraret,

INTERPR. [a] *Zaghen.* [b] *Leventogli.* [c] *Cara-Hemid.*

CIƆ IƆ LXXXII. HENRICUS III.

ignoraret, ſtatim probationes colligit; et quam immerito Mahametes falſas de ſe ſuſpiciones animo concepiſſet, inſidiaſque vitae ſuae ſtruxiſſet, apud [a] Sultanum demonſtrat: qui ſucceſſu Teflisiano aeque moeſtus ac irritatus, tamen hoc rerum ſtatu indignationem contra Georgianum conceptam caute diſſimulavit; eumque, quaſi omni crimine purgato de nomine Othomanico bene meritum, veſte et maſſa aurea donavit. Viciſſim Mahametes querelas ſuas de Muſtafae ſive proditione, ſive contumacia, diligenter ad Sultanum deferendas curavit.

IV. Ceterum Sultanus iram, quam in eos, qui longe aberant, exerere non poterat, in Portae purpuratos evomuit: vocatoque Sinane, homine juxta vano ac ſuperbo, adverſos belli eventus ei improperavit; cujus obſtinata ambitione factum eſſet, ut exercitus ſine ſummo duce in hoſtico manſiſſet; dum ipſe interim ad Portam, tanquam in ſolio rex ſedens, aliorum pericula e longinquo ſpectaret. Ad quae Sinan arrogantiae pleno reſponſo retulit; ſi quidem conſiliis ſuis auſcultatum eſſet, et dux idoneus tali muneri delectus fuiſſet, neque de clade accepta doliturum Sultanum, neque praeſidiarios, qui nunc Teflisii ſunt, tanta rerum inopia laboraturos fuiſſe: nam tum praedixiſſe, Mahametem nequaquam tantae expeditioni parem eſſe; et belli rationem a Muſtafa, qui primus ultimo hoc bello ſigna in Perſiam intulit, inſtitutam minime ſibi placere; ut nimirum munitiones in hoſtico excitentur, et validis praeſidiis firmentur, ac deinde lente et per otium modicis copiis res per legatos gerantur. Nam ſummittendorum e longinquo auxiliorum et commeatus importandi negotium ſummis difficultatibus implicitum ſemper futurum: potius bellum more majorum, et digna Othomanico faſtigio ratione, aperte totis viribus, ac veluti uno ictu, ut geratur, conſultum videri. Cum autem contra Perſas totum imperii robur vertendum ſit, ſic cenſere, non alium quam ipſum imperatorem tanto bello praeeſſe debere, et Schacco [b] Schaccum opponendum eſſe. Haec demum eſſe, quae nunc coactus dicat; quorumque cauſa explicandorum Conſtantinopolim tantopere venire expetiverit; non ut in Porta regnet, aut privatae ambitioni ſerviat, verum ut Sultanus citra fucum intelligat, qua ratione bellum contra Perſas coeptum deinceps perſequi, et quid de eo, niſi ratio inſtituta mutetur, in poſterum ſperare debeat. Hoc reſponſo exaſperatus Amurathes, et alioqui a matre perſuaſus, de Sinane a ſupremi magiſtratus munere removendo cogitare coepit. Sic enim Sultana mentionem ad exercitum proficiſcendi a Sinane injectam interpretabatur, ut Sultanum a parente et uxore longe faceret, et ſolus in poteſtate haberet, atque adeo res per abſentiam turbaret; filiumque ſucceſſorem deſignatum, cui in arcano favebat, vivo videnteque patre, regio ſolio imponeret. Id cum ex interceptis principis ad Sinanem literis benevolentiae ultra modum plenis filio probaſſet, ille adeo magnifica promiſſa Sinanis repoſcere, quibus ſe [c] Caſminum ad intimam Perſarum regiam capiendi Hodabendae cauſa iturum pollicitus fuerat; nunc increpare, quod mutato conſilio auctor eſſet, ut ipſe ad hoc bellum proficiſceretur. Tandem ex matris conſilio eum manſulem pronunciavit; hoc eſt, omnibus honoribus ac ſupremi purpurati inprimis dignitate exuit: parumque abfuit, quin occideretur. Vita ſalva fiſco bona applicata ſunt: ipſe Demoticam primum relegatus, haud longe ab Hadrianopoli: dein ſummae gratiae loco impetravit, ut transferretur [d] Malagram; quod eſt oppidum Macedoniae juxta Selymbriam, in itinere, quo Conſtantinopoli Raguziam itur. In ejus locum ſuffectus eſt commendatione Sultanae Siauſes purpuratus, qui Amurathis ſororem in uxorem duxerat; natione Pannonius: homo ſpecie oris et comitate

INTERPR. [a] *le Grand Seigneur.* [b] *i. e. regem.* [c] *Caſbin.* [d] *vulgo Marmara.*

comitate praeſtans; ceterum venalis, ac ſummus fumorum aulicorum vendita-tor; et nihilominus pacis cum Chriſtianis, a qua tantopere Sinan abhorrebat, colendae ſemper auctor.

V. DIVERSA parte, Caſmini longe diverſi motus animorum erant; ubi ſignis Turcorum allatis, et cognito Muſtafae cum Mahamete cruento diſſidio, mirum quantum Perſae gaviſi ſunt: et quanquam nuncium de Sinane a ſumma negotiorum remoto acceptum aegerrime ferrent, quod cum paci Perſicae ſtudere perſpectum haberent, et legatum ſuum indignis modis habitum dolerent; tamen ſic diſſerebant; antequam novus bello imperator delectus eſſet, neceſſariis rebus ad novum bellum ſub novo duce gerendum comparandis, tantum temporis elapſurum, ut nihil magni momenti eo anno moliri poſſent. Idque ut ſibi perſuaderent, maxime confirmabantur, Muſtafae Manucciaris diſſidio; quo ipſi neceſſitatem impoſitam exiſtimabant, ſi ſe ſalvum vellet, ut, Turcorum partibus deſertis, cum Simone, cujus ſororem uxorem duxerat, opes contra communem hoſtem conjungeret; et uterque, qui conjunctos limites habebant, ipſi ſuis opibus Armeniae ingreſſu Turcos prohiberent. Interea Mechmetes Hodabenda, ne tempus illud ſibi fortunae beneficio conceſſum perire ſineret, bello, quod, ad filium minorem natu ad officium reducendum, jam pridem gerendum deſtinaverat, impendere ſtatuit; a Merize Salma, inter purpuratos ſuos principe, et qui filiam [a] Emiri grandiori filio in matrimonium elocaverat, praecipue incitatus. Abas Merizes, id erat nomen alteri filio, in [b] Herianam praefecturam a patre quaſi relegatus fuerat, ad mare [c] Caſpium ſitam, et Tatarorum excurſionibus oppoſitam: in qua non ſe pro regis filio aut praeſide gerebat, ſed regiis ſumptis titulis cuncta pro animi libidine moderabatur; et ultimo bello Turcico cum ad regni delectus citaretur, contumaciter venire recuſaverat; et, quo minus praefecti ſuae ſatrapiae ſubditi ad ſigna comparerent, auctoritate ſua vetuerat. Haec ei crimini ab infeſtis inimicis tribuebantur, ac inprimis a Merize Salma; qui, regnandi olim ſub genero ad inſaniam cupidus, omnia impedimenta praeceptae animo potentiae ſuae objecta removere ſatagebat. Is igitur expeditionis contra Abam Merizem ſuſcipiendae auctor patri exſtitit; quae poſtremo ipſi fatalis fuit. Ad eam profecturus Hodabenda res ante domi ordinat; et contra Turcorum conatus, ſi quid per abſentiam ſuam molirentur, limitem firmat. Oſmani purpurato, qui Derbento occupato ad [d] Iberiae fauces in [e] Caucaſi radicibus [f] Pylas ferreas valido praeſidio tenebat, Emangulem Chanum, cujus virtuti multum fidebat, cum delecta manu oppoſuerat; ut Sirvanum, ſive Mediam Atropatenam, ab excurſionibus Turcorum tueretur. Emiri filio itidem commiſerat, ut Tauriſium, Naſſivanum, Reivanum, et circumpoſita loca, propriis viribus, et, ſi opus eſſet, Turcomanorum opibus, quas in propinquo paratas oſtendebat, defenderet: idque negotii Emir, potius ut auctoritatem tueretur, et patri morem gereret, ſuſceperat, quam quod ſe tantae belli moli ſuſtinendae parem exiſtimaret. Itaque nihilominus et ipſe patrem ad expeditionem ſecutus eſt. His actis Hodabenda Caſminum verſus tendit, cum circiter XX bellatorum CIƆ; et, [g] Geilano ac mari Caſpio ad laevam relicto, ad dextram [h] Sira et Caſſano, per [i] Terracanenſem viam venit [k] Sibranam, et inde [l] Saſvarium; quae prima Herienſis ſatrapiae urbs venientibus ab ea parte occurrit. Clauſis a praefecto portis aliquandiu reſtitatum; dum moram irae regis interponi, et purgandis ſuſpicionibus ac criminibus ſpatium concedi, conſultum ducit. Sed vim faciente Merize Salma, qui

INTERPR. [a] *Emir Chan.* [b] *de Heri.* [c] *Mer di Bacchu.* [d] *Georgie.* [e] *Cocas.* [f] *Temir-capi.* [g] *Gheilan.* [h] *Siras, & Caſſan.* [i] *Terrachan.* [k] *Sembran.* [l] *Saſvar.*

CIↃ IↃ LXXXII. HENRICUS III.

qui omnem moram conſiliis ſuis pernicioſam judicabat, ſcalis admotis oppidum poſtremo expugnatur; tanta celeritate, ut praefectus fuga periculum antevertere nequiverit: qui captus mox in ipſo expugnationis calore ſecuri percuſſus eſt. Inde terrore ſui ſparſo Hodabenda ulterius pergit; et, vicinorum locorum praeſidiis ſecum aſſumptis, ac pleriſque praefectis, quod [a] Abae conſiliis turbulentis participaſſe dicerentur, eadem praecipiti ira ſupplicio affectis, per [b] Turſim, Derbatum, et Coranum, iter habuit; ac tandem ad Herim pervenit. Urbs eſt ſitu et moenibus firma, profundis aquarum canalibus undique circumdata; olim a Tamerlane, famoſo Orientis vaſtatore, inſtaurata. Ejus oppugnationem cum diuturnam fore appareret, Aba Merize, ſi vim pati cogeretur, ad extrema obſtinato, et praefectis, qui circa eum erant, ex deſperatione animos ſumentibus; Hodabenda haec animo reputans in diverſa rapiebatur; jam poenitentia ſubeunte, quod externo cum tam potenti hoſte bello domeſticum, inſtigante Salma, temere miſcuiſſet. His accedebat naturalis affectus vis; quae contra omnem, quantumvis juſtae, ultionis impetum valebat. Itaque, ad primum urbis, qua incluſum filium ſciebat, conſpectum, paterna viſcera commota ſunt; ac domeſticis, qui ingenium principis noverant, ſtatim manifeſtum fuit, patrem vel minima ſatisfactione placari poſſe. Idque clam Abae Merizae a fidis ſignificatum; qui Salmae, tot clarorum virorum recenti cruore nondum ſatiati, et adhuc regio ſanguini inhiantis, immanitatem deteſtabantur. Nec ſalutaria amicorum monita neglexit Abas; ſed continuo datis ad patrem et Emirem fratrem literis, vim deprecatur; verbiſque ad omne obſequium demiſſis oſtendit, ſi quidem ad ſe ditione omni et imperio ſpoliandum veniſſent, poſſe melius alio rſum imperii vireis verti: patere victoriis Bactrianos, et feliciſſimas Indiae proximae regiones; quas imperio proximo adjungi, quam innocentem Perſici nominis principem, qui et ipſe aliquid ad amplificandos Mahumetani imperii fineis conferre poſſit, opprimi, magis interſit: ſi vero aliquid peccaſſe, aut contra patris majeſtatem, aut eam, quam fratri natu grandiori debet, reverentiam, admiſiſſe arguant; paratum ſe caſtigationem, quam uterque velit, ſubire, et vel ſatrapia cedere, vel denique vitam ipſam pro ſatisfactione offerre. Saepius repetita in conſeſſu literarum tanta reverentia ſcriptarum lectione, varie animi affecti ſunt: nam continuo ira patris defervere, ac fratris ipſius querelae langueſcere; tum ubique in caſtris et inter proceres murmura exaudiri Salmam incuſantium, qui, ambitione caecior an ultione truculentior incertum, omiſſo bello Turcico patrem contra filium armaſſet, et civilibus diſſidiis, cum maxime concordia contra externum hoſtem opus eſſet, regnum Perſicum implicuiſſet. Ad literas vero Abae reſponſum; non ut eum imperio ſpoliarent patrem filiumque huc cum exercitu veniſſe, ſed ut mali exempli contumaciam coercerent; qui, calamitoſis regni temporibus cum a potentiſſimo hoſte peterentur, regem ſe Perſarum impia audacia inter ſuos vocare non dubitaſſet; et ad delectus citatus non ſolum non comparuiſſet, ſed praefectis ſibi ſubditis, ne venirent, enixe vetuiſſet. Quae ubi in ſe dici intellexit Abas, paratum purgare ſe a criminibus objectis oſtendit; et, ſi quidem fides de non violandis legatis interponatur, miſſurum delectos, qui innocentiam patri fratrique firmis rationibus ac documentis approbent. Fide data et accepta, miſſi duo ex primariis Abae conſiliariis; qui et aetate et prudentia inſignes benigne ab Hodabenda excepti, more ſuo per coeli Conditorem, qui aerem circumfundit, terram in imo fundavit, et cuncta ex nihilo creavit, per Halim ſectae Perſicae auctorem, et legem ipſam a vate ſuo promulgatam, jurarunt, nunquam

INTERPR. [a] *Abas.* [b] *Turſis, Derbat, & Coran.*

nunquam quidquam de criminibus objectis Abae in mentem veniſſe; prolatiſque CIↃ IↃ LXXXII.
literis et inſtrumentis, cum regios titulos nequaquam ſumpſiſſe, aut quidquam HENRICUS III.
in regni perniciem animo agitaſſe; quinimo pro felicibus contra Turcos ſucceſſibus et Deum oraſſe, et, ut ſupplicationes per totam Herienſem ſatrapiam publice haberentur, ſedulo mandaſſe. Quod vero auxilia ad bellum Turcicum ex ſua ſatrapia non miſerit, non id contumacia, ſed neceſſitate factum; quippe ingruentibus ab ea parte Tataris [a] Zagataienſibus et Jeſſelbaſſis; a quibus, non minus quam a Turcis, Perſico imperio periculum immineat. His ſe rationibus [b] Abam, cum ad delectus citaretur, apud [c] Salmam per literas, quarum exempla proferebantur, ſaepius excuſaſſe; quas ille maligne, ut patrem contra filium accenderet, ſuppreſſerit; et, quaſi imperia paterna detrectaret, ut perduellem apud ipſum inſimulaverit. Proinde orare Abae nomine, ut, ſi criminum objectorum reus comperiretur, ei libertas et ſatrapia adimeretur; in idque ſe obſides veniſſe teſtabantur; ſubinde terram, in ſignum devotiſſimae ſervitutis ac fidelis obſequii, coram Hodabenda deoſculantes: ſin vero innocentiam ſuam Abas regi approbaret, petere, ut poena talionis in accuſatores ſtatueretur; qui patrem cum filio committere, et tam alieno tempore exercitum e limite deducere, regem per calumnias inductum coegiſſent. Earum vero architectum eſſe Salmam; qui, principis ingenio abutens, ut privatae ambitioni ſerviret, limitem praeſidiis vacuare, et regnum manifeſto periculo objicere, non dubitaverit. Et vero putare Abam, harum fraudum fratrem Salmae generum ignarum eſſe; et, inſcio illo, has calumnias contra ſe ſtructas: ac confidere, pro animi aequitate, qua praeditum [d] Emirem ſciat, ut, iis detectis, potius generis et fraternae conjunctionis, quam ſoceri et adfinitatis, rationem ſit habiturus. Audita ſeniorum oratione, Hodabenda paucis reſpondit; ſi vera eſſent, quae dicerentur, digno ſeveritatis in calumniatores exemplo conſtituto, ſe effecturum, ut omnes intelligerent, non minus ſibi filii, quam aliorum ſubditorum, ſalutem curae eſſe. Itaque vocati provinciae proceres, praefecti, ſenatores, rationales; quos, modo conjunctim, modo ſingillatim, interrogatos, cum conſentanea legatorum dictis dicere animadverteret, tandem Abam innocentem pronunciavit; idemque Emiri, pertentato prius ejus animo, ut crederet, perſuaſit. Cumque ab eo poſtea quaereret, quibus rationibus et indiciis inductus tam ſiniſtram de fratris conſiliis opinionem concepiſſet; ille ingenue ſe a ſocero ſuo Salma, cujus fidem et prudentiam ſemper perſpectam habuiſſet, plene perſuaſum fuiſſe reſpondit; nec putaſſe vana, quae ille, tam bene, ut ſibi videbatur, erga regem regnumque affectus, tanquam vera affirmaret. Inde exortae contra Salmam procerum ac praefectorum querelae, jam audacter, poſt detectam tantam calumniam, illum tanquam ſeditioſum, novarum rerum cupidum, crudelem et iniquum, accuſantium; qui, cum non ignoraret veras cauſas, cur Abas auxilia patri non ſummitteret, eas de induſtria patrem celaſſet; et intempeſtive ſuſcipiendae expeditionis, ac tot procerum praeter jus ex ea occaſione interficiendorum, auctor exſtitiſſet. Igitur, omiſſo bello, tota irarum tempeſtas in miſerum Salmam incubuit, genero ipſo ejus patrocinium deſerente; apud quem imperii ſalus, et fraternae concordiae utilitas, contra ſoceri importune ambitioſi charitatem praevaluit. Ita Abas in gratiam a parente receptus, et cum fratre reconciliatus. Salmas, ut damnoſae expeditionis pericula et incommoda lueret, capite plexus eſt: egregio aulicis exemplo, ne potentiorum,

INTERPR. [a] *Tartares de Zagatay & Jeſſelbas.* [b] *Abas Merize.* [c] *Merize Salmas.* [d] *Emir Hamze.*

CIϽ IϽ LXXXII. HENRICUS III.

potentiorum, atque adeo proximitate conjunctorum, ſimultates per calumnias alant et exacerbent: nam fere uſu venire, ut ii reconcilientur, et depoſitas iras in miniſtros primarios vertant; ac veluti ex pacto, alteri ab alteris, inviſos ſibi ad poenam depoſcant. Hic exitus expeditionis Herianae fuit; longe alio ac feliciore, quam ſperatum fuerat, ſucceſſu confectae.

VI. INDE Hodabenda [a] Caſminum cum exercitu reverſus, ſumma ſuorum laetitia exceptus eſt; quam nonnihil turbaverunt allati ſub id de novis Turcorum apparatibus et novo delecto imperatore nuncii. De Oſmane initio cogitaverat Amurathes; quem ad bellum in [b] Atropatia gerendum deſtinaverat: ſed poſtea mutavit, et in praeſens Ferhatem purpuratum, matura aetate, ſed fortitudine juvenili praeſtantem, animo ferocem, propoſiti tenaciſſimum, et ad caſus inopinatos imperterritum, ac ſibi maxime fidum, delegit; cum mandatis, ut Tefliſium commeatu, milite, ac novis munitionibus firmaret, et damna ac injurias a [c] Manucciare Muſtafa acceptas, vaſtata ejus regione, ulciſceretur. Poſtea, cum per [d] Maxudem Perſam, quem relicto principe ſuo ad Turcos transfugiſſe ſuperiore anno diximus, de profectione Hodabendae contra filium cognoviſſet, alia mandata Ferhatae dedit; ut Reivanum in poteſtatem redactum firmaret, et viam, quae [e] Carſa Reivanum ducit, tutam praeſtaret: ſic enim inſidias, in quas Turci tam ſaepe praecipitent, vitari, et ad Tauriſium invadendum, quod unice exoptabat, aditum patefieri: interea placere, ut odium contra Manucciarem diſſimuletur, ejuſque opera, ad commeatum Tefliſio inferendum utili, purpuratus pro prudentia ſua utatur. Secundum haec, ineunte anno proximo, qui fuit ſalutis

CIϽ IϽ LXXXIII. HENRICUS III.

XXCIII ſupra milleſimum quingenteſimum, pronunciato Ferhate ſummo belli contra Perſas gerendi duce, mandata ad provincias Othomanico imperio ſubjectas mittuntur, ut condicta die militares copiae Erzirumum convenirent. Igitur Tripoli Syriae, Damaſco, Alepo; ex Judaea univerſa, Palaeſtina, Meſopotamia, Babylonia, [f] Baſſara; et in Aſia minore, ex [g] Sebaſtopoli, [h] Maronia, Bithyniae provincia, Cappadocia, Cilicia; in Europa, [i] Graecia et Pannonia copiae evocatae, ſub ducibus ſuis iter ingreſſae ſunt. Ipſe Ferhates, accepto ab Amurathe vexillo, Conſtantinopoli Chalcedonem, factoque per [k] Amaſiam itinere Erzirumum venit. Tum commeatu ſagmatariis jumentis impoſito, et tormentis ac omni bellico apparatu inſtructo, Carſam verſus cum univerſo exercitu et magno fabrorum numero tendit; quo octavis caſtris venit. Inde Reivanum verſus iter perſequitur; et inter eundum in ſcopulo munitionem erexit, trium dierum itinere a Reivano; quam impoſitis tormentis et CCCC bellatorum praeſidio firmavit. Reivanum Tocmacis ditionis oppidum in Armenia dorſo montis adjacet, tanta altitudine, ut coelum inter nubeis abſcondere videatur; ideoque nivibus aeternis et glacie rigeat: monti ſubjecti ſunt campi omnium frugum feraciſſimi, rivis ex vicinis collibus ſcaturientibus, qui in Araxem exonerantur, irrigui, et paſcendis pecoribus et armentis maxime opportuni. Oppidum VIII dierum itinere a Tauriſio abeſt; Naſſivano, quod quidam Artaxata fuiſſe volunt, [l] Marancio, et Sophiano, interpoſitis, amoenitate hortorum conſpicuis: ad quae loca per montes horridos et confragoſis vallibus diſtinctos, impedito ad copias deducendas itinere, pervenitur. Sic autem poſitum Reivanum, ut a ſeptentrione Tefliſium, ab auſtro Calderanos campos reſpiciat, Vannum ad ortum habeat objectum. Oppido citra certamen occupato, conſultatum inter duces de loco munitioni exſtruendae deligendo: et placuit, ut in aedibus ipſius Tocmacis arx fabricaretur,

INTERPR. [a] *Caſbin, ou Caſwin.* [b] *Sirvan.* [c] *Manucchiar.* [d] *Maxud Chan.* [e] *Chars.* [f] *Balſora.* [g] *Sivas.* [h] *Maras.* [i] *Romelie, & Hongrie.* [k] *Amaſan.* Amaſia, *nunc Toccat.* Ind. Th. [l] *Marant, & Soſſian.*

fabricaretur, quae ambitu ſuo palatium et hortos ampliſſimos complecteretur. Ea xv dierum ſpatio ad eam altitudinem perducta fuit, ut muris ac foſſa, amne in eam derivato, cincta contra impetus hoſtileis tuta eſſet. Praeterea arx interior in ea erecta, quae emineret, et in ſubjectos campos late deſpiceret; additis magno numero tormentis, et valido VIII CIϽ, ſive militum ſive mancipiorum, praeſidio: cui a Ferhate impoſitus Sinan purpuratus, [a] Cicadae illius famoſi adeo toto mediterraneo mari ducis filius; qui in prima pueritia captus, et in Selimi II conſpectum perductus, oris ac totius corporis pulchritudine, et virtutis innatae indole, tantam apud eum gratiam meruit, ut vix ex ephebis egreſſus [b] Praetorianorum praefectus conſtitutus ſit. Tocmaces, conſtructa a Turcis ad Reivanum arce, ultra modum turbatus et irritatus fuit; quod id ei praeter ſpem accidiſſet, nec ullis ab [c] Emire, qui [d] Tauriſii interea quaſi ad ſpectaculum ſedebat, ſubſidiis, quamvis eum enixe rogaſſet, adjutus eſſet. Itaque ad Hodabendam, qui [e] Coraſani erat, literas acerbitatis plenas dederat; quibus periculum ſuum perfidioſa diſſimulatione neglectum conquerebatur, et oblique Emirem perſtringebat, quaſi occulta ad Ferhatae conatus conniventia ſe pro ſalute communi excubantem, ac foederatos Georgianos, tam neceſſario tempore deſeruiſſet. Interea ab amicis Georgianis undique copias, quas poteſt, cogit; quarum ope fretus, continuis contra Turcos excurſionibus, et modo C, modo plures, carpendo, et crudeliter interficiendo, animum ultione ardentem utcunque explebat. Ferhates, impoſito novae munitioni praeſidio, diſcedit; et, facto per caſtellum nuper a ſe in via exſtructum itinere, Carſam verſus exercitum reducit. [f] Oſſainus cum Cicada relictus, [g] Giambulati ſupra commemorati filius; cujus ea foecunditas fuiſſe perhibetur, ut, antequam moreretur, ex ſe genitos ſeu deſcendenteis XXCVI heredeis videre potuerit. Poſt Turcici exercitus diſceſſum Cicada ſemel atque iterum cum Tocmace conflixit; totieſque victus, atque aliquando vulneratus, tantum non in hoſtium poteſtatem venit. Poſtquam Carſam rediit Ferhates multa inciderunt, quae proſperum rerum curſum interturbarunt; exortis ſuſpicionibus, quaſi belli pertaeſi in limite reguli cum Perſa conjuraſſent: ob idque quidam [h] curdus, revinctis poſt terga manibus, coram purpurato ſiſtitur; qui ſtatim ejus juſſu, non edita cauſa, ad terrorem, ut creditur, ceteris injiciendum, ſecuri percuſſus eſt.

VII. ALLATUS ſub id et nuncius de Manucciaris Muſtafae defectione. Is ſuperiore anno a Mahamete inſimulatus apud Amurathem, quaſi cum Georgianis occulta conſilia agitans in inſidias Turcos auxiliareis praecipitaſſet; et poenam a Mahamete paratam, geminata adverſus Mahametem ipſum injuria, generoſe ultus eſſet. Ab eo tempore animi anxius fuerat: et quanquam Sultanus, qui Teſliſium quavis ratione ſibi novo praeſidio firmandum propoſuerat, non ſolum injuriam diſſimulaſſet, ſed auxilii per Muſtafam introducendi conſilium cepiſſet; ille nihilominus propius res reſpiciens occaſionem ab ejus obſequio diſcedendi quaerebat: quam tum fortuna ei obtulit. Nam novum ſubſidium Teſliſium introducere juſſus, accepta a duobus janitorum praefectis ac totidem regiis cubiculariis pecunia ac commeatu, cum ſe in viam cum IϽ delectis ex ſuis dediſſet, in [i] Simonem, cujus ſororem, ſicuti dixi, uxorem duxerat, ſive caſu, ſive ex compacto, incidit: qui juxta pia ac vehementi oratione cognatum increpitum, quod, aeternae vitae bonis fluxae ac falſae hujus interuſurii felicitati poſthabitis, Chriſtiano nomini renunciaſſet, ut veri Dei, qui unus et trinus eſt,

juratos

INTERPR. [a] *Cigala Baſſa.* [b] *Aga des Janiſſaires.* [c] *Emir Chan.* [d] *Tauris.* [e] *Corazan.* [f] *Oſſain Bey.* [g] *Giambulat.* [h] *un ſangiacco curdo: les Curdes ſont les natifs du pays de Curdiſtan.* [i] *Simon Chan.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

juratos hoſteis ſequeretur, pudore et morſu ſimul conſcientiae injecto, ad haec proprio periculo monitum, perpulit, ut impia ſuperſtitione abjecta errorem agnoſceret, et quamprimum ſe cum fortibus verae fidei propugnatoribus ad exſtirpandam Mahumetanam ſectam conjungeret. Itaque mox mutata religione, quo fidem ſuam magis Simoni approbaret, duos praefectos ac cubicularios regios comprehendi juſſit; et novum foedus cum Simone, diviſa cum eo Turcica pecunia, ictum, captivorum, quos ſecuri percuſſit, ſanguine obſignavit. Quo nuncio accepto in furialeis iras exarſit Ferhates, et fidem ſolemni jurejurando obſtrinxit, Muſtafae injuriam Othomanico nomini factam minime inultam fore; ſed, antequam e provincia decederet, ferro flammaque ſe ejus ditionem vaſtaturum. Interim, cum praeſidiarii, qui Tefliſii erant, commeatus penuria periclitarentur, iis ſubveniendum ante omnia ratus, Haſſani purpurato, qui primus, cum Muſtafas ſummae rerum praeeſſet, auxilium in oppidum feliciter intulerat, et [a] Aliculim Chanum Perſam ceperat, negotium dat, ut novo ſubſidio locum firmaret; in id conſignatis in ejus manus XL CIↃ ducatorum et copioſa annona; cui deducendae attributa XV CIↃ delectorum manus. Decem dierum ſpatio ſuſceptum et feliciter confectum negotium; in itu et reditu levibus proeliis tantum conſertis, et amiſſis aliquot ſagmatariis jumentis. Mox et miſſus [b] Reſvanus purpuratus cum V CIↃ delectis, ut fidem a Ferhate datam liberaret; qui ferro flammaque Altuncalam, Caracalam, et alia Manucciaris ditionis loca, haud minore, quam imperatum fuerat, immanitate vaſtavit; armentis et gregibus abactis, ac innumeris capitibus in miſeram captivitatem abductis: tantaque Turcorum intemperies fuit, ut quaecunque loca pedibus calcarent, non veſtigiis humanis, ſed fulmine, tacta viderentur. Inde reverſo ad Ferhatem, qui jam [c] Ardacanum proceſſerat, Reſvano, per [d] Oltianam viam Erzirumum, jam inclinata tempeſtate, reditum eſt, ac ſtatim dimittitur exercitus; datis de ſucceſſu rerum ad Amurathem a Ferhate literis; quibus et impetravit, ut Haſſan, ob rem bene geſtam, veſte, haſta, et ſcuto inauratis donaretur. Ipſe Erzirumi, mandata Sultani in ſequentem annum opperiens, reliquum hyemis exegit. Diverſa parte Oſman, qui ad [e] Pylas ferreas haerebat, fidos ad Portam ablegaverat; qui mitti peterent praetorianos ſcloppetarios, artifices fundendarum machinarum peritos, architectos fabricandis tam minoribus quam majoribus triremibus, ſocios item navaleis, cum eorum praefectis. Praeterea rogabat, ut pecunia juvaretur, et aliqui ex [f] Graeciae et Aſiae minoris, necnon [g] Sebaſtiae, praefectis ſummitterentur: nec abnuit Amurathes. Igitur, cum ii ad Oſmanem veniſſent, fabricandis triremibus aliquandiu temporis inſumptum; quibus Caſpii maris litora crudeliter infeſtata ſunt. Ablegatae et terreſtres copiae, ut tam Atropatenſium, quam finitimorum agros, non minus amicorum, quam hoſtium, rapinis dirum in modum agerent ferrentque; quae plerunque magno ſuo cum detrimento ab excurſionibus illis revertebantur. Capta in [h] Atropatia Sumachia, in eaque praefectus et rationalis conſtitutus fuit. Nec longe a Portis ferreis [i] Tabaſſara et Cabba in poteſtatem Turcorum venerunt; quibus locis praefectos, cum idoneis praeſidiis, machinis bellicis, ac annonis, Oſman impoſuit.

VIII. Ut in Aſia et apud Turcos, ſic et in Chriſtiano orbe variis caſibus hic annus inſignis fuit. Romae magna annonae penuria fuit laboratum, ex qua maxima caritas ſecuta; ita ut tenuiores, qui parum obſonii comedunt, ſed ſolo pane aluntur, octo [k] bajocos, id monetae genus eſt, in panem quotidie ad veſcendum conſumerent:

INTERPR. [a] *Aliculi Chan.* [b] *Reſvan Baſſa.* [c] *Ardachan.* [d] *d'Olti.* [e] *Temir-capi.* [f] *Romelie, & Natolie.* [g] *Sivas.* [h] *Sirvan.* [i] *Tabaſſaran.* [k] *Baiocco, monnoye qui vaut deux liards.*

conſumerent: quae incommoditas ad duos menſeis duravit. Poſtea, quod pontificiorum miniſtrorum ſive avaritia, ſive negligentia, peccatum fuerat, pontificis cura ac benignitate reſarcitum eſt. Triſtior ex quorundam nobilium et ſatellitum diſſidio caſus incidit, qui pontificis animum non mediocriter perculit. Caritati, praeter coeli intemperiem, cauſam dare exules creditum erat; qui nimium quam multi toto [a] Latio erant: ad portas uſque urbis frequenter excurrentes, et infeſtas latrociniis vias facientes, frumenti importationem impediebant. In eos proinde, minacibus edictis propoſitis, ut ſeverius animadverteretur mandatum fuerat: et, quia favore nobilium confiſos eos etiam intra urbem recipi et latere compertum erat, negotium datum Jo. Baptiſtae [b] Bozellae Aſſiſinati, latrunculatorum in urbe praefecto, ut latenteis ubicunque diligenter conquireret, et coram judicibus ſiſteret. Is (cognito, in [c] aedibus Urſinorum, quae ob ſplendorem familiae jure aſyli ab antiquo gaudent, et, quamvis ſublatis illis a pontificibus immunitatibus, id juris, quantum poſſunt, retinent,) per abſentiam dominorum cum comitatu ſuo aedeis in [d] Senenſi platea init; et, poſt exiguum paucorum hominum, qui reliqui in iis erant, non tam certamen, quam diſſenſum, cum in eo eſſet ut captivos ſecum adduceret, ſupervenit Raimundus Urſinus, Jordani Urſini, qui ſub Henrico II diu honorifice militavit, filius, cum Sylla Sabello, et Octavio [e] Ruſticucio; praefectumque allocutus, rogat eum, ut captivos dimitteret, nec loci ſive religionem ſive immunitatem violaret. Cum praefectus recuſaret, exacerbatus Urſinus in verba contumelioſa prorupit; viciſſimque contumeliis petitus, cum injuriam non ferret, neque tamen e dignitate ſua exiſtimaret, hominem, ut rebatur, ſua ira indignum, ferro percutere, virga, quam equitans geſtabat, humerum praefecti ſtrinxit: quam injuriam ille non qua debuit moderatione tulit; ſed ad ſuos, qui ſcloppetis, bipennibus, et gladiis, armati erant, converſus imperat, arma expedirent, et manus in percutientem injicerent. Nec ſegniter praecipiti mandato parent ſatellites; diſploſiſque ſcloppetis Ruſticucius primus ſternitur; Urſinus et Sabellus tam graviter ſauciantur, ut ex vulneribus poſt biduum obierint. Ea re mirum quantum animi in urbe commoti ſunt: nam mox clientes familiae Urſinorum muſſare; plebs, Urſinis fere addicta, factum deteſtari; nobilitas univerſa, etiam quae Urſinis minime favebat, tamen ſuam cauſam agi rata, ſeque in ordinem cogi indignata, fremere: tumque occaſione capta Urſini cum amicis paſſim diſcurſare, vias inſidere, percuſſores ubique veſtigare. Ex iis reperti quidam ſtatim feſtinata ultione confoſſi. Bozella, poſt facinus patratum ſero magnitudinem ejus agnoſcens, urbem deſeruit. Pontifex, vir miti ac timido ingenio, qui factum nollet, et tamen infectum reddere non poſſet, in tanto tumultu pro remedio diſſimulationem adhibuit: ac primo plebis furori paulum indulgendum cenſuit; ratus mox eam, ubi impetus reſediſſet, poenitentia ſubeunte, ad officium ſponte redituram. Interim capti quidam ex ſatellitibus; qui, aliorum criminum praetextu, ad placandum tumultum capite luerunt: ſiquidem ad auctoritatem ſuam pertinere exiſtimabat pontifex, ne propterea plecti viderentur. Ex fuga et retractus Bozella, qui temeritate ſua caedibus cauſam dederat; et paulo poſt ob aliam cauſam ſecuri percuſſus eſt. Nec tamen heic malum ſtetit: nam Ludovicus Raimundi frater, homo pervicaci audacia, et qui vitam eripi ſibi, quam illuſtriſſimae familiae decus calcari, patientius ferret, injuriae tantae impatiens, [f] Vincentium Vitellium

INTERPR. [a] *Campagna di Roma.* [b] *Bozella d'Aſſiſi, barigello.* [c] *Palazzo de gli Orſini.* [d] *Piazza di Siena.* [e] *Ruſticucci.* [f] *Vincenzo Vitelli, lieutenant de Jacques Buoncompagno, fils naturel du pape Gregoire* XIII.

ↀ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

Vitellium, Jacobi Boncompagni pontificis filii et eccleſiae gubernatoris vicarium, cujus mandato id factum ſibi perſuaſerat, dum ſub veſperam in ciſio ſedens domum rediret, aggreſſus interfecit. Quamobrem ſolum vertere coactus, aliquandiu exulibus ſe ducem praebuit; magno ſui per totum [a] Latium terrore ſparſo: et ad extremum in Veneta ditione, de qua majores ſui tam bene meriti erant, receptum habuit; infelici tamen exitu, ut in ſequentibus videbimus. Miſſi interim in [b] Picenum et Umbriam [c] Sanflorianus, et Chriſtophorus Boncompagnus Ravennae archiepiſcopus, cardinales; qui exules licentioſe graſſanteis compeſcerent, et in receptatores ſevere animadverterent.

IX. Nec paulo quietiores apud nos res erant; ubi regem, quamlibet otio et privatis affectibus intentum, multa diſcruciabant; aeque de fratris utraque fortuna ſolicitum. Nam, ſi res ei ex voto ſuccederent, ne Belgii opes in ſe olim verteret, metuebat; et ad ſecuritatem regni ac famam, qua imperia conſtant, pertinere exiſtimabat, ne frater, non ſolum fortunarum ſuarum, ſed nominis Gallici, ſi ſecus quid accideret, jacturam faceret. Eo fiebat, ut neque auxilia ei omnino negarentur; ſed neque ſatis valida, et in tempore, ſubmitterentur. Nam prudentiores circa regem ita cenſebant; quando res eo deveniſſet, ut Belgium antiquum ac legitimum dominum ejeraſſet, omni ratione enitendum eſſe regi, ut membrum a reliquo regni corpore avulſum, data occaſione, cum ipſo conglutinaretur: ſic enim optime ſecuritati ejus conſuli, tanta acceſſione facta. Neque vero patiendum eſſe, ut alter quivis occaſionem hanc in uſum ſuum arripiat; ne, in Belgio, ut alias, conſtituta belli arce, inde, cum volet, publicam regni quietem conturbet. Ut autem, quam minimo ſumptu ac negotio fieri poſſet, eam Belgii, quam Andinus nunc tenet, partem nanciſcatur rex, conſultum videri, ne fratri opem ullam ferat; ſed eum ad ſummas anguſtias, quod brevi eveniet, redigi ſinat; ut tandem regis ſe arbitrio permittere cogatur, conditioneſque, quas velit rex, accipiat: ſic enim futurum, conſumptis Ordinum et Andini opibus, poſtquam Philippus, jam elevata apud mercatores ob non perſolutas ſuperioribus temporibus uſuras fide, ab omni externo auxilio inops, proprias pecunias ac facultates conſumpſerit, ut Ordines et Andinus ad opem regis implorandam adigantur: illi quidem, quod, deſperata cum Philippo poſt tantam injuriam reconciliatione, alium quempiam principem ſibi neceſſario aſciſcendum intelligant: hic, quod honeſtius ducat, ſe fidei regis ac fratris ſummittere, quam parta tanto labore ac ſumptibus, ſumma cum nominis ſui infamia, hoſtibus aut aliis relinquere. Interea, aiebant, rex, quaſi in ſpecula ſedens, et ad omnes occaſiones intentus, pecuniam, militem, ac cetera ad futurum bellum neceſſaria, comparabit; et quid Imperium, Caeſar, Auſtriaci in Germania, ac denique Hiſpani, molientur, quaſi e longinquo explorabit, et pro temporum conditione negotia ſua ordinabit. Tum, diſpoſitis rebus, regi ad apertum contra Philippum bellum veniendum erit; hac ratione, ut ante omnia impediat commeatus in Belgium importationem: id autem perfacile erit, claſſe in portubus, quos optimos circum habet, inſtructa; cum contra, nullos idoneos Hiſpanus habeat. Rurſus copiae ad [d] Moſae et Rheni confluentem mittendae erunt, et in Lucemburgenſi agro exercitus alendus; ac, ſi fieri poſſit, [e] Lucemburgum, Theodonis-villa, et Monmedium, in poteſtatem redigenda: quae ſi fiant, excluſo ab omni parte in Belgium aditu, florentiſſimae illae regiones parvo negotio, ac fere citra ſanguinem, ſub manum regis venient: qua in re cavendum ſummopere erit, ne

res

INTERPR. [a] *Campagna di Roma.* [b] *Marca d'Ancona & Romagna.* [c] *le cardinal di Santa Fiore.* [d] *la Meuſe.* [e] *Luxembourg, Thionville, & Montmedy.*

res proelii aleae committantur; ſed Galli, contenti excurſionibus infeſtis praedas agere, et interdum meſſem corrumpere, commodis locis caſtra muniant: de cetero, a proelio abſtineant, exſpectentque dum obfirmatiores populi, ultro neceſſitate urgente, deditionem faciant. Neque vero, ſi adeo commoda proelii occaſio detur, iis omnino pugnandi libertate interdici debebit; ne animorum vis et impetus, quo Galli plurimum valent, nimia patientia retundatur, et, cum opus erit, ad pericula hebeſcat: quod tamen raro, nec niſi opportunitate ſumma invitatis, faciendum erit; eo minore periculo, quod, ſi, ut ſaepe accidit, eventus non reſpondeat, paratiores habeant in limite copias, quibus damnum acceptum ſarcire poſſint; hoſtibus autem ſemel victis, uno proelio debelletur. Hae rationes et commoditates Belgii in poteſtatem redigendi ab illis regi proponebantur. Quam ad expeditionem ut eum magis incitarent, niſi conditionem acciperet, belli in Gallia habendi neceſſitatem ipſi impoſitam oſtendebant: ſicque diſſerebant; fratre opibus ac facultatibus deſtituto, ac belli ulterius pertaeſo, mox inter eum et Ordines mutuas querelas, ex querelis contemptum ac diſcordias, exorituras; cum neutri, omni re exhauſti, in alterius fide aut opibus ſibi quidquam praeſidii eſſe ſentient: ac procul dubio fore, ut Andinus, pactorum oblitus, loca, quae poterit, ſecuritatis ac defenſionis ſuae cauſa, occupet; eoque facto in Galliam reverſurus ſit, injuria tanta accepta irritatus, et de fratre querelam apud omnes ordines facturus: tunc repetitum iri rationes ad ſenatum Pariſienſem initio hujus belli, et ad alias regni curias, tranſmiſſas; ſe id negotii majorum ſuorum, inprimis parentis et avi, exemplo ſuſcepiſſe; qui cum unius oppidi aut loci muniti cauſa tam damnoſis bellis ſe implicare minime dubitaverint, eo ſibi majorem habendam gratiam, qui non unum oppidum aut propugnaculum, ſed integras provincias, oppidis et opibus florenteis, ſui juris fecerit; quas tamen, rege auxilia denegante, maxima cum nominis Gallici infamia, deſerere cogatur. Tum ad fratris invidiam multa additurum, negligi commodiſſimas opportunitates regni limites proferendi, ac contra hoſtileis impetus muniendi; unde non ſolum magnum decus ad regnum redeat, ſed hoc proculdubio commodum ſit ſubſecuturum, ut populus, tot intolerandis tributis gravatus, olim omni onere levetur: quae ſi ad commovendos regni ordines parum valitura ſunt, ad extrema remedia eum deſcenſurum, et, incuſata civili adminiſtratione, poſtulaturum, ut conventus ordinum celebrentur; quorum ex ſententia res confuſae ordinentur, regni ſecuritati ac dignitati proſpiciatur, populus tributis levetur; aulicis mancipiis, quae nihil aliud quam gratiam vilibus obſequiis et quaeſtum conſectentur, faceſſere juſſis, conſilia republica digna capiantur. Ita enim fore, ut, quando nihil praeter amplitudinem, decus, ac ſalutem regni ambiat, ordines, vel invito rege, ſibi ſuppetias decernant. Si ergo, quod Deus avertat, ex deſperatione eo Andinus deveniat, videndum regi, quanto cum univerſi regni detrimento, ac regiae majeſtatis imminutione, id ſecuturum ſit. Proinde periculo in tempore praevertendum, ſpretaque Hiſpanorum amicitia quamprimum de rebus Belgicis ſerio cogitandum; et conſilia, non ſolum regno utilia, ſed neceſſaria, capienda eſſe. His rationibus victus, potius quam perſuaſus, rex, quanquam ab omni conſilio generoſo alienus, atque adeo futuri ſecurus, praeſentibus voluptatibus decus et ſecuritatem regni poſthaberet; tamen cum nutare videretur, qui circa eum erant, ſive inſita ignavia, ſive rebus Hiſpani in occulto faventes, cum contradicere aperte non auderent, viam mediam inſtiterunt, qua honeſtioris conſilii rationem eluderent: et his conditionibus, quas Ordines Belgii minime admiſſuros norant, regem cum iis paciſci paratum oſtendunt; ſi

caveatur, fratre ſine prole decedente, regem Galliae ac poſteros ejus in Belgii hereditatem ſucceſſuros: alioqui durum videri, ut ſe tanto bello temere implicet, gravibuſque ſumptibus ſe regnumque oneret, nulla emolumenti ex eo obventuri aut refundendorum ſumptuum in poſterum ſpe. Vix tandem his conditionibus cum regina a rege impetraſſet, ut fratri ad bellum Belgicum ſuppetiae e Gallia darentur, rejectis ab Ordinibus conditionibus, negotium omnino omiſſum eſt; rege occaſionem a generoſis conſiliis diſcedendi quaerente, et repertam avide arripiente.

X. At Andinus, qui quid in aula ageretur, per parentem et alios certior factus, minime ignoraret, jam futuri anxius animo agitare coepit, qua ratione anguſtiis ac calamitatibus, de quibus ab amicis, quos in Gallia habebat, admonebatur, quaſque jam mente concipiebat, ſe extricare, et effugium in tempore parare, poſſet. Nullum autem commodius remedium viſum, quam ſi praecipua Belgii loca ſui juris faceret, eaque cum plena poteſtate armis teneret. Nam Belgas, natura feroces, deficientibus auxiliis ſubito mutaturos, et, faſtidio ſui ſubeunte, cum Philippo veteri domino reconciliationem tentaturos; eoque magis, quod, ſe expulſo, pro tanto beneficio aliquid gratiae in religionis cauſa, quae eos hactenus remorata ſit, ſe ab Hiſpanis impetraturos ſperent: alioqui inſtabilem ac parum firmam eſſe ſpem, quae in plebis, ad quamvis auram mutabilis, et religionum diverſitatibus ſciſſae, ingenio collocatur. His accedebant hominum, qui circa ipſum erant, rebus propriis magis intentorum, quam de fide et exiſtimatione principis ſolicitorum, voces, et veluti expoſtulationes: uſquequo tandem ſuae potentiae illudi pateretur? ſuos cum miſeria, egeſtate, inedia, inter jurgia et contumelias, aſſidue conflictari; militi ſtipendium, et quae ad vitam neceſſaria ſunt, denegari; vulneribus, morbis, quaſi inter hoſteis verſentur, quotidie perire: haec praemia, pro tot exantlatis laboribus ac periculis ſuperatis, rependi: in ducem titulos inaneis et umbram imperii collatam; penes alios ſummam rerum poteſtatem eſſe: jam tandem expergiſcatur, et dignitatis ſuae memor poteſtatem jure delatam armis tueatur. Igitur, re deliberata inter conſcios, condicta dies ad xvii Kal. Febr. qua [a] Brugae, Antuerpia, Dunkerka, et alia munita circum loca, occuparentur. Id clam Monpenſerio, Vido [b] Lavallo, Rupifulcaudio comitibus, et [c] Avantinio, actum; quos, ſi res ex voto ſuccederet, fortunam ſecuturos, et conſilium poſt ſucceſſum laudaturos, ſibi perſuaſerant: [α] ſin ſecus, extra culpam poſiti reconciliandis Belgis [β] inſervirent. Dum omnia inſtruuntur, dux, ne nihil ageret, Henricum [d] Guferium Bonnivetum [e] Eindoviam verſus, haud longe a [f] Silva-ducis, mittit; qui, [g] Henrici Schermerii, qui oppidi ſitum apprime noverat, opera, locum noctu invadit. Ipſe Schermerius primus moenia ſuperavit; et, poſt exiguum certamen, quo L circiter [h] Epirotae in praeſidio relicti caeſi ſunt, oppido potitur VII Eid. Jan. Reliqui praeſidiarii, qui in munitionem proximam confugerant, vitam ſalvam pacti deditionem fecere. Paulo poſt [i] Helmonta, Horſta, et alia loca firma, in poteſtatem venere: ita ut Silvaducenſes et Bredani tam vicinis Gallis ſibi metuere, Geldriae civitates, quae Parmenſis praeſidiis non tenebantur, jam de conditionibus cum duce agere inciperent.

XI. Appetente

VAR. LECT. [α] ſin ſecus, extra culpam poſiti reconciliandis Belgis inſervirent *deſunt*. *D.* f. [β] inſervirent *deeſt*. *D.* d.

INTERPR. [a] *Bruges, Anvers, & Dunkerque.* [b] *les comtes de Laval & de la Rochefoucaud.* [c] *d'Avantigny.* [d] *Gouffier de Bonnivet.* [e] *Eindoven.* [f] *Bois-le-duc.* [g] *Heyncken Schermer.* [h] *Albanois.* [i] *Helmont, & Horſt.*

XI. APPETENTE demum tempore, negotium datum tribunis, qui in praeſidiis vicinis erant, ut loca, quibus impoſiti erant, occuparent. Ipſe dux Antuerpiam ſibi ſumpſit. Principium a Dunkerka, ob portus commoditatem, factum; in qua cum legione ſua erat [a] Chamoſius. Is, per [b] Trelonii, maris et Flandriae occidentalis praefecti, abſentiam, rixa de induſtria excitata, ob praedam a nautis praeſidiariis factam, arma contra oppidanos capit; nonnulliſque interfectis, dum illi de injuria conqueſturi ad ducem profecti eſſent, rurſus vim facit; et, ſimulato a Belgis praeſidiariis metu, eos oppido pellit, et urbem in poteſtatem redegit. [c] Diſmunda item, excitato incendio, dum oppidani ad illud reſtinguendum accurrunt, a noſtris intercipitur. Idem [d] Teneramundae factitatum, Wilvordae, et Winocibergae; ubi Galli Belgas numero vincebant. Aloſti, [e] Neoportu, Oſtendae, cum idem tentatum eſſet, conatus non ſucceſſit. Brugis paulum res a periculo abfuit: v cohortes Gallorum praeſidio urbis impoſitae erant; quarum metu Brugenſes, cum adhuc eſſet obſcurus et incertus de Dunkerkae ſucceſſu rumor, v aliis, quae [f] Meninga ex compacto veniebant, tranſitum per urbem permittunt: cumque hae ad forum uſque perveniſſent, ulterius pergere recuſant; civeiſque aliquot inſtanteis diſploſis ſcloppetis interficiunt. Quo dato ſigno, tribunus aliarum v cohortium ſuos arma capere imperat, et in [g] curiam civitatis venit; quem mox ſenatus, ope ſtipendiariorum, qui arcem ſatis munitam tenebant, comprehendi jubet: ac, dum urbis tribuni ſub ſuo quiſque vexillo conveniunt, ad cohortium duces ſcribit, eoſque in curiam evocat: qui, ubi venerunt, et ipſi e veſtigio comprehenduntur. Ea re territae v cohortes, quae Meninga venerant, forum deſerunt, et in [h] aream Branbergam tendunt; atque inde per [i] Cruceiam portam exeunt. Senatus, interrogatis ſingillatim ordinum ductoribus, ex iis cognoſcit, Gallos, ducis juſſu, idem, quod Brugis tentaverant, et Antuerpiae auſuros: quapropter illos quamprimum urbe emittit; ac poſtridie, quid Antuerpiae actum eſſet, plenius cognoſcit. Res autem in hunc modum accidit. Dux ante biduum omneis copias ad ſuburbia urbis admoverat, quaſi exercitum in urbis conſpectu luſtraturus; ex eaque occaſione plerique e nobilitate, qua fere Gallicae copiae conſtabant, ad ducem venerant, quaſi ſalutandi cauſa: quibus mandatum, ut proxima nocte [k] Croneburgam portam, palatio principis vicinam, cum armis occuparent, et per eam militem in urbem immitterent. Sed cum, rumore ſiniſtro jam tum de Gallis, quaſi praedae urbis inhiarent, ſparſo, et per Petrum [l] Aloſtanum urbis conſulem ad ducem ipſum perlato, catenas tendi, candelas paſſim per vicos accendi, placuiſſet; mutata conſilii ratio, et in craſtinum, hoc eſt, in XVI Kal. Febr. dilatus conatus. Eo die ſummo mane dux in cubiculum Arauſionenſis, per ſpeciem honoris et officii, venit; ire ſe ad exercitum praeſentia aſpecturum, comitemque optare ipſum Arauſionenſem, ſignificans. Ille, qui de rumoribus jam cognoviſſet, et a quibuſdam Gallis Proteſtantium religioni addictis ante monitus eſſet, qua erat animi moderatione, ob firmam minus valetudinem ſe excuſare, coelum imbribus turbidum cauſari; tum, ſuper ſuſpicaci gentis ingenio praemiſſis quibuſdam, ducem hortari, ut in urbe manere vellet. Dux quidem, aſſenſu pro tempore ſimulato, digreditur: ſed mox re inter ſuos agitata, cum non diu tardaturos de ſucceſſibus in aliis urbibus nuncios provideret, quamvis poenitentia fortaſſe ſubeunte, jam rebus

INTERPR. [a] *de Chamois.* [b] *Treſlong, amiral de Zelande.* [c] *Dixmuyden.* [d] *Dendermonde, Wilvoorden, & Winox-berg, ou Berg St Vinox.* [e] *Nieuport.* [f] *Menin.* [g] *Hoſtel de ville.* [h] *Place de Branberg.* [i] *Cruys-poorte.* [k] *Porte de Croonenburg.* [l] *d'Aloſt, bourgmaiſtre.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

rebus non integris ad deſtinata pergit. Igitur mittit ad Arauſionenſem, qui ut coelum, ita conſilium, mutatum referrent: ſimul mature pranſus urbe cum ſuis proficiſcitur. Profecturo eo catenae et repagula platearum, quae ad duas portas ducunt, aperta ſolutaque fuerant; cum incertum dicerent ſtipatores, per utram portam exire vellet: eaque de cauſa tribuni civium, Jacobus [a] Falia [b] Rubrae, et Jacobus [c] Vierendelius [d] Kipdorpiae portae, aſtabant, paucis comitati; quippe ſub prandii horam dilapſis in domos ſuas civibus; et vici illius ac Kipdorpianae portae inquilini aliis in urbis locis ſtationes agebant. Honori abſcedentis ſuum Philippus [e] Schonovius urbis conſul comitatum adjunxiſſe dicitur: quidam etiam ſcripſere, cum non multum proceſſiſſent, ducem, quaſi jam re confecta exultantem, minime jactationi temperaſſe, et, humero conſulis ter percuſſo, ſubjeciſſe; Haec illa dies erit, quae, vana principatus imagine deceptum adhuc, me deinceps verum rei Belgicae ſummumque ducem imponet. Tamen, quo minus credam, facit perſpectum ducis ingenium, ſecreti tenaciſſimum; et quod proinde minime vero ſimile ſit, in jactationes tam intempeſtivas juveniliter erupiſſe. Dum circiter cum CC equitibus Kipdorpiam portam verſus equitaret, juxta pontem ſublicium a ſtationibus perhonorifice ſalutatus eſt. Heic re primum cum Monpenſerio, et Lavallo, ac Rupiſulcaudio comitibus communicata, cum et ipſi in partem vocarentur, Monpenſerius, facti atrocitate perculſus, et pro ſe pauca ac fide erga ipſum ſua prolocutus, gentis decus, ex qua prognatus eſſet, non pati reſpondit, ut claritudini ejus tam foedam labem [α] aſpergeret. Itaque parendi neceſſitatem deprecatus, ut ſe excuſatum haberet, ducem rogavit. Idem a Lavallo et Rupiſulcaudio reſponſum. Continuo quidam Gallus ad id deſtinatus, cujus nomen, utinam et cum eo facti infamia, obliteratum eſt, ad ſtationem procedit, male habitum ſe ex equi calce aſſimulans; qui a [f] Keiſerio praefecto ſtationis perhumaniter compellatus, e veſtigio ipſum, lorica forte defenſum, irrito pugionis ictu petit. Id ſignum et principium patrandi facinoris fuit. Confeſtim Galli comites ingruunt, ferroque ſtricto Hadrianum Vierendelium tribunum obtruncant; et, ſtatione dejecta, loco potiuntur. Inde in urbem verſus impetus, quam primi CC aulici equites, qui ducem comitabantur, ejus mandatu ingreſſi ſunt; totuſque repente exercitus converſis ſignis ſequi viſus, [g] miſſam pro teſſera, et ſua in manu urbem partamque victoriam clamitans. Dux ipſe extra urbem feſtinanteis ſtimulabat, et Helvetios, ut propere venirent, urgebat; identidem, ut a praeda abſtinerent, rogans. Primi circumpoſita hinc inde portae moenia occupant; alii uſque ad [h] portam Caeſaream ſparguntur, potitique tormentis ea contra civitatem vertunt; alii per [i] plateam Kipdorpianam, ad [k] pontem uſque vinearum; alii denique per [l] plateam novam, ad ipſam uſque mercatorum [m] baſilicam, Burſam vulgo vocant, armati ac confuſis clamoribus excurrebant; modo ſe amicos clamantes, modo caedem et exitium interminantes. Contra, atrociſſimus civium clamor intra urbem oritur, arma poſcentium et ſumentium. Ignari quidam; alii praeviderant; et, quamvis diverſitate religionum ſciſſi, tamen conjunctis animis pro vita, liberis, uxoribus, in communi cauſa miſcent iras, et gnaviter ſe conatibus noſtrorum opponunt. Primum ſe turbatis ducem praebuit [n] Reinerus Michaldus; dein Gaſpar [o] Pileo primarius centurio, vulgo ſergentum majorem vocant, qui in Philippi Schonovii, qui interim

ſe

VAR. LECT. [α] inferret. *D.* f.

INTERPR. [a] *de la Faille.* [b] *Roode-poorte.* [c] *de Vierendeel.* [d] *Kipdorp-poorte.* [e] *de Schoonhoven, bourgmaiſtre.* [f] *Keiſer, ſergent.* [g] *vive la meſſe, ville gagnée.* [h] *Keiſer-poorte.* [i] *la rue de Kipdorp.* [k] *Pont nommé Wijngaert.* [l] *la rue neuve.* [m] *la Bourſe.* [n] *Reynier Michaut.* [o] *de Hoymaker, ſergent major de la compagnie colonelle du bourgmaiſtre de Schoonhoven.*

ſe noſtrorum manibus explicaverat, et in urbem, non citra vitae periculum, reverſus fuerat, legione militabat: is tendi catenas prius ſolutas curaverat. Confirmatis tam praeſenti defenſorum virtute omnium animis, crebreſcit certamen. Hinc ambitio et praedae ſanguiniſque ſitis noſtros, ultione ob injurias, ut ſibi videbantur, acceptas ardenteis; hinc vera virtus civeis, et pietatis ac ſuorum amor, pro aris et focis pugnanteis acrius accendebant. Arauſionenſis, qui in arce in extrema urbe ſita longe diverſabatur, ad tumultum tandem proſilit; vix primo rumori fidem tribuens, donec ex pomoerio rem ſerio agi incredibili animi moerore conſpexit; et contra tendentem Fervacium, cum iis qui in urbe remanſerant, diſturbat, captoque vincula injici jubet. Duce capto non paulum infractus Gallorum impetus: tandem cauſa certamen diremit; quae, niſi juſta ſubſit, pudore et conſcientia terrente, arma militi excutit. Igitur noſtris paulatim animi labaſcere; contra, defenſoribus creſcere; omnis ſexus, omnis aetas, pugnam inter eos ciere: mirumque dictu, conglobata mulierum multitudo atque imbellis plebs mutuis hortatibus tormenta admovere; quorum diſploſione incluſi catenarum repagulo equites diſturbati ſunt. Languente demum primo Gallorum impetu, tantus civium ardor memoratur, ut quibus glandes plumbeae deeſſent, animis induſtriam facientibus, nummos marſupiis promptos et dentibus manſos protinus ſcloppetis indiderint et exploſerint. Itaque poſt horam mutata rerum facies: ingens in porta mutuo ſe occurſu impedientium ſtrages edita; cruore et ſtrue corporum oppletae paſſim viae; diro ubique ac deformi ſpectaculo. Augebant horrorem ſpectantibus inter acervos eminentia mortuorum, aut ſpiritum adhuc inter gemitus ac cruciatus trahentium, capita. Multi, cum portam cadaverum mole obſtructam viderent, cum aliud effugium non haberent, ſe in equis e pomoerio praecipites in foſſam dederunt: inter quos fuit [a] Tianius, e Merodana familia, vir nobilis, Aloſti praefectus; qui, cum poſt deſultationem enataſſet, glande in caput adacta enectus eſt. Dux inter haec extra portam eventum opperiens, confluentibus ad eum primariis ducibus, et in iis [b] Birono, qui maxime factum deteſtabatur; cum nemo porta, quam a ſuis teneri ſciebat, egredi, multos per moenia in foſſam praecipitari e longinquo cerneret, rem confectam putabat, jam frequentibus adulatorum gratulationibus: verum ubi ſuos eſſe, qui praecipitabantur, et in ſe ſuaque agmina ex urbe tormenta explodi vidit, poenitentia ſera ductus retro in caſtra conceſſit. Jam, cum nulli Gallorum ſe amplius defenderent, quidam e [c] collegio ſagittariorum, qui ſe in domuncula ſpeculatoria ſupra pontem incluſerant, ad portam venerunt, et tranſcenſis cadaveribus cataractam demiſerunt. Inde vacuando loco labor impenſus; in quo plus temporis fuit, quam in ipſo conflictu. Ex civibus circiter c cecidere; nec minor numerus poſtea ex vulneribus periit. In iis fuere clarioris nominis is, quem dixi, Hadrianus Vierendelius, Baltaſar [d] Thaſſius vigilum praefectus, [e] Michaldus, et Pileo, qui ad latus Schonovii pugnans glandis ictu occiſus eſt. Ex Gallis CIƆ CC; et in iis Claudius [f] Bellovillerius Fani-Aniani comes, et ejus filius, Jo. [g] Turrius Landrius Caſtrorufus, [h] Sanblancartius Bironi filius, [i] Seſſevallius Wilvordae praefectus, Gedeo [k] Pontius Vigeanus Franciſci Pontii Mirambelli filius, Jacobus [l] Brillacus Argius Fronpertuſius, homo pugnax et ob egeſtatem audax, haud ſatis memor mandati ducis, qui praedas prohibuerat, praematura aviditate, non exſpectato eventu, in domum locupletis argentarii invaſerat; et,

INTERPR. [a] *de Tyant, de la maiſon de Merode.* [b] *le mareſchal de Biron.* [c] *Confrairie des arbaleſtiers.* [d] *Thas, ſergent major.* [e] *Michaud, & Hoymaker.* [f] *de Beauvilliers, comte de St Aignan.* [g] *de la Tour Landry, comte de Chaſteauroux.* [h] *de St Blancard.* [i] *de Seſſeval, gouverneur de Wilvoorden.* [k] *de Pons, baron du Vigean, fils du Sieur de Mirembeau.* [l] *de Brillac, Sieur d'Argis de Fronpertuis.*

CIƆ IƆ LXXXIII.
HENRICUS III.

et, tanquam humanitate ductus, imminentis exitii monet; nihil ſpei amplius ſuperare oſtendens, quam ſi aequis conditionibus ac praemiis amici officium demercatur. Ille plenus fiduciae ſecuritatem hominis admirans, nam jam civeis in urbe dominari intellexerat, vultu ad metum, dein ad modeſtiam, compoſito, gratias agit; ſimul hoſpitem, quaſi opibus recludendis, in cubiculum ducit; ubi ſervilibus plagis ipſe comiteſque conficiuntur. Multi etiam ex iis qui Proteſtantium doctrinae addicti erant, his immiſti, aut caeſi, aut capti ſunt. Juſtinus Naſſauvius, qui cum ducis aulicis venerat, perfugium in quadam domo habuit, ac ſervatus eſt. Captus in urbe, praeter Fervacium, et Arturus [a] Coſſaeus Conſtantienſis epiſcopus, magnus ducis eleemoſynarius; et complures alii, poſtmodo fere ſine pretio dimiſſi. Dux in [b] Berchemia arce pernoctavit, loco incommodo, ſine commeatu et omni neceſſaria ſupellectile. Inde Philippum [c] Lantmeterum et Scholerium, civeis Antuerpianos, forte extra urbem repertos, cum literis ad Ordinum delegatos mittit; quibus de benevolentia ſua erga Belgii Ordines, de opera a ſe ſuiſque, tot aditis periculis, pro ipſorum ſalute navata, quaedam praefatus, poſtremo ſubjicit, ſe indignis adeo modis habitum, ex eoque exacerbatum, ut id hodiernae ſeditioni occaſionem praebuerit, non ſine ingenti animi ſui dolore ac poenitentia. Cum vero in eadem propenſa erga Belgas voluntate perſeveret, ſe haec ipſis voluiſſe ſignificare, ut certior reddatur, quid de ſua celſitudine ſtatuerint: id ſe ſcire cupere, antequam, quae animo propoſuit, exequatur: quod ut per Lantmeterum et Scholerium reſcribant, rogat. Petit inſuper, ut Wolradus Mansfeldius, is duci cum aliquot equitum Germanorum vexillis militabat, ad ſe mittatur, cum ſupellectile ſua, et procerum qui in ſuo comitatu ſunt; praeterea chartis et ſcriniis [d] Quinzaei, qui ipſi a ſecretis epiſtolis erat; et aulico omni famulitio, et Conſtantienſi epiſcopo. Ad haec nihil a ſenatu reſponſum; ſed res ad Ordinum proceres et Arauſionenſem remittitur. Hujus humanitati ac prudentiae debetur, quod in captivos, poſt primum calorem certaminis, a furente plebe ulterius ſaevitum non ſit; quamvis non deeſſent, qui proprio periculo eum terrerent, et non ſolum urbem, ſed ipſum, ea conjuratione peti affirmarent. Sed vir inſita animi magnitudine, ſupra omnem privatae injuriae ſenſum poſitus, vere ſe parem moderandis ferocium populorum ingeniis oſtendit, qui in tam juſto dolore ſibi ipſi moderari potuit: nam et ſenatui et delegatis, dum deliberant, mox auctor fuit, ut commeatum in caſtra mitterent: quod tamen non niſi quarto poſt die factum. Interea dux inopia preſſus [e] Bernardinum coenobium verſus iter inſtiterat; inde, [f] Scaldi tranſmiſſo, [g] Teneramundam petiturus; ſed, Antuerpia miſſis praeſidiariis navibus, tranſitu prohibitus eſt; et, miſſo Norriſio cum XXIII Anglorum et Scotorum ſignis, [h] Vaſia occupata, et, laxatis cataractis, magna Teneramundani territorii pars aquis merſa. Unde ad extremas anguſtias redactus exercitus; et equitatus Mansfeldianus a duce ad Parmenſem defecit. Tandem, neceſſitate urgente, [i] Nethae flumen juxta [k] Duflam ſuperavit; et ultra [l] Dilam exercitus [m] Rimenantum verſus iter habuit, inde per Wilvordam Teneramundam perrecturus: ſed rurſus Mechlinienſes in totum illum tractum aquas effuderant. Itaque vix tandem, ſummo cum diſcrimine, dux, multis ex ſuis ſubmerſis, per incerta vada in tutum evaſit. Dum Duflae eſſet, tertio poſt tumultum die ad Olivarium [n] Templeum Bruxellarum praefectum dat literas; quibus de gravibus injuriis ſibi nuper illatis, et

INTERPR. [a] *de Coſſé, evêque de Coutances.* [b] *de Bercheim.* [c] *Landmeter, & Scholiers.* [d] *Quinſé.* [e] *Cloiſtre ou monaſtere de St Bernard.* [f] *l'Eſcault.* [g] *Dendermonde.* [h] *Pays de Waes.* [i] *la Nete r.* [k] *Duffele.* [l] *la Dile.* [m] *Rimenant.* [n] *de Tempel.*

et quae turbis Antuerpiae nuper magno ſuo cum dolore exortis cauſam dediſſent, querebatur: neque tamen primam ſuam in has provincias voluntatem mutatam teſtabatur; hortabaturque, ut in fide ſacramento confirmata perſeveraret, commeatum cum navigiis aliquot ſummitteret, perſuaderetque ſibi nullam in promiſſa ſolutione difficultatem fore: rationem autem tam acris injuriae ſenſus in tempore amplius declaraturum ſe dicebat. Ex quibus literis et ſimilibus ad alios ſcriptis, et ad ſe miſſis, Antuerpiani, cum intelligerent tumultus culpam ſibi imputari, ſcriptum publicant; quo ſe ſuo officio, ſicut bonos ac fidos ſubditos decebat, defunctos oſtendebant; in collationibus pecuniarum non ſolum pro rata parte, ſed multo ampliora, dependiſſe; paulo ante hunc hoſtilem conatum plus quam LXX CIↃ florenorum adnumerata fuiſſe: ea vero non veteribus ſtipendiariis, ſed tironibus, ad invadendam urbem, a pravis circa principem ſuum conſiliariis data. Quod autem facti invidia in ſe rejiciatur, id non jure fieri: nam contrarium liquido apparere ex eo, quod eodem die idem [a] Brugis, Teneramundae, Aloſti, Diſmundae, Neoporti, Oſtendae, Wilvordae, tentatum ſit: ac gratias Deo merito agendas, quod non praecipuis locis conatus ſucceſſerit; quem et nunc toto pectore orent, meliorem mentem duci det, ut provincias ſuae fidei commiſſas, ad aequitatis et juſtitiae normam, ſicuti ſolemni juramento pollicitus eſt, non pro animi libidine, adminiſtret.

XII. INDE capta occaſione, foederati, qui alias Male-contenti initio dicti fuerant, et ab Ordinum partibus ante quadriennium diſceſſerant, [b] Hallam, haud procul a Bruxellis, veniunt; et nomine ſociorum Robertus [c] Melodunius Riſborgii marchio, Emmanuel [d] Lalanius Montinius, et Maximilianus [e] Halvinius Raſſingemius, ad Ordinum proceres, qui Antuerpiae erant, dant literas XI Kal. Febr. quae tantum decimo tertio poſt die ad eos allatae ſunt. Alias et eodem exemplo fere Bruxellas ac [f] Mechliniam mittunt. Iis civitates hortabantur, ſe reſpicerent, nec diutius in erroris tenebris, quibus tamdiu occaecatae fuerant, verſarentur: tumultum Antuerpienſem ſatis ipſis fidem facere, quid animi ſit iis, quos, praetextu libertatis tuendae, auxilio advocaverint: jam tandem ad ſe redeant, et rationes concordiae ineant; quibus et idonee ipſis caveatur, et pax firma in Belgio conſtituatur. Ad eam rem ſe, pro charitate erga patriam, fide in regem, amore in omneis, ultro operam ſuam deferre; neque Parmenſem officio defuturum, qui regis nomine paratus ſit idonee univerſis cavere: proinde, veteribus ſimultatum, ſuſpicionum, et odiorum, nubeculis ex animis deletis, delegatos quamprimum mittant; neque tam commodam, et veluti a Deo oblatam, reconciliationis cum rege occaſionem ſibi pervicaci pertinacia e manibus eripi patiantur. Dederat et [g] Leodico in eandem ſententiam literas marchio Bergenſis, delegatos inprimis mitti cupiens: ſed neque ad has aut illas ab Ordinibus quidquam reſponſum fuit. Plus ponderis habuere Parmenſis literae eodem tempore ad Gandenſeis ſcriptae; quibus permoti quidam, qui ſemper antea partibus Gallicis adverſati fuerant, ante quam animum renudarent, pervicerunt, ut quatuor, quae vocant, Flandriae membra, delegatis ſuis, qui Antuerpiae erant, mandarent, ne adſentirentur, ut cum duce ulla ratione ageretur, niſi prius reſtitutis, quae Galli contra fidem datam occupaverant, provinciarum oppidis: quod non mediocriter concordiae ſarciendae rationes turbavit ac retardavit.
Animadverſumque

INTERPR. [a] *Bruges, Dendermonde, Aloſt, Dixmuyden, Nieuport, Oſtende, & Wilvoorden.* [b] *Halle.* [c] *de Melun, marquis de Richebourg.* [d] *de Lalain, Sieur de Montigny.* [e] *de Hallwin, Sieur de Raſſingem.* [f] *Malines.* [g] *Liege.*

CIƆ IƆ LXXXIII. HENRICUS III.

Animadverſumque fuit, non ſolum priſcis temporibus, ſed his ultimis bellis, ex quo Gandenſes per turbas libertatem a Carolo V olim ſublatam et robur priſtinum reciperarunt, nullos toto Belgio rerum novarum cupidiores, nullos violentius mutaſſe, et in utraque fortuna ad rerum inclinationem majora momenta attuliſſe. Nec inter haec ducis cum Ordinibus diſſidia a bello ceſſabat Parmenſis; qui mox, Carolo Mansfeldio cum copiis miſſo, Eindoviam oppidum, quod aliquot Gallorum et Scotorum cohortibus tenebatur, corona cingit; et, omni auxiliorum ſpe obſeſſis adempta, ad extremas anguſtias redegit.

XIII. Apud nos, nuncio de caſu Antuerpienſi et ſtrage Gallorum accepto, non ſolum in aula, ſed toto regno, animi maxime commoti ac varie affecti ſunt; cum alii injuriam tantum animo reputarent, et Belgas, qui in Galliis erant, male verbis, ac paene facto, acciperent: alii ob injuriam quidem indignabantur, ſed ignominiam inde in nomen Gallorum redundaturam magis extimeſcebant: alii denique injuriam et ignominiam ſentiebant, ſed in divinam providentiam profundius intuentes juſto Dei judicio id tribuebant; cui perperam dominantium vindicta, et ſalus bonorum, aeque curae eſſet. Rex, qui Guiſianos caſu in occulto laetari ſciret, ſive Andini ipſorum familiae infeſti odio, ſive quod Hiſpanis jam tum faverent, et, ſenſim Gallici nominis dignitate in dies apud exteros vileſcente, metueret, ne novis intra et extra regnum motibus ex ea occaſione porta aperiretur, rem minime negligendam [α] ſtatuit. Itaque ſtatim inſtigatu parentis Franciſcum [a] Pontium Mirambellum, cujus filius in ſtrage deſideratus fuerat, Proteſtantium religioni addictum, eoque gratioſiorem futurum, ad Ordines et Arauſionenſem mittit; eique Matthaeum Brulartum ab epiſtolis adjungit: quibus Antuerpiam profectis ſenatus datus eſt VII Eid. Febr. Ibi cum multa de egregia regis erga ipſos voluntate, et ingenti, quem ex tumultu inopinato accepiſſet, dolore, praemiſiſſet Mirambellus, eo ſe ſumma feſtinatione miſſum dixit, ut regis nomine eos rogaret, malo curando lenia remedia adhibeant; neque unius errati cauſa ducem fratrem, qui vitam et facultates ſuas tam propenſo animo pro ipſorum ſalute antea expoſuerit, deſerendum cenſeant. Scire culpam non ab optima ejus indole, ſed a praecipiti conſilio et inconſulta ira, profectam: ejus ſepeliendam quamprimum memoriam, rationeſque reconciliationis ineundas, quibus divulſa hoc caſu concordia ſervetur: alioqui fore, ut hoſtis hinc anſam arripiat, ſingulos et diviſos, quos conjunctos nequaquam poſſit, opprimendi. In id regem opes ſuas deferre, contra quoſcunque hoſteis provincias ſibi foederatas tueri, nulliſque ſumptibus, quo eae priſtinam quietem, ſalvis libertatibus privilegiis et immunitatibus, reciperent, parcere certum. Gratiae Mirambello ab Ordinibus actae; palamque teſtati minime ſe recuſare, quo minus rex partes ſuas interponeret; inde de republica capita conferre coeperunt.

XIV. Et inprimis Arauſionenſis ſententiam dicere rogatus, eam ſcripto, ſicuti antea ſemper conſueverat, complexus eſt; principio a querela et expoſtulatione facto, quod malevolorum hominum ſermonibus proſcinderetur, quaſi motibus inter

VAR. LECT. [α] ſtatuit. Ad rei famam Henricus Lotaringus Guiſius, ut ſuſpiciones antiquas ac recentes purgaret, ultro ſe ad auxilia Andino ferenda obtulerat, ſuamque promptam voluntatem reginae parenti probaverat; quae de filii ſalute ſolicita, ut conditio acciperetur, apud regem inſtabat. Haec, praeſente Diana Engoliſmenſi regis ſorore, Fr. Momorantii vidua, virilis animi foemina, dicebantur: ad quam converſus rex, ecquid conditio accipienda videretur, rogavit. Illa vero, nihil cunctata, ſtatim reſpondit; ſi Guiſium ad Andinum mitteret, perinde facturum, ac ſi pro auxiliatore percuſſorem aut carnificem, ad fratrem de medio tollendum, mitteret: vulſaque aure, ut Salſedae confeſſionis meminiſſet, monuit. Quo libertatis acerbae reſponſo perculſus rex conditionem rejecit, et Guiſii conſilia in poſterum magis ſuſpecta habuit. Itaque ſtatim *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Pons de Mirembeau.*

inter ducem et Ordines exortis cauſam praebuerit. Scire ipſos quam mature, poſt complures deliberationes, et expenſas temporum et inſtantis belli neceſſitates, decretum fuerit, ut cum Andino conveniretur. Poſtea miſſos in Galliam delegatos, qui Burdigalam eum uſque proſecuti, poſtremo cum eo confectis tabulis pacti ſunt. Ex eo quae ſecuta ſint commoda neminem latere: nam cum Parmenſis duos potentiſſimos exercitus conſcripſiſſet, alterum in Cameraci obſidione paene ad nihilum redactum; alterum aeſtate inſequenti inſtructum, nulla re memorabili geſta, itidem diſſipatum fuiſſe. Praeterea [a] Lochemum nuper Gallorum ope ſervatum; eoque ſervato, Geldriam in fide Ordinum manſiſſe. Dum autem dux bellum gereret, duos filios regi Hiſpanorum mortuos, ac multa adverſa accidiſſe; quae et Hiſpanorum feroces animos non parum labefactarunt, et contra, Belgas in ſpem ſecundarum rerum erexerunt. Ducis praeterea auctoritate et opera factum, ut nomen et inſignia Hiſpanica omnino in Belgio abolita et extincta ſint: quod tractu temporis quantum momentum ad religionem et res in provinciis conſtituendas habere poſſit, prudentiſſimum quemque ſatis perſpicere. Praeterea omnibus conſtare, eccleſias Gallicanas, quarum cauſam ſecum communem ipſi exiſtimare debeant, ei pacem et quietem, qua nunc in regno fruuntur, debere. Quae tamen minime eo dicat, ut, quod nuper Antuerpiae accidit, ullo modo excuſare velit: quinimo ſic cenſere, eam fuiſſe et conſilii perverſitatem ac violentiam, ut dux ob tentatum facinus jure omni, quod Burdigalenſi foedere quaeſierit, prorſus exciderit. Sed, cum de republica praeſens ſit conſultatio, et tres conditiones omnino proponantur, ut aut cum Hiſpanis reconcilientur, aut cum duce novas concordiae rationes ineant, aut denique opibus ac viribus propriis ſtrenue rem gerant; de ſingulis ordine diſpiciendum eſſe, quae in rem communem conducibilior videatur. Quod ad primum caput, cum Philippo reconciliationem omnino abſurdam et intempeſtivam videri, nomine et inſignibus Hiſpaniae ſemel extinctis. Nec magis ad propoſitum eſſe, quod foederatorum interventu id commode fieri poſſe dicatur: nam meminiſſe ipſos debere, eadem ratione tempore pacificationis Colonienſis multos ſolicitatos nuper ab Ordinibus defeciſſe. Idque ad religionis, quam plerique profiteantur, exſtirpationem, et provinciarum ac bonorum omnium perniciem, pertinere: nam quem exitum ejus reconciliationis fuiſſe, niſi ut exteri, pro quibus Belgio expellendis tantopere et tanto conſenſu cuncti pugnaverant, rurſus in provincias introducerentur? Nec meliora a [b] Gallobelgis, quam a Gallis aut Hiſpanis ipſis, expectari poſſe; quorum ea ſit impotens ambitio, ea iniquitas, ut, cunctis muneribus publicis ad ſe contractis, cum plena poteſtate nuper rerum potirentur, propterea minime quieſcere potuerint. Et vero metum ſubeſſe, ſi Hiſpanis, aut foederatis Hiſpanorum emiſſariis, aureis praebeant, ne dux jure ſuccenſeat; ſi, dum pro ſalute publica laborat, cum communi et ipſius et provinciarum hoſte agi intelligat: nam ſic fore, ut cauſam ſuam et Angliae reginae ac ceteris foederatis principibus approbare, ipſoſque cunctis inviſos eo nomine reddere queat. Non ignorare ſe, multos, Gallorum odio, in occulto Hiſpanis partibus faventeis, multa in medium afferre, ac inprimis negotiationis commoditatem, quo reconciliationem cum Philippo promoveant. Nec ſpecioſum deſideriis ſuis praetextum deeſſe; nempe, Hiſpanis, longe a Belgio diſſitis, Belgium non tam facile opprimi, quam a Gallis vicinioribus, poſſe. Quod fortaſſe admitti poſſit, ſi eadem omnium voluntas et ſtudiorum conſenſio eſſet: ſed, cum longe aliter res habeat, aliter de ea exiſtimandum eſſe. Nam certiſſimum eſſe, ſi Galli viciniores quid

INTERPR. [a] *Lochem.* [b] *Wallons.*

CIƆ IƆ LXXXIII. quid contra pacta moliantur, nullos fautores, cunctos adverſarios, habituros. HENRICUS III. Hiſpanos, contra, multos jam a longo tempore paſſim toto Belgio obſtrictos habere; quorum ope populareis ſuos opprimere, religionis libertatem adimere, ejuſque loco formidabilem omnibus bonis inquiſitionem rurſus introducere, nullo negotio, etiam ſine praeſidiis, poſſint: ac merito propterea dici poſſe, Hiſpanos, ita in viſceribus Belgii haerenteis, et in meditullio provinciarum poſitos, ac provincialibus communione conſiliorum permiſtos, Gallis longe viciniores eſſe. His de cauſis minime conſultum videri, ut cum Hiſpanis agatur, aut a foederatis literae accipiantur: ſi ſecus fiat, ſubito exules, fugitivos, fidei fluxae homineis, cultus divini ac patriae hoſteis infeſtiſſimos, huc confluxuros, omnique aſtu, machinis, ac dolis enixuros, ut diſcordiarum ſemina inter civitates ſpargant; quibus turbata quiete, et ſeparatis bene convenientium conſiliis, miſeros provincialeis, negato ad deliberandum aut ſibi proſpiciendum ſpatio, crudeliter invadant, ad dira quaeque perpetienda compellant, et poſtremo in ſervitutem morte pejorem abducant. Quod ad ducem attinet, eum et jure ſuo, ſicuti jam dixerit, excidiſſe, et, ſi quidem pravis conſiliis inſiſtat, metuendum eſſe, ne ſe et exercitum perditum eat, et porro majora illatis damna Belgio inferat: quippe cum ſuorum clade irritatus, et decoris jactura exaſperatus, extrema quaeque ex deſperatione tentaturus videatur. Multa in eam rem dici poſſe: ſapientis non eſſe bis ad eundem ſcopulum impingere: et, ut nihil periculi ſubſit, ſi cum duce rurſus paciſcantur, tamen ſuſpiciones inter duas nationes non ita cito purgari poſſe, ut ſincera et ſolida gratia inter eas, quod maxime optandum ſit, coire queat. Praeterea vero ſimile fieri, eos, qui circa ipſum ſunt, et pravorum conſiliorum ei auctores fuerunt, ſemper religionem oppugnaturos, et materiem odiorum adverſus Proteſtanteis ei aſſidue ſuggeſturos. Multos etiam ſic cenſere, nefas eſſe cum iis foederis ſocietatem inire, qui alterius aut diverſae ſunt religionis: at contra, ita ſe exiſtimare, niſi cum duce agant, proculdubio eſſe, eas, quas nunc in poteſtate habet, urbes, quaſque ſubſidio deſtitutas minime tueri poteſt, illum hoſti traditurum. At id quanto cum totius Belgii damno? Quid enim Bruxellis, Alosti, [a] Ipris, Meningae, Gandavo, Antuerpiae denique, iis amiſſis, fiet? quid, ſi hoſtis horum locorum potens agro circumpoſito late potiatur? quantis in periculis [b] Eindovia, quae jam nunc arcta obſidione premitur, quantis in anguſtiis [c] Dieſta, Hochſtrata, Mechlinia, imo totius Geldriae et Zutphaniae tractus, verſabitur? Ad haec perpendendum eſſe, ſi conditiones cum duce recuſent Ordines, non ſolum ipſum ducem, ſed regem Galliae, acerrimos hoſteis habituros. Atqui ex Galliis omnem commeatus, quo ſine exercitus conſiſtere non poſſunt, commoditatem et ſpem pendere. Adempto autem cum Hiſpanis et Gallis commercio, quid ſpei Belgis ſupereſſe? Neque vero ſatis ipſis aequam futuram Anglorum reginam: nam, ut quod Antuerpiae actum ſit minime probet, imo ſummopere deteſtetur, cui dubium relinqui, cum intelliget per Ordines ſtare, quo minus concordiae inſtaurandae ratio ineatur, quin graviſſime ferat, communi hoſti ad has provincias invadendas interim per intempeſtivas diſſenſiones aditum patefieri? Quas ad anguſtias non ſolum civitates ſingulae, ſed univerſi Ordines, redacti ſint, neminem non videre; et, quod maxime dolendum eſt, etiam hoſteis ſcire. Undique nuncios afferri, collationes recuſari; et tamen commune omnium votum eſſe, ut urbes, quae in ducis poteſtate ſunt, quamprimum reciperentur. At quas in eam rem opeis, quas vireis, e ſuo ſuppetere? Igitur eo res devenisse,

INTERPR. [a] *Ypres, Menin, Gand, & Anvers.* [b] *Eindhoven.* [c] *Dieſt, Hooghſtraten, & Malines.*

deveniſſe, ut, niſi cum bona ducis gratia, id inpraeſentiarum obtineri nequeat: proinde cum eo amice tranſigendum videri. Quod quidam dicant, cum eo ob religionis diſſidium tranſigi non poſſe, theologi, non ſuas partes eſſe, de hac quaeſtione pronunciare: ceterum ſcire, cunctas fere orbis Chriſtiani eccleſias minime eo ſcrupulo teneri. Gallicanas eccleſias, quantumvis procerum Gallorum et principum Germanorum opibus fretas, nihilominus cum rege ſaepius pepigiſſe. Helvetiorum civitatem, quamvis praecipui ejus pagi religione diſſideant, cum eodem rege nuper foedus renovaſſe. Quin et Genevenſeis eodem tempore novum cum ipſo foedus ad ſui tutelam iciſſe, et proxima aeſtate praeſentem potentiſſimi regis opem magno ſuo bono ſenſiſſe. Anglos cum Belgio, cum nulla alia quam Romana religio in eo locum haberet, foedus utriſque utile ſervaſſe: ſimiliter Anglos Danoſque mutuam amicitiam colere. Scotos vero cum Gallis antiquum foedus, ante IↃ CCC annos, magno utriuſque regni bono et honeſtamento, contractum, ſumma fide, quanquam mutata interea religione, etiam nunc retinere. Has provincias cum Imperio, et Imperium cum his provinciis, in mutuo foedere perſeverare. Imperii principes et ordines alterius religionis imperatorem ſibi delegiſſe. Eccleſias Proteſtantium in Polonia in regem a ſua religione alienum nuper conſenſiſſe. Et, ſi vetera repetantur, [a] Valdenſium olim cum rege Bohemiae, et vallis Angruniae accolas non ita pridem cum Sabaudiae duce, tranſegiſſe. Itaque nec ſe poſſe damnare eorum conſilia, qui tot exemplis confirmati cum principibus diverſae religionis paciſcuntur. Haec mature ut apud ſe perpendant, orare: nam providere ſe, diverſas provinciarum fore ſententias; et, ſi quidem cum duce conveniatur, quaſdam civitates proculdubio ab aliis diſſenſuras ac diſceſſuras: ſi non conveniatur, nonnullas ſibi privatim proſpecturas, ne ab aliis deſerantur; et parti, cui maxime fident, et quam commodius nanciſci poterunt, ſe adjuncturas. Quod ſi neque cum Hiſpanis, neque cum Gallis, tranſigi tutum videatur, ſupereſſe, ut ſe propriis viribus ac opibus tueantur; quam ad rem multis rebus opus eſſe, quorum magna inter ipſos ſit penuria: nam ex indigenis, raros militiae praefectos ac tribunos belli vim reliquos feciſſe; multos ab Ordinibus ad Hiſpanos defeciſſe. Igitur extraneum militem magno conſcribendum; qui tamen, tam male hactenus acceptus, vix, ac magno negotio, retineri poterit. Sed inprimis pecunia opus eſſe, unico belli et rerum agendarum nervo; ſine qua nec diſciplina inter milites ſervari, et ſine ſeditione bellum geri non poteſt. Qui vero ſummae rerum praeſint, unum aut plureis viros primarios deligendos eſſe, cum plena poteſtate; quorum fidei ceteri, qui interim in opere ſuo occupabuntur, ſe ſalutemque ſuam committant, neque ſe negotiis publicis aut rebus bellicis immiſceant. De quibus ſi concorditer et enixa ac conſtanti parendi voluntate conveniat, et milites ac belli duces adſint, et pecunia ad alendum exercitum neceſſaria in tempore ſuppeditetur, tertiam viam ſibi eligendam videri; quam et ab initio propoſuerit, et ſuaſerit: et, ſi quidem ante quadriennium ea iniri potuiſſet, Joannem Auſtrium Belgii ingreſſu prohiberi potuiſſe. Sed cum ob exorta diſſidia Ordinum proceres nequaquam ſibi vireis ad reſiſtendum eſſe ſignificarent, captum tandem ex neceſſitate conſilium de principe externo aſciſcendo; reque tandem multoties agitata ac mature deliberata, in Andinum omneis conſenſiſſe. Nunc videndum eſſe, an priora conſilia repeti debeant, et quae tunc deerant, et quorum ob penuriam externas opes implorari placuit, aliunde nunc ſuppleri valeant. Neque vero ſe de praeſenti Dei patrocinio, qui

INTERPR. [a] *Vaudois.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III. qui bonam cauſam nunquam deſerturus ſit, deſperare; eorumque pium et religioſum propoſitum, qui omnem in eo ſpem reponant, non laudare: ſed enim ſic exiſtimare, rem arduam ac periculoſam ſuſcipere, non inita ratione facultatum, aut eas, praevalente avaritia aut intempeſtiva parſimonia, ſupprimere et omittere; id neutiquam eſſe Deo fidere, ſed per ea Dei patientiam proculdubio tentari: contra vero, occaſionibus ac facultatibus a Deo optimo maximo oblatis uti, eundemque, ut incepta proſperet, orare; id demum eſſe in Deo ſpem ac fiduciam collocare. Nunc quid ex iis maxime probent, et ſibi ſequendum exiſtiment, decernere, arbitrii eorum eſſe. Orare interim, ut, quae propoſuerit, aequi bonique conſulant: ac inprimis Antuerpianos obſecrare, ne conſilia ſua a ceteris civitatibus ſeparent, nec privatae injuriae ſenſum adverſus publicam utilitatem praevalere patiantur. Quicquid ſtatuant, ſe, ſalva et integra religione, id ſequi paratum; ac porro in fide et obſequio Ordinum et civitatis Antuerpianae futurum. Venerat a rege, poſt Mirambellum, [a] Pomponius Bellevreus; qui, re prius cum Arauſionenſi, ſicuti juſſus erat, communicata, gravem orationem in conſeſſu Ordinum habuit; qua promiſſa ingentia afferebat, ſed minis, ni cum duce convenirent, additis: ita enim convenerat, ut convenientia cum Arauſionenſis ſententia diceret.

XV. VENERUNT et a duce legati Ordinibus comprimis grati; et inter eos Lavallus comes, adoleſcens inſigni probitate ac virtute; qui cum Elberto [b] Leonino [c] [1] Friſiae praeſide, et Adolfo [d] Metkerckio, et aliis delegatis, agere juſſi ſunt. Sic autem utrinque affecti et animati erant, ut dux ſuos, qui Antuerpiae captivi attinebantur, libertati ante omnia reſtitui cuperet. Cum vero a commeatus penuria et re nummaria maxime laboraret, et locis, quae occupabat, ad ea defendenda res fere neceſſarias deeſſe cerneret, aequis conditionibus cum Ordinibus tranſigere quamprimum exoptabat. Viciſſim Ordines, qui in vicinis Anglis et Germanis parum praeſidii viderent, proprias autem vireis debiliores ſentirent, quam ut ſe ſuoſque graviſſimis belli difficultatibus explicare poſſent; ad haec ſuas urbes accipere averent, metuerentque, quod monuerat Arauſionenſis, ne, ſi ducis conditiones recuſarent, eae in manus Parmenſis traderentur, in eandem ſententiam ex neceſſitate pertracti ſunt. His accedebat, quod ſperarent ducis exercitum, ſi cum eo convenirent, Eindoviae obſidionem ſoluturum. Itaque tandem de conditionibus agi coeptum; quarum haec praecipua initio fuit, ut dux cum idoneo praeſidiariorum numero Bruxellas aut Mechliniam veniret; interim vulnus adhuc crudum recenſque ſaneſceret, animique commoti tractu temporis componerentur. Mox fiduciario contractu hae leges perſcriptae: ut dux Dunkerkam, cum CCCC peditibus et CCC equitibus, ad tempus concedat; quo ad eum venturi ſint Ordinum legati: omnes Belgae, eorumque bona in Gallia et Dunkerkae retenta, ſolvantur ac reſtituantur: his pactis dux ſubſcribat, et, dum legati advenient, Wilvordam Ordinibus reddat. Exercitum item II CIↃ IↃ Helvetiorum et III CIↃ Gallorum, cum reliquo equitatu, Willebrocam verſus mittat; ubi eis Ordinum nomine XC florenorum CIↃ, ducis arbitrio diſtribuenda, numerabuntur. Ipſe fidem interponat, et milites jurejurando ſe obſtringant, Ordinibus fideliter militaturos, neque quidquam contra provincias molituros. Addicti et ſacramento Scoti Anglique, ut [e] Vaſiana regione relicta [f] Rupelmundam veniant,

INTERPR. [a] *Pompone de Bellievre.* [b] *le docteur Leoninus.* [c] *le preſident de Friſe.* [d] *de Meetkercke.* [e] *Pays de Waes.* [f] *Rupelmonde.*

NOT. [1] *Lege* Gueldriae cancellario, Friſiae praeſide, et Adolfo Metkerckio Flandriae quoque praeſide, *Ce ſont trois perſonnes. Put.*

veniant, et [a] Scaldi trajecto, conjunctis cum Gallis copiis, ad [b] Eindoviam obſidione liberandam feſtinent. Interea ad ducem obſides venirent Philippus [c] Schonovius conſul Antuerpianus, Joannes [d] Stralenus urbis ammannus, et Rogerius [e] Lefdalius ſenator: pro civitate Brugenſi, [f] Natalis Caronius conſul Franconatus; inſuper tres delegati, [g] Metkerckius Flandriae praeſes, Henricus [h] Bloierus Bruxellarum conſul, et Willelmus [i] Everardus Antuerpiae ſyndicus: qui ſimul ubi ſe in ducis manus tradiderint, praeſidiarii Galli Teneramunda excedant. Viciſſim Ordines omneis Gallos captivos, ſuae celſitudinis miniſtros aulicos, dimittant; ciſtas, ſcrinia, literas, ac omnia bona mobilia, ſicuti ea VI Eid. Mart. invenientur, bona fide reddant: quibus peractis, dux Diſmundam Ordinibus reſtituat. Captivi praecipui fuere [k] Conſtantienſis epiſcopus, [l] Fervacius, Stampenſis Firmitimbaldus, Philippus Angeneus Fargiſius, Bertrandus Petrobufferius Geniſſacus, Calvimontius, Hugo Lavernius, Ligneriſius, [1] Belſius, Riuſius, Torſacus, Remigianus, Seſſevallius, alii. Additum, ut, his actis, dux praeſidiariis, qui [m] Winoci-bergae haerebant, enixe mandaret, ut quamprimum loco relicto in caſtra diſcederent; ac, clauſulae extremae loco, ut, offenſionibus utrinque condonatis, foedus Burdigalenſe, ante biennium IX Kal. Febr. initum, ſervaretur. Haec fiduciaria pacificatio Teneramundae ſubſignata fuit XV Kal. Apríleis, et IV Non. April. poſtea Antuerpiae promulgata. Continuo dux Dunkerkam venit; ſed, ſerius advenientibus delegatis, multa incommode utriſque acciderunt: nam, cum eo tardius Gallorum, Anglorum, et Scotorum copiae, undique convocatae, in Brabantiam conveniſſent, Bironus, qui univerſis copiis praeerat, [n] Wierſelam arcem obſederat; ubi [o] Garda tribunus rei tormentariae praefectus, multis egregie factis, antea de Ordinibus et Arauſionenſi optime meritus, diſrupti tormenti aenei ictu interiit; veris lachrimis cunctorum defletus, et perhonorifice Antuerpiae ſepultus.

XVI. INTEREA Eindovia ad extremas anguſtias redacta erat, a Carolo Manſfeldio foſſis ac munitionibus undique tam arcte circumdata, ut nullus ad eam intrandi aut propius accedendi aditus pateret. In ea erant [p] Bonivetus, Allenius, et Foquerollius, cum aliquot Gallicis et Scoticis cohortibus: qui, cum [2] nullum egregiae virtutis, nullum non extremae patientiae ſpecimen dediſſent, poſtquam feles, canes, equos, conſumpto omni commeatu, comediſſent; tandem, poſt trimeſtrem obſidionem, cum Mansfeldio pacti ſunt, et, aſportatis armis ac ſarcinis, oppidum hoſti dediderunt IX Kal. Maias. Loco potitus Parmenſis mox munitiones dirui imperat. Bironus, Wierſela capta, Roſendalam venerat; unde [q] Wouam arcem optime munitam, non procul a [r] Bergis ad Somam, ditioni marchionis Bergenſis ſubjectam, quam CL Itali cum ruſticorum cohorte tuebantur, tendit. Tormentis admotis, cum poſt CIↃ IↃ amplius ictuum diſploſionem exigua admodum murorum ſtrages edita fuiſſet, tamen praeſidiarii metu perculſi, vitam pacti, et, ut cum gladio et pugione exire poſſent, libertate facta, locum dedidere VI Eid. Maias. Diverſa parte, Mansfeldius, Eindovia capta, dum

Bironus

INTERPR. [a] *l'Eſcault.* [b] *Eindhoven.* [c] *de Schoonhoven, bourgmaiſtre d'Anvers.* [d] *de Stralen, amptman de la ville.* [e] *de Leefdale, eſchevin.* [f] *Noel de Caron, conſul du Franconat,* al. *de Vrye.* [g] *de Meetkercke.* [h] *de Bloyer, bourgmaiſtre de Bruxelles.* [i] *Everaerts, penſionaire d'Anvers.* [k] *de Coutances.* [l] *de Fervacques, d'Eſtampes Sieur de la Ferté-Imbaud, d'Angennes Sieur du Fargis, de Pierrebuffiere de Geniſſac, de Chaumont, Hugues de Lavergne, de Ligneris, de Beaupré, de Rieux, de Tourſac, le baron de St Remy, & le Sieur de Seſſeval.* [m] *Winox-berg.* [n] *Wierſel.* [o] *de la Garde.* [p] *de Bonnivet, d'Allens, & de Fouquerolles.* [q] *le chateau de Wouwe.* [r] *Bergen-op-zoom.*

NOT. [1] *Lege* Bellopratus. Il n'y a point de famille du nom de *Belſius*: ce nom eſt corrompu: faut mettre *Bellopratus,* (Beaupré) qui eſtoit un de ceux qui avoient ſuivi Monſieur. *Put.* [2] *Mallem* ingens.

CIƆ IƆ LXXXIII. HENRICUS III.

Bironus Wouam obſideret, [a] Tornohutum, Hochſtratam, Lenohutum, et Wierſelam recipit. Inde Dieſtam ducit; quae nullo noſtrorum praeſidio, tantum Belgarum IV cohortibus, Anglorum II, quae vix CCC bellatores efficiebant, tenebatur. Urbi vaſtae, nullis fere munimentis firmatae, ob debilitatem uno eodemque anno pluries captae et receptae, Paulus [b] Doekerus praeerat; quem oppidani, direptionem metuentes, adveniente Mansfeldio, ad deditionem faciendam compulerunt: nihilominus ipſe ob id poſtea accuſatus, et in carcerem conjectus eſt. In milites etiam rarum in bellis civilibus editum ſeveritatis exemplum: nam omnes, exceptis Anglis, magna cum infamia, tanquam militia indigni, armis ademptis exauctorati ſunt. Poſtea publicato libello Doekerus ſe purgavit; et loci debilitatem, civium diffidentiam, ac potentiorum malevolentiam, cauſatus, utcunque factum excuſavit. Mansfeldius dein, ruſticis deducentibus, ad arcem [c] Weſterloam, loco valde munito in Brabantiae planitie ad [d] Netham flumen ſitam, caſtra admovet; monſtratoque loco in quem ex foſſa aqua derivari poterat, foditur locus in valle ſubjecta; derivataque aqua, et facta pulſatione, [e] Vlietius loco praefectus, cui praeter ſpem accidiſſet, ut pede ſicco ad arcem miles accedere poſſet, locum dedidit Nonis Junii; ob id et ipſe Antuerpiae ignominioſe carceri mancipatus: ex quo tamen, adprobata ſua innocentia, et decoris laeſi ſatisfactione accepta, dimiſſus eſt. Interea Bironus ad Roſendalam caſtris munitis ſe continebat; quae Parmenſis, cognito parum bene inter milites diverſae nationis, et praecipue inter Gallos et Anglos, convenire, aggredi ſtatuit. Nec conatus omnino ſucceſſu caruit: nam Angli, qui contemptu ſive diffidentia longius a loco aſſignato diverterant, caeſi ſunt: ipſe Bironus, dum auxilio ſuis advenit, in pede ictu ſcloppeti leviter perſtrictus eſt. Parvo conatus hic damno noſtris conſtitit; periculoque virtutis noſtrorum facto, Parmenſis, qui rem ſibi eſſe cum veterano duce videret, inde diſcedit; et Herentalam menſe inſequenti obſidet, irrito ſucceſſu.

XVII. Ita peſſum euntibus Ordinum rebus, cum, licet fiduciaria pace firmato foedere, multa invidioſa in nomen Gallicum jactarentur, et aſtu Hiſpanorum, qui facto in occulto laetabantur, facinus Antuerpiae patratum ultra modum convicioſis ſermonibus ubique exagitaretur, dux invidiae cedere, et in Galliam ſe conferre, ſtatuit; quo per ſuam abſentiam deſiderium ſui excitaret. Arauſionenſis ipſe, qui facti invidia onerabatur, quod Gallis ultra modum faveret, de relinquenda urbe, ac ſeceſſu in Zelandiam, cogitare coepit. Is, poſt pacem conventam Antuerpiae pridie Eidus Aprileis, Aloiſiam [f] Coliniam, Gaſparis [g] Caſtellionaei maris praefecti, et famoſi adeo partium in Gallia ducis, filiam, Caroli Telinii in tumultu Pariſienſi ante XI annos, cum ſocero interfecti viduam, patris virtutem olim admiratus, ſine alia dote, petita a rege venia, e Gallia evocatam in uxorem paulo ante duxerat: quod propenſi ejus ultra modum in Gallorum partes animi ſuſpicionem apud populos leveis et religione diſcordeis auxit. Exacerbatum et Hiſpanorum adverſus ipſum odium, ob reconciliationem Ordinum cum duce ab eo procuratam; ac maturatae propterea conjurationes. Jam ante menſe Martio Petrus [h] Dordognius captus fuerat Antuerpiae, qui ſe interficiendi Arauſionenſis cauſa ex Hiſpania veniſſe, atque de caede perpetranda cum rege ipſo egiſſe, et, cum Gravelingam pertranſiret, cum Valentino [i] Pardeo Mota loci praefecto egiſſe, confeſſus eſt. Is, natione Hiſpanus, initio ſe in Croatia natum aſſeruerat; et diverſarum linguarum peritia facile ea in re cuivis imponebat.

Igitur

INTERPR. [a] *Tournhout, Hooghſtraten, Lohenhout, & Wierſel.* [b] *le colonel Toecker.* [c] *Weſterloo.* [d] *la Nethe r.* [e] *Vliet.* [f] *de Coligny.* [g] *de Chaſtillon.* [h] *Dordoño.* [i] *de Pardieu, Sieur de la Motte,*

Igitur convictus, et, quod in direptione urbis ante octo annos cum Hiſpanis hoſtis declaratus fuiſſet, ad mortem damnatus, et in quatuor partes diſſectus eſt. Repetitae et ſaepius contra eum conjurationes, donec tandem anno inſequenti [a] Delfis interfectus eſt. Eodem tempore ſumptum ſupplicium de quodam, nomine Cornelio [b] Hogeo; homine vecordis audaciae, qui ſe Caroli V Caeſaris filium nothum, et [c] Hagae natum, profitebatur. Is per Jo. [d] Ratallerum Friſium in Hiſpaniam miſſum cum Philippo ad turbandas provincias egiſſe convictus; et CC talerorum millia ab eo ad conſcribendum militem pactus, libellos ſolicitandis civitatum animis Coloniae edendos curaverat. Tandem dux, ſive poenitentia ductus, ſive rumorum, qui aſtu Hiſpanorum et foederatorum de eo inter ſuos ſiniſtri ſpargebantur, pertaeſus, e Belgio diſceſſit; et, relicto Dunkerkae [e] Chamoſio cum IↃ peditibus, ipſe, cum reliquis copiis, ac comitatu aulico, et familia, claſſem conſcendit, et [f] Caletum appulit IV Kal. Quintil.

CIↃ IↃ LXXXIII.
HENRICUS III.

XVIII. Inde capta occaſione, foederati, qui occultis conſiliis [g] Neoportum intercipere deſtinaverant, converſo ſtatim itinere copias Dunkerkae admovent; et, portu inſeſſo, catenis, navium malis, repagulis, et aggere excitato, ingreſſum obſtruunt. Oppidum eſt in Flandrico litore, VI a Caleto, III a Gravelinga, milliaribus diſſitum, mercatu et piſcatu locuples; Lucemburgicae olim ditionis; dein ſucceſſionis jure ad regem Navarrae devolutum; et nihilominus anno hujus ſaeculi LVIII incendiis a Gallis deformatum; poſtea majore aedificiorum elegantia quam antea inſtauratum: de cetero, parum munitum; quippe, incumbentibus undique arenariis collibus, varii rivuli ſabulum ſecum trahentes locum circumfluunt, et portum navium majorum, quae recedente aeſtu plerunque in ſicco deſtituuntur, minime patientem efficiunt. Montinius et Mota nec opinato locum tam arcte cingunt, cum praecipui nautae, quibus fere robur oppidi conſtabat, abeſſent, ut praeſidiarii [h] Winoci-bergae, quod oppidulum haud amplius milliari inde abeſt, auxilio admitti non potuerint. Norant alioqui foederati tam male inter Ordines et Gallos convenire, ut nulla ſpes aliunde ſuppetiarum obſeſſis ſummittendarum eſſet. Quod Gandenſium praecipue facto accidit; quibus tunc praeerat Carolus [i] Croius Cimaci princeps, Araſchotani ducis filius; homo levis, et cujus ingenium a turbidis et ſui ſimilibus hominibus facile huc illuc impelli poſſet. Ii initio cum primi auctores fuiſſent Ordinibus, ut, renunciata Philippo obedientia, Andinus in principem aſciſceretur; tunc, nova religione leveis animos ſubeunte, ſcrupulo ſe teneri dicebant, quo minus ipſi, qui alienus a ſua religione eſſet, parerent, aut ejus auſpiciis ac copiis in Flandria res geri paterentur: quod aſtu eorum, qui in occulto Hiſpanis favebant, fiebat; qui, recuſatis Gallorum auxiliis, quae ſola Philippicis opponi poterant, providebant fore, ut, rebus Ordinum in extremas anguſtias adductis, Gandenſes tandem cum Parmenſi paciſci cogerentur. Et, quanquam nihilominus inſtarent Brugenſes, ut Bironus cum ſuis copiis Neoportum veniret, ut reliquam occidentalis Flandriae oram tueretur, in eamque rem panes ubique in commeatum coquerentur, aggeres etiam prope Neoportum foderentur; tamen, obfirmatis Gandenſibus, et a foedere ſe diſcedere paratos oſtendentibus, ſi Galli auxiliares intra Flandriam acciperentur, Arauſionenſis, perſpecta eorum pertinacia, majorem motum veritus, cedendum ſtatuit; et XX militum indigenarum cohortes Flandriae ad tuendam provinciam immittere pro tempore ſatis habuit. Sed, cum inter has contentiones multum

INTERPR. [a] *Delft.* [b] *Hooge.* [c] *la Haye.* [d] *Rattaller de Friſe.* [e] *le Sr de Chamois.* [f] *Calais.* [g] *Nieuport.* [h] *Winox-berg.* [i] *de Croy, prince de Chimay.*

CIƆ IƆ LXXXIII. HENRICUS III.

multum jam temporis periiſſet, ſeriuſque auxilia advenirent, Parmenſis, ſoluta [a] Herentalae obſidione, ad foederatos protinus advolat; et praeſentia ſua non ſolum ſuis, ſed etiam oppidanis erga Gallos male affectis, audaciam fecit; ita ut Chamoſius non minus ab iis, quam ab externo hoſte, ſibi metueret. Itaque ad extremum neceſſitate victus, cum nulla ulterius auxiliorum ſpes eſſet, cum Parmenſi de deditione tranſegit XVII Kal. Sextil. his conditionibus; ut ipſe cum ſuis, vita ſalva, gladiis tantum accinctis, urbe exiret. Capta Dunkerka, mox Neoportus deditione in Parmenſis poteſtatem venit; et inde aſſiduis per mare excurſionibus Ordinum civitates non mediocriter vexatae ſunt. Ad Winocibergam cum diu magna virtute noſtri reſtitiſſent, tandem, praeciſa omni auxiliorum ob diſſenſiones inteſtinas ſpe, et ipſi deditionem fecere; ſed honeſtioribus conditionibus, ac ſtipendiis antea meritis a Parmenſi perſolutis. His ſucceſſibus inflatus victor ad Oſtendam caſtra admovet, urbem ad mare ſitam in litore Flandrico, et portu opportunam; quam propterea Arauſionenſis, dum Dunkerka periclitaretur, milite et commeatu muniendam curaverat. Cum praeſidiarios ad defenſionem obfirmatos videret, vi tentata, et aliquot ſuorum amiſſis, re infecta diſcedit; et [b] Werna atque Diſmunda, in mediterraneo circumpoſitis oppidis, citra ſanguinem potitur. Quibus caſibus territi Brugenſes, [c] Meninam, quae Scotorum praeſidio tenebatur, deſerere conſultum rati, praeſidiarios urbi defendendae revocant; annitente Cimaci principe, qui, ut creditum fuit, cum Gandenſibus conſciis jam tum de transfugio ad Hiſpanorum partes cogitabat. Interim [d] Iprae, una ex IV Flandriae civitatibus, vallo et foſſa optime munita, Parmenſis juſſu arcte cingitur. In ea erant delecti praeſidiarii circiter IƆ, qui longam ac difficilem oppugnationem Philippicis fecerunt.

XIX. Labefactatis ubique Ordinum rebus, animi populis antea ferventibus tepeſcere, et cum fortuna favor, quo apud eos proceres valebant, ſenſim labare; ipſe Arauſionenſis ſuſpicionibus variis inter ſuos laborare. Itaque, cum eo tempore Antuerpiae in vaſta planitie, quae ante arcem jacebat, deſignandis aliquot privatorum aedificiis limites poſiti eſſent, fama ſparſa, quaſi ille aream illam Gallis occupandam dare decreviſſet, ad arma in urbe concurſum fuit; tanta plebis intemperie, recenti adhuc incendii ad mercatorum baſilicam fortuito excitati caſu, quem Gallis nulla veroſimili de cauſa imputabant, exaſperatae, ut quanquam, ubi in rem praeſentem venerunt, ex loci aſpectu famae vanitas cunctis appareret, tamen inconditae ubique voces ſeditioſorum exaudirentur, eum tanquam patriae deſertorem injurioſe laceſſentium. Quod ubi impune fieri vidit vir prudentiſſimus, ex eo pejora ominatus, cum fruſtra magiſtratum monuiſſet, ut effraenatam plebis, alioqui in ſuam perniciem brevi ruiturae, licentiam juris auctoritate compeſceret, urbe exceſſit XI Kal. Sextileis; et in Zelandiam, ſicuti apud animum ſuum jam conſtituerat, cum aulica omni familia contendit; dicta die proceribus Ordinum, qua de republica conſultaturi adeſſent. Antequam diſcederet, rationem magiſtratui praeſcripſit, qua ſe in urbis adminiſtratione dirigeret; et Philippum [e] Marnixium Santalgondanum, cujus fidei et prudentiae plurimum tribuebat, in proximum annum [f] conſulem deſignavit; praetoris, quem margravium vulgo vocant, etiam dignitate, quam ille recuſavit, delata. Ubi in Zelandiam appulit, omni ratione civitatibus per literas ac per nuncios perſuadere conatus eſt, interpoſita etiam procerum auctoritate, ut ad tuendam provinciam Bironus cum Gallorum et Helvetiorum copiis in Belgio maneret. Et Bruxellae, ac vicinae civitates,

INTERPR. [a] *Herentals.* [b] *Werne, & Dixmuyden.* [c] *Menin.* [d] *Ypres.* [e] *de Marnix, Sieur de Ste Aldegonde.* [f] *Bourgmaiſtre.*

civitates, magis hoſti vicinae, obſidionem metuentes aſſentiebantur: ſed pertinacia Gandenſium, ceteras odio Gallorum concitantium, nihil obtineri potuit; tandemque, decreto facto ut Galli diſcederent, Bironus cum exercitu in inſulam [a] Biervlietam tranſportatur; conſcenſiſque navibus, ad ducem, qui in limite juxta [b] Cameracum militem colligebat, exeunte Sextili venit. Diverſa parte, Parmenſis validis praeſidiis limitem ab ea parte muniebat, contra excurſiones, quae inde in [c] Hannoniam et Atrebates fiebant; necnon a Bruxellarum praeſidiariis, qui [d] Branam-comitis ſub id tempus ſpoliaverant, et alia Hannoniae oppida infeſtabant. Excurrebat et eodem tempore per Brabantiam Philippus Hohenlous: Herentalae item praeſidiarii [e] Werdam, ditionis Leodicenſis oppidum, diripuerant; et paulo ante a Bredae praeſidiariis [f] Steeberga ſcalis admotis capta ac [α] direpta fuerat.

VAR. LECT. [α] direpta crudeliter fuerat. *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *petite iſle nommée Biervliet.* [b] *Cambray.* [c] *Hainault, & Artois.* [d] *Braine le comte.* [e] *Weert.* [f] *Steenberghe.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

N*OVAE inſulae in India occidentali luſtratae.* II. *Apud nos rex in otio ſedens delegatos ad provincias mittit, qui de populorum querelis ad eos deferrent. Fiſcalia edicta, rege praeſente, in ſenatu promulgata. Flagellantium ſe Lutetiae ordines, et de iis ſtatuta confecta.* III. *Jouſae in Italiam profectio, et cum pontifice colloquium. Lud. Demontioſii elogium.* IV. *Conventus ad Germani-fanum, in quibus S. Romani Rotomagenſis feretrum et privilegium exagitatur.* V. *Remenſis ſynodus celebrata: item eodem tempore Caeſarodunenſis, ſive Turonenſis.* VI. *Alegrii et Vitelliani duellum. Anna Alegria Vido Lavallo comiti nubit.* VII. *Antoniae Borboniae Guiſianorum parentis, R. Biragi cancellarii cardinalis, Joannis Maldonati, Huberti Goltzii, Thomae Eraſti deceſſus.* VIII. *Suppetiae Gallis ad Tertiam tuendam relictis a rege Jouſae inſtigatu miſſae, duce Aemaro Caſto.* IX. *Philippus, adactis in Philippi filii ſacramento Luſitanis, et Alberto Auſtrio cardinali prorege impoſito, Madritum revertitur.* X. *Santacrucius ad Aſſoras cum claſſe miſſus, S. Michaelis inſulam appellit. Emmanuelis Silvae, qui Tertiam tenebat, faſtus, et prae ſe auxiliarium contemptus. Plagam tuebatur Caſtus; a qua dejectus Guadalupem ſe recipit. Fagina a Petro Toletano vi capta; et Pica, Sangeorgiana, Corvina, et Gratioſa, in fidem acceptae. Tandem Tertiani, omni ope deſtituti, huc illuc diffugiunt. Caſtus cum Santacrucio tranſegit, et navigiis commodatis in Galliam cum* CCCC *reliquis tranſportatur. Silvae tandem a Maura ſerva proditi miſerabile ſupplicium. De religioſis et ſacerdotibus in Luſitania occiſis gratia a pontifice facta. Santacrucius triumphabundus in Hiſpaniam revertitur.* XI. *In Belgio comitia de Andino confirmando. Quidam in Jo. Caſimirum inclinant. Diſcordantibus Belgis concordes Hiſpani rem gerunt. Zutfania a Jo. Bapt. Taxi intercepta. Bergenſis comes ad Philippum tranſit.* XII. *Flandria Gandenſium occaſione turbat. Belgae ſenſim ad Hiſpanos inclinant.* XIII. *Bello Colonienſi inchoato, Bipontinus legatos ad urbis conſules mittit. Clivenſis dux, et in collegio Fridericus Saxo Lauemburgicus, Gebbardo adverſatur. Bremenſis archiepiſcopus ex eadem familia patrocinatur. Conventus provincialis contra Gebbardum.* XIV. *Gebbardus nuptias, clam cum Agnete contractas, publica ceremonia celebrat. Colonia Trajana a Lauemburgico occupata. Jo. Caſimirus Erneſtum gentilem epiſcopum Leodicenſem ab archiepiſcopatu Colonienſi ambiendo dehortatur. Contraria comitia a Gebbardo celebrata. Caeſar, omiſſa religionis et matrimonii cauſa, apud Gebbardum urget ut dignitate cedat. Andreas Auſtrius cardinalis a pontifice miſſus, tranſitu a Caſimiro arcetur. Gebbardus extra eccleſiae communionem pontificio diplomate, quod Caeſar ratum habuit, poſitus.* XV. *Novae electioni dies condicitur. Archiepiſcopi Colonienſes a pontificibus depoſiti. Erneſtus Baioarus in archiepiſcopum eligitur. Sacri collegii ſodales, qui Gebbardo favebant, diris devoti.*

EX AUCTORIBUS,

Hiſpanorum relationibus, Actis publicis, S. Romani vita, Gallicis annalibus, Aemari Caſti comment. H. Fr. Conneſtagio, A. Errera, M. Iſſeltio.

LIBER SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

NUTANTIBUS in Belgio rebus, ſpes e longinquo Hiſpanis affulſit; novis in occidentali India, atque adeo nova Hiſpania, terris ſeu repertis ſeu luſtratis ante triennium. [a] Auguſtinus Ruiſius ex S. Franciſci ſodalitio, qui in S. Bartholomaei valle in nova Hiſpania vitam religioſam colebat, cognito ſeptentrionem verſus in continenti [b] Conchos populos cum Paſſaguatis commercia agitare, et complures ſupra terras frugibus et metallorum proventu divites porrigi, laudabili fidei Chriſtianae propagandae deſiderio incenſus, ad eas proficiſci ſtatuit; aſſumptis ex eodem ſodalitio duobus viae comitibus, et octo militibus. Igitur ex [c] S. Barbarae fodinis profecti, CCL leucas emenſi ad [d] Tiguas pervenerunt; occiſoque ab indigenis ex duobus comitibus altero, veriti milites procul a domo pejora, relicto Ruiſio ac collega, ad fodinas, unde digreſſi fuerant, redeunt; protinuſque ad [e] Mexicanam civitatem, quae CLX leucis hinc diſtat, miſerunt, qui [f] Coronae comitem Indiarum proregem, cujus permiſſu Ruiſium comitati fuerant, de ſucceſſu certiorem facerent. Fama excitus, eodemque pio ardore incenſus, ex illo ſodalitio Bernardinus [g] Beltramus ad collegas contendere ſtatuit; et Antonio [h] Eſpeio Cordubenſi, opulento inſtitori, qui ad fodinas domicilium habebat, auctor fuit, ut opes ſuas in tam laudabilem expeditionem conferret: quod et ille libentiſſime fecit, et aſſumpto Joanne [i] Ontivero, novae Cantabriae, quae LXX leucis a fodinis abeſt, praefecto, qui militibus, quos ſecum ducebat, praeeſſet, rebus cunctis ad profectionem egregie comparatis, ipſe in viam ſe dat IV Eid. Nov. ſuperioris anni. Conchos ubi venere, amice excepti ſunt a Cacicis; ſic regionum praefectos vocant. Regio eſt tritici ferax, ac frugiferarum arborum; melonibus et cucumeribus abundat, fluviis compluribus irrigatur, in iiſque piſces optimi ſaporis: venatu indigenae vitam tolerant, ſeminudi, et arcubus armati. Multa ad adorandum ſigilla cum haberent, facile ab Hiſpanis exorati ſunt, ut venerandae crucis ſigna in ſolo ſuo erigi paterentur. Ulterius a Cacicis deducti, ad Paſſaguatas deſcendere; quorum iidem, qui Conchorum, mores ac victus: argenti fodinae apud eos eſſe creduntur. Paſſaguatis [k] Toboſi ſuccedunt, et Toboſis [l] Jumani, quos Hiſpani [m] Patarabuies vocant. Regio hominibus frequens, et oppidis e lapide quadrato: os, brachia, crura, tam viri quam foeminae, fuco inficiunt; corpore praegrandi, et cultioribus quam vicini moribus. Rebus ad victum neceſſariis abundant, accedente ad has commoditates navigabili fluvio, quem [n] Baeti ſuo Hiſpani non minorem adfirmabant. Plures apud eos lacus aquae ſalſae, ex qua congelata ſal optimum colligitur. Inde ſecundum flumen a Cacicis duodecim dierum ſpatio deducti, obvios habuerunt homines, qui verae religionis notitiam aliquam geſtu prae ſe ferebant. Interrogati per interpretem, a Pamphilo [o] Nerveſio, qui pietatis ſtudio inductus per [p] Floridam, Conibam, et adjacentes regiones, totum novennium in ſumma rerum omnium penuria deerraverat, ſe ſalutaris doctrinae rudimentis

CIƆ IƆ LXXXIII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Frere Auguſtin Ruiz.* [b] *Conchos, & Paſſaguates.* [c] *Mines de Ste Barbe.* [d] *Tiguas.* [e] *Mexico.* [f] *Conde de la Coruña, viceroy de la nouvelle Eſpagne.* [g] *Beltran.* [h] *de Eſpejo, natural de Cordoua.* [i] *de Ontiveros, alcalde mayor en las quatro Cienegas que ſon en la governacion de la nueva Biſcaia.* [k] *Toboſos.* [l] *Jumanos.* [m] *Patarabueyes.* [n] *Guadalquivir.* [o] *Nervaez.* [p] *Florida, & Conibas.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

rudimentis initiatos ſignificabant. Ii a Bernardino [a] Beltramo confirmati; eorumque exemplo complures ex vicinis regionibus agmine facto ad Antonium confluxere, ſindones ex cotonea tela optime concinnatas, varii coloris, ac fere cyanei, quales ex [b] Sinarum provincia vulgo advehuntur, deferentes. Rupicaprae apud eos frequentes, quarum pellibus pulchre concinnatis veſtiuntur: ſpecimen et metalli optimi oblatum, cujus fodinas XV ab hinc dierum itinere abeſſe ſignificabant; quae illi per vaſtas ſolitudines emenſi, ſemper oram fluminis legentes, regionem domibus frequentem ingreſſi ſunt; in qua indigenae coriis, qualiter in Flandria concinnantur, et ſale albo abundant. Ripa fluminis fere albis populis coronatur, et nucibus ac vitibus, ut in [c] Caſtella. Eam provinciam [d] Mexicanam novam Antonius indigitavit. Decem oppidis, pluribuſque pagis, ac decem hominum millibus habitatur. Domus apud eos quatuor contignationum, in quibus et balnea habent; et veſtibus ac coriis bene praeparatis utuntur: in bello item clypeis ex crudo vaccae corio, arcubus validis ac ſagittis, quibus acies ex ſilice ignivomo, tanta ſive dexteritate ſive vi directis, ut annulatam loricam penetrent. Poſt quatridui moram Tiguas tranſitum, quo ab initio [e] Ruiſius venerat. Regio ſexdecim urbibus habitatur, quarum princeps Poala dicta. Conſcii indigenae caedis Franciſci [f] Lupi, qui Ruiſium comitatus fuerat, in avia relictis domibus confugerant; a quibus vix unquam promiſſis et veniae ſpe facta ut redirent adduci potuere. Metallorum locum feracem eſſe Hiſpanis conſtitit; qui cum in [g] Cantabriam, unde venerant, redire cogitarent, Antonius, annitente Beltramo, tenuit ut iter perſequerentur: ac biduo poſt regionem ortum verſus, Cibolae vicinam, maxime omnium fertilem, ingreſſi ſunt. Undecim oppidis, et ab quadraginta circiter hominum millibus, habitatur. His proximi [h] Quires, ad triginta ſeptem graduum altitudinem; apud quos quinque oppida, quae fere a quindecim millibus hominum habitantur. Inde quatuordecim leucas emenſi ad [i] Cunamos acceſſerunt, qui quinque oppida item habent; inter quae urbs ampla, octo plateis diſtincta, et viginti hominum millibus frequens, qui domos egregie ſtructas ac foris pictas habitant: opibus illi abundant, et fodinas haud hinc procul oſtendebant. Inde converſo ad ſeptentrionem ortum verſus itinere [k] Amies occurrunt, qui ſeptem oppidis habitantes XXX hominum CIↃ in ſpeciem efficiebant. Quindecim ab hinc leucis ad occaſum Acoma urbs in praealto colle ſita eſt, a ſex hominum millibus habitata; ad quam per ſcalam in ſaxo inciſam aditur: oppidani aquam ex ciſternis bibunt, ſuperſtitioni gentilium addicti. Inde viginti quatuor leucarum ſpatio diſſita [l] Zuñia, quam Cibolam Hiſpani dicunt: ad quam cum ante XL annos [m] Marcus Nicaeenſis Franciſcanus penetraſſet, et multa de regionis foecunditate ac ſeptem civitatum regione ad Antonium Mendozam provinciae Mexicanae proregem retuliſſet, miſſus ab eo Fr. [n] Vaſques Coronatus cum quadringentis equitibus. Plerique equi in itinere ob intenſum frigus amiſſi: ipſe Coronatus provinciam, quam magni adeo fecerat Marcus, vix quadringentis incolis habitari comperit; tantumque, pro divitiis, quas animo praeceperat, nivium illic abundantiam, famem, omniumque rerum penuriam inveniens, infauſtum iter deteſtatus eſt: et, cum ad Quiviram ſub [1] XL graduum altitudine deflexiſſet, nullum auri veſtigium, quod falſo ſibi perſuaſerat, in ea reperit: tantum vaccarum genus gibboſum, inſtar camelorum, illis pro omni viatico fuit. Nec felicior Antonii credulitate ſua deluſi

INTERPR. [a] *Beltran.* [b] *la Chine.* [c] *Caſtille.* [d] *el nuevo Mexico.* [e] *Ruiz.* [f] *Lopez.* [g] *la nueva Biſcaia.* [h] *los Quires.* [i] *los Cunames.* [k] *los Ameies.* [l] *Zuny.* [m] *Marco de Nizza.* [n] *Vaſquez de Coronado.*

NOT. [1] Puteanus legit L; hujus tamen expeditionis diarium ponit XL. Vide Hackluit, Vol. II, p. 381. *C.*

deluſi fuit ſucceſſus; qui, duodecim dierum amplius iter per devia et ſiti damnatas ſolitudines emenſus, pro theſauris carbones ad ſuos retulit. Inde luſtrata vallis, cui [a] Zaguatae nomen; cujus Cacici obviam progreſſi, in laetitiae ſignum, maſil, id frumenti apud eos genus, farinam per vias ſpargebant: ab iis confirmata de lacu ſexaginta abhinc dierum itinere fama, cujus incolae auri copia abundabant. Luſtrati et [b] Serrani, ad mare ſeptentrionem verſus projecti; et ortum verſus [c] Hubates, apud quos crebrae metallorum fodinae. Regio viginti quinque hominum millibus habitatur, cotoneis induſiis optime veſtitorum; qui domos ex cedro et pinu plerunque ſtructas, quatuor ac quinque contignationum, habent. Ultimi luſtrati [d] Tomoſi, ubi Antonius perhumaniter ab indigenis acceptus: qui tandem ineunte Quintili hoc anno ad vallem S. Bartholomaei rediit; et ex iis quae toto itinere notaverat, aut ab Indis acceperat, confectam relationem ad proregem, qui Mexici erat, miſit. Haec biennii per novam Mexicanam diſcurſatio, non plus fidei propagandae, quam opum quaerendarum, cauſa facta, an majore in poſterum emolumento Hiſpanis ceſſerit, nondum ab eo tempore conſtitit: quam eo diligentius enarrandam cenſui, quod in tabulis hactenus editis fere omiſſa ſit; et Cornelius [e] Witfliecius, qui Occidentis notitiam tanquam augmentum ad Ptolemaicam deſcriptionem adjecit, eam tantum indicare contentus, amplius deſcribere inſuper habuerit.

II. [α] DUM haec vario eventu in Belgio geruntur, rex apud nos fratris caſu anxius [β] magis quam moeſtus, cum ad privata deſideria explenda, et alienam inſaniam luendam, ſibi pecunia opus eſſe intelligeret, in eam ſolam curam incumbebat, ut per licita et illicita rem nummariam explicaret: quare miſſa complura ad ſenatum edicta, quamvis ſaepius repetitis juſſionibus hactenus rejecta fuerant. Tandem, ne victus videretur, pravo, ſed ſibi jam familiari, more, in ſenatum venit; et in juſtitiae [f] lectiſternio ſedens, coram procerum aulicorum coetu et univerſis claſſibus convocatis quaedam praefatus, cetera per cancellarium ſuum explicari voluit. Is erat Renatus Biragus cardinalis, nec multum eloquens, et juris noſtri pariter et antiqui parum ſciens; de cetero, vir bonus, et ſub alio principe nunquam ſervilis conſilii auctor: qui longam orationem habuit; cujus ſumma fuit, ut edictorum iniquitati neceſſitatem praetexeret; eam hujuſmodi eſſe dictitans, ut a cunctis ubique conſpiceretur. Quae verba, huc illuc jactato corpore circumſpiciens, cum ſubinde repeteret, riſum aſtantibus movit: nam aderant in comitatu [γ] regis gratioſi plerique aulici; qui, favore immodico freti, cum nullum, ſive rapacitate ſive profundendi libidine, ad exhauriendum aerarium modum facerent, per neceſſitatem illam intelligi putabantur. Ita promulgata uno die, qui in Nonas Martias incidit, XI fiſcalia edicta: quorum illud graviſſimum juxta ac foediſſimum fuit, quod ratione honorarii, quod ſenatoribus pro cauſis, de quibus ad ſenatum referunt, publica conſignatione pendi ſolet, inſtitutum eſt; XVIII ſolidis, pro ſingulis aureis, exactis. Non latebat regem publica indignatio, haud quaquam rumorum, qui paſſim in odium ipſius ſpargebantur, ignarum, neque, ſi ſe regnumque plus quam alios charum habuiſſet, regnandi imperitum; qui, ut ſe adverſus odium publicum validioribus praeſidiis muniret, majore ſolito haſtatorum, Helvetiorum, atque aliorum ſtipatorum pompa, quam antea privatorum modo incedens plerumque per urbem neglexerat, inſuper geminatis praetorianorum ſtationariorum

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur octo circiter paginae, uſque ad* Rex vero ut tributorum odium leniret, *deſunt D.* f. d.
[β] *Haec verba*, magis quam moeſtus, *Ed. Gen.* 1626 *inſeruntur ex MS. Samm.*
[γ] regis Annas Jouſa et Joannes Ludovicus Nogaretus, nuper ducum et Franciae parium dignitate a rege inſigniti; qui, favore immodico *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Val de Zaguate.* [b] *Serranos.* [c] *Hubates.* [d] *los Tamos.* [e] *Wytfliet.* [f] *lict de juſtice.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

ſtationariorum cohortibus, in publico ſpectari gaudebat; [α] eo conſilio, ut, qui odiſſent, etiam metuerent. Sed mox, ut erat inaequali ingenio, quaſi majeſtatis regiae pertaeſus, ad privatae vitae oblectamenta, quae pompa illa interpellari exiſtimabat, relapſus eſt; et aliam plebis ſibi conciliandae rationem inivit, praetexta religione, et novis ſacrarum rerum ſpectaculis ac ſocietatibus inſtitutis; quibus non tam odium de ſe conceptum imminuit, quam contemptum procerum excitavit, et majora adverſus ſe audendi conjuratis fiduciam fecit. Nam ille, ſive inſita ſuperſtitione, ſive affectata religionis opinione, hujuſcemodi ſpectaculis mirifice oblectabatur; et jam eorum guſtum ceperat ante octo annos [a] Avenione, cum e Polonia veniens ad res [b] Septimaniae componendas illuc uſque excurrerat. Poſtea ea [c] Lugduni et Toloſae introducta ſunt ab Enimundo [d] Augerio, e ſodalitio Jeſuitico ſacerdote, qui magnum gratiae locum in principis ingenio tenebat. Lugduni quidem [e] Duperatus [β] quidam eam celebritatem invexerat; et porro ab eo tempore inſtiterat, ut ea quoque in principe regni civitate Lutetiae ad pietatis exemplum inſtituerentur; rexque, ſuperſtite Chriſtophoro Thuano, de ea ſaepius egerat: ſed, cum ille et Petrus [f] Brulartus, inquiſitoriarum claſſium praeſes, vir antiquae probitatis, ſemper adverſati eſſent, et nova ſacra, novos ritus, a majoribus plerumque improbatos, et exoticas hujuſmodi ſodalitates, populum a vera pietatis diſciplina, ac ſenſim a magiſtratus obſequio, alienare dicerent, res adhuc exitu caruerat; quae, vivis exempto Thuano, ſtatim confecta eſt; multis non ſolum non repugnantibus, ſed, principi ad exitium pleno gradu properanti ut placerent, ea in re, quae odio contemptum accumulabat, turpiter applaudentibus. Ita inſtituti Flagellantium ſe Lutetiae ordines, albo, nigro, et veneto colore diſtincti; et ſtatuta de iis confecta III Eid. Mart. auctoritate regia confirmata ac publicata ſunt; praeeunte Joan. Baptiſta [g] Caſtello Ariminenſi epiſcopo, qui tunc oratoris pontificii munere apud regem defungebatur: ac demum XIII Kal. April. qui dies annunciationi beatae Mariae ſacer eſt, ſupplicatio publica celebrata eſt; cui rex, totius aulae principes ac proceres, nobilitas omnis, factioſi in urbe per eos conventus ad ſeditiones, quas jam contra regem animo agitabant, feneſtram apertam ipſius regis auctoritate gaudentes, ac primarii magiſtratus, Biragus cardinalis cancellarius, [h] Cevernius [γ] procancellarius, interfuerunt; ſacco omnes induti, ita amictus Flagellantium ſe vocatur, et facie velata; eaque pompa maxime pluvioſo tempore totam urbem luſtrarunt; ridentibus pleriſque, aliis frementibus, et Deo hominibuſque per intempeſtiva ſpectacula illudi propalam clamantibus. Nec concionatores, quamvis auctoritas pontificis ejuſque oratoris acceſſiſſet, jam uſurpata de rege ac magiſtratibus liberius loquendi licentia, linguam tenuerunt; ſed poſtridie paſſim per templa in novos religioſos inſolita libertate bacchati ſunt: et inter eos unus extitit Mauritius [i] Poncetus theologus, homo doctus, ſed interdum ſcurrili dicacitate mordax, qui in corruptos aulicorum mores, quos ſimulata pietate velabant, acriter invectus, eos, ad pluvioſum ſupplicationum tempus alludens, perinde facere dixit, atque ii qui adverſus imbreis ſe ſacco madido muniunt; quod apud nos proverbiali ſermone de iis uſurpari ſolet, qui flagitia ſua ineptis et abſurdis commentis excuſant. Dicterium illud, quod ex vero traheret, maxime regem pupugit, veritum ne novum inſtitutum, quo populi gratiam aucupabatur,

VAR. LECT. [α] *Haec verba*, eo conſilio, ut, qui odiſſent, etiam metuerent, *Ed. Gen.* 1626 *inſeruntur ex MS. Samm. Put. et Rig.*
[β] quidam, qui ſe conchyliati ordinis apud nos exoleti equitem jactitabat, eam *MS. Samm. Put. et Rig.*
[γ] procancellarius, Harlaeus ipſe ſenatus princeps, recenti beneficio obſtrictus, interfuerunt; *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Avignon.* [b] *Languedoc.* [c] *Lyon, & Toulouſe.* [d] *Auger.* [e] *Du Peyrat.* [f] *Brulart, preſident des enqueſtes.* [g] *Caſtello, evêque de Rimini.* [h] *de Chiverny, garde des ſceaux.* [i] *Poncet.*

aucupabatur, ex ejus occaſione in ludibrium verteret; quod et accidit: eaque de cauſa Poncetus [a] Melodunum relegatus, et in [b] monaſterio beati Petri, in quo olim profeſſus fuerat, ad tempus manere juſſus eſt; leviore caſtigatione, quam ut acrem injuriae ſenſum, qualem rex prae ſe ferebat, digne ulciſci potuerit. Paulo poſt Paraſceves die repetitae ſupplicationes eadem pompa; ſed ad majorem venerationem noctu cum facibus celebratae: in quibus Georgius [c] Jouſa Sandeſiderius, Annae Jouſae frater, qui pedibus nudis incedebat, tempeſtate adhuc frigida, in diarrhoeam cruentam incidit, ex qua mox deceſſit; infauſto religioſi inſtituti principio. Tunc et res incidit, quae non mediocriter Lotaringos, jam ſe ad res novas auctore Guiſio parantes, exacerbavit. Biennio ante Franciſcus [d] Rozerius archidiaconus Tullenſis grande volumen conſarcinaverat, cui titulum fecerat, *Stemmata Lotaringiae ac Barrenſium ducum*, confuſe et inepte plerumque ſcriptum, et ideo a paucis lectitatum; in quo non ſolum plura Lotaringis contra hiſtoriae fidem tribuebat, verum etiam multa dignitati regni pari vanitate detrahebat, et ad extremum in regis ipſius contumeliam quaedam injurioſe adjecerat. Id ſerius cognitum, et allato libro regi probatum; cum ſuſpicionem feciſſet, Lotaringorum juſſu ſeu conſilio typis expreſſum Lutetiae librum fuiſſe, ut periculum ipſius patientiae facerent, rex injuriam minime negligendam cenſuit. Igitur ejus mandatu Rozerius comprehenditur, et, miſſo Tullum Nicolao Brularto ſenatore, in eum anquiritur; tandemque Lutetiam perductus et in [e] Baſtiliam conjectus eſt, cognitione facti minime ſenatui permiſſa: quod gratiae Caroli Lotaringiae ducis datum, qui ſub id a regina parente, quae genero impenſe favebat, monitus Lutetiam venerat, ut regem praeſentia ſua placaret, impediretque, ne injurioſa in nomen Lotaringicum poena rex ſibi ab archidiacono ſatisfieri vellet. Igitur VI Kal. Maias reus e baſtilia productus, et in [f] Lupara arce dum conſilium haberetur, coram magna principum ac procerum corona, praeſentibus Carolo Lotaringo [g] Valdemontio cardinali, et Henrico Lotaringo Guiſiae et Carolo fratre [h] Meduaniae ducibus, ex ordine ſenatorio Joanne [i] Gueſlaeo praeſide, et Auguſtino Thuano ac Jacobo [k] Faio Speſſaeo patronis regiis, in genua procubuit; et, multa ſe calumnioſe praeter hiſtoriae veritatem contra regiae majeſtatis dignitatem dixiſſe confeſſus, propter quae graviſſima ſe poena dignum agnoſceret, quae tamen imprudentia potius quam certo animi conſilio ſcripſerit, veniam a regia clementia ac miſericordia voce lamentabili petiit: tum a Cevernio procancellario acerbe increpatur, et in laeſae majeſtatis crimen incurriſſe oſtenditur. Quibus actis, cum regina quaſi ex machina prodiens regem filium oraſſet, ut, in Lotaringiae ducis conjunctiſſimi ſibi gratiam, crimen confeſſo ac graviſſima cuncta promerito reo condonaret, rex nutu capitis aſſenſus eſt; reumque in pedes ſurgere, ac penes Lotaringiae ducem manere juſſit, donec de libro ejus quid ſuae voluntatis eſſet, per Gueſlaeum praeſidem et Thuanum ac Faium patronos regios ſignificaſſet. Id additum, neque tamen expreſſum, quid de libro, qui coram Rozerio laceratus eſt, poſtea actum ſit; ne, ſi publico inſtrumento de ea re a Petro Brularto uno ex quatuorviris a ſecretis epiſtolis confecto, et in curiae acta relato, lacerationis mentio fieret, id non ſolum reo, ſed illuſtriſſimae Lotaringorum genti, in quorum gratiam conſcriptus fuerat, notam [α] inureret. Nec regio faſtigio magis dignum fuit,

VAR. LECT. [α] inureret. Hac ſcenica actione, in qua reginae interventu effectum eſt, ut judiciales ritus minime ſervati ſint, non tam ſatiſfactum regi, quam Lotaringis ex eo irritatis ad majora audenda animus factus: quippe qui viderent ab infeſto principe tam debilia remedia adverſus adoleſcentis indies factionis malum adhiberi. Nec regio faſtigio *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *Abbaye de St Pierre.* [c] *de Joyeuſe, Sr de St Diſier.* [d] *de Roſieres, archidiacre de Toul.* [e] *la Baſtille.* [f] *le Louvre.* [g] *de Vaudemont.* [h] *Mayenne.* [i] *de la Gueſle.* [k] *de Faye, Sr d'Eſpeſſe.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

fuit, quod nunc memorabo. Libelli per licentiam temporum typis mandati in vulgus complures jactabantur; quibus jus Lotaringorum in regni ſucceſſione aſſerebatur, et Hugonis Capeti genus, a quo reges noſtri per IↃC amplius annorum ſpatium prognati in Francia feliciter regnant, ut obſcurum, maligne perſtringebatur: quod illi in aula excuſabant, quaſi libri hi a Proteſtantibus, ut Lotaringos, bene de regno ac religione meritos, cum rege committerent, de induſtria ſuppoſiti [α] eſſent. Eam injuriam non facto, quod regium erat, ſed verbo, revincere rex in animum induxerat; et Pontio [a] Thiardo Biſſio, quem et epiſcopum [b] Cabilonenſem poſtea dixit, viro doctiſſimo, et non ſolum philoſophicis ac mathematicis ſtudiis, quod ejus opera ſatis indicant, ſed omni aliarum literarum cognitione praeſtanti, negotium ante quadriennium dederat, ut contrario libello verum Hugonis Capeti genus aſſereret, et commenta Lotaringorum, qui a Carolo ultimo Carolovingorum duce Lotaringiae originem repetunt, confutaret: quod et ille libro edito fecit, neque tamen, quaſi offenſionem vereretur, expreſſo ſuo nomine. Eo paternum Capeti genus a [c] Witichindo Saxone, cum quo tot annorum bellum Carolus Auguſtus geſſit, refert; maternum, ad ipſum Carolum Auguſtum. Tum oſtendit veterum ſcriptorum teſtimoniis, Carolum ultimum e Carolovingorum familia, qui Aureliani in carcere deceſſit anno IↃ CCCCXCI, Othonem ducem Lotaringiae filium heredem reliquiſſe; quo ſine liberis maſculis XIV annis poſt defuncto, Henricus II Caeſar Lotaringiae principatum, Gallicae coronae, cujus membrum erat, avulſum, in Godofredum [d] Arduennenſem contulerit. Hujus progeniem uſque ad annum CIↃ LXX Lotaringiam tenuiſſe; donec Ita, Godofredi gibboſi ultimi ex ea gente filia, Euſtochio [e] Bononiae comiti nupſit: ex eo matrimonio natum Godofredum, Hieroſolymorum poſtea regem; ſed nihilominus per ejus abſentiam Lotaringiae principatum ab Henrico IV Caeſare in Henricum Limburgenſem collatum, et ab Henrico V Caeſare rurſus in Godofredum [f] Lovanii comitem tranſlatum eſſe; et ita poſt mortem Othonis, vere Carolovingorum ultimi, C plus minus annorum ſpatio Lotaringiam in quatuor diverſis familiis fuiſſe. His ſe praeſidiis adverſus invaleſcentem factioſorum in Gallia potentiam rex muniebat: quae digna necne tanto principe ejuſve conſiliariis, aut ſatis idonea ad malum propulſandum fuerint, tempora, quae poſtea inciderunt, fidem apud poſteritatem facient. Cauſam indaganti tam varii et languidi in vindicanda a contemptu majeſtate ingenii haec occurrit, quod rex aliena potius quam propria voluntate regeretur; quo fiebat, ut, mutante illorum, qui in ejus ingenio pollebant, gratia, ipſe quoque ſaepius mutaret. Et, cum antea alii atque alii ordine in flagranti gratia ſucceſſiſſent, quorum affectus pro tempore induebat, tunc duo praecipue ſimul in ejus ingenio regnabant, ſtudiis ac voluntatibus ob aemulationem maxime diſſidentes, Annas Jouſa, et Joannes Ludovicus Nogaretus: quos, licet invicem pluribus adfinitatum vinculis colligatos, nunquam ita ad concordiam adducere potuit, quin conſilia in arcano inter ſe pugnantia ſequerentur, et, adultis in regno factionibus, contrarias partes foverent. Jouſa initio Guiſianorum nomini addictus credebatur, quippe arcta cognatione cum ipſis conjunctus: Nogaretus, ne videretur aemuli potentia rapi, ad Navarri partes inclinabat; quae licet debiliores ob Proteſtantium odium, tamen, ut juſtiores, ſic et tutiores, quod eventus approbavit, prudentioribus videbantur: ſiquidem jam tum ſub orbo principe,

VAR. LECT. [α] eſſent: cum revera ipſorum juſſu quotidie publicarentur, ut non ſolum ad populum, ſed etiam apud exteros principes, majorem dignitatem ſibi conciliarent. Eam injuriam *MS. Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Thyard de Biſſy.* [b] *de Chalons ſur Saone.* [c] *Witikind.* [d] *des Ardennes.* [e] *Boulogne.* [f] *Comte de Louvain.*

principe, quiſque affectu regni hereditatem cernebat, et ſaniores legitimam ſucceſſionem amplectebantur; ideoque, licet a religione Proteſtantium alieni, Navarro favebant. Alii, qui, aut rerum novarum cupidi aut egeſtate preſſi, turbas, et ex turbis emolumentum, captabant, Guiſianorum partes ſequebantur: quae factio longe in ſpeciem potentia praevalebat; quippe plebe ubique ob religionis cauſam, quae a Guiſianis artificioſe praetexebatur, huic addicta, et civitatibus in eam propenſis. Inter has factiones et harum fautores [α] miſer princeps huc illuc varie animi diſcruciabatur, in neutram partem conſtans; dum et Guiſianorum ambitionem ſuſpectam habet, et odio Navarrum ob religionis cauſam proſequitur, et inter Jouſam et Nogaretum aequalitatem, non ſolum in fortunae amplificatione, ſed in ſtudiis ac voluntatibus, ſervare conatur. His accedebat reginae parentis mutabile [β] ingenium; quae ſe de potentiae gradu, novis ſuccreſcentibus affectibus, dejectam dolens, nullum non lapidem movebat, ut per turbas amiſſam in pace potentiam recuperaret. Itaque in Guiſium, bello civili materiam quaerentem, prona voluntate propendebat; quo per eum excitato, ſperabat, ut rex Guiſiuſque ſe ſequeſtra uti cogerentur, et ita rerum arbitrium ab utraque parte delatum ad ſe pertraheret. Interea ſuſpiciones de Guiſianis in dies exorienteis, quibus poterat, rationibus purgabat; juſtam regis iram molliebat; conſilia regis ad conatus ſeditioſorum diſturbandos cum fidis inita, praeoccupato illius ingenio, infringebat.

III. JOUSA [γ] vero, qui gratiam ex odio Proteſtantium apud plebem aucupabatur, cum, potentiae firmandae occaſionem circumſpiciens, de Septimaniae praefectura, quam Momorantius tenebat, in ſe transferenda cogitaret, animum ejus pertentare coepit. Sed cum eum averſum ab ea voluntate, et nihilominus pontificis favori confidere, animadverteret, homo vaſti animi, renovatis cum aemulo potentiae ſuae ſimultatibus, et accenſo contra Momorantios regis odio, Romam proficiſcendi, et pontificem ea de re conveniendi, occaſionem arripuit. Profectionis variae cauſae jactabantur: animi gratia ad luſtrandam Italiam, ſalutandos principes, et Romam pietatis ergo viſendam, Jouſa eam ſuſceptam credi volebat: ſed altius in juvenis ambitioſi conſilia penetrantibus apparebat, eum non animi gratia in Italiam relicta aula proficiſci, ſed ut potentiam ſuam ac gratiam exteris principibus, ac pontifici praecipue, oſtentaret; et, quanquam initio Guiſianorum partibus addictus, cum fortuna animis creſcentibus, ſe ducem bello adverſus Proteſtanteis olim gerendo offerret; atque ita gratiam Guiſianis, qui in regno apud populum, et Romae apud pontificem, eam ſibi gloriam, quaſi familiae ſuae peculiarem, vindicabant, praeriperet, ac in ſe transferret. Cum rege in arcano convenerat, inſtigante regina, quae Momorantio ejuſque genti ſumme infeſta erat, ut pontificem conveniret; et, regia auctoritate interpoſita, Momorantium, tanquam Sectariorum praecipuum in regno fautorem, traduceret, inviſumque ac ſuſpectum pontifici ac conſiſtorio cardinalium eo nomine redderet; efficeretque, ut a gratia, qua in aula Romana pollebat, quaque fretus ſe adverſus regis odium muniebat, omnino excideret. Is majorum religioni addictus, tamen ob antiquas illuſtriſſimae gentis cum Guiſianis aemulationes poſt parentis et Franciſci fratris mortem in Septimaniae praefecturam veluti relegatus, cum Navarri, Condaeique, atque Proteſtantium opibus potentiam hactenus ſuſtentaſſet, ob id occultis aemulorum artibus apud populum delatus, magnam invidiam ſuſtinebat: quam ut aliquo modo

VAR. LECT. [α] *Haec verba*, miſer princeps, *in editione Genevenſi 1626 leguntur, e* MS. Samm. *ſeu* Put. et Rig. *excerpta; cum in priore Genevenſi horum loco ponitur* rex.

[β] ingenium, et muliebriter impotens; quae ſe de *MS. Samm. Put. et Rig.*

[γ] *Haec verba*, vero, qui gratiam ex odio Proteſtantium apud plebem aucupabatur, *primo leguntur in editione Genevenſi 1626, excerpta e* MS. Samm. *ſeu* Put. et Rig. *cum prior editio Genevenſis habet* Jouſa, qui principem locum in regis gratia tenebat,

CIↃ IↃ LXXXIII. modo leniret, diligenter caverat toto bellorum tempore, ne pontificia ditio, quae
HENRICUS III. conjunctos [a] Septimaniae limites habet, a Proteſtantibus, qui in praefectura ſua praepotentes erant, infeſtaretur. Quod loco ſummi beneficii pontifex totumque cardinalium collegium cum reputaret, ad falſas ſeu veras de ipſo querelas fere aureis claudebant: et tale officium pro certiſſimo pietatis documento Romae aeſtimabatur. Igitur Jouſa in Italiam per diſpoſitos equos tendens regio comitatu, factis ubique inſanis ſumptibus, cum Romam veniſſet, ab Aloiſio [b] Atèſtino cardinali inſolita magnificentia exceptus, et in ejus aedibus diverſatus, cum toto nobilitatis delectae comitatu per eum ad pontificem perhonorifice introductus eſt. Ibi, poſt uſitatam pedum oſculationem, commutata tantum hinc inde primo congreſſu plena honeſtatis verba. Dein, petita audientia, Jouſa eadem, qua ex aula venerat, fiducia pontificem aggreditur; et regem ſeque ingenti religionis majorum aſſerendae deſiderio teneri oſtendit: ſed vetus regno malum, quominus tam laudabilis voluntas exitum habeat, impedire, praepoſteram quorundam diſſimulationem, qui, privatis affectibus poſthabita religionis ac reipublicae cura, Sectarium virus jamdiu in regno fovent. Horum principem in Gallia eſſe Momorantium; qui in Septimania, ampliſſima totius regni provincia, quam ſive ipſe ſive parens ejus jam totos XL annos tenent, Sectarium virus conniventia ſua in dies pullulare ſinit, privatarum inimicitiarum praetextu; adverſus quas ut ſe muniat, ſibi quidvis facere et pati impune licere putat. Id jampridem regi dolere, et tamen hactenus diſſimulaſſe; monito Momorantio ſaepius, ut mutaret: quod illuſtriſſimae potius genti, quam meritis ipſius erga regem, datum. Nunc malum adultum in tantum excreviſſe, ut remedium amplius differri non poſſit: nam in Septimania virus illud tam profundas radices egiſſe, ut tota Germania, atque adeo Geneva ipſa, in illam provinciam migraſſe videantur; atque inde ramos quotidie per ceteras regni provincias ſpargere. Non latere regem, quid in eadem diſſimulatione perſeverans Momorantius, dum perniciem patriae molitur, apud exteros principes agat, ac Romae inprimis, ut pietatis opinionem tueatur; [c] Avenionenſem limitem et [d] Venaſcinenſem comitatum a ſe defenſos obtrudens: ſed conſiderare oportere eos apud quos haec dicuntur, non propriis Momorantii viribus, nam qui poſſit? ſed regni opibus, tantum beneficium deberi. Cum vero rex tam juſtas cauſas habeat Momorantio ſuccenſendi, noluiſſe tamen, qua egregia erga ſacram ſedem et pontificem affectus eſt voluntate, quidquam in eum inclementius decernere, niſi prius monito pontifice, ut intelligat Momorantium eum eſſe, qui neque ipſi utilis, regno vero regique ſumme pernicioſus ſit. Ea de cauſa ſe, quem honorificentiſſimis nuper nuptiis, ac fratris etiam nomine, dignatus ſit, ex omnibus delegiſſe, qui ad eum veniret, pleniuſque de rerum Gallicarum ſtatu inſtructus, coram in arcano de religionis aſſerendae negotio cum ipſo ageret. Ad haec pontifex, initio renidenti, mox ad ſeveritatem compoſito vultu, reſpondit; et pro egregia regis voluntate ac tam honorifica legatione gratiam ſe habere dixit, ac laudare utriuſque pietatem inſtitit; in qua ut perſeverarent, enixe eos hortatus eſt. Verum ubi ad Momorantium ventum eſt, Vereor, inquit, ut rex dilectiſſimus filius, qui te huc, ut me de regni rebus plenius edoceres, miſit, in patria ac proprio regno, quantum ad ejus ſtatum ſpectat, peregrinetur: nam factis, non verbis, fides habenda eſt. Momorantii pietatem, quod nec diffiteris, Avenio, et ſubjecta regio, ſatis, vel me et ipſo tacente, loquitur: neque calumniae, quae ab inimicis hominibus in regis, pejus quam oportuit erga eum animati, aureis inſuſurrantur, tales apud me eſſe poſſunt, ut contra tantum beneficium aequiponderent.

Quae

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *da Eſte.* [c] *d'Avignon.* [d] *le comtat Venaiſſin.*

Quae vero de diſſimulatione cum Proteſtantibus, atque adeo ſocietate, objiciuntur, ea potius miſeratione, quam odio, digna ſunt: quis enim non miſericordia tangatur, cum videat tantum virum, cujus majores de regno tam bene olim meriti fuerunt, parens nuper in media acie pro religionis cauſa certans occubuit, non diſpari erga religionem affectu, per aemulorum et inimicorum obſtinatam malignitatem eorum auxilium cogi implorare, quos ex animo deteſtatur? Nam, ut ſcis, omnis honeſta atque adeo legitima ratio eſt expediendae ſalutis. Potius optandum eſt, ut boni omnes apud regem deprecatores interveniant, ut eum in gratiam recipiat; nec indurato ad preces ſuorum animo neceſſitatem viro generoſo imponat, quo dignitatem ac vitam tueatur, ad hoſtium Dei regiſque opes confugiendi. Teque inprimis, qui ipſum proxima adfinitate contingis, cujus pater parenti illius auctam a regibus dignitatem debet, ceteris exemplo tuo praeire decuit: quod ut facias, ſi conſcientiae, ſi decori tuo, ſatisfactum cupis, te paterna benevolentia hortor. Pertinet enim ad conſcientiae quietem apud Deum, et ad exiſtimationem inter homines, ne, cujus familiam de te tuiſque optime meritam ſciunt omnes, ejus jacenti fortunae inſultaſſe dicaris. Quod ad me et ſacrum cardinalium collegium attinet, nunquam acceptorum beneficiorum memoria excidet; et non redditae potius quam oblivioni traditae, aut ingrati olim animi, accuſabimur. Hoc reſponſo, quod praeter ſpem accidiſſet, [a] Jouſa perculſus obmutuit: demumque ſenſit, ſe Romae, non in aula, ubi omnia poterat, eſſe; et non ut in aula, ſic Romae, ubi exquiſita prudentiae humanae ſolertia res expenduntur, negotia tractari. Itaque pudore confuſus, de belli olim contra Proteſtanteis gerendi ratione, cui ſe ducem deſtinabat, agere cum pontifice deſtitit; moerore inde contracto, qui illi morbum diuturnum ac moleſtum conciliavit. Momorantius per amicos pontificem, cujus cauſa veniſſet Jouſa, certiorem fecerat; inſuperque monuerat, id ei conſilii eſſe, ut, ſe a Septimaniae praefectura amoto, Avenionenſem ditionem in poteſtate haberet, eamque principatus titulo a rege poſtea acciperet: regem vero [b] Salucianum principatum pontifici compenſationis loco oblaturum; quem ſi recuſaret, omni ratione, renovatis de Venaſcinenſi comitatu, titulo pignoris tantum pontificiae ſedi obligato, controverſiis, ejus poſſeſſionem a pontifice avocare decreviſſe: quod pontificem ad reſponſum, non ſolum acerbitatis, ſed etiam exprobrationis plenum, Jouſae faciendum maxime incitavit. In comitatu Jouſae erat Ludovicus [c] Demontjoſius, rara rei antiquariae doctrina inſignis; qui Romae hoſpes multa ad urbis terrarum olim dominae illuſtrationem, atque interdum plura quam multi Romani cives, paucorum menſium, quo in ea fuit, ſpatio contulit, v libellis Sixto v [1] inſcriptis, in quibus de obeliſcis, Jano bifronte, Septizonio, Pantheo, ſymmetria templorum, [d] Caryatidibus, quas Gallus Italos docuit, de ſculptura veterum, coelatura, ſculptura gemmarum, pictura, foro Romano, aliiſque urbis locis, non aliis ſcripta, et recentiorum pleroſque errores, notat. In patriam reverſus, in mechanicis veterum multa commentatus eſt: ſed accidit, dum ad utilitatem et uſus publicos induſtriam ſuam rogatus accommodat, ut rebus ſuis ſummopere incommodaverit, ſuſcepta urbis a luto et ſordibus purgandae damnoſa cura; quam jacturam longe graviore cumulavit, uxore infeliciter ducta, quae homini longiore vita digno perniciem attulit. Multa interim praeſtitit; plura in brevi illo aevi ſpatio praeſtiturus, ſi moribus ſuaviſſimis et ingenio ad praeclaras artes nato fortunam nactus eſſet aequiorem. Roma digreſſus Jouſa Venetias venit; et quaſi regis frater, ſic enim in regiis literis appellabatur, ſumma

INTERPR. [a] *le duc de Joyeuſe.* [b] *Marquiſat de Saluces.* [c] *de Montjoſieu.* [d] *Caryatides.*
NOT. [1] *Titulo* Gallus Romae hoſpes, *in* 4[to].

ſumma magnificentia excipitur, et ſolemni ceremonia patricius creatur. Eadem pompa Florentinorum, Ferrariae, Mantuae, ac Sabaudiae duces adivit; parique ab ipſis magnificentia acceptus eſt: ac poſtremo in Galliam rediit, morbo eo, quem dixi, vexatus ac languidus: cujus ſive faſtidio, ſive ob abſentiam, quae aulicis noſtris ſemper periculoſa eſt, paene effectum eſt, ut, qui aliis gratiam praereptum ibat, a gratia apud regem exciderit; annitente Nogareto, qui aemuli ambitionem, quaſi quietis regis conſiliis adverſantem, captata ſedulo occaſione, exagitabat: adeo infida eſt potentia, quae non meritis, ſed gratia ad omnem auram volubili, nititur. Sed cum morbi occaſione aliquandiu ab aula abſtinuiſſet, ſenſim in priſtinum locum irrepſit, annitente eodem Nogareto; qui, cum mutabile regis ingenium noſſet, ſatis habuit pro tempore flagrantem Jouſae gratiam infregiſſe, et potentioris aemuli metu ipſe eum regi reconciliavit. Jouſa jam ante de [a] Neuſtriae praefectura, quae, propter amplitudinem provinciae, poſt [b] Bullionii ducis mortem, inter IV [c] praeſides, olim Bullionii vicarios, pari poteſtate diviſa fuerat, rurſus ſub unicum praefectum revocanda cogitaverat: ſed, ſpe concepta de Septimaniae praefectura, aliquandiu negotium intermiſerat; quod vereretur, ne majora animo complecti videretur, quam aequalitas, quam inter eos rex ſervari volebat, pati poſſet. Nam Nogaretus, cum nullae magnae praefecturae tunc haberi poſſent, plures minores tantum adeptus fuerat; puta [d] Bononienſem ab Antonio [e] Eſtraeo, tradita compenſationis loco [f] Farae Veromanduorum praefectura, et [g] Metenſem a Nicolao [h] Angeneo Rambulieto, qui praefectura cnobilium haſtatorum ob id remuneratus fuit. Tunc vero cum Jouſa ſpem Septimaniae adipiſcendae amiſiſſet, ad priſtina conſilia animum retulit; et a ſingulis Neuſtriae praeſidibus grandi pecunia aſſenſionem redemit, ut ipſe praeſes univerſae provinciae, ſicut olim Bullionius, imponeretur; illi tantum vicarii eſſent. Poſtea emptae rurſus a ſingulis vicariis ac locorum munitorum praepoſitis praefecturae, ut eae in Jouſae devotos transferrentur. Sic Caletenſis a Joanne [i] Moio Millaregio in Aemarum [k] Caſtum Hieroſolymitanum equitem, virtute et fide praeſtantem, cum [l] Dieppae et Arcuenſi arcibus; [m] Franciſcopolis, qui praecipuus in [n] Caletis portus eſt, a Corborano [o] Cardillaco Sarlabuſio in Andream [p] Brancatium Villarium, ambos Jouſae affineis, tranſlata eſt. Franciſcus [q] Dous [r] Conſtantienſem tenebat, a Jacobo Matignono equitum tribuno emptam; ab aula ante aliquot annos in eam relegatus: quam, ſimul et [s] Cadomenſem arcem, ut ab eo reciperet novus praeſes, non ſolum grandis pecunia exſoluta eſt, ſed rurſus ſumma aerarii praefectura Doo delata; magno regni, jam largitionibus exhauſti, detrimento. Ea vero, cum arce toto eo tractu munitiſſima, Gaſpari [t] Peleto Verunae a Jouſa commiſſa eſt. Reſtabat Rotomagenſis, cui Tanaquillus [u] Venator Carrugius praeerat: ſed, quia ſenatus in urbe praefecti, alioqui civibus gratioſi, auctoritatem multum imminuebat, parum de ea laborabat Jouſa; ultroque paſſus eſt, ut Carrugius in ea maneret. [w] Alençonium in Aulercis, qui quartam Neuſtriae partem conſtituit, Andinus tunc regis frater portionis hereditariae loco adhuc habebat; eamque a Neuſtriae praefectura non ſolum diviſerat, ſed ejus peculiarem juriſdictionem fecerat; appellationeſque non ad [x] ſenatum Rotomagenſem, ſed Pariſienſem, devolvebantur: itaque ea ad tempus omiſſa eſt. Haec foeda reipublicae noſtrae, ſub bono alioqui principe, ſed qui alienis potius quam propriis affectibus regebatur, ulcera, magno cum

INTERPR. [a] *Gouvernement de Normandie.* [b] *le duc de Bouillon.* [c] *Lieutenants de roy.* [d] *le Boulonnois.* [e] *d'Eſtrées.* [f] *la Fere.* [g] *de Mets.* [h] *d'Angennes Sieur de Rambouillet, capitaine des cent gentilhommes de la maiſon du roy.* [i] *de Mouy, Sieur de la Meilleraye.* [k] *le commandeur de Chaſtes.* [l] *Dieppe, & Arques.* [m] *Havre de Grace.* [n] *Pays de Caux.* [o] *de Cardillac de Sarlabous.* [p] *de Brancas de Villars.* [q] *d'O.* [r] *de Coutances.* [s] *Chateau de Caen.* [t] *Pelet de la Verune.* [u] *Tanneguy le Veneur, Sieur de Carrouges.* [w] *Alençon au Perche.* [x] *Parlement de Rouen.*

cum animi dolore, nec minore cum Gallici nominis infamia, renudare cogor; ut vileſcentis regiae majeſtatis, cujus tanta veneratio hactenus inter Gallos fuerat, et exortarum deinceps factionum, verae cauſae innoteſcant. Nam, ſublatis virtutum praemiis, cum omnia venalia in regno auctoritate regia proſtarent, accedente ad odium contemptu, paulatim infringi fides, et per turpeis illas magiſtratuum ac praefecturarum nundinationes corrumpi, coepit; ſolutoque Gallicae fidei, tantopere inter exteras gentes praedicatae, vinculo, aperta ad factiones porta fuit, quibus totum regnum, faſcinatis ſpecioſo religionis colore populorum animis, miſere poſtea vexatum ac paene laceratum eſt. [α] Rex vero, ut tributorum odium leniret, cum, adfectata ubique pietatis opinione, plebi ſatisfactum putaret, ut etiam populi levandi et querelas ejus audiendi curam prae ſe ferret, recenſito ſacri conſiſtorii ſenatu, delegatos proximo anno miſerat, e ſacro ordine et nobilitate ſingulos; et Philippum [a] Becum epiſcopum Namnetenſem, cum Ludovico [b] Caſtaneo Abennio, non plus nobilitate quam eruditione et legatione nuper Romana illuſtri equite, in Lugdunenſem provinciam, Delfinatum, ac Provinciam, deſtinaverat; Petrum [c] Villarium archiepiſcopum Viennenſem, cum Joanne [d] Angeneo Poignio, in [e] Aquitaniam et Septimaniam; Petrum [f] Eſpinacum archiepiſcopum Lugdunenſem, cum Michaele [g] Seureo equite Melitenſi, in [h] Neuſtriam et Armoricam; alios: qui multa de egregia regis erga populum voluntate praefati, benevolentiam ſibi galeato prooemio conciliatam, atque adeo totam actionem, uno verbo evertebant, cum, neceſſitatibus regni propoſitis, collatione de publico facta regi ſubveniri ad extremum petebant: pravi oratores, nec meliores conſiliarii; qui, ut regi placerent, in iis etiam quae ei odium pariebant, praepoſtero obſequio morigerabantur.

IV. CUM ex provinciis rediiſſent, rex conventum ad Germani-fanum indicit; ad quem principes, regni proceres, ac ſacri conſiſtorii conſiliarii, ex curia Pariſienſi etiam delecti, juſſu regis venerunt. Senatus delegatis datus, et, ſumpta ex iis quae retulerunt occaſione, ſcena, generalem ordinum regni conventum referens, inſtruitur; in qua, poſt datum actioni principium, in certas claſſeis, quibus regii ſanguinis principes praeerant, delegati diſtribuuntur; qui ad certa capita, ſacrum ordinem, nobilitatem, juſtitiam ac magiſtratus, civilem adminiſtrationem, et aerarium ſpectantia, et poſt ordinum decretum legis vim habitura, reſponderent, et ſententiam ſuam ſcripto comprehenſam ad regem deferrent. Igitur November totus ac ſequens menſis, uſque ad exitum anni, his deliberationibus inſumptus eſt: in quibus infauſto augurio renovati ac propoſiti varii de majeſtatis lege articuli, qui in republica bene ordinata ſervantur potius quam diſcuntur. De juribus item regiis actum, quae aut obſoluerunt, aut in contemptum abierunt: in quibus cum illud in deliberationem adductum eſſet, regem, regioſve magiſtratus officio ſuo defungenteis, ratione muneris ſui, non poſſe diris devoveri, et extra eccleſiae communionem poni; licere item regi prohibere, ne diplomata hujuſmodi contra epiſcopos aut magiſtratus regios decreta executioni demandentur; praeſules conſcientiae ſcrupulo attineri ſe reſponderunt, et, quo minus ſuper eo capite ſententiam dicerent, ſe excuſarunt. Id initae jam tum adverſus regem regnumque conjurationis certiſſimum indicium fuit; quod praeviſum rex neque cavit, et ſumma imprudentia diſſimulavit. Paulo ante XII Kal. Febr. rex diro ac maxime memorabili ſomnio perculſus eſt; nam viſus ſibi fuit per ſomnum a leonibus

VAR. LECT. [α] Apud nos rex, ut *D.* f. d.

INTERPR. [a] *Du Bec, evêque de Nantes.* [b] *de Chaſteigner, Sieur d'Abein.* [c] *de Villars, arch. de Vienne en Dauphiné.* [d] *d'Angennes de Poigny.* [e] *Guienne, & Languedoc.* [f] *d'Eſpinac, arch. de Lyon.* [g] *de Seure, chevalier de Malte.* [h] *Normandie, & Bretagne.*

leonibus laniari: quod ille de leonibus, quos more inter reges uſurpato in area Luparae ſubjecta alebat, interpretatus, ſtatim eos a ſtationariis, ſuppreſſo nihilominus ſomnio, ſcloppetorum ictibus interfici juſſit. Id mirati initio plerique, qui cauſam ignorantes, ubi ex amicis in arcano reſciverunt, ſomnium longe aliter, ac fortaſſe verius, interpretati ſunt; cum regem a miſeris leonibus, quos caveis concluſos tenebat, ſecurum [α] degere, in factionis jam adultae duces, qui jam tum regis lanienae multorum judicio fatis deſtinabantur, inſpicere potius debuiſſe, palam dicerent. Aliud et incidit, quod, ſi laeva mens non fuiſſet, plenam conjurationis fidem jam tum faciebat; eadem nihilominus ſive caecitate ſive ſecuritate [β] tranſactum. In eo conventu Jo. Gueſlaeus Pariſienſis praeſes orationem de judiciario ordine inſtaurando habuit; in qua, ubi ad impunitatem criminum ventum eſt, cum multa in feretrum ſeu capſam S. Romani [a] Rotomagenſis contra abominandum ejus uſum dixiſſet, cardinalis Borbonius Rotomagenſis archiepiſcopus, qui aderat, jam foederatione occulta cum Henoticis conjunctus, ita exarſit, ut, quaſi de dignitate ac fortunis, atque adeo ſalute aeterna, ageretur, ſtatim in genua coram rege ſupplex procubuerit, a Gueſlaeo ſibi eccleſiaeque ſuae Rotomagenſi de tanta injuria ſatisfieri enixe petens; quem rex, actione illa tragica nonnihil commotus, tamen ſurgere ac quieſcere pro tempore juſſiſſe ſatis habuit. De S. Romani [γ] famoſa capſa, quoniam nunc primum ſermo incidit, addere quaedam pretium [δ] videtur. Hunc aiunt temporibus Dagoberti, qui circa annum Chriſti IↃ CXXXII Francorum regnum tenuit, floruiſſe vitae ſanctitate; archiepiſcopum Rotomagenſem, et ipſius regis cancellarium fuiſſe: qui, cum belua quaedam incognitae formae et ſaevitiae vicinam oram vaſtaret, infelici exitu cum ea congreſſis pleriſque, ultro ad illam innocentia ſua et praeſenti Dei auxilio fretus acceſſit; et ſacris carminibus excantatam, injecta etiam in collum ſtola, innoxiam [ε] ſtitit; et malefico cuidam, quem e carcere productum comitem ſibi ſumpſerat, ducendam Rotomagum tradidit. Inde invaluiſſe perhibent, ut in feſto Aſcenſionis, ad celebrandam facti memoriam, maleficus quotannis aliquis mortem commeritus, ſacri collegii Rotomagenſis eccleſiae arbitrio deligendus, producatur, qui feretrum S. Romani ſolemni ſupplicatione ac pompa per urbem circumgeſtet, ac remiſſo crimine dimittatur. Tanti miraculi nullus fide dignus ſcriptor vetus mentionem facit; cum multa alia memorent, qui res illius aevi ſcripſere: nam is qui Gregorii Turonenſis hiſtoriam pertexuit, ſive Fredegarius ſive Itacius fuit, prorſus de

eo

VAR. LECT. [α] degere, in Lotaringos, qui jam tum *MS. Samm.*

[β] tranſactum. Joannes Gueſlaeus, cum nuper regis cognitor eſſet, orationem de judiciario ordine inſtaurando per otium ſtudioſe ac magna cura meditatus fuerat, in ſcriniis diu ante aſſervatam; cum ſe occaſio offerret, eam coram rege habiturus: quae ne periret, licet curiae praeſes interea, reginae, quae ejus fortunam ſemper antea promoverat, commendatione, creatus, ſe ad eum conventum vocari per illam curaverat. Aderat et Barnabas Briſſonius, ejuſdem curiae praeſes, homo doctiſſimus, qui ſtudium pari cura elaborandae orationis neglexerat; de cetero, ad omnia quae proponebantur, ſemper, qua erat profunda eruditione et ingenio praeſenti, paratiſſimus: cum ille contra, poſt habitam illam orationem, ad cetera fere ſemper obmuteſceret: adeo ut poſt ſolutum conventum dicterium in vulgus emanaverit, Gueſlaeae eloquentiae fontem artificialem, Briſſonianae naturalem eſſe; quod ille ad tempus, hic ſemper flueret. In oratione vero illa cum Gueſlaeus, ubi ad impunitatem criminum ventum eſt, multa *MS. Samm. Put. et Rig.*

[γ] fabuloſa *MS. Samm.*

[δ] videtur. Fabuloſam dico, quod nulla ejus mentio in veteribus martyrologiis, quod ſciam, aut iis qui ſanctorum vitas ſcripſerunt, habetur: nam ſi Romanum martyrem, cujus meminit Euſebius, B. Joannes Chryſoſtomus, et Aurelius Prudentius; ſi item Romanum Burdigalenſem preſbyterum, quem Gregorius Turonenſis noſter celebrat, excipias, nullus hujus nominis in tota antiquitate reperitur. Hunc *MS. Samm.*

[ε] ſtitit. Sed, cum vel cruore ferino manus commaculare tanto praeſuli religio eſſet, quaerendus erat aliquis qui feram manu duceret, ac interficeret. Territis periculo ac recuſantibus cunctis, e carcere maleficus productus; qui ad mortem damnatus, imperio, quod poenae commutationem interpretabatur, paruit; et in beluam protinus invaſit, ac coram archiepiſcopo manu tractam citra periculum interfecit. Inde invaluiſſe perhibent, *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Rouen.*

eo ſilet; et pariter Aimoinus, qui multa de Dagoberti pietate libro quarto memorat, et inter alia morienti aſtitiſſe Burgundiae et Neuſtriae pontifices dicit; nulla de S. Romano mentione, neque tunc neque in ſuperioribus, facta. Habeo penes me fragmentum ex antiquo martyrologio ante CCCC annos, ut apparet, manuſcriptum, ex [a] Britannia allatum; quo vita inſerta eſt S. Romani archiepiſcopi Rotomagenſis, qui circa annum IↃ LX eam eccleſiam ſumma ſanctitatis opinione rexit, ſub Lothario, ſive potius Clothario, Sueſſionum rege, nam ita eum nominant noſtri annales, Lodovii, ſive rurſus Clodovii, et Clothildis filio. Is, cum Rotomagi civium et provincialium vota in archiepiſcopo deligendo diſſiderent, jejunio indicto et conceptis ad Deum precibus, ut variantibus ſuffragiis concordiam adſpiraret, omnium unanimi conſenſu electus, et aſſentiente rege, ac baculo paſtorali ab ipſo accepto, in dignitate confirmatus dicitur. Illudque primum ab eo divina gratia freto pie ſive mire factum memoratur, quod, cum tota vicinia a ſpiritibus immundis, qui circa delubrum antiqua gentilium ſuperſtitione Veneri ſacrum oberrabant, vexaretur, ſacello everſo locum purgaverit: inundationis item ad alta uſque urbis moenia intumeſcentis periculo, ſaepius antea recurrenti, fuſis indeſinenter ad Deum precibus, oppidanos exemerit: ac poſtremo aliis dioeceſis locis fana Mercurii, Jovis, Apollinis, demolitus fuerit, et nova, abolito impio falſorum deorum cultu, devotione Chriſtiana conſecrarit; nullo interim tota illa narratione, quae non inculto omnino ſermone ſcripta eſt, de beluae, quam vulgo draconem vocant, adeo formidandae fabula verbo adjecto. Itaque alii, qui melius ſentire ſe putant, alium a cancellario Dagoberti, ſive Clotharii regis familiari, Romanum faciunt, cujus feretrum hodie tanta in veneratione Rotomagi eſt; eumque diu poſt, ſub Carolo Simplice, Rollonem primum Normanniae ducem ſacra lotione tinxiſſe dicunt; quanquam eum Franconem nominant noſtri annales, idque in annum ſalutis IↃ CCCCXII conjiciunt: de quo tamen nihil tale uſpiam memoratur. Quod ſi verum eſt, fabula miraculi, et cum fabula privilegium aſyli, ac dimittendi malefici, prorſus evaneſcit. Quod tamen Caroli VIII, qui Normannos impenſo favore complectebatur, nam antiquiorem ejus mentionem in annalibus noſtris minime reperio, diplomate, [b] Alençonii in Aulercis dato, et poſtea a Ludovico XII repetita illius e priſco aevo memoria, renovatum eſt; exceptis ab ea gratia criminibus laeſae majeſtatis, falſae monetae, aliis quibuſdam: quod ab eo tempore toleratum fuit; ſenatu ipſo urbis religioni et plebis opinioni id condonante. Verum exortis in regno factionibus, ac praecipue his ultimis temporibus, in immenſam ac abominandam impunitatem privilegium excrevit; ejus beneficio, quod provinciae tantum indigenis et juriſdictioni ejus ſubjectis indultum erat, ad totius regni maleficos et complices, omneis etiam eos qui ſe minime in jure ſiſterent, ſed a reo nominarentur, ac poſtremo ad deteſtanda quaevis crimina, porrecto. Itaque ſceleſtiſſimi quique toto regno, qui de gratia ac clementia regia deſperabant, ad aſylum illud certatim confugiebant: in quod ut reciperentur, cardinalis Borbonii gratiam ambiebant; qui jam tum a factioſis ſpe regni faſcinatus, eam non niſi eorum arbitrio largiebatur. Ita piaculares illi ſcelere jam obligati, per hoc beneficium novo ſceleri facile obligabantur; hoc eſt, conjurationi contra regem regnumque initae nomen dabant. Id provinciae [c] curia cum aegre ferebat, tum crebris querelis apud regem, ut graſſanti impunitati tempeſtivum remedium adhiberetur, ſaepius inſtiterat. Pariſienſis etiam ſenatus contagione mali cum infici vicinos doleret, ſaepius expoſtulaverat; et in illo conventu,

INTERPR. [a] *Bretagne.* [b] *Alençon au Perche.* [c] *Parlement de Rouen.*

CIƆ IƆ LXXXIII. conventu, hinc ſumpta occaſione, [a] Gueſlaeus, nihil minus cogitans quam ut cardinalem Borbonium offenderet, in Rotomagenſis feretri mentionem impegerat:

HENRICUS III. quod ille adeo impatienter tulit, non ſolum ad injuriam id revocans, ſed commoditatem ſibi ſublato illo aſylo dolens, homines perditos, ſic a ſeditioſis e ſacro ordine perſuaſus dicere ſolebat, in viam reducendi, et ſacrae foederationi nomen dandi. Majorem longe nomini ac genti propriae factam injuriam patientius tulit imprudens ſenex, jam alienato per factiones a ſuis animo; cum cardinalem Guiſianum, qui conventui aderat, de principe loco in conſeſſu cum Carolo Borbonio fratris filio ſacris deſtinato controverſiam movere non ſolum paſſus eſt, ſed etiam ipſi ſuccenſuit, quod juvenis adhuc ſolutus de ſedendi praerogativa cum cardinali ac presbytero contenderet; nulla interim regii ſanguinis dignitatis habita ratione, cujus praecipua ſemper regni legibus, etiam contra ſacrum ordinem, auctoritas eſſe conſuevit. Secundum quam, et juxta regni leges, rex pronunciavit; et neceſſitatem poſt Carolum ſedendi Guiſiano cardinali, ſi in conventu manere vellet, ac ceteris praeſulibus impoſuit: quod ille indigniſſime tulit, et ſumma arrogantia ob id conventu abſtinuit; et, cum quidam praeſules nihilominus manſiſſent, et decreto regis obtemperaſſent, ſuperbo dicterio eis ſuccenſuit; [α] alios eſſe dictitans qui ſacram dignitatem ornarent, alios quibus ea dignitas ornamento eſſet. [β] Nec minore ſuperbia regi regioque nomini in re fere pari paulo poſt illuſum eſt. Dum conventus celebraretur, pontifex ultima cardinalium cooptatione inter alios Carolum ipſum Borbonium, qui cardinalis [b] Vindocinus, quamdiu patruus vixit, dictus eſt, et Franciſcum [c] Jouſam, jam presbyterum et archiepiſcopum Narbonenſem, in ſenatum legerat. Cumque in more ſit, ad majus tantae dignitati decus conciliandum, ut, qui ea ornati ſunt, pileum a pontifice miſſum de manu regis accipiant, quod magna ceremonia celebrari conſuevit; Jouſa, quod ſacris addictos Romae ſolutos praecedere intellexiſſet, et in Gallia Carolo praeferri voluerat; idque Annae fratris favore fretus, inſtigantibus Guiſianis, ut regii ſanguinis dignitatem deprimerent, ambitioſe affectaverat: et impetraturus a rege obnoxio putatur, niſi Annae flagrans gratia paulo ſub id refriguiſſet. Adeo erat inaequale ingenium regis, ut quod legitime in cauſa Guiſiani modo ſtatuerat, ſi Jouſae tunc priſtinum favoris gradum retinuiſſent, per gratiam contra regni leges mutaturus credatur. Eſpernonii tamen aemulo imminentis, et regii ſanguinis decus livori occulto praetexentis, interventu factum eſt, ut Vindocinus Jouſae praeferretur.

V. Antea eodem anno, menſe Maio, provincialis ſynodus celebrata fuerat [d] Durocortori Remorum a Ludovico cardinali Guiſiano; cui interfuerunt [e] Sueſſionenſis, Laodunenſis, Bellovacenſis, Catalaunenſis, Noviodunenſis, Ambianenſis, epiſcopi; et Silvanectenſis, qui aberat, vicarius. Nulla [f] Bononienſis in ea mentio, qui [g] Taruennenſi ſucceſſit; nulla [h] Tornacenſis item et Cameracenſis; qui duo olim Remenſi archiepiſcopo ſubjecti ab eo divulſi ſunt, nova illa epiſcoporum inſtitutione in Belgio a Paulo IV facta, cui cardinalis Lotaringus, dum rerum in Gallia Franciſco II rege potiretur, damnoſa regno diſſimulatione ſubſcripſit. Eodem menſe et [i] Caeſaroduni Turonum altera ſynodus inchoata, et Septembri proximo [k] Andegavi peracta fuit, a Simone [l] Mallio provinciae praeſule, ut natalibus,

ſic

VAR. LECT. [α] *Haec verba*, alios eſſe dictitans qui ſacram dignitatem ornarent, *perperam omiſſa in editione Genevenſi* 1620. [β] *Quae ſequuntur ſexdecim circiter lineae, uſque ad* Antea eodem anno, *deſunt D.* f. d.

INTERPR. [a] *de la Gueſle.* [b] *de Vendoſme.* [c] *de Joyeuſe.* [d] *Reims.* [e] *de Soiſſons, Laon, Beauvais, Chaalons, Noyon, Amiens, & Senlis.* [f] *de Boulogne.* [g] *de Teroüenne.* [h] *de Tournay, & Cambray.* [i] *Tours.* [k] *Angers.* [l] *de Mailly.*

ſic rara eruditione, inſigni: cui interfuerunt [a] Andegavenſis, Namnetenſis, Leonenſis, Briocenſis, Redonenſis, Coriſopitenſis, Dolenſis, ac Venetenſis, epiſcopi; [b] Maclovienſis et Cenomanenſis epiſcoporum, qui aberant, vicarii; pro [c] Trecorenſi, quoniam ſedes vacabat, a collegio delegati. Quarum ſynodorum decreta a pontifice poſtea confirmata, et auctoritate regis publicata ſunt. Juridici et dies indicti, regio diplomate in curia promulgato Eidibus Sextilibus, et [d] Auguſtobonae Tricaſſium in Campania celebrati ſunt, Bernardo [e] Prevotio Morſano praeſide; multaque ſeveritatis in nobilitatem licentioſe graſſantem exempla edita.

VI. EODEM menſe VII Eid. [f] Ivo Alegrius, Antonii Milialdi ante decennium a Gulielmo [g] Pratenſi Vitelliano Lutetiae interfecti filius, ſicuti in ſuperioribus demonſtravimus, ipſo Vitelliano ad ſingulare certamen provocato et interfecto, mortem paternam ultus eſt; cum eodem die Anna Alegria propior Ivonis ſobrina, et Chriſtophori Alegrii ac Antoniae Vitelliani ſororis filia, Vido XIX hujus nominis Lavalli [α] comiti, qui e Belgio interea redierat, nupſiſſet.

VII. SUB id Antonia Borbonia valde annoſa, quippe quae annum XXCVIII attigerat, [h] Jonvillae placide ad Deum migravit XIII Kal. Febr. antiqui moris et probitatis foemina, ac tot liberorum parens, quos ex Claudio Lotaringo Guiſio ante XXXIII annos mortuo ſuſcepit, forma et virtute praeſtanteis, et regni bono, certe magno ornamento, natos, niſi illos poſteroſve ſeu ſocordia noſtra, ſive regni ad exitium vergentis fortuna, in periculi partem praecipitaſſet. Annum clauſit mors Renati Biragi cardinalis Franciae cancellarii, illuſtri in [i] Inſubribus familia orti, cujus majores fortunam Gallorum ſemper in Italia ſecuti fuerant; quorum et ipſe aemulatione fidam operam tota vita, quae illi longiſſima fuit, regibus noſtris navavit. Primum in Pariſienſi curia ſenator, et inde quaſi ad honores gradu facto, ſummis dignitatibus ac legationibus, et ſaepius militaribus muneribus, quae ille fere prae vita togata adfectavit, defunctus; poſt reſtitutam Sabaudiae principi [k] Subalpinam provinciam, Lugdunenſi praefectura donatus; ac poſtremo ad ſummum honorum faſtigium, hoc eſt, ad cancellarii dignitatem, evectus: vir generoſus ac prudens, ingenio candido et liberali praeditus; ſed, ut externus, parum juris Gallici ſciens, ideoque minus tanto magiſtratu dignus habitus; cum quavis alia maxima dignitate, ſive fidem, ſive prudentiam, et rerum aliarum uſum ſpectes, eſſet digniſſimus. Tandem, cum LXXVI annum vitae ageret, Lutetiae deceſſit VIII Eid. Decembreis; magna pompa et ſenatu toto proſequente funeratus, et in beatae Catharinae templo, ab eo ad id ſumma magnificentia antea exſtructo, in quo et Valentiae [l] Balbianae uxori monumentum poſuerat, conditus. Ei in munere ſuffectus eſt Philippus [m] Huraltus Cevernii comes, jam ſucceſſor deſignatus; in quem ante quinquennium, cum jam affecta aetate ſenex laborioſa ſigillorum adminiſtratione levari cuperet, eorum procuratio tranſlata fuerat. Et, ut ad literis claros viros deveniam, longe maximam reſpublica Chriſtiana jacturam fecit in morte Joannis [n] Maldonati, loco nobili in [o] Baetica Hiſpaniae nati, e ſodalitio Jeſuitico, egregie a teneris annis omni literarum genere exculti; qui ad exactum philoſophiae et theologiae ſtudium ſingularem pietatem, morum candorem, et acerrimum judicium cum attuliſſet, magna cum laude et frequenti omnium ordinum concurſu totos decem annos Lutetiae Pariſiorum,

ubi

VAR. LECT. [α] comiti, Franciſci Colinii Andeloti a nobis ſaepius memorati filio, qui e Belgio *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *les evêques d'Angers, Nantes, St Pol de Leon, St Brieu, Rennes, Cornoüaille, Dol, & Vannes.* [b] *de St Malo, & du Mans.* [c] *de Treguier.* [d] *Troyes en Champagne.* [e] *Prevoſt, Sieur de Morſan.* [f] *Ives d'Alegre, Sieur de Millaud.* [g] *Du Prat, baron de Viteaux.* [h] *Joinville.* [i] *le Milanois.* [k] *Piedmont.* [l] *Balbiani.* [m] *Hurault, comte de Chiverny.* [n] *de Maldonado.* [o] *Andalouſie.*

CIƆ IƆ LXXXIII. HENRICUS III.

ubi et eum pueri audivimus, in [a] Claromontana ſchola profeſſus eſt: unuſque in cauſa exſtitiſſe merito creditur, ut ſodalitium illud, toti academiae valde inviſum, et alioqui jam prudentioribus ſuſpectum, ob tanti viri gratiam ac commendationem, a ſenatu, apud quem lis adhuc indeciſa pendebat, tamdiu toleraretur; et eo uſque, dum, rebus ſodalium in urbe confirmatis, Maldonatus, poſt conciliatam inſigni ſua unius eruditione novo ordini celebritatem, a Gregorio XIII pontifice Romam evocatus eſt; ubi vir aſſiduus in ſtudiis et lucubrationibus ſuis exacte digerendis intentus, ex nimiis vigiliis contracto morbo deceſſit VIII Eid. Jan. cum paulum LVI annum ſupergreſſus eſſet. Nihil vivens publicavit: poſt mortem ejus, opera ac cura Clementis [b] Puteani, ex eodem ſodalitio viri doctiſſimi, prodierunt eruditiſſima commentaria in IV evangeliſtas, [c] Muſſiponti edita, meliora et integriora multorum judicio futura, ſi ſuperſtite auctore edita fuiſſent: quibus tamen ſi pari diligentia elaboratae in acta apoſtolorum et apoſtolicas epiſtolas interpretationes, quas ſcripſiſſe illum conſtat, olim accedant, habebunt profecto omnes docti et pii opus paucis in hoc genere comparandum, et quod unum multorum inſtar eſſe poſſit. Maldonatum paulo poſt ſecutus eſt Hubertus [d] Goltzius, patre [e] Wirsburgenſi Franco, [f] Venloae in Sicambris natus; cui antiquitas Graeca ac Romana, ſecundum Onufrium Panvinium, Antonium Auguſtinum, Fulvium Urſinum, debet plurimum; et qui arte coelandi ac ſcriptis propriis ad utramque multum contulit: haud ita ſenex, vixque annum LVIII egreſſus, Brugis Flandrorum, ubi larem fixerat, IX Kal. April. denatus eſt. Annum clauſit mors Thomae Eraſti, [g] Badenis in Helvetiis nati; qui philoſophiae et medicinae ſtudiis hac aetate claruit, ſolidis, veris, atque adeo a veteribus proditis, utriuſque ſcientiae primordiis conſtanter inſiſtens. Itaque et aſtrologiam, quae ex poſitu aſtrorum de fortunis hominum decernit, validis argumentis confutavit: et Paracelſiam medicinam, quae, ſeu novitatê ſeu vanitate ſua, in Germania ac alibi tot ingenia illexit, validis itidem argumentis confutatam acerrime inſectatus eſt. Ad ultimum etiam, humanas ſcientias egreſſus, theologica tractavit; et quaeſtionem de diſciplina ac cenſuris non omnino ex ſuorum ſententia agitavit: unde graves in Helvetiorum eccleſiis exortaè contentiones. Tandem ſexagenario major, hoc anno [h] Baſileae, ubi, ſicuti Heidelbergae, diu antea docuerat, qui naturam tot doctiſſimis ſcriptis illuſtraverat, naturae debitum perſolvit pridie Kalendas Januarias, ad B. Martini ſepultus.

VIII. Antequam Romam proficiſceretur Jouſa, pro ratione muneris, quippe maris praefectus, et Antonio Luſitaniae regi electo promiſſis obligatus, a regè obtinuerat, ut Gallis, qui poſt cladem Strozzianam in [i] Tertia relicti fuerant, ſuppetiae ferrentur: quae provincia, cum eam Carolus [k] Roaldus Landereus ambiret, Jouſa ipſo annitente, Aemaro [l] Caſto proxima cognatione ſibi conjuncto demandata fuerat. De qua dicturo ab anni initio res Luſitanae repetendae ſunt.

IX. Philippus in Caſtellam quamprimum redire cupiens, vocatis regni Luſitani ordinibus, VII Kal. Febr. initium [m] Oliſſiponae per Alfonſum [n] Caſtroblancum Algarbiorum antiſtitem fecit; et, deplorata [o] Didaci filii morte, voluntatis ſuae eſſe dixit, ut in Philippi novi principis verba jurarent: aſſenſumque praebentibus per Melchiorem [p] Almaratum cunctis, [q] Barcelli dux ceteris praeivit, dum Bracantiae dux parens ejus conneſtabilis officio fungeretur, gladium ſtrictum Philippo praeferens. Barcelli deinde exemplo proceres et alii delegati in genua procumbentes

INTERPR. [a] *College de Clermont.* [b] *Du Puy.* [c] *Pont à Mouſſon.* [d] *Goltz.* [e] *de Wirtzbourg en Franconie.* [f] *Venlo en Gueldre.* [g] *Baden en Suiſſe.* [h] *Baſle.* [i] *Tercera.* [k] *de Rouhaut, Sieur du Landereau.* [l] *le commandeur de Chaſtes.* [m] *Liſbonne.* [n] *de Caſtel-blanco, evêque des Algarbes.* [o] *Principe Don Diego.* [p] *de Amaral.* [q] *Barcellos.*

procumbentes fidem ſacramento obligarunt. Studioſe caverat rex, ne, ſicuti [a] Tomarae, ita hic ordinum conventus comitiorum nomen et auctoritatem ſibi ſumeret; ne delegati inde nova poſtulata faciendi, aut vetera renovandi, occaſionem caperent: curaveratque, ut mandata tantum de juramento praeſtando, non etiam aliis negotiis, a ſuis curiis haberent. Nihilominus delegati inſtitere, ut gratia jam facta ampliaretur; quod tamen nequaquam impetrarunt. Nec vero aut [b] Bracantinus aut [c] Montis-regalis marchio ſperata a rege novo praemia ac dignitates obtinuerunt: unde uterque cum maximum dolorem cepiſſet, ille ex eo paulo poſt deceſſit; miſſam ſub Caſtellenſium jugum patriam, neque promiſſa a rege praemia repraeſentari, moerens. Tandem, conſtitutis pro tempore in regno rebus, legibus novis conditis; et loco gratiae Luſitanis conceſſo, ut ſerico liberius, quam antea licebat, uti poſſent, Albertum Auſtrium cardinalem cum ſumma poteſtate regno impoſuit; eique aſſeſſores dedit Georgium [d] Almeidam Oliſſiponae archiepiſcopum, Petrum Alcaſovam, et Michaelem Moram, olim ab epiſtolis regni, tunc vero creatum [e] Puritatis ſcribam; qui magiſtratus, longe maximae in Luſitania auctoritatis, diu ante obſoluerat, in neminem a temporibus Joannis III, poſt Michaelis [f] Silvae Viſaei epiſcopi ac cardinalis mortem, collatus. Impetraverat Alberto a pontifice Philippus, quo ei majorem dignitatem et gratiam apud Luſitanos conciliaret, ut is, ſicuti nuper Henricus, in regno legatus pontificius crearetur: verum id tantum ad biennium conceſſum; ita ut populi non tam dignitate et commoditate ex ea naſcente laetarentur, quam finitam tempore poteſtatem in eum collatam indignarentur; ſic fore judicantes, ut poſt biennium exactum Albertus e Luſitania revocaretur, et tandem regnum in provinciam coronae Caſtellenſi ſubjectam redigeretur. [g] Auguſta, Philippi ſoror, ſpecie viſendi [h] Sanctorum monaſterii, in quo puellae, quas nihilominus ad legitimum matrimonium optare licet, religioſam vitam degunt, Julianam [i] Lancaſtrenſem [k] Averi principatus heredem, vix decenni majorem, ſecum duxit; frementibus Luſitanis, qui ſe eo exemplo quaſi in miſeram captivitatem a Caſtellenſibus rapi interpretabantur. Urebat et Luſitanos, quod regni [l] aerario non indigena, ſed Franciſcus Villaſagna Caſtellenſis, praefectus fuerat. Rex tandem III Eid. Febr. urbe diſceſſit, nobilitate utcunque ſive praeſentium neceſſitate ſive futuri ſpe placata, ſed adhuc tumentibus plebis animis; quae per abſentiam regis a Luſitania, et occaſione Gallorum, qui inſulas tenebant, res in regno mutaturas ſibi perſuaſerat; eaque in opinione confirmabatur vana Belgicorum ſucceſſuum exſpectatione, quod tot locis diſtractae Philippi eodem tempore vires minus ad ſingulis occurrendum valiturae viderentur. Sed ea ſpes ſubito in parte evanuit, nuncio de Antuerpienſi motu allato: ubi Andinus, dum res ſuas magis firmare nititur, pravo ac temerario conſilio bene procedentia fortunae initiis arridentis incepta evertit. Itaque poſt eum caſum ſola in inſulis ſpes reſtabat: quas Philippus, cum claſſem auxiliarem in Gallia ad ſuppetias ferendas parari intellexiſſet, in poteſtatem eo anno redigere omnino neceſſarium ſibi exiſtimabat.

X. [m] TERTIAM tenebat cum IↃCC Gallorum praeſidio, una Anglorum cohorte, et III circiter indigenarum armatorum CIↃ, Emmanuel Silva, homo majore animo, quam rerum uſu aut prudentia, praeditus; qui odio Hiſpanorum caecus, nullum ſuperbis imperiis, et per delationes popularium vexationibus, pecuniarum denique exactionibus, modum faciebat. Ad haec inſulam ita exſtructis ubique munitionibus,

INTERPR. [a] *Tomar.* [b] *le duc de Bragance.* [c] *Monterrey.* [d] *de Almeida, arch. de Liſbonne.* [e] *Eſcrivano de la Puridad.* [f] *de Silva, evêque de Viſeo.* [g] *l'imperatrice.* [h] *de Santos.* [i] *de Alencaſtro.* [k] *Aveiro.* [l] *la hazienda.* [m] *la Tercera.*

CIↃ IↃ LXXXIII.
HENRICUS III.

munitionibus, eae XXX amplius numero erant, et aggeribus artificioſe ductis, firmaverat, ut acceſſu impenetrabilis crederetur. Contra eam Philippus majorem quam ſuperiore anno claſſem inſtruit, ei praepoſito cum ſummo imperio Alvaro [a] Baſſano S. Crucis marchione; ad quem adjunxit XII triremeis, et IV majoris formae navigia triremium ſpecie, aptatis ad antennas velis quadratis, et tertia malo, ut oceani aeſtum facilius ferre poſſent. Nec omnino apud nos ceſſabatur: nam, Jouſa inſtante et regina parente, Dieppae auxiliaris claſſis inſtruitur, quae IↃC circiter bellatores portabat, minus ſpe et opinione concepta ſubſidium; tepeſcente jam apud noſtrorum aulicorum animos, poſt adverſam fortunam, Antonii gratia, et ſubeunte faſtidio. Claſſi praefectus eſt is quem dixi, Aemarus [b] Caſtus; qui, cum Antonii et regis Chriſtianiſſimi ac reginae parentis mandatis, Angram III Eid. Jun. appulit. Antonius per literas magiſtratus conſtantiam laudabat, et, ut in ea perſeveraret, hortabatur; nam in inſularum fide ac ſalute omnem recuperandi regni ſpem repoſitam eſſe. Rex in gratiam parentis multa et magna pollicebatur; et eadem fere reginae matris literis repetebantur. Exceptus magna laetitia et honoris ſpecie ab inſulanis, et a Silva ipſo, Caſtus. Cum inutilem plebem, cum mulieribus et imbelli ſexu ac pretioſiore ſupellectile, ad montana ſeponi conſultum viſum eſſet, loca inſulae, munitiones, et aggeres luſtrati; diſpoſitis ubique locis idoneis machinis, quae ad CCC omnis formae repertae ſunt. Cum vero videret Caſtus commeatum admodum exiguum ſuppetere, et vireis inſulanorum ſpe et opinione longe minores, quam ut claſſis Hiſpanae robur ſuſtinere poſſent, Silvam in arcano seducit; et, demonſtrata imbecillitate inſulae, et apparatuum bellicorum ac bellatorum exiguo numero, de conſilio et fiducia ſua hominem ſuperbum percontatur: a quo non aliud reſponſum tulit, quam tantam eſſe Luſitanorum virtutem, ut omneis alios defectus ipſi per ſe ſupplere poſſent. Nihilominus Caſtus urgebat, ut commeatus intra primariae urbis arcem contraheretur; ut, ſi Hiſpani impediri non poſſent, quominus copias in terram exponerent, univerſae militares copiae ad arcem illam tutum receptum haberent, eamque tamdiu defenderent, quo uſque, hyeme appetente, hoſtes vela facere et inſulam relinquere cogerentur. Sed contradicebat Silva; et, ſi id fieret, militem, qui alterum ſe receptum interiorem habere ſciret, munitiones in litore ſervandas protinus deſerturum palam affirmabat. Sed aliae cauſae occultae ſuberant, propter quas ſalutare Caſti conſilium ſequi detrectabat; quod minorem commeatum haberet, quam ut tanto militum numero ad longum tempus ſufficere poſſet; nec mediterraneo ullo loco includi volebat, jam tum de fuga cogitans; parumque Gallis fidebat, quos magno proinde numero in locum munitum recipere minime tutum arbitrabatur: unde diffidia inter duces orta, ipſis, ſed inprimis Silvae, ad extremum exitioſa. Caſtus, luſtrata inſula, cum ad eam partem quae ortum et ſeptentrionem ſpectat, haud longe a [c] Serrae promontorio, ſtationem notaſſet, plus II CIↃ navium capacem, ad quam hyeme ipſa naves tuto poterant adpellere, [d] Plagam, villam ſtationi imminentem, tueri ſtatuit. Locum tenebat Michael [e] Cantus, primarius municipii civis; qui adventu Caſti laetus ſe ad ejus imperia paratum praebuit, magnoque ei ad neceſſaria comparanda adjumento fuit. Miſſi tamen e numero Gallorum CCC circiter [f] Faginam, ductore [g] Carlo, qui eam ad inopinata in officio continerent. Cum bimeſtre ita tranſactum eſſet, claſſis Hiſpanica XIII Kal. Sextil. ex alto longe apparuit; cum IX Kal. Quintil. hoc eſt, in pervigilio B. Joannis Baptiſtae, Oliſſipona ſolviſſet; LX navibus omnis generis conſtans, praeter

INTERPR. [a] *de Baçan, marquis de Santa Cruz.* [b] *le commandeur de Chaſtes.* [c] *Cap de Serra.* [d] *Praya.* [e] *del Canto.* [f] *Iſla del Fayal.* [g] *le capitaine Carles.*

praeter triremeis, et xxx circiter majoris formae naveis, a mercatoribus diverſarum nationum conductas, aliaſque minores, quae neceſſariis ad exercitum alendum rebus portandis inſerviebant. Claſſe vehebantur circiter x CIↃ Hiſpanorum, quibus praeerant Lupus Figeroa, Franciſcus Bovadilla, et Joannes [a] Sandovalius; CIↃ IↃ Germani, quos ducebat Hieronymus [b] Lodronius comes; II Italorum cohortes, duce Lucio Pignatello; una Luſitanorum volonum, cui praepoſitus erat Felix [c] Arragonius; omnes bello ſpectati duces: nec minus delecti milites erant, quippe qui jam in Italia et Belgio fuiſſent, et major pars bello foederatorum interfuerat. Ad S. Michaelis inſulam primus appulſus fuit, ubi Auguſtinus [d] Inicus cum II CIↃ Hiſpanorum ſuperiore anno relictus fuerat; quos in triremeis imponi cum aliquot tormentis juſſit [e] Santacrucius, et inde ad [f] Tertiae ſinum, in quo Angra jacet, cum tota claſſe venit. Luſtrata inſula, et miſſis qui gratiae a Philippo inſulanis et praeſidiariis exteris conceſſae diploma publicarent, cum id Emmanuel Silva impediiſſet, et mortem nunciis, ni abſtinerent, interminatus eſſet; tandem ad [g] Molium portum, haud longe a Sebaſtiani-fano, natura potius quam aut inſulanorum aut noſtrorum arte munitum, ſcopulis plenum, ac propterea fere neglectum, exſcenſionem fecit, B. Annae ſacro die, quo antea anno vertente feliciter pugnaverant. Dum exſcenſio fit, ab omni parte delectae naves inſulam circumeunt, quaſi vim facturae; ut, dum incertum eſſet qua parte hoſtes irrupturi eſſent, praeſidiariorum vires pluribus locis diſtraherentur. [h] Plagam tuebatur [i] Caſtus, et in opere aſſiduus militem imperiis audientem ad omnia intentum habebat; decernere certus, ſi occaſio ſe offerret. Longe Silvae aliud erat conſilium, quamvis id diſſimularet; qui, navigio inſtructo, fugae occaſionem periculo ingruente captabat. Ad Molium portum tantum tres munitiones opere tumultuario excitatae fuerant; quae a duobus Luſitanorum, uno Gallorum ſigno tenebantur. Ex ſuperiore loco diſploſa a noſtris initio tormenta; et ex triremibus diſploſione contraria certatum. Interim praemiſſa cum lembis et minoribus navigiis circiter IV CIↃ bellatorum, ex Italis, Germanis, et Hiſpanis delectorum, ducibus Figeroa et Auguſtino Inico; qui, poſt diſploſionem utrinque factam, quamvis reflante vento, animoſe in terram deſcendunt, et munitiones oppoſitas aggrediuntur. Ibi acriter certatum, et a noſtris praecipue, qui ex hoſtibus unum et alterum centurionem, et praeterea xxx milites, prima impreſſione ceciderunt, tironibus turpiter fugam capeſſentibus. Sed numero inferiores, amiſſo primario centurione ſuo, et jam recedente altera Luſitanorum cohorte, in vallum tandem ſe recipere, ac mox illud deſerere, coacti ſunt; auxiliaribus, qui tintinnabulorum in collibus per certa ſpatia diſpoſitorum pulſu moniti, ſed difficultate itinerum retardati fuerant, ſerius adventantibus: qui tamen in colle haud longe a Sebaſtiani-fano conſiſtentes, cum munitiones ab Hiſpanis jam captas intellexiſſent, aciem inſtruunt. Obſtinato certamine diu pugnatum fuit; cum Galli, Caſto ipſo inter primos pugnante et in medio diſcrimine verſante, licet numero vincerentur, ducis ſui exemplo incitati, unum et alterum vallum Hiſpanorum jam recepiſſent: ſed ad extremum, calore diei, nocturni itineris labore, et fame victi, ad ſua ſe recepere. Indigenae ad CIↃ amplius boves in caſtra adduxerant; quos contra hoſtem promovere, et ita ordines turbare, decreverant: qui aſtus ſuperiore anno contra Petrum [k] Baldum feliciter ſucceſſerat. Sed non probavit conſilium Caſtus; quippe qui exoleto jam aſtu contra tantum hoſtem uti minime tutum exiſtimaret; et, confluentibus interim undique inſulanis, confligere quamprimum cupiebat, quod

tempore

INTERPR. [a] *de Sandoval.* [b] *de Lodron.* [c] *de Arragon.* [d] *Iniguez.* [e] *le marquis de Santa Cruz.* [f] *Golfe de la Tercera.* [g] *Puerto de las Muelas.* [h] *la Praya.* [i] *le commandeur de Chaſtes.* [k] *de Valdes.*

CIƆ IƆ LXXXIII. HENRICUS III.

tempore ſuis animos, Luſitanis clam a Santacrucio ſolicitatis fidem, labare provideret: et, quanquam jam inclinata die, copias promovet; eo ordine, ut Luſitani dextrum, ipſe cum Gallis laevum cornu duceret. Verum Silva, pro imperio ſummo, quod in inſula atque adeo in exercitu habebat, impetum inhibuit; jam tum de fuga cogitans, emiſſo navigio ad id parato: quod tamen commode exequi non potuit. Ita res in craſtinum dilata, Caſto reclamante, et Dei hominumque fidem obteſtante, prodi cauſam communem, et procraſtinatione hoſti numero potiori animos addi, ſuis demi, quiritante. Nec obteſtationi Caſti exitus defuit; nam ea nocte Luſitanorum major pars per avia in montana proxima dilapſa eſt: ipſe Silva Guadalupem, cum iis quos penes ſe retinere potuit, animi anxius contendit; unde cum rurſus ad [a] Gratioſam inſulam fugere deſtinaſſet, a mulieribus loci prohibitus eſt, quae navigium paratum corruperunt. At Caſtus, a Silva et milite Luſitano deſertus, minime ſe deſeruit; ſed ordinibus ſervatis verſus Guadalupem incedens, Luſitanorum equitum delecta manu comitatus, tendit: quo ſe loco munire et adverſus Hiſpanorum impetus ſuſtinere tamdiu ſtatuerat, quo uſque ipſi, praecipitante autumno, retro in Hiſpaniam vela facere cogerentur. Santacrucius, qui de diſceſſu noſtrorum cognoverat, protinus ſe in viam cum toto exercitu dat, et ultimum agmen carpit; occupato in itinere fano Sebaſtiani, quod noſtri in receptu fruſtra munire tentaverant. Inde Angram recta ducit, aeſtu diei et ſiti ita confecto milite, ut, cum per arida diu iter feciſſet, tandem reperta aqua, multi prae ingurgitatione, ac praecipue Germani, ſuffocati ſint. Urbs ab ea parte, quae mediterranea ſpectat, debilis, facile ab Hiſpanis capta eſt; eoque magis, quod oppidani fere omnes in montana aufugerant, et ſoli ii, qui carceribus attinebantur, in ea reperti ac ſoluti ſunt: praeſidiarii quoque arcem reliquerant. Per triduum praeda militi conceſſa; et, cum triremes Hiſpanae ſub id ad ſinum appuliſſent, claſſem quoque noſtram et inſulanorum depraedatae ſunt; haud magno, ſi machinas et captivos excipias, emolumento. Quibus actis, cum cetera praeſidia ad ſucceſſus famam deſererentur, Santacrucius, antequam ulterius progrederetur, ceteras inſulas in poteſtatem redigere ſtatuit; ut, praeciſa inſulanis [b] Tertiae et Gallis ad illas receptus ſpe, eos ad deditionem citra certaminis periculum adigeret. Secundum haec miſſus Petrus [c] Toletanus, Ferrandinae dux, ad [d] Faginam, triremibus et aliquot navibus ei attributis. Cum eo erant Auguſtinus [e] Inicus et Michael [f] Oquendus, qui ex navibus Cantabricis IƆC delectos ſecum aſſumpſerant. Ubi ad inſulam appulit Toletanus, Conſalvum [g] Pereram Luſitanum, qui uxorem et liberos in ea habebat, praemittit, ut indigenas ad aequas deditionis conditiones inclinaret. Eam tenebat Antonii nomine Antonius [h] Guedes Soſa; qui non ſolum Pereram non audivit, ſed injurioſe habitum ad extremum etiam venabulo interfecit. Ex mora conjectans id quod erat Toletanus, luſtrata inſula, cum eam minus Tertia inacceſſam ac parum munitam comperiſſet, copias IV Kal. Sextil. in terram fere citra certamen exponit; ſtatimque CCCC Gallos obvios habuit, et aliquot Luſitanos; quos majori numero cedenteis retro avertit: cumque ad exiguam praeſidiarii arcem, cui [i] Ortae nomen, receptum habuiſſent, ubi machinas et commeatum militarem contraxerant, Toletanus eo ducit, et locum corona cingit; quem obſeſſi certis conditionibus dedidere. Soſa in eo ab Antonio [k] Cea, et Puebla, qui Jo. Ferdinando Lunae militabant, capti; ſed hic, ob interfectum Pereram, diro ſupplicio affectus eſt: nam, truncatis primum manibus, ad patibulum altero brachio affixus, inter immaneis cruciatus vitam finivit; mirantibus

INTERPR. [a] *Gracioſa.* [b] *la Tercera.* [c] *de Toledo, duc de Ferrandina.* [d] *Iſla del Fayal.* [e] *Iniguez.* [f] *de Oquendo.* [g] *de Pereira, Portugais.* [h] *Guedez de Souſa.* [i] *la ville de Orta.* [k] *de Cea.*

mirantibus cunctis, quo animi furore ſimul et caecitate impulſi Luſitani tot crudelia facinora perpetrarent, tamque facile, neque tentatis prius extremis, ſe paſſim victoris irritati arbitrio dederent. Sed ita ingenium eſt illius nationis, ut inexperti pericula non viſa quam audacter contemnunt, tam viliter viſa expaveſcant. Direpta inſula impoſitus cum CC praeſidio Antonius [a] Portugallus. Vicinorum exitio commonefacti inſulani, [b] Pica, Sangeorgiana, Corvina, et Gratioſa, legatos ad Toletanum mittunt, qui eos in fidem accepit. Interea, noſtris ad extremas anguſtias in Tertia redactis, Caſtus, vir decoris et incorruptae fidei tenaciſſimus, ne ſuae potius quam ſociorum ſalutis rationem habuiſſe videretur, ad Silvam et inſulanos per montana huc illuc dilapſos mittit; monetque per literas, vireis ſecum ſociarent, una pro decore et vita certaturi; ac, ſi certare non liceat, fide religioſe obſtricta, non aliter ſe cum hoſte tranſacturum, quam Silva ipſe ac ceteri Luſitani iiſdem incolumitatis, quas ſuis paciſcetur, conditionibus comprehendantur. Sed literae a Santacrucio interceptae cum nihilominus ad Silvam per indigenam perlatae eſſent, homo vecors et natura ſuperbus, ut in medio periculo ac metu intempeſtivam ſecuritatem oſtentaret, conditionem recuſavit: et, quia de deditione facta erat mentio, addit, Gallis licere, quando de deditione jam cogitarent, ſe ad Hiſpanorum partes, ut vitam ſervarent, applicare; quod ſi facerent, ſe ac Luſitanos utriſque debellandis pares fore. Eodem tempore quo tam ſuperbe ad optimi viri literas reſpondebatur, Silva per pararios literas ſine ſubſcriptione ad Santacrucium ferri curat; quibus ſignificabatur, ſi Silvae et Luſitanis gratiam vitae faceret, fore, ut illi Gallos ei in manus traderent. Quas literas, cum priore reſponſo, quod per ſuppoſitum tabellarium receperat, Santacrucius ſtatim ad Caſtum reſignatas miſit; et per Petrum Padillam, unum ex caſtrorum praefectis, et Caſto ipſi, cum una in Melita inſula eſſent, olim notum, denunciat, ſi ſe ſuoſque ſalvos cupit, quamprimum tranſigat; nam deditionis aequas conditiones datum iri: neque vero vani decoris religione praepediatur, quo minus rebus ſuis in tempore proſpiciat; praeſertim in eorum cauſa, quos non ſolum ingratos et contumelioſos erga ſe ſit expertus, ſed ad contumeliam etiam proditionem addere voluiſſe cognoſcat. [α] Prius tamen Silva a Caſto monitus, ut ſe reſpiceret, et, ſi conditionibus comprehendi vellet, mature id declararet: quod ille in faſtu priſtino perſeverans facere neglexit; ſuperbo addito reſponſo, Gallis liberum eſſe ut ſibi conſulerent, ſe ſibi ſine Gallorum ope conſulturum. Secundum haec haud diu cunctatum eſt ab utraque parte; habitoque colloquio in has conditiones tranſactum, ut vita ſalva Galli arma et ſigna traderent, tantum ſinguli gladios retinerent, et navigiis commodatis in Galliam tranſportarentur. Conditionibus ſubſcripſere Santacrucius, Figeroa, Bovadilla, [c] Lodronius comes, Padilla, Chriſtophorus Eraſtus, Joannes Urbinas, Georgius Manrices, Joannes Martinus Ricaldes. Id humanitati Santacrucii, ad ſuperioris anni invidiam, qua ob crudelitatem in captivos patratam flagrabat, leniendam, Hiſpani tribuunt: cum alii potius cenſeant Santacrucium, qui Gallorum ſemper antea virtutem expertus eſſet, noluiſſe cum iis ad deſperationem adactis confligere, incerto eventu, et maluiſſe rem pactis quam plena victoria conficere; praeſertim jam inclinata aeſtate, et periculoſa deinceps in Hiſpaniam navigatione. Igitur pridie Nonas Sextileis Galli ex montanis deſcenderunt, et juxta pacta XIIX ſigna et arma tradiderunt; non medii inter hoſtilem

VAR. LECT. [α] *Quae ſequuntur quatuor circiter lineae, uſque ad* Secundum haec, *deſunt D.* f. d.

INTERPR. [a] *de Portugal.* [b] *Iſla del Pico, de St Jorge, & del Cuervo.* [c] *de Lodron, de Padilla, Chr. de Eraſſo, J. de Urbina, G. Manriquez, & J. Martinez de Recalde.*

hoſtilem exercitum in aciem inſtructum, ac lituis tympaniſque pulſantibus, ſicuti pactis perſcriptum fuerat, hoc enim enixe voluerat [a] Santacrucius, ſed loco condicto, ſicuti in arcano, contra quam ſcriptum erat, promiſerat. Inde [b] Caſtus et Jacobus [c] a S. Columba Eſcaravacus ad Santacrucium Angram venerunt, perhumane ab eo excepti: Caſtus apud Figeroam, Eſcaravacus apud Bovadillam, hoſpitium habuit; Gallis, qui CCCC omnino erant, ex proeliis et morbis ſuperſtites, in urbis ſemota parte diverſoria attributa ſunt. Quibus actis, omnis cura in Emmanuele Silva indagando conſumpta eſt; qui, cum navigia ad fugam parata ab inſulanis confracta cerneret, praecluſa omni evadendi ſpe, diſſimulato habitu per montana aliquot dies erravit. Sed tandem a ſerva [d] Maura proditus, a Spinoſa et [e] Lazaro inſulano Angram ad Santacrucium ductus eſt: ubi interrogatus, et in triremi graviter tortus, tandem ad mortem damnatus eſt, et in platea urbis, Germanis in aciem inſtructis, a Teutone carnifice decollatus; multis viri e primaria nobilitate, forma conſpicui, ſed ſtolide ferocis, vicem dolentibus; pluribus tamen juſtam Numinis vindictam in eo agnoſcentibus, qui inſulanos imprudentia ſua in tot calamitates induiſſet, et multos privatim variis injuriis affeciſſet. Nam paulo ante, cum Melchiorem Alfonſum, quod Philippo faveret, ſecuri percuſſiſſet, et affines peterent ut caput ejus in platea patibulo affixum ſibi tollere liceret, reſponderat, tunc Alfonſi caput inde ſublatum iri, cum ſuum ipſius eo loci affixum eſſet: quod inhumanum reſponſum in omen vertit; nam eodem loco caput ejus, ſublato Alfonſi capite, juſſu Santacrucii affixum eſt. Pari ſupplicio affecti Emmanuel [f] Serrada, is qui [g] Promontorii Viridis inſulas depraedatus fuerat; nec non et [h] Amator Viera, qui a Philippo miſſus ſecreti oratoris titulo, ut oppidanorum fidem ſolicitaret, quoſdam ex iis eo nomine apud Silvam nefando ſcelere detulerat, et, participato cum illo pretio, miſeris exitium maturaverat. Quidam laqueo ſuſpenſi; [i] Petrus Contius, Antonius Ferdinandus Baroſus, Arias Porres, Matthias Diazius Pilatus, Conſalvus Pita, Bernardus Touar, alii, ſeditioni cauſam dediſſe comperti. Baltazar [k] Mulatus, Antonius et Thomas [l] Gomeſii, Emmanuel Acoſta, ad triremeis damnati. Blaſius Vivaldus Genuenſis, fabricandae et adulterandae monetae Antonio regi auctor, ignominioſe tractus, et ad remum pariter addictus eſt. Omnis item moneta, ad abolendum in inſula Antonii nomen, publice conflata eſt. Multi monachi, quorum prae aliis ſumma intemperies fuerat, indecenti habitu capti, et in iis Simo Dominicanus; qui in Gallos ad maturanda auxilia veniſſe, cum regina matre et Jouſa ea de re egiſſe, ac denique in Angliam ob eandem cauſam etiam tranſmiſiſſe, confeſſus eſt: nec non et plerique ſacerdotes vincti, et varia peſte in occulto abſumpti ſunt. Galli ante pacta capti, inſito in gentem aemulam odio, remo mancipati ſunt. Inde, relicto in inſula Joanne Urbinate cum II CIↃ Hiſpanorum praeſidio, Santacrucius, ſparſa ad vanitatem fama quaſi [m] Laraciam aut Algeriam tentaturus eſſet, eoque maturius inſula diſcederet, cum claſſe in Hiſpaniam tendit, jam praemiſſis de re feliciter geſta nunciis; ob quam, in publicae laetitiae ſignum, paſſim ignes in Luſitania ac reliqua Hiſpania accenſi ſunt; Antonianis contra, qui in inſularum conſervatione, ſi Antonium Philippo ſupereſſe contingeret, reciperandi olim regni ſpem repoſuerant, in occulto moerentibus. Poſt bellum confectum Philippus a pontifice diploma per oratores ſuos impetraſſe dicitur, quo II CIↃ religioſae vitae addictorum in Luſitania ſive inſulis interfectorum gratia fiebat. Tanto ſanguine

conſtitit

INTERPR. [a] *le marquis de Ste Croix.* [b] *le commandeur de Chaſtes.* [c] *d'Eſcaravagues de Ste Colombe.* [d] *une eſclave negre.* [e] *el capitan Lazaro.* [f] *Serradas.* [g] *Iſles de cap Verd.* [h] *Amador de Viera.* [i] *P. Conte, A. Fernandes Barroſo, Arias de Porres, M. Dias Pilatos, Gonſales de Pita, & B. de Touar.* [k] *Mulato.* [l] *Gomez.* [m] *Larache, & Alger.*

conſtitit novi regni quaeſiti victoria; quod CCCCLXX, poſtquam a reliqua Hiſpania ſeparatum eſt, annis, cum eo veluti coaluit; CCCXIII ex quo Algarbium a Caſtellenſi regno avulſum Portugalliae regibus ceſſit: quo tempore, nec multo poſt, Dionyſio obſequii cultus, quem reges Luſitaniae veluti beneficiarii [a] Caſtellenſibus et Legionenſibus debebant, ab Alfonſo [b] Sapiente Caſtellae rege Dionyſii ipſius avo remiſſus eſt. Ita tota Hiſpania, quod vix CC annorum ſpatio Romani conſequi potuerant, in Philippi unius poteſtatem venit. Praeter memorata ſeveritatis in ſingulos perduellionis a judicibus delegatis convictos exempla, inſigne illud fuit, quo univerſa, non ſolum Tertianorum ſed etiam ceterorum inſulanorum, bona fiſco addicta ſunt: quod non tam ſeveritati quam gentis ingenio tributum eſt; quae, innata dominandi cupiditate, ad firmandam potentiam nullum avaritiae et crudelitati modum facit. [c] Santacrucius XVII Kal. Oct. ad Gadeis appulit, cum IV Kal. Sept. [d] Tertia ſolviſſet, praemiſſis ante triremibus; quas tam longe in oceanum penetraſſe nunquam antea fama fuit, et tunc pro miraculo habitum eſt. Inde in aulam pergit, magna honoris ſpecie exceptus, et inter proceres allectus, quos vulgo in Hiſpania Grandeis vocant, et quos tecto capite, ſingulari honoris praerogativa, coram rege apparere jus eſt; ac poſtremo ſummus maris oceani praefectus creatus eſt.

XI. HUJUS ſucceſſus fama ad tumultus Antuerpiani caſum accedente, res Ordinum in Belgio multum perturbatae ſunt. Arauſionenſis in [e] Mattiacorum ſive Toxandrorum inſulas ſeceſſerat, ut ſupra diximus, et conventus Ordinum [f] Mildeburgi indixerat: ubi Rochus [g] Sorberius Prunaeus, Brabantiae ducis nomine, re prius cum Arauſionenſi communicata, multa deinceps et majora promiſſis pollicetur; potentiam ejus in majus exaggerando, quippe qui a rege generalis vicarius nuper conſtitutus, loca omnia regni munita in poteſtate, commoditateſque inde eos juvandi maximas, haberet. Addit et minas, ducem nunquam juri ſuo renunciaturum, nec e manibus dimiſſurum, quod ſibi datum aut virtute ſua partum eſſet. Heic et repetita egregia ducis erga Belgas merita; Cameracum nuper e faucibus Hiſpanorum ereptum, et Lochemi quoque obſidionem a Gallis ſolutam. Quid autem futurum ſi patrocinium ejus recuſent? quanta ſe in pericula induent? Nam exiguum ex provinciis militem ſuppetere, et confuſa fere eſſe inter eas omnia; et metum ſubeſſe, ne ducem regemque ducis fratrem hoſteis habeant. Quod ſi accidat, actum eſſe de negotiatione et commercio: et proculdubio fore, ut, adempta pecuniae uſpiam cogendae facultate, ipſi imparati a duobus potentiſſimis principibus aeque infeſtis animis ſimul oppugnentur. Nec Germanos placatos habituros, quippe ob archiducem Matthiam parum honeſte dimiſſum irritatos. Reginam vero Angliae ſatis declaraſſe, nequaquam ſibi placere, quod provinciae ducem repudient. Quem vero, iis exceptis, provinciarum patrocinium ſuſcepturum? Quin excuſari poſſe ducis erratum: nam talia et ſapientiſſimos ac manſuetiſſimos olim principes, aut praecipiti ira aut injuria irritatos, ſaepius peccaſſe: exemplo eſſe optimos Burgundiae duces, et Maximilianum inſuper Caeſarem. Et hoc ſtatu rerum, non ſolum propter provinciarum diverſitatem, ſed maxime ob vicinorum principum ſuſpectam potentiam, principe in Belgio opus eſſe; cujus potentia certis limitibus coerceatur, aliiſque pactionibus, quam quae [h] Burdigalenſi tranſactione continentur, et conditionibus fraenetur: quae ſi ratio ineatur, ſpem ſubeſſe, ut rex Franciae bellum apertum Hiſpanis indicat, et ita brevi finis bello Belgico internecino imponatur. Eo vero induci poſſe regem, ſi,

INTERPR. [a] *Roys de Caſtille & de Leon.* [b] *el Sabio.* [c] *le marquis de Ste Croix.* [d] *la Tercera.* [e] *Zelande.* [f] *Middelburg.* [g] *de Sorbiers, Sieur des Pruneaux.* [h] *Traité de Bourdeaux.*

ſi, quod hactenus negatum fuit, ſpes fiat, ut, duce fratre ſine liberis decedente, provinciae ipſi tanquam hereditariae obveniant; idque [a] Burdigalenſi pacto, et aliis conditionibus poſtea ab Ordinibus, cum dux Antuerpiae inauguratus eſt, praeſcriptis, addatur; ac de cetero, in religionis cauſa idonee caveatur. His ultro citroque jactatis parum profectum, recenti adhuc ſenſu conatus Antuerpiani, et odio adverſus publicam utilitatem praevalente, maxime adverſis [b] Gandenſibus; qui, quanquam initio primi omnium novi principis aſciſcendi auctores fuiſſent, ſive levitate inſita, ſive quod jam de defectione cogitarent, nullam concordiae inter Ducem et Ordines ſarciendae rationem admittebant; et ad principes Germaniae, a quibus auxilia certa exſpectarent, ſe miſiſſe cauſabantur. Quod ab iis eo conſilio factum, ut interea tempus ducerent: nec enim pecuniam miſerant, aut obtulerant. Itaque nova legatio in eo conventu decreta fuit; et miſſi ad Joannem Caſimirum, qui, ſi bello Colonienſi finito copias Rhenum trajiceret, L florenorum CIↃ, IV naveis majores, II minores, milite et commeatu egregie inſtructas, in ſingulos IV menſeis proximos offerrent: poſtquam vero Moſam trajeciſſet, CL florenorum CIↃ, cataphractos equites CIↃ, et II CIↃ ſcloppetariorum, obviam miſſuros ſe pollicerentur. Quae conditiones, et Gandenſium malignitate, ac principis Cimaci, quod poſtea jactanter gloriatus eſt, praepoſtero aſtu, minime acceptae, aut exitum ſortitae ſunt. Cum in eo conventu de concordia nihil, adverſis Gandenſibus, et propter [c] Gueldrenſium, Ultrajectenſium, et Tranſſelanorum abſentiam, agi potuiſſet, ex Arauſionenſis conſilio rurſus comitia [d] Dordracum indicuntur. Heic, quia Steneberga capta [e] Atuaticis, Batavis, et Mattiacis, periculum imminebat, ante omnia decernitur, ut [f] Bergae ad Somam bis mille peditum et duarum turmarum equeſtrium praeſidio ob viciniam muniantur; in quod XXXV CIↃ florenorum ſingulis menſibus conſtituta: [g] Herentalae item CIↃ CC pedites, CC equites, collocarentur. De [h] Mechlinia quoque et Bruxellis defendendis in eo conventu actum. Dum in conventibus Ordines diſcordantibus ſtudiis tempus inutiliter terunt, minime Hiſpani ſibi deerant: nam Joannes Baptiſta Taxis [i] Zutfaniam aſtu militari capit IX Kal. Octobreis; delectis prope urbis portam in inſidiis collocatis, qui e latebris erumpentes portam invadunt, trucidataque ſtatione occupant, donec ſociae copiae, quae haud hinc longe eventum praeſtolabantur, advenirent: quibus advenientibus vim in oppidum faciunt, ac crudeliter diripiunt, grandi pro redemptionis pretio aere ab oppidanis extorto. Horum ut conatus impedirent Batavi, propugnaculum ultra Iſalam conſtruxerant: ſed perfoſſo ab hoſtibus aggere, reſtagnantibus aquis, paene obruti praeſidiarii locum deſeruerunt; quem mox Hiſpani, ubi aquae reſedere, denuo occupant, et inde infeſtis excurſionibus [k] Veluam vaſtant. Munitionem amiſſam ſaepius recipere conati Batavi cum fruſtra fuiſſent, loca circumpoſita validis praeſidiis muniunt; ac tandem Zutfaniam corona cingunt. In agro Groeningenſi eodem tempore [l] Nienortius et Aſingus Entenſſenius [m] Feruſum et Oterdamum ad [n] Amaſum amnem capiunt: Oterdamum vallo et milite muniunt, aggeres perfodiunt, maximo indigenarum damno, ut Groeningenſeis anguſtia preſſos ad conditiones accipiendas adigerent: [o] Reedam etiam machinis admotis, ſed irrito exitu, quatiunt. Haud multo poſt, Novembri menſe ineunte, [p] Bergenſis comes Arauſionenſis ſororius, cum uxore, liberis, et Thoma [q] Gramaio, qui illi erat ab epiſtolis, [r] Arnhemii ex ſuſpicione capitur, quaſi cum hoſtibus ſecreta conſilia agitaret. Famuli quidam ejus cognitione habita rei peracti ſunt:

INTERPR. [a] *de Bourdeaux.* [b] *Ceux de Gand.* [c] *Ceux de Gueldre, Utrecht, & Over-iſſel.* [d] *Dort.* [e] *Brabant, Hollande, & Zelande.* [f] *Bergen-op-zoom.* [g] *Herentals.* [h] *Malines.* [i] *Zutphen.* [k] *la Veluwe.* [l] *le Sieur de Nienort, & Aſſing Entens.* [m] *Fernſum, & Otterdam.* [n] *Ems r.* [o] *Reede.* [p] *le comte Vanden Berghe.* [q] *Gramay.* [r] *Arnheim.*

ſunt: tandemque compertum, ex impotentia uxoris Arauſionenſis ſororis, cui cum fratre non ita bene conveniebat, occaſionem ab Hiſpanis captam, ut Bergenſis hominis levis fidem ſolicitarent. Nec indicium exitu caruit: nam ille commendatione Arauſionenſis libertati reſtitutus, ſtatim ad Philippicos tranſiit; et filii ejus Hiſpanorum militiae pariter nomen dederunt: quod tamen illum injuria irritatum, nec ante praemeditato conſilio, feciſſe plerique exiſtimaverunt.

XII. In his anguſtiis cum cuncti effugium malis non ſolum praeſentibus, ſed quae impendere prudentiſſimus quiſque providebat, quaererent, alii ad alios principes, in quorum patrocinio acquieſcerent, reſpiciebant; et multi de [a] Batavia et Mattiacorum inſulis Arauſionenſi tradendis aſſentiebantur; et viro bene merito, et vita, fortunis, opibus, pro libertate patriae tam propenſa voluntate expoſitis, hoc deberi aiebant. Verum ille, ſive infirmitatis et ſuarum virium tenuitatis ad tantum onus ſuſtinendum conſcius, ſive modeſtia, ſe excuſavit; tandemque tenuit, ut in Franciam [b] Mallerius et Joannes Aſſelierſius, Ordinum nomine de concordia cum duce ſarcienda acturi, ad regem proficiſcerentur. Sed omnem de republica conſultationem turbarunt novi in Flandria motus, ac praecipue [c] Gandavi; ubi iis, qui in occulto Hiſpanorum partibus favebant, annitentibus, omnia confuſe agebantur; et, praetextu Caſimiri accerſendi, aut alterius opis implorandae, eo interim res adducebantur, ut cum Hiſpanis tranſigendi neceſſitas imponeretur. Quod ut fieri poſſet, primum omnium Joannes [d] Imbiſius, de quo ſupra diximus, homo turbulentus, et juxta Gallis et Arauſionenſi infeſtus, ab exilio revocatur; qui, dum in Palatini ſeptemviri aula degeret, cum Joanne Groppero de pactione cum hoſte ineunda conſilia agitaſſe dicebatur. Eadem facilitate ſive diſſimulatione in manus [e] Servatii Stelandi Vaſianae praefecti cunctas regionis illius arces ac munitiones tradunt; ac poteſtatem faciunt collationes ab agreſtibus exigendi, militem conſcribendi, urbem abſque conſueto tintinnabuli ſigno quavis hora intrandi, ac treis naveis armatas in Scaldis aeſtuario inſtruendi. Cumque exeunte Octobri [f] oſtium Gandenſe Parmenſis juſſu occupatum eſſet, mox ejuſdem Stelandi clandeſtina machinatione [g] Axela et Hulſta vicinae urbeculae capiuntur; ac demum v Kal. Nov. [h] Rupelmundae caſtrum ad Scaldim juxta Antuerpiam hoſti patuit. Ita Parmenſis Vaſiana potitus [i] Deinſam et alia vicina loca muniri curat: quo facto, cum tantum naves illae praeſidiariae, de quibus dixi, ſuperarent, eaſque in Parmenſis itidem poteſtatem conſignare percuperet Stelandus, nautae ac praeſidiarii a Stelando fruſtra ſolicitati ab eo tandem deficiunt, et contra Atuaticos, Batavos, et Zelandos, bellum gerere detrectant. Amiſſa Rupelmunda, Antuerpiani, qui negotiationem impeditam moerebant, eam irrito conatu reciperare aggrediuntur. Cum aliud non poſſent, vicinum aggerem perfodiunt, et aquas [k] Borchtam et Calloam uſque reſtagnanteis inducunt. Tum Borchtae propugnaculum excitant, et [l] Trajectum Flandriae ex adverſo Antuerpiae muniunt; decretis in eos ſumptus e publico Ordinum decreto ccc florenorum millibus. Moxque eorum auſpiciis Philippus Hohenlous comes cum xix peditum ſignis in Flandriam deſcendit; et ad [m] Neuſam, Mattiacorum inſulis oppoſitum caſtellum, ut amnem in poteſtate haberet, munitionem ſtruit, ac crebris excurſionibus hoſtem infeſtat, perfoſſis paſſim aggeribus: ſed Gandenſibus, [n] Cimaco duce, reſiſtentibus, conatus ejus ad extremum fruſtra fuere. Reſtabat in Flandria Aloſtum, quod Anglorum praeſidio tenebatur. Id

INTERPR. [a] *Hollande, & Zelande.* [b] *de la Maillerie, & J. d'Aſſeliers.* [c] *Gand.* [d] *le Sieur d'Imbyſe.* [e] *Servais Steeland, baillif de Waes.* [f] *le Sas de Gand.* [g] *Axel, & Hulſt.* [h] *Rupelmonde ſur l'Eſcault.* [i] *Deynſe.* [k] *Borcht, & Callo.* [l] *la Teſte de Flandre,* al. *paſſage à l'appoſite d'Anvers.* [m] *Fort de Ter Neuſe vis à vis de Zelande.* [n] *Prince de Chimay.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III. Id ut in Hiſpanorum poteſtatem concederet, praetextu indigenas introducendi, Anglos loco educere ſtatuunt: verum, excitato inter Anglos ob ſtipendia non perſoluta tumultu, conſilium non ſucceſſit. [a] Teneramunda vero, quo [b] Rihovium loci praefectum ipſorum conſiliis adverſantem dimoverent, legatos miſerunt Juſtum [c] Trieſtum, Antonium [d] Heimanum, et Jacobum [e] Somerum. Verum Rihovius, qui tunc [f] Gandavi erat, re cognita, ut eorum conſiliis praeverteret, ſtatim pernicem equum conſcendit; portaque, qua exire deſtinarat, a conjuratis clauſa, circum equitans, fortuna in portam [g] Minanam tantum peſſulo clauſam incidit; quo revulſo, ſumma celeritate evadit, et Teneramundam venit, legatiſque comprehenſis commentarios eripit, urbe tunc pro tempore ſervata. Somero conſilii praecipuo incentori parum abfuit quin gula frangeretur. Eo ipſo die [h] Imbiſius ab exilio revocatus Gandavum venit, conſulque factus plenam poteſtatem accepit; annitente Adolfo [i] Metkerckio, qui homini, odio exterorum, charitatem patriae prae ſe ferenti imprudenter morigerabatur. Ille vero, ut plebis auram initio magiſtratus aucuparetur, aliquot civeis Hiſpanorum fautores creditos, quibus Vaſianae regionis amiſſio imputabatur, confeſtim in carcerem tradi jubet: inter quos praecipui fuere [k] Bokeleus, Carolus Rimus, Philippus Cortevilla, [l] Blaſerius fluminum praefectus. Qua re cum magnam ſibi apud plebem auctoritatem conciliaſſet, mox interventu Friderici [m] Perrenoti Campiniaci, qui tunc adhuc Gandavi captivus attinebatur, cum captivis reconciliatus eſt, eoſque vinculis exemit. Tum, gratiae popularis fiducia id ſibi impune licere exiſtimans, etiam literas ad Rihovium Teneramundae praefectum dat; quibus petebat, ut treis captivos, quos habebat, dimitteret: quod nequaquam ille facere voluit. Tandem, cum nulla a Germanis ſpes auxilii eſſet, et Caſimirus bello Colonienſi occupatus ad eorum preces minime ex voto reſponderet, a Cimaci principe, qui tunc [n] Brugis erat, et provinciae praeſidis nomen uſurpabat, ſolicitatus, Imbiſius ad Hiſpanorum partes inclinare coepit. Et, cum Aloſtani praeſidiarii, qui fere Angli erant, ob non numerata ſtipendia tumultuarent, eo inſtigante, a Gandenſibus collatione denegata, miſeri homines ad eas anguſtias poſtremo redacti ſunt, ut, non exſpectato Joannis [o] Norriſii tribuni adventu, ſerius advenientibus Ordinum delegatis, ut de ſtipendio cum ipſis agerent, cum hoſte tranſegerint; [p] Pigoto, Vincentio, Veltzio, et aliis centurionibus auctoribus. Itaque Decembri menſe numeratis XXX florenorum CIↃ oppidum deditur, et [q] Gallo-belgae a foederatis immiſſi introducuntur. Angli plerique ignominiam a ſuis veriti in Hiſpanorum exercitus tranſierunt; ſed, cum promiſſa minime repraeſentarentur, inde ſenſim diffugerunt. Parmenſis [r] Ekeloae caſtra muniverat, Brugis et Gandavo imminens; ex eoque occaſio nata, ut qui Hiſpanorum partibus favebant, magis audacter de reconciliatione loquerentur et agerent, et editis paſſim libellis etiam Proteſtantium nomine eam urgerent. Nam quem miſeriarum finem futurum? Quid propriis, quid externis viribus contra hoſtem poſſent, ſatis jam expertos eſſe: in altero multum imbecillitatis, in altero parum fidei reperiſſe, ut hoſtem, quem aperta vi debellare non poſſunt, alia ratione tollant. Jampridem Gallo-belgas foederatos manus ipſis porrigere; nec Hiſpani nominis odium obtendi contra debere: nam, ſi per reconciliationem bellum habere deſinant, communi conſenſu Hiſpanos Belgio exceſſuros. Clementiorem principem hoc rerum ſtatu ſpondere, qui prudentia ſumma praeditus periculo ſuo didicerit, religionem a Deo inſpirari, hominibus imperari non poſſe. Eo conſilia omnia,

INTERPR. [a] *Dendermonde.* [b] *Rihove.* [c] *Trieſt.* [d] *Heyman.* [e] *Somers.* [f] *Gand.* [g] *Porte de Minen.* [h] *d'Imbyſe.* [i] *de Meetkercke.* [k] *les Sieurs de Bouckle, Rijm, & Corteville.* [l] *Blaſere, commis pour avoir ſoin des eaux.* [m] *de Perrenot, Sieur de Champigny.* [n] *Bruges.* [o] *Norris.* [p] *Pigot, Vincent, & Veltz.* [q] *Wallons.* [r] *Eckelo.*

omnia, remediis ceteris omiſſis, quae tam infeliciter hactenus ceciderint, verten- CIϽ IϽ LXXXIII.
da; et quavis ratione pacem, quando bellum geri non poſſit, habendam eſſe. Haec HENRICUS III.
Gandavi a Bokeleo, Imbiſio; Brugis a [a] Cimaci principe artificioſe in vulgus initio ſpargebantur: dein et in concilio agitata ſunt; tandemque, pertentatis plebis animis, ex ea occaſione decreta ad urbes vicinas de pace legatio. Verum haec ad annum ſequentem pertinent.

XIII. INTERIM in vicina Germania bellum majore mole quam exitu gerebatur. Extremo anno ſuperiore Joannes [b] Baioarus Bipontinus dux [c] Coloniam venerat, cum ſenatu et ſacri collegii ſodalibus de pacis ineundae conditionibus acturus; auditusque, ſine reſponſo dimiſſus fuerat, in aliud tempus rejecto, quo frequentiores ex ſingulis ordinibus adeſſent. Tandem IV Non. Jan. ad Bipontini legationem reſponſum eſt: non eſſe quod de procraſtinatione aut tergiverſatione ſenatus queratur, qui perhonorifice, ut debet, legatos principum ſemper exceperit, et benigne audiverit, ac diligenter ad eorum poſtulata reſponderit: ſed putare ſibi per religionis pacem hoc licere, ut, quemadmodum Proteſtantes in cauſa religionis ipſos conſulunt, quod et ex literis nuper [d] Auguſta miſſis appareat, ſic et ipſi Caeſarem, principes, ac reliquos Imperii ordines majorum religioni addictos, antequam quidquam decernatur, in eadem cauſa conſulant. Interim ſperare, ut, conſtitutionum imperialium ac publicae tranquillitatis reſpectu, neque ipſe Bipontinus ac ceteri principes Auguſtanae confeſſionis ſocii in aliena republica curioſi eſſe velint, neque quenquam ad alienam a ſua religionem urgeant, aut ſubditos invito magiſtratu in ſuam tutelam et patrocinium recipiant. Ad haec Bipontinus poſtridie replicavit; et, repetita toties miſſarum, neque ad illas dati reſponſi, memoria, neceſſitatem legationis obeundae ſibi impoſitam dixit, petiitque ut tandem diſerte reſponderetur: nam, ut non diffiteatur licere ipſis Caeſarem ac reliquos Imperii principes conſulere, ita durum et inhumanum videri, affectatis protelationibus tot captivorum et verbum Dei ſitientium libertatem ac vota remorari. Quod autem a ſenatu urgeantur conſtitutiones imperiales, praeſertim in ea cauſa, ubi agitur de alterius principis aut magiſtratus ſubditis illo invito in tutelam non recipiendis, id ſibi moleſtum auditu fuiſſe: nam ſugillari ea re exiſtimationem ſuam, tanquam contra Imperii leges aliquid auſus fuerit; cum contra viva voce et ſcriptis longe diverſam ſibi mentem fuiſſe ſemper teſtatus ſit; nimirum, ut charitate Chriſtiana ſibi conjunctis fratribus, atque idem in religione ſentientibus, aliquam a ſeveris decretis relaxationem impetraret. Hoc denuo petere; et, ut non expectato Caeſaris reſponſo ſuis concedat, enixe rogare: praeterea, ut concionatorum vociferationibus contra Proteſtanteis ex ambone debacchantium, exemploque carnificinae Pariſienſis cunctos ad caedeis incitantium, modum faciant; alioqui fore, ut pax, ſummo Imperii bono olim ſancita, longe perницioſiſſimo civili bello miſceatur. Hoc intellecto, ſenatus, habita cum XLIV viris matura deliberatione, denuo reſpondet, nihil aliud inpraeſentiarum videre aut habere, quominus in priore reſponſo perſeveret; latiuſque explicatis quae in priore reſponſione Bipontinus oſtenderat, celſitudinem ſuam plurimum obſecrat, ut reſponſum candide interpretetur: eorum, quae hactenus in confeſſionis Auguſtanae ſocios decreta erant, rationem magiſtratum paratum reddere; nec recuſare, quin ab Imperii ordinibus cognitio habeatur, ſi quidquam contra imperialeis conſtitutiones deliquerint: ceterum, opportunitate data, conſultiſque iis quorum intereſt, amplius ſe reſponſurum. Hoc ultimo reſponſo accepto, cum parum ſe proficere videret Bipontinus, Colonia diſcedit, et ad Gebbardum, qui [e] Bonnae erat, revertitur. At Fridericus

INTERPR. [a] *Chimay.* [b] *de Baviere, duc de Deux Ponts.* [c] *Cologne.* [d] *Augſpurg.* [e] *Bonn.*

CIϽ IϽ LXXXIII. HENRICUS III. Fridericus [a] Saxo Lauenburgicus, collegii ſodalis ac facile princeps, juvenis impiger, et ſummus ab initio Gebbardi, ſpe ut putatur dignitatis ſeptemviralis adipiſcendae, adverſarius, minime interea ceſſabat; qui, ut gratiam ſibi apud popularcis conciliaret, pecuniam ex telonio [b] Berkenſi collectam ſtatim inter civeis, quibus annuae penſiones debebantur, neque ab aliquot annis a Gebbardo perſolutae fuerant, affectata liberalitate diſtribuit: cognitoque Gebbardum, ne a commeatu laboraret, IϽ CCC avenae modios, pannos lineos, petaſones, et quicquid in Weſtphaliae caſtellis annonae erat, in actuarium navigium imponi, et Bonnam ſubvehi praecepiſſe; illud inſidiis diſpoſitis intercipit, et omnem praedam in [c] Zontinam arcem comportari juſſit. His anguſtiis preſſus Gebbardus, et accedente tumultus Antuerpiani incommodo, quo fiebat, ut rebus Ordinum turbatis nihil ſpei e Belgio ſupereſſet, principum Proteſtantium advocationem apud Caeſarem et Imperii ordines expoſcit. Nec defuere officio Ludovicus Palatinus, Auguſtus Saxo, et Jo. Georgius Brandeburgicus, ſeptemviri; qui prolixas ad Caeſarem literas dederunt, orantes, ne ob religionem Gebbardo, aut ſuis eandem cauſam foventibus, vis fieret. Palatinus in eandem rem ad [d] Moguntinum et Trevirenſem ſeptemviros ſcripſit. Caeſar vero, jam fruſtra tentato Gebbardi animo per Andream [e] Gailium, denuo ad eum mittit Jacobum [f] Curtium; et, quid ſuae voluntatis ſit, ut palam et aperte declaret, petit. Tunc iterum porrectus libellus nobilium nomine, quo religionis libertatem, juxta Auguſtanae confeſſionis normam, petebant. Unde capta occaſione Gebbardus, XVII Kal. Febr. ſcripto publicato et typis mandato, teſtatur, ſe non ſolum de civili adminiſtratione, ſed etiam de gloria Dei promovenda, ſolicitum, ſupplicibus libellis ſuorum religionis libertatem juxta Imperii leges depoſcentium acquieſcere decreviſſe: proinde praefectis ac magiſtratibus cunctis ſuae ditionis enixe inhibere, ne cui religionis cauſa moleſtiam faceſſant. Quod ſi contingat ſe de matrimonio contrahendo cogitare, ſcire omneis cupere, ita ſe velle jubere, ut poſt mortem ſuam aut abdicationem ſpontaneam libera ſint collegii ſodalium in eligendo ſucceſſore ſuffragia. Biduo poſt leges militares pro Bonnae ſecuritate et munitionibus in ea inſtaurandis promulgantur; ac ſequenti die ad Caeſareum legatum reſpondet Gebbardus, nihilque ſe aliud velle declarat, quam ut pax in dioeceſi ſua juxta Imperii leges conſtituatur; obiterque Fridericum Saxonem incuſat, quod per eum ſtet, quo minus tam laudabilis conatus procedat. Quod ad explicatam magis conſiliorum ſuorum rationem attinet, quod urgebat Curtius, proximis comitiis ſe plenius reſponſurum, et Caeſari, principibus, ac ceteris Imperii ordinibus, plene ſatisfacturum dicit. Nec multo poſt Henricus Saxo Bremenſis archiepiſcopus Friderici frater, ſed in religione ſumme diſſentiens, a Trucheſianis diu exſpectatus, advenit, cum inſigni et numeroſo equitatu: cum quo, cum non admitteretur, indignabundus inde diſcedit, et extra urbem [g] Tuitii apud comitem Solmenſem divertit. Interpoſuere et ſuas partes Auguſtus Saxo et Brandeburgicus ſeptemviri, ſcriptis ad ordines dioeceſis Colonienſis literis, quibus eos orabant, ne Gebbardo principi ſuo et confeſſionis Auguſtanae ſocio propterea periculum crearent: alioqui fore, ut unius injuria, cum ad plures pertineat, ejus quoque ulciſcendae aut propulſandae neceſſitas multos ad bellum ipſis poſtremò exitioſum adigat. Urgebat ſemper Curtius ut Gebbardus explicatius ad Caeſaris poſtulata reſponderet; qui ſe tunc demum Auguſtanae confeſſioni addictum palam profeſſus eſt; et, quoniam coelibatum a pontifice contra Dei verbum ſacerdotibus indictum minime probare poſſit, ſe quoque de uxore ducenda cogitare;

INTERPR. [a] *de Saxe Lawenburg.* [b] *de Berck.* [c] *Zons.* [d] *de Mayence, & Treves.* [e] *Gailius.* [f] *Curtius.* [g] *Tuyt, ou Dutz, prés de Cologne.*

cogitare; nec proinde dignitati ſeptemvirali, quod jure ſibi licere putet, renunciare velle. Interea Fridericus collegas in propoſito contra Gebbardi conatus conſtanter ut perſeverarent exemplo ſuo incitabat; eoque auctore, quantumvis ipſum Saxo ſeptemvir gentilis per literas dehortaretur, ſolemnia comitia in v Kal. Febr. indicuntur; tentato interim fruſtra a Carolo Truchesio ſeptemviri fratre Lintzio; quod eſt oppidum in Rheni ripa poſitum. Nec Adolfus [a] Nuenarius comes ceſſabat; ſolicitata [b] Coloniae Trajanae, quam Verdam Caeſaris hodie vocant, oppidanorum et [c] Quempinatum fide, et cum Sicambris proximis ſocietate inita; a quibus ultro citroque commeando auxiliis ad tempus juvabatur. Diverſa parte Willelmus Clivenſis dux, qui propter viciniam et a bello et novae religionis contagione ſibi metuebat, legationem ad ſenatum decernit: ad quem a ſenatu et collegio Fridericus Saxo remiſſus eſt, qui ob propenſam erga eos voluntatem gratias ageret, et de tranſitu ac commeatu hoſti prohibendo cum ipſo ageret. Gebbardus, appetente comitiorum a Friderico indictorum die, ut ea conturbaret, contraria in perendinum indicit: ibi capita nobilitati proponenda concipiuntur. Tentatum eodem tempore [d] Zontium, quod a Friderico tenebatur, ſubvectis clam adverſo Rheno navibus: verum aſtus non ſucceſſit. Jamque comitiorum tempus inſtabat; ad quae [e] Bipontinus rurſus, et cum eo Ludovicus [f] Witgenſtenii comes, nec non Joannis Naſſauvii filius, venerunt. Verum neque Bremenſis archiepiſcopus, neque alii, comitiis, in quibus pejorem Gebbardi cauſam futuram videbant, intereſſe voluerunt: Weſtfaliae item ordines ſe excuſarunt, veriti ne per ſuam abſentiam aliquid motus a novatoribus in finibus ſuis excitaretur. Comitia ad Dominicanorum habebantur, ubi propoſita in Gebbardum multa accuſationum capita; quod inconſultis ordinibus copias militareis conſcripſiſſet, penſiones debitas non ſolviſſet, magnum aes alienum contraxiſſet, gazam omnem dioeceſis diripuiſſet, novam religionem profeſſus eſſet, ejuſque libertatem ſubditis ſuis permiſiſſet, de matrimonio contrahendo fidem obligaſſet, cum Andino et ceteris Belgii perduellibus occulta conſilia iniiſſet, externos conſiliarios in ditionem ſuam introducere ſtatuiſſet, Coloniam Trajanam nuper praeſidio externo muniviſſet. His de cauſis comites, nobileis, ac civitates ejus dioeceſi ſubditas, minime ſacramento ipſi praeſtito teneri; ſed juxta patriae leges ſe cum collegio conjungere, eique, non autem dioecetae, parere debere. Ad haec pacis Auguſtanae caput, a Jo. Sleidano libro viceſimo ſexto commentariorum commemoratum, urgebatur; quo decretum fuit, ſi quis archiepiſcopus, epiſcopus, antiſtes, aut alius ordinis ſacri, a veteri religione deficiat, ut is continuo de jure omni in epiſcopatu ſuo, ſimul omnibus fructibus quos inde percipit, excidat; et collegio, ſive iis ad quos ea res jure vel conſuetudine pertinet, in ejus locum eligere aliumque conſtituere jus ſit. His propoſitis, multorum legati petierunt ut poſtridie audirentur. Pro Gebbardo Adolfus Solmenſis longam orationem habuit; addiditque, non conſulto agere collegium, quod principis ſui ſtudiis ac voluntati tam audacter tantaque contentione reluctetur: quod ſi ita pergat, maximos non ſolum in Colonienſi provincia, ſed in toto Imperio, tumultus excitatum iri. Inde ad proteſtationem, mox ad acerbitatem verborum, deſcendit; ſententiamque collegii tam in ſuum principem iniquam, et a papis quibuſdam, ita presbyteros contumelioſe vocabat, fabricatam, ratam habiturum negat: neque vero eſſe, cur hujus auctores ſeſe in hoc negotio ſuperiores fore jactitent; nam quibus haec diſplicent, et auctoritate ac numero cum ipſis

CIƆ IƆ LXXXIII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *de Newenar.* [b] *Keyſerſwerth.* [c] *Kempen.* [d] *Zons.* [e] *le duc de Deux Ponts.* [f] *de Witgenſtein.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

ipſis poſſe contendere. Solmenſi perorante, muſſare multi, ſe circumſpicere, labare plerique, et cunctanter in eo negotio agere; donec, poſt auditum itidem Bipontinum et alios Proteſtantium principum legatos, [a] Oresbacius Clivenſis ducis cancellarius et orator nutanteis erexit, hortatus provinciae ordines ut perniciosis Gebbardi conatibus generoſe ſe opponerent, nihilque, quod ad religionis defenſionem et patriae leges ac libertatem ſpectaret, praetermitterent; nec moverentur Bipontini generi, is Magdalenam filiam Clivenſis in uxorem duxerat, auctoritate; quippe jam multoties a ſe moniti, ut ab iniqua cauſa tuenda abſtineret. Id ſi faciant, perpetuam ſibi cum ipſis amicitiam fore: ſin minus, non tamen ſe majorum religionis periculum neglecturum. Haeſitanteis et confirmavit libera et ingenua Antonii [b] Schauenburgici comitis, eccleſiae metropolitanae decani, profeſſio; qui cum in occulto Gebbardo favere crederetur, tamen ſe a ſtatutis, pactis conventis, a provincia tota conceptis et approbatis, nunquam receſſurum palam teſtatus eſt. Mox et ſupervenit Carolus [c] Ligneus Arenbergius comes a Parmenſi miſſus; qui adventu ſuo facta auxiliorum ſpe animos collegii ſodalibus et ſenatui addidit, quantumvis Nuenarius comes et Holtmanus jureconſultus contra proteſtarentur: quibus ab Arenbergio palam increpitis, tot legatorum contrariae parti faventium praeſentia os veluti compreſſum eſt. Sed maximum omnium momentum attulerunt Caeſarei legati; qui etiam, non expectato Caeſaris et pontificis reſponſo ſeu ſententia, nihil niſi jure tam a collegio quam a ſenatu contra Gebbardum factum pronunciarunt. Cum pridie Kalendas Februarias [d] Malaſpina orator pontificius Coloniam veniſſet, cardinalem legatum brevi affore affirmans, ipſis Kalendis ad colloquium reditum eſt; in quo a tribus ordinibus, comitibus, nobilibus, et oppidanis, contra pacta conventa adverſus Gebbardum, tanquam res novas in Imperio molientem, decretum factum eſt. Laudata eorum a ſenatu voluntate, exercitus communibus ſuffragiis Friderico Saxoni tribuitur, cum quo arces ab archiepiſcopo occupatas reciperet. Interceſſit Friderici frater archiepiſcopus Bremenſis, palam proteſtatus, ſe collegii decreto nequaquam poſſe ſubſcribere; neque videre, qua ratione tanta ſodalium in principem ſuum legitimum contumacia excuſari poſſit: proinde ſe adverſariorum ſtudiis ſine juſtiore cauſa minime aſſentiri, aut violentis illorum conatibus participare velle. His actis Bremenſis cum ſuo equitatu diſceſſit: Bipontinus [e] Bonnam rediit: ceteri proceres ac nobiles ad ſua quiſque ſe receperunt. Interea Gebbardus, quo auctore incertum, archivum Bonnenſe ſpoliat; partemque inſtrumentorum Nuenarius intempeſta nocte ſecundo Rheno diſcedens ſecum abſtulit.

XIV. Eo ipſo die, quo comitia ſoluta ſunt, Gebbardus, qui cum Agnete Manſfeldia occultarum nuptiarum beneficio uſus erat, eas in [f] valle Roſarum publice celebravit. Uxor in praetorium magna pompa deducta, et feſtis plebis clamoribus excepta eſt: dumque nuptiali laetitiae indulget, Fridericus Saxo copias [g] Coloniae Trajanae admovet; quod eſt in ulteriore Rheni ripa ſitum oppidum, arce munitum, inter [h] Duiſeldorpiam et Teutoburgum. Cum intra oppidum ſine certamine admiſſus eſſet Saxo, recta ad arcem tendit; et, literas ſe a collegio ad praefectum habere ſignificans, pontem demitti atque acceſſum praeberi rogat; quod non ſegniter fecere praeſidiarii: ſed, exorta forte inter ipſos diſſenſione, literae recipiendae an rejiciendae eſſent, interim accelerato gradu Lauenburgici milites propinquant; et, pugna cum reſiſtentibus commiſſa, unoque ex praeſidiariis caeſo, ceteri metu exterriti cedunt, et arcem dedunt: quae magnum ad res gerendas

Saxoni

INTERPR. [a] *Oreſbach.* [b] *Schauemburg.* [c] *de Ligne, comte d'Aremberg.* [d] *il marcheſe Malespina.* [e] *Bonn.* [f] *Roſenthal.* [g] *Keyſerſwerth.* [h] *Duſſeldorp, & Duyſbourg.*

Saxoni momentum attulit. Antequam de ea deditione cognoviſſet Gebbardus, cum [a] Bipontino et nova nupta; Bonna, praepoſito ei Carolo fratre cum valido praeſidio, exierat; et ad Joannem Naſſauvium Arauſionenſis fratrem Dillenburgi tunc commorantem venerat, ut de communibus negotiis cum eo capita conferret. Scribit interim collegium ad praeſidiarios qui Bonnae erant, nec non ad ipſos oppidanos; et his quidem ut claveis repetant, illis ut urbe excedant, mandat. Sed neutri paruerunt: milites, quod ſacramento obligati; oppidani, quod adverſus praeſidium impares eſſent; Carolo Gebbardi fratre omnem diligentiam adhibente, ut urbs muniretur, et copioſo commeatu, qui undique Solmenſis et [b] Nuenarii cura e vicinis locis comportabatur, ad ſuſtinendam obſidionem inſtrueretur. [c] Berka a Nuenario tunc fruſtra tentata: [d] Lipa ab [e] Hontſclero Gebbardi aulico intercepta eſt. Contra, Arnoldus [f] Manderſchitius comes collegii ſcholaſticus in Belgium mittitur, ut [g] Arenbergii cum auxiliaribus copiis adventum urgeret. Ipſe Fridericus Saxo [h] Bruelam petit; eamque audacter cum quodam Gebbardi emiſſario ingreſſus, ſtatim cognito praeſidiarios arcis inter ſe diſſidere, ope ruſticorum, qui belli a Gebbardo excitati pertaeſi magno numero confluxerant, locum cingit, et deditione recipit. Cum vero ſub id ad collegii ſodaleis Clivenſis ſcripſiſſet, et fidem de impediendis in ditione ſua contra ipſos delectibus interpoſuiſſet; illi, poſt gratias actas, inde occaſionem capiunt ad Moguntinum et Trevirum ſeptemviros ſcribendi, rogandique ut idem in ditione quiſque ſua faceret. At Gebbardus, cognito Caeſarem, datis ad Saxonem literis, eum pro re bene geſta laudaſſe, et porro ut in coepto perſeveret hortatum eſſe; datis viciſſim ad eum literis ſe purgavit, orans, interventu ſuo efficiat, ut violentia utrinque abſtineatur, reſque amice componantur. Inſtat et apud civitates Imperii Auguſtanae confeſſioni addictas, ut in communi cauſa partes ſuas interponant. Itaque colloquium [i] Halbrunum, quod eſt ad Nicrum oppidum, indicitur; ubi ad v Non. Mart. [k] Coloniae, Argentinae, Wormatiae, Spirae, Francofurti, Auguſtae, Norimbergae, Ulmae, Eſelingae, ac Norlingae delegati convenerunt. Miſit et ſuos legatos Ludovicus Palatinus ſeptemvir; queſtuſque de externo milite introducto, auctor fuit, ut pecunia ad uſus Imperii collecta ad tuendos Imperii fineis ſeponeretur. Decreta et a principibus tertia ad Caeſarem ob eandem cauſam legatio; qui, veritus motum inteſtinum, et ipſe expoſtulationi principum ac civitatum acceſſit, et legationem ad Parmenſem decrevit, cum mandatis, ut ab Imperii ingreſſu militem abſtineret. In eandem rem Palatinus ſeptemvir, ex neceſſitate muneris ac dignitatis, tractus Rhenani curam ſibi commiſſam cauſatus, ad Arenbergium literas Heidelberga dedit per Henricum [l] Mavenhemium; quibus adjunxerat et Wolfangi [m] Moguntini ſeptemviri pariter literas, qui pro libertate Germaniae conſilia cum Proteſtantibus in ea cauſa conjungere non dubitaverat. Sed collegium rem excuſabat, et contra Imperii conſtitutiones minime fieri contendebat, ſi rex Catholicus legitimus Belgicarum provinciarum princeps, et membrum ea ratione non infimum, Imperii auxilio advocaretur: nam et Colonienſibus ſemper cum domo Burgundica foedus interceſſiſſe; nec id ullis Imperii legibus ſibi interdictum fuiſſe. Arenbergium vero exercitus auxiliaris ducem, dioeceſis Colonienſis archipincernam, et [n] Wernerum Riſferſchitium, qui primarium locum in exercitu ab Arenbergio obtinet, praetorii ſummum praefectum eſſe: quibus proinde ex neceſſitate officii incumbat, collegio ſuppetias ferre.

INTERPR. [a] *le duc de Deux Ponts.* [b] *le comte de Newenar.* [c] *Rheinberg.* [d] *Linna.* [e] *Hontſelaer.* [f] *de Manderſcheit.* [g] *le comte d'Aremberg.* [h] *Broel.* [i] *Hailbron ſur le Neckre.* [k] *Cologne, Straſbourg, Wormes, Spire, Francfort, Augſpurg, Nuremberg, Ulm, Eſſlingen, Nordlingen.* [l] *Mavenheim.* [m] *l'electeur de Mayence.* [n] *Werner Ryſſerſcheit.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

ferre. Potius in Gebbardum culpam motuum rejiciendam, qui cum Andino injuſtis armis Belgium invadente conſilia agitaverit, et Gallos, Anglos, Scotos, ac denique Helvetios, in Imperii limitem immiſerit. Neque praematurum armorum apparatum a collegio inſtructum cenſeri, aut in invidiam trahi debere, quaſi Gebbardo nondum hoſte declarato: nam ante XXIV annos Auguſtae in comitiis decretum eſſe, ut ſi quis collecto milite pacem Imperii conturbet, periculumque ſit in mora, in eum, non exſpectata ſententia, procedatur. Interea Nuenarius cum Belgico milite, quo tanquam ſuo utebatur, ditionem vicinam late vaſtabat, auxiliarem exercitum Joanne Caſimiro duce venturum in dies opperiens: de quo ubi Caeſar cognovit, cum neutros in armis eſſe cuperet, ut prius ad Parmenſem, ita et literas ad eum dat, et, ut omiſſis armis rem pacate componi patiatur, monet. Miſſi eodem tempore a collegio delegati, qui militem Lintzium, cui oppido a Gebbardi inſidiis metuebat, introducerent. Ii et Salentinum Iſemburgenſem comitem, quondam archiepiſcopum Colonienſem, adeunt; cujus ob rempublicam bene adminiſtratam dulcis ac jucunda erat apud cunctos provinciae ordines memoria; eumque, ut opibus et conſilio collegii cauſam adjuvaret, rogant. Is ergo cum delegatis Andernacum profectus, cui itidem metuebatur, oppidanos in obſequio confirmavit: ita ut cum Gulielmus [a] Raba a Gebbardo cum IↃ peditibus miſſus urbi propinquaret, cum damno repulſus ſit; et ipſe a ruſtico ictu glandis ſauciatus, paulo poſt [b] Bonnae deceſſit. Interea Erneſtus [c] Baioarus Leodicenſium epiſcopus, qui jampridem ſeptemvirali dignitati inhiabat, ſive ſpe incitatus, ſive a collegii ſodalibus, qui ei favebant, invitatus, Coloniam venit. Ad quem ſtatim Joannes Caſimirus gentilis dat literas; eumque rogat, ut conſilium de ſummovendo dignitate Gebbardo omitteret: nam fama percrebuiſſe, veniſſe eum, ut, abdicato a ſe epiſcopatu Leodicenſi, in archiepiſcopum Colonienſem eligeretur: quod ſi faciat, ambitionis invidia id minime cariturum; et internecinum proculdubio bellum in Germania exortum iri, patriae exitioſum, et ipſi damnoſum: ac fore, ut, canis Aeſopici fortunam expertus, opimioris ſpe praedae, utramque, et quam habebat et quam captabat, amitteret. Itaque cogitandum ipſi amplius eſſe, quantae molis negotium aggrediatur; in quo principes et civitates Auguſtanae confeſſioni addictos adverſarios ſit habiturus, ac tres ſeptemviros inprimis; quos certo ſciat, non ſolum Gebbardo in ea cauſa minime defuturos, ſed etiam eum, qui amoto Gebbardo eligetur, nec pro fratre nec pro ſeptemviro recepturos. Proinde orare, haec apud ſe mature perpendat, ſeque intra conditionis ſuae limites contineat; potiuſque de trium epiſcopatuum, quos jam obtineat, diſciplina emendanda, quam de alieno invadendo, cogitet. His literis acerbitatis plenis irritatus potius quam perſuaſus Erneſtus, eo majore ſtudio in id incumbit, ut collegii ſuffragiis in praeſulem eligeretur: et, dum Gebbardus, publicata per id tempus apologia, cauſam ſuam tuetur, multiſque verbis demonſtrat, nihil ſe in auream bullam, decretum de religione, Chriſtianam fraternamque foederationem, pacta dioeceſis, aliaque promiſſa ac juramenta peccaſſe, interea Arensbergii celebrata ordinum Weſtfaliae comitia: in quibus non ſolum Gebbardi apologia recitata eſt, ſed etiam ad capita collegii a delegatis ejus reſponſum fuit. Praeterea de Bonna occupata, clavibus captis, et penſionibus [1] perſolutis, objecta crimina diluuntur. Tum cauſae mutatae religionis et matrimonii contracti amplius explicantur: tandemque, poſt varias altercationes, vincente numero Proteſtantium, decretum eſt, ut gratiae Deo optimo maximo agerentur, quod archiepiſcopum luce verbi ſui irradiaſſet; itidemque Deus obſecraretur, ut perſeverantiam

INTERPR. [a] *Rab.* [b] *Bonn.* [c] *de Baviere, evêque de Liege.*
NOT. [1] *Rectius* non perſolutis.

perſeverantiam archiepiſcopo largiatur: tum Gebbardo inſuper gratiae agerentur, quod ſubditorum rationem habuiſſet; ac rogaretur, ut nullis ſe difficultatibus frangi pateretur, quo minus ope ceterorum principum libertatem Weſtfaliae partam conſervaret. Additum, ut miſſa ad Caeſarem legatione enixe caveretur, ne ad arma deveniretur, neve advenae et peregrinae nationes in Imperium intromitterentur. Haec poſtea rata habuit Gebbardus, contradicentibus pleriſque, et inprimis Eberardo comite generali provinciae praefecto. Eodem tempore Coloniae, annitente Eberardo [a] Rekio, conventu ad S. Nicolai habito, ſupplex libellus ſenatui porrigitur, quo publicus Auguſtanae confeſſionis uſus in templo parochiali petebatur. Cum petitionem eluderet ſenatus, rurſus ſocii ad S. Nicolai ſacellum conveniunt; et ex multitudine animos ſumentes ſenatum circumſident, et velit nolit ſatisfieri ſibi petunt. Secundum haec primum [b] Werlae concionari coepit Valentinus [c] Schonecius a Gebbardo miſſus. Interea Fridericus Saxo rem ad [d] Hulcraedum caſtrum gerebat, et per incilia aqua ex foſſa derivata arctius locum premebat. Tum, acceptis a [e] Clivenſi duce tormentis, eum pulſat; tandemque, cum nulla ſubſidii ſpes eſſet, praeſidiarii certis conditionibus vitam et res ſalvas pacti deditionem faciunt. Eodem tempore Salentinus [f] Iſemburgicus [g] Linſenſeis, Arulerenſeis, et praefecturam [h] Aldenrodenſem, in collegii fidem accipit; dum interim Rifferſchitius, tanquam equitum per ditionem tribunus, novum militem collegii mandatu ſcriberet: unde occaſione ſumpta Carolus [i] Trucheſius, qui [k] Bonnae praeerat, [l] Alſteram Rifferſchitii arcem in propinquo capit ac diripit. Ab eodem coenobium nobilium virginum, [m] Dietchirceum vulgo dictum, amplis vectigalibus a Colonienſibus praeſulibus olim dotatum et magnifice inſtructum, quod ab eo Bonnae metueretur, a fundamentis deſtructum eſt. Diverſa parte Nuenarius [n] Berkam ad Rhenum fruſtra antea tentatam aſtu intercipit; locoque potitus in templa vim facit, ſupellectilem omnem ſacram expilat, confractis paſſim imaginibus, et pulſis injurioſe ſacerdotibus. Itaque Caeſar, qui videret nihil hactenus legatis miſſis profectum, ſed res in dies exacerbari, tertio Joannem [o] Preinerum Stubingi regulum ad Gebbardum mittit; et, omiſſa de novae religionis profeſſione ac matrimonio ejus quaeſtione, de quibus tam coram Deo quam univerſis Imperii principibus cauſam aliquando ſit dicturus, hoc unum urget, ut juxta Imperii decretum in pace religionis ſancitum, quando a religione majorum defecerit, dignitate cedat: nam ferendum ſibi non eſſe, ut ipſe, ejerata Catholica religione, alteriuſque facta profeſſione, archiepiſcopatus ac ſeptemviratus dignitatem retineat, propoſitumque illud iniquum ſuum opibus ac ſanguine propugnare nitatur. Proinde eum hortatur, ut dioeceſim, abſolutis a jurejurando ſibi praeſtito populis, omneiſque ejus proventus, tanquam ſuae majeſtatis ac ſacri Romani imperii beneficia, reſignet, et arma deponat; nec conſcientiam ſuam violenta atque injuſta bonorum poſſeſſione, quae ad eum minime pertineant, oneret, pertinaciaque ſua et intempeſtiva contumacia bellum funeſtum ſibi et patriae in Germania excitet. Quibus Caeſaris petitionibus cum Gebbardus ſe ſatisfacere ſalva conſcientia non poſſe poſtridie reſpondiſſet, legatoſque ad apologiam ſuam, qua fuſius argumenta cauſae ſuae, quantum ad religionem ac matrimonium, excutiuntur, remiſiſſet; viciſſim a Caeſare petit, ut, auctoritate ſua interpoſita, Friderici Saxonis injurioſos erga ſe conatus coerceat, mandetque tam ipſi quam ceteris collegii ſodalibus, ut a maleficio in poſterum abſtineant, archiepiſcopum in laudabili dioeceſis adminiſtratione minime impediant, arces et oppida ei

INTERPR. [a] *Rek.* [b] *Werle.* [c] *Schonek.* [d] *Hulkradt.* [e] *de Cleves.* [f] *le comte d'Iſenburg.* [g] *Ceux de Lintz, & d'Arwiler.* [h] *de Aldenroden.* [i] *Truchſes.* [k] *Bonn.* [l] *Alſter.* [m] *Dietkircken.* [n] *Rheinbergen.* [o] *Preiner, baron de Stubing.*

CIƆ IƆ LXXXIII. ei erepta reſtituant, et motibus adverſus eum concitatis finem imponant. Interea HENRICUS III. pontifex, poſt praemiſſos ſuos, quos ſupra diximus, oratores, tandem Andream Auſtrium cardinalem legavit; qui, cum per Jo. Caſimiri ditionem literas ſalvi commeatus impetrare non potuiſſet, facto per Alſatiam, Lotaringiam, et Lucemburgenſem agrum itinere, ſummis difficultatibus conflictatus eſt; eaque de re per literas ad Caſimirum datas Caeſar, Andreae patruelis, peracerbe conqueſtus eſt; additis etiam minis, niſi captos ex cardinalis familia ſine pretio dimitteret. Capta ſub id a Gebbardo arx [a] Hoienburgenſis egregie inſtructa, in Weſtfalia: et mox [b] Werlenſe oppidum in fidem adactum. Caſimirus vero, jam conſcripto milite, quo majorem armis ſuis auctoritatem conciliaret, [c] Wormatiae indicta ad VI Kal. April. comitia urget: ubi principum Proteſtantium ſuffragiis decretum fuit, ſeptemviro Colonienſi opitulandum eſſe; praeter duorum menſium ſtipendia ultimo conventu Auguſtano decreta, alia VI menſium conferenda, quae Magdeburgi vel Francofurti intra trium hebdomadarum ſpatium repraeſententur. Tum datis ad collegium literis factum Gebbardi et ſuum excuſat, qui inimicorum injuriis coacti ad arma devenerint: inprimiſque caput Auguſtanae pacificationis impugnat, quo Caeſar cetérique Gebbardi cauſae adverſi contendebant, praeſules in Imperio, qui a veteri religione deſciſcerent, continuo dignitate privari, eaque cedere debere. Nam caput illud ab omnibus Imperii ordinibus minime probatum eſſe; et Auguſtanae confeſſionis ſocios illo minime ſe obligari tunc proteſtatos fuiſſe, nec, ut insereretur, aſſenſum praebuiſſe: quod et poſtea pluribus verbis, etiam prolatis in eam rem aliquot comitiorum imperialium ab eo tempore habitorum capitibus, confirmare voluit. Mox et Ludovicus Palatinus ſeptemvir in eandem rem ad collegium ſcripſit, et, periculi tam ipſi quam univerſo Imperio impendentis magnitudine propoſita, ſodaleis a bello contra Gebbardum ſuſcepto dehortatus eſt. Cum vero neque Andreae cardinalis adventu, qui ſtatim re infecta, facto per [d] Hagenoam et Briſacum itinere, [e] Oenipontem ad ſua reverſus eſt, res componi poſſe viderentur, tandem diploma Romae Kalendis Aprilibus datum publicatur; quo pontifex, multa de poteſtate et paſtorali cura ſibi commiſſa praefatus, Gebbardum Sectarium publicum, et innumeris prope criminibus contaminatum, ac perjurum, eccleſiaeque Romanae perduellem, et a communione Chriſtiana ſeparatum, tanquam putridum membrum ab ejus unione amputat; eique jus omne, quod in Colonienſi archiepiſcopatu obtinebat, adimit. Eadem auctoritate collegii ſodaleis ac reliquos ſubditos ſacramento ſolvit; mandatque, ut, cum primum iſtius ſententiae notitia ad eos pervenerit, alium idoneum, in Gebbardi, jure et facto archiepiſcopatu privati, locum, ritu et more ſolito eligant. Dum Salentinus, cum [f] Arenbergio uxoris ſuae fratre conjunctis copiis, bellum in ſuperiore dioeceſi gereret, Fridericus Saxo in inferiori minime ceſſabat: qui [g] Linam obſeſſam, et ab [h] Hontſelero poſt [i] Hameli Hoenſaxii diſceſſum deſertam, ipſo paſchali die recepit. Mox et Salentinus in urbem venit, et collegii concordibus ſuffragiis ſummus imperator deligitur. Jamque Caſimiri exercitus in procinctu erat, ſtipendii defectu nonnihil cunctabundus, cum Gebbardus, qui omnem ſpem in eo ponebat, quo omnem morae cauſam praecideret, ultro Caſimiro petenti pro impenſis in bellum illud factis dioeceſim ſuam Colonienſem, cunctas illius civitates, arces, pagos, vectigalia, ac portoria oppignoravit; et ad majorem ſecuritatem etiam promittit, ſe Caſimiro iis arcibus et oppidis ceſſurum, quas adhuc in Rheni ripa poſſidebat: eae erant [k] Bonna et Ordinga. Quod ſtatim evulgatum magnam Gebbardo invidiam conflavit, et de novo praeſule eligendo conſilium

INTERPR. [a] *de Hoenlimbourg.* [b] *Werle.* [c] *Worms.* [d] *Haguenau, & Briſach.* [e] *Inſpruck.* [f] *le comte d'Aremberg.* [g] *Linna.* [h] *Hontſelaer.* [i] *Hamel de Hoenſaxen.* [k] *Bonn, & Ordingen.*

conſilium praecipitavit. Sub id Engelbertus [a] Lippius [b] Nuenarii legatus copias in ſuburbia [c] Recelinuſenſis oppidi duxit. Recuſabant initio oppidani praeſidium admittere; verum annitente Henrico [d] Surlandro, quantumvis repugnante factione contraria, L praeſidiarii tandem admiſſi ſunt: quorum ope audaciores redditi Proteſtantes, qui in urbe erant, ſumma intemperie bacchati ſunt, templis direptis, et imaginibus paſſim dejectis. Evulgata pontificiae proſcriptionis fama, miſſoque ejus ad Caeſarem exemplo, cum ſeptemviri Proteſtantes inſtarent, ut Caeſar auctoritatem ſuam interponeret, neque rem ad internecinum bellum adduci, aut externum militem in Imperium introduci pateretur; ille ſcripto pridie Eidus Aprileis, cum [e] Poſonii in Pannonia inferiori eſſet, reſpondet, et poſtulatis abunde ſe ſatisfeciſſe dicit; incuſata obiter Gebbardi audacia et pertinacia, qui non contentus novo more religionem mutaſſe, etiam ſeptemviralem dignitatem, ejerata majorum religione, armis retinere in animum induxerit, dioeceſim ſpoliaverit, ab Andino atque etiam Francorum rege auxilia emendicaverit. Nihilominus optaſſe ſemper antea, et nunc etiam cupere, ut res amice componatur: verum obſtare, quod heri tantum ſe comperiſſe ait, quod Gebbardus a pontifice proſcriptus et dignitate eccleſiaſtica omnino ſit privatus, ita ut ejus acta in poſterum ſint irrita. Nec ignorare ipſos, quid Imperii conſtitutiones, quid nationis Germaniae pacta cum ſede Romana, in hujuſmodi cauſis ſtatuant: conſultum tamen ſibi videri, ut quamprimum coram ſuae majeſtatis delegatis, aliiſque pari numero ſeptemviris et Imperii principibus, res diſceptetur, et quod aequum juſtumque fuerit decernatur. Interim excuſat pontificis ſententiam in Gebbardum latam, quaſi ea non ſeptemviralem dignitatem, ſed eccleſiaſticum munus, ſpectaret; cujus rei cognitio juxta commemorata pacta ad pontificem pertineret. Ad haec triduo poſt legati principum reſpondent; et hoc maxime urgent, quod de Gebbardo a pontifice eccleſiaſtica dignitate moto dixerat: id enim ſi locum habeat, proculdubio funeſtiſſimum bellum in Germania excitaturum. Nam novum hoc et nuſquam auditum in Imperio exemplum, ut pontifex, ignaro Caeſare, inconſultis tam eccleſiaſticis quam ceteris ſeptemviris, pro ſua libidine archiepiſcopum ac ſeptemvirum inauditum loco ac dignitate ſummoveat. In tali cauſa petenti auxilia ſe ſine flagitio deeſſe non poſſe. Itaque orare tertio, ut Caeſar partes ſuas interponat, archiepiſcopum per vim ſpoliatum reſtitui jubeat, vim hoſtilem utrinque prohibeat, ne novus malo more in ejus locum deligatur impediat. Nihil ad hoc caput Caeſar, quod tanquam ſcopulum praetervectus eſt, reſpondit; ſed amicum colloquium, ut in ſuperioribus literis, rurſus inculcavit: dum interim omnia ad novam electionem, inſtigantibus ipſius legatis, Coloniae parabantur.

CIↃ IↃ LXXXIII.
HENRICUS III.

XV. QUO cum Andreas Auſtrius cardinalis venire non potuiſſet, Joannes Franciſcus [f] Vercellenſis epiſcopus ejus vice functus eſt. Moris eſt ut in majori templo, quot praeſul annos praefuerit, tot baculi ſuſpendantur; unus nimirum ſingulis annis. Tunc vero illi omnes, quaſi ſedes vacaret, uno tantum excepto qui tempore interregni relinquitur, injurioſe amoti ſunt; et Gebbardi inſignia paſſim in urbe abolita. Id actum exeunte Aprili. Triduo poſt, Friderico Saxone referente, electioni novae dies condicitur ad XI Kal. Jun. idque per Erneſtum [g] Baioarum ſenatui ſignificatum fuit, ut ipſe daret operam, conſcripto ex oppidanorum delectibus milite, ne qui motus in urbe tempore electionis excitarentur: quod ſedulo a Petro [h] Stenvico adminiſtratum eſt. Ea re cognita, Gebbardus, qui [i] Rudenae in Weſtfalia erat, ſtatim ad collegium dat literas, eoſque precibus et minis additis a conſilio novi praeſulis deligendi maxime dehortatur. Scribunt et eodem tempore Saxo et Brandeburgicus ſeptemviri ad Caeſarem, et ſibi quidem de colloquio placere dicunt;

INTERP.R. [a] *le comte de la Lippe.* [b] *le comte de Newenar.* [c] *Recklingſhauſen.* [d] *Surlander.* [e] *Preſbourg en Hongrie.* [f] *de Verceil.* [g] *de Baviere.* [h] *de Steenwick.* [i] *Ruden.*

CIƆ IƆ LXXXIII. HENRICUS III.

dicunt; ceterum vereri, ne, propter interdictum pontificium, id minus ex voto procedat: nam reſciviſſe ſe, omnia interim Coloniae ad novam electionem inſtrui, eamque ſummis partium ſtudiis urgeri: ea vero re maximam injuriam Imperio et cum ſuae majeſtatis contemptu conjunctam fieri, ſi tantum pontifici Romano tribuatur, ut indicta cauſa pro arbitrio ſuo ſeptemviros creet aut deſtituat: non ignorare ſe antiqua nationis Germaniae cum Romana ſede pacta; ſed longe aliam rerum faciem extitiſſe, poſtquam [a] Auguſtae Vindelicorum pax religionis ſancita eſt: orare igitur, ut ſuſpenſa electione conventus indicatur, in quo, non obſtante interdicto, Gebbardus tanquam praeſul et ſeptemvir admittatur et audiatur. Renovata et iiſdem literis de milite externo querela; inſtabantque maxime principes, Caeſar curaret, ut Parmenſis copias duce Arenbergio in Germanicum limitem miſſas revocaret. Haec dum miſſis ultro citroque literis inter Caeſarem et principes Proteſtanteis agerentur, collegii ſodales evulgatis ſcriptis cauſam ſuam tuebantur; petitis inprimis ex ipſa eccleſia Colonienſi exemplis. Nam ita circiter annum Chriſti IƆCCCLXI Guntarium archiepiſcopum Colonienſem, una cum Tetgaudo [b] Trevirenſi, a Nicolao I extra eccleſiae communionem poſitum, et ſede pulſum eſſe; quod Lotarii Lotaringiae ducis, qui [c] Tibergam uxorem ſuam repudiaverat, et [d] Walſtradam Colonienſis ſororem induxerat, facinus approbaſſent. Adolſum item ab [e] Altena, quod ſciſſurae in Imperio auctor perhiberetur, Innocentii III mandatu, per Sifridum [f] Moguntinum archiepiſcopum et [g] Cameracenſem epiſcopum coram Othone rege Coloniae a dignitate depoſitum eſſe, circa annum CIƆ CCV. Nec multo poſt [h] Theodoricum Montenſem, quod Othonis a pontifice proſcripti partes ſecutus eſſet, ab eodem pontifice fulmine percuſſum, per eundem Sifridum eadem dignitate exutum eſſe. Nuper et Hermannum [i] Wedenſem comitem ob eandem cauſam dignitate motum. Itaque prudentius feciſſe alios ejuſdem eccleſiae praeſules, qui uxoribus ductis ſponte ſe dignitate abdicarint. Ita Adolſum [k] Marcianum comitem tempore Caroli IV Caeſaris, et Urbani V, cum Margaritam Clivenſis filiam in uxorem accepiſſet; et nuper Salentinum [l] Iſemburgicum, qui nunc felicibus auſpiciis imperator exercitus in ea cauſa a collegio delectus eſt, archiepiſcopatu ceſſiſſe. His exemplis et jure ſuo uti pontificem, et inique facere Gebbardum, contendebant; qui, ejerata majorum religione, et ducta uxore, armis dignitatem eam retinere conaretur. Tandem conventus electioni tantopere ab oratore pontificio expetitae indicti tempus appetiit; quo, poſt ſacrum peractum, concordibus ſodalium ſuffragiis Erneſtus [m] Baioarus, jam Friſingenſis, Hildeſemienſis, et Leodicenſis epiſcopus, in Colonienſem praeſulem delectus eſt, cunctiſque e numero ſodalium, et Friderico ipſi Saxoni, praelatus; quod hoc rerum ſtatu principe opibus et adfinitatibus praepotenti ad rempublicam adminiſtrandam opus eſſet; quae in Erneſto concurrebant, hinc proprii generis tota Germania illuſtriſſimi, inde materni Auſtriaci praerogativa, inſigni. Is poſt electionem ſtatim a ſenatu in pacta inter ipſum et collegium olim conventa jurejurando adactus eſt, et in publicum prodiens praeſul ac ſeptemvir praeconis voce renunciatur: moxque poſt epulum ſolemne, inſtigante pontificio oratore, Adolfus [n] Solmenſis et Winnebergi regulus collegii ſodales citantur, inſtrumento valvis majoris templi affixo: ac tertio poſt electionem die novus praeſul paludatus generoſo inſidens equo Colonia magno comitatu exit; ac primo Bruelam proficiſcitur, ut ibi, ac ceteris ditionis ſuae locis, ritu ſolemni inauguraretur. Id cum Caſimirus, [o] Bipontinus, Nuenarius,

INTERPR. [a] *Augſpurg.* [b] *Archevêque de Treves.* [c] *Teutberge.* [d] *Walſtrade.* [e] *de Alten.* [f] *de Mayence.* [g] *de Cambray.* [h] *Thierry, comte de Berg.* [i] *le comte de Wied.* [k] *de la Marck.* [l] *le comte d'Iſenburg.* [m] *de Baviere, evêque de Friſingen, Hildeſheim, & Liege.* [n] *le comte de Solms, & le baron de Winnenberg.* [o] *le duc de Deux Ponts.*

[a] Nuenarius, et Carolus [b] Truchesius, nequicquam ſcriptis ad ſenatum literis minarum plenis impedire tentaſſent; Gebbardus, qui in Weſtfalia erat, [c] Werlicenſem arcem, [d] Cartauſio praefecto, cui minus fidebat, ademptam, Winnebergio attribuit, Werlae pleroſque promiſcue ob ſuſpiciones in carcerem injurioſe conjecit, Caſimiriani exercitus adventum opperiens. Ipſo vero profectionis ejus die Ludovicus Palatinus ſeptemvir, cognito, poſt pontificis interdictum, in praeſulem Erneſtum electum eſſe, literas acerbitatis plenas ad Caeſarem dat; quibus dolere ſibi teſtatur, occaſione interdicti illius, colloquii, pro componendo motu Colonienſi inſtituti, ſpem praeciſam eſſe, Caeſaremque cenſuram Romanam tam indignam ratam habere, et in Imperio, ad propriae aliorumque principum et ordinum dignitatis imminutionem et contemptum, ei locum dare. Pontificem falcem in alienam meſſem immittere, et indicta cauſa membrum clariſſimi ſeptemvirorum collegii ſua dignitate ſpoliare. Id paucorum conjuratione factum; quod nunc, proh dolor! Caeſaris auctoritate pernicioſiſſimo in poſterum exemplo confirmetur. Jam armis Parmenſis circumſtrepere limitem; Francos contra, qui in Lotaringia convenerant, ad mandatum Caeſareum retroceſſiſſe. Interea pontificem Romae, tanquam ex altiſſima ſpecula, caedeis et Germanorum effuſum cruorem, ut nuper in ſanguineo Pariſiorum balneo fecerit, ſpectaturum. Ad extremum orat Caeſarem, ut pontificis conatibus obviam eat; neque ſuis temporibus Germanos libertatis ſuae jacturam facere, aut vim ab eo Auguſtanae confeſſionis ſociis eorumve conſcientiis afferri, patiatur. Dum Caſimirus veniret, pars copiarum Joanne Bernardo [e] Walbruno, quem ille equitum magiſtrum creaverat, ad ſuppetias ferendas praemittitur v Eid. Junias. Sub id novus praeſul [f] Noveſium venit; ubi, licet contradicentibus adverſae factionis aliquot oppidanis, more ſolito magiſtratus inſignia capit. Venit et eodem Willelmus [g] Clivenſium dux, ut eum tanquam uxoris ſuae e ſorore nepotem ſalutaret, et de lite ob Rheni alluvionem, quae illi cum Noveſianis erat, amice cum Erneſto tranſigeret. Mox [h] Solmenſis et Winnebergius a pontificio oratore citati, poſt elapſos IX dies dignitate ſacra ejuſdem ſententia privantur. Sententiae antiqui, quem vocant, ſtyli, et novi Kalendarii Gregoriani, quod nondum in Imperio promulgatum erat, nota appoſita eſt. Ejuſdem oratoris ſchedula Georgius [i] Seinus Witgenſtenii comes, collegii ſodalis ac praepoſitus, in jus vocatur: quae cum ad manus ejus veniſſet, arrepto ſtatim calamo reſpondit; et, de citatione tanquam illegitima et violenta proteſtatus, ad futurum concilium generale vel nationale legitimum appellat. Proteſtatio per Adolfum [k] Steinum et Joannem [l] Avenium [m] Vercellenſi exhibita eſt: qua accepta ille nihilominus eum dignitate ſententia ſua XVIII Kal. Jul. movit. Reſtabat ex collegii ſodalibus, qui Gebbardi partes fovebant, Thomas [n] Krickingii regulus, Gebbardum affinitate contingens; cui ob eandem cauſam dies a Vercellenſi dicta: ad quam cum non compareret, ſimili, qua ceteri, ſententia dignitate motus eſt. Is ſtatim, Vaſconum copiis, quae in propinquo erant, collectis, iiſque praefecto Petro [o] Butrico, Bonnam venit. Interea ſenatus, ut Bipontino, qui ad eum ſuperiore anno venerat, et ſine reſponſo dimiſſus fuerat, ſatisfaceret, ſerius, et poſt rem peractam, communicato cum Caeſare conſilio, literas ad eum dat; quibus repetita praeteritorum memoria, multa de reverentia et bene affecta erga eum voluntate praefatus, rem potius excuſabat quam tuebatur; collegii eas partes eſſe judicans, ſatiſque ſibi eſſe exiſtimans, ſi priſtinae amicitiae jura cum vicinis et antiqua foederatione conjunctis principibus coleret.

INTERPR. [a] *le comte de Newenar.* [b] *de Truchſes.* [c] *de Werlie.* [d] *Carthauſen.* [e] *de Walbrun.* [f] *Nuys.* [g] *de Cleves.* [h] *le comte de Solms, & le baron de Winnenberg.* [i] *de Sein, comte de Witgenſtein.* [k] *de Stein.* [l] *Avenius.* [m] *l'evêque de Verceil.* [n] *le baron de Creange,* al. *Kreickinghen.* [o] *Butrik.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER SEPTUAGESIMUS NONUS.

EPITOME.

C*AESARIS et Caſimiri contrariae literae. P. Butricus ad Unkelium fruſtra vim facit. Tuitienſe monaſterium miſere incendio vaſtatum.* II. *Gebbardi ad Colonienſeis literae.* III. *Conventus ſeptemvirorum Moguntiae pro componendo Colonienſi diſſidio.* IV. *Ludovici Palatini ſeptemviri obitus: item Magni Holſati, et Catharinae Sueciae reginae. Hennebergica familia, Georgio Erneſto mortuo, exſtincta. Morte Ludovici Caſimirus ab exercitu diſcedit.* V. *Kalendarium novum Romanum ab Erneſto novo praeſule Coloniae receptum.* VI. *Propoſitae a ſeptemviris conditiones a Gebbardo rejiciuntur. Ad Hulſtanum pagum accepta ab Erneſto clades Trucheſianis animos ad tempus facit. Caſtrum, quod Bonnae obſidionem difficilem reddebat, expugnatum: quo facto Bonnae obſidio urgetur.* VII. *Navarri de pace inter Proteſtanteis ſuper religionis diſſidio ſancienda legatio a Jac. Segurio et Sofredo Calignono obita. Cum ea legatio in varias per Germaniam reprehenſiones incurreret, ſcripta ad Caeſarem apologia Segurius factum tuetur.* VIII. *Bonna tandem deditur.* IX. *Gebbardus in Weſtfalia eccleſiaſticam reformationem fruſtra meditatur. Ferdinandus Bebergam capit. Ad Burgam in Zutfania ancipiti proelio pugnatum: tandemque, victis Trucheſianis, victoria ad Baioaros inclinavit. Brunſvicus nothus captus. Recelinenſenſe oppidum poſt treis oppugnationes Ferdinando deditum. Gebbardus, ſuis dilabentibus, Delfos ad Arauſionenſem profugit.* X. *Erneſtus praeſul victor ſolemni ceremonia Coloniae inauguratur. Ordinga ad Rhenum intercipitur a Baioaricis.* XI. *Auguſtae Vindelicorum tumultuatur ob Kalendarium.* XII. *Gebbardus decani dignitate in Argentinenſi ſacro collegio exutus.* XIII. *In Belgio itidem res Proteſtantium turbant, Gandenſium pervicaci contumacia. Ab Ordinibus agitatum, vectigalia pro evectione armorum et commeatus permittenda an prohibenda ſint: tandem edicto prohibita, magno errore. Lira fruſtra a Santaldegondio tentata.* XIV. *Gandavi ſeditio excitata. Ipra poſt diuturnam obſidionem in Philippicorum manus venit.* XV. *Carolus Croius Cimaci princeps et Flandriae praeſes Megenſis comitis heredem in uxorem ducit, et Proteſtantibus favere ſe etiam edito libro fingit. Tandem Brugenſes ſe dedunt. Montinius, obſtructo Scaldi, Gandavum obſidione urget.* XVI. *Andini ad Caſtrum-Theodorici lethalis morbus; ingenium, virtutes, et generoſa tanto principe digna mors.* XVII. *Mortem Andini mox ſecuta Arauſionenſis caedes inſidioſa. Patratoris confeſſiones et ſupplicium. Naſſoviorum gens et foecunditas.* XVIII. *Eodem mortis Andini et caedis Arauſionenſis tempore detecta conjuratio Gul. Parrii contra Eliſabetham Anglam. Ejus confeſſiones; et memorabile Gul. Creightonii e Jeſuitico ſodalitio ſacerdotis, ab eo conſulti, reſponſum.*

EX AUCTORIBUS,

M. Iſſeltio, Actis legationis Segurianae, Imm. Meterano, Joanne Parvo, Gul. Camdeni annalibus Eliſabethae.

LIBER SEPTUAGESIMUS NONUS.

GEBBARDUS circa id tempus [a] Attendornum Weſtfaliae oppidum venit; quod et ei mox patuit, magna licentia ob ſtipendii defectum ſoluto milite ubique graſſante. Cum jam in itinere eſſet Caſimirus, ad eum Caeſar literas dat V Kal. Quintileis; jubetque, omiſſa omni dilatione, ab incepto, non tantum Imperii conſtitutionibus, ſed proprio ipſius ſcripto, repugnante, ſe abſtineat; copias, quas ſub ſignis habet, dimittat: cui mandato ſi parere nolit, et res in Imperio miſcere pergat, ſuam majeſtatem iis remediis uſuram, quae juxta Imperii jura ad exiſtimationem et auctoritatem ſuam conducibilia ac neceſſaria videbuntur. Ad quas Caſimirus confeſtim reſcripſit; et huc uſque ſe vim abſtinuiſſe dicit, quamdiu ſpes promiſſi a Caeſare conventus adhuc aliqua ſuperfuit: nunc, poſtquam, publicato pontificis interdicto, et omni legitima agendi facultate adempta, pacificandarum per conventum illum rerum ſpes omnino evanuit, ſe injuria non ſolum Imperii publica commotum, ſed ſeptemvirorum et aliorum principum expoſtulationibus incitatum, ſuppetias in communi cauſa Gebbardo promiſſas denegare non potuiſſe. Id moleſte Caeſarem minime ferre debuiſſe, ſed potius cogitare, Germanos rem, ad Imperii ignominiam ipſiuſque Caeſareae majeſtatis contemptum pertinentem, tolerare non poſſe; neque paſſuros, ut jugum cervicibus liberis non ferendum, inaudita juxta et iniqua pontificis audacia, imponatur. Poſtquam [b] Krickingiani Bonnam venerunt, prima expeditio fuit adverſus [c] Unkelium; quod eſt municipium in ſuperiori dioeceſi ultra Rhenum, ab ortu et meridie montes, ab occaſu et ſeptentrione Rhenum habens. Municipes Lintzio finitimo oppido foederati erant, ut paribus viribus Gebbardo reſiſterent. Eo miſſus Butricus cum delecta manu. Nec Unkeliani ſibi deſunt; et, foederatorum ope implorata, hoſti adventanti fortiter ſe opponunt, acriterque defenſis munitionibus ſuis eum retro pedem ferre cum damno cogunt. Auxilio evocati [d] Arpelenſes fuerant; in quos, quod proelium detrectaſſent, Unkeliani victoria elati iram vertunt, et, excurſione in agros illorum facta, populareis male mulctant. Altera majoris molis expeditio ad [e] Tuitium coenobium fuit, in [f] Agrippinae conſpectu; quod olim Divitenſe munimentum dictum rudera quaedam et antiquae inſcriptiones teſtantur. Ad hoc munimentum, olim a Conſtantino Conſtantini filio exſtructum, et ponte lapideo Rheno impoſito tunc firmatum, poſtea anno Chriſti IƆXL Herbertus praeſul Colonienſis coenobium exſtruxit, et magnis proventibus dotavit. Id, quod in praeſulum poteſtate eſſet, et propter viciniam urbi belli temporibus incommodaret, ſemper ſenatui ſuſpectum fuerat; cupiebantque a longo tempore Colonienſes occaſionem dari, qua ſe hoc impedimento expedirent. Quod illis tunc fortuna obtulit: nam, cum novus praeſul centurionem Florentinum quendam, [g] Ranucinum nomine, loco cum CCL delectis praefeciſſet, veriti illi ne locum muniret, in urbe tumultuare coeperunt; mittuntque protinus eo delegatos a ſenatu, qui coepta opera ac munitiones diſturbarent. Quo cognito, [h] Bonnenſes praeſidiarii eo ducunt; et primo impetu occupatae popularium vicinae aedes, quae igne injecto ſtatim conflagrarunt. Inde primo repulſi [i] Mullemum in ripa Rheni infra Tuitium concedunt. Sexto poſt die,

CIƆ IƆ LXXXIII.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Attendorn.* [b] *Gens du baron de Creange.* [c] *Unckel.* [d] *Ceux d'Erpel.* [e] *Tuyt, ou Dutz.* [f] *Cologne.* [g] *Ranuccino.* [h] *de Bonn.* [i] *Molheim.*

CIƆ IƆ LXXXIII. HENRICUS III.

die, hoc eſt, pridie Eidus Sextileis, injuria nova irritati, nam interea Ranucinus inſigne praetorium, quod Hermano Adolfo Solmenſi hereditario jure obvenerat, ſive quod coenobio nimis vicinum eſſet, ſive ipſius Solmenſis odio, incenderat, [a] Tuitium redeunt, et comportatis machinis locum denuo corona cingunt. Tormentis diſploſis oppugnatio tentatur, ſed irrito primo ſucceſſu. Itaque [1] pulſatio rurſus ad [b] gerras ex vaſis vinariis ac praetenturis inſtauratur; iterumque fit impetus: in quo repulſi quidem Bonnenſes; ſed, occupatis vicinioribus locis, ex quibus ſub veſperam jam dejectis munitionibus ad periſtylium accurrunt, eoque incenſo, ignis in coenobium plumbo contectum pervadit, nequicquam reſtinguere illum annitentibus praeſidiariis; qui ad extremum fumo flammaque ſtrangulati ceſſerunt, et fortiter pugnando cuncti fere in veſtigio perierunt: pauci qui ſuperfuerunt, cum Ranucino in Bonnenſium poteſtatem venerunt. Coenobium totum cum templo et alio parochiali vicino per totam noctem conflagravit, collucentibus paſſim flammis; ita ut Coloniae ad horrendum illud ſpectaculum cives excitarentur, et ut in media luce cernerent. Poſtquam incendium tectum omne depaſtum eſt, remanente e lapide quadrato tanti aedificii illaeſa mole, veriti Colonienſes, ne, ſi illam occuparent hoſtes, impoſitis inde tormentis urbem infeſtarent, cum coenobii praeſule agunt; et certis conditionibus, promiſſaque in urbe habitatione, ut ruinas illas demoliretur, impetrarunt. Id mox a IƆC caementariis peractum; et ſeptem dierum ſpatio ingentes illae ruinae ad aream complanatae ſunt. Interea Caſimirus, diu non ſolum Gebbardo, ſed etiam Belgii Ordinibus, exoptatus, cum exercitu Bonnam venit, et inde valde familiareis ad ſenatum literas dedit; quibus, petito commeatu, legationem ſe quamprimum ad urbem miſſurum pollicebatur. Sed ille, ſive a milite veterano, nam tantum tirones circa ſe habebat, ſive a pecunia et aliis ad bellum neceſſariis, imparatus, nihil fere dignum tanta expectatione geſſit. Erat in urbe Stephanus quidam, concionator facundus, ſed ob religionem ſuſpectus, Joannis Iſaaci grammatici Judaei ſcriptis ſuis ſatis noti filius. Eum Gebbardus per literas et Witgenſtenius ſolicitant, ut in concionibus plebem ad moderationem adduceret, praeſulis ac principis auctoritatem tueretur, ſeque per ſecretas literas de ſtatu rerum edoceret: quo cognito, is poſtea a concionandi munere a collegio ſuſpenſus fuit. Sub id mandata Caeſaris pridie Kalendas Septembreis Viennae data, ad Caſimirum, Jacobum marchionem Badenſem, Adolfum Nuenarium, Joannem Naſſauvium, Hermanum Adolfum Solmenſem, Joannem Wedenſem comites, Thomam [c] Krickingium, Carolum [d] Truchesium, Fridericum Wernerum, Bernardum Walbrunum, allata ſunt; quibus imperabatur, poena Imperii legibus conſtituta in recuſanteis ſancita, ut ſine ulla prorogatione ſcriptum militem ſacramento ſolverent, ſigna militaria deponerent, exercitum per decurias ſine vicinorum principum incommodo dimitterent. Erant tunc illi omnes cum Gebbardo in arce [e] Luſdorfiana in Montenſi principatu, haud longe a [f] Montis veteris coenobio Ciſtercienſis ordinis, circa annum Chriſti CIƆ CXXVI ab Adolfo I comite ab [g] Altena conſtructo, et Montenſium ducum ſepulchris nobili; quod a milite Truchesiano tunc graſſante licentia expilatum eſt. Inde medio Rheno Truchesiani et Baioarici aliquot velitationibus conflixerunt: nam Erneſtus novus praeſul ſuos in pago [h] Weſſelingenſi, in citeriore fluvii ripa, ex adverſo Luſdorſiae, collocaverat.

II. INDE

INTERPR. [a] *Dutz.* [b] *Parapets faits d'oſiers, de paniers, & de poinçans.* [c] *le baron de Creange.* [d] *Truchſes, Fr. Werner, & Bern. Walbrun.* [e] *Luſtorff au duché de Berg.* [f] *Aldenberg.* [g] *de Altena.* [h] *Weſſelingen.*

NOT. [1] *Lege* pulſatio rurſus ad praetenturam ex gerris et vaſis vinariis confectam inſtauratur; iterumque *Put. Mich. Iſſelſtein de qui cet endroit eſt pris met*, Iterum tormentis illis grandioribus vallum et praetenturam convellunt. *p.* 325.

II. INDE Gebbardus ad conſules, ſenatum, civeis, tribus, dat literas pridie Nonas Septembreis; quibus in pontificem, ut erga ſe injurium, debacchatur; quem et abominationem in urbe Roma, non Dei, ſed diaboli, vicarium vocat, latronem, et conſcientiarum tyrannum. Tum quantum ſibi ab Hiſpanis et [a] Iſemburgico metuere debeant, multis verbis oſtendit: eum eſſe Iſemburgicum, cui [b] Albanus olim in [c] Montium Hannoniae expugnatione promiſerit, ſi ſibi auſcultare vellet, fore ut ipſum Coloniae non tantum archiepiſcopum, verum in ipſa Colonia dominum, conſtitueret: ſibi ab iiſdem Hiſpanis, cum ex levi occaſione cum civibus controverſia ſuborta eſſet, itidem promiſſum, ſi vindictam cogitaret, cum omnibus, quas habebant, copiis praeſto futuros; [1] eoque, uſque dum conſtructa in urbe arce potentiam ſuam in ea firmaſſet, Coloniae manſuros: proinde Hiſpanos, Iſemburgicum, et eorum emiſſarios Jeſuitas, ſuſpectos, ſi ſibi conſultum vellent, in poſterum haberent; potiuſque legitimo praeſuli, qui pro liberis et uxoribus eorum ac publica ſalute arma ſumpſiſſet, operam fidam navarent. Harum literarum duo exempla miſſa; quorum prius in primarii conſulis manus conſignatum eſt; alterum, ſi prius ſuppreſſum fuiſſet, in forum projectum, ut ab omnibus legi poſſet: qua re tamen parum profectum, debilitata Gebbardi in urbe factione. Igitur Caſimirus legationem promiſſam adornat, quam obivit Fabianus [d] Donavii regulus; et, multa de egregia Caſimiri erga ipſos voluntate praefatus, cum injuriae a Gebbardo prohibendae cauſa, et ut ſeptemvirum, quem inique pontifex contra Imperii jura ac libertates ſpoliaverit, reſtitueret, conſilio cum ſeptemviris communicato, veniſſe dixit: ceterum non ignorare, quam ſiniſtros de ipſo ſermones Erneſtus Baioarus gentilis ſuus ſpargi curaverit, ut eum in invidiam apud ſenatum adduceret: et, quanquam minime dubitet quin magiſtratus de ipſo optime ſentiat, tamen, ut calumniis hujuſmodi via praecludatur, petere, ut quo loco ipſe apud ſenatum ſit, quaque in exiſtimatione in ſenatorum collegio habeatur, ipſe benigne ac breviter declaret. Ad haec ſenatus per Stenvicum reſpondet; non latere ſenatum hujus tumultus exordia, et quae ei cauſam dederunt; ceterum ſe neque antea neque nunc huic negotio implicare voluiſſe, eo quod magiſtratus hic ſeparatum a dioeceſi membrum peculiare Imperii conſtituat: calumniis, ſi quae de ipſo ſparſae ſunt, minime fidem habuiſſe: proinde candide et aperte, ſicuti rogentur, declarare, ſe eam de ſua celſitudine exiſtimationem habere, quam de principe ſacri Romani imperii urbs et membrum ejuſdem habere debet. Eodem tempore Willelmus [e] Clivenſium dux ad Caſimirum mittit, qui rogarent ſuo nomine, ut militem a [f] Montenſi territorio, quod ſuae ditionis eſt, abſtineret. Caſimirus, ut ei gratificaretur, et aliquod operae pretium adventu ſuo faceret, copias inde abductas [g] Unkelium verſus ducit; in itinere, ne quid a tergo relinqueret, fruſtra tentatis duobus caſtellis, a quorum obſidione cum damno repulſus eſt: quo et factum, ut Unkelium obſidere ſuperſederit. Itaque [h] Tuitium inde reditum; quo ad eum venit mox Badenſis marchio, Nuenarius et Solmenſis comites, Ferdinandus Gebbardi frater, et [i] Krickingius.

III. INTEREA [k] Moguntiae conventus indicitur, ſi qua ratione motus ob Colonienſe negotium excitati componi poſſent. Inde fama ſpargitur, quaſi belli duces, omiſſo Rheni tractu, in Weſtfaliam ducturi eſſent. Igitur, cum fruſtra miſſis ultro citroque legatis Caſimirus a ſenatu commeatum benigne ſuppeditari petiiſſet, primo caſtra Tuitio [l] Mullemum tranſlata: ubi ad aliquot dies haeſerunt, quod

Bonnenſes

INTERPR. [a] *le comte d'Iſenburg.* [b] *le duc d'Albe.* [c] *Mons.* [d] *le baron de Donaw.* [e] *de Cleves.* [f] *de Berg.* [g] *Unckel.* [h] *Dutz.* [i] *le baron de Creange.* [k] *Mayence.* [l] *Molhem.*

NOT. [1] *Forſan* eoſque.

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

Bonnenſes praeſidiarii defectu ſtipendii tumultuari nunciarentur. Itaque eo confeſtim profectus Caſimirus, exigua pecunia, et ſpe amplioris numerationis utcunque facta, ſeditionem ſedavit. Poſtea, cum [a] Lintzium obſeſſurus caſtra promoviſſet, in itinere a Baioaris ultimum agmen carpentibus infeſtatus, amiſſis aliquot e ſuis, conſilium de obſidione Lintzii omiſit, et ad [b] Engriam caſtra munivit Kalendis Octobris: quo die cum equites Caſimiriani ob ſtipendii item defectum tumultuarentur, ſupervenerunt a Caeſare miſſi feciales; qui non ſolum Caſimiro, ſed [c] Badenſi, [d] Nuenario, aliiſque belli ducibus, proſcriptionis poenam denunciarent, niſi ab armis quamprimum diſcederent. Id non mediocriter tumultum in caſtris auxit: itaque Caſimirus ad Gebbardum ſcribit, et promiſſa ſtipendia repraeſentari enixe petit. Eodemque tempore affertur, eruptione a [e] Coloniae Trajanae praeſidiariis facta, Truchеſianas aliquot equitum turmas, quae ad [f] Bottorpium pagum laxiora hoſpitia habebant, caeſas, et armis et equis exutas. Conventus Moguntiam primo indictus; inde communi conſenſu [g] Francofurtum ad Moenum tranſlatus fuit: quo convenerunt Moguntini, Trevirenſis, Palatini, Saxonis, Brandeburgici ſeptemvirorum legati: venit eo Salentinus Iſemburgicus a novo praeſule miſſus, cum Gotardo [h] Gropero, Michaele [i] Glaſero, aliis. Ibi cauſa agitata: et primum nomine Gebbardi a ſeptemvirorum legatis propoſitum eſt, ut, quando legitimis collegii ſuffragiis olim electus eſſet, et ſeptemviratus poſſeſſionem, ex qua vi dejectus eſſet, pacifice ſine ulla controverſia diu tenuiſſet, ante omnia reſtitueretur; tum ſe Caeſaris et ſeptemvirorum judicio ſiſteret, ut de cauſa ſua ſecundum Imperii leges pronunciarent. Id actum VI Eid. Octobreis. Poſtridie Baioarici reſpondent, et mandatis ſuis interdictum ſibi dicunt, ne cum Gebbardo actionem ullam inſtituant; quippe jure et facto magiſtratu ſummotum, eoque indignum, pronunciatum: nam electum quidem eum olim, verum his conditionibus, ut a ſummo pontifice confirmationem impetraret, deinde ſacerdotio initiaretur, et vitam dignitati ſacrae convenientem duceret; ac poſtremo in Catholica atque adeo majorum religione, quam et tueri teneretur, tota vita perſeveraret. Eas conditiones cum initio impleſſet, in dignitatis poſſeſſione manſiſſe; poſtquam eaſdem violaverit, ea jure ab eo, a quo confirmationem petierit, privatum eſſe: nam ejuſdem eſſe et inſtituere et deſtituere. Cum vero dignitate eccleſiaſtica a competenti judice quaſi indignus privatus ſit, et ſeptemvirali dignitate pariter excidiſſe: nam hanc ita illi annexam, ut alterius amiſſione alteram amitti neceſſe ſit. Privato autem ea Gebbardo, liberum fuiſſe collegio, tam per ſacras quam Imperii atque adeo pacis pro religione ſancitae leges, alium praeſulem deligere. Cum ergo in Erneſtum conſenſerint, jure feciſſe; ac jure facere ipſum Erneſtum, ſi dignitatem in ſe collatam, et injuſtis armis oppugnatam, tueatur. Fruſtra invidia onerari eum a malevolis, quod externis opibus utatur: nam licuiſſe et licere ſemper unicuique jus ſuum, quando rationi locus non eſt, auxiliis undecunque accerſitis tueri: et notum eſſe, quod toties jam dictum ſit, foedus quod Colonienſibus praeſulibus cum illuſtriſſima domo Burgundica, illuſtriſſimo Francorum regum ſanguine prognata, intercedit; in quo et definitum eſt, ſi una pars laboraret, quantis equitum peditumve copiis altera alteri ſubvenire teneretur: notum et pactum eſſe, quod inter Imperium et Belgii provincias, quae nunc Philippo parent, anno hujus ſaeculi XLVIII ſancitum eſt. Petere igitur Erneſtum a delegatis, ut eum tanquam legitimum praeſulem et ſeptemviralis collegii membrum amplectantur et agnoſcant, Gebbardum pro juſte dignitate exuto habeant; operamque dent, ut miles ab eo in

Weſtfaliam

INTERPR. [a] *Lintz.* [b] *Engern.* [c] *le marquis de Bade.* [d] *le comte de Newenar.* [e] *Keyſerſwerth.* [f] *Bottorp.* [g] *Francfort ſur Mein.* [h] *Groper.* [i] *Glaſer.*

Weſtfaliam et [a] Rhenanum tractum introductus aut dimittatur, aut communibus opibus profligetur; pacta antiqua dioeceſis Colonienſis ſarta tecta ſerventur; damna occaſione belli tam univerſae ditioni quam ſingulis illata ſarciantur. Agitata et ſummis animorum ſtudiis diſcuſſa cauſa, a Trevirenſis, Saxonis, et Brandeburgici ſeptemvirorum legatis via media inventa eſt, qua utrique parti ſatisfieret: ut nimirum Gebbardus depoſitis armis dignitate Baioaro cederet, et penſionem honeſtam, qua ſe ſuoſque aleret, ex vectigalibus dioeceſis annuam ab eodem acciperet. De conditionibus his ad Gebbardum ſe relaturos cum Truchesiani reſpondiſſent, negotium intermiſſum eſt. Iſemburgicus Francofurto [b] Herbipolim profectus ad Julium novum epiſcopum ſalutandum, et auxilia, ſi opus eſſet, ab eo exigenda, inde [c] Aſcenburgum, ubi Moguntini praeſules ſedem habent, contendit, et Wolfangum ſeptemvirum odio Hiſpanorum minus aequum inviſit. Caſimirus inter haec, cum magnam de ſe exſpectationem concepiſſet, neque, ſive rei nummariae, quam ſemper urgebat, aut militis penuria laboraret, quidquam exſpectatione dignum gereret; ſuamque exiſtimationem, ut prius in Gallia et Belgio, ſic et in patria, viloſcere doleret; dum bello tot difficultatibus implicato exitum quaerit, exercitum in Weſtfaliam transferre decreverat.

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

IV. In ea deliberatione haerenti fortuna praeſto fuit; quae, Ludovico Palatino ſeptemviro fratre tunc mortuo, honeſtam expeditionis deſerendae ei occaſionem praebuit. Is, amiſſa priore uxore Eliſabetha Willelmi Heſſorum principis filia, ex qua Fridericum et duas filias ſuſcepit, Guſtavi Sueciae regis ex filia Catharina Ezardi Friſiae principis conjuge neptem Annam, XVI annorum puellam, nuper in uxorem Heidelbergae magna pompa, praeſente Carolo Finlandiae duce patruo, duxerat, VI Non. Quintileis: cum qua dum intemperantius amoribus indulget, lento morbo tentari coepit; quo tandem IV Eid. Oct. vivis exemptus eſt. Ante eum XV Kal. April. Magnus Holſatiae dux, Friderici II Daniae regis frater, quem Livoniae regem a Joanne Moſco dictum, et affinitate illius honeſtatum, diximus, tandemque ab eodem injuriis compluribus acceptis diſcedentem in dioeceſim ſuam Curonenſem conceſſiſſe, ad Deum migravit. Eo mortuo, pars nobilitatis Polono, pars Dano, dioeceſim deferebat. Joannes Beherus, qui Danicarum partium erat, eoque nomine ad Daniae regem legatus fuerat, a quibuſdam Polonis, ſui regis, ut jactabatur, mandato, obſeſſus, gnaviter ſe defendit. Tandem duo reges, ne res armorum violentia exacerbaretur, in Fridericum Boruſſiae ducem de cauſa amice tranſigenda conſenſerunt. Paulo poſt Catharina Sigiſmundi I Poloniae regis et Bonae Sfortiae filia, Sigiſmundi Auguſti ſoror, et Joannis III Sueciae regis uxor, fatis conceſſit XV Kal. Octobreis; relicto unico filio Sigiſmundo, qui poſtea rex Poloniae electus eſt; reddita quodammodo per eam vagi et incerti imperii Jagellonicae familiae, in qua tamdiu illud fuerat, poſſeſſione. Hoc et anno Georgius Erneſtus Hennebergae princeps, Willelmi IV filius, cum nullam ex Eliſabetha Erici Brunſvici ſenioris filia priore, et Eliſabetha Ludovici Wirtenbergici ſorore altera conjuge, prolem ſuſcepiſſet, admodum ſenex, quippe jam aetatis annum LXXIII ſupergreſſus, vitam cum morte commutavit. Ante eum Poppo frater, cum ex duarum item conjugum matrimonio nullos liberos haberet, fatis conceſſerat: et ita cum iis perilluſtris familia, quae jam CCLXX amplius annis a Bertoldo, qui primus ab Henrico VII Caeſare princeps Hennebergae creatus eſt, in Germania floruerat, omnino extincta eſt. Ejus bona, tanquam ratione beneficii ad ſe devoluta, inde Saxonica, inde Heſſica familia creverunt. Intellecta Ludovici Palatini ſeptemviri fratris morte, Caſimirus ſtatim publicato ſcripto, quo neceſſitatem domum

redeundi

INTERPR. [a] *le long du Rhin.* [b] *Wirtzburg.* [c] *Aſchaffenburg.*

redeundi ſibi impoſitam oſtendebat, numeratis militi aliquot menſium ſtipendiis, protinus ſe in viam dat, et XIV Kal. Nov. Heidelbergam venit. Eum in itinere inſecutus Arenbergicus, cui animos tanti hoſtis diſceſſus fecerat, quoſdam cecidit; et inde Bonnae arctius obſidendae, in qua omne fortunarum Gebbardi robur collocatum erat, occaſionem cepit. Interea Ferdinandus Baioarus Erneſti novi praeſulis frater junior in caſtra venerat cum delectis copiis; qui, cedente ultro Iſemburgico, ſummus exercitus imperator a fratre creatus eſt. Nec multo poſt Wilhelmus utriuſque Baioariae dux fratri ſuppetias laturus exercitum per [a] Noricum conſcribit; et V Eid. Nov. [b] Monaco profectus, ad diribitorium, quod inter [c] Argentinam et Nancium militi deſignatum erat, movit.

V. EODEM tempore Caeſar, qui ſuperiore anno impetrare non potuerat, ut Kalendarium Gregorianum, ob eas quas memoravi cauſas, ab Imperii ordinibus reciperetur, inter majorum religioni addictos ut locum haberet, tenuit: et Erneſtus, cum ob belli molem exacto jam Octobri id exequi non potuiſſet, ex conſilio Henrici [d] Scorenburgii, a ſecundo die Novembris, rejectis X intermediis, ad XIII tranſcendit: quo die B. Martini feſtum celebratum eſt; in eum diem propterea tranſlatum, ne tantae celebritatis, quae in XI incidebat, memoria eo anno obliteraretur.

VI. CONVENTUS Francofurti continuabatur; ad quem Truchesiani reverſi, Gebbardi nomine renunciarunt, eum conditiones propoſitas accipere non poſſe; quippe fixum [e] Angariae et Weſtfaliae ordinibus ſtare, alium quam ſe principem non agnoſcere: itaque et ipſum decreviſſe in propoſito conſtanter perſeverare, nec ſine eorum conſenſu quidquam in eo negotio agere. Contra, Baioarici decretum Auguſtanum anni LV urgebant; et, cum Truchesius ullas pacis conditiones accepturum ſe negaret, contra eum, ut quietis publicae per Germaniam perturbatorem, bellum publice decerni petebant; nequicquam Brandeburgici, Moguntini, ac Trevirenſis legatis annitentibus, ut pax coiret. Sed nec cedere dignitate Gebbardus volebat, neque, ſi cederet, Erneſtus in penſionem annuam conſenſurus credebatur: itaque tandem diſſolvitur conventus. Diſceſſu Caſimiri exercitus Truchesianus valde imminutus, dilapſis paſſim Gallis, quibus ſe ducem praebuit P. Butricus. Suſpicio et injecta Lazari Mulleri ad Francofurtum mora, quaſi Truchesiani majoris molis aliquid molituri eſſent. Sed, cum milites ſenſim a Butrico et Mullero ſtipendii defectu diſcederent, Erneſtus ad [f] Poppelidorſium caſtrum copias admovet, et tormentis directis quati imperat. Jamque ad ſummas anguſtias res obſeſſorum redactae erant, cum caſus intervenit, qui proſperos hactenus Erneſti conatus aliquantum infregit, et animos Truchesianis omni ſpe deſtitutis fecit. [g] Hulſtanus pagus, ſive Aloſtum dicas, ab oppido [h] Muerſenſi CIↃ circiter paſſibus diſtat, arce et duobus coenobiis conſpicuus: eum [i] Alpenſis comes ad oppidum [k] Campenſe infeſtandum munierat; impoſitoque CCC equitum et CCCC peditum praeſidio, late praedas per circumjacentem regionem agebat. Fridericus Saxo, ne nihil ageret, locum corona cingit. Cum eo erat [l] Sibrandus Ayta, Hulrici [m] Viglii Zuichemi, de quo ſaepius honorifice locuti ſumus, ex ſorore nepos; et, quanquam ſacris addictus, toga et bello clarus: cui et propterea [n] Coloniae Trajanae cuſtodiam Erneſtus commiſerat. Praetenturis valliſque erectis aliquoties a praeſidiariis eruptionibus pugnatum eſt vario eventu. Plus XX diebus protracta obſidione, cum obſeſſi, quamvis commeatus penuria laborarent, minime animis frangerentur, et ſtatuis templorum ad ludibrium e munitionibus dejectis hoſti inſultarent, Gebbardus eos minime deſerendos cenſuit; ſed ex vicinis praeſidiis, modico numero in iis relicto, omneis

INTERPR. [a] *Baviere.* [b] *Muncken, ou Munich.* [c] *Straſbourg, & Nancy.* [d] *Scorenburg.* [e] *Engern.* [f] *Poppelſdorff.* [g] *Hulſt, ou Aloſt.* [h] *Meurs.* [i] *de Alpen.* [k] *Kempen.* [l] *Sibrand Ayta.* [m] *Viglius, Sieur de Swichem.* [n] *Keyſerſwerth.*

omneis delectos deducit, et flumine trajecto iter accelerat; diviſiſque, ut magis lateret, copiis, cum parte ad [a] Berkam, Rhenum traduxit, partem Henrico Brunſvici ducis notho traducendam alio loco commiſit, tanta celeritate, ut prius Truchesiani in conſpectu fuerint, quam de eorum adventu fama in caſtris [b] Lauenburgicis percrebruerit. Erneſtus de exitu metuens novas copias [c] Schuartſemburgio ad Saxonem deducendas dederat, quae in tempore advenire non potuerunt. Habebat Saxo Hiſpanos aliquot, quibus praeerat Petrus [d] Pazius: ſed fere robur ejus exercitus [e] Eburonibus conſtabat, quorum dux erat [f] Keſſenoius. Illi Truchesianos initio regios eſſe rati non ſe moverunt; mox, ut hoſteis eſſe cognoverunt, inopinato eorum adventu perterrefacti retro cedunt, ut ſe cum Germanis, qui in acie ſtabant, conjungerent: ceterum id tanto tumultu factum, ut Germani, qui Eburones jam in fugam verſos putabant, ſolutis ordinibus et ipſi fugam arripuerint: in quos Truchesiani equites impetu facto magnam ſtragem ediderunt. Eburones, ubi ſe undique cinctos viderunt, in deſperatione ſalutem reponentes, cuncti fortiter pugnando paene in veſtigio trucidati ſunt: Germani fuga ſibi conſuluerunt. Fridericus celeri equo in vicinam arcem; Ayta, qui poſtremus in proelio fuit, ad Campenſe oppidum, receptum habuit. [g] Rifferſchitius comes et alii, qua quiſque potuit, dilapſi ſunt: Keſſenoius graviter ſauciatus in Truchesianorum manus devenit. Plus CIↃ CC ex Baioaricis deſiderati, et opima praeda capta, ac inprimis CCC carri commeatu onuſti; quibus Aloſtum introductis Brunſvicus ſtatim in Weſtfaliam cum ſuis redire juſſus eſt. Magnam eo ſucceſſu Alpenſis gloriam meruit; et Gebbardus laetitiam inſolito tormentorum in caſtris diſploſorum fragore teſtatus eſt: quam ſubſecuti mox caſus multum infregerunt. Nam Ferdinandus Erneſti frater, ut aliquo operae pretio cladem penſaret, arcem haud longe a Bonna, in montis faſtigio poſitam, et fere inacceſſam, quae Bonnae obſidionem difficilem reddebat, expugnare ſtatuit. Mons is praeceps, et totus fere petroſus, cum neque tormentorum ſubvectionis nec cuniculorum, ſicuti primo putabatur, patiens eſſet, ad eum e longinquo directa initio tormenta: quae cum continua aliquot dierum contra muros pulſatione parum proficerent, cunicularii poſtremo adhibiti ſunt ad eam partem, qua petrae minus, plus terrae erat: quorum diligentia brevi operae eo perductae ſunt, ut, ſuffoſſo muro, et pulvere nitrato ſubjecto, propugnacula magno fragore loco ſuo mota in altum disjecta ſint; arce tam late aperta, ut ad eam accedendi magna opportunitas militi data fuerit. Neque tamen praeſidiarii in tanto caſu ſe deſerunt; ſed, comportatis in ruinam tormentis, in denſos irrumpentium globos ea diſplodunt: cumque ſeſe fortiter aliquandiu defendiſſent, ad extremum numero impares ceſſere, et Baioarici vi loco potiti ſunt; omneiſque ad unum praeſidiarios, nulli gratia facta, ſic enim Ferdinandus juſſerat, interfecerunt. Id in XII Kal. Jan. incidit. [h] Heiſterbacenſis abbas, qui a praeſidiariis paulo ante captus fuerat, in arce repertus, vitam hoſpiti ſuo ab imperatore impetravit. [i] Ranucinus libertati reſtitutus eſt; is qui in [k] Tuitii coenobii excidio captus fuerat. His actis, de Bonna arctius obſidenda deliberatum in caſtris; eoque totus exercitus deductus eſt. Gebbardus ſub id ad [l] Ketvicum, vicum ad [m] Roueram poſitum, aliquot turmas equitum et peditum cohortes miſerat, ut pontem lapideum, qui utramque fluminis ripam conjungit, abrumperent; quo tutiores a Baioaricorum excurſionibus eſſent: verum praeſul [n] Verdenus, in cujus ditione vicus ſitus eſt, ope ruſticorum conata Truchesianorum impedivit.

VII. JAM

INTERPR. [a] *Rheinbergen.* [b] *de Lawenburg.* [c] *le comte de Schwartzenburg.* [d] *de Paz.* [e] *Liegeois.* [f] *Keſſenoy.* [g] *de Rifferſcheit.* [h] *de Heiſterbach.* [i] *Ranuccino.* [k] *Dutz.* [l] *Ketwick.* [m] *Rur*, al. *Roer, r.* [n] *de Verden.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

VII. JAM Kalendis Sextilibus Henricus Borbonius Navarrae rex, qui regis ingenium a Proteſtantibus alienum noſſet, pace in Gallia res Proteſtantium, bello in Belgio poſt tumultum Antuerpianum labefactari in dies doleret, communi cauſae pro parte ſua ſubveniendum, neque amplius expectandum ratus, ampliſſimam legationem in Angliam, Belgium, et ad Germaniae principes, decreverat; eique Jacobum [a] Segurium Pardallanium praefecerat, e praecipua [b] Aquitaniae nobilitate, hominem Calviniſticae confeſſioni addictum, et enixe propenſa erga ſe voluntate praeditum; cui et adjunxerat Sofredum [c] Calignonem, juvenem doctiſſimum, et ingenii ſolertia praeſtantem. Segurius, homo probo et vivaci nec inerudito ingenio, ceterum credulo, ante aliquot annos, dum in Belgio eſſet, arctam familiaritatem cum Jacobo [d] Brocardo Subalpino coluerat, vaticinationum argutias ad inſaniam ſectante; cujus et ſcripta hujuſmodi vanitatis plena ille poſtea ſumptibus ſuis publicanda curavit. Ab eo cum accepiſſet, locis ſcripturae, ut dictis fidem faceret, ad id detortis, fore, ut non ita multos poſt annos pontifex a principe Proteſtante de ſede deturbaretur, iſque princeps caput concordiae Chriſtianae futurus eſſet, eum principem, inſito erga herum ſuum affectu, protinus Navarrum fore ſibi perſuaſerat; eoque majore ſtudio et ardore, pro auctoritate, qua in aula Navarri pollebat, legationem eam, cui et obeundae ſe obtulit, promovit; quae alioqui, abſque hoc ſecreto ridiculo, quod tandem emanavit, et ab adverſariis poſtea in Germania illi improperatum eſt, tanquam in ſpeciem utilis et neceſſaria multis probabatur. Summa literarum Navarri et mandatorum erat, ut oſtenderet, ex quo ab ineunte aetate purioris doctrinae rudimentis imbutus eſſet, incredibili cupiditate flagraſſe ſe viſendi eos principes, quorum opera Deus ad propagandam Nominis ſui gloriam uſus eſſet: itaque in Germaniam proficiſci ſtatuiſſe: ſed cum metus eſſet, ne per ejus abſentiam detrimenti aliquid reciperent eccleſiae in Gallia, domi ſubſiſtere coactum, ut malum regno imminens, quantum auctoritate apud omneis ordines, gratia apud regem, pollet, a Galliae cervicibus averteret. Etſi enim de regis Chriſtianiſſimi propenſa ad tranquillitatem voluntate, ejuſque erga ſe benevolentia, dubitare nefas putet, ſuſpectam tamen merito eſſe cum multorum principum, qui ſalutem ſuam in aliarum gentium excidio locant, proclivem ad res turbandas libidinem, tum maxime Romani pontificis animum; qui nullum ad hoc uſque tempus lapidem non movit, ut regni florentiſſimi quietem perturbaret, in eaſque cunctos ejus ordines anguſtias conjiceret, ex quibus nunquam eluctari poſſent. Ea de cauſa Segurium a ſe miſſum, virum e praecipua nobilitate, et ſanctioris ſui concilii moderatorem: cui proinde de mandatis, quae ipſi dederit, ut fidem habeant, rogat. Mandatis autem miſerabilis Proteſtantium ſtatus ubique terrarum proponebatur: nam in Hiſpania et Italia quotquot in ſuſpicionem emendatae religionis veniunt, eos cruci ſubjectos Antichriſti tyrannidem et inquiſitionis atrocitatem ac ſaevitiam quotidie experiri. In Gallia Tridentini concilii promulgationem, et per eam inquiſitionis inſtitutionem, a legatis pontificiis, adverſus ampliſſimi ordinis interceſſionem et eccleſiae Gallicanae libertates, urgeri. In Anglia Jeſuitarum aſtu animos populorum ad defectionem ſolicitari: ac, niſi faces illae, reginae ſapientiſſimae prudentia, extinctae eſſent, clandeſtinos coetus et nefarias conjurationes jam pridem in ipſius caput et regni perniciem erupturas fuiſſe. In Scotia eam nuper Pontificiorum artibus ac calliditate mutationem contigiſſe, optimis quibuſque per procerum diſcordiam et regis adoleſcentiam aula exactis, ut, niſi mature proſpiciatur, eccleſia in diſcrimen ventura videatur. Quantum ad Belgium attinet, in eo res profligatas, et ab omni exterorum auxilio imparatiſſimas, proculdubio brevi

INTERPR. [a] *de Segur, Sr de Pardaillan.* [b] *Guienne.* [c] *de Calignon.* [d] *Brocard, Piedmontois.*

brevi collapſuras eſſe, ac ſub pontificiae crudelitatis jugum venturas. Apud Helvetios vero portenti illius Romani largitionibus, ac vafritie turbulentiſſimiſque Jeſuitarum concionibus, belli civilis incendia propemodum hoc biennio excitata eſſe, ut Bernates emendatae religionis cultores Caroli Sabaudiae ducis in eos ex compoſito irrupturi armis obruerentur. Suecorum denique eccleſias, retibus pontificiis in ultima aulae penetralia jactis, in aſſiduo metu ac dubitatione verſari, ne alienatus regis animus aliquid tandem gravius in ſe ſtatuat. In Germania autem, ex quo pax decreto ordinum eccleſiis conceſſa eſt, nunquam ab eo tempore ceſſaſſe Pontificios, ut tranquillitatem et alcedonia conturbarent: et nuper quid contra illuſtriſſimum Colonienſem ſeptemvirum moliti ſint, bello ob eam cauſam paſſim accenſo, cunctis notum eſſe. Haec diuturna cogitatione verſanti Navarro tandem expeditum viſum, ut legationem ad illuſtriſſimos Germaniae principes mitteret; eoſque hortaretur, ut, quod reipublicae Chriſtianae ac totius eccleſiae amplificationi bene cedat, conjunctionem aliquam animorum inter ſe ac conſiliorum cum ſereniſſima Angliae regina ac Daniae rege conſtituant; et, ſi res ita ferat, ſocietatem auxiliorum contrahant; non ad inferendum Romano pontifici aut ipſius fautoribus bellum, ſed ad propulſandam, collatis opibus et communicatis conſiliis, publicam injuriam; ne, ſi ſeparatis, quod hactenus factum eſt, copiis congrediantur, alii poſt alios adverſariorum mole conglobata obruantur, dumque ſinguli pugnant vincantur univerſi. Huic ſocietati, Dei cauſa et ad ejus gloriam ita inſtitutae, Navarrum fortunas omneis, clientelas, vitam denique impenſurum. Cum vero noſtra aetate raro Dei beneficio duo ſeptemviri Colonienſes ex errorum tenebris emergentes emendatae doctrinae nomen dederint, Hermannum [a] Wedenſem, ſive calamitate publica territum, ſive ita infirmitas Proteſtantium ferret, dignitate ac fortunis exutum in optima cauſa ſuccubuiſſe; eoque magis enitendum eſſe Imperii principibus, ne in eadem cauſa Gebbardum deſerant: hocque inprimis cogitare debere, totius Germaniae in ſe oculos conjectos eſſe, et animos ab eventu hujus belli ſuſpenſos augurium ex hujus ſucceſſu in utrumque capturos. Rogare praeterea, ut apud ſe matura cogitatione perpendant, quanti referat, florentiſſimas Galliae Belgicae provincias et eccleſias confirmari: alioqui, niſi majore celeritate, quam hactenus factum ſit, ſuppetiae ferantur, aut inſperato Dei auxilio aliunde proſpiciatur, brevi futurum, ut inſigni aliqua calamitate conflictentur. Se, quamvis a turbis remotiorem, cum in otio et tranquillitate vitam degere poſſit, tamen charitate in communi cauſa tangi; eamque ob rem non ſolum ad principes excitandos Segurium miſiſſe, ſed eidem quicquid gemmarum, pecuniarum, et repoſitae a longis annis pretioſae ſupellectilis habeat, vim magnam adſportandam commiſiſſe; ut, ea diſtracta et oppignorata, cauſae tam piae ac juſtae ſublevandae exemplo ſuo ceteris praeiret: viciſſim petere, ut principes in foederis illius conſortium et conſiliorum ſocietatem veniant, et, unuſquiſque pro facultatibus ſuis, ſymbolam conferant. Quibus de rebus quo matura deliberatione proſpiciatur, petere, ut aliquis conventus in Germania a principibus indicatur, praeſtituta die, ad quam ſereniſſimi Daniae regis legati, cum illuſtriſſimorum principum et ſui ipſius legatis, adeſſe poſſint: interea de ſumma legationis inter ſe agant, ac pro ſe quiſque Segurium ad cauſam promovendam conſilio et commendatitiis literis juvent. Alteris mandatis componendorum religionis inter diverſae confeſſionis eccleſias diſſidiorum negotium urgebatur. Ejus autem expediendi optimam rationem videri, ſi more majorum univerſalis omnium inſtauratarum totius Europae eccleſiarum ſynodus habeatur; de cujus forma, tempore, modo, loco, antequam cogatur, matura deliberatione

inter

INTERPR. [a] *le comte de Wied.*

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

inter eas conveniat: ad quam communi omnium conſenſu controverſiae judicandae referantur, neque cuiquam privatim in aliorum fraudem ac praejudicium quidquam interea ſtatuere liceat: caveatur inſuper, ad mitigandas, quae ex contentionibus ortae ſunt, acerbitates, ut a verbis aſperis ac ſcriptis, quibus hactenus inter ſeſe rixati ſunt utriuſque partis theologi, temperetur; et, exploſis hujuſmodi diſputationibus, earum loco Chriſtiana charitas et fraterna animorum conjunctio revocetur: quod pro Gallicis eccleſiis bona fide praeſtitum iri Navarrus ſpondeat. Tertiis denique mandatis, quae ſecretiora erant, caput de coena, quod tot contentionibus ac offenſionibus cauſam inter Lutheranos et Calvinianos ſive Zuinglianos praebuit, plenius inſtruebatur; ſpeſque iis fiebat, ut de eo conveniret: neque enim Gallos ea pervicacia, aut in tuendis ſuis opinionibus tenacitate eſſe, ut, ſi concilium habeatur, meliora monentibus ac docentibus fidem abrogare velint; imo paratos eſſe omnium animos ad ea dogmata amplectenda, quae Dei verbo ſint conſentanea. Immerito eos Zuinglianos, Calviniſtas, ac Sacramentarios vocari; quippe qui in Chriſti ſolius verba juraverint, nullius ſententiae addicti, niſi quatenus veteris et novi foederis doctrinae congruit. Quod ſi ab ullius mortalis nomine adoptanda Gallis eſſet appellatio, potiore utique jure eos Lutheranos vocatum iri: nam hujus nominis invidia et odio cum laboraretur in Gallia, innumeros prope per LX annos caeſos, exuſtos, equuleis admotos, praeclarum doctrinae, quam a Luthero primum acceperant, teſtimonium ſanguine ſuo obſignaſſe; neque plures martyres, quos vocant, ceteras omneis Europae regiones, quam Galliam unam dediſſe. Lutherum ab eccleſiis Gallicis ut ipſarum in Chriſto parentem coli ac ſuſpici, quod illius miniſterio veritas primum eruta ſit: ejus vero doctrinam tanti ab illis fieri, ut unum illum, repetita ab apoſtolorum ſaeculo memoria, fuiſſe exiſtiment, qui ſcriptis ſuis et laboribus plurimum eccleſiae Dei contulerit. Non diffiteri Navarrum, eos, qui Helveticam ſeu Gallicam confeſſionem hodie tuentur, acerbius et odioſius, quam par fuit, infeliciſſimam de coena Domini diſputationem pertractaſſe; ſed et alios pleroſque hac etiam culpa minime carere: verum non decere, propter unius aut alterius acerbitatem, integras eccleſias perpetuis diſſenſionibus flagrare. Multis in Germania ſic de Gallis perſuaſum eſſe, quaſi erroneam, et qualibet ſecta, vel etiam Pontificia, deteſtabiliorem, doctrinam amplectantur; quo magis deſiderare ipſos, ut palam, quales ſint, publica actione teſtentur, et, ſi errent, ex Dei verbo doceantur. Controverſiam de coena Dominica non adeo difficilem, ut ſynodo dirimi non poſſit, duobus potiſſimum argumentis colligi: priore, quod, cum tria ſint quae in hoc negotio ſpectentur, ſymbola, res exhibitae, et fructus qui inde percipitur, de his fere inter partes conveniat: nam fateri omneis, panem et vinum eſſe ſymbola, corpus et ſanguinem res exhibitas; earum vero fructum hinc cum beato Paulo ſtatui, ut fractio panis et vini ſumptio ſit corporis et ſanguinis Chriſti communio: perceptionis autem modum, in quo haeretur, ſupra naturam et ſpiritualem eſſe cunctos agnoſcere. Sed enim in arcano illo et ineffabili modo indagando dum multi nimis laborant, plagas illas diſputationum et controverſiarum inextricabileis pertexuiſſe: ceterum hac de re minus ſolicitos nos eſſe debere, vel ipſius Lutheri teſtimonio admoneri; qui in epiſtola ad Helveticas civitates ſe de modo laborare negat, dum de praeſentia conſtet. Alterum argumentum facilis concordiae eſſe, quod nunquam ea ſerio quaeſita ſit, quin Deus conatum proſperaverit; ut ex colloquio Lutheri et Zuinglii anno CIↃ IↃ XXVIII inſtituto, et triennali illo Marpurgenſi, apparet; quorum utroque inter primarios utriuſque partis theologos de coenae negotio conveniſſe, formula de eo perſcripta, et utrinque ſubſcriptione comprobata, conſtat: quod vero importuna quorundam acerbitate ab

ea poſtea diſceſſum ſit, id repugnante Luthero et bonis omnibus factum eſſe. Itaque ſi denuo, quod a Dei benignitate ſperandum ſit, conciliatio iniri queat, ne rurſus ab ea diſcedatur, magiſtratus auctoritatem interponi debere. Proinde rogare Navarrum, ut in eam cogitationem ſerio incumbatur; ſicque illuſtriſſimi principes exiſtiment, latiſſimum quidem eſſe virtutis ac pietatis ſuae campum; uberiorem vero religionis et pietatis excolendae materiam ac ſegetem nullam eſſe, quam in hoc negotio: et principum ipſorum, qui repurgatam a ſuperſtitionibus religionem ſectantur, maxime intereſſe, ut, quo arctioribus religionis vinculis ſunt obligati, eo firmior inter eos amicitiae neceſſitudo ac nexus coaleſcat. Cum his mandatis legati Septembri ineunte [a] Rupella ſolverunt, et in Angliam paucis poſt diebus appulerunt: inde in Batavos tranſeunt, et [b] Dordraci, quo indicta comitia fuerant, Arauſionenſem conveniunt; et, quoniam praecipuum legationis caput ad concordiam inter Proteſtanteis ſarciendam pertinebat, cum eo, ut prudentiſſimo negotiorum moderatore, et eccleſiarum Gallicarum confeſſioni addicto, agunt: a quo inſtructi, facto per [c] Roterodamum, Lugdunum, et Amſterodamum itinere, [d] Enchuſa poſtremo ſolventes, ac circumnavigata utraque Friſia, Hamburgum et [e] Bremam hyeme admodum aſpera appellunt. Inde ad [f] Luneburgicos duces dant literas, et [g] Wolfenbutelum ad Julium Brunſvicum ducem veniunt; cum quo de religionis negotio aliquandiu capita contulerunt. Cumque Joannes [h] Molzius primarius conſiliarius ducis minus aequus petitionibus legatorum videretur, ille rem ad Jo. Georgium marchionem Brandeburgicum ſeptemvirum, et Willelmum Heſſorum principem, rejecit; eoſque, antequam explicatius ad poſtulata reſponderet, conſulere ſtatuit. Secundum haec ad Heſſum, ad [i] Halae adminiſtratorem ſive archiepiſcopum Magdeburgenſem, Brandeburgici ſeptemviri filium, et Brandeburgicum ipſum, ſcribit. Brandeburgicus vero, qui tentatis ſaepius cum adverſae partis paſtoribus colloquiis nihil profectum meminiſſet, cum paulum alienior ab eo remedio eſſet, tamen, ut erat miti et pacis ſtudioſo animo, Martinum [k] Chemnitium, ſummi nominis inter Proteſtanteis theologum, per literas XIII Kal. Febr. [l] Coloniae ad Spream datas conſulit; et recordatione praeteritorum terreri ſe dicit, quo minus de generali Auguſtanae confeſſionis ſociorum et Calvinianorum ſynodo a Navarro expetita bene ſperare poſſit: tamen, ne concordiae ſpes omnino abrupta, ejuſve ſarciendae ratio denegata, videatur, cenſere optimum factu futurum, quando articulus de coena a Navarri legatis propoſitus a recepta in Germaniae eccleſiis ſententia haud multum differat, ut cum paucis, VI, vel ad ſummum VIII, pacis ſtudioſis eccleſiae Gallicanae theologis colloquium ineatur; ex quo intelligi poſſit, eccleſias Germaniae ac Galliae non ita, ut vulgi opinio eſt, in hoc capite inter ſe diſſidere: igitur, ut ſuper ea re ſententiam ſuam aperiat, rogat. Ad has Chemnitius quarto poſt die Brunſvica, ubi docebat, reſpondet; et placere ſibi ob eaſdem cauſas Brandeburgici conſilium ſignificat; et, ut colloquium cum paucis ineatur, probat; cautione habita, ne in explicatione capitis de coena, quod, uti proponitur, fortaſſe abſque utriuſque partis offenſione admitti poſſit, Calviniani ad antiquas et toties damnatas interpretationes revolvantur; et, quod Germani profitentur in coenae actu cum exterioribus panis et vini ſignis verum corpus et verum ſanguinem ac praeſentiam Chriſti, ſecundum ejus inſtitutionem, porrigi ac percipi, id de abſente Chriſti corpore ſe intelligere dicant, quod certo loco circumſcriptum ſit, et maneat, neque alio in loco eſſe poſſit; tantum fideleis ipſum ſua fide

CIↃ IↃ LXXXIII. HENRICUS III.

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Dort.* [c] *Roterdam, Leyde, & Amſterdam.* [d] *Enchuyſen.* [e] *Breme,* [f] *de Lunebourg.* [g] *Wolfenbutel.* [h] *Molzius.* [i] *Hall.* [k] *Chemnitz.* [l] *Cologne ſur la Sprée.*

CIϽ IϽ LXXXIV.
HENRICUS III.

ſide praeſens facere, ac ſpiritali ratione percipere; et inde concludant, indignos nihil praeter panem et vinum ſumere, non autem verum corpus et ſanguinem Chriſti. Idem, cum a Willelmo Heſſo conſuleretur, Chemnitius reſpondit. A Brunſvico ad Auguſtum Saxonem ſeptemvirum tranſierunt legati, cum quo majus negotium fore putabatur; quippe Calvinianis ſumme infeſto, ob acrem de Epexegeſi, de qua ſupra diximus, clam per ſuam ditionem publicata ſenſum: ob quem et [a] Cracum cancellarium ſuum ſecuri percuſſerat; et Gaſparem [b] Peucerum, virum in mathematicis doctiſſimum, Melanchthonis generum, in moleſtum carcerem conjecerat. Is tamen, ex compacto communicata cum ſociis principibus re, benigne ad poſtulata reſpondit; et ſibi ea, tam quantum ad colloquium, quam ad cetera in communi cauſa ſubſidia, curae fore confirmavit. Ita legati dimiſſi, facto per Magdeburgum, [c] Megalopolim, et Roſtochium itinere, Lubecam veniunt; et inde ad Fridericum Daniae regem, qui [d] Hafniae erat, tranſmittunt: cum quo iiſdem de rebus egerunt. Cum autem [e] Verdam veniſſent, cognito Caeſarem, legatione illa, quam per totum trimeſtre jam in Germania obiverant, ſummopere irritatum, de ipſis legatis comprehendendis Baioariae duci et Solmenſi comiti mandatum dediſſe, Segurius VIII Eid. April. ad Caeſarem ſcribit, et tria, quae illi a calumniatoribus per Germaniam objiciebantur, diluit: quod ſine fide publica homo peregrinus limites Imperii ingreſſus eſſet; quod, inſalutata majeſtate Caeſarea, cum Imperii principibus ageret; poſtremo, quod res novas in Imperio moliretur. Et, quod ad primum, id juris ac libertatis in Imperio eſſe dicit, ut abſque fide publica per pacem cuivis in Germania agere liceat. Quod vero non ante ſalutata Caeſarea majeſtate id fecerit, id ſibi diſerte a Navarro injunctum eſſe, cum provideret fore, ut in varias reprehenſiones haec legatio incurreret; ideoque mandaſſe, primordium ab illuſtriſſimis Saxone et Brandeburgico ſeptemviris duceretur, ut eorum teſtimonio deinceps, ſi opus eſſet, de totius negotii ſinceritate melius Caeſareae majeſtati conſtaret: cum poſtea [f] Dreſenae de profectione ad Caeſarem cogitaret, monitum ab amicis fuiſſe, ut ſibi ab inſidiis caveret: eo factum, ut profectionem ſuam in aliud tempus diſtulerit; quod futurum ſperaret, ut criminationes illae, ob quas in Caeſaris odium incurrerat, tempore diluerentur. Quod vero rebus novis in Germania ſtudeat, teſteis appellare Imperii principes ac civitates, cum quibus egerit. Non diffiteri de illuſtriſſimo [g] Trucheſio ſeptemviro actum; ſed hactenus tantum, ne deſereretur, et ne qua illi pontificis ſeu tyrannide ſeu libidine injuria infligeretur. Id autem Caeſaris ipſius exemplo factum, qui ne Trucheſium quidem deſerendum cenſuerit; edicto propoſito, ut utrinque ab armis diſcederetur: nam et inde indicta [h] Rotenburgi comitia. Neque tunc de Erneſto Baioaro Colonienſem archiepiſcopatum ambiente cogitatum fuiſſe; quippe de quo, cum ipſe a Navarro miſſus eſt, nondum fama in Galliam pervolare potuerit. Monuiſſe quidem Imperii principes, ut ſibi a Romani pontificis aſtu et inſidiis caverent; et, ſi quid ille moliretur, communibus conſiliis ac ſubſidiis rem agerent, et pro ſalute ac dignitate Imperii adverſus illius fraudes vigilarent. Cum his literis exemplum literarum et mandatorum, quae a Navarro ad Caeſarem habebat, mittit: literis idem quod aliis ad ceteros principes miſſis ſignificabat; decreviſſe ſe ſuperiori anno poſt promulgatam in Gallia pacificationem in Germaniam proficiſci, ad inviſendos principes bene de republica Chriſtiana meritos, ac inprimis ut coram Caeſaream majeſtatem compellare poſſet: ſed, difficultatibus ſuborientibus, hactenus retardatum fuiſſe; ac tandem coactum, cum ipſe ire non poſſet, legatum, qui ſuam vicem fungeretur,

INTERPR. [a] *Crac.* [b] *Peucer.* [c] *Mecklenburg, & Roſtock.* [d] *Copenhague.* [e] *Verden, ou Ferden.* [f] *Dreſde.* [g] *Truchſes.* [h] *Rotenburg.*

fungeretur, mittere, eum ſe Jacobum Segurium delegiſſe, cui plena mandata dederit. Eorum autem haec ſumma erat; ut miſerum Chriſtiani orbis ſtatum deploraret, qui ob religionis diſſidium jam XX totos annos periculoſiſſimis juxta et calamitoſiſſimis bellis concuſſus ſit, eo exitu, ut, attritis utrinque viribus, potentiſſimo ſimul et impotentiſſimo Turcorum tyranno ad internecionem Chriſtiani nominis via aperiatur. Hujus mali fontem ac fomitem non alium eſſe, quam Romani pontificis ambitionem; qui, ut labantem auctoritatem ſuam quavis ratione fulciat, principum Chriſtianorum animos, alioqui pacis cupidos, contra Proteſtanteis accendit, eorumque ope conſcientiis laqueum injicere immani crudelitate meditatur. Cum enim in tranquillitate eccleſiarum multum ad Dei gloriam amplificandam praeſidii ac momenti eſſe videat, bellorum incendia in illos ſpargit; et regnorum everſiones flocci pendit, modo ſanguinarium illum animum ultione expleat, et eadem ruina tum in Germania tum in Gallia Proteſtantium eccleſias involvat. Porro, quanta fuerit ſemper pontificum ambitio et inexhauſta dominandi cupiditas, quam incredibili adverſus imperatores odio illi flagraverint, teſtari diuturna bella tot ſaeculis in Italia et Germania geſta; quorum is finis fuit, ut Caeſares, cenſurarum larvis exterriti, dum imperitae plebis animis praetextu religionis imponitur, poſtremo Italia pulſi ſint, et pontificia poteſtas longe lateque toto orbe propagata. Quid item in Gallia et Anglia moliti ſint, ut regna illa turpi obſequio ſibi beneficiaria redderent; qua denique conſtantia ac virtute reges Chriſtianiſſimi creſcenti illorum tyrannidi reſtiterint, ex annalium fide conſtare. Nunc, erudito hoc ſaeculo, detectis eorum praeſtigiis, et ſuperſtitionis, quem ambitioni praetexunt, fuco, cum non jam de Imperio, ſed de ſalute propria, dimicent, haud mirum eſſe, ſi tot tragoedias per orbem Chriſtianum excitent, ut principum pacificorum animos ad arma contra ſuos vertenda religionis cauſa impellant: hoc enim ipſorum ambitioni inſitum eſſe, ut florentiſſima regna in extremum diſcrimen adducere minime vereantur; ne quid potentiae decedat, quam, malis artibus quaeſitam, pejoribus ſervare ſtudent. Ex hoc fonte manaſſe bella in Gallia et Belgio, et nuper in Germania in cauſa Colonienſi excitata. Proinde Navarrum Caeſaream majeſtatem, quantum poteſt, enixe rogare, ut de componendis tam pernicioſis diſſidiis pro ſumma dignitate ſua cum ceteris Chriſtianis principibus in commune conſulat; et, rejectis pontificum conſiliis, pacis ineundae rationes amplectatur, permiſſa ſubditis ſuis verae ac rectae religionis profeſſione. Sic enim exiſtimare debere, animam, hominis nobiliſſimam partem, et divinae aurae particulam, verae religionis luce illuſtratam, nullis bellorum aerumnis premi, nullo fidicularum aut equuleorum metu aut cruciatu cogi poſſe, ad ea in religione ſuſcipienda, quae vel a ratione, vel a divini verbi norma, aliena judicet: nam neque pretio ullo aut tormentorum violentia veritatem erui, ſed amica ac benevola collatione aliqua, et ejuſmodi colloquiis ac ſynodis, qualeis vetus eccleſia pleraſque novit, noſtra aetas hactenus deſiderat. Quod ſi Caeſarea majeſtas fecerit, non ſolum gratiam de univerſo Chriſtiano orbe merebit, ſed Maximiliani Caeſaris optimi parentis veſtigiis inſiſtet; qui, cum ſubditis ſuis imperii initio religionis libertatem conceſſiſſet, Chriſtianiſſimo regi e Polonia redeunti auctor fuit, ut pacem in regno coleret, neque ſuis indicto ob eam cauſam bello regnum rurſus in exitiale periculum adduceret. Alterum mandatorum caput erat, ut legationem ob id inſtitutam oſtenderet, quo interea, dum concordia univerſis ſarciretur, controverſia inter Auguſtanae confeſſionis ſocios et Helveticas ac Gallicanas eccleſias in uno articulo diſſidenteis exorta amice componeretur. Id ſaepius tentaſſe ipſius parentem Maximilianum, atque inprimis in comitiis anno CIϽ IϽ LXVI celebratis: neque proinde id novum

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

novum et inſolens videri debere. Quae omnia cum nihil habeant, quod non ad Imperii pacem ac tranquillitatem ſpectet, orare Caeſaream majeſtatem, ut quod a Navarro ea in parte actum eſt, id, tanquam a principe ſinceri et candidi pectoris pleno, et pacis in eccleſia conſtituendae ac Imperii dignitatis ſtudioſo, profectum, aequi bonique conſulat. His literis et mandatis ad Caeſarem miſſis, legati, cum Henricum Saxonem [a] Lauenburgenſem, Franciſci filium, Bremenſem archiepiſcopum, confeſſioni Auguſtanae addictum, Paterbornae, quem epiſcopatum et ipſe adminiſtrabat, ſuper eadem re conveniſſent, iter dividunt; et Segurius quidem, eodem quo venerat itinere, ad nos redit: Caligno adverſo Rheno Argentinam devehitur, et ad Helvetiorum Proteſtantium pagos tranſiit; et, quid in communi cauſa egiſſet, exponit; ac de auxiliis, ſi neceſſitas ingrueret, fidem interponi curat: quibus utrinque actis uterque legatus diverſo itinere ad Navarrum revertitur. Poſtea diſſeminata legationis fama, pars literarum et mandatorum etiam [b] Ingolſtadii, quae urbs eſt Baioaricae ditionis, publicatur, titulo [c] Incendii Calviniſtici a Navarri legatis apud quoſdam Imperii ordines ad certam religionis ac reipublicae conturbationem procurati; cum praefatione et adjecta narratione, ac praeterea quodam reſponſo, a ſocietatis Jeſuiticae, ut putatur, ſodalibus artificioſe conficto, quorundam delegatorum praecipuae inter Proteſtanteis auctoritatis nomine: quo duo capita inprimis excutiuntur, de legatione ab Imperii et Ordinum delegatis ad regem in Proteſtantium gratiam decernenda, et ſynodo generali ad componendas religionis inter Proteſtanteis controverſias inſtituenda; eaque omnia Navarro ab Arauſionenſi inſinuata dicuntur, hujus telae textore, quo cladem, quam rebus ſuis pertimeſcebat, excitato in Gallia et Germania motu, a ſe averteret: itaque neque auxilia Gallis a Germanis ſperanda eſſe, et, quae jam habuerint, ſemper infauſta et infortunata extitiſſe. Tum victoriae regis, cum Caroli IX fratris auſpiciis exercitum duceret, contra Proteſtanteis rebelleis partae exaggerantur; et Colinii, cujus veſtigiis Arauſionenſis in Belgio inſiſtat, pernicioſae contra publicam tranquillitatem machinationes reponuntur: atque ex occaſione diſſenſiones inter ipſos Auguſtanae confeſſionis ſocios proponuntur; renovata etiam collationis ante aliquot annos cum Hieremia patriarcha Conſtantinopolitano habitae memoria; qua ille XXX confeſſionis Auguſtanae capita damnavit, et, erroribus Proteſtantium ex eo agnitis, in Kalendarium a pontifice emendatum poſtea conſenſit. Inde oratio contra Gebbardum Truchesium vertitur, hominem ad Imperii dedecus natum, et malorum ſpirituum praeſtigiis ac magicis ſuperſtitionibus amentem; ejuſque ſcelera multis verbis exagitantur: multa denique in Navarrum, ut ingratum, in religione inconſtantem, in Segurium denique contumelioſa jactantur.

VIII. Premebatur arctius in dies Bonna, jam anno ſuperiori exeunte obſeſſa; quam majoribus animis, quam viribus, tuebatur Carolus Truchesius Gebbardi frater: nam, quamvis a frumento et vino minime laborarent praeſidiarii, tamen ceterarum rerum ad vitam neceſſariarum ſumma penuria in oppido erat, ac ligni inprimis; ita ut tigna, canterios, aliamque materiam igni nutriendo idoneam, diſturbatis paſſim ad foeditatem domibus, per vim rapere cogerentur. Erant in caſtris Erneſti IV lectae [d] Sequanorum equitum turmae, ductore [e] Toraſio; IV Italorum, quibus Nic. Baſta praeerat; et V [f] Eburonum; peditum ſigna XL, Germanorum, Bohemorum, et [g] Boiorum, egregie inſtructorum. Ex adverſo urbis trans Rhenum exſtrui curaverat munimentum Baioarus, ad prohibendam commeatus in urbem ſubvectionem; in quod majoribus tormentis comportatis navem praetoriam, quae

INTERPR. [a] *de Saxe Lauenbourg.* [b] *Ingolſtadt.* [c] *Boutefeu des Calviniſtes.* [d] *Franc-Comtois.* [e] *de Toraiſe.* [f] *Liegeois.* [g] *Bavarois.*

quae ante oppidum erat, crebris ictibus perforatam, poſtremo depreſſit: multa et inde damna obſeſſis illata. Hoc oppidi ſtatu, omnis ſpes Gebbardi ab externis auxiliis pendebat. Iis accerſendis Adolfus Nuenarius comes et Edelus Henricus Brunſvicus nothus invigilabant: et Nuenarius quidem ex [a] Sicambris copias evocat; Brunſvicus XXX peditum ſigna, VIII equitum turmas, quae ad V CIↃ bellatorum efficiebant, e diverſis locis, ubi in hyberna dimiſſi erant, tumultuario cogit, et magnis itineribus cum hoc agmine Bonnam tendit; ea ſpe, ut adventu ſuo famam anteverteret, et allato in oppidum commeatu Baioaricos caſtris exueret. Verum aſtus minime hoſteis latuit; qui, re per exploratores cognita, XIII equitum delectorum turmas, et X vexilla peditum, caſtris educunt, et cum iis obviam Brunſvico procedunt. Is inter arbuſta et amnem, qui ab indigenis [b] Ager dicitur, undique, ut ipſe rebatur, tectus, recta [c] Siegburgum verſus tendebat. In itinere cum ad pontem ligneum, per quem tranſmittere copias decreverat, veniſſet, ſubſtitit; praemiſſaque parte, jam diviſis copiis, Baioarici cum ruſticis, qui in ulteriore fluminis ripa in inſidiis latebant, opacitate ſilvae vicinae defenſi, nec opinato erumpunt, horrendoque ſtrepitu ac clamore hoſtili Trucheſianos invadunt: qui ſe undique circumventos cernentes pavore correpti ad pontem accurrunt, in altera fluminis ripa revulſo ponte ſe in tuto fore ſperantes. Verum, dum ſe mutuo concurſu, ut fit, impediunt, pons oneri impar, contignationibus juncturiſque a ruſticis ante, ut putatur, inciſis, diſſolvitur; hominesque paſſim cum equis in fluvium revulſis tabulis praecipitantur, et aquis hauriuntur. Qui ad pontem pervenire non potuerunt, partim caeſi, partim abjectis armis huc illuc diſperſi, et inſequente hoſte in vicino flumine, cui [d] Siego nomen, unde et Siegburgum dictum eſt, ſubmerſi perierunt: qui in adverſa fluminis margine remanſerant, ſuorum cladem conſpicientes, inde propere relictis impedimentis [e] Tuitium et Mullemum, nihil hyemis et corruptorum itinerum incommoda morati, ſe contulerunt. Praeter ſpolia et tot hominum ſtragem, capti XLV carri annona et armis onuſti. Hoc caſu cum omnem ſpem de defendenda Bonna Gebbardus amiſiſſet, et tantum de Carolo fratre periculo ſubducendo cogitaret, tamen mittit, qui obſeſſos ſpe ſtipendii et auxiliorum brevi venturorum ad durandum hortarentur. Interea Brielae ordines Weſtfaliae cogit; ubi coram Georgio [f] Witgenſtenio et Adolfo Solmenſi comitibus, Joanne [g] Winnebergi regulo, duo ab iis petit, bimeſtre ſtipendium, et ut delectus per provinciam haberentur, et ad ſigna convenirent: de utroque certis conditionibus aſſenſum. Sed plus a ſeditione interna militari, quam ab externa vi, metus in oppido obſeſſo erat: nam ſegniter a Baioaricis res gerebatur; et, cum obſeſſorum ſocordia negligenter locus munitus eſſet, et ab ea parte qua aditus a terra eſt, nam Rheno ab aliis partibus fere alluitur, foſſa non admodum profunda et vallo exiguo defenderetur, tamen hoſtis nuſquam hactenus vim fecerat, ſpe tumultus, ut ferebatur, inter obſeſſos excitandi; cujus jam rumores in urbe exaudiebantur. Quos ut compeſceret Carolus, Fridericum quendam Spitium, qui de deditione loci mentionem injecerat, in carcerem conjicit; et ne obſeſſi ab hoſte literas acciperent, mortis poena propoſita, interdicit: paulo ante tympaniſtem in urbem miſſum, ne audiretur, prohibuerat. At Arenbergius comes et [h] Ekenbergeri regulus, primarii hoſtilis exercitus duces, qui majus in aſtu quam in vi aperta momentum ponebant, cum neminem ad excitandam ſeditionem intra oppidum immittere poſſent, tam interdiu quam noctu moenia ſubeuntes, excubitores appellabant, et proſcriptionem Caeſaris contra

CIↃ IↃ LXXXIV.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Gueldre.* [b] *Aker.* [c] *Siburg.* [d] *Sieg.* [e] *Duitz, & Molhem.* [f] *les comtes de Witgenſtein & de Solms.* [g] *Winnenberg.* [h] *le Sieur d'Eckenberger.*

CIϽ IϽ LXXXIV. HENRICUS III.

contra eos, qui huic militiae nomen dediſſent, latam ingerebant: eam maligne a ducibus ſuppreſſam, ut eos inextricabili exitio involverent: cogitarent ſerio, quam capitale ſit, quantaeque temeritatis, Caeſari atque adeo Imperio reluctari, et praefracta contumacia extrema periclitari: meminiſſent ſociorum [a] Poppelidorſii et Godesbergae nuper ob eandem cauſam interfectorum: jam tandem ſe reſpicerent; nullam auxilii ſpem ſubeſſe; Brunſvicum nuper deletum eſſe: neque vero Gebbardi urbem eſſe, quam tam obſtinate tuentur; quippe ab utroque magiſtratu damnati, Caeſare et pontifice; ſed Baioarici recens inaugurati: proinde urbem dedant; quod ſi mature faciant, non ſtipendium, non digna praemia a liberali principe Erneſto defutura. Hae voces inter milites ſparſae, annitentibus qui in occulto Erneſto favebant, immane quantum ad concitandos animos pondus habuerunt: nam ex ea occaſione centuriones Carolum perpulerunt, ut in Weſtfaliam mitteret, qui certiora de promiſſis auxiliis afferrent. Ex iis unus nomine Nic. [b] Seilerus Nemetenſis, cum fruſtra auxilia exſpectari renunciaſſet, Michael [c] Pirclerus ab Arenbergio corruptus factionis adverſae ſe principem praebuit; et, capta ex jurgio cum quodam Caroli domeſtico occaſione, cum XXX armatis in forum venit, prodi ſe, et urbem civeiſque ac commilitones praepoſtera quorundam obfirmatione manifeſto exitio exponi, vociferans; ita ut Carolus in publicum prodire, et orationem ad milites habere, coactus ſit; qua eos a tam foedo propoſito dehortabatur: nihil quippe illis ab annona ac ceteris vitae commoditatibus deeſſe; cum contra hoſtis, ſub dio continuis pluviis madidus, frigore intolerabili torpidus, fame undiquaque pallidus, in luto ac coeno dormiens, extremis incommoditatibus conflictetur: auxilia tantum deſiderari; quae cum intra XX dies promiſſa ſint, nec plus VII ex iis effluxerint, non eſſe quod ante tempus de iis deſperent: alioqui ſummam ignominiam nomini Germanico inuri: nam neque oppidum adhuc vi tormentorum apertum, neque hoſtem tam vicinum, ut certum periculum impendere dici poſſit; omnia adhuc integra et ſalva eſſe, fidem modo et conſtantiam praeſtent: non diu fore, ut utriuſque digna praemia, gloriamque ac laudem ad poſteritatem numquam intermorituram, pro uberi patientiae ſuae fructu ferant. Quibus verbis cum ſibi ſeditionem ſedaſſe videretur, et concionem dimittere vellet, Pirclerus factionis ſuae praepotentis fiducia conſurgit, et Seileri de auxiliis teſtimonium in medium adducit, et amplius ſpecioſis Caroli verbis fidem habendam citra certam perniciem negat; potius conditiones a Baioaricis propoſitas amplectendas eſſe. Tum Caeſareae proſcriptionis exemplum hactenus ſuppreſſum publice recitari jubet: quo lecto fremere miles, tumultuari cives, paſſim omnia ſtrepitu miſceri. Contra, Carolus proſcriptionem impugnare, ut a Caeſare ſolo profectam, nec communi ordinum conſenſu decretam: de promiſſis ſtipendiis, nec in tempore repraeſentatis, quod objicitur, culpam ejus rei in tempus ipſum, non in fratrem, rejiciendam eſſe: exundanteis paſſim amneis obſtitiſſe, et nunc obſtare, quo minus auxilia adventare, et cum iis pecunia afferri potuerit: majorem longe omnium rerum in caſtris hoſtium penuriam eſſe; jamque audiviſſe Arenbergii et Joannis [d] Manricis Larae copias tumultuari: rogare interim ne deditionem moliantur, ſed ad XIV dies obdurent. Quibus verbis minime mitigati militum animi cum in tumultu perſtarent, Pirclerus, ne poenitentia mora ſubiret, arreptis gladiis praefectos ſingulos foro ſummovet: mox ad arma conclamatur, et Fridericus [e] Spitius cum conſciis carcere eductus libertati reſtituitur. Tum milites ſigna rapiunt, et ſpreto ducum imperio in curiam deferunt; claveis oppidi a Carolo poſcunt, ipſumque intra curiam ſub cuſtodia retinent:

INTERPR. [a] *Poppelſdorff, & Godeſberg.* [b] *Seyler de Spire.* [c] *Pirckler.* [d] *Manrique de Lara.* [e] *Spitz.*

retinent: inſuper Chriſtophorum [a] Bruinum et Baltazarem Cochernum, cum [b] optione, legato, ac tribus ſigniferis, in curiam ducunt, et in libera cuſtodia aſſervarunt. Inde, petitis ab Erneſto induciis, ratio colloquii initur: delegati Bonnenſium iis legibus ſe locum dedituros oſtendunt, ſi de Caeſaris proſcriptione certius edoceantur, item jure abdicatum dignitate Gebbardum, et in ejus locum legitimis collegii ſuffragiis Erneſtum [c] Baioarum electum eſſe: in eam rem dati obſides. Delegati Bonnenſium, accepta a militibus fide de Carolo tradendo, ſi opus eſſet, ac reliquis praefectis et centurionibus a Caeſare proſcriptis, ad colloquium tandem cum Ferdinando Baioaro, Joanne [d] Ligneo Arenbergii comite, Joanne [e] Manrice, aliiſque, deſcendunt: et, poſt aliquot horarum diſceptationem, in has conditiones de dedendo oppido convenit; Ut Bonna a praeſidiariis Erneſto, tanquam legitimo non ſolum oppidi ſed totius ditionis domino, cum omni bellico apparatu integro, ſine fraude reſtitueretur; qui IV CIↃ coronatorum militi numerare teneretur, de iiſque perſolvendis obſides daret: Carolus et alii captivi in ejus manus tradantur; gregarii milites cum armis, uxoribus, liberis, omni re ſua, modo non ex templorum direptionibus aut oppidanorum proveniat, incolumes dimittantur, et in tutum deducantur. Haec V Kal. Febr. tranſacta; qui dies B. Carolo, Imperii apud nos atque adeo in Occidente fundatori, ſacer eſt. Poſtea captivi traditi ſunt: et Carolus [f] Poppelidorfium, ubi tunc praeſul commorabatur, ceteri praefecti ac centuriones [g] Bruelam deducti ſunt. Urbs demum Kalendis Februariis Manricae et Paulo [h] Storio cubiculariorum principi dedita eſt, potius aſtu et pecunia, quam vi militari, expugnata: quam vim, multo ſanguine conſtituram, prudentiſſime Arenbergius vili pretio redemit. Biduo poſt deſcriptam tota urbe annonam, et reſtitutum antiquum ſacrorum ordinem, Erneſtus Bonnam triumphanti ſimilis ingreſſus eſt, Carolo ſecum adducto, et archivo ei, quod nuper ſpoliaverat, pro carcere attributo: ex quo poſtea [i] Huſſum, Leodicenſis territorii arcem, tranſlatus eſt.

IX. GEBBARDUS interim in Weſtfalia, conventu [k] Rudenam indicto, rei nummariae explicandae, et diſciplinae ſacrae juxta Auguſtanam confeſſionem inſtaurandae, incumbebat, tunc publicata ejus formula. Ea praecipiebatur, ut baptiſmi, conjugalis copulae, et coenae Dominicae ceremoniae vernacula lingua adminiſtrarentur; in baptiſmo exorciſmus, chriſma, exſufflationes, aliique majorum ritus, omitterentur; extrema unctio, ac puerperarum purificatio, interdiceretur; catechiſmus in templis doceretur: in ſacrificio hic ordo ſervaretur; initium a pſalmo fieret; dein caput e novo teſtamento recitaretur, cui collecta ſubjiceretur; poſtea caput e veteri teſtamento praelegeretur, et pſalmus decantaretur, cui ſtatim ſymbolum annecteretur: inde concio fieret, ſub cujus finem publica fidei confeſſio recitaretur: quibus peractis, et pſalmo decantato, explicatio coenae Dominicae ex Martini Lutheri catechiſmo proponeretur; oratio Dominica et verba conſecrationis recitarentur, addito brevi hymno: tum participaturis euchariſtia adminiſtraretur; ac tandem, poſt collectam et benedictionem, populus dimitteretur. Perſcripta et ſacramentorum ſingulorum ratio et typis mandata, ab ea, quam ante triennium publicaverat, valde diſſidens. Diverſa parte, Erneſtus Joanni [l] Nopelo theologo erudito negotium dat, videret ne formulae novae occaſione in Weſtfalia res turbarent, ſed popularium animos in majorum religione contineret. Ferdinandus vero, ordinatis Bonnae rebus, minime ceſſandum ratus, [m] Bebergam ducit, Nuenarii ditionis oppidulum, ad Erſium fluvium, natura magis quam arte munitum; quod a quodam [n] Serekio Silva-ducenſi centurione, fidei ſuae a Nuenario commiſſum, defendebatur.

INTERPR. [a] *Bruin, & B. Cochner.* [b] *Aide de camp.* [c] *de Baviere.* [d] *de Ligne, comte d'Aremberg.* [e] *Manrique.* [f] *Poppelſdorff.* [g] *Broel.* [h] *Stoer.* [i] *Huy, chateau du pays de Liege.* [k] *Ruden.* [l] *Nopel.* [m] *Bedberg.* [n] *Serecky de Bois-le-duc.*

CIↃ IↃ LXXXIV.
HENRICUS III.

defendebatur. Capto ſine negotio oppido arx reſtabat; in quam cum praefectus ingenteis praedas comportaſſet, earum potiendarum ſpe non mediocriter Baioarici accendebantur. Igitur admoventur tormenta; quorum diſploſione cum muri late disjecti eſſent, tamen Screkius ultro ſe defenſioni obtulit, nullo paventis animi edito ſigno. Tandem per Baioaricos ſolicitatus, cum nulla ſpes ſupereſſet, in deditionem conſenſit; his legibus, ut milites incolumes gladiis accincti dimitterentur, cetera arma traderentur; fide obligata, ut intra VI menſeis Gebbardo non militarent. Praeſidiarii fere [a] Sicambri domum reverſi ſunt; ceteri, qui voluerunt, operam ſuam Erneſto addixerunt: Screkius, quod ſumma humanitate erga hoſtem uſus eſſet, magna cum grati animi ſignificatione libere abire permiſſus eſt. Id actum VII Eid. Mart. Quatriduo poſt Jo. Manrices ſuas copias et aliquot haſtatos equites trans Rhenum [b] Coloniam Trajanam ducit, inde [c] Recelineuſenſe oppidum recepturus. Cum ad [d] Buerum pagum caſtra metatus eſſet, Gebbardus cum toto exercitu ſubito advolat, et hoſtem retrocedere coegit; qui ad [e] Mullemum ad Roueram caſtra tranſtulit. Interea ſupervenit Ferdinandus Baioarus cum reliquo exercitus robore; qui [f] Dorſtenii hoſpitium ſumpſit, eodem, quo Truchesianis inſidiae haud longe hinc a Manrice ſtructae fuerant, die: quod irritum illorum conatum reddidit. Inde Gebbardus [g] Weſaliam [h] Cliviae oppidum concedit, et coenobium Carthuſianorum haud longe ſitum militi praedae avido diripiendum permittit. Eo Hohenlous et Nuenarius comites ad ipſum venere, et de milite novo in Germania conſcribendo agunt; monentque, hoſti jam numeroſiori tamdiu cederet, donec copiae ſperatae conjungi poſſent. Tam ſalutare conſilium, quo minus eo uteretur, fortuna invidit; inſequentibus Baioaricis tanta celeritate et ſilentio, ut prius ad manus ventum ſit, quam de eorum adventu cognoſceretur. Pridie Kalendas Aprileis juxta pagum [i] Iſalae cognominem hoſtes apparuerunt. Ferdinandus ita aciem inſtruit, ut in prima acie CCC Gallo-belgae, ſcloppetarii equites, et levis armatura duce Nicolao Baſta et [k] Arconato, cum [l] Montinii vicario, ſtarent; Manrices Lara mediam duceret. [r] Ferdinandus ipſe et aulici ſe miſcuerunt; quos V ſigna nuper ab Erneſto conſcripta ſubſequebantur: [m] Toraſius Sequanus, et Jonas ordinum ductor, qui [n] Erlacio militabant, cum ſignis ſuis ultimum agmen claudebant. Exſpectabatur et Franciſcus Verdugus, nuper utrique Friſiae, Tranſiſelanae, et Zutfaniae praepoſitus, cum VIII delectorum ſignis, Baioaro ſuppetias laturus. Ferdinandus eo ordine [o] Burgam venit, quod eſt in Zutfania juxta Doetechemum municipium; ubi Brunſvicus nothus cum IↃC equitibus et CC peditibus caſtra habebat; qui ſtatim ſuos in aciem inſtruit. Prima impreſſio a Baſta facta, quem Arconatus ſubſequebatur. Gallo-belgae in ſilva vicina a via deerraverant, ideoque ſerius comparuerunt. Primo pulſi ac viſi fugere Baioarici, donec Gallorum, qui CCC omnino erant, ſuperventu proelium redintegratum eſt. Disjecta trabium tranſverſarum, quae iter impediebant, mole, Galli in latus incumbunt, et ſigna jam converſa fortiter inferunt. Diu ancipiti pugna certatum: tandem victoria ad Baioaros numero potiores inclinavit, cedentibus primo Truchesianis, et mox ſoluto ordine in fugam verſis; loco adeo anguſto, ut pauci perniciem effugerint. Nam caeſi fere omnes, aut in Iſalam proximum merſi; deſiderati amplius IↃ: tantum ſuperfuerunt XXC, qui palantes in proxima per ſilvas dilapſi ſunt: capti ceteri. Ex Baioaricis vix XX occubuerunt; plures vulnerati, inter quos fuere Arconatus, et duo nobiles; quorum alter Montinio, alter Verdugo, operam navabat: [p] Horatius item ordinum ductor.

Ipſe

INTERPR. [a] *Gueldrois.* [b] *Keyſerſwerth.* [c] *Recklingſhauſen.* [d] *Buer.* [e] *Mollem ſur le Roer.* [f] *Dorſten.* [g] *Weſel.* [h] *Cleves.* [i] *Yſſel.* [k] *Arconato.* [l] *le Sieur de Montigny.* [m] *de Toraiſe, Franc-Comtois.* [n] *d'Erlach.* [o] *Burg au comté de Zutphen prés de Doetecom.* [p] *le capitaine Horace.*

NOT. [r] *Haec verba,* Ferdinandus ipſe et aulici ſe miſcuerunt, *quae in editione utraque Genevenſi omittuntur, ex editionibus Pariſinis* D. f. *et* d. *heic textui reſtituere viſum eſt.*

Ipſe Brunſvicus, cum ardore pugnandi ulterius provectus eſſet, ſigniferumque ſuum ex hoſtium manibus eripere vellet, cum eo captus, et ad Ferdinandum ductus eſt, atque [a] *Trajanam* Coloniam ſub cuſtodia miſſus. Ingens praeda capta; et, quod plus praeda aeſtimatum eſt, praetorium vexillum, in quo Trucheſianorum inſignia depicta erant. Confecto proelio in caſtra venit Thomas [b] Epirota a Parmenſi miſſus, cum VII lectiſſimis levis armaturae alis. His auctus copiis Ferdinandus contra *Gebbardum* ducit, qui CIϽ equites adhuc penes ſe integros habebat: verum is, cognito hoſtium adventu, Iſalam primum, dein et Rhenum, trajecit, et in [c] Batavorum inſula inter [d] Leccam et Wahalim ſe munivit. Igitur Ferdinandus converſo itinere per pontem juxta Dorſtenium copias in Reccelinenſenſe territorium reducit, et ipſum oppidum corona cingit VII Eid. Aprileis. Per fecialem locum dedere juſſi praeſidiarii cum recuſarent, una et altera oppugnatio tentata eſt; nec tertia felicior fuit: tandem, omni ſpe auxilii abjecta, deditio facta eſt IV Non. Maias. Dum in obſidione haerent Baioarici, qui [e] Horenbergam arcem tenebant, tam propinquo hoſte, locum deſerunt, cum prius omnem apparatum bellicum et commeatum corrupiſſent. [f] Weſterholtium et mox deditum; et centurio, qui illud tuebatur, in fidem receptus eſt. Quibus ſucceſſibus infractus Gebbardus, dilabentibus ſuis, tandem [g] Delfos ad Arauſionenſem principem ſe contulit; qui [h] Hagae aliquandiu hoſpitium exuli cum uxore attribuit. Nuenarius comes in [i] Sicambris bellum porro contra Hiſpanos gerere non deſtitit. Ejus diſceſſu mox [k] Arenberga, Werla, et ceterae arces, in Erneſti poteſtatem citra certamen venerunt. Inde [l] Gerſecenae Weſtfaliae ordines incunte Junio convocantur; ubi novus praeſul, de nobilitate, quae Gebbardi partes foverat, et literis ac decretis illius contra ſe ſubſcripſerat, querela inſtituta, belli ſumptus in hoc bellum ad recuperationem provinciae factos reſtitui, ac de praeſidiis et jure aequabili conſtituendo agi, poſtulavit. Excuſata praeteritorum memoria, poſt veniam petitam et impetratam, nobiles ac cives in fidem et gratiam recepti: inſuper conventum, ut in belli ſumptus XXXIII Joachimicorum CIϽ dependerent, et praeſidia de ſuo [m] Brielae, Gerſecenae, et Attendorni alerent. Theodoricus [n] Bocholtius item et Chriſtophorus [o] Plettenbergus tribuni dicti; qui, cum opus eſſet, pedites ac equites in provincia ſciberent. De juriſdictione etiam archiepiſcopi et collegii nomine juxta veteris unionis leges renovanda actum. Joannes Mopelus theologus ab Erneſto in provinciam miſſus, qui majorum religionem bello intermiſſam per ea loca inſtauraret.

X. INDE Erneſtus [p] Leodicum venit; ubi et Trevirenſem ſumma magnificentia accepit, atque ab eo ceremoniis ac ritu recepto in ſeptemvirum ſacramento ſolemni adactus eſt. Nec multo poſt [q] Ordinga ditionis Colonienſis ad Rhenum oppidum, quod a Trucheſianis adhuc tenebatur, [r] Blancarti Leodicenſis aſtu interceptum eſt. Is, ſecreto cum captivo conſilio habito, cum propius locum acceſſiſſet, ejus ope in penuarium arcis noctu per feneſtram introductus eſt; primaque ſtatione diſturbata loco potitus, XXC circiter praeſidiarios, qui in eo erant, oppreſſos ad unum omneis trucidavit. Interea Rotenburgi ad [s] Tuberum conventus celebratus; ubi a Caeſaris et ſeptemvirorum, nec non et Ludovici Wirtenbergici ducis legatis, de pace religionis ac reipublicae in Imperio conſtituenda, de Colonienſium praeſulum diſſidio componendo, ſed ſero, actum, jam profligatis Gebbardi rebus: itaque re fere infecta diſceſſum eſt.

XI. RENOVATA

INTERPR. [a] *Keyſerſwerth.* [b] *Albanois.* [c] *le Betuwe.* [d] *le Leck, & le Wahal.* [e] *Hornberg.* [f] *Weſterholt.* [g] *Delft.* [h] *la Haye.* [i] *Gueldre.* [k] *Arenberg, & Werle.* [l] *Gerſecen.* [m] *la Brille, & Attendorn.* [n] *Boecholtz.* [o] *de Plettenberg.* [p] *Liege.* [q] *Ordingen.* [r] *Blancart.* [s] *le Tauber.*

XI. RENOVATA et de Kalendario Gregoriano contentio; quod cum Caeſar jam ſuperiore anno ac ceteri principes majorum religioni addicti per ſuas ditiones promulgaſſent, [a] Auguſtae Vindelicorum a Proteſtantibus nondum receptum fuerat. Ii ſiquidem, cum illud ab adverſa ſenatus parte urgeretur, mandatum a camera Spirenſi impetraverant, quo veteris Kalendarii uſus, exemplo ceterarum Auguſtanae confeſſionis ſociarum eccleſiarum, ipſis relinquebatur. Inſtabat nihilominus ſenatus, et, nihil ſe contra religionis pacem moliri proteſtatus, tantum incommoda ac lites ex diverſitate illa in eadem civitate exorituras cauſabatur; ad quas vitandas Kalendarium communi omnium bono recipi debere contendebat. Itaque et contrarium ſuperiori judicium a camera Maio proximo impetrarunt: quo in urbe promulgato Proteſtantes interceſſerunt; et Georgius [b] Milius theologus, paſtorum urbis praeſes, porrecto ſenatui ſcripto, oſtendit, in civilibus decretis ſe parere ubique paratos; in iis quae ad religionem ſpectant, ſe nullam obedientiae pontifici Romano praeſtandae ſignificationem praebere poſſe: et, ut facto id probarent paſtores, die XXIV Maii pro concione feſtum Aſcenſionis quatriduo poſt celebrandum auditoribus ſuis denunciarunt: quod uno menſe ante alii jam peregerant: qua denunciatione exaſperatus ſenatus, Milio non audito officium ac ſtipendium circa meridiem renunciat, eumque extra urbem educi jubet. Decretum, ut adverſae parti videbatur, violentum, contraria violentia impeditum eſt; Proteſtantibus per urbem tumultuarie arma corripientibus, et ad portam accurrentibus; ubi Milium currui impoſitum lictoribus eripiunt. Creſcente tumultu paſtores ipſi, ſenatus jam poenitentis rogatu, vim inhibent; tandemque, [c] Wirtenbergici vicini ac foederati principis, et Ulmenſis ſenatus, legatorum interventu, ita res compoſita eſt, ut, abolita utrinque praeteritorum memoria, et ſalva religionis pace, Kalendarium ab utraque parte ad vitanda commercii publici incommoda reciperetur: quod ne praejudicium cauſae Proteſtantium faceret, liceret eorum paſtoribus ex ambone ſolemnem proteſtationem praelegere, qua in evangelii doctrina, quam hactenus profeſſi eſſent, nihil mutare, aut porro mutaturos eſſe; nec ut pontifici Romano, ſed ut Caeſareae majeſtati et civili magiſtratui obtemperent, Kalendarium ſe cum aliis civibus in eadem urbe ſervaturos eſſe teſtarentur.

XII. EODEM hoc anno novi belli incendium, quaſi ex Colonienſis cineribus excitatum, ardere coepit, eodem auſpice Friderico Saxone Lauenburgico; qui, Gebbardo dignitate ſeptemvirali exuto, etiam eum decani minore dignitate, quam ille in Argentinenſi metropolitana eccleſia obtinebat, ſpoliare voluit. Nam, poſt cladem ad Aloſtum acceptam, cum ſpe ſeptemviratus adipiſcendi dejectum, ſe etiam exiſtimationis jacturam feciſſe moereret, quod unum ſupererat, [d] Argentinam venit; et in locum Gebbardi, a communione eccleſiae pontificia fulminatione ſeparati, ut ſufficeretur, prenſationibus apud collegii ſodaleis obtinuit, multum renitente Erneſto Mansfeldio, et aliis, qui Auguſtanae confeſſioni addicti erant, collegii ſodalibus: quorum cum in electione illa ratio non habita fuiſſet, ipſi, quaſi loco moti, ut injuriam acceptam ulciſcerentur, ſenatus gratia freti, cum penſiones ſibi debitas denegari cauſarentur, publicas collegii aedeis adhibito notario et teſtibus adeunt; iiſque reſeratis, de frumento in iis recondito, ſibi ipſis, quod deberi aiebant, ſolvunt. Unde ortae alterius partis graves querelae, et coram ſenatu agitatae; qui, cum Gebbardi et Mansfeldii partibus oblique favere alteris videretur, tandem ſodaleis ad competentes judices remiſit. Initio epiſcopus, is erat Jo. [e] Manderſcheidus, a cauſae cognitione ſe excuſavit: poſtea, convocatis ditionis ſuae ordinibus, ut partes ſuas interponerent, petiit, et delegatos e ſuo numero mitterent, qui

INTERPR. [a] *Augſpurg.* [b] *Milius.* [c] *le duc de Wirtemberg.* [d] *Straſbourg.* [e] *de Manderſcheit.*

qui cum ſuis et ſenatus delegatis de ratione diſſidii componendi capita conferrent. CIƆ IƆ LXXXIV.
Verum ſenatus, qui, ſi delegatos nominaſſet, numero ſe vinci videret, ne judicium approbare videretur, conditionem recuſavit: nobilitas item in judicium conſentire noluit. Senatus vero, qui ſe hoc facto quaſi in ordinem cogi videret, mox ad x civitates imperialeis vicinas mittit, et Alſatiae nobilitatem in urbem vocat; concilioque habito de rationibus conſultatur, quibus obviam Pontificiorum tyrannidi, ut aiebant, ſi bellum molirentur, iri poſſet. HENRICUS III.

XIII. INCLINANTIBUS ubique per Germaniam Proteſtantium rebus, in Belgio proximo valde confuſa erant omnia, Gandenſium praecipue ſive levitate innata ſive contumacia; qui Ordinum decreta et ſalutaria Arauſionenſis conſilia de induſtria eludebant, ſparſis paſſim libellis popularium animos ſolicitantes: et, quanquam Antuerpiani et Bruxellenſes contrariis ſcriptis oſtenderent, pactionem cum Gallo-belgis, quam illi urgebant, damnoſam ac doloſam eſſe, neque Philippum in eam conſenſurum, nihilominus in propoſito perſeverabant. Primus hujus anni conatus contra Liram ſuſceptus fuit a Santaldegondio Antuerpiae praefecto, pactione clam inita cum quodam urbis praefecto, qui ſe Parmenſi infenſum, et ab ejus gubernatione alienum, fingebat. Is rem cum ſuis aperuiſſet, diſpoſitae intra et extra urbem a praeſidiariis inſidiae; in quas Santaldegondius, cum ſerius ob obſcuram et adverſam anni tempeſtatem, quippe Januario menſe, nivibus ac frigore horrido, cum ſuis veniſſet, minime praecipitavit. Appetente demum die, Lirani, qui dolum non ſucceſſiſſe moererent, eruptionem in Antuerpianos faciunt, et eos cum Santaldegondio loco pellunt; qui, latiore campi aequore occupato, aciem inſtruit, et, poſt aliquod certamen pejore hoſtium conditione commiſſum, incolumis inde diſcedit; deſiderato in eo conflictu ex Liranis N. Leonino Egelberti juriſconſulti filio, militiae ſtrenuo ductore. Poſtea in Ordinum concilio agitatum fuit ſumma contentione, an vectigalia pro evectione armorum ac commeatus pendi ſolita permitterentur, aut prohiberentur. Nec deerant utrinque ſummi momenti rationes: urbes atque adeo provincias maritimas ex negotiatione praecipue quaeſtum facere, et pecunias ex vectigalibus collectas maxime ad belli ſumptus neceſſarias eſſe; fructus terrae, butyrum, caſeum, piſceis, et ſimilia, ab indigenis omnino non conſumi; et ex hujuſmodi ſuperfluarum Belgio mercium ſubvectione magnam pecuniam, ſine qua bellum geri non poſſet, conflari, majore indigenarum lucro, quam eorum ad quos importarentur commodo. Contra diſſerebatur, et plebs odio caeca huic parti ſuffragabatur, piaculum magnumque probrum eſſe, privati commodi cauſa publicum hoſtem alere; qui, ſi ſubvectio illa prohibeatur, brevi fame et rerum neceſſariarum penuria periturus, ſublata ſe ſuſtentandi et urbes obſidendi facultate; et proculdubio extrema neceſſitate victus ad defectionem ſit inclinaturus. His rationibus, quanquam multa in contrarium afferrentur, tenuere plebeiis addicti, ut edictum conderetur, quo, poena proſcriptionis addita, commeatus et armorum ac ceterarum mercium ad hoſtes, et ab hoſtibus ad Provincias unitas, ſubvectio prohibebatur. Interdictum praeterea, ne merces ullae in ullos Galliae portus propiores quam [a] Rotomagum, ulloſve uſpiam occidentem verſus, neque in Angliam, aut per [b] Amaſum et Moſam ultra loca deſignata, exportarentur. Miſſis et legatis, a rege et sereniſſima Anglorum regina petunt, ne commeatu provincias Hiſpano ſubjectas juvent. Verum, cum edictum ſtricte a provinciis Ordinibus ſubjectis ſervaretur, Galli et Angli ex eo lucri faciendi occaſionem captantes, connniventibus praefectis, ut putatur, corruptis, Caleto et vicinis locis copioſiorem commeatum in Parmenſis caſtra intulerunt: qui, abſque hoc eſſet, nunquam obſtruendi

INTERPR. [a] *Rouen.* [b] *l'Ems, & la Meuſe.*

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

[a] Scaldis et Antuerpiae obſidendae conſilium aut cepiſſet, aut ad exitum perduxiſſet.

XIV. Interea Emmanuel [b] Lalanius Montinius inter [c] Teneramundam et Gandavum [d] Vetterae Scaldim obſtruit, et, utrinque munitionibus erectis, navigationem impedit: quod Joannis [e] Imbiſii aſtu nuper ab exilio revocati fiebat, ut neceſſitate adacti Gandenſes cum foederatis agere compellerentur. Miſſi itaque [f] Tornacum delegati, et pactae induciae: miſſi viciſſim Gandavum [g] Siguera Hiſpanus, et [h] Manuinus Aldenardae praefectus, ambo ab Imbiſio ſumma magnificentia excepti; qui, negotio cum Friderico Perrenoto [i] Campaniaco, qui adhuc carcere attinebatur, communicato, Imbiſium ſtolide ferocem et ambitioſum promiſſis ingentibus oneratum eo perducunt, ut conſilia cum ipſis clanculum conjungeret. Igitur ab iis perſuaſus IX Kal. April. nautarum praefecto praecipit, ut tabulas, ligna, perticas abiegnas, ſcalas, crateis, minoribus navigiis ac pontonibus Scaldim transvehi curaret. Frementibus quibuſdam, ſuperbe ab eo reſponſum, ſcire ſe quid ſui muneris eſſet. Quibus verbis cum plebs in ſuſpicionem conjurationis adduceretur, noctu naves retentae ſunt, et poſtridie ſenatus cogitur: cumque ad baſilicam eadem audacia Imbiſius veniſſet, eamque ſuae cohortis militibus cinxiſſet, quidam ex ſenatoribus [k] bipennem ſatelliti cohortis, vi e manibus, extorquet, et civeis ad arma vocat: quo veluti ſigno cuncti excitati arma corripiunt. Catenae confeſtim per vicos tenduntur, plateae praeſidiariis muniuntur, ſuſpecti comprehenduntur, et in iis ipſe Imbiſius: cui mox magiſtratus et militum praefectura abrogatur, ademptis etiam ſtipatoribus, et tribus tormentis, quae domi ad terrorem habebat. Auxit conceptam de eo ſuſpicionem, quod eodem die literae a Montinio Vettera ad ipſum et Sigueram ſcriptae interceptae ſunt; quibus Montinius ſignificabat, mirari ſe ſummopere, quod pontones et reliqua lignea materia in tempore miſſa non eſſet: nam profunditatem foſſarum jam exploratam, compertumque eſſe latitudinem CCC pedes non excedere: praeterea praeſidii Teneramundani centurionem quendam ſpem facere, ut conatus ſuccedat. Captus et Rolandus [l] Eboracenſis militum Anglorum praefectus; qui omnes torti conjurationem fatentur. Itaque ſtatim Joannes [m] Catellus Rihovius Teneramundae praefectus monetur, ut [n] Setonum Scotorum vicarium comprehendat: qui captus Parmenſi ſe operam ſuam addixiſſe confeſſus eſt; ob quod crimen aliquot diebus poſt capite plectitur. Rihovius vero ulterius ſibi metuens, VI cohortes ab Olivario [o] Templeo Bruxellarum praefecto ſummiſſas intra urbem ad majorem ſecuritatem recipit. Gandavi in Imbiſii locum conſul ſubſtituitur Carolus [p] Utenhovius, homo doctus, et ab Hiſpanorum partibus alienus, ſed fere ſecurus; cujus et ejus ſimilium negligentia effectum, ut nihilominus ab occultis cum foederatis conſiliis minime ceſſatum fuerit: quae, factione jam adulta, tandem exitum ſortita ſunt. Nam, cum poſt reditum delegatorum, qui cum pacis capitibus a Parmenſi ſubſcriptis Tornaco veniebant, multi diffiderent, in forum plerique armati comparuere, pacem alta voce inclamantes, et ubi eſſent, et qui contradicerent, minaciter quaerentes. Verum hi ea vice a ſenatu et optimatibus repreſſi ſunt; captique ſeditionis auctores capite poenas luerunt: tandemque decernitur, publicum foedus ſervandum; miſſique qui auxilia ab Antuerpianis et Bruxellenſibus peterent. Secundum haec miſſi Bruxellis IↃC pedites et C equites; qui paulo poſt, quaſi urbi graves, Bruxellas revertuntur, Rolando Eboracenſi ſecum abducto; qui capitis damnatus, judicii executione contra Arauſionenſis ſententiam

INTERPR. [a] *l'Eſcault.* [b] *de Lalain, Sieur de Montigny.* [c] *Dendermonde, & Gand.* [d] *Wetteren.* [e] *le Sieur d'Imbyſe.* [f] *Tournay.* [g] *de Sigueira.* [h] *de Manuy, gouverneur d'Oudenarde.* [i] *le Sieur de Champigny.* [k] *Halebarde.* [l] *York.* [m] *de Ketulle, Sieur de Rihove.* [n] *Seaton.* [o] *de Tempel.* [p] *d'Utenhove.*

ſententiam dilata, poenam evaſit, captis poſtmodum Bruxellis a Parmenſi libertati reſtitutus. Poſtea Imbiſius ipſe plurium facinorum poſtulatus, pridie Nonas Sextileis ad mortem damnatus et ſecuri percuſſus eſt: eademque poena plerique Gandavi affecti. Interea ad [a] Ipram ſuperiore anno Septembri menſe obſeſſam res a regiis gerebatur, tanto tempore arctiſſima obſidione cinctam: ubi, cum nulla auxiliorum ſpes eſſet, jamque, bis ſubſidiis fruſtra miſſis et profligatis, omnium rerum penuria in urbe laboraretur, ad extremum [b] Marquetus loci praefectus, et praeſidiarii, cum [c] Werpo Curtracenſi praefecto, qui obſidioni per Parmenſis abſentiam praeerat, tranſegerunt pridie Eidus Aprileis, his conditionibus: Ut exteri cum armis vita ſalva, indigenae gladiis et pugionibus accincti, dimittantur; privilegia ſalva maneant; Proteſtantium religionis libertate adempta, oppidani L florenorum CIϽ dependant, et IV e ſuo numero Parmenſi tradant, de quibus ille arbitrio ſuo ſtatuat. (Ii, cum in occulto ſpes vitae fuiſſet facta, poſtea exſolutis XX florenorum CIϽ ſe redemerunt.) Itali praeſidiarii loco imponuntur. Epiſcopus, ubi in urbem venit, templa quaſi profanata denuo conſecravit; et ubique corpora Proteſtantium, ante duos aut tres annos terrae mandata, effodi, et ad patibula avehi, juſſit; coemeteriis ab immundis cadaveribus, tanquam Sectariorum ſpirituum receptaculis, paſſim repurgatis.

XV. IPRA recepta Brugenſes haud diu tardarunt, quin ſimul cum [d] Franconatibus de deditione cogitarent. Iis praeerat Carolus [e] Croius Cimaci princeps, Araſchotani ducis filius; qui ſumma diſſimulatione uſus, ut putabatur, ſive potius ea levitas fuit, in Ordinum gratiam ſe inſinuaverat, ut Flandriae praeſes crearetur, affectata etiam Proteſtantium religione. Itaque et Arauſionenſis filiae nuptias ambiverat, ſed adverſa matre, ex [f] Halvina gente, foemina imperioſa, a Proteſtantibus ſumme aliena, et Naſſauviis alioqui infeſta, de Maria [g] Brimaca Caroli comitis Megenſis herede, et defuncti nuper [h] Ladiſlai Barlemontii vidua, cogitare coepit. Ea, poſt mariti mortem, [i] Sedanum ad Franciſcam Borboniam [k] Bullionii ducis viduam, ut liberam religionis profeſſionem haberet, ſe contulerat; quo ad eam venit Cimacus, et in uxorem poſtea infelicibus auſpiciis ipſam ante quadriennium duxit: nam et nullos liberos ex ea ſuſcepit, et, ſive ob religionis diſſidium, nam poſtea mutavit Cimacus, ſive ob mores, uxor, ut vitae conſuleret, a viro divertit, et in Batavis receptum habuit. Dum Cimacus Sedani eſſet, publicato ante biennium ſcripto, quo Philippum impium, tyrannum, alterum Roboamum, Achabum, Tarquinium Superbum, atque adeo Turcam, contumelioſe nominabat; contra Andinum novum Brabantiae ducem, tanquam legitimum principem ſuum, miris laudibus extollebat; eam apud Ordines de ſe opinionem concitaverat, ut, cum de ejus fide minime dubitaretur, nihil non ei tuto committi poſſe perſuaſum haberent. Itaque Flandria, Belgii primaria provincia, ei attributa eſt. [l] Brugis autem popularium tantam ſibi per concionatores gratiam conciliaverat, ut omnia ex ejus arbitrio penderent. Erat in urbe Franciſcus [m] Harenus Valencenis ortus, eccleſiaſtes Gallicus, qui, Albano duce res moderante, cum recantaſſet, poſtea poenitentia ductus Proteſtantium doctrinam rurſus profeſſus, et in numerum concionatorum receptus fuerat. Ejus ope Cimacus apud Proteſtanteis priſtinam de ſe conceptam opinionem tuebatur, dum interim clam cum Hiſpanorum partibus addictis ageret. Cum nimium cunctari videretur, qui conſilia ejus praecipitari volebant, librum [n] Duſſeldorpiae edunt;

INTERPR. [a] *Ypres.* [b] *de Marquette.* [c] *le Sieur de Werp, grand bailli de Courtray.* [d] *Ceux du Franc.* [e] *de Croy, prince de Chimay.* [f] *de Hallwin.* [g] *de Brimeu, comte de Meghen.* [h] *Lancelot de Berlaymont.* [i] *Sedan.* [k] *Bouillon.* [l] *Bruges.* [m] *Haren, natif de Valenciennes.* [n] *Duſſeldorp.*

CIƆ IƆ LXXXIV. HENRICUS III.

edunt; quo illius prudentiam, pietatem, et fidem, ſummopere commendabant, eique imputabant quaecunque in perniciem Ordinum, et contra, quae in Gallo-belgarum gratiam diverſis locis et temporibus geſta erant: nam ejus opera et calliditate factum, ut praeſidiarii Ordinibus fidi ex Flandriae oppidis deducerentur, [a] Sluſis et Dammae praefecti ſibi addicti imponerentur; ut conjuratis animis Galli e provincia ejicerentur, et ita [b] Diſmuda, ejecto Birono et Helvetiis, [c] Neoportus, Winoci-berga, ac poſtremo Dunkerka, in Parmenſis poteſtatem venerint. Haec et ſimilia eo libro egregia [d] Cimaci facinora praedicabantur: cujus occaſione [e] Brugis cum adverſa pars in ſuſpicionem ejus veniſſet, monente Arauſionenſi, Jacobus [f] Griſeus, [g] Caſſenbrodius conſul, Maximilianus [h] Hornanus, [ı] Briſanus, alii, conſilia contra Cimacum agitant, quibus urbis ſecuritati conſulere poſſent. Ea vero cum fidei et integritatis fiducia [i] Bodio Scotorum praeſidiariorum tribuno aperuiſſent, ille fidem fefellit, et rem omnem Cimaco detegit; qui mox Griſeo evocato graviter conqueritur, et Hornanum tanquam alienigenam contumelioſe interpellatum in carcerem conjecit. Griſeus ſocii periculo admonitus urbe exit, et, acceptis ab Ordinibus IƆ delectis, ſtatim Brugas redit, ſi forte rebus in urbe turbatis ſubvenire poſſet: ſed non admiſſus fuit; ex ejuſque adventu ſuſpicione concepta, alios in urbe cum illo conſpirare, Cimacus [k] Gronneveldum, quem Sluſis impoſuerat, et alios conſcios in vincula duci jubet. Tum, ſimulata huc uſque religione, et frequentata ſaepius ſynaxi, miſſis denique in Angliam legatis, qui factum apud reginam excuſarent, magiſtratum coram populo accuſat, eumque dignitate ſummovet, novum magiſtratum ex hominibus adverſae factionis creat, auctorque [l] Franconatibus et Dammenſibus fuit, ut conſilia cum Gandenſibus ſociarent: quo facto cum Proteſtantes ſibi Brugis metuerent, Oſtendam et Sluſas inde commigrant. Jamque omnia in urbe ad pacis rationes cum Hiſpanis ineundas inclinabant: ſed Parmenſis, qui rem antea urgebat, tunc ut executio ſuſpenderetur auctor Cimaco fuit, quo uſque Oſtendam et Sluſas, quae a Proteſtantibus undique confluentibus quaſi teneri videbantur, in poteſtatem redigeret. Quod cum pro tempore non poſſet, tandem, interventu Araſchotani ipſius a Parmenſi ad filium miſſi, Brugenſes Philippo conditionibus ſatis aequis reconciliantur; quae feſtis tubarum clangoribus in urbe promulgatae ſunt VIII Kal. Junias. Per eas liberum erat Scotis praeſidiariis, quibus praeerat Balfurius, aut urbe excedere, aut fide Philippo addicta ejus ſtipendiis merere. Sed pauci ad Hiſpanos defecerunt: ipſe Bodius ſibi metuens Ordinibus ſe committere minime auſus fuit; et apud Parmenſem, quamvis deſpectui haberetur, manere optavit. Franconates et Dammenſes eadem pactione ſunt comprehenſi; hiſque leges dictae, ut bona ſacro ordini adempta reſtituerent, libera religionis profeſſione ſublata, tantumque in occulto conſcientiis libertate citra publicam profeſſionem permiſſa. Brugis [m] Croſillius, ex illuſtri Momorantiana familia, ſine praeſidio imponitur; Cimaco, ut cauſae proditae crimen a ſe removeret, praepoſterae decoris ſtudio in priore diſſimulatione perſeverante. Nam Brugis cum [n] Hareno concionatore ſuo, quaſi adhuc Proteſtantium religioni addictus, diſceſſit, atque in praetoria ſua rus privatus abiit; et cum poſtea mutaſſet, Ordinibus ſumme propterea inviſus, alteri parti, quam imprudenter juverat, contemptibilis, ſe tandem, ſed ſero, deluſum ſenſit. Interea Montinius, obſtructo jam Scaldi, Gandavum majoribus indies anguſtiis premit; obſeſſis circumquaque viis, [o] Saſſam, ſive navium ſtationem,

INTERPR. [a] *l'Eſcluſe, & Damme.* [b] *Dixmuyde.* [c] *Nieuport, Winox-berg, & Dunkerque.* [d] *le prince de Chimay.* [e] *Bruges.* [f] *le Sieur de Griſe, grand bailli.* [g] *de Caſembroot, grand maiſtre.* [h] *de Horne.* [i] *le colonel Boyd.* [k] *Groeneveldt.* [l] *Ceux du Franc, & de Damme.* [m] *de Croiſilles.* [n] *Haren.* [o] *Sas de Gand.*

NOT. [ı] *Briſanus.* Celui-cy n'eſt point nommé en Meteren & autres, on met de Griſe & autres. *Put.*

ſtationem, [a] Deinſam, et Ekeloam, aliaque loca vicina, militum copiis occupat. Contra [b] Atuatici [c] Tholae et Saſtingae ad Scaldim propugnacula jaciunt, dum Parmenſis ex adverſo [d] Borchtae prope [e] Antuerpiam in ripa fluminis vallum erigeret: quo conſpecto Ordinum copiae aggerem Borchtae oppoſitum perfodiunt, et aquas in agros effundunt, ne hoſtis munitiones aut vallum in ripis exſtruere poſſet.

XVI. Quae dum fiunt, novus Brabantiae dux poſt caſum Antuerpianum tandem in Galliam venerat; et [f] Caſtrum Theodorici ad Matronam, quod erat ejus ditionis oppidum, conceſſerat: unde citatis equis in aulam venit exiguo comitatu III Eid. Febr. et reconciliationem, jam matris interventu factam, praeſentia ſua ſancivit; decimoque poſt die domum, unde venerat, revertitur. Ibi dum eſſet, ex Arauſionenſis conſilio [g] Schonevallius cum aliis delegatis Ordinum nomine ad ipſum venit, et Ordines paratos oſtendit aequis conditionibus rurſus ejus ſe obſequio ſummittere, ſpe auxilii ſcilicet a rege impetrandi: qua re ille ultra modum gaviſus eſt. Quo minus tamen laetitia plena frui potuerit, morbo fatali prohibitus fuit; jam matris interventu ita reconciliatis inter ſe fratribus, ut de ſubſidiis in Belgium mittendis rex fidem interponeret. Verum dux, animo jampridem aeger, et praeteritorum poenitentia moeſtus, Kalendis Maii ſanguine ex omnibus corporis meatibus profluente afflictari coepit, quaſi venis equitando ruptis: qua re debilitatus cum nihil cibi amplius ſumeret, quadrageſimo, poſtquam aegrotare coepit, die, hoc eſt IV Eid. Junias, ad Deum migravit, magna conſtantia, quippe praemeditata diu ante morte, et ſumma pietatis ſignificatione, cum omnem ſpem in crucis merito et effuſione ſanguinis Jeſu Chriſti collocare ſe identidem repeteret. Fuit corpore brevi, ſed bene compacto, facie fuſca, et paulum tumida, et variolis in pueritia deformata; ceterum vario ingenio praeditus, acer, comis, magnanimus, eloquens, magnificus, ambitioſus, inquietus, celer. Huic ſuperſtiti pacem debuit Gallia bis ab eo ſancitam; mortuoque eo ſtatim inextricabili bello implicata eſt, quo et rex periit, et regnum ipſum florentiſſimum everſioni proximum miſere laceratum fuit. Antequam moreretur, teſtamenti factione a rege impetrata, per codicillum eum rogavit, ut molitionum a ſe in regno inceptarum oblivi ſceretur, earumque gratiam morituro faceret: id ſe non privati lucri ac commodi cauſa, ſed ut regnum inde ab externis armis, inde a motibus internis ſecurum praeſtaret, feciſſe. Tum pro ampliſſima hereditaria portione ſibi regis benignitate conceſſa prolixe gratias egit; ac ſibi dolere teſtatur, quod multi e nobilitate, aliique, quorum fida induſtria et opibus uſus eſſet, ad ſummam inopiam cauſa ſua redacti eſſent; nec facultates ſuppeterent, quibus bene meritos de ſe homines remuneraret: CCC aureorum CIϽ ſe circiter debere; de quibus exſolvendis et fide ſua liberanda ſi rex fidem interponat, quod ut faciat matris advocationem implorare, ſe jucundius ex hac vita diſceſſurum; ne facultates, lachrimas, et miſerorum hominum, quibus debeat, ſuſpiria, ſecum in ſepulchrum aſportare dicatur. Non petere ſuperbas exſequias; potius hoc a benigniſſimo fratre flagitare, ut immanes ſumptus, qui in illas expendi ſolent, aeri alieno ſuo exſolvendo dependantur: neque enim ſumptuoſam aut magnificam ſepulturam, ſed potius monumentum in animis ſuorum permanſurum, exoptare. Magno ſibi regnoque Belgarum amicitiam, magno ducis ac comitis titulos conſtitiſſe; eoque nomine Belgas multum ſibi adhuc debere: ſe certe regi ac ſucceſſoribus ejus relinquere ac donare jus omne, quod ſibi ob ſolemneis pactiones et contractus cum Belgis initos debetur. Cupere ut [h] Cameracum, quod ſuppeditatis a rege opibus ceperit ac defenderit, regi regnoque propugnaculi vice ſit; et

INTERPR. [a] *Deynſe, & Eekelo.* [b] *Ceux de Brabant.* [c] *Doel, & Saeſtingen ſur l'Eſcault.* [d] *Borcht.* [e] *Anvers.* [f] *Chateau Thierry ſur Marne.* [g] *le Sieur de Schoonewalle.* [h] *Cambray.*

et civibus, qui tam paratis animis ſe ſuo patrocinio commiſerint, ſatisfiat: viciſſim rex, quicquid auctoritatis ac juris in civitatem ipſe habeat, ſibi ſumat, et civeis auctoritate ſua ac opibus in poſterum tueatur. Sepeliri voluerat tanquam Brabantiae dux ac Belgii dominus, cum inſignibus illarum provinciarum: verum regii conſiliarii nequaquam conſultum exiſtimarunt, et, offenſionem regis Hiſpaniarum veriti, ab illis titulis abſtinuerunt; ſatiſque habuit rex juſta fratri alioqui ſumma magnificentia perſolvere. Eandem ob cauſam patrocinium [a] Cameraci, quod frater voluerat, ſuſcipere noluit: quod tamen ad ſecuritatem limitis illius maxime opportunum cum relinquere nollet, diſſimulatione eadem matri, quae ſibi in regno Portugalliae jus competere, et per violentiam Hiſpanorum ereptum querebatur, Cameraci retentione, dum ei de occupato regno ſatisfieret, uti permiſit. Corpus magna pompa deducente tota familia Caſtro Theodorici Lutetiam deportatum fuit XI Kal. Quintileis, et in ſuburbio ſancti Jacobi aliquandiu ad ceremonias peragendas cum effigie depoſitum; ubi ad corpus aqua luſtrali aſpergendum rex reginaque uxor inſolita funebri pompa, nam alioqui reges apud nos funeribus intereſſe non ſolent, rex quidem equo vectus, regina in lectica aperta, ingenti procerum et matronarum illuſtrium comitatu acceſſerunt. Inde corpus cum effigie per urbem circumgeſtatum, et in majori urbis templo rurſus depoſitum, ac poſtridie IV Non. Jul. peractis ſacris [b] Fanum Dionyſii deportatum, et in monumentum majorum illatum eſt. Mortuum laudavit vir ſumma facundia et eruditione Reginaldus [c] Belnenſis, archiepiſcopus Bituricenſis, olim ipſius cancellarius; qui res ejus in Belgio geſtas, a rege monitus, tanquam ſcopulum praetervectus eſt, magnitudinem familiae, et ſolas de mortalitatis conditione querimonias multis verborum pigmentis exornatas, quaſi ſolemne carmen, addere contentus. Vixit annos XXX, menſeis II, dies XXIII. Suſpicione veneni ea mors minime caruit; et, ſecto corpore, eroſiones et notas hujuſmodi intus repertas chirurgi retulerunt.

XVII. RARAE ſive felicitatis ſive occultae Hiſpanorum machinationis exemplum indiciumve fuit, quod paulo poſt Arauſionenſis, acerrimus itidem nominis Hiſpani hoſtis, ex inſidiis a percuſſore interfectus eſt; et eodem tempore conjuratio in Anglia ad reginam de medio tollendam, quae veluti obex ad potentiam Hiſpanam late ſe effundentem intra limites coercendam noſtris temporibus poſita videbatur, detecta fuit: de quibus ordine dicemus. Baltaſar [d] Gerardus Villaforenſi in Sequanis oppido natus, annum circiter XXVI ſupergreſſus, juvenis brevi ſtatura, et illiberali facie, ad Arauſionenſem, qui [e] Delfis in Batavis erat, ineunte Maio venit; ſeque Petri [f] Guionii Veſontione nati, qui olim ob religionem morte in patria mulctatus fuerat, filium mentitus, et religionis repurgatae, ita de induſtria loquebatur, acerrimum ſtudium prae ſe ferens, in ejus notitiam ac familiaritatem ſe paulatim inſinuavit; et, ut opinioni fidem aſtrueret, frequens concionibus et veſpertinis precibus intererat, pſalmos et novi teſtamenti libros ſemper manibus verſans. In itinere ſe per Lucemburgum tranſiſſe, et a quodam cognato ſuo, qui Petro Erneſto Mansfeldio comiti provinciae praeſidi ab epiſtolis erat, ſubſignationes aliquot in pura charta accepiſſe, dicebat; quas et penes ſe habebat: quas inſpectas Arauſionenſis cum parvi initio feciſſet, mox, Gerardo in Galliam cum [g] Schonevallio ad ducem miſſo, eas ad Bironum, qui Cameraci praefectus fore putabatur, perferre juſſus eſt, uſui in illis forte locis futuras. Inde reverſus cum literis de morte ducis, ad Arauſionenſem in lecto adhuc jacentem admiſſus eſt; et, pecunia quaſi rediturus ab eo accepta, VI Eid. Julias poſt prandium rurſus ad ipſum venit; et ad januam aulae

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *St Denis.* [c] *de Beaune, archevêque de Bourges.* [d] *Geraerts de Villeſans en la Franche Comté.* [e] *Delft en Hollande.* [f] *Guyon de Beſançon.* [g] *de Schoonewalle.*

aulae ſtans, quaſi commeatus literas poſceret, exeuntem diſploſo ſcloppeto tribus glandibus onerato ferit: quo vulnere accepto Arauſionenſis non aliam vocem miſit, quam orare Deum, ut animae ſuae et populi adflicti miſereretur; nam ſe graviter vulneratum eſſe. Cum vacillaret, in gradu proximo jam voce amiſſa a famulis collocatur; et, Catharina ſorore Schuartzemburgici comitis uxore, quae aderat, inſtante ut ipſe animam Deo commendaret, ille annuit; et ſtatim in conclave, ubi pranſus fuerat, relatus, lectoque impoſitus, vitam finivit, aſtante Aloïſia ultima uxore; quae patrem virumque eodem mortis genere ſibi ereptum moerens, animi mirum in modum diſcruciabatur, et nihilominus conſtantiam a Deo, qua haec mala Chriſtiane perferret, enixis precibus implorabat. Sicarius patrato facinore per poſticum fugit; cumque abjecto altero ſcloppeto jam plateam pertranſiiſſet, et in eo eſſet ut ſuperato murorum aggere in foſſam aquis plenam deſiliret, ad quam rem duas veſicas ſecum attulerat, a ſtipatoribus inſequentibus captus eſt, moxque in navicularii proximi domo ſiſtitur; coactoque ſenatu interrogatus, chartam et calamum poſcit, rem ut erat ſe perſcripturum profeſſus: Se videlicet ante ſex annos Arauſionenſis a Philippo proſcripti caedem animo deſtinaſſe; quam cum a [a] Cantabro quodam patratam intellexiſſet, operam ſuam Joanni [b] Depreo, qui Mansfeldio comiti ab epiſtolis erat, addixiſſe; poſtea, cum principem adhuc vivere reſciviſſet, conſilium omiſſum reſumpſiſſe, et cum ſubſignationibus ac ſigillis, quae dixi, Mansfeldii domo diſceſſiſſe; ac menſe Martio proximo [c] Auguſtam Trevirorum veniſſe, in eaque urbe cum Jeſuita quodam de hoc conſilio egiſſe: illum autem haerentem non ſolum confirmaviſſe, ſed, ſi ob id morte mulctaretur, beatum fore, et in martyrum numero collocatum iri, recepiſſe; et, ut rem Parmenſi indicaret, ad extremum perſuaſiſſe: idem conſilium cum [d] Gerione Franciſcano [e] Tornaci, et Treviris cum tribus aliis Jeſuitis, qui factum probaverint, communicaſſe. Tormentis ſubjectus, ſe, quod tenuis fortunae eſſet, ſpe opum inde parandarum facinus aggreſſum dixit; idque Parmenſi ſignificaſſe, qui ipſum ad Chriſtophorum Aſſonvillium primarium conſiliarium remiſerit, et magna ſpe promiſſiſque ingentibus oneratum poſtremo dimiſerit: inde cum Mansfeldii ſubſignationibus ad Arauſionenſem veniſſe; et, cum in Galliam cum Schonevallio miſſus poſt ducis mortem primum ad Arauſionenſem admiſſus eſt, de facinore patrando cogitaſſe; ſed metu deterritum fuiſſe, quod nullam effugiendi commoditatem haberet: demum eo, quo rem exſecutus eſt, die, animum omni metu depoſito pertinaciſſime obfirmaſſe, et principem vel L hominum CIↃ ſtipatum occidere decreviſſe. Tertio poſt tormenta die cum nullum poenitentiae ſignum ederet, et contra, ſe principem, ſi viveret, trucidare, vel ſi mille mortibus periturus eſſet, paratum diceret, ſententia lata ad mortem damnatur pridie Eidus Julias; ſtatuiturque ut in pegma ante urbis baſilicam exſtructum ſiſtatur, ac primo dextra, qua facinus nefarium perfidumque patravit, ferro candenti comburatur; deinde candentibus forcipibus per partes corporis carnoſas ſtringatur, poſtea vivum corpus in quatuor partes ab imo incipiendo findatur, venter proſecetur, et corde evulſo rei facies eo diverberetur; poſtremo caput amputetur, et praepilatae haſtae in turri [f] Scholari retro poſt principis hoſpitium imponatur; reliquae quatuor cadaveris partes in quatuor urbis propugnaculis ſtatuantur. Cum ſententia ei ſignificata fuit, primo expavit, et profeſſionem forenſem exſecratus eſt; praeſtitiſſe inquiens, ut opificium aliquod manuarium didiciſſet, unde ſe in tenui fortuna aleret; neque per pragmaticam in magnatum amicitiam ſe inſinuaſſet, et lucri ſpe tantum facinus aggreſſus eſſet. Poſtea conſtantiam vultu

INTERPR. [a] *Biſcayen.* [b] *Dupré.* [c] *Treves.* [d] *le pere Gery.* [e] *Tournay.* [f] *Tour de l'Eſcole.*

vultu et animo prae ſe ferens, ſe firmiſſima perſuaſione inductum dixit, ut crederet, ſe tanquam ſtrenuum eccleſiae Romanae pugilem coelum meruiſſe: poenas et tormenta propter peccata olim admiſſa pati; ceterum ſe hac caede nihil peccaſſe, ſed potius ea meruiſſe ut recta in coelum tenderet, ubi pro omnibus preces apud Deum funderet. Ita facto in ſpeciem exultans et glorians, etiam verba a Pilato prolata, cum e praetorio exiens Chriſtum vibicibus ſectum populo oſtenderet, de ſe impia ſcurrilitate quaſi ridens pronunciavit. Poſtridie tandem ad ſupplicium productus eundem imperterritum vultum prae ſe tulit; et inter ſupplicii cruciatus, cum manus exureretur, et forcipibus candentibus ſtringeretur, nullum doloris per ejulatus aut vultus convulſiones ſignum dedit; ita ut praecedentium tormentorum cruciatibus omnem exteriorem doloris ſenſum amiſiſſe pleriſque crederetur: tantum ſe cruce ſignaſſe viſus eſt, ac poſtremo inter cruciatus vitam finivit. Conſtantiam ejus ſacer ordo per totum Belgium miris laudibus extulit, et ſigna laetitiae ubique in urbibus regiis edita: alii factum admirati, plures deteſtati ſunt. Sane morte Arauſionenſis, alieno adeo tempore ſibi erepti, Ordines, ut par fuit, ſummopere indoluerunt; ejus prudentiam, conſtantiam, magnanimitatem, aequitatem, patientiam, ac moderationem, quae virtutes vix fortaſſe in ullo mortalium tantae ſimul fuerunt, neceſſariis temporibus experti: eique, ut dolorem meritis honoribus delatis teſtarentur, ingenti ac regia prope pompa parentarunt. Delfis celebratae exſequiae III Eid. Sextileis; quibus fere cuncti gentiles ſui, proceres, nobiles, civitatum quae Ordinibus ſuberant delegati, atrati interfuerunt; et in majore urbis templo conditus eſt. Vixit annos LI, menſeis XI, dies XXV. Proteſtantium doctrinae, cujus ad exitum tenaciſſimus fuit, cauſa, et deſperatione gratiae ab Hiſpanis obtinendae, turbis ac bellis civilibus tota fere vita conflictatus, magnoque ſui deſiderio Ordinibus foederatis relicto, deceſſit; cum, prudentiſſimo rerum moderatore adempto, plane de ſuis rebus actum putarent, et, quod hucuſque quantumvis ab illo ſaepius moniti diſtulerant, ad regis patrocinium confugere neceſſitatem ſibi impoſitam exiſtimarent. Arauſionenſi pater fuit Willelmus comes Naſſauvius Henrici frater, Joannes avus, et rurſus Joannes alter abavus. Willelmus ex Juliana, ex [a] Stolbergenſium comitum familia, V filios ſuſcepit; quorum natu grandior Arauſionenſis fuit. Ludovicus, Adolfus, et Henricus, his bellis Belgicis occubuerunt; ſicuti ſuo loco diximus: Joannes adhuc degit [b] Dillinburgae. Complures et filias habuit, illuſtribus familiis in matrimonium elocatas, et rara foecunditate nobilitatas; ita ut eorum parens cum LXXV annos vixiſſet, natos ex ſe aut ex filiis nepotes circiter CXXIII ſibi ſuperſtites videre potuerit. Ipſe Arauſionenſis IV uxores habuit, Annam Maximiliani [c] Ecmondani comitis Burani heredem, ex qua Philippum nunc principem Arauſionenſem ſuſcepit, qui octennis puer Lovanii, ubi literis operam dabat, ab Albano captus, et in Hiſpania taedioſo XXIX circiter annorum carcere adflictatus; et Mariam, quae poſtea Philippo Hohenloo comiti nupſit. Secunda illi uxor fuit [d] Anna Saxonica Mauritii Saxonis ſeptemviri filia; ex qua natus Mauritius, qui poſt patris mortem Hollandiae, Zelandiae, Friſiae, [e] Ultrajecti, adhuc puer gubernator ac ſummus maris praefectus conſtitutus, dignitatem patris memoriae tunc datam poſtea virtute ſua meruit, eique ſe parem tot rebus fortiter bello geſtis praebuit: natae et ex eo duae filiae; Anna, quae Willelmo Naſſauvio Joannis filio, et Amelia, quae nuper Emmanueli, Antonii Luſitani infauſtis auſpiciis regno illi inaugurati naturali filio, [α] nupſit. Dein tertiam duxit Carlotam Borboniam [β] Monpenſerii ducis filiam, olim Jovarienſis coenobii antiſtitam, ex qua VI inſigni

VAR. LECT. [α] nupſit, ob mores uxore illa repudiata, et adhuc ſuperſtite. Dein *MS. Samm.* [β] Ludovici Monpenſerii *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Stolberg.* [b] *Dillenburg.* [c] *d'Egmond, comte de Buren.* [d] *Anne de Saxe.* [e] *Utrecht.*

inſigni virtute filias ſuſcepit; quarum Aloiſia Juliana Friderico IV Palatino ſeptemviro, Eliſabetha Henrico [a] Turrio Bullionii duci, Catharina Philippo Ludovico comiti [b] Hanovienſi, Carlota Brabantina Claudio [c] Tremollio Thoarſii duci ac Franciae pari nupſit, [α] [d] Flandrina Jovarienſis coenobii antiſtita deſignata, Amelia. Poſtremam denique uxorem eam, quam dixi, Aloiſiam; ex qua Henricum Fridericum ſuſtulit, Franciae et Daniae regum, qui pro eo in ſacro lavacro fidejuſſerunt, fauſta nomina ferentem. Reliquit et Juſtinum Naſſauvium ex contubernio natum, qui Zelandici maris praefecturam ſub Mauritio fratre poſtea magna cum laude exercuit. Haud multo ante, Eidibus Aprilis, [e] Vliſſingae Joannes [f] Janſenius inſtitor dives, odio in Arauſionenſem concepto, re prius cum oratore Philippico Lutetiae communicata, ipſum, et omneis qui ei aderant, perdere conatus fuerat, pulvere nitrato in cellario juxta principis hoſpitium ad id parato: quam ob cauſam ex indicio comprehenſus, remque confeſſus, capite luit. Praeterea Gallus quidam ſtrenuus ordinum ductor, nomine [g] Gutta, dum a marchione [h] Riſburgio captivus attineretur, tentatus fuerat, quo ſe redimeret, num aliquod [i] Neuſae propugnaculum, ubi cohortis praeſidiariae praefectus erat, tradere poſſet. Quod cum facere ſe poſſe pernegaret, rogatus eſt an vitae Arauſionenſis inſidiari vellet: quam conditionem Gutta accepit, facilem miſcendi veneni rationem oſtendens in juſculo anguillarum majorum, quo cibo libenter princeps veſcebatur. Id a Riſburgio ſtatim Parmenſi ſignificatum; qui et conſilium probavit, et, ut Gutta ſine pretio dimitteretur, mandavit. Verum ille libertati reſtitutus, ac Neuſam reverſus, rem loci praefecto ac ceteris centurionibus aperuit, et poſtea fidam ſemper operam Ordinibus navavit; in [k] Lilloanae munitionis propugnatione menſe Julio proximo graviter vulneratus, et ex vulnere tandem Antuerpiae mortuus.

XVIII. PAULO ante in Anglia conjuratio contra reginam jam diu inita menſe Februario detecta fuit, delatione Edmondi [l] Nevilli, qui Gulielmum [m] Parrium cognatum ſuum conſpirationis auctorem accuſavit. Is Parrius obſcuro loco natus, ſed animo ſupra fortunam elatus, juris ſcientiae operam in pueritia dederat; et, cum totum decennium in reginae familia fuiſſet, ante triennium rixa cum Hugone [n] Haro nobili viro ſuborta, ipſum intra domeſticos parietes interficere molitus fuerat; ob idque cum periclitaretur, voluntarium ſibi exilium indixerat. Itaque venia petita a regina in Galliam proximam primo venit, et Lutetiae majorum religioni initiatus eſt. Cum tamen videret ſe ceteris Anglis, qui in regno ob religionem exulabant, ſuſpectum eſſe, quaſi explorator a regina miſſus eſſet, [o] Lugdunum tendit; ubi rurſus ob exterorum nimis frequentem concurſum cum ſe in multorum ſermones incurrere doleret, latebras quaerens [p] Mediolanum divertit, et inde Venetias perrexit; familiarique in colloquio cum Benedicto [q] Palmio Jeſuita, cum miſerae Anglorum conditionis mentio incidiſſet, valde cupere ſe iniri rationem dixit, qua laborantibus in patria Catholicis ſubveniri poſſet, et Angliae regnum ad ſedis Romanae obedientiam reduceretur; deque ea cum illo egit: cumque Palmius ejus laudabile propoſitum multum multis verbis laudaſſet, et acceſſuram, quod Parrius ad conſcientiae ſuae ſecuritatem petebat, pontificis auctoritatem pollicitus eſſet, jam tum de motibus in patria contra reginam excitandis cogitare coepit; in eamque rem literas ad pontificem dat, et ſuam operam defert, literas, tam ad exonerandam conſcientiam, quam ſalvi commeatus, quaſi Romam petiturus, ab eo petens: ſed cum

VAR. LECT. [α] Carlota Flandrina *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de la Tour, duc de Bouillon.* [b] *de Hannau.* [c] *de la Tremoille, duc de Thouars.* [d] *Flandrine, nommée à l'abbaye de Jouars, & depuis abbeſſe de Ste Croix de Poictiers.* [e] *Fleſſingue.* [f] *Janſen.* [g] *le Goth.* [h] *de Richebourg.* [i] *le fort de Ter-Neuſe.* [k] *Fort de Lillo.* [l] *Nevill.* [m] *Parry.* [n] *Hare.* [o] *Lyon.* [p] *Milan.* [q] *Palmio.*

cum eae ſerius adveniſſent, et ipſe interea Lutetiam reverſus eſſet, ut ſe magis in propoſito confirmaret, cum Gulielmo [a] Alano magni nominis theologo Anglo agere voluit. Cum ille non adeſſet, [b] Watti doctiſſimi Jeſuitae contraria ſententia victus, paene a ſua priore diſceſſit. Is ſalva conſcientia contra publicam tranquillitatem principemve, ne religionis quidem in cauſa, quidquam novari poſſe pernegabat; idque multis e ſacra ſcriptura et patrum auctoritate petitis teſtimoniis confirmabat, ac complures e Jeſuitico etiam ſodalitio adſtipulatores habebat: ſed ſtatim mutavit, a Thoma [c] Morgano nobili Anglo ob religionem apud nos exulante perſuaſus; et libri ab eo porrecti, qui reſponſionem ad ſcriptum de Juſtitia Anglicana in reginae defenſionem editum continebat, lectione confirmatus, priorem ſententiam reſumpſit: et, ubi de pontificis voluntate et gratia, theologorumque conſentiente ſententia, ſibi conſtaret, paratum ſe rem aggredi profeſſus eſt; in idque fidele colloquium cum Hannibale [d] Codreto Jeſuita petiit, et poſtea cum [e] Vindocino et Jouſa cardinalibus rei ignaris, in ipſo Jeſuitarum ſacello ſacrae Dominicae coenae participavit; qua de re literas, ut certiorem conſilii ſui, et conſtantis ad patranda ea quae promiſerat voluntatis, fidem pontifici faceret, a collegio petiit; et incluſas cum literis, quas ad pontificem ſcribebat, Jacobo [f] Ragazonio pontificis apud regem oratori Romam mittendas dedit. Inde profectionem ejus Morganus urget; qui [g] Fernihurſtium limitis Scotici regulum, qui tunc Lutetiae erat, inde ſtatim in Scotiam tranſmiſſurum, et, ubi de reginae morte cognoviſſet, cum XXX CIↃ popularium veteri religioni addictorum in limite, ut reginae Scotorum, quanquam facti hujus ignarae, praeſto eſſent, appariturum affirmabat. Itaque, non exſpectato pontificis reſponſo, in Angliam trajicit menſe Januario anni praecedentis: ubi, quo ſe in familiaritatem reginae rurſus inſinuaret, et ex eo patrandi citra periculum facinoris commoditatem captaret, per proceres aditum ad eam ſibi parat; habere ſe res magni momenti, de quibus cum illa ageret, dictitans. Ita ad colloquium ſecretum admiſſus, de conjuratione ab exulibus Anglis in Gallia ſe ſolicitatum, et, quod faciendum ipſe ſuſceperat, alios moliri dicit, ut illam e medio tollerent, et ea ſublata Scotorum reginam majorum religioni addictam in ſolio collocarent. Hac delatione ſimulata cum ſe tutum putaret, eo majore fiducia rem poſtea cum Edmondo [h] Nevillo cognato ſuo ex occaſione communicat, quod eum majorum religioni addictum ſciebat. Itaque ejus aſſerendae rationem inire cum ſibi perſuaſum eſſe diceret, nihilominus conſilium tam atrox primo diſſimulavit; et de locis in regno occupandis, externiſque copiis in Angliam introducendis, verba ſparſit. Haec ante prandium inter eos acta: menſis remotis idem ſermo repetitur; et poſtremo, ſive incaleſcente [i] Parrii pectore, ſive praemeditato ante conſilio ejus detegendi occaſionem quaereret, etiam de regina occidenda loqui coepit; quod non ſolum per ſe glorioſum, ſed ejus, qui tantum facinus patraſſet, meritum magni apud Deum momenti futurum, multis verbis oſtendebat. Cum non tam reclamaret Nevillus, quam difficultatibus rei exequendae propoſitis moram injiceret, allatae ſunt a Ptolemaeo [k] Gallio cardinali Novocomenſi literae, pridie Kalendas Februarias Roma ad Parrium ſcriptae; quibus ille nomine pontificis benedictionem Parrio impertiebatur, et eum, ut in laudabili propoſito perſeveraret, enixe hortabatur. Id cum nutantem impuliſſet, tamen, exortis novis difficultatibus, cum rurſus haeſitaret, allatus eſt [l] Durocortoro Remorum Gulielmi Alani liber; cujus lectione ad facinus patrandum omnino animum obfirmavit. Eo argumentis ſtudioſe collectis probabatur, reges ab eccleſiae communione ſeparari, deponi, et ad officium cogi poſſe; bella,

INTERPR. [a] *Allyn.* [b] *Watts.* [c] *Morgan.* [d] *Codret.* [e] *de Vendoſme, & de Joyeuſe.* [f] *Ragazzoni.* [g] *Ker, Sieur de Fernihurſt.* [h] *Nevill.* [i] *Parry.* [k] *Gallo, cardinal de Como.* [l] *Reims.*

bella, ſive externa ſive civilia, religionis cauſa jure et legitime ſuſcipi: quem librum et Nevillo legendum porrexit; ratus eoſdem illum in Nevilli animo, quos in ſuo, impetus et ultionis igniculos excitaturum. Verum longe aliter evenit: nam eo magis conſilium deteſtatus Nevillus, cum vereretur, ne, ſi per alium detegeretur, ex conſcientia in criminis partem veniret, praevertendum cenſuit; et coram Roberto [a] Dudleio Leiceſtriae comite, [b] Henrico Hunſdono Berwici praefecto, Chriſtophoro [c] Hattono vice-camerario, et Franciſco [d] Walſinghamo ab epiſtolis, ſe conjurationis indicem obtulit; quam et ſcripto complexus eſt. Poſtquam Parrius in Londinenſem arcem conjectus fuit; ibi interrogatus, cum factum initio pernegaret, et quae colloquio cum regina habito dixerat tantum fateretur, Nevillus cum ipſo committitur; cujus praeſentia victus, rem, ſicuti habebat, niſi quod Nevillum ut facti incentorem inculpabat, tandem confeſſus eſt; conventumque inter ſe et Nevillum dixit, ut reginam, dum in hortis, aut ad Jacobi-fanum, ſeorſim a turba ſpatiaretur, aggrederentur; diſpoſitis haud hinc longe delectis, qui ad ſtrepitum accurrerent, et rem, etiam ſtipatoribus invitis, confectam darent; tum paratam navem ad fugam conſcenderent, et re confecta Catholicos paſſim ad libertatem toto regno vocarent. Paulo ante, cum S. [e] Catharinae praefecturam ambiret, a regina repulſam tulerat; eamque rem maxime ad animum revocaverat. Poſtea literas ad reginam dat XVII Kal. Martias, petitque, ut deteſtando conſilio, quod ab minus aequo animo profectum ſit, ignoſcat: id conſilii, accedente pontificis et theologorum auctoritate, cum fidei in Deum ardentis, charitatis erga patriam, virtutis apud omneis aeternum monumentum futurum ſibi perſuaſiſſet, ſe cunctis conjurationibus hactenus initis participaſſe, praeterquam ei quae de Agni Dei nomine vocata eſt. Poſtremo monet reginam, ut reginam Scotiae humaniter tractet, ceterum diligenter cuſtodiat; neque in rege Francorum religioſis peregrinationibus intento multum praeſidii ponat; ac proinde ſibi regnique tranquillitati caute conſulat. Quarto poſt die ad quoſdam e judicibus dat literas, et, Publicani in evangelio celebrati crimen ingenue fatentis, non Caini de ſalute deſperantis, vicem ſuſtinere ſe profeſſus, miſericordiam eorum implorat; et duo emendandae culpae ſuae propoſita dicit, poenam et gratiam; quorum alterum deprecatur, tanquam clementia ſereniſſimae reginae minus dignum, et exemplo ad poſteritatem periculoſum; quippe novum et hactenus inauditum in hoc regno, ut ex ea cauſa et tali fidejuſſore quiſquam quidquam tale erga principem ſuum in Anglia molitus ſit: alterum ut honorificum, ſic miſericordia tantae reginae digniſſimum eſſe: quod ſi minus tutum videatur, petere ſaltem, ut antequam in ſe ſententia feratur, coram judicibus denuo audiatur. Tum ex indicio Gulielmus [f] Creightonius Scotus, profeſſione Jeſuita, qui diſſimulato habitu in Angliam venerat, comprehenſus, cum a Walſinghamo interrogatus eſſet, an de conjuratione Parrius cum ipſo communicaſſet, et ad exonerandam conſcientiam conſilium rogaſſet; ille initio rem inficiatus, poſtridie per literas reſpondit, meminiſſe ſe ea de re Parrium aliquando ſecum egiſſe; cumque ad ea reſpondiſſet omnino non licere, illum multis rationibus contra diſputaſſe, rem magno Catholicorum bono ceſſuram, et alioqui ad regni miſerabili ſervitute oppreſſi libertatem pertinere: tum replicaſſe ſe, non facienda mala, ut inde eveniant bona; hoc inſuper addito, Deum magis adverbiis quam nominibus gaudere; et magis ei placere bene et legitime, quam bonum et legitimum; ita ut nullum bonum liceat facere, niſi bene et legitime: qui aliter ſentiant,

INTERPR. [a] *Dudley, comte de Leiceſter.* [b] *Henry Carey baron de Hunſdon, gouverneur de Berwick.* [c] *Hatton.* [d] *Walſingham.* [e] *la charge de maiſtre ou ſuperieur de l'hoſpital de Ste Catherine à Londres.* [f] *Creighton.*

CIↃ IↃLXXXIV.
HENRICUS III.

ſentiant, hac fere ratione niti, quod unius animae perditione multas animas ſervare expediat: ſed neque hoc ſine expreſſo Dei mandato, aut certa divina inſpiratione, tentari debere: et ita tunc ſe cenſuiſſe, et nunc cenſere. Prolatae et in reum cardinalis [a] Novocomenſis literae, de quibus dixi, Italice ſcriptae. Tum cauſa publice more in Anglia recepto agitata in [b] Weſtmonaſterienſi curia coram Henrico [c] Hunſdono, Franciſco [d] Knolle, Jacobo [α] [e] Crofto, Chriſtophoro [f] Hattono, Chriſtophoro [β] [g] Wraio juſtitiae Anglicanae principe, Gilberto [h] Gerardo, Edmundo [i] Anderſono, Rogerio [γ] [k] Manwoodo, et Thoma [δ] [l] Heneagio equitibus; cum Parrius longa oratione habita conjurationem ingenue fateretur, ceterum de regina interficienda conſilium iniviſſe pernegaret, ex literis et confeſſionibus tandem convictus ac perduellionis reus peractus eſt. Inde per fluvium in turrim reducitur, et VI Non. Mart. crati impoſitus, ac per Londinenſem urbem traductus, ad locum ſupplicii trahitur. Ibi, cum in priore denegatione perſeveraret, patibulo ſuſpenditur; moxque inciſo fune pudenda ſemianimi adhuc exſecta, et cum viſceribus ventre aperto extractis in ignem ſubjectum conjecta: poſtea caput praeciſum, et corpus in quatuor partes ſectum fuit. Hic exitus primae ad interficiendam reginam initae conjurationis fuit: cujus publica ultio, incuſſo talia molituris terrore, non tam profuit, quam exemplo nocuit; aliis confertim eadem auſis, et ſacroſancta principum majeſtate per cenſuras ac proſcriptiones ad privatorum injurias et furorem ſemel expoſita.

VAR. LECT. [α] Crofto, *D.* f. d. Ed. Gen. [β] Veraio *D.* f. d. Ed. Gen. [γ] Manlibodo, *D.* f. d. Ed. Gen. 1620. [δ] Henage *D.* f. d. Ed. Gen.

INTERPR. [a] *le cardinal de Como.* [b] *de Weſtminſter.* [c] *le baron de Hunſdon.* [d] *Knolles, treſorier de la maiſon de la reine.* [e] *Crofts, controlleur de la maiſon de la reine.* [f] *Hatton, vice-chambellan.* [g] *le chevalier Wray, premier juge du banc de la reine.* [h] *Gerard, maitre des rolles de la chancellerie.* [i] *Anderſon, premier juge des plaidoyez communs.* [k] *Manwood, chef des barons ou juges de la chambre des comptes.* [l] *Heneage, treſorier de la chambre de la reine.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER OCTOGESIMUS.

EPITOME.

RERUM noſtrarum ſtatus poſt Brabantini ducis mortem, rege ad ſegnitiem et otium prolapſo. Miſſus ad Navarrum Eſpernonius, et conditiones ab eo propoſitae. Colloquium Rupilaurei et Marmeti, medio et arbitro Arnoldo Ferrerio, poſtea a Phil. Mornaeo publicatum. Conventus Montalbanenſis. Guiſianorum factio invaleſcit. Edictum contra ſecretas coitiones. Bellavillae de famoſo libello convicti ignominioſum ſupplicium. Aucta Eſpernonio peditatus Gallici praefecto dignitas. II. *Statuta de aulicae diſciplinae reſtauratione, a rege tempore non ſuo propoſita.* III. *Ludovicus Foxius turrem Corduanam in aeſtuario Garumnae exſtruendam ſuſcipit. Synodus Bituricenſis Avarici Biturigum celebrata.* IV. *In Polonia Stephanus cum Gedanenſibus tranſigit. Samuelis Sborovii contumacia; qui tandem captus, Samoſcio annitente, Cracoviae in arce capite plectitur. Muſtafas, a Turco legatus, a Stephano auditur.* V. *Joannis Baſilidae Moſcorum principis mors. Ejus ad Theodorum filium et proceres monita.* VI. *Novennales induciae inter Caeſarem, tanquam Hungariae regem, et Amurathem. Turci praedones caeſi.* VII. *In Oriente Hodabenda cum toto copiarum robore Tauriſium venit. Diverſa parte Ferhates Lorium venit, et locum munit, impoſito valido praeſidio. David Georgianus ad Turcos deficit. Simo Georgianus temere cum Turcis confligit, vix vita ſalva elapſus.* VIII. *Ferhates ultione contra Simonem ardens Cliſcam venit, et munit. Aliculis Perſae, quo duce uti decreverat ad expeditionem Tauriſianam Ferhates, fuga. Agiacalaſſum ab Hali occupatum, ac praeſidio firmatum. Emires Tauriſii ſatrapa ab Hodabenda luminibus privatur, Aliculi in ejus locum ſuffecto.* IX. *Via ad Tauriſium aperta, cum videret Amurathes Ferhatem militi inviſum, expeditioni futurae Oſmanem praeficit. Ejus nobilitas. Muchemetes Tatarorum princeps, Amurathis juſſu ob ejus perfidiam exaſperati, ab Oſmane in poteſtatem redactus; et ejus loco Iſlanes, qui Iconii captivus attinebatur, in ſolio conſtitutus. Siauſes, Muchemetis conſiliis participaſſe convictus, dignitate movetur; et Oſman ſumma inter purpuratos dignitate augetur.* X. *Ramadanis Tripolitani ſatrapae indigna viduae caedes, a Gabr. Emo patrata: quae tanta injuria, Emo capite plexo, a ſenatu Veneto ſarta eſt.* XI. *Claſſis, quae non niſi quarto poſt anno ſolvit, in Hiſpania apparatus. M. Ant. Columnae, qui ei dux deſtinabatur, obitus. Philippus Philippum filium ſolemni ceremonia Mantuae Carpetanorum principem et heredem declarat, et in ejus verba regni ordines adigit. Caroli Sabaudi cum Catharina Philippi filia nuptiae.* XII. *Vincentius Mantuae dux Helionoram Mediceam in uxorem ducit. Erici Brunſvici Papiae deceſſus.* XIII. *Brugenſes per literas ſolicitant Gandenſeis. Zutfania conatu irrito obſeſſa. Lilloa fruſtra a Parmenſi itidem obſeſſa. Teneramunda, Herentala, Wilvordà, in Parmenſis poteſtatem veniunt.* XIV. *Gandenſes ſe Parmenſi ſubjiciunt.* XV. *Antuerpiae obſidio inchoatur.* XVI. *Parmenſis prolixas ad Antuerpianos dat literas.* XVII. *Regis*

et

et Eliſabethae in Belgii patrocinio ſuſcipiendo aemulationes. Catharinae matris perverſa ambitio. Navarrus ab uxore alienus. XVIII. *Belgarum ad regem decreta legatio, cujus princeps P. Melodunus.* XIX. *Pauli a Fuxo archiepiſcopi Toloſani, Vidi Fabri Pibracii, Gent. Herveti; Caroli Borromaei, Jo. Franciſci Commendoni cardinalium; Fr. Turriani, Huldrici Fuggeri, Joannis Sambuci, Jani Gulielmii, Abrahami Bucoltzeri obitus.*

Ex auctoribus,

Actis publicis, Colloquio Neracenſi, Archivis curiae Pariſienſis, D. Chytraeo, Jo. Leunclavio, Jo. Thoma Minadoio, Imm. Meterano, Jo. Parvo, Caeſare Campana.

LIBER OCTOGESIMUS.

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

MORTE Brabantini ducis, quam Arauſionenſis caedes proxime ſecuta eſt, nec non Anglae periculo, res Hiſpanorum cum in Belgio confirmatae ſunt; tum apud nos rex, otii deſiderio impotenter ardens, qui fratris ſemper res novas molientis mortem inter proſpera ducebat, ad privatas voluptates et adfectus priſtinos omnino revolutus eſt, monitorum ſeu confeſſionum Salſedae immemor; nec cogitans, ſublato fratre, quod unice et Hiſpani et conjurati in regno cupiebant, ſublatum et una obſtaculum, quod quo minus utrique res ad libidinem in regno miſcere poſſent, hactenus impedimento fuerat: nam fere nobilitas et juventus bellicoſa Brabantinum, quamdiu vixit, aſſectabatur; quae mortuo illo rerum novarum cupida, nec ſatis erga regem per otium et voluptates apud ſuos vileſcentem bene animata, protinus in Guiſianorum partes tranſiit. Nec diu fuit quin erroris ſui admoneretur; ſerius tamen quam ut conjuratorum conatibus obviam ire, et tanto periculo in tempore praevertere, potuerit, pravorum conſiliariorum ſive aſtu ſive ignavia; qui principis deſidia marcentis ingenio, languidis et ad naturam ipſius, ut aiebant, accommodatis conſiliis, perniciose blandiebantur. Tunc igitur cum ſibi praecipue cum Proteſtantibus negotium eſſe crederet, ex morte Brabantini proculdubio rerum novarum occaſionem capturis, ſicuti ipſi a parente perſuaſum fuerat, ſtatim ad Navarrum, tanquam ipſorum caput, mittit, qui ſuo nomine libertatem eis conveniendi, et de rebus ſuis in commune conſultandi, poteſtatem faceret. [a] Montalbani in Cadurcis conventus celebratus fuit, cui [b] Pomponius Bellevreus a rege miſſus interfuit. De Guiſianis quanquam ſolicitus eſſet, et eorum ambitionem admodum ſuſpectam haberet, tamen, ab iis qui circa ipſum erant deceptus, ita ſibi perſuaſerat, eos, quamdiu ſe in officio Proteſtantes continerent, nihil contra regiam auctoritatem aut publicam tranquillitatem molituros. Itaque in id omne ſtudium ponebat, ut Navarri et Proteſtantium conſilia et vitae rationes obſervaret; ab Anna [c] Jouſa et Joanne Ludovico [d] Nogareto Eſpernonio, qui non ſolum in ejus aula ſed etiam ingenio regnabant, in contrarias partes miſere raptatus. Nam Jouſa, odio Proteſtantium, Guiſianorum cauſam, quibuſcum arcta adfinitate conjunctus erat, amplecti putabatur: contra Eſpernonius, licet haud aequior doctrinae Proteſtantium, tamen, ſive ut ab aemulo diſſideret, ſive quod Navarri cauſam juſtiorem exiſtimaret, in partes Proteſtantium, quorum opibus nitebatur Navarrus, propendere videbatur; et inde occaſionem ſumpſit ad Navarrum proficiſcendi, colore quaeſito, ut matrem diu non

ante

INTERPR. [a] *Montauban en Quercy.* [b] *Pompone de Bellievre.* [c] *de Joyeuſe.* [d] *Nogaret de la Valette, duc d'Eſpernon.*

ante viſam, ex quo ad tantam fortunam ſubito favore evectus fuerat, ſalutaret. Mandata ei data, ut Navarro, ſi poſſet, ad majorum ſacra redire, et in aulam venire, perſuaderet; idque ei non ſolum utile, qui proximus morte Brabantini ad regni ſucceſſionem vocabatur, ſed tranquillitati regni neceſſarium oſtenderet: ſic enim Guiſianorum, ex religionis diſſidio res in regno miſcendi commoditatem captantium, conſilia infringi, et omnem popularis aurae, qua praecipue nitantur, gratiam adimi: quod ſi faceret, ampliſſimae conditiones a rege offerebantur. Poſtquam Eſpernonius ad Navarrum venit, et occulta mandata aperuit, additis etiam privatis monitis, quae ut ab homine Navarri fortunae amplificandae ſtudioſiſſimo profecta accipi cupiebat; in illa aula inter Antonium [a] Rupilaureum majorum religioni addictum et N. [b] Marmetum paſtorem acerrime diſputatum fuit, coram Arnoldo [c] Ferrerio, viro doctrina aeque et integritate praeſtanti, qui legatione Veneta permultos annos ſumma cum prudentiae laude defunctus, cum indignam meritis ſuis gratiam in aula rependi videret, in patriam jam ſenex conceſſerat, et a Navarro virtutis fama evocatus cancellarii munus in familia ejus exercebat, Utrum Navarro expediret ad Galliae pacem ſervandam in aulam ad regem venire, et conditiones a rege propoſitas accipere: idque rationibus, tam ex ſacra ſcriptura quam civili prudentia petitis, agitatum eſt. Tandem Ferrerius a Navarro ſententiam rogatus, cum initio ſe excuſaſſet, de profectione in aulam placere ſibi dixit, ad purgandas ſua praeſentia ſuſpiciones; ſed nequaquam conſultum videri ut Navarrus in aula diutius moraretur, ne ex eo alteri alterius faſtidium ſubiret. Quantum ad religionem, ſi mutaret Navarrus, cum nequaquam id ad concordiam inter regem Navarrumque firmandam, aut pacem in regno tuendam, quod optimus quiſque exoptet, denique ad ordinum regni gratiam Navarro conciliandam, valiturum, multis verbis, ſed non utique pari rationum pondere, oſtendiſſet, colloquium ſecretum ſolutum eſt; et Eſpernonius re infecta in aulam redit. Ea diſſertatio ſtatim a Philippo [d] Mornaeo Pleſſio, viro raris ingenii dotibus praedito, literis elegantiſſime mandata, et ambitioſe inter Proteſtanteis publicata, ad ſanciendam inter ſuos concordiam, quae, divulſo a membris capite, non mediocriter labefactabatur. Longe aliter in aula et apud nos accepta eſt; factioſis, praeoccupato vulgi ingenio, omnia in deteriorem partem detorquentibus, et Eſpernonii, quem praecipuo odio proſequebantur, profectionem non pacis conſtituendae ergo, aut Navarri ad majorum ſacra reducendi, atque adeo Proteſtantium in officio continendorum cauſa, inſtitutam interpretantibus, ſed ut in Catholicorum perniciem occultum cum Navarro et Sectariorum factione foedus iceret. Ita vero diſſertationem illam populo inſinuabant, ut oſtenderent, Navarrum obfirmatum in Sectario veneno perſeverare; ſicque fore, cum Navarrus proximus regni ſucceſſor putaretur, ſi regem ſine liberis decedere contingeret, ut rerum ſumma in Sectariorum poteſtatem veniret, et majorum religio ſummopere periclitaretur. Id in urbibus per emiſſarios evulgatum, et in agris inter nobilitatem ſparſum, mirum quantum ad ciendos animos momentum habuit: nam ſtatim plebs fremere, concionatores ex ambone vanis terroribus audientium animos implere; coitiones paſſim fieri; in agris clam legi miles; duces muti deſtinari, qui, cum opus eſſet, ad ſigna convenirent. Hujus rei crebris undique nunciis in regiam allatis, cum rex non jam cum Proteſtantibus, ſed cum Guiſianis, ſibi negotium eſſe cerneret, et in occulto conſiliariis, qui contra initio ſenſerant, ſuccenſeret; tamen reperti ſunt a regina parente ſubornati quidam, qui non a praemeditato conſilio hos motus, ſed ob Eſpernonii in [e] Aquitaniam profectionem,

ſecus

INTERPR. [a] *de Roquelaure.* [b] *Marmet.* [c] *du Ferrier.* [d] *de Mornay du Pleſſis.* [e] *Guienne.*

CIƆ IƆLXXXIV. HENRICUS III. ſecus quam oportuerit acceptam, et Montalbanenſem conventum, excitatos affirmarent: proinde non debere adeo commoveri regem; veritatem mox adverſus rumuſculos praevalituram, et eos ipſos, qui his cauſam praebuiſſe dicuntur, ſubito quieturos, cum religioni et ſibi conſultum videbunt: religionem magnum et potentiſſimum in animis hominum telum eſſe; idque exemplo Proteſtantium patere, qui nihil non pertulerint, tentaverint, fecerint, ut, vel cum manifeſto ſuo exitio, libertatem conſcientiarum tuerentur: quo minus mirandum ſit, Catholicos, qui veram rectamque religionem colunt, de ea tantopere laborare, et ad minimas ſuſpiciones commoveri. His rationibus rex, etſi ſagaci ingenio ſuo non omnino ſatiſfiebat, tamen, quod ad otium toto affectu propenderet, facile ſibi imponi a matre ejuſque aſſeclis patiebatur. Ita perſuaſus primos conjuratorum conatus praepoſtera diſſimulatione tranſegit; ſatiſque pro tempore habuit, omneis ſecretas foederationes, ſocietates, delectus, prohibere; poena in eos qui haec facerent, aut alios ad ea facienda ſolicitarent, laeſae majeſtatis ſancita. In eam rem rex, cum ad [a] Germani-fanum eſſet, diploma III Eid. Nov. ad ſenatum miſit; quod in eo recitatum fuit pridie Nonas Decembreis, triſti omnium ſilentio, potius quam aſſenſu; cum prudentiſſimi quique ita judicarent, ſera haec eſſe remedia, et non tantum verbis, jam adulta factione, ſed facto, adverſus tantam conjurationem opus eſſe. Poſtea idem diploma in [b] rationalium et vectigalium curiis publicatum itidem fuit. Paulo ante rex, qui male conſultus facta impunita ſineret, dictorum impatiens, ex delatione quendam e [c] Belſiana ſeu Perticenſi nobilitate, nomine Petrum [d] Bellavillam, Proteſtantium religioni addictum, per Franciſcum [e] Pleſſium Richelium magnum hoſpitii praefectum comprehendi juſſerat; qui arthritide vexatus, cum arma ferre non poſſet, ſtylum in regem ejuſque ſecretas libidines et praecipuos conſiſtorii conſiliarios mordaciter ſtrinxerat, edita ſatyra maledicentiae plena; quae et inter ejus chartas reperta eſt. Is Lutetiam adductus, et facti convictus, ad mortem damnatus fuit; et, quaſi nobilitatis praerogativam per criminis atrocitatem amiſiſſet, plauſtro impoſitus, laqueo ad collum inſerto, in platea urbis ante aedeis publicas patibulo ſuſpenſus: corpus ejus cum chartis et litis probationibus in ignem conjectum eſt, bonis fiſco addictis. Id actum Kalendis Decembribus. Eodem menſe rex Eſpernonii dignitatem auxit, et ſummam [f] peditum praefecturam in coronae, quod vocant, officium transformavit; ampliata ejus, ultra quam deceſſores habuerant, poteſtate ac juriſdictione, et vitae neciſque in milites attributo ſummo imperio. Ea de re diploma in ſenatu allatum, XI Kal. Febr. anni ſequentis in curiae acta relatum eſt; ea lege, ut juriſdictio tantum ad militares viros porrigeretur, et nullum ea juriſdictionibus ordinariis praejudicium fieret.

II. EODEM tempore rex, ut ſe a contemptu vindicaret, et vileſcenti majeſtati vel per externa ſpectacula dignitatem conciliaret, intempeſtiva et malo minora remedia adhibuit. Nam cum ex Edvardi [g] Staffordiae baronis, tunc ſereniſſimae Anglorum reginae in Gallia oratoris, uxore in familiari colloquio didiciſſet, quanta ceremonia, cultu, ac reverentia, quot conclavibus et procoetonibus apud Anglos princeps adiretur, eundem cultum et pompam in ſe adeundo obſervari voluit: et, ſuperiorum temporum licentia diſciplinam aulicam corruptam cauſatus, ſtatuta quaedam ex matris conſilio, ut fert prooemium, condidit; quibus ante omnia dejerationes in Deum et res ſacras contumelioſae prohibentur; ad epiſcopatus ac coenobia nominationes juxta [h] Bloeſenſium comitiorum decretum reformantur; reſervationes, ut quae mortis capitandae votum inducunt, revocantur; equitatus ordinarius,

INTERPR. [a] *St Germain.* [b] *Chambre des comptes, & cour des aides.* [c] *de Beauſſe, & Perche.* [d] *Belleville.* [e] *Du Pleſſis, Sieur de Richelieu, grand prevoſt.* [f] *Charge de colonel de l'infanterie.* [g] *le lord Stafford.* [h] *Eſtats de Blois.*

ordinarius, qui ex nobilitate conflari ſolitus erat, ad antiquam diſciplinam inſtauratur; cauſarum a tribunalibus ordinariis evocationes in poſterum vetantur; rixae in regio hoſpitio prohibentur, earumque cognitio ad regni curias remittitur, de iis, juxta conſtitutionem quam ſuper nobilium hujuſmodi contentionibus rex promulgaturus eſt, pronunciaturas; dona, liberalitates, gratiae, juxta certam formam ad moderationem reducuntur: inſuper prohibetur, ne quis ex regiis domeſticis ab aliis, ſeu principibus, ſive quibuſlibet, ſtipendium accipiat; ne quis, excepta regina parente et Auguſta, pro gratia alteri impetranda intercedat; ſed omnes a mera principis voluntate gratiam exſpectent, eique ſoli debeant. Tum horae ſingulis officiis deſtinantur, conclavia certis perſonis aſſignantur, ultra quae progredi non liceat: ſolis Jouſae et Eſpernonio ad regem adire quibuſlibet horis ſine licentia permittitur; quod ſaepius illis ſtatutis invidioſe repetitum. Conſiſtoriales etiam dies concilio privato, concilio ſtatus, et concilio in quo de regni quaeſtura agitur, per ſingulas hebdomadas deſignantur; quibus intererunt XXXIII ſenatores, eccleſiaſtici VI, et togati totidem, viri militares XXI: eccleſiaſtici autem et togati veſtibus ex holoſerico violacei coloris, viri militares palliis ex eodem holoſerico, induentur, et per anni quadrantem concilio aſſidebunt; II quidem eccleſiaſtici, totidem togati, ac VII militares viri, ſingulis anni quadrantibus. Diſtincta et ſcrupuloſe anni tempora: nam hyeme ex villoſo ſerico, aeſtate ex raſo, veſtes iis a rege donatae. Quae ſtatuta, aliter atque aliter ſaepius immutata, faſtidientis et nunquam ſibi ſatisfacientis ingenii non ſolum indicium praebebant, ſed ad contemptum, quem rex, quo magis vitatum cupiebat, ea ratione augebat, etiam odium adjiciebant; pleriſque novitios homines non ſolum principibus viris aequari, ſed anteferri, indignantibus, ac cunctis fere ex eo regi regnoque male augurantibus.

III. HOC anno Ludovicus [a] Foxius, Lutetiae natus, ſed Foxenſi comitatu oriundus, unde et nomen ducebat, homo induſtrius, et operum publicorum ingenioſus architectus, qui olim Philippo in Hiſpania operam egregiam navaverat, turrem, juxta alterius rudera cui [b] Corduanae nomen, in aeſtuarii Garumnae faucibus, Phari Alexandrinae aemulatione, ad navigationis ſecuritatem extruendam ſuſcepit: quod opus, bellis et variis incommodis retardatum, tandem immenſis ſumptibus, nec minore architecti induſtria et operariorum labore, conſummatum eſt. Idem Foxius antea purgandum et excavandum ſuſceperat portum Baionae, qui in mare recta ducit, ſed arena oppletus huc uſque navigationi et oppidanis inutilis fuerat, alveo [c] Atyri et aliorum illuc confluentium amnium curvato ad dextram flexu ad [d] Britonum promontorium aquas ſecum rapiente: quod ut impediret, duplici palorum ordine, intus ſaxis et arena ingeſta firmato, canalem obliquum obſtruxerat; ita ut aquae, cum recta fluere cogerentur, viam ſibi per oppoſitas arenas in mare facerent. Id cum ſemel atque iterum tentatum minime ſucceſſiſſet, palis illis contumacia aquarum in antiquum alveum ſemper deflectentium dejectis; tandem ſepimento illo ligneo inſtaurato rurſus, tanta aquarum diluvies ex proximo Pyrenaeo incubuit, ut paene civitatem merſerit, et inde violento curſu delabens, egeſta hinc inde arena; portum aperuerit, relicto ad dextram canali obſtructo, qui ſenſim ex eo arena repleri coepit. Id quia in V Kal. Nov. incidit, qui dies beatis Simoni et Judae ſacer eſt, anno CIↃ IↃ LXXIX, eo die quotannis in poſterum inſtitutae Baionae ſupplicationes, quaſi liberatae civitatis, et, non tam Foxii induſtria quam fortunae beneficio, portus tamdiu expetita commoditate donatae. Hoc et anno [e] Avarici Biturigum concilium provinciale celebratum eſt, XLVI capitibus comprehenſum; cui praefuit Reginaldus [f] Belnenſis, vir doctrina, rerum uſu, facundia, et comitate inſignis,

INTERPR. [a] *de Foix.* [b] *Tour de Cordouan.* [c] *l'Adour.* [d] *Cap Breton.* [e] *Bourges.* [f] *de Beaune.*

CIↃ IↃ LXXXIV. inſignis, tanquam archiepiſcopus, patriarcha Bituricenſis, et Aquitaniae primas; hos enim titulos ſibi ſumit. Celebrationi interfuere Petrus [a] Balma [b] Fani Flori, Antonius [c] Ebrardus Sanſulpitius Cadurcenſis, Joannes [d] Albaſpineus Lemovicenſis, Adamus [e] Urtalupius Mimatenſis epiſcopi: [f] Claromontenſi et Caſtrenſi ſedibus vacantibus, ſacrum collegium delegatos e ſuo numero miſit: [g] Rutenenſis, Tutelenſis, Albienſis, Vabrenſis epiſcopi per vicarios officio defuncti ſunt: moniti ac vocati [h] Burdigalenſis, Narbonenſis, Auxitanus, et Toloſanus archiepiſcopi, tanquam huic patriarchali et primatiali eccleſiae ſubjecti; qui, exemptos ab ejus juriſdictione ſe cauſati, non comparuerunt. Indictum in triennium proximum itidem provinciale concilium, quod in Rutenenſi eccleſia celebraretur, et a Nonis Sextilibus inciperet. Hujus concilii decreta auctoritati et judicio ſacrae Romanae eccleſiae ſubjecta, poſtea a delegatis cardinalibus expenſa et emendata ſunt; et, cum diplomate pontificio, accedente regis auctoritate, anno inſequenti publicata.

HENRICUS III.

IV. In Polonia Stephanus rex cum [i] Gedanenſibus hoc anno de pleriſque adhuc indeciſis controverſiis, ac inprimis de portorii negotio, certis conditionibus tranſegit, binummali, quam vocant, auctione accepta; cujus dimidia pars ſuo, altera ſenatus commodo cederet: et ita cetera onera olim civitati impoſita regis conſenſu abolentur, privilegia a Caſimiro ante CXXXVII annos conceſſa confirmantur. Quibus [k] Grodnae tranſactis, Joannes Tarnovius mittitur, qui a portorii praefectis de auctione perſolvenda jusjurandum exigeret. Tunc et Samuelis, alii Solomonem vocant, [l] Sborovii, illuſtri familia nati, et Petri, Joannis, Andreae, ac Chriſtophori, quorum fideli opera ac ſuffragiis in regno adipiſcendo Stephanus praecipue adjutus fuerat, fratris, cauſa agitata fuit. Is [m] Wapovium Premiſlienſem caſtellanum ante decennium, ſub tempus Henrici inaugurationis, in arce interfecerat; ob idque exilio perpetuo, ſed, ut nobiliſſimae familiae decori parceretur, citra infamiae notam, mulctatus fuerat. Inde cum diu in [n] Dacia, [o] Moeſia ſuperiore, cum [p] [1] Nizoviis Koſacis ex praeda viventibus verſatus eſſet, interdum etiam in Poloniam, fratrum et amicorum potentia fretus, veniret; querela a Wapovianis ea de re inſtituta, in comitiis decretum fuerat, ne praefecti eum deinceps in Polonia morari paterentur. Secundum haec Joannes Sarius [q] Samoſcius, regni cancellarius, et nuper Cracovienſem praefecturam adeptus, fratres Samuelis monuerat, ne in legum contemptum fratrem ad ſe reciperent: alioqui ſe pro muneris ratione officio deeſſe non poſſe. Quod cum ille licentioſae vitae aſſuetus contempſiſſet, et, privato odio Samoſcium tangi cauſatus, ipſi etiam ob id periculum creare conſtituiſſet; Samoſcius, contemptus aeque atque injuriae impatiens, per exploratores cognito Samuelem circa [r] Sendomiriam vagari, eum tandem adſecutus Preſſoviae noctu exeunte Aprili comprehendit, et captivum Cracoviam ſecum adduxit: inde literas ad regem et ſenatum mittit, quibus facti rationem reddebat. Diverſa parte fratres fremere, et gentiles ac affines paſſim convenire, apud Samoſcium inſtare, ſi qua ratione Samuelem periculo eximere poſſent: non eum a republica et ſenatu, ſed a rege, qui poſtea regnum fuga reliquerit, praeter ſenatorum voluntatem et conſenſum, proſcriptum eſſe: quod vero Wapovium interfecerit, id juſtae defenſionis neceſſitate feciſſe: nec vero legum contemptu, ſed regia potius auctoritate et conſenſu, in Polonia manſiſſe; et cum praecipuis regni proceribus ac rege ipſo familiariter verſatum

INTERPR. [a] *la Baume.* [b] *St Flour.* [c] *Ebrard de St Sulpice, evêque de Cahors.* [d] *de l'Aubeſpine, evêque de Limoges.* [e] *Urteloupe, evêque de Mende.* [f] *de Clermont, & de Caſtres.* [g] *de Rodez, Tulle, Alby, & Vabres.* [h] *de Bourdeaux, Narbonne, Auſch, & Toulouſe.* [i] *Dantzick.* [k] *Grodno.* [l] *Zborowſki.* [m] *Wapow, caſtellan de Preſmilie.* [n] *Tranſilvanie.* [o] *Walachie.* [p] *Coſaques.* [q] *Zamoyſki.* [r] *Sendomir.*

NOT. [1] *Nizovii Koſaci*, ainſi appellés par les Polonois; parce qu'ils habitent le long du Boriſthenes ou Nieper, que les Coſaques appellent *Nis. Put.*

verſatum eſſe: proinde, patriae libertatis jure implorato, petere, ne de vita et exiſtimatione viri primariae nobilitatis extra comitia decideretur; neu, privata Samoſcii aemulatione et invidia, familiae perilluſtri nota infamiae, quae ipſius proſcriptionis formula excepta fuerat, praecipitato judicio inureretur. Nec vero palatinatus Cracovienſis nobilitas Samuelis periculum contempſit, ſed a Sboroviis ſolicitata advocationem praebuit; et apud ordinarios judices, qui Lublini jus dicebant, inſtitit, ut cauſa ad comitia, aut ſaltem ad regem ipſum, remitteretur. Hac ſtudiorum contentione cum aliquot dies inſumpti eſſent, Samoſcius, mandato regio accepto, Eidibus Maiis Samueli ſignificandum curat, in craſtinum ad mortem ſe pararet; nam ſibi a rege mandatum eſſe, ut legibus in eum ageret. Dein et rogatus a Samuele, ad ipſum ſub veſperam venit, et mandatum regis legendum porrexit. Poſtridie ad locum ſupplicii ſummo mane ductus, L [a] Heidonibus ſtipatus, ſubſtrato de more rubeo panno, capite plectitur. Arce mox aperta ad triſte ſpectaculum concurritur; et aliquot poſt horis ſocrus Samuelis in arcem venit, et corpus generi ſibi traditum et currui impoſitum ad aedeis Franciſcanorum coenobio proximas tranſtulit; ubi lotum, et aſſuto capite denuo more militari ornatum in toga purpurea ſerica cum clava, biduo publice conſpiciundum illud exhibuit: ac demum quarto poſt die Andreas frater aulae regiae tribunus in urbem venit, neque ulla proteſtatione interpoſita corpus fratris ſecum aſportavit. Poſt ſupplicium ſciſſis magis quam antea in regno nobilitatis ſtudiis, et Sboroviis paſſim ad libertatem provocantibus, et nobilitatis fidem ubique contra regem ſolicitantibus; rex, ut quod juſſu ſuo factum erat publica auctoritate tueretur, comitiis Warſaviae indictis, Andream et Chriſtophorum defuncti fratres citat: et, cum non comparerent, ſenatus regni Samuelem Sborovium jure ſupplicio affectum pronunciavit; et Chriſtophorum, tanquam conſpirationis adverſus regem initae ducem et auctorem, proſcripſit: ceteri ſupplices in gratiam accepti ſunt. Dum rex adhuc Grodnae eſſet, venit ad eum Muſtafas [b] cubicularius ab Amurathe miſſus, qui [c] Podolovii, a Stephano ad equos generoſos in Aſia Minore comparandos miſſi, et cum commeatus literis in patriam redeuntis, necem excuſaret, adductis ſecum, ut aiebat, caedis auctoribus, nihili hominibus, et mortem aliunde promeritis; de quibus ad arbitrium Stephanus poenas ſumeret. Et, quia haud diu ante Koſaci magnum damnum Turcicis finibus dederant, viciſſim petebat Amurathes ut eorum dux ad poenam dederetur. Venerat is hoc tempore ad regem, eadem fraudulentorum verborum eſca illectus, quo [d] Potocovam ſupra circumventum narravimus; vir bellicoſus, et qui Turcos inſolentius ſe gerenteis aliquoties ceciderat. Cum inſtaret cubicularius, intercedentibus pro incolumitate ejus apud regem praecipuis regni proceribus, non ille quidem Turcis deditus: ceterum, quo deportatus incertum, ex illo tempore nuſquam comparuit. Praeda tantum cum captivis reſtituta; quam Muſtafas triumphanti ſimilis, et multum de Chriſtianorum ignavia glorians, Conſtantinopolim ſecum attulit.

V. PAULO ante Joannes Baſilides magnus Moſcorum princeps, ob immanitates inauditas, a Paulo [e] Oderbornio et Alexandro [f] Guaguino ſtudioſius fortaſſe quam veracius deſcriptas, infamis, ultimum diem clauſit VII Kal. April. cum LVI annos vixiſſet, XXXIX regno praefuiſſet. Ex Anaſtaſia prima uxore duos filios ſuſceperat; Joannem cognominem ſibi, quem ex occaſione ſupra a nobis loco ſuo commemorata caſu interfecit; et Theodorum regni heredem, quem moriturus proceribus convocatis valde commendavit, curatoribus ei attributis, quorum ex conſilio rempublicam adminiſtraret. . Monita inſuper addidit, ut a bello ſemper abhorrerent, et pacem

INTERPR. [a] *Heiduques.* [b] *Chaoux.* [c] *Podolow.* [d] *Potocova.* [e] *Oderborn.* [f] *Guaguin.*

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

pacem cum vicinis principibus colerent: praeterea, ob ſuorum continuis bellis attritorum inopiam, certa tributa in decennium remiſit; et captivis aut in Ruſſia manendi aut libere abeundi poteſtatem fecit. Tum more inter eos recepto tonſus, et monachorum ſumpto amictu, mori voluit. Antequam moreretur, de [a] Tataris Caſanenſibus, qui ſuperiore anno rebellaverant, cum poenas ſumere cuperet, ingentem exercitum conſcripſerat; colore quaeſito, quaſi contra Suecum ducturus eſſet: dein verſa in Orientem fronte aliam famam ſparſit, quaſi Caſanenſium metropoli bellis exhauſtae de commeatu proſpecturus eſſet; quo ſecuros et huc illuc diſperſos Tataros improviſus opprimeret. Verum illi, quibus de fraude ſuboluerat, Ruſſos, agminatim, ut magis fallerent, incedenteis, conferti aggrediuntur; et ſoleis ligneis oblongis, quibus feras et equos velociſſimos curſu antevertere ſolent, innitentes, Ruſſos feſſos, et propter aſperitatem nivium vix veſtigia in ſolido figenteis, adorti, cum effugere non poſſent, ad unum omneis trucidant: quae tanta injuria morte Joannis inulta fuit. Theodorus parenti ſuperſtes Irenen Theodori [b] Godovii filiam ſtatim in uxorem duxit, et cum ea IV Kal. Quintil. inauguratus eſt.

VI. Hoc anno ſancita eſt induciarum inter Rodolfum Caeſarem et Turcum prorogatio, quae a Kalendis Januariis inciperent, et in nonum uſque annum durarent. Ad eam prorogationem firmandam miſſus a Caeſare Henricus [c] Lichtenſteinii regulus, cum muneribus, ut fieri aſſolet; qui Vienna cum V navibus ſecundo Danubio diſceſſit exeunte Sextili, et Budam feliciter Nonis Septembribus appulit; et cum [d] Sinane purpurato patria Florentino, quamvis eum alii Mediolanenſem faciant, ex [e] Vicecomitum familia, de negotiis commiſſis tranſegit. Inde [f] Taurunum, ſive Belgradum, devectus, currus paratos conſcendit, et terreſtri itinere per Bulgariam, Serviam, Macedoniae partem, et Thraciam, Conſtantinopolim venit. In legati comitatu erat Joannes Leunclavius, vir doctiſſimus, et juris Graeci Romanique peritiſſimus; cui ex hujus profectionis occaſione veram annalium Turcicorum, atque adeo recentis orientalis hiſtoriae, quam luculentis ſcriptis illuſtravit, cognitionem debemus. Sub id aliquot Turcici praedones cum ſuis copiis, quae ad X CIↃ bellatorum efficiebant, Carniolae fineis ingreſſi, multum damni paſſim dederunt; direptis pagis ac vicis, et magna mancipiorum multitudine ſecum in miſeram ſervitutem abducta. Quo cognito noſtri tumultuariam manum II CIↃ circiter cogunt, Juſto Joſepho comite [g] Turriano, et Thoma [h] Erdendio provinciae regulo, ducibus; nullaque interpoſita mora hoſtium tergis inhaerentes, ad [i] Slunum Croatiae oppidum eos tandem adſecuti VII Kal. Nov. adoriuntur, ac caedunt. Soluti captivi, et praeda recepta fuit, IV CIↃ Turcorum circiter interfectis: quod a tam exiguo numero contra tam numeroſum hoſtem fieri potuiſſe fidem ſuperaret, niſi militis praeda onuſti ac ſe recipientis, et inſequentium, longe imparem eſſe conditionem experientia ſaepius comprobaſſet. Ea re audita commotus initio Amurathes; poſtquam injuriae principium a ſuis factum intellexit, iras ſtatim poſuit, ac jure caeſos Turcos pronunciavit; nolle ſe inquiens, quidquam a ſuis contra induciarum leges in [k] Pannoniae finibus ad turbandam pacem tentari; ac metuens ſcilicet, ne ex ea cauſa bellum illo in limite recrudeſceret; quod, quamdiu rem in Oriente contra Perſas gereret, per inducias ſopitum cupiebat. Itaque Paulo [l] Eintzingani regulo, Caeſaris apud ipſum oratori, exemplar ſuarum ad Budenſem et Temeſvarenſem purpuratos literarum exhiberi juſſit; quibus ſevere mandabat, ut militem limitaneum in officio continerent; idemque ut a noſtris praeſtaretur, viciſſim imperari petebat.

VII. JAMQUE

INTERPR. [a] *Tartares de Caſan.* [b] *Godow.* [c] *le baron de Lichtenſtein.* [d] *Sinan baſcha.* [e] *Viſconti.* [f] *Belgrade.* [g] *le comte de la Tour.* [h] *Erdendi.* [i] *Slun.* [k] *Hongrie.* [l] *le baron de Eintzingen.*

VII. JAMQUE tempus appetebat quo copiae ad Perſicum bellum deſtinatae convenirent; et Ferhates purpuratus, tributis impoſitis ac decimis collectis, magno etiam foſſorum et fabrorum numero undique coacto, magnam rerum eo anno gerendarum ſpem fecerat, fama ſparſa quaſi [a] Naſſivanum petiturus eſſet. Perſae contra, foedere ac reconciliatione Simonis et [b] Manucciaris, ſic eum deinceps jam abjurata impia ſuperſtitione Chriſtianis ſacris reſtitutum appellabimus, laeti, in ſpem venerant, ut illi, conjunctis viribus, viam qua Tomanim itur tueri, et Turcorum illac conatum impedire poſſent. Hodabendà vero, qui de munitionibus ad Reivanum et [α] [c] Agiacalaſſium, quantumvis id ſui impedire conati eſſent, exſtructis intellexerat, veritus ne Turci idem in locis proximis tentarent, et ita ſibi viam ad [d] Tauriſium aut ſaltem Naſſivanum aperirent, in id totos animi nervos intendebat, ut Turcos acceſſu prohiberet, et munitiones illas in Perſici imperii excidium inſtitutas, vel proelii aleae re commiſſa, diſturbaret. Itaque et copias, quas penes ſe habebat, retinuit, et ex ſubjectis civitatibus quantas potuit accerſivit; imperavitque ſingulis ſatrapis, addita capitis poena, ut ſe Tauriſium ſequerentur. Ita eodem tempore quo Ferhates Erzirumum, ipſe magno ſtipatu Tauriſium venit, late ſparſa adventus ſui fama; ita ut in Italiam uſque pervolaverit, et eximia felicium adverſus Turcos ſucceſſuum ſpe ſuſpenſos Chriſtianorum animos impleverit. At Ferhates, cui Naſſivanum petere propoſitum erat, tamen, cognito Hodabendae adventu et conſilio, a [e] Maxude exule monitus ad Amurathem ſtatim ſcribit; et ſibi quidem animo fixum ſtare dicit, juxta ejus mandatum Naſſivanum petere, et juſſam munitionem in eo exſtruere, quo ſecurum iter Tauriſium tendentibus praeſtetur: ceterum cum ex fidis intellexerit Perſam numeroſo exercitu conſcripto adventare, certo pugnandi propoſito, noluiſſe id ipſum celare, ut quid ſuae voluntatis ſit diſerte imperet. Ad haec Amurathes ſtatim reſcribit; et, quando Perſae id, quod ſcribat, conſilii ſit, jubet, ut in id tantum incumbat, ut, anguſtiis inter Tomanim et [f] Lorium occupatis, ſecuram illac viam reddat, ne anno inſequenti ad Tauriſii expeditionem novo exercitu opus eſſet: nam Manucciaris defectione providebat fore, ut Teflisium majoribus quam antea praeſidiis egeret. Hoc mandato accepto, Ferhates, continuata ſemper de petendo Naſſivano fama, Erzirumo cum toto exercitu movet, et citra impedimentum ullum Carſam venit; ubi ad res de integro ordinandas, et novas copias accipiendas, totos decem dies commoratus, viam, quae Lorium ducit, inſedit; praemiſſo Haſſane purpurato cum V CIↃ expeditorum bellatorum, qui per circumpoſitam regionem excurrens Tomanim uſque penetraret, et de Georgianorum conſiliis in itinere cognoſceret. Is imperatoris juſſa ſedulo exſequitur; et cum Lorium primo veniſſet, inde Tomanim tendit, ſilvis et impeditis locis circum luſtratis, neque ulla re praeterea geſta, niſi quod latrones quoſdam obvios, Koſacos etiam illis in regionibus vocant, cecidit, et capita praepilatis haſtis impoſuit: cum quibus Lorium rediens obvium imperatorem cum toto exercitu quaſi victor ſalutavit, et de hoſtium conſiliis, quae cognoverat, retulit. Ad Lorium Ferhates tentoria fixit, olim Simonis ditionis oppidum, quod a Teflisio duorum dierum itinere abeſt; arce praecelſa, profundis foſſis et craſſiſſimis muris, ſed vetuſtate aliquibus partibus collapſis, cincta, ſpatio circiter milliaris defenſum. Eos ante omnia inſtaurari, et partes debiles firmari, juſſit Ferhates; et, VIII CIↃ bellatorum praeſidio impoſito, ac ſtatutis per intervalla locis commodis circiter CC minoris formae machinis, loco Halim purpuratum praefecit; negotio ei dato, ut opportunitate data [β] Agiacalaſſium caſtellum, X abhinc milliaribus diſſitum, in poteſtatem redigeret,

VAR. LECT. [α] Satanchalaſſium, *D. f.* [β] Satanchalaſſium *D. f.*

INTERPR. [a] *Naſſivan.* [b] *Manuechiar.* [c] *Aggia-chalaſſi.* [d] *Tauris.* [e] *Maxud Chan.* [f] *Lory.*

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

redigeret, et milite ac tormentis muniret. Inde quartis caſtris Tomanim venit; tot enim dies praedis et incendiis vaſtando circum agro inſumere voluit, cum unius diei tantum iter eſſet. Tomanis olim arce firmata fuit, ad quam Simo bellis ardentibus receptum habebat: itaque et ſaepe inter Georgianos de ea deſtruenda actum fuerat, veritos ne Turci illam occuparent, ad res gerendas ipſis opportunam, quae alioqui indigenis ob tormentorum penuriam omnino inutilis erat. Ibi de munitione exſtruenda conſultatum; et magis e re viſum ut ulterius in ipſis anguſtiis aedificaretur: itaque aliquot milliaria progreſſi, in faucibus anguſtiarum juxta ſemidiruti caſtelli macerias caſtra metati ſunt. Id undique arboribus et lucis cinctum, et proſpectum defenſoribus adimebat, et acceſſum commodum oppugnatoribus praebebat: itaque Ferhates mox imperat, ut, exciſis ilicibus, pinis, abietibus, ornis, quibus locus conſitus opacabatur, lux caſtello redderetur. Tum deſignatus munitioni locus ſpatio CIↃ IↃ CC ulnarum, et in medio turris vaſtae magnitudinis erecta, ac circum hoſpitia militibus accommodata; et totidem, quot Lorii, machinae juſto intervallo per muros diſpoſitae. Cum vero pabulatores undique ad comportandum commeatum miſſi non reverterentur, veritus imperator ne ii aut a Georgianis intercepti, aut obſeſſis aditibus reditus intercluderetur, Haſſanem purpuratum cum VIII CIↃ bellatorum expeditorum mittit, qui eos praeda copioſa onuſtos in itinere repertos in caſtra ſalvos reduxit, magna jam a commeatu laborantis exercitus laetitia exceptus. Inde datum [a] Reſvano, [b] Aſiae minoris et Meſopotamiae purpuratis, negotium, ut commeatum [c] Teſliſium portarent, attributo iis XX CIↃ exercitu; cum quo unius diei ſpatio ad locum deſtinatum pervenerunt, et, annona illata, in locum priſtini praefecti [d] Balium nunc dictum purpuratum cum ſummo imperio Teſliſio praepoſuerunt. Ibi ad Reſvanum David ſatrapa Simonis frater, quem initio belli, adventu Muſtafae territum, arcem deſeruiſſe ſupra diximus, venit cum omni familia, fidem et operam ſuam Amurathi deferens, petenſque a Reſvano, ut honeſtis conditionibus in imperii Othomanici fidem reciperetur: quod et illi prolixe a purpurato promiſſum eſt. Sub id Simo, qui ab indicibus deceptus cum exiguo numero Reſvanum Teſliſium veniſſe intellexerat, cum delecta VI CIↃ manu, quorum partem a Manucciare acceperat, eo ducit. Dum in itinere eſſet, Ferhates, conjectans id quod erat, Georgianos in Reſvanum impetum facturos, non monito eo, [e] Ciliciae et Maroniae, ea primaria Ciliciae civitas eſt, purpuratos cum X CIↃ delectis ſubſidio mittit; qui ſub id tempus caſtris Turcicis propinquarunt, cum jam Simo ad manus cum Turcis inaequali certamine veniſſet. Is ſiquidem jam ab exploratoribus deluſus, et poſtquam Reſvano proximior factus eſt, colle objecto conſpectum eripiente, deceptus, temere cum validis Turcorum copiis congreſſus fuerat; feroque errorem agnoſcens, cum virtute emendare conabatur, cum numero tandem victus, et equo ſuffoſſo, inſignique capitis aureo amiſſo praecipitatus, paene in manus hoſtium venit: tandemque, rebus ſuis in extremam deſperationem adductis, quod illum perdere debuerat, ei ſalutem attulit. Nam Reſvanus, conſpectis procul auxiliaribus a Ferhate miſſis, eos Perſas eſſe falſo conjectans, impetum ſuſtinuit, et ſpatium Simoni cum ſuis elabendi conceſſit: qui, poſtquam in tutum venit, errorem ſuum, et exploratorum ſeu culpam ſeu perfidiam, incuſans, et cladem ſuorum, partim caeſorum, partim in miſeram ſervitutem abductorum, moerens; inter haec gratias pro reliquiis exercitus ſalvis Deo agebat, quodque inſperato beneficio ſe tanto periculo ſubduxiſſet. Contra Reſvanus, ubi eos, quos hoſteis putabat, auxilio ſibi ab imperatore miſſos cognovit, ipſi ſibi ſuccenſuit, quod, cautior quam oportuerat, Georgianos, quos quaſi indagine cinctos tenebat, ſibi e manibus eripi

INTERPR. [a] *Reſvan.* [b] *Natolie, & Diarbequir.* [c] *Teflis.* [d] *Bagli baſcha.* [e] *Caramanie, & Maras.*

eripi paſſus eſſet. Inde Tomanim ad Ferhatem triumphanti ſimilis venit, ſigna capta et Georgianorum capita haſtis affixa afferens; et [a] Davidem ſatrapam ei prolixe in ſpeciem commendatum obtulit, qui priorem fidem olim irritam fecerat, ſacris Chriſtianorum relictis, et Perſarum impiae ſuperſtitioni nomen dederat, tunc vero Turcico imperio libertatem turpi obſequio mancipabat. CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

VIII. CUM jam tempeſtas inclinaret, Ferhates, Haſſane ad Tomanis praeſidium cum VIII CIↃ delectorum relicto, injurias a Manucciare, qui pecunia Amurathis accepta defecerat, et primarios ejus miniſtros interfecerat, acceptas, ad animum revocans, non prius Carſam aut Erzirumum redire ſtatuit, quam inſigni damno Georgianis illato eas ultus eſſet. Itaque tertiis caſtris [b] Trialam venit; ubi tantam rerum omnium caritatem reperit, ut nulla pecunia ad neceſſaria victui comparanda ſatis cuiquam ſuppeteret. Cum inde in Manucciaris ditionem penetrare decreviſſet, interceſſit [c] Veiſa Alepi purpuratus, et cum tribus hoſtibus maxime formidoloſis, ſi illac iter perſequeretur, ipſi rem fore praedixit; cum nivibus ac frigore, quod illis regionibus intenſiſſimum eſſe ſolet; cum penuria, et fame; cum Georgianis denique, qui locorum gnari cum Perſis conjuncti multum damni victori exercitui daturi eſſent. Veiſae monita aſpera admodum increpatione excepit Ferhates; ignaviam et natalium ſordeis ſubinde exprobrans, indignumque eum purpurati dignitate pronuncians, qui parere, non dicta imperatoris interpretari, deberet. Itaque contemptis illis monitis Archelecum tendit, late vaſtatis et incenſis agris, quamvis Turcico imperio ſubditis, quorum coloni in montana vicina cum uxoribus ac liberis diffugerant. Ibi quatuor dierum ſpatio moratus, cum incredibili omnium rerum penuria premeretur, nec pabulum jumentis aut neceſſaria ad victum militi ſufficerent, poſtremo ad tantas miſerias acceſſit nivis plus ſolito copioſae incommoditas; quam non ferentes praetoriani ac ceteri centuriones Ferhatae tentorium circumſiſtunt, confuſa et ſeditioni propiori voce clamantes, Quouſque tandem ſub iniquo duri et ruſtici ducis imperio durabimus? ubi pietas, et mutua, qua erga heri noſtri mancipia uti debes, in omneis charitas? Putaſne nos, perinde ac tu, ſub tentoriis ab injuria coeli defenſos inter meretricum greges otiari, exquiſitis cibis fartos, et in alienis miſeriis bene valenteis? Credis nobis perinde ſuppetere copioſe ſaccharum, aromata, et delicata hujuſmodi edulia, quibus nos his in calamitatibus reſtaurata natura oblectemus? aut adeo vinum abundare, quod, ſive a miniſtris ſedulo paratum, ſive aliunde curioſe ad te tranſmiſſum, cum limpidis aquis, non ad ſitim ſedandam, ſed ad irritandam voluptatem nimia copia langueſcentem, miſces? Jam non amplius famem et frigus ferre miles poteſt, non in nuda humo jacere: proinde vaſa conclamari jube, et Erzirumum verſus iter intende; niſi nos ex deſperatione ad ea facienda cogere vis, quae magis tibi quam nobis olim moleſta ſint futura. Vocibus his turbatus Ferhates ſenatum cogit; et, diſſimulato dolore, poſtridie ſagmaria omnia jumenta praemittit Ardachanum verſus: ipſe iter ad Viduae, de qua ſupra diximus, ditionem, quo cunctos ſequi jubet, pronunciat. Nec abnuit miles, praedae, et Altunchalae diripiendae, ac aliorum Manucciaris ditionis locorum vaſtandorum, ſpe incenſus: perque convalleis et abrupta, qualia in [d] Periadri radicibus paſſim occurrunt, praecipitia facto itinere, ſummis ubique incommoditatibus conflictatus, tandem Cliſcam pervenit, ab oppidanis deſertam; qui, pretioſa ſupellectile ſecum aſportata, cum charitatibus, dum victoris ira deferveret, ſe in tutum ſubduxerant. Ibi ſatis copioſo commeatu reperto, cum ſe aliquantum recreaſſet miles, Ferhates, ne tempus illud ſibi periret, interim Cliſcam munire inſtitit; et

INTERPR. [a] *Daut Chan.* [b] *Triala.* [c] *Veis, baſcha d'Alep.* [d] *Periardo.*

et Reſvano ac Ciliciae purpurato imperat, ut, ſtatuto in ſumma turri vexillo, quod Lorii et ad [a] Tomanim fecerat, idem et [b] Cliſcae faceret, munitionemque ad regionis circumpoſitae ſecuritatem in ea exſtrueret. Juſſa illi ſedulo exſequuntur: ſed cum vexilla extuliſſent, conſpectis illis rurſus praetoriani ac reliqui centuriones tumultuari, illudi ſibi et patientia abuti ſua imperatorem quiritantes; ultroque progreſſi vexilla e turri rapiunt, et reluctantem Reſvanum contumelioſe pulſant: cumque Ferhates ad tumultum accurriſſet, nihilo plus mitigati in ipſum injurioſa multa jactant; proteſtati ſe non tanquam fabros ſeu caementarios, ſed milites, pro decore, gloria, et imperii Othomanici amplificatione certaturos, veniſſe, ob idque ſtipendium ab hero ſuo accipere: proinde, ſi ſe ſalvum cuperet, nec arma, ad hoſtium ulciſcendas injurias deſtinata, in ſe verſa mallet, novas illas munitiones et intempeſtivâ conſilia omitteret, et tempeſtati cedendo mature exercitum in hyberna reduceret. Inter has voces non defuere qui vim ipſi inferre tentaverint; quam, accepto a Ciliciae purpurato equo veloci, vix vitavit: nec heic ſtetit ſeditio; ſed recedentem imperatorem ad tentorium uſque inſequuntur, iterumque proteſtantur, niſi exercitum extemplo reduceret, fore ut de vita periclitaretur. At Ferhates, qui minas militum impatienter ferret, et imperare, non parere, didiciſſet, intrepida fronte ad ea reſpondet; ſibi ſtare eo loco conſiſtere, donec munitio ad juſtam altitudinem perducta ſit: licere iis, qui velint, diſcedere; ſibi manendi neceſſitatem Amurathis mandato impoſitam, quod, decore et vita ſalva, detrectare non poſſit. Quibus dictis exacerbati magis milites, non jam verbis ſed dejerationibus cum imperatore agunt, et confuſo tumultu arma rapiunt. Primo dejecta inciſis funibus purpuratorum tentoria; moxque ovium greges et armenta, quae quiſque penes ſe ad uſus neceſſarios ſepoſita habebat, a fremente milite abacta: inde ad imperatorem poſtremo converſi, tertio proteſtantur, niſi Erzirumum verſus exercitum reduceret, fore ut valles et campi ſubjecti purpuratis pro ſepulchro futuri ſint, funeſtam hujus diei memoriam in aeternum ſervaturi. Tantum tumultum exigua pecunia in tempore exoluta ſedari potuiſſe creditum fuit; quod cum Ferhates innata animi contumacia non fecerit, errorem ſero agnitum perinde emendare non potuit; et qui juſtis militum querelis initio aureis clauſerat, ferocem ipſorum, excitata ſemel ſeditione, arrogantiam pati neceſſe habuit. Itaque pudore confuſus poſtridie Ardachanum tendit; quo per aſpera ſemper incedens, et celerius quam militareis copias decebat, eodem die pervenit: dumque ita ulciſci militem putat, ultionis in ſe vim vertit, amiſſis in itinere carrucis quibus gynaeceum vehebatur; Georgianorumne inſidiis, an praetorianorum ipſorum inſolentia, ad publicam injuriam etiam privatam contra eum addentium, incertum; magno certe ſuo cum dolore, nec minore apud omneis infamia, et maxima longe in Porta invidia; cum Amurathes nihil dignum exſpectatione ad ulciſcendas Georgianorum injurias ab eo geſtum, et [c] Aliculim ſatrapam Perſam, qui Erzirumi captivus attinebatur, ſumma imprudentia e manibus ejus elapſum, palam indignaretur. Ferhates, cum initio de Naſſivano petendo cogitaret, et per aſpera et impedita loca exercitum ſibi ducendum provideret, Aliculis, tanquam viae ducis, opera uti decreverat. Itaque Erzirumo eum ad ſe evocaverat, et ſub libera cuſtodia honorifice penes ſe habebat; ſtipatoribus attributis, qui eum obſervarent, ne ſibi captivus videretur: verum homo generoſus, quem non lateret fucata Ferhatae benevolentia, vanos honores libertati poſthabuit; et, cum ſe pro viae duce atque adeo exploratore contra principem ſuum haberi a Turcis pati non poſſet, captata occaſione, cum exercitus ad Tomanim eſſet, fuga elapſus eſt. Connivente id Ferhate factum quidam exiſtimarunt, qui fidem captivo obſtrinxiſſet,

INTERPR. [a] *Tomanis.* [b] *Cliſca.* [c] *Aliculi Chan*

obſtrinxiſſet, fore, ut, cum ejus opera fida aliquandiu uſus eſſet, ipſum liberum dimitteret; quod cum palam facere non auderet, elabendi facultatem dediſſe. Alii ingentibus promiſſis corruptum [a] Ferhatem id feciſſe malunt: ſed neutrum ſit probabile iis, qui nec Turcos in tali re fidem ſervare, nec temere promiſſis hominis omnibus bonis per captivitatem ſpoliati fidem habere, norunt; ut magis veroſimile ſit, captivi ſolertiae ac curae, quae cuſtodum vigilantia remittente plerumque intenditur, fugam eam tribuendam eſſe. Ferhates, ubi Ardachanum venit, exercitum dimittit, et Erzirumum concedit. Interea Halis, quem [b] Lorio ab eo impoſitum diximus, mandatis ejus obſecutus, [c] Satanchalaſium, quod Diaboli caſtrum poſſis dicere, captata occaſione occupatum, ſumma diligentia munitum, CIↃ hominum praeſidio, quibus et praetorem praefecit, et L machinis firmavit; ita ut via, quae Reivano Carſam, et Carſa Teſliſium ducit, ab inſidiis ſecura reddita ſit. Hodabenda vero, qui Tauriſium uſque Naſſivano metuens cum exercitu venerat, cognito Turcorum diſceſſu, et ipſe copias dimittit: et nihilominus, ad animum revocans injuriam in munitione Reivani anno ſuperiore a Turcis citra impedimentum exſtructa acceptam, ejuſque culpam in [d] Emirem Tauriſii ſatrapam rejiciens, cujus ſeu ignavia ſeu perfidia ſuppetiae ad opus impediendum in tempore [e] Tocmaci minime ſummiſſae eſſent; Emirem ad ſe vocat, et contra fidem [f] Heriae nuper datam factum dicit, ut Tocmaci cum Turcomannis ad diſturbandos Turcorum conatus praeſto non fuerit; et alioqui ratione muneris eam illi neceſſitatem impoſitam oſtendit, ut in tali occaſione deeſſe citra manifeſtum flagitium nequiverit. Ad haec cum frivolas excuſationes allegaret Emir, tantaeque Turcorum multitudini, et in opere perficiendo celeritati, nullas ſat vireis, aut diligentiam in cogendis Turcomannorum et aliorum copiis ſatis eſſe potuiſſe diceret, nec ſatraparum judicio his rationibus innocentiam ſuam approbaret; Hodabenda, alioqui in occulto jam a morte Iſmaelis ei infeſtus, occaſionem arripuit viri primaria dignitate perdendi; eumque, candenti ferro ad oculos admoto, lumine privatum, et facultatibus omnibus exutum, in vincula conjecit; ubi paulo poſt ex moerore animi deceſſit, majore Perſici imperii detrimento, quam in poſterum exemplo; Turcomannis, inter quos magna in auctoritate erat, ex eo occaſionem a Perſis deficiendi captantibus; auctaque inde indignatione, quod Aliculis, qui recens ex fuga in aulam illam venerat, alioqui meritis inſignis, ſed aetate et multis rebus impar, tantae ſatrapiae ab Hodabenda praepoſitus fuit.

IX. Diversa parte Ferhates, poſtquam Erzirumum venit, ad Amurathem dat literas; et ſeditione militum, quam nulla ratione aut prudentia placare potuerit, factum dicit, ut progreſſus majores in Perſia non fecerit; et tamen inter tot difficultates eo res ſua prudentia deductas eſſe, ut, viis ubique apertis, et ſecuritate itinerum conſtituta, Tauriſii expeditio anno inſequenti facile tentari poſſit: ejuſque rationes pluribus verbis explicat. Minus gratae fuere Amurathi hae literae, quod eas jam plerique, nunciis de infelici rerum ſucceſſu ad Portam miſſis, et inprimis [g] Veiſa purpuratus acri injuria nuper a Ferhate affectus, anteverterant; quibus ejus ſuperbia et inhumana pertinacia factum dicebant, ut miles, extrema deſperatione adactus, minus dictis ducum obediens fuiſſet; et ita rei melius gerendae occaſio e manibus elapſa eſſet. Amurathes igitur, qui videret jam omnia ad Tauriſianam expeditionem bene praeparata, et tamen timeret, ſi Ferhatem militi adeo inviſum ei praeficeret, ne odio imperatoris conatus per ſe facilis minime ex voto ſuccederet, de alio imperatore creando cogitare coepit. In ea cogitatione haerenti Oſman occurrit

purpuratus,

INTERPR. [a] *Ferhat baſcha.* [b] *Lory.* [c] *Satan-chalaſſi, o caſtello del Diabolo.* [d] *Emir Chan, gouverneur de Tauris.* [e] *Tocmaces.* [f] *Heri.* [g] *Veis baſcha.*

CIↃ IↃ LXXXIV.
HENRICUS III.

purpuratus, et natalium ſplendore, natus quippe patre Circaſſorum regulo, Damaſci purpurato, ac matre purpurati Babylonii filia, et propria virtute inſignis; qui Sumachiae et Derbenti initio hujus belli a Muſtafa praefectus, rem feliciter in illis locis geſſerat; eoque Amurathi avaro principi acceptior erat, quod nullos ex publico aerario ſumptus feciſſet, ſed bellum ex belli praeda aluiſſet. Eum bello Perſico cum imperatorem deſtinaſſet Amurathes, etiam purpuratorum [a] principem ex ea cauſa creavit. Suprema illa dignitate in Porta fungebatur Siauſes, forma corporis et ingenii aſtutia, quam virtute, melior; merueratque, ut Selimi filiam Sultani ſororem in matrimonio haberet: ceterum arctam cum [b] Muchemete Keraiorum Tatarorum rege amicitiam colebat, qui ſumma impietate olim Turcicis opibus fretus patrem imperio exuerat; minus ob ſenium gubernationi idoneum eum cauſatus, idque mox in ſe tranſtulerat; Tataris [c] Iſlanem potius ejus fratrem, cui pater favebat, ſibi regem depoſcentibus. Iſlan vero fraternae crudelitatis metu, cum alio fratre natu minore, ad Stephanum Poloniae regem ſe contulit; cumque ex foedere fugitivos a Polono repoſceret Sultanus, Stephanus, qui propterea foedus violatum nollet, Paulum [d] Marchatium quendam, qui res in Tranſilvania turbaverat, viciſſim dedi ſibi petiit. Cujus rei ſpe facta, Tataros fratres Amurathi mittit; qui tamen ipſum ludificatus nequaquam promiſſo ſtetit, ſed Marchatio dedendo auctor fuit, ut, ſi vitam ſalvam cuperet, ejeratis Chriſtianorum ſacris, muſulmaniſſaret: quod cum Marchatius, qui vitae huic omnia poſthaberet, feciſſet, Amurathes religione ſe prohiberi Polono reſpondit, quominus Muſulmanum Chriſtiano ad poenam dederet: et ita Marchatius ſupplicium evaſit; [e] Babotzae poſtea in [f] Pannonia haud procul a Sigetho praefectus, et [g] Ibraimus praetor appellatus: Sultanus vero ſe fide Polono data ſolutum exiſtimavit. Tataris autem fratribus Byzantii degentibus in domo cujuſdam cubicularii Turcici, natione Pannonii, jam ſenis, minor natu captivitatem indignam pertaeſus fuga ad Perſas elabitur: cujus exemplum ne Iſlan imitaretur, Rhodum primo triremibus deportatur; et inde poſtea [h] Iconium, quae Lycaoniae civitas eſt, transfertur; opimiori, quam tunc putabat, fortunae reſervatus. Cum horum fratre Muchemete Siauſes arcta neceſſitudine conjunctus, auctor Amurathi fuerat ſuperiore anno mittendae ad eum pecuniae: nam cum Oſman a Sultano petiiſſet, ut ipſummet Tatariae regem ferre ſibi ſuppetias juberet, accepto mandato Tatarus per ſuos homines ad Portam ablegatos libere reſponderat, ſe Sultani juſſu ſuperioribus annis duos fratres ſuos cum multis hominum millibus ad [i] Pylas ferreas, Temircapim hodie vocant, miſiſſe; quorum nemo cum ſalvus redierit, et alter caeſus, alter in carcere apud hoſteis mortuus ſit, videri ſibi novum et inſolens, ſe quoque juberi ipſum ad hoc bellum proficiſci, quod per legatos geri poſſit: nihilo tamen ſecius ſe, quando ita Sultanus pro ſui auctoritate imperii praecipiat, ſuſcepturum hanc expeditionem, modo ſibi arma mitti curet, pecuniam in militum ſtipendia, et ceteras res neceſſarias. Hoc reſponſo accepto, Amurathes, [k] Siauſe et juridico [l] Graeciae praefecto conſultis, C jumenta ſagmaria argenteis nummulis onuſta miſit, qui ſummam CXXC talerorum CIↃ conficiebant; donativa item alia, et omnis generis arma. Praeter hanc tunc extra ordinem miſſam pecuniam, Tatarus quotannis pro ſe ſuiſque ducibus a Turco accipit plus minuſve CC Sultaninorum CIↃ, praeter impenſas diurnas, quarum nomine ei more Turcico in ſingulos dies aſpri CIↃ numerantur: quo veluti ſtipendio obligatus, ad educendas mittendaſve domo copias, in quem viſum Turco fuerit hoſtem, et quocunque tempore, tenetur. Ceterum illa pecunia accepta, Muchemetes [m] Crimio, quae civitas ac

regia

INTERPR. [a] *Grand Viſir.* [b] *Muhamet, Kerai Chan.* [c] *Iſlan Chan.* [d] *Marchatzi.* [e] *Babotzka.* [f] *Hongrie.* [g] *Hibraim beg.* [h] *Cogni.* [i] *Temir-capi.* [k] *Siauſes baſcha.* [l] *Cadileſcher de Romelie.* [m] *Crims.*

regia ſua eſt, diſcedit inſtructis copiis, et Temircapim verſus iter pronunciat: verum aliquanto ſpatio progreſſus, quaſi ex inopinata cauſa domum repente revertitur; modo adverſas anni tempeſtates cauſatus, modo ſuſpiciones quas de fratribus concepiſſet, modo Koſacorum motus, qui contemni non poſſent; cum non ita dudum, Potocova Polono duce, finitimam ſibi [a] Benderiam, Turcicae ditionis oppidum ad Euxinum mare ſitum, ceperint ac diripuerint. His de cauſis Muchemetes, a Siauſe, ut creditur, monitus, ſtrui illi in occulto per abſentiam inſidias, a profectione ſe excuſavit; ne, dum alienis conſervandis et augendis intentus eſſet, propriis exueretur. At Amurathes, aegerrime ferens deluſum ſe tantam pecuniae et aliarum rerum jacturam feciſſe, in exitialeis contra Tatarum iras exarſit; confeſtimque ad Oſmanem mandatum mittit, jubetque, ut, quamprimum mandatum ipſi offerretur, iſtic loco ſuo [b] Giaferem purpuratum, Temeſvari olim in Pannonia praetorem, relinqueret, atque ipſe qua celeritate poſſet maxima [c] Theodoſiam veniret: quod et ille ſedulo fecit, totamque hyemem iſtic ſumma diſſimulatione tranſegit; donec, adulta jam aeſtate, Iſlan, quem Iconium relegatum diximus, inde carcere eductus ab Uluzali triremibus portatus eodem venit, cum valido praetorianorum praeſidio. Muchemetes ſero inſidias ſentiens, ſtatim a ſuis, in quorum odium ob aſperitatem morum ac crudelitatem incurrerat, deſeritur; et ab ipſo curiae ſuae praefecto, Kihaiam vulgo vocant, proditus, in Turcorum manus traditur; a quibus cum duobus filiis eliſo gutture necatus fuit, locoque ejus Iſlan [d] Keraus Tataris princeps datus. Repertae inter pretioſa Tatari literae Siauſae perhibentur, quibus de ſecretis utriuſque conſiliis fides fiebat: quae ſtudioſe ab Oſmane ad Amurathem perlatae, perniciem Siauſae, ipſi dignitatis incrementum, attulerunt. Alii aliter rem narrant: Siauſem ab Oſmane ſibi metuentem, ne gratia ejus adverſus ſe apud Amurathem praepolleret, monuiſſe Muchemetem, ut reditum ejus Conſtantinopolim omni ratione impediret; alioqui fore, ut ille, utrique infeſtiſſimus, et ipſum ſuſcitatis fratribus imperio patrio evertat, et ſe, principe loco ſummoto, tanti amici patrocinio ſimul exuat. Haec monita alte in pectus Muchemetis deſcenderunt, et amici et proprio periculo territi: qui, cum intellexiſſet Oſmanem per cubicularios et oſtiarios ad Portam evocatum, inſidias profecturo ſtruit; et XII CIƆ ex ſuis inſtruit, qui veſtitu Koſacorum ipſum inter [e] Colchidem et Iberiam in itinere ex improviſo aggreſſi occiderent; ea ſpe, ut inſidiarum auctor ignoraretur, et Nomadibus Tataris, aut Mengrellis, aut denique Moſcis, potius ea clades quam ſibi attribueretur. Cum igitur, accepto Amurathis mandato, Oſman, relictis in provincia [f] Derbenti et Sumachiae duobus purpuratis, cum idoneo praeſidio ſe in viam dediſſet, et Caucaſi nivibus aeternum caneſcentis radices praetervectus, ad laevam Media, Iberia, et Colchide, ad dextram Volga et Tanai fluminibus relictis, ad proximum Euxini Ponti litus perveniſſet, incumbente Tatarorum quaſi procella undique circumfuſus eſt. Habebat is penes ſe IV CIƆ delectorum, qui ad inopinatum occurſum minime ſe deſeruerunt, ſed immoti obverſa fronte fortiter impetum ſuſtinuere; moxque in palanteis denſatis ordinibus invecti, partem caedunt, partem capiunt; alios turpi fuga ſibi conſulere cogunt, fraudulentumque conſilium in ipſorum perniciem vertunt. Tanta potitus victoria Oſman captivorum praecipuos in conſpectum ſuum adduci jubet, ex iiſque per interrogationes et tormenta inſidiarum auctores cognoſcit: tum rei probationes diligenter perſcriptas per viam tutiſſimam ad Amurathem mittit; qui, facti indignitate exacerbatus, continuo Oſmani mandat, ut inde, omiſſo priore itinere, Theodoſiam tenderet, et de perfido Tataro

INTERPR. [a] *Bender.* [b] *Giaffer, beglerbeg de Temeſwar.* [c] *Caffa.* [d] *des Tartares de Kerai.* [e] *Mengrelie, & Georgie.* [f] *Derbent.*

Tataro poenas ſumeret: quod ille, ea quam dixi ratione, poſtea exſecutus eſt. Rebus ex animi ſententia confectis, Oſman et Uluzalis triumphabundi Conſtantinopolim revertuntur. Ipſe Oſman, cum manum Sultano pro more deoſculatus eſſet, eidem XVIII plus minuſve claveis argenteas obtuliſſe dicitur; ſingulisque clavibus nomen erat inſcriptum certae civitatis aut caſtelli ab ipſo in poteſtatem redacti: quod tamen jam tunc rerum gnaris propius vanitati viſum fuit, cum potius ea pagorum, quam caſtellorum aut oppidorum, nomina eſſe judicarent. Nec multo poſt Siauſes, occultorum cum Muchemete conſiliorum convictus, publice dignitate primaria, novo apud Turcos more, exauctoratus eſt; quippe quibus hominem potentem ſemel e medio tollere, quam ad privatam vitam ignominioſe reducere, ultionis metu tutius videtur. Id tamen adfinitati et precibus uxoris, Sultani ſororis, datum; quae apud fratrem cum ſuppliciter pro marito intercederet, Amurathes reſpondit, beatum illum quod eam conjugem haberet; nam, abſque hoc fuiſſet, ſe eum ſine ulla commiſeratione in medio Divano interfici juſſurum fuiſſe. Alias et cauſas ſecretiores exauctorationis quidam referunt: quod Amurathis animum contra Mechemetem proprium filium exacerbaſſet, quia ille Kihaiam ſuum ſive praefectum indigne tractaſſet; quod cum aegre ferret Sultani principis parens, maritum in ſuſpicionem adduxit, quaſi Siauſes, aemulatione ac diſſidiis inter patrem filiumque ſparſis, familiam principalem evertere, et imperium poſtea liberis ſuis ex Sultani ſorore natis quaerere, in animo haberet. Amiſſa dignitate, ſalvis annonis et vectigali II CIƆ Sultaninorum, in hortos, quos in litore Aſiatico proximos exſtruxerat, conceſſit. Nec diu poſtea quaerendus fuit, quis ei in principe dignitate ſufficeretur: nam ſtatim occurrit Oſman, bello Perſico ſummus dux deſtinatus; ut Turcorum nobiliſſimus, ſic principe loco digniſſimus; qui Amurathi Tauriſianae expeditionis, quod ille unice expetebat, tentandae auctor fuit, et felicis ſucceſſus certam ſpem fecit. Cum vero ſub id nuncius veniſſet, Muchemetis ſtrangulati filium, qui ſe poſt patris mortem ad [a] Nogaiorum Tatarorum principem receperat, magnis ab eo ſubſidiis acceptis profectum contra patruum [b] Iſlanem, eo tam civitate [c] Crimio quam ditione omni paterna ejecto, pleraque amiſſa reciperaſſe, Iſlanemque fuga ſibi conſulentem [d] Theodoſiam contendiſſe: ut novis motibus in illis regionibus mature obviam iret, Oſmanem eo cum ſummo terreſtrium copiarum imperio ablegavit: qui [e] Chalcedonem profectus cum LX CIƆ exercitu, et per Aſiam Minorem facto itinere, [f] Sinopen venit, ut inde per Euxinum mare Theodoſiam tranſiret. Sed, frigore plus illis locis intenſo, maluit ad oppidum [g] Caſtamonam ſubſiſtere, quod non procul a Sinope abeſt, et XVIII circiter dierum itinere ab urbe diſtat, ut iſtic ad proximi veris initium hybernaret; triremibus interea ab Uluzali ſummo maris praefecto in Sinopenſem portum ſubductis, ut Oſmanis, ſive Theodoſiam pergeret, ſive recta ad bellum Perſicum proficiſceretur, ibi adventum opperiretur: nam incertum erat adhuc quo Oſman tenderet; idque diu ſuſpenſos multorum animos tenuit.

X. ANNO exeunte Turcus quidam ad urbem appulit, nuncius caedis [h] Ramadanis viduae et ſuorum; e qua ſolus, ut ipſe aiebat, cujuſdam chirurgi [i] Cretenſis antea ſibi noti beneficio, evaſerat. Ramadanes is Tripolitanus purpuratus fuerat, qui, cum bellum contra [k] Carvennae regem gereret, cum alios milites tum miſſos a Sultano praetorianos Portae ſcloppetarios ſecum in hoſticum duxerat: ſed, cum neque rerum ad victum neceſſariarum, quarum per illas ſolitudines magna penuria eſt, neque itinerum duces, qui illis locis deſertis et inviis maxime requiruntur, ſibi

INTERPR. [a] *les Tartares Nogaiſki.* [b] *Iſlan Chan.* [c] *Crims.* [d] *Caffa.* [e] *Scutari.* [f] *Sinabe.* [g] *Caſtamona.* [h] *Ramadan.* [i] *Candiot.* [k] *Carvan.*

ſibi ante profectionem comparaſſet, in eas tam annonae quam viarum difficultates incidit, ut neque progredi poſſet ulterius, nec ſine jactura militum pedem referre: tandem, non ſine ſuorum caede, ac praeſenti cum periculo amittendi totius exercitus, domum reverſus eſt. At praetoriani, quanquam periculo defuncti, minime iram adverſus purpuratum depoſuerunt; ſed furore perciti, nulla nec viri dignitatis, aut Sultani, qui eum provinciae praefeciſſet, habita ratione, intra aedeis ſuas oppreſſum obtruncant. Id cum inultum ſineret Amurathes, vidua ejus, aſportata omni pretioſa ſupellectile, quae IↃ CCC aureorum CIↃ excedere credebatur, ut ſecuritati proſpiceret, Conſtantinopolim proficiſci ſtatuit. Itaque, trireme in [a] Africa inſtructa, cum filio, familia, mancipiis utriuſque ſexus, ſolvit; et alias duas triremeis comites ſecum duxit. Cum oſtium ſinus [b] Hadriatici haud procul a [c] Corcyra praeterlegeret, ingens ſubito coorta tempeſtas triremeis vel invitas in ſinum rejicit: ejus tuendi cura tunc temporis demandata erat Gabrieli [d] Emo patritio Veneto, cui juvenum ſuffragiis id muneris obvenerat. Is ubi Turcos ſinum ingreſſos accepit, in eos cum triremibus, quas penes ſe habebat, longe numero ſuperior invehitur, et citra certamen omnes in poteſtatem redigit. Tum inaudito furore in captivos ſaevitum, tam mares quam foeminas: mares CCL occiſi, et in iis ipſe Ramadanis filius in complexu et gremio matris confoſſus; foeminae circiter XL, prius nefariis ſtupris contaminatae, uberibus dein mutilatae, quae vivis ſpirantibuſque adhuc miſellis in aquas projecta exhibentur, tandemque atrociter diſſectae ad unam omnes in mare praecipitantur. Inter eas quaedam eximiae pulchritudinis puella fuit, in quam ipſius Emi fratris filius incidit; quae cum juvenem vim ſuae pudicitiae illaturum conſpiceret, ſe Chriſtianam profitetur virginem, et in Cypro natam nobiliſſima [e] Cornelia familia, quae ad Venetos Cornelios originem ſuam referret: captam ſe nimirum ante XIV annos, cum inſula juris Veneti ſub jugum Turcicum miſſa eſt, ex illo miſeram ſervitutem apud barbaros ſerviiſſe: nunc, quando poſt tot annos et aerumnas in hominis Chriſtiani, pudoris virginei vindicis, nobilis denique Veneti, manus veniſſet, obteſtari ſe per immortalem Deum, ne Chriſtianae faceret injuriam, virginemve inceſtaret; nec Veneto nomini tam foedam labem aſpergeret, ſed potius in optatum hunc diem, quo Chriſtiana ad ſacra quaſi poſtliminio rediret, divina quadam providentia ſervatam, ſalvo pudore libertati reſtitueret. Nihil apud crudelem animum prodigioſeque ſalacem tam piae preces valuere, quo minus violatam, et cum ceteris mancipiis Turcicis ſuffocatam, eam perderet. Tantam immanitatem nomine Veneto indignam exercuiſſe illi creduntur, ne quis ſuperſtes vel amplitudinem praedae, vel ſcelerum admiſſorum foeditatem, proderet: quae tamen, per eum quem dixi nuncium, Conſtantinopoli evulgata eſt. Facinoris fama increbreſcente, immane quantum Turcorum animi commoti ſunt: nam minas paſſim exaudiri, extrema quaeque ad excidium Veneti nominis parari: vix a [f] Bailo, id magiſtratus Veneti, qui inter ſuos jus iſtic dicit, nomen eſt, temperatum, quin manus in eum injicerent, ac foede ſalem in os ei exſpuerent. Is erat tunc Joannes Franciſcus [g] Morocenus, vir ſumma prudentia praeditus; qui poſtea orator pontificius apud nos, et regis ipſius commendatione cardinalis et a latere legatus fuit: ille [h] cubicularium Venetias iturum tamdiu detinuit, dum de re omni certior fieret. In tanti facinoris auctores animadverti volebat Amurathes, et mancipia ablata ac res omneis reſtitui: quod ſi fieret, ab injuria et vi temperaturus videbatur. Ad ea ſenatus per Bailum reſpondit, et initio ſe purgat: Ramadanis Tripolitani purpurati familiam ad inſulam Veneti juris [i] Zacynthum primum appuliſſe, neque

INTERPR. [a] *Barbarie.* [b] *Golfe de Veniſe.* [c] *Corfu.* [d] *Emo.* [e] *Cornara.* [f] *le bailo.* [g] *Moroſini.* [h] *Chaoux.* [i] *Zante.*

neque ſolum ab inſulanis humaniter exceptam, ſed etiam munuſculis et honorariis adfectam eſſe; poſtea malam gratiam rependiſſe: nam Cephaleniam, alteram juris Veneti inſulam, haud hinc longe ſitam, hoſtiliter invaſiſſe, ac praeter pacis leges armentis abactis diripuiſſe: praefectum vero Hadriatici ſinus, certiorem de hac ipſorum inſolentia factum, eos e veſtigio perſecutum, non modo armatos intra ſinum reperiſſe, verum etiam ab eis, cum propius accederet, minime pro more ſalutatum; nec demiſſis velis, ut aſſolet, ſummiſſionis editum ſignum: horum utrumque pactis conventis adverſari; quibus armatae naves ſinum ingredi vetentur, et omnes praefecto ſinus debitum honorem exhibere certo demiſſionis genere jubeantur; his de cauſis irritatum praefectum, fortaſſe acerbius quam par fuit, in eos animadvertiſſe: nihilominus in hac cauſa ſe facturos, quidquid homines aequi juſtique obſervantes facere debeant. Hoc reſponſum pro excuſatione in ſpeciem accepit Amurathes, eoque ſibi ſatisfactum oſtendit; cum metueret, ut veroſimile fit, nondum bello Perſico defunctus, ne ſe novis adverſus praepotentem mari rempublicam inimicitiis alieno tempore implicaret. Poſtea Emus capite plexus, et triremis cum omni inſtrumento bellico, totidemque mancipiis quot in ea Veneti reperiſſent, nam ante capta libertatem recuperaverant, reſtituta fuit, et in [a] Orani begi manus Corcyrae conſignata.

XI. JAM tum in Hiſpania claſſis illa ingens, quae tamen non niſi quarto poſt anno ſolvit, immenſis ſumptibus inſtruebatur; cui Philippus ſummum ducem deſtinaverat M. Antonium [b] Columnam Paliani ducem, bello in [c] Latio olim ante XXVIII annos geſto, et poſtea victoria ad [d] Echinadas parta, in qua claſſi pontificiae praeerat, et ſecundas a Joanne Auſtrio tenebat, clarum. Is tunc Siciliam proregis titulo adminiſtrabat; unde evocatus, cum X triremibus, Neapoli aliquandiu commoratus, Romam venit; ordinatiſque in urbe privatis negotiis, inde [e] Centumcellas petit; ubi, ultra eas triremeis quas ſecum ex provincia adduxerat, II Neapolitanas, quibus Guſmanus curator praeerat, IV Melitenſeis, et totidem Florentinas reperit: cum quibus [f] Liburnum primo tendit, in eoque portu Melitenſibus et Florentinis triremibus relictis, [g] Genuam perrexit; cumque [h] Saonam praeterveheretur, minime demiſſis velis Joannem Andream [i] Auriam, nuper ſummum maris praefectum creatum, ſalutavit, non ſine occulta Auriae offenſione. Inde [k] Barcinonam appulit, ubi exſcenſione facta jam tum aegrotare coepit; aëriſque mutandi gratia cum Medinam-coeli conceſſiſſet, tandem acerrimis doloribus conflictatus, IV Non. Sextil. non ſine ſuſpicione venéni, vitam cum morte commutavit; aliúſque quaerendi tantae expeditioni, quae tunc adhuc celabatur, idonei ducis, Philippo, qui eam mortem graviſſime tulit, neceſſitatem impoſuit. Nec multo poſt, pridie Eidus Novembreis, [l] Mantuae Carpetanorum Philippus, coram Maria [m] Auguſta ſorore, et duabus filiis, magnoque procerum conventu, faciente ſacra Gaſpare Quiroga archiepiſcopo [n] Toletano cardinali, Philippum filium principem heredem declaravit, et in ejus verba ordines regni ſolemni ceremonia adegit: aderant cardinalis [o] Granvellanus, et [p] Placentiae, Salmanticae, Zamorrae, Avilae, Segoviae, Concae, Seguntiae, et Oſmae epiſcopi. Sacris peractis rex et Auguſta, tanquam infans Caſtellae, non tanquam regina Romanorum, ita enim oratore Caeſareo poſtulante cautum fuerat, tactis Evangeliis, quibus ſuper impoſita crux erat, ſacramentum dixere: cumque Auguſta more recepto nepotis manum deoſculari vellet, princeps modeſte recuſavit, et frontem amitae baſiandum praebuit. Tum ceteri ordine

proceres,

INTERPR. [a] *Oran beg.* [b] *Colonna, duca di Paliano.* [c] *Campagna di Roma.* [d] *i Curzolari.* [e] *Civita Vecchia.* [f] *Livorno.* [g] *Genoua.* [h] *Savona.* [i] *Doria.* [k] *Barcelona.* [l] *Madrid.* [m] *l'imperatrice.* [n] *de Toledo.* [o] *de Granvelle.* [p] *Placenzia, Salamanca, Zamora, Avila, Segovia, Cueuça, Siguença, & Oſma.*

proceres, ac poſtremi omnium [a] Agilarae marchio et cardinalis Toletanus, ad manus oſculum admiſſi ſunt. Tantam ceremoniam publica laetitia populorum ubique toto regno ſecuta eſt, accenſis paſſim ignibus. Eodem tempore de Caroli Emmanuelis Sabaudiae ducis cum Catharina altera Philippi filia nuptiis, Amadei fratris naturalis, qui tunc in eam aulam venit, interventu, agi coepit: quae demum inſequenti anno magna pompa celebratae ſunt.

XII. JAM ante in Italia Vincentius Mantuae princeps, qui prius Margaritam, Alexandri Farneſii filiam, poſtea vitam monaſticam Placentiae profeſſam, in uxorem duxerat, et propter impedimentum naturale repudiaverat, Helionoram Franciſci magni Etruriae ducis filiam duxit. Summo apparatu nuptiae Aprili exeunte Mantuae celebratae ac conſummatae ſunt; eaſque praeſentia ſua honeſtarunt Auguſtinus Valerius cardinalis Veronenſis, et Ferdinandus Medices cardinalis ſponſae patruus. Aliquanto poſt [b] Papiae in Inſubribus Ericus Brunſvicus, qui totam paene vitam extra patriam in Belgio, Gallia, Hiſpania, conſumpſerat, terribilis ſuis, neque tamen re ulla memorabili geſta admodum clarus, obiit XV Kal. Decembreis: cujus morte, nam nullos ex Sidonia Saxonica priore uxore, et altera Dorothea Lotaringica, liberos ſuſcepit, non ſolum ampliſſima avita hereditas, ſed etiam Hildeſemienſis epiſcopi ditio a patre Erico olim occupata, et quae, extincta [c] Hoienſium comitum familia, nuper acceſſerant, ad Julium Brunſvicum ducem tertio gradu agnatum pervenerunt.

XIII. IN Belgio interim, poſt ducis et Arauſionenſis mortem, res Ordinum admodum perturbatae erant; [d] Brugenſibus nuper, [e] Cimaci principis ſive aſtu ſive ignavia, reconciliatis, et Gandenſibus jam diu nutantibus: ad quos Brugenſes et [f] Franconates, ea eſt ditio peculiaris, quae intra et extra urbem privatam juriſdictionem habet, luculentam epiſtolam Nonis Quintilibus datam, triduo ante Arauſionenſis caedem, mittunt, typis, ut ab omnibus ubique legeretur, excuſam. Ea oſtendebant non amplius differendam reconciliationem: Gandenſeis unum ex IV Flandriae membris eſſe, quod proinde ceteris ſe accommodare debeat; praeſertim cum de conſcientiarum libertate, et externi militis dimiſſione, quae juſtae belli cauſae obtendantur, abunde cautum ſit: nullum religionis cauſa contra principem ſuum legitime bellum ſuſcipi: id illos ſaepius monuiſſe ipſam Anglorum reginam; et ita ſummae auctoritatis viros ſentire ac judicare, neutiquam ſacri verbi teſtimonio probari poſſe, religionis cauſam vi et armis promovendam. Quem vero belli adeo jam plebi miſerae damnoſi exitum ſperari? Pecuniam praecipuum ejus nervum deeſſe; nihil in Arauſionenſi, nihil in Batavis, qui belli pondere paene ipſi obruuntur, ſubſidii eſſe: nuper Iprenſeis ea ſpe diu lactatos, poſtremo deditionem facere coactos, exemplo ceteris eſſe, quid ab illis in poſterum exſpectari poſſit: et ducis Brabantini conatum, nunquam in Belgarum animis obliterandum, pro experimento eſſe, quid in Gallis fiduciae aut praeſidii reponere debeant: a rege vero, qui majorum ſacris addictus ſit, neque Sectarios ſalva conſcientia juvare poſſit, ac praeterea Philippi conjunctiſſimi ſibi ac praepotentis principis offenſionem vereatur, quid ſperari poſſe? Reginam Angliae, quo animo erga Ordines ſit, ſatis declaraſſe, cum nuper mutuo datam pecuniam tam ſevere ac moroſe ab ipſis exegit. Scire omneis, Scotiae regem, ad futuram Angliae ſucceſſionem jam nunc reſpicientem, Philippi gratiam aucupari. Gallicanas eccleſias Ordinibus quidem Belgicis ex animo bene velle: ſed nec ſufficere iis opes, quibus ſe per ſe debileis ſuſtentare, et alienae ſimul neceſſitati ſubvenire queant: nec plus in Helvetiis praeſidii eſſe, quos certum ſit

INTERPR. [a] *Aguilar.* [b] *Pavie en Lombardie.* [c] *de Hoye.* [d] *Ceux de Bruges.* [e] *de Cimay.* [f] *Ceux du Franc.*

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

ſit nemini ſine ſtipendio militare. Quid ergo ſupereſſe, niſi ut ſe reſpiciant, et uxorum, liberorum, fortunarumque ſuarum aliquando rationem habeant? potiuſque in regis clementia, quam in alienis praeſidiis, quae incerta et cum periculo conjuncta ſunt, ſpem reponant? Aequas conditiones proponi; quas ſi recuſent, ſeram olim fore poenitentiam, cum nec victi gratiam ſperare, nec victor dare poterit. Se, pro charitate erga patriam et ipſos ſibi conjunctiſſimos, ultro operam ſuam deferre, legatos ad Parmenſem de pace mittere, et pro reconciliatione apud ipſum intercedere paratos. Contra [a] Atuatici, Batavi, et Zelandi, miſſis ad Gandenſeis legatis, demonſtrabant, ſi exemplo Brugenſium cum Hiſpano tranſigerent, ea pactione non ſibi pacem ſed perniciem quaeſituros: nam, aliis provinciis contra Flandros bellum continuantibus, amnibus circum clauſis, agro vaſtato, regione [b] Vaſiana aggeribus perruptis ſubmerſa, quaeſtu denique et commercio undique interclufo, quid miſerae provinciae futurum? nam neque Gallos neque Anglos paſſuros, ut Hiſpani, utriſque infeſtiſſimi, radices altius in tam vicino ſolo agant. Praeterea quid in Hiſpanorum promiſſis certi eſſe? quos conſtet non prius quieturos, quam ſuis partibus adverſanteis, tam nobileis quam plebeios, aut occiderint, aut ſolum mutare coegerint; neque vero aliter eos ſe pacem Belgio reddidiſſe exiſtimaturos, quam ſi arces tota regione conſtruant, praeſidia conſtituant, privilegia aboleant, provincias aeterna ſtipendiorum perſolutione onerent. Addebant legati, ſi pacificationem inchoatam interrumperent, brevi Ordines, ſimul ac [c] Zutfaniam in poteſtatem redegiſſent, juſtum exercitum in Flandriam miſſuros. His rationibus dilata ad tempus pacificatio, quamvis medio tempore Arauſionenſis mors interveniſſet, pleriſque de plebe tumultuantibus; qui, ut omnem reconciliationis ſpem adimerent, a ſaevitia minime in hoſtem temperabant; tribus Hiſpanis, qui in manus ipſorum venerant, naſo et auribus mutilatis; Germano etiam pede truncato, et ita ad ſuos remiſſo: quod pari ſaevitia Hiſpani remunerarunt, quatuor Gandenſibus crudeliter interfectis, et tabulae impoſitis, et ita ad ſuos ſecundo flumine remiſſis, cum elogio, quando Gandenſeis terreſtri itinere captivos remiſiſſent, viciſſim ſe illis ſuos per aquam remittere. Idem cum Bruxellenſes feciſſent, ad tempus exacerbati utrinque animi, ita ut pacis mentio aliquanto tempore ſit intermiſſa. Verdugus ſuperiore anno Zutfaniam interceperat; quam ut commodius tueretur, et in [d] Veluvam liberius excurreret, trans [e] Iſalam munitionem extruxerat. Quod opus ut impedirent Ordines, jam ante [f] Santaldegondio negotium dederant, ut tam Zutfaniam quam illum locum obſidione cingeret: quod et ille ſedulo fecit, illuc cum VIII CIↃ peditum profectus, et aliquot munitionibus circumſtructis eum in ſummas anguſtias redegit. Nec obſeſſorum periculum neglexit Parmenſis; moxque Arenbergium comitem, Joannem Manricem Laram, et [g] Toraſium cum delectis miſit, qui Verdugo praeſto eſſent, et hoſtium vim averterent; eorumque adventu, et IↃ CC recentium praeſidio et commeatu, locus firmatus fuit. Nihilominus Philippus Hohenlous comes, qui obſidioni praeerat, in ea perſeverat, et Lochemum et alia circumpoſita loca praeſidiis munit; aggeres, quibus propugnaculum a Verdugo extructum coerceat, jacit. Diverſa parte [h] Nuenarius comes in caſtra Ordinum venit, et res confuſas pro tempore in meliorem ſtatum ordinavit: ſed cum tirone milite nihil magni momenti contra veteranos aggredi auſus, poſtremo cum intellexiſſet obſeſſos magna vi eruptionem facere decreviſſe, de exitu veritus, auctor ſuis fuit ut praeverterent, et, ſubductis mature in tutum tormentis, ab obſidione diſcederent. Igitur rebus convaſatis, cum minus putabatur, tutius quam honeſtius

Nuenarii

INTERPR. [a] *Brabant, Hollande, & Zelande.* [b] *Pays de Waes.* [c] *Zutphen.* [d] *Veluwe.* [e] *Yſſel r.* [f] *Marnix, Sieur de Ste Aldegonde.* [g] *de Toraiſe.* [h] *de Newenar.*

Nuenarii conſilium ſecuti, menſe Septembri tandem diſcedunt; et per [a] Daventriam ac Hatumam facto itinere, a ruſticis interdum infeſtati, maritimam regionem verſus conceſſerunt. Obſtinata illa ad Zutfaniam mora plerique factum exiſtimant, ut tot urbes interea omni auxilio deſtitutae cum Hiſpanis pepigerint. Nec ceſſabat interim Parmenſis, qui omnem vim contra Flandriam vertit, ut Gandenſeis ad leges accipiendas adigeret: et primo [b] Calloae ad Scaldim vallum conſtruit. Ipſe ex Flandria cum numeroſo exercitu [c] Callebecam ad Scaldim, haud procul a beati Bernardi coenobio, tendit, et utrinque in amnis ripa machinas diſponit; ita ut naveis Antuerpianas praeſidio impoſitas Zelandiam verſus deſcendere coegerit, levi de cetero damno affectas. Inde amne trajecto Chriſtophorus Mondragonius cum ſuis copiis ultra Antuerpiam iter ingreſſus, IƆ currus et X tormenta ſecum vehens, Lilloam petit; quem locum, III ab urbe milliaribus aggere exſtructo, Antuerpiani muniverant, ut navigationem per Scaldim tutam praeſtarent; eique munitioni delectos ex urbe civeis impoſuerant. E regione item ejus in altera fluminis ripa in Flandria alterum munimentum, cui [d] Liefkenhoekae nomen, excitaverant: quod cum nondum ad eam altitudinem perductum eſſet, ut defendi poſſet, Parmenſis eo mature [e] Riſborgium marchionem cum VI CIƆ peditum mittit. Praeſidiarii locum dedere juſſi cum ad defenſionem ſe pararent, diſploſis ſtatim circiter CCC tormentorum ictibus, una et altera oppugnatio tentata. Primo repulſi regii; dein aſtu uſi Itali, qui [f] Gaſparino Lucenſi duce vim faciebant, currus foeno onuſtos ad id paratos incendunt, et, fumo praeſidiarios ſtrangulante, eos loco pellunt; atque ita, Parmenſi, qui forte ſupervenerat, animos militi faciente, munitione potiuntur. Deprehenſi in ea omnes trucidantur: Joannes [g] Pettinus Atrebas, qui praeerat, fide et rei militaris peritia clarus, poſt certamen ab ipſo Riſborgio interficitur; multum ſuccenſente Parmenſi, qui injuriam ſibi Pettini caede factam reputans, de ea ſibi a Riſborgio ſatisfieri voluit. Multi in flumen praecipites ſe dedere; pars aquis hauſti, pars natando evaſerunt. Id in eundem, quo Arauſionenſis caedes, diem incidit. Caſus is Antuerpianorum ſtudium acuit; qui Lilloae metuentes, quae tantum CXXX praeſidio tenebatur, cohortem ex urbana juventute eo mittunt, ac XXC delectos ex ſagittariorum collegio: cumque [h] Teneramundae et Neuſae praeſidiarii auxilia ſummitti peterent, [i] Govinus Aquitanus eo cum cohorte Gallorum miſſus; qui ſtrenue rem initio geſſit, eruptione facta caeſis V Sequanorum ſignis, et duobus ductoribus captis. Lilloam deinde miſſus cum Gallorum cohorte Odetus [k] Lanovius Telinius, Lanovii captivi digniſſimus filius; qui jam in illa aetate magnum paternae virtutis ſpecimen ea obſidione edidit: nam, cum ante ejus adventum excubiae tantum in pomoerio agerentur, ille ulterius ſtationes ad labrum uſque foſſae adverſum diſpoſuit, et locum obſtinatis animis diu defendit; donec, ſupervenientibus IV Scotorum ex Zelandia cohortibus duce Jacobo [l] Balfurio, cum a tormentis, a Mondragonio in aggere Mattiacos ſpectante directis, infeſtarentur defenſores, ipſe acrem eruptionem fecit; et, niſi aggerum hoſtilium anguſtiis et viarum difficultatibus prohibitus fuiſſet, etiam tormenta capere potuiſſe creditur. Caeſi ex hoſtibus circiter CCC: captus cunicularioru praefectus; qui incolumis Lilloam perductus fuit, et, indicatis cuniculis ab hoſte ſuffoſſis, impetum eorum avertit, ac fidam operam deinceps obſeſſis navavit. Inde tormentis res geri a regiis coepta; ruinaque edita, cum ſubtus eam praeſidiarii cuniculos fodiſſent, impetus ab hoſte factus: ſed praefeſtinata ejus, cui ignem mittendi negotium commiſſum erat, impatientia, res exitu caruit: nam cum obſeſſi fugam ſimularent, et hoſtis inſtaret, antequam ad locum

uſque

INTERPR. [a] *Deventer, & Hattem.* [b] *Fort de Callo ſur l'Eſcault.* [c] *Callebeke.* [d] *Liefkenſhoeck.* [e] *de Richebourg.* Les autres le nomment *de Roubaix.* [f] *Gaſparini Luquois.* [g] *Pettin d'Arras.* [h] *Dendermonde, & Ter-Neuſe.* [i] *le capitaine Gau Gaſcon.* [k] *de la Noue, Sieur de Teligny.* [l] *Balfour.*

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

uſque cuniculo ſuperpoſitum veniſſent, cuniculus ignem concepit, et XXV ex obſeſſis, qui nondum ultra locum inſidiis deſtinatum fuga ſe receperant, neminem ex hoſtibus, interfecit. Tantum a tormentis grandioribus ii infeſtati; et tormenta etiam hoſtilia grave damnum acceperunt, confractis verberatione contraria rotis: inde mutata obſidionis ratio; et hoſtis, ut libere exeundi et introeundi commoditatem obſeſſis adimeret, ex munitione nuper capta tormenta in portum dirigit: et, cum ne hac quidem ratione proficere ſe multum ſentiret, tormenta trans [a] Calloani aggeris foſſam comportari curat; animis multum ea tranſlatione infractis, et Mondragonii ſeu ſegnitiem ſive conſiliorum fluctuationem incuſantibus. Quapropter Parmenſis eam moram pertaeſus eo venit, et luſtrato loco, ac perſpectis obſeſſorum rationibus, Telinii inprimis virtute et exemplo animos in dies ſumentium, mature ab obſidione diſceſſit, praemiſſis tormentis: tantum ad [b] Lilloam, Koventeinam, Ordamum, et Blaugarendici aggerem, aliquot delectos reliquit, qui in iis ſe vallo munierunt. Nuſquam majore tormentorum vi quam ad Lilloam fulminatum, et praecipue ab obſeſſis, qui quadragies mille nitrati pulveris libras inſumpſiſſe perhibentur; non irritis omnino ictibus, quippe plus bis mille hoſtibus in ea obſidione deſideratis. Magnam laudem non ſolum fortiſſimi ſed experti ducis jam tum in illa aetate, vel Hiſpanorum et Italorum judicio, meruit Telinius: ſed non diu ſolida hac laetitia frui potuit, tumultuante ob non ſoluta ſtipendia milite, et loco pulſis ipſo Telinio, [c] Pluketo, et aliis tribunis ac centurionibus; quae ſeditio tandem, perſoluto ab Ordinibus aliquot menſium ſtipendio, utcunque pro tempore placata eſt. At Antuerpiani, qui viderent Parmenſem in [d] Scaldis aggeribus muniendis toto animo incumbere, cum de obſidenda urbe cogitare certi, et ipſi de ſubſidiis undique comparandis cogitare coeperunt; et, ex conſenſu et auctoritate Ordinum Brabantiae, [e] Griſeum in Angliam mittunt, qui CIↃ IↃ duce [f] Morgano; ac in Galliam, qui totidem, [g] Alenio Arelatenſi ſtrenuo et virtutis perſpectae duce, ſcriberet. Angli, ut viciniores, in tempore advenerunt; Galli non item, in quibus colligendis longior mora fuit. Conſcripta interim ab Ordinibus XXC peditum ſigna, XVI equitum turmae; in quorum ſtipendium ingens collatio facta ab [h] Atuaticis civitatibus; ita ut ditiores cives, et Arauſionenſis morte et munitionis [i] Lieſkenhoekae defenſorum ignavia amiſſae caſu territi, et nimium onus gravati, urbem relinquere coacti ſint; qui mox, gravi poena edicto ſancita, revocantur. Parmenſis, munitis circa urbem aggeribus, Teneramundam, quae Flandriae urbs eſt, ſitu quam arte munitiorem, tendit; ubi ſciebat et paucos praeſidiarios eſſe, et magnam partem ob ſtipendii defectum militiam pertaeſos; praeterea Jo. [k] Rihovium abeſſe, ad rem pecuniariam expediendam in Hollandiam profectum, relicto [l] Mortanio vicario. Vallo jacto prope portam Bruxellenſem foſſae aquas alio derivat; dein, cataractis ruptis et amne obſtructo, per Carolum Mansfeldium, qui rei tormentariae praeerat, XVIII machinis muros quatit juxta portam Aloſtenſem; editaque ingenti ruina CXC pedes lata, et derivata aqua, quod erat praecipuum urbis robur ac praeſidium, ad vetus propugnaculum verberatione illa ſemidirutum fit impetus ab Hiſpanis primum, dein a Gallo-belgis: quod tandem a regiis, poſt trium horarum certamen, fuit captum, magno defenſorum damno; qui partim inter certandum, partim poſt proelium, dum ſe nimis propere recipiunt, aquis hauſti, pereunt, majore utique numero quam regii; ex quibus Petrus [m] Pacenſis caſtrorum praefectus, et Petrus [n] Taxis exercitus curator, deſiderati ſunt. Capto propugnaculo reſtabant

INTERPR. [a] *Digue de Callo.* [b] *Lillo, Kowenſtein, Ordamme, & Blaugaren-dijck.* [c] *le capitaine Pluke.* [d] *Digues de l'Eſcault.* [e] *le Sieur de la Greſe.* [f] *Morgan.* [g] *d'Alleins d'Arles.* [h] *Brabant.* [i] *Liefkenſhoeck.* [k] *de Rihove.* [l] *le Sieur de Mortagne ſon lieutenant* (ſuivant Meteren,) mais Campana le nomme *de Montaigny.* [m] *de Paz, mareſchal de camp.* [n] *de Taxis, veedor general del eſſercito.*

reſtabant munitiones, ſumma ſolertia a Rihovio intus exſtructae: ſed aberat Rihovius; per cujus abſentiam animus defendendi ſe obſeſſis defuit. Itaque, oppidanis, qui in occulto regis partibus favebant, annitentibus, de deditionis conditionibus agi coeptum; ac poſtridie tandem convenit, exſoluta LX florenorum CIↃ mulcta. Fides pactis conſtitit, niſi quod duo concionatores apprehenſi capite luerunt. Ita Teneramunda XVI Kal. Sept. in manus Parmenſis venit, ſeptimo, poſtquam obſeſſa fuerat, die; quae, ob ſitus commoditatem, magnum ad vicinas civitates in poteſtatem redigendas momentum attulit. Herentala praeſidia deduxerant Antuerpiani, oppidanorum fidei oppido commiſſo: quod, [a] Nicolao comite Caeſio, qui in eo captivus occulta cum aliquot civibus conſilia agitaverat, ſolicitante, itidem Parmenſi patuit, et praeſidium accepit. Inde Parmenſis exercitum [b] Grimbergam verſus ducit, et, propugnaculo juxta [c] Willebrocam occupato, [d] Vilvordam tendit; quae et ſtatim VII Eid. Sept. praefecti ignavia, ſummo Antuerpianorum detrimento, dedita eſt; quippe ita navigatione inter Antuerpiam et Bruxellas interclusa.

XIV. QUIBUS ſucceſſibus infracti Gandenſes, alioqui a [e] Vetteranae munitionis vicinae praeſidiariis, quibus [f] Olivera praeerat, continuis excurſionibus infeſtati, cum animos feroces paulatim deponere inciperent, qui regias partes in urbe tuebantur, a [g] Campaniaco captivo inſtigati, conditiones jamdudum a Parmenſi propoſitas urgent; et, cum Antuerpianos in ſuo occupatos, Batavos obſtinatis animis ad Zutfaniae obſidionem ſedenteis oſtenderent, nihilque praeſidii in iis eſſe, tandem, decimo poſt Vilvordam deditam die, [h] Beverae tranſigunt, his conditionibus: Ut privilegia antiqua et immunitates, quas ante hos tumultus habuerant, retinerent; rex antiquis juribus ac vectigalibus frueretur; ſacer ordo in priſtinam bonorum poſſeſſionem reſtitueretur; Proteſtantium religioni addicti duobus annis in urbe manere poſſent, quo tempore vis eorum conſcientiae non afferretur; eo exacto de facultatibus pro animi arbitrio ſtatuere ipſis liberum eſſet; ob delicta a ſeditioſis, non civibus ſed extraneis, in urbe perpetrata, VI ex eo numero arbitrio Parmenſis puniendi dederentur: quibus tandem, ut, clementiae regiae ſpecimine ea re edito, melius eos in poſterum ſperare juberet, vitam largitus eſt. Nihilominus Ant. Heimanus, et Lucas [i] Maiartus ſyndicus urbis, qui captivi attinebantur, ſupplicium veriti, effictis clavibus reſerato carceris oſtio, aufugerunt. [k] Levinus Meinkerus, abjurata Proteſtantium confeſſione, libertatem reciperavit: [l] Peſterus, Balianus, et Jodocus Vleſhoverus, grandi exſoluta pecunia, ſe redemerunt. Campaniacus cum [m] Gallo-belgarum praeſidio urbi praeficitur, arxque ante diruta continuo inſtauratur; cujus metu dilapſi ſtatim optimates et opulentiores cives in Bataviam et Zelandiam commigrant, vix media populi parte in urbe remanente. Diſſidia ac partium ſtudia, et innatus tumultuandi ad quaſvis leviſſimas occaſiones fervor, in cauſa fuiſſe creditur, ut urbs potentiſſima, nullis anguſtiis adhuc preſſa, ſed procul tantum agminibus cincta, ceterum foſſis, vallis, loricis, ac propugnaculis ad ſtupendum terrorem egregie munita, in qua nihil ad victum, nihil ad apparatum bellicum deerat, in poteſtatem Hiſpanorum, quos tanto odio prius deteſtati fuerant, citra certamen devenerit.

XV. PARMENSIS tota Flandria potitus, excepta Oſtenda, [n] Sluſis, et Neuſena munitione, Beveram redit: et tormenta majora [o] Gandavo et aliis locis [p] Melſam, pagum Beverae vicinum; commeatum item et annonam in arcem Beverenſem; materiamque

INTERPR. [a] *il conte Nicolo Ceſi.* [b] *Grimberghe.* [c] *Willebroeck.* [d] *Vilvoorde.* [e] *le fort de Wetteren.* [f] *de Oliveira.* [g] *Perrenot, Sieur de Champigny.* [h] *Bevere.* [i] *Mayart penſionaire.* [k] *Lieven Meynkens.* [l] *de Peſtere, Balian, & Joſſe de Vleeſhouwer.* [m] *Wallons.* [n] *l'Eſcluſe, & le fort de Ter-Neuſe.* [o] *Gand.* [p] *Melſen.*

CIↃ IↃ LXXXIV.
HENRICUS III.

materiamque et inſtrumenta navibus fabricandis, et ponti ad claudendum Scaldim conſtruendo idonea, in [a] Calloae templum comportari imperat. IↃ C circiter foſſores adhibiti, qui alveum foderent; per quem amnis a [b] Stakena IV fere milliaribus Calloam uſque derivatus eſt, de Parmae dictus nomine; eaque commoditate deinceps commeatus, armamentorum, ac rerum ceterarum ad obſidionem neceſſariarum, facillima a Gandavo in caſtra ſubvectio fuit. Secundum haec diſtributae copiae: major pars exercitus [c] Stabroekae, qui pagus eſt in extrema Brabantia Flandriam verſus, ſub Petro Erneſto comite Mansfeldio, qui ſecundas partes a Parmenſi in exercitu tenebat, manſit. A Stabroeka haud longe agger in praedium [d] Cavenſtenium excurrit, et ultra, pratis ac profundis vallibus interjectis, Scaldim verſus porrectus, vaſto Scaldis aggeri tandem conjungitur. Heic Mondragonius munitionem forte ſtruxerat, inter caſtra et fluvium, quatuor ingentibus vallis excitatis, quibus minora jungebantur. Inter ipſa quoque valla ſpatio medii milliaris ſepes ac palos continua ſerie duxerat, eo conſilio, ut navigatio e Zelandia Antuerpiam tranſverſo illo Cavenſtenii aggere impediretur: nam alioqui metus ſuberat, ne, aggeribus [e] Berendrectae perfoſſis, cum agri humiliores paſſim Stabroekam, [f] Wilmeredonkam, et Orderenam uſque ad urbem inundarentur, medio Lilloae propugnaculo, Zelandi Antuerpiam poſſent appellere. Qui, ut hoſti incommodarent, ſub id [g] Saſtingae in Flandria aggerem ingentem exteriorem ac multos interiores evertunt, et aquas extra alveum ab Hulſta Beveram et [h] Borctham uſque inducunt; [i] Docla tantum et aliquot Calloae aggeribus ab inundatione ſervatis, qui ad Beveram uſque pertingebant. Parmenſis, etſi merſis paſſim agris, nihilominus inde occaſione capta naveis planas [k] Teneramunda per aggerem ruptum Borctham advehit, non citra periculum; quippe Santaldegondio inſequente aliquandiu certatum fuit, in eoque conflictu [l] Joannes Clocus ſtrenuus ordinum ductor occubuit. Cum vero rurſus ante ora Antuerpianorum praeternavigare periculoſum exiſtimaretur, non eodem itinere, ſed per agros Calloae merſos, in Scaldim reditum; neque tamen ſine novo conflictu, in quo Petrus [m] Bakerus navis actuariae praefectus deſideratus eſt. Hoc iter per aquas ut impedirent Antuerpiani, ex conſilio [n] Telinii munitionem in extremo aggere perfoſſo Borcthae excitant, de ejus nomine Telinianam dictam. Haec Octobri menſe acta: quo eodem Parmenſis ponti ad obſtruendum Scaldim inſtituto initium fecit; qui, quamvis omnia ad ejus conſtructionem neceſſaria affatim ſuppeterent, magna operum vi inchoatus, vix aſſidua diligentia poſt ſeptimum menſem conſummari potuit. Tanta autem de opere ac munitionibus fiducia Parmenſis fuit, ut, cum ſub haec initia explorator in caſtris captus fuiſſet, eum ad ſe adductum et de vita metuentem, per ſingula loca, ut ea diligenter inſpiceret, deduci, et ad ſe reverſum, hoſtibus quae vidiſſet renunciare juſſerit; et inſuper ſuo nomine referre, Alexandro Farneſio conſtitutum eſſe, aut iſtic generoſe oppetere, aut iſtinc ad certiſſimam victoriam viam ſibi parare. Occupato in pontis ſtructura Parmenſi, diverſa parte Hohenlous comes et [o] Villerſius exercitum circa [p] Bergas ad Somam ſcribunt; et cum peditum cohortibus XXVI, equitum VII turmis, [q] Steenbergam invadere nequicquam tentant: nam ita vallis ac propugnaculis undique caſtra in Brabantia muniverat Parmenſis, ut neque vi neque aſtu ab ulla parte adiri poſſet. [r] Tſerartius Cavenſtenii dominus, qui loci ſitum noverat, ab initio concivibus ſuis auctor fuerat, ut agger Cavenſtenius perfoderetur, et in quadrivio, quo magno [s] Scaldis aggeri jungitur, propugnaculum conſtrueretur: quod, laniis, qui his

INTERPR. [a] *Callo.* [b] *Staken.* [c] *Stabroeck.* [d] *de Couwenſtein.* [e] *Berendrecht.* [f] *Wilmerdonck, & Orderen.* [g] *Saſtingen.* [h] *Borcht.* [i] *Doel.* [k] *Dendermonde.* [l] *le capitaine Hans Clock.* [m] *Backer, capitaine de la galere.* [n] *de la Noue, Sieur de Teligny.* [o] *de Villers.* [p] *Bergen-op-zoom.* [q] *Steenberghe.* [r] *Tſeraerts, Sieur de Couwenſtein.* [s] *grande levée de l'Eſcault.*

his in locis praedia habebant, reclamantibus, cum probari non poſſet, perniciem poſtremo urbi attulit. Pro tempore vero tam ſalutare conſilium adeo auctorem inviſum reddidit, ut, quo vitae conſuleret, contumeliis non ferendis victus, ad Parmenſem confugere neceſſe habuerit; cui tanto ad capiendam urbem adjumento fuit, ut [1] margraviatus [a] Antuerpienſis dignitate, quae inter Arauſionenſis titulos recenſetur, ab ipſo donari meruerit. Inter haec Parmenſis [b] Ruſticorum propugnaculum, quod Antuerpiani in Brabantia munierant, capit: quo ſtatim ab illis recepto, aliud ex adverſo, itidem Ruſticorum dictum, ſtruit. [c] Auſtrevela dein, quod erat alterum Antuerpianorum munimentum, crematur; acri conflictu prius edito, in quo [d] Gordonius Scotus et aliquot alii ex urbanis caeſi. Inde ad auxilia accerſenda undique miſſi legati, ac praecipue in Galliam, unde II CIↃ peditum duce [e] Alenio fruſtra exſpectabantur. Sub id quidam ex ditioribus ac potentioribus urbis civibus N. [f] Liesfeltium cancellarium de exitu veriti adeunt, et ſupplicem libellum, L aut LX nomine e ſuo numero Ordinum proceribus porrigendum, ab ipſo conſcribi petunt, ut de pace agere cum Parmenſi liceret: unde ortus ingens tumultus, magnoque in periculo optimates illi verſati ſunt, plebis conviciis excepti; vixque, pecuniaria mulcta irrogata, iis parcitum eſt. Mox et edicto ſancitum, ut cuncti urbem ſe defenſuros religioſe jurarent, nec de pace clam, aut ſeorſim a republica, agerent; qui ſecus facerent, capitis poena mulctarentur. Magna erat Antuerpiae non ſolum animorum ſed rerum in reipublicae adminiſtratione confuſio ac perturbatio, cum imperium, quod penes unum aut paucos eſſe debuit, in plura collegia, atque adeo plebem, ſtudiis, conſiliis, ac factionibus ſciſſam, diviſum eſſet: unde continuae contentiones et diſſidentes de republica ſententiae, ita ut in commune nihil in tempore decerni aut conſtitui poſſet; magiſtratu, et ipſo [g] Santaldegondio conſule, quem plerique obſervabant, fruſtra ſurdos monentibus, et omnia ſumma, ut inſanienteis ad bonam mentem reducerent, impigre facientibus. Cum vero ille crebro miſſis in Zelandiam nunciis oſtenderet, magnas hyemis proximae commoditates eſſe, propter noctium obſcuritatem, ventorum validam vim, ac procellarum ad hoſtem infeſtandum violentiam, quas ne elabi inutiliter ſinerent enixe rogabat, minime tamen auditus eſt; cum alii certiori majorique auxilio opus eſſe dicerent, nec quae Antuerpiani peterent, a rei navalis peritis probari cauſarentur. Itaque Santaldegondius ad Ordines Telinium ipſum ablegat, qui coram eos de ſtatu rerum certius edoceret. Is, et virtute praeſtans et ſupra annos futuri providus, ſic cenſebat, [h] Cavenſtenium aggerem, niſi mature ab obſeſſis oppugnaretur, urbi extremum exitium allaturum: itaque ſaepius inſtiterat, ut Ordines vel exiguis copiis obviam ingentibus conatibus irent; et, ſi quidem milites ſuos periculis nollent objicere, ſaltem aliquos mitterent, qui ſimulata ac levi impreſſione praeſidium [i] Ordamenſe perterrefacerent, dum Lilloani praeſidiarii interea ſerio Cavenſtenium aggerem invaderent. Verum Telinius, qui ſtudio rei promovendae infra dignitatem id muneris ſuſceperat, ut ipſe Ordines conveniret, in itinere, dum unico navigio actuario veheretur, a Gaſpare [k] Robleſio Billio circumventus ac captus fuit; et inde [l] Gandavum ductus, poſteaque arce [m] Tornacenſi incluſus, diuturnam ac moleſtam ſub Hiſpanorum jugo ſervitutem ſervivit. Tam ſtrenuo duce amoto, Ordinum res jam confuſae in pejus deinceps ſemper inclinarunt: nam fruſtra poſt eum miſſus [n] Proppus militiae praefectus, qui nihil ab Ordinibus impetrare potuit. Nec proinde

Antuerpiani

INTERPR. [a] *Burgraviat ou vicomté d'Anvers.* [b] *le fort des payſans.* [c] *Village d'Auſtreweel.* [d] *Gordon Eſcoſſois.* [e] *d'Allens.* [f] *de Lieſveldt.* [g] *de Ste Aldegonde, bourguemaiſtre.* [h] *Digue de Couwenſtein.* [i] *d'Ordamme.* [k] *de Robles, Sieur de Billy.* [l] *Gand.* [m] *de Tournay.* [n] *le capitaine Prop.*

NOT. [1] *Potius* burgraviatus, ſive vicecomitatus. Qui titulus, inter alios, Arauſionenſi, ab Em. Meterano, diſerte attribuitur. *Put.*

CIↃ IↃ LXXXIV. HENRICUS III.

Antuerpiani ſe deſerunt: etenim pontem inceptum, navi actuaria, pontonibus, ac cymbis armatis oppugnant; et III naveis planas hoſti eripiunt, militibus, qui in iis reperti ſunt, interfectis. Quod idem cum majore navium vi tentare aggreſſus eſſet Santaldegondius, nautae, jam familiari omnibus juſſa ducum interpretandi et imperia detrectandi exemplo, naveis conſcendere recuſarunt. Nec interea a navigatione ceſſabatur, ſed, plerumque perruptis regiorum ſtationibus, huc illuc commeabatur: nam VII Eid. Oct. et XVI Kal. Dec. naves CL, ac rurſus VIII Kal. Jan. CLXX praeternavigarunt; quarum quaedam captae, quaedam tormentis quaſſatae ſunt. Sed poſtquam compertum eſt quaſdam commeatu et aliis rebus bello neceſſariis onuſtas in hoſtium poteſtatem veniſſe, et mox a Parmenſi ad munimenta tuenda inſtructas fuiſſe; edicto prohibitum eſt, ne ullae, niſi numero idoneo ad hoſti reſiſtendum, hoc iter poſtea ſuſciperent. Ita per hyemem pleraeque praetermiſſae bene rei gerendae occaſiones, ſpatio pontis conſtruendi interea Parmenſi conceſſo. Ex ea occaſione cum plebs in [a] Trelonium maris praefectum exacerbata eſſet, ipſe a Zelandis capitur, et graviſſimorum criminum poſtulatur: neque tamen poſt longum carcerem aut teſtibus aut indiciis convinci potuit; tandemque reginae Anglorum interventu libertati reſtitutus fuit, ſed non priſtinae dignitati; quae in Juſtinum Naſſovium naturalem Arauſionenſis filium collata eſt. Eouſque et veſaniae plebs in urbe provecta eſt, ut ex quorundam imperitorum conſilio, repugnante nequicquam magiſtratu, machinam quandam vaſtae molis fabricare aggreſſa ſit; cui tormenta muralia, armamenta, et magnam hominum multitudinem impoſuit. Ea connexa trabium compago conſtabat undique [b] lorica XIII pedes lata, ex foeno et ſtramine contortis, inſtar valli munita; et, tanquam arx ad globorum ictus impenetrabilis, propugnacula amni vicina ipſumque pontem diſturbatura credebatur, ob id [c] Finisbelli vulgo dicta; et qui ſecus ſentiebat tanquam ſuſpectus habebatur. Nec videbant homines rerum ignari, quo major machinae firmitas eſſet, eo minus illam ad navarchorum nutus dirigi poſſe; et proinde omnino inutilem ad certamina futuram. Opus tandem inſanis ſumptibus conſtructum, ob vaſtitatem et pondus nimium non ſolum inutile, ſicuti ſaniores monuerant, ſed etiam damnoſum fuit: nam, cum in fundum demerſa haereret ratis, ab hoſte tandem occupata eſt. Licentiae plebeiae exemplo graſſante, paulatim et militaris diſciplina labefactari coepit; crebraeque inter milites et nautas ortae ſeditiones. Anglicana legio, cui cum ſummo imperio [d] Morganus praeerat, ab ipſis praefectis Richardo [e] Laeo et Powelo inſtigata, cum importunius ſtipendium flagitaret, militaria munia omnino obire recuſavit, ac poſtremo diploma tuti in patriam per Flandriam reditus a Parmenſi petit; cumque, repraeſentatis XX CIↃ florenorum, et fide interpoſita aeris alieni, quod ab ipſis debebatur, exſolvendi, Hohenlous, ne ad hoſtem tranſirent, eos per [f] Bergas ad Somam in Angliam tranſvehendi onus ſuſcepiſſet, ſeditioſi homines conditionem accipere noluerunt: tandemque detecta conſpiratio fuit praefectorum, qui ſeditioni occaſionem dederant; et Richardus ipſe Morgani juſſu ob id capite luit. Inter haec proſpectum annonae, et leges de ea conſtitutae; et Fridericus [g] Jennibelius Mantuanus, qui, ducta in Belgio uxore et liberis ſuſceptis, complurium annorum domicilium Antuerpiae contraxerat, in concilium jam tum adhibitus, rationem propoſuit frumenti a vicinis commodo pretio emendi, et inter civeis dividendi; ut, cum impenſae ex aerario publico luerentur, magnum levamentum inde plebs ſentiret.

XVI. INTEREA Parmenſis, qui urbanos motus et diſſidentium animorum aeſtus minime ignoraret, dum opus inchoatum ſemper procederet, tempus verbis ducendum

INTERPR. [a] *Treſlon.* [b] *Rampart ou parapet tout alentour.* [c] *la Fin-de-la-guerre.* [d] *le colonel Morgan.* [e] *les capitaines Ley & Powell.* [f] *Bergen-op-zoom.* [g] *Jenibelli de Mantouë.*

ducendum ratus, ad Antuerpianos ex caſtris [a] Stabroekae Eidibus Novembribus ſcribit; culpaque praeteritorum in Arauſionenſem, et ducem, qui Arauſionenſis factione ab Ordinibus male conſultis accerſitus ſit, rejecta, juſto Dei judicio factum dicit, ut uterque eodem fere tempore vita privatus ſit; ut hinc et de provinciarum imbecillitate, et contra de Philippi potentia ac divini patrocinii gratia, conſtet: tempus proinde veniſſe ut ſe reſpiciant, et aequas conditiones mature amplectantur. Se bene affecto ſemper erga ipſos animo fuiſſe; quippe Belgio oriundum, et ſemper benevolos erga ſe Belgas a prima adoleſcentia expertum: ea mente ſe literis conditiones ſaepius perſcripſiſſe; verum eas, maligne a quietis publicae hoſtibus hactenus ſuppreſſas, nunc denuo retractare voluiſſe; atque orare et obteſtari, ut uxorum liberorumque rationem habeant, ac ſui aliquando miſereantur. Oculos mentis in illud tempus rejiciant, quo, dum obedientes legitimo principi ſuo erant, omni bonorum copia et tranquillitate tantopere expetita beati fruebantur: contra nunc intueantur in quas calamitates ſe induerint, ex quo ejuſdem imperium excuſſerint: tandem ex errore in viam redeant, et clementiae regis ſe ſubjiciant, qui oblivionem praeteritorum ſancire, et aequis conditionibus eos in gratiam recipere, paratus ſit. Ad hanc reconciliationem ipſe operam ſuam ultro defert; non quod de felici armorum ſuorum ſucceſſu deſperet, ſed quod eos ſalvos cum rege reconciliari, quam de victis triumphare, malit. Ad haec decimo poſt die reſpondent Antuerpiani; et gratias pro tam bene affecto erga ipſos animo agunt; ceterum quod ad horum motuum originem, non eam ſatis ſuae celſitudini perſpectam dicunt: nam cauſas tanti mali ab eorum ſeu ambitione ſive malignitate repetendas, qui legitimo principi ſuo auctores fuerint, ut, contra provinciarum jura, ſtatuta, libertates, privilegia et immunitates, falſarum inquiſitionum, cognitionum, ac denunciationum praetextu, in Belgas, qui fidem ſemper majeſtati regiae antea religioſiſſime ſervaſſent, inaudito crudelitatis genere ſaeviretur, per proſcriptiones, exilia, ſupplicia; ac poſtremo etiam conſcientiis vis inferretur; jura divina humanaque confunderentur; et, contra pactiones, edicta, conſtitutiones ab illuſtriſſima parente ipſius Margarita factas, libertas, dignitas, auctoritas, cum vita plerumque, non tantum plebeiis, verum etiam primariis provinciarum praefectis, proceribus, ac nobilibus, adempta ſit; violatis publice legibus, et collegiis ac univerſitatibus per nova jura ab Hiſpanis allata everſis; praeterea magiſtratibus munere ſuo injurioſe ſummotis, et novis hominibus in eorum locum ſuffectis. Belgas, iis injuriis, quas ſub Albani tyrannide et ejus ſucceſſoribus tot annos pertulerint, victos, invitis animis, non ſponte et petulanter, ſicuti calumnioſe ipſis improperatur, arma ſumpſiſſe. Proinde horum motuum cauſam in Arauſionenſem minime rejiciendam, qui, cum ut privatae tutelae conſuleret in Germaniam initio confugiſſet, in has provincias non niſi rogatu Ordinum, antiſtitum, nobilium, ac civitatum, rediit; neque quidquam auctoritatis, niſi ultro ab omnibus delatae, ſibi ſumpſiſſe; ita extrema et inevitabili neceſſitate coactos Belgas ad arma, quod minime, ſi vita, conſcientia, ac libertate ſalva licuiſſet, voluiſſent, deveniſſe. Haec ut apud ſe ſua celſitudo pro prudentia et aequitate ſua perpendat, maximopere orare; interimque gratias pro tam benevola voluntate ipſi agere, qui, virtutis ſuae tot experimentis periculo facto, quam et ipſi majorem quam ullorum deceſſorum ſuorum ſenſerint, tam obvia nihilominus humanitate pacis conditiones offerat; ad quam firmandam ultro operam ſuam polliceatur: nec vero dubitare, ſi in poteſtate ſua ſit remedia malo inveterato neceſſaria adhibere, quin facile conveniri poſſit. Ea autem quae ſint minime ipſum ignorare;

INTERPR. [a] *Stabroeck.*

ignorare; nimirum illa ipſa quae ſapientiſſimi et aequiſſimi principes Carolus v, Ferdinandus I, et Maximilianus II Caeſares in Imperio, rex Franciae et Poloniae in ditionibus ſuis, ad quietem conſtituendam adhibuerint; ſubditis ſuis libertate permiſſa religionis, cujus rationem coram aequis judicibus, non ſuſpectis aut omnino adverſariis, in liberis ac legitimis ſynodis reddere tenerentur. Verum, cum ex pluribus regiis mandatis ac teſtimoniis didicerint, minime id in ſuae celſitudinis poteſtate eſſe, de religione quidquam ſtatuere; quinimo Philippum ipſum Hiſpanienſi inquiſitioni et pontificis imperio tam arctis nodis obligatum eſſe, ut, quod Itali multi principes et ipſe Judaeis permittit, id Chriſtianis ſuis ſubditis indulgere non poſſit; via conciliationis deſperata, bello hoc funeſtiſſimo, quod ipſi agnoſcant, ſe implicuiſſe; quod, defenſionis neceſſitate inchoatum, nunc ob eandem neceſſitatem continuare cogantur, quo ſe a vi et intolerandi jugi ſeveritate tueantur. Hujus vero belli exitum fuiſſe, ut, poſt tot conditiones a ſe Philippo oblatas, toties per vicinorum principum interceſſionem xx abhinc annis fruſtra tentatam conciliationem, abjecta omni gratiae ab Hiſpanis impetrandae ſpe, ad externorum principum patrocinium confugere coacti fuerint: cumque viderent qua moderatione rex Franciae erga ſuos in religionis cauſa utatur, omneis foederatas provincias communi et concordi decreto, quod ſuae celſitudini celatum nolunt, decreviſſe, ejus ſe patrocinio ſubjicere; eaque de re cum ipſo jam egiſſe: regiam autem majeſtatem admodum clementer reſpondiſſe, et auxilii expetiti ſpem feciſſe; eoque perductum negotium, ut regi Chriſtianiſſimo ſolemni pactione obligati ſint; nec ſibi integrum eſſe qualecunque aliud foedus, pactis cum eo conventis contrarium, inire; et, ſi contra faciant, ab omnibus merito levitatis et ingratitudinis inſimulatum iri. Praeterea, cum unicum tantum totius Belgii membrum ſint, nihil ſe contra univerſorum conſenſum tentare, aut conditiones ullas accipere, niſi petita a foederatis civitatibus ipſoque rege Chriſtianiſſimo venia, poſſe. Proinde rogare has excuſationes boni conſulat; neque moleſte ferat, ſi, antequam cum eo agant, ſuae celſitudinis literas ad foederatas provincias primum, et deinde ex earum voluntate ad regem Chriſtianiſſimum, mittant; qui ipſorum preces, paſſim alibi cum ignominia ac contumelia rejectas, exaudire ſit dignatus; quique proinde ipſos, ſi quidquam ſine ejus conſenſu ea in re faciant, tanquam impoſtores et ingratos merito culpare poſſit. Hoc accepto reſponſo Parmenſis minime quievit, ſed rurſus IV Eid. Dec. replicat; praefatuſque gratum ſibi eſſe, quod de ſe tam magnifice ſentiant, monet, ne privatum periculum ſuum, quod inſtet, cum univerſorum cauſa, quae procul a periculo ſit, conjungant; eorumve conſenſum exſpectent, qui, dum obſtinatum animi propoſitum tueantur, parum alienis damnis commoventur. Auxilia a rege Franciae fruſtra exſpectari, qui pacem firmam ac ſinceram cum Philippo colat, quemque vero ſimile non ſiat tam injuſtam cauſam adverſus potentiſſimum principem ac ſibi foederatum defenſurum. De capite religionis, quod unum tanquam cauſae ſuae fundamentum ſtatuant, ſe diſputare nolle, quippe in theologicis ſtudiis minime verſatum; ceterum hoc ſe certo ſcire, nequaquam aut verbis aut exemplo Chriſti poſſe probari aut demonſtrari, licere ſalva conſcientia contra legitimum principem religionis cauſa arma ſumere, incendia moliri, furari, praedas agere, aggeres rumpere, patriam ſubmergere, omnia denique miſerandum in modum miſcere ac devaſtare. Poſtremo addebat proteſtationem, qua ſanguinolenti adeo belli ex ea rebellione ſecuturi, ac vaſtationis provinciarum culpam ac piaculum, in eorum, qui pacem nollent, capita rejiciebat. Has Parmenſis literas Calloae datas Antuerpiani ad Ordines Hollandiae mittunt, ut inde ad regem in Galliam perferrentur: neque aliud praeterea ad Parmenſem reſponſum

dederunt,

dederunt, veriti ne ex ea frequentium literarum hinc inde mutatione tumultus in urbe exoriretur. CIƆ IƆ LXXXIV. HENRICUS III.

XVII. SPARSA foederis cum rege initi fama, Parmenſis, dum contrarium in Gallia urgeret, ut interea tantiſper moram negotio interponeret, [a] Malroium ad Bataviae ordines mittendum curat; qui, nomine [b] Colonienſis ac Trevirenſis antiſtitum ſeptemvirorum, eos moneret hortareturque, ut a conſilio Gallici patrocinii implorandi deſiſterent; alioqui fore, ut Germani principes tantam domui Auſtriacae, et origine et foedere arctis adeo cum Imperio vinculis conjunctae, factam injuriam non negligant. Parum monita ſeu Parmenſis ſive ſeptemvirorum a Parmenſi ſuſcitatorum adverſus odium Hiſpanorum apud Ordines valuerunt; qui inter haec de patrocinio alicujus praepotentis principis implorando poſt ducis mortem ſerio conſultabant. In ea deliberatione fluctuantibus occurrebat inde rex Chriſtianiſſimus, inde ſereniſſima Anglorum regina; quibus aeque inviſum et ſuſpectum Hiſpanorum nomen erat, quippe cum uterque poſt reconciliationem infeſtiſſimos hoſtes Hiſpanos ad portas habiturus eſſet: ſed ipſi ſibi invicem ſuſpecti erant; nam rex veterem hoſtem, Belgii acceſſione Galliae imminentem, reformidabat; et Angli noſtros Belgii potenteis, minus aequos foederi quod Angliae cum Burgundica domo intercedit, atque adeo commercio, futuros verebantur. Hoc negotium pro rege Ordinibuſque procurabat Rochus [c] Sorberius Prunaeus, homo bonus, et pacis publicae ac Gallici nominis ſtudioſus, qui duci a conſiliis arcanis fuerat; ſed minus ingenio et gratia in aula validus; ubi, principe privatis affectibus intento, ut quiſque plus gratia valebat, ita privatis commodis ſtudebat, neglecta reipublicae cura. Et ſane, luminibus illis Galliae, de quibus dixi, Paulo [d] Foxio et [e] Pibracio, extinctis, et ceteris, qui extra factiones poſiti generoſi conſilii auctores regi eſſe poterant, aula exactis, nemo fere erat qui vel mali impendentis vel occaſionis amplificandi imperii captandae, quae duo in hoc negotio vertebantur, regem admonere vellet aut auderet. Multi contra, vel probroſo Hiſpanae potentiae metu, vel occulto favore, regem, natura ſegnem et ſecurum, ab eo conſilio non tam dehortabantur, quam injectis difficultatibus tempus terentes remorabantur; et ita rei gerendae opportunitatem turpi praevaricatione elabi ſinebant. Hi tamen, odio Anglorum, quos, ſi conditiones oblatas rex recuſaret, Belgii patrocinium ſuſcepturos non ignorabant, foediſſima diſſimulatione in hoc negotio verſabantur; cum ſpem omnino non adimerent Belgis, ut rex patrocinium eorum ſuſciperet; et in occulto Philippi miniſtros monerent, quod Belgis aures praeberet, non ſerio facere regem, ſed ut eos a foedere cum Anglis jungendo averteret, et, per auxiliorum ſpem mora interjecta, tantiſper eorum conatus retardaret, dum poenitentia ſubeunte cum Philippo reconciliarentur. Quae non tanquam vere dicta interpretabantur Hiſpani natura ſuſpicaces, ſed pro metus confeſſione accipiebant, quaſi Galli aperte Hiſpanis bellum inferre non auderent; ſicque eam ob cauſam judicabant, occaſione tam pulchra a fortuna oblata nequaquam eos bene uſuros: quod illis, concepto ex eo noſtri contemptu, non ſolum majora adverſus regem audendi, ſed etiam tentandi, animos fecit. His accedebat, quod regina parens, quae impotentia muliebri ereptam ſibi priſtinam auctoritatem indigniſſime ferebat, cum eam quavis ratione, vel cum regni pernicie, reciperare cuperet, motus internos quam externa arma malebat: ſicque diſſerebat; in bello externo ſummam poteſtatem penes belli duces eſſe; in motibus autem civilibus, quod jam totos XX annos feciſſet, rerum arbitrium ſe ſumpturam. Itaque a bello contra Hiſpanos abhorrebat, et, cum filio Franciſco nuper

INTERPR. [a] *de Malroy.* [b] *de Cologne, & de Treves.* [c] *de Sorbiers, Sieur des Pruneaux.* [d] *de Foix.* [e] *Du Faur, Sieur de Pibrac.*

nuper amiſſo, res Belgarum promovendi deſiderium evanuerat. Jamque vaſti animi foemina, quae regem ex numeroſa prole ſolum ſupereſſe moerebat, orbum et ſine ſpe ſucceſſionis, ſpes de regni ſucceſſione intempeſtiva meditatione anticipabat: nam Navarrus proximus regni heres non ſolum nullos ex Margarita liberos habebat, ſed et ab ea diverterat; divortioque cauſam ipſe rex praebuerat, qui ſororem ante annum ob alias cauſas ſibi inviſam ignominioſe aula exegerat, et ad maritum tanta injuria adfectam remiſerat: quam cum ille recipere nollet, niſi prius ſe purgaſſet, alioqui injuriam ſibi, non uxori, factam ſe interpretaturum, rex partes ſuas interpoſuit, et, culpam praecipiti ira admiſſam emendaturus, [a] Pomponium Bellevreum ad eum legat; qui tamen nihil a Navarro impetrare potuit. His mota regina alieno a Navarro erat animo; et, ut orbitatem ſuam vel contra regni leges ſolaretur, de Claudiae alterius filiae, quae Carolo Lotaringiae duci nupſerat, liberis ad ſpem regni evehendis intra ſe cogitabat: eoque magis Guiſianis, alioqui olim ſibi ob ambitionem ſuſpectis, in praeſens favebat, quod eorum ope ſpes iniquas, de nepotibus, quorum Guiſiani gentiles erant, conceptas, non parum juvari poſſe ſperaret. Itaque quae quotidie de molitionibus Guiſianorum, et popularibus motibus paſſim eorum inſtigatu per civitates excitatis, de occultis item cum externis principibus conſiliis, ad regem afferebantur, ipſa artificioſe elevabat; et primarii conſiliarii, qui tunc in aula erant, ut reginae gratificarentur, ea flagitioſe diſſimulabant: ita fiebat ut negotium de foedere Belgico lente et ſegniter in aula procederet. Aemulatione tamen Anglorum potius quam Hiſpanorum odio fiebat, ut qui circa regem erant conditiones Belgarum aperte non rejicerent, ſed rem in longum extrahendo ſenſim eluderent. Prunaeus nihilominus, qui ultro citroque commeabat, ſpecioſiora veris ad Ordines a rege ſemper afferebat, quaſi de re Belgica magis quam erat ſolicito. Haec ſecreta Anglos minime latebant; qui et ambitioni ſuae blandientes falſo ſibi perſuadebant, Belgas ob veteres cum Gallis inimicitias et recentem caſus Antuerpiani memoriam, quam ad Gallici nominis infamiam crebris ſermonibus uſurpabant, potius ſe Eliſabethae quam regis Chriſtianiſſimi fidei permiſſuros; eoque duriores ſe in conditionibus dandis et accipiendis praebebant; cum contra aequiſſimas Prunaeus regis nomine proponeret. Nam urbes et arces ſibi ſecuritatis cauſa tradi petebant; ita ut Belgae, ſi aſſentirentur, non vindicari in libertatem, cujus cauſa bellum ab initio ſuſceptum fuerat, et tunc patrocinium alicujus principis quaerebatur, ſed in ſervitutem priori haud multum abſimilem abduci ſibi viderentur. Itaque ſic prudentiores inter eos diſſerebant: Anglorum mari diſſitorum ſuperbam ſemper dominationem fuiſſe; ob idque Gallia olim pulſos, et nunc in Hibernia intolerandum eorum jugum bello irreconciliabili cauſam obtendi: tum et hoc videndum eſſe, Eliſabetha extincta regnum legitima ſucceſſione ad Mariam Scotorum reginam captivam devolvi; quae cum Catholicae religioni addicta ſit, ut pacem habeat, Catholico regi quin olim Belgium reſtituat minime dubium relinqui: nec majorem in Jacobo Scotorum rege Mariae filio praeſidii fiduciam; quippe qui amicitia tanti principis ad novum regnum olim firmandum opus ſit habiturus. Contra, apud Gallos omnia eſſe quae in Anglis deſiderentur; ad ſummittenda auxilia majorem opportunitatem, regis clementiſſimi aequitatem, et certam ſucceſſionem: nam, eo ſublato, ad regnum ordine vocari Navarrum, fortiſſimum et aequiſſimum principem, eique religioni pro qua pugnant addictum.

XVIII. His rationibus a provinciis, civitatibus, ac conventibus, varie diſcuſſis, tandem, contra Anglorum ſpem, certe praeter regis exſpectationem et ſuorum voluntatem,

INTERPR. [a] *Pompone de Bellievre.*

CIↃ IↃ LXXXIV.

HENRICUS III.

voluntatem, Ordinibus placuit ut Belgium regno Galliae ſummitteretur, conditionibus, quam fieri poſſet, commodiſſimis; idque abſolute fieret, abſque ullis in futurum pactionibus ſecretis, quas literas reverſaleis vulgo vocant; quod in Zelandiae et Hollandiae traditione Arauſionenſi ante XII annos oblata, a qua ille ſe tunc modeſte excuſavit, et nuper foedere Burdigalenſi cum [a] Andium duce inito, factum fuerat: quod tumultus Antuerpiani, aliarumque in Belgii civitates machinationum, cauſam fuiſſe plerique exiſtimabant. Igitur poſt longas deliberationes et procraſtinationes decreta ad regem legatio; cui obeundae a Brabantiae ordinibus delecti [b] Orſcotus, Joannes [c] Junius jureconſultus, Quintinus [d] Tafinus Pratenſis; Geldriae nomine [e] Oienus, Egelbertus [f] Leoninus provinciae cancellarius; ab Hollandiae ordinibus [g] Arnoldus Dorpeus Maeſdamius; a Friſiae [h] Volgarus Feiſma, [i] Heſſelius Ayſma praeſes; ab [k] Ultrajecti N. [l1] Meinerus, et Rengerus; ab Zelandiae Jacobus [m] Valkius Goeſae ſyndicus; a Flandriae, quanquam ab hoſtibus fere occupatae, [n] Natalis Caronius Schonevallius; a Bruxellis denique, magna tunc anguſtia preſſis, [o] Arſentius amanuenſis: quibus a ſingulis provinciis nominatis Ordines generales addiderunt [p] Mouillerium. Legationis princeps eodem decreto Petrus [q] Melodunus Eſpinoii princeps, marchionis [r] Risborgii Ordinum cauſae adeo infeſti frater; qui aegre ferens [s] Cimaci principem ſibi in Flandriae praefectura praelatum, ducem e Belgio in Galliam abeuntem ſecutus, larem apud nos fixerat, ducta etiam uxore ex Momorantiorum [t] Burſiorum familia, ex qua liberos ſuſcepit. Hi, acceptis ab Ordinibus mandatis, ineunte Januario proximo [v] Briela ſolvunt, octo navibus praeſidiariis egregie inſtructis, magno comitatu; eodemque menſe incolumes in Galliam appulerunt. Hoſpitium venientibus [w] Silvanecti aſſignatum, X ab urbe leucis, ubi manerent, et regem venturum opperirentur; jam tum eo facto, praepoſtera eorum qui circa ipſum erant prudentia, expreſſa metus confeſſione, qui a negotio, quod non niſi aperte tractari, et publica declaratione recte confici, poterat, abeſſe debuit. Legatorum adventus, pavido ſilentio potius quam publica laetitia exceptus, ſanioribus in cauſa fuiſſe creditur, ut conjuratio, jampridem ab Hiſpanis in regno inita, majore vi ac audacia ad foedus illud diſturbandum eruperit; emiſſariis illorum fortaſſe impetum inhibituris, ſi ignavia aut diſcordia ſuorum rex minime retardatus, majores animos in tam pulchra occaſione obviis ulnis amplectenda prae ſe tuliſſet.

XIX. FUIT et hic annus clarorum virorum morte funeſtus; quorum princeps commemorandus venit Paulus [x] Foxius, Joannis [y] Carmanii comitis filius, archiepiſcopus Toloſanus, ſaepius a me honorifice, ſicuti par fuit, appellatus; olim in Pariſienſi curia ſenator; poſtea Anglicana et Veneta, dein et aliis legationibus, ſumma cum prudentiae laude feliciſſime defunctus; ultimis Henrici II temporibus in illa tot innocentum virorum calamitate involutus, ſed mox abſolutus, ac dignitati priſtinae reſtitutus, ſicuti ſuo loco diximus: ex eo tamen pontifici cum ſuſpectus eſſet, vix tandem ei innocentiam ſuam aſſiduo obſequio approbavit; et, cum oratorem regium Romae ageret, inter ſacra morbo repentino correptus, optime meritam de patria et rege animam Deo, exeunte Maio, reddidit, aetatis anno LVI.

Defuncto

INTERPR. [a] *Anjou.* [b] *Richard de Merode, Sieur d'Oirſcot.* [c] *le docteur Junius.* [d] *Q. Taffin, Sieur de la Prée.* [e] *Jean de Gent, Sieur d'Oyen.* [f] *le docteur Elbert Leonin, chancelier de Gueldre.* [g] *Arent de Dorp, Sieur de Maeſdam.* [h] *Jelger de Faytſma.* [i] *Eſſel Hayſma, preſident de Friſe.* [k] *Utrecht.* [l] *Meiners, & Rengers.* [m] *Valck, penſionaire de Ter Goes.* [n] *Noël de Caron, Sieur de Schoonewalle.* [o] *Aerſents, greffier.* [p] *Antoine de Lalain, Sieur de la Mouillerie.* [q] *de Melun, prince d'Eſpinoy.* [r] *le marquis de Richebourg.* [s] *Chimay.* [t] *les Sieurs de Bours.* [v] *la Brille.* [w] *Senlis.* [x] *de Foix.* [y] *le comte de Carmain.*

NOT. [1] Au lieu de *Meiners*, Meteren met *Godart de Rhede, Sieur d'Ameronghe.* *Put.*

Defuncto ad B. Ludovici magna pompa parentatum fuit IV Kal. Jun. et M. Antonius [a] Muretus, magnum non ſolum Galliae noſtrae, ſed ipſius Romae, lumen, qui vivum coluerat, mortuum habita publice oratione laudavit. Foxium ſecutus eſt Vidus [b] Faber Pibracius ſenatus Pariſienſis praeſes, VI Kal. Jun. vivis exemptus, paucis ante Brabantinum, cujus cancellarius erat, diebus; elegantia et amoenitate ingenii, quod ingenuis artibus a pueritia gnaviter non ſolum tinxerat, ſed plane imbuerat, et exquiſita Latine loquendi ac ſcribendi peritia, quam ſub Petro Bunello imbiberat, clarus; ad quam etiam verſus Gallicos pangendi raram felicitatem adjunxerat; tota vita maximis negotiis domi et extra regnum exercitatus, ac praecipue cum Arnoldo [c] Ferrerio comes concilii Tridentini celebrationi interfuit, et Henricum regem in Poloniam melioribus quam rediit auſpiciis euntem comitatus eſt. Tandem is, haud Paulo Foxio aetate minor, morbo ex moerore, ut par erat, ex prava reipublicae adminiſtratione ac Antuerpiano caſu contracto, diu conflictatus, Lutetiae, inter Arnoldi [d] Caſanovae fratris et amicorum amplexus, obiit, in Auguſtinianorum proximo coenobio ſepultus. Foxium et Fabrum optimos viros et Gallici nominis ſtudioſiſſimos, eodem menſe, quanquam longe diſſitis locis, amiſiſſe, cum reipublicae noſtrae luctuoſum fuit, tum mihi inprimis, qui eorum amicitia ſemper familiariſſime uſus ſum, et quibus, ſecundum parentes, plurimum debebam: nam me ambo praecipuo amore, ac tanquam filium, proſecuti ſunt; et quicquid doctrina ac rerum uſu valeo, ſi quid valeo, id utrique libentiſſime acceptum fero; idque pro non ingrati animi monumento apud poſteritatem teſtatum volo. Vido morienti, cum me ſaepius requiſiviſſet, quominus aſſidere potuerim, graviſſima tertiana, qua tunc vexabar, prohibitus fui; qua et effectum, ut chartae ejus, quas fidei meae committere decreverat, huc et illuc disjectae, magno rei literariae damno, perierint. Apud nos et pridie Eidus Septembreis optime meritam de re Chriſtiana ac literaria animam Deo reddidit [e] Durocortori Remorum Gentianus [f] Hervetus, [g] Oliveti pago juxta [h] Aurelianum natus, anno ſalutis CIↃ CCCC XCIX; qui a puero optimis artibus et utriuſque linguae cognitione inſtructus, primum tirocinium fecit in erudiendo Claudio [i] Albaſpineo; qui poſtea unus e quatuorviris ab epiſtolis ſecretis Franciſco I, Henrico II, Franciſco II, et Carolo IX, fuit. Inde Lutetiam profectus Edvardo [k] Lupſeto Anglo, in excudendo Galeno a Thoma [l] Linacro Latine verſo deſudanti, operam addixit; eumque in Angliam redeuntem ſecutus, Arturo [m] Polo inſtituendo a [n] Sariſburienſi matre appoſitus eſt; et poſtea a Reginaldo Polo cardinali, communis matris permiſſu, in Italiam evocatus eſt, ut Graecis auctoribus in Latinam linguam vertendis operam daret: ubi ille in tanti viri familia, quae virtutum et omnis civilis cultus veluti officina erat, diu fuit, Polo ipſi chariſſimus, et ſummorum in Italia virorum amicitiam ob raram eruditionem et morum ſuavitatem promeritus. Deinde in patriam rediit, et in Burdigalenſi gymnaſio, tota tunc Gallia celeberrimo, publice praelegendo induſtriam exercuit: rurſuſque in Italiam profectus, a Polo munificentiſſimo patrono, in clientelam Marcello [o] Cervino, qui poſtea ſummus pontifex fuit, id enixe poſtulanti, datus eſt; ubi et multa, illius ſive hortatu ſeu juſſu, e patribus Graecis in Latinum tranſtulit, Marcellum ipſum ad concilium ſecutus; in quo etiam pleraſque orationes habuit, et inter eas eruditiſſimam ac commendatiſſimam pro honeſtate matrimoniorum, quae ſanctionibus contra clandeſtina conjugia poſtea factis occaſionem praebuiſſe creditur. Sacris dein initiatus, Joannis [p] Hangeſti Noviodunenſis epiſcopi primum, dein Joannis [q] Morvillerii Aurelianenſis item epiſcopi vicarius, ſacris

ad

INTERPR. [a] *Muret.* [b] *Du Faur, Sieur de Pibrac.* [c] *Du Ferrier.* [d] *de Caſenove.* [e] *Reims.* [f] *Hervet.* [g] *Olivet.* [h] *Orleans.* [i] *de l'Aubeſpine.* [k] *Lupſet.* [l] *Linakre.* [m] *Pole.* [n] *la comteſſe de Saliſbury.* [o] *Cervino.* [p] *d'Hangeſt, evêque de Noyon.* [q] *de Morvilliers, evêque d'Orleans.*

ad populum concionibus vacavit; et Carolum cardinalem Lotaringum ad concilium Tridentinum proficiſcentem poſtremo ſecutus eſt; ab eoque in ſacri collegii Remenſis ſodalitium cooptatus, quod reliquum fuit, in ſtudiis aſſiduus exegit. Hujus vita longa, et nunquam otioſa, meruit ut ei longiore elogio parentarem. Extremo demum anno, duo magna collegii cardinalium lumina extincta ſunt. Carolus Borromaeus, Gilberti [a] Aronae comitis et Margaritae Mediceneae Pii IV ſororis filius, admodum juvenis, cum avunculi fortuna crevit; et in collegium cardinalium cooptatus, ac ampliſſimis ſacerdotiis auctus, cum ſummae rerum in altiſſimo orbis theatro praeeſſet, praematura Friderici fratris morte conditionis ſuae mature admonitus, ſacris iſtis divitiis quamprimum raro modeſtiae exemplo renunciavit, et ad eccleſiam [b] Mediolanenſem, cui praefectus fuerat, ſuperſtite et multum reclamante avunculo, ſe contulit; et optimi paſtoris officio defungens, ab eo tempore verbo Dominico et vitae ſanctimonia oveis ſuas, inſigni exemplo, pavit; in munere ſuo aſſiduus, contemptu rerum humanarum, divinarum deſiderio, humilitate, continua corporis caſtigatione, charitate in omneis, indeſinentibus per preces cum Deo colloquiis, ſupra humanae infirmitatis modum poſitus; nonnunquam nimia vitae auſteritate in increpationibus acerbior, ut cum a [c] Farinata percuſſore petitus eſt, ſicuti ſuo loco diximus; quae et ei ſupremum vitae diem acceleraſſe creditur: nam XLVI anno aetatis deceſſit, III Non. Nov. Mediolani humili ſepulchro, quod ſibi paraverat, conditus. Mortuum laudavit elegantiſſima oratione Franciſcus [d] Panigarola Aſtenſis epiſcopus. Vitam ejus deſcripſere ſingularibus libris Auguſtinus [e] Valerius cardinalis, epiſcopus Veronenſis, ſummus Borromaei virtutum imitator; Carolus a Baſilica Petri; et Carolus [f] Biſcapus. Annum clauſit mors Joannis Franciſci [g] Commendoni Venetiis nati; qui in diſpari vitae ratione, quippe ſummis negotiis et maxime inſignibus legationibus, paſſim a nobis commemoratis, et feliciſſime obitis, exercitatus, ſummam prudentiae et acuti ingenii ſolertiae laudem meruit; ut quantum Borromaeus raris pietatis noſtro aevo inauditae exemplis, tantum ille civilis ſapientiae gloria, ampliſſimum cardinalium collegium illuſtraſſe credatur. Tandem, tot pro republica Chriſtiana laboribus defunctus, [h] Patavium haud longe a loco natali conceſſit; et VII Kal. Jan. pervigiliae malo diu vexatus, ad Deum migravit, cum aetatis annum LXI exegiſſet. Paulo ante vitam cum morte commutavit Franciſcus [i] Turrianus, XI Kal. Dec. vico [k] Errera in dioeceſi Valentina Hiſpaniae natus; vir in theologica antiquitate et linguae Graecae et Hebraeae peritia clarus; cujus quo plura eruditi ingenii monumenta exſtant, eo pauciora mihi de ipſo dicenda ſunt. Poſt multa tum a ſe, tum ex antiquis patribus Graecis edita, jam ſenior, Jeſuitico ſodalitio nomen dedit; et in Germaniam profectus, Ingolſtadii multa etiam commentatus eſt, ac contra Antonium [l] Sadaëlem praecipue ſtylum exercuit: denique Romam revocatus, in ſchola Jeſuitica paulo minor octogenario defecit. His annumerabo par hominum, qui rem literariam ſummopere juverunt. Prior occurrit Huldricus Fuggerus, [m] Auguſta Vindelicorum natus, et gente inter Germanos clara notus, Pauli III olim cubicularius, et poſtea Proteſtantium doctrinam amplexus; qui veterum ſcriptis liberali ſumptu comparandis et evulgandis intentus, eaque in re Henrici [n] Scrimgeri et doctiſſimi typographi Henrici Stephani induſtria uſus, cum rem domeſticam negligere a gentilibus argueretur, patrimonii aviti ampliſſimi adminiſtratione dejectus eſt; unde moerore contracto in melancholiae morbum incidit, quo fere tota vita conflictatus eſt. Apud Fridericum III Palatinum ſeptemvirum Heidelbergae receptum ſibi delegerat,

cui

INTERPR. [a] *Arona.* [b] *Milan.* [c] *Farinata.* [d] *Panigarole, evêque d'Aſte.* [e] *Valerio, cardinal de Verone.* [f] *Carlo Baſcape, evêque de Novare.* [g] *Commendone.* [h] *Padoue.* [i] *Torriano.* [k] *de Errera au dioceſe de Valence en Eſpagne.* [l] *Sadeel.* [m] *Augſpurg.* [n] *Scrimger.*

CIϽ IϽ LXXXIV. HENRICUS III.

cui et bibliothecam, fidam exilii ſui comitem, moriens legavit, XVIII Kal. Quintil. anno aetatis LVIII. Hunc praeceſſit uno die, cum LIII annos exegiſſet, Joannes Sambucus, [a] Tirnavia in Pannonia natus, et Viennae placide mortuus; profeſſione medicus; cujus ea fuit in veteribus libris colligendis diligentia, liberalitas in publicandis, ut principibus viris, qui hac re laudem conſecuti ſunt, quamvis in diſpari fortuna, aequari debeat: quod Nonnus Dionyſiacorum ſcriptor, Ariſtaenetus, Eunapius, Heſychius Illuſtrius, alii, ejus beneficio editi, abunde teſtantur; alioqui aliena quam ſua induſtria clarior. Eodem menſe Janus Gulielmius, adoleſcens cultiſſimi ingenii, Lubeca natus, [b] Avarici Biturigum, quo ad magnum Cujacium audiendum profectus fuerat, contracto ex nimiis caloribus morbo, vix ſalutata urbe deceſſit, cum nondum XXX vitae annum attigiſſet; eo magis deploranda morte, quod multa, et inter ea novam Ciceronis operum, ad manuſcripta exemplaria diligentiſſime collatorum, et amplius ſexcentis clauſulis ſuppletorum, editionem paratam haberet: quam et ego Lutetiae, dum is ad me familiariter ventitaret, vidi; hactenus, magna rei literariae jactura, aut diſperditam aut ſuppreſſam. [α] Ultimus dicetur [1] Abrahamus [c] Bucholtzerus, Schonoviae in Batavis natus, opere chronologico magnam gloriam adeptus; qui Franſtadiae in Quadis deceſſit XVIII Kal. Quintil. vix annum LIV egreſſus.

VAR. LECT. [α] *Cetera, uſque ad libri finem, deſunt D.* f. d.

INTERPR. [a] *Dyrne en Hongrie.* [b] *Bourges.* [c] *Bucholtzer.*

NOT. [1] Abrahamus Bucholtzerus non Schonoviae in Batavis, ſed in pago Saxoniae Schonau, anno 1529, pridie S. Michaelis, ſive XXVIII Sept. natus; nec Franſtadiae, ſed Freiſtadii Sileſiorum, anno 1584, die XIV Junii, defunctus eſt. *Titius in Recenſione Thuani voluminum.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTOGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

BELLI inteſtini apud nos luctuoſiſſimi initium et cauſae. II. Novi quaſi operis praefatio, et auctoris excuſatio. III. Guiſii, a Navarro ſe deceptum querentis, aſtus in Caroli Borbonii cardinalis promerenda gratia, ut eum Navarro opponeret. IV. Juris Caroli patrui contra Navarrum defenſio, et contraria pro Navarro contra Carolum conſultatio. V. Guiſii conſilia, artes, et ingenium. VI. Ludovici Aureliani Catholicus Anglus exul. Picturae perſecutionum Anglicarum paſſim per plateas propoſitae. Praecipitatum Philippi cum Guiſianis foedus occultum. Ratio et conſilium regis in promovenda citra belli neceſſitatem cauſa religionis. VII. Foederis Jonvillae initi leges. VIII. Legatos Belgicos cum rex, ut eos audiret, Silvanecto Lutetiam venire juſſiſſet, Bernardinus Mendoza Philippicus orator intercedit: regis ambiguum reſponſum. Ab eodem Mendoza ſolicitatus Guiſius arma capit. IX. Edictum contra clandeſtinas coitiones et molitiones. Delectus mandato regis apud Helvetios et in Germania habentur. X. Carolus Lotaringiae dux, trium civitatum imperialium poſſidendarum ſpe a Guiſio gentili impletus, huic bello dat nomen. Ludeus Virodunum regis nomine tuetur: ſed cum a conjuratis cauſam religionis agi inclamantibus plebs arma ſumpſiſſet, Guiſio ſuperveniente, urbs capitur. Tullum eodem aſtu a furente plebe captum. Diviodurum Mediomatricum ab Eſpernonio ope Tagentii ſervatum. Guiſius, ſpe Divioduri potiundi fruſtratus, cum XII bellatorum CIↃ in Campaniam deſcendit. XI. Scriptum Peronae a cardinali Borbonio et foederatis publicatum. Ad illud molli et languida declaratione regis nomine reſponſum. XII. Alia contra Guiſianos acriora ſcripta tunc evulgata. XIII. Huberti Gardae Vincii ductu in Provincia pro foederatis arma ſumpta. Buquerius Maſſiliam commotam pacat, Engoliſmenſi praeſide Aquis Sextiis ſtatim evocato. Conjuratorum duces ſtatim ſecuri percuſſi, et urbs veniam a ſenatu et rege petere juſſa. XIV. Nivernius, qui Avenionem venerat, Romam ire perrexit; nec multo poſt a foedere omnino diſceſſit. XV. Guiſius Perona Borbonium cardinalem Catalaunum magno comitatu adducit. Eſpernaeum in proximo ad Matronam regina parens a rege venit; in eoque colloquium cum Borbonio et Guiſio inſtitutum. XVI. Franc. Noallii epiſcopi Aquenſis ad regem liberum de bello in Belgium transferendo in arcano conſilium. XVII. Contrariae ab aulicis allatae rationes: quibus rex perſuaſus, legatis Belgicis ad ſe advocatis, a patrocinio ſuſcipiendo ſe excuſavit. XVIII. Henricus Stanleius Derbiae comes ab Eliſabetha miſſus, periſcelidis inſigni publica ceremonia regem donavit. XIX. Miſſi qui foederatorum jam diſcurrenteis paſſim copias reprimerent, Monpenſerius in Pictones, Jouſa in Turones et Cenomanos, Eſpernonius Genabum. Arx Lugduni intercepta et diruta. Jac. Gobio Matignonus equitum tribunus contrario aſtu arcem Burdigalae in poteſtatem redigit. In Pictonibus Maranum a Renato Roano captum et firmatum. XX. Navarrus, ſcripto Bergeraci publicato, contra

foederatorum contumelioſa convicia ſe purgat. XXI. *Foederati libello a rege petunt, ut religio majorum inſtauretur, omni alia interdicta; Genevae patrocinium deſeratur. Poſt longas altercationes de ponendis armis edictum conditur contra Proteſtanteis. Occultis pactis urbes ſecuritatis ergo foederatis attributae. Literae Navarri de edicto expoſtulatoriae. Edictum, rege in lectiſternio ſedente, promulgatum* XV *Kal. Sextil. Solicitatae per regnum a foederatis urbes et praefecti.* XXII. *Henricus Momorantius Septimaniae praeſes fruſtra tentatus, cum Navarro conſilia et vireis jungit, icto cum Navarro ipſo Condaeoque foedere: et inde* IV *Eid. Sextil. publicant commune ſcriptum, quo Guiſianorum ambitionem, conatus, et molitiones, exagitabant. Cuncta ad bellum toto regno parantur.* XXIII. *Rex Lutetiae ordines convocat, et pecuniam in belli ſuſcepti ſumptus poſcit. Miſſa perhonorifica ad Navarrum legatio, nullo exitu.* XXIV. *Romae proſcriptio Navarri et Condaei, cunctante pontifice, urgetur.* XXV. *Japoniorum regum legati Romae magna pompa comparent, et literas a regibus ſuis ad pontificem adferunt.* XXVI. *Gregorii* XIII *mors, ingenium, mores, munificentia. Pontii Pontiani illuſtriſſimi juvenis indigna Romae caedes. Nicolai Pontani Venetiarum principis mors; elogium. Jacobi Sabaudi Nemoroſii deceſſus, et monita ad Carolum filium.*

Ex auctoribus,

Literis et actis publicis, Foederis arcani autographo manuſcripto, Scriptis publicatis, Emm. Meterano, Jo. Parvo, Archivis curiae Pariſienſis, Matthaeo Zampino, Franciſco Hotomano, Baldo Peruſino, Lud. Gonzagae Nivernii relationibus, Antonio Cicarella, Actis legationis, Itinerario Japoniorum legatorum Hiſpanice ſcripto.

LIBER OCTOGESIMUS PRIMUS.

CIↃ IↃLXXXV.
HENRICUS III.

ANNUS hic, qui a recuperata ſalute octogeſimus quintus ſupra quingenteſimum ac milleſimum numeratur, novo bello, ex praecedentibus bellis civilibus, quae rex edicto ſolemni ſopita credebat, propagato, atque a foederatis, ex ſecreta conjuratione poſt Joannis Auſtrii mortem clam devinctis, ad avertendam a Belgio tempeſtatem in tempore praecipitato, principium dedit: quod, florentiſſimo regno fatale, ipſi regi exitioſum, victos et victores paene eadem ruina involvit; ac tandem, cum minus putabatur, inſperato Dei beneficio, praeſtantique feliciſſimi principis, qui nunc in Francia regnat, virtute, confectum eſt atque compoſitum.

II. HEIC mihi liceat, quaſi in principio novi operis, praefari, quod ab initio profeſſus ſum, res me, ut ſunt, ſincera fide, procul ab odio et adulatione, perſcripturum: quod ſi judicio bonorum in ſuperioribus aſſecutus ſum, quin in iis quae deinceps ſcribentur aſſequi poſſim, minime deſpero; cum, amoto diſſimulationis velo, et erumpentibus, quae longo tempore celatae fuerant, conſpirationibus, ac renudatis per publicum furorem procerum voluntatibus, res aperte geri coepit, et capita factionis non negare, ut antea, factum, ſed legitima praeſcriptione tueri palam auſi ſunt; accedente praeſertim pontificum Romanorum auctoritate, quorum vota ac conatus belli exitus ad extremum fruſtratus eſt. Venia rurſus et mihi petenda, ſi, ut inter arma civilia, crebro conſpirationes, inſidiae, proditiones, caedes, ac direptiones, occurrent, jucunda minus legentibus materia; cujus acerbitatem mitigabit interdum narratio rerum a fortiſſimo principe toto hoc tempore geſtarum,

geſtarum, cujus virtutes pro temperamento vitiorum, quorum eſt feraciſſimum hoc ſaeculum, ſapientiſſimus Deus miſcuit.

III. HENRICUS Lotaringus Guiſae dux, factionis Proteſtantibus adverſae apud nos caput, paternae virtutis et gratiae heres, nec non [α] turbulentorum Caroli cardinalis patrui conſiliorum particeps, praeterea virtute propria, meritiſque, ac ingenio ad turbas nato fretus, cum materiam novis motibus circumſpiceret, vigentibus adhuc in regno factionibus, partim impellebatur, partim alios impellebat; et cum, ante octo annos, [a] Peronae ejus inſtigatu domeſticum foedus pro religione, a Jacobo [b] Humerio, nobilitatis illius provinciae facile principe, initum, ea qua dixi ratione a rege diſſipatum fuiſſet, tamen ejus pernicioſum exemplum et reliquiarum ſemina in animis populorum remanebant, ut, ſi quis ea colligeret, materiam novi motus ad manum haberet. Sed experimento tunc didicerat, magna ſe ob renovata toties bella apud multos invidia flagrare, opuſque eſſe duce aliquo ex regia familia, quem populis oſtentaret, cujuſque objectu privatam ambitionem, quae ab adverſariis ubique exagitabatur, tegeret: quo ex conſilio et illud commodum ſperabat, ut regii ſanguinis familia, quae conjuncta adverſus contrariam factionem valida erat, divideretur, et ſinguli diviſi ſe viribus ipſi ſuis conficerent: eandemque rationem, ſuperſtite Franciſco regis fratre, olim inſtiterat. Nam ſtatim, poſt Caroli regis mortem, cum adhuc Navarrus in aula eſſet, eum, ſi quid regi Henrico humanitus contigiſſet, adverſus regis fratrem concitare voluerat; ſummaque in ſpeciem cum Navarro amicitia vivebat, adeo ut aſſidue ſimul eſſe, una cibum ſumere plerumque conſpicerentur, ac ſaepe etiam eodem lecto uterentur. Nec abnuebat omnino Navarrus, qui interim per illam familiaritatem Guiſii ſibi ſuſpecti arcana rimari gaudebat; neque tamen conſiliis aſſentiebatur. Tandem, cum ex aula aufugiſſet, et, Proteſtantium doctrinae publice profeſſione facta, eorum patrocinium ſuſcepiſſet, priſtina illa amicitia diſſoluta, Guiſius, qui omnia ingenia ſe tractare et circumagere poſſe gloriabatur, ab ingenio Navarri ſe deceptum eſſe non citra indignationem fatebatur. Inde graviſſimae inter eos ortae ſimultates; quae tamen, quamdiu Franciſcus regis frater ſuperfuit, diſſimulatione aliqua tranſactae, poſt mortem ejus in capitaleis inimicitias cum regni pernicie eruperunt; Guiſio inter ſuos dictitante, Navarrum ſuam amicitiam et operam ultro delatam injurioſe ſpreviſſe, eoque facto, cum ſe amicum habere nolle oſtendiſſet, neceſſitatem ex gratiae deſperatione ſibi impoſuiſſe, ut ipſum inimicum habere cogeretur. Itaque, cum, Franciſco ſublato, Navarrus eo loco eſſet quo [c] Andinus, cum adverſus eum a Guiſio concitabatur, alius quaerendus Guiſio fuit, quem Navarro proximo regni heredi opponeret. In eumque uſum pridem Carolum Borbonium cardinalem, Navarri patruum, jam ſenem, ſepoſuerat: ex quo, poſt Ludovici [d] Minterni Caſtricii antiſtitis mortem, qui hoc ſtudioſe, dum vixit, vitaverat, per Andream [e] Rubenpratum, fatalis regno amicitiae pararium, in domum ejus ſe inſinuaverat, ſicuti ſuo loco diximus.

IV. [β] CAROLUS, qui in aula atque in reginae parentis comitatu totam vitam triverat, homo levi ingenio et curioſo, facile ſibi a [γ] Guiſio ingenio et ſolertia praepotenti perſuaderi paſſus fuerat, regnum, quod veluti belli excitandi praemium proponebatur, excluſo Navarro ſibi deberi: idque Matthaeus [f] Zampinus Recanatenſis de

VAR. LECT. [α] turbulentorum *deeſt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeritur*, *e* MSS. Samm. et Reg. *excerptum*.

[β] Carolus, qui inter monachorum greges educatus, de cetero in aula, aleae luſu, foedis ac obſcuris voluptatibus, et in reginae parentis *MSS. Samm. et Reg. Put. et Rig.*

[γ] a Guiſio vafritie et adulationibus praepotenti *MSS. Samm. et Reg. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Perone.* [b] *d'Humieres.* [c] *le duc d'Anjou.* [d] *de Minterne, abbé de Chaſtrice.* [e] *de Rubenpré.* [f] *Zampini de Recanati.*

de trivio jureconſultus, a foederatis pecunia ſubornatus, edita conſultatione, probare conatus fuerat: quam Fr. Hotomanus, magni nominis noſtra aetate jureconſultus, contraria conſultatione itidem edita confutavit, et argumentis ac exemplis ſententiam ſuam abunde confirmavit: et vero, niſi religio prohibuiſſet, minime de Navarri jure dubitabatur. Et quantum ad Borbonium patruum, praeter juris rationes, aliae ex facto oriebantur, quae eum ab actione ſtatim in limine ſummovebant: nam conſtabat eum, tanquam Navarri tutorem ſeu curatorem, pactis dotalibus inter pupillum ſuum et Margaritam regis ſororem conventis, quibus Navarrus ſecundum regis fratres princeps regiae familiae declarabatur, non ſolum interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe, ſed etiam in nuptiarum celebratione ſacerdotis officio defunctum eſſe. Itaque alii, qui in his diſputationibus immorari nolebant, ut uno verbo controverſiam dirimerent, ſic cenſebant, Navarrum, non ſolum ob cauſam religionis, quae eum ab regni ſucceſſione ut indignum arcebat, ab ea omnino excludi debere, ſed etiam juris ratione, quae ſive agnationem ſive cognationem ultra decimum gradum non agnoſcit. Sed contra rurſus replicabatur, in regnorum ſucceſſionibus non idem quod in privatorum hereditatibus juris eſſe: et Baldum Peruſinum, Bartolo contemporaneum, ſua aetate juris ſcientia inſignem, ante cc annos, in quaeſtione quae praematuro ordine nunc agitatur, praeſaga mente id decidiſſe, cum ad ſucceſſionem regni Franciae Borbonios, qui tunc non ita remoti neque tempore neque gradu erant, etiamſi ad milleſimum gradum ſucceſſio extenderetur, ſemper admiſſum iri pronunciaſſet.

V. GUISIUS autem harum turbarum [α] auctor, cum pluribus adminiculis opus haberet, eoſque, quibuſcum ſibi agendum erat, diverſis et inter ſe pugnantibus conſiliis niti animadverteret, ſic comparaverat inter ſe, ut ſeorſim cum ſingulis conſilia ſua ita partiretur, ut nemo unus omnium ſimul notitiam haberet. Cardinali Borbonio ſpem regni certam fecerat, excluſo Navarro; jamque de nuptiis cum Catharina ſorore, Monpenſerii ducis vidua, acris et turbidi ingenii foemina, petita a pontifice venia, contrahendis, ſermones paſſim jactabantur; reginae vero, ut placatam eam haberet, perſuaſerat, quod in gratiam Caroli faceret, id facere ut Navarrum excluderet; quo excluſo, et deliro ſene haud multum ſuperfuturo, fore, ut per ipſum injectis ſuſpicionibus ceteri ejuſdem familiae principes per ſeſe debiles opprimerentur, et ita ſucceſſionis jus ad Lotaringiae ducis filios, reginae nepotes, ſuos gentileis, transferretur: ad eamque rem operam ſuam pollicebatur. Denique cum Philippi miniſtris aliam rationem inſiſtebat; quibus et facile perſuadebat, quod in Caroli et reginae gratiam facere ſe fingeret, id neutiquam cum ſpe ſucceſſus facere; quippe, regno in ſenem effoetum tranſlato, in parietem caducum res inclinare: neque ſic amentem eſſe, ut credat, oppreſſis ceteris regiae ſtirpis principibus, quod reginae perſuaſum ſit, regnum ad gentileis ſuos transferri poſſe, quippe infirmiores: neque vero, ſi poſſit, velit: nam remotiorem quam genu tibiam eſſe; et pluris ſe ſuamque Lotaringicae inſititiam in Gallia familiam, quam ipſius gentis matricem fieri: verum, cum alterius ad oſtentationem, alterius ad reginam fallendam, nomine opus habeat, utriuſque ſibi opem implorandam fuiſſe: ceterum ſic judicare, tantae ſucceſſionis ordinem everti non poſſe, niſi tranſlato in potentiorem imperio, qui et illud retinere ac conſervare queat, et a cujus gratia tantae operae pretium aliquod certum ſperare poſſit. Ne cum fratribus quidem propriis plane conſilia communicabat: nam Carolus [a] Meduanae dux, vir gravis et charitatibus addictus, moderatam fortunarum amplificationem cum regni ſalute conjunctam,
quam

VAR. LECT. [α] auctor, homo vaſto et ad fraudes concinnandas felici ingenio, cum pluribus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Mayenne.*

quam regna et incertos principatus cum certo periculo, malebat. Ludovicus autem cardinalis, homo feroci natura, et qui vaſta conſilia omnia facile amplectebatur, tamen, quod ^α^ vagis libidinibus in illo aetatis juvenilis aeſtu in aula indulgeret, ſcrupulum Guiſio injecerat, ne per mulieres ſecreta ex ea cauſa emanarent: proinde neutrum arcani conſcium faciebat: tantum dignitatem et periculum familiae ingerebat, quibus ſtimulis homines generoſi ſatis incitabantur. Quod ad Carolum [a] Aumaliae et Carolum [b] Ellebovii duces patrueleis, praeterquam quod eorum ingenia contemnebat, eos fortunam ſuam ſecuturos, vel conjunctionis neceſſitate, minime dubitabat. Superabat Philippus Emmanuel [c] Mercurii dux, regis uxoris frater, et Armoricae praeſes; quam praefecturam, grandi pecunia a [d] Monpenſerio ejuſque nepote [e] Dumbarum principe exemplo peſſimo redemptam, ab indulgentiſſimo rege ſororio acceperat; homo tecto et pertinaci ingenio, qui ſeorſim a Guiſio conſilia ſua habebat, et, ob jura in principatu illo uxori e [f] Pentevriae comitibus ortae competentia, fidem regi minime ſervaturus credebatur. Sic vero cum ordinibus regni agebat Guiſius, ut ſemper religionis cauſam palam obtenderet, quam in periculo verſari, et a rege male conſulto negligi, in occulto cauſabatur: habebat praeterea per urbes et oppida emiſſarios, homines lapſos facultatibus, aut criminum poſtulatos; qui ruinas ſuas ſarciri, aut admiſſorum veniam impetrari poſſe, niſi bello domi excitato, deſperabant: praecipue Lutetiae coitiones crebrae fiebant; principiumque ab illa ſeditionis fieri peroptabat, quod principis urbis exemplum ſecuturas alias perſuaſum haberet.

VI. Ad hoc conductos Hiſpanienſi pecunia concionatores habebat, homines venali lingua, qui, omiſſa verbi Dominici explicatione, ad ſeditiones excitandas plebis inſanae aures vanis terroribus implebant; et, regis ſecuritate ac ſocordia oblique interdum ſugillata, interdum aperte lacerato ejus nomine, principes verae religionis defenſores miris laudibus extollebant, eiſque gratiam impudentibus commentis apud populum conciliabant. Dum hi voce agunt, non deerant ſcripturientes, qui, ſeu mercede eadem conducti, ſeu ſerpentis rebellionis contagio infecti, compoſitis libellis et licenter publicatis, ſtudia partium acuebant. Inter eos eminebat Ludovicus [g] Aurelianus, plauſibili facundia et ſcribendi facultate, in curia patronus; qui grandem ac verboſam declamationem per ea tempora edidit, [h] Catholici Angli exulis nomine, qui, pro perfugio apud Gallos reperto gratiam rependens, eos monet, ut a fermento Sectariorum et tyrannide ſibi caveant; alioqui eadem tormenta, cruciatus, ſupplicia, poenas, exilia, illos manere, quibus hodie Catholici in Anglia vexantur. Inde occaſione ſumpta, quaſi ex compoſito, concionatores, Lutetiae, et paſſim toto regno, de Anglicanis perſecutionibus ad raucedinem ex ambone debacchantur; et par periculum a Sectariis impendere minacibus verbis demonſtrant. Eam declamationem, quod per hominum manus haud citra periculum volitaret, et non parvum momentum ad ciendos animos haberet, contrariis ſcriptis plerique confutarunt; et in iis, ſuppreſſo tamen nomine, Dionyſius [i] Butillerius, vir bonus, et conſultiſſimus patronus. Nec contenti voce et ſcriptis agere Guiſiani emiſſarii, etiam aliud ad commovendam plebem efficacius, ut rebantur, commentum repererunt; et, ut Anglicanarum perſecutionum ſpeciem ad majorem terrorem oculis quaſi praeſentem ſubjicerent, tabulas aeneas coelari curant, in quibus cuncta, quae de his traduntur, ad horrorem depicta viſebantur: inde expreſſa folia

VAR. LECT. [α] vagis *deeſt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeritur, e* MSS. Reg. et Samm. *excerptum.*

INTERPR. [a] *d'Aumale.* [b] *d'Elbœuf.* [c] *de Mercœur, gouverneur de Bretagne.* [d] *le duc de Monpenſier.* [e] *le prince de Dombes.* [f] *Penthievre.* [g] *d'Orleans.* [h] *le Catholique Anglois.* [i] *Bouthillier.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

folia publice ad ſpectaculum propoſita; dumque ſimplices homines in iis ſpectandis ſtuperent, aderant homines ad id conducti, qui virgula ſingulas res indicarent; ac poſtremo in aurem primum, dein etiam palam adderent, ita Gallis eventurum, ſi quidem Navarrus ad regnum admitteretur. Quod cum ad ſeditionem apertam ſpectaret, rex poſt longam patientiam per [a] praetorem Pariſienſem picturas illas amoveri jubet; et, miſſo Claudio [b] Dorrono ſupplicum libellorum magiſtro, qui illi inter domeſticos erat, ut tabulas aeneas, unde folia exprimebantur, indagaret ac ſupprimeret, eae tandem in Guiſianis aedibus per Guiſii abſentiam repertae ſunt, et ad regem perlatae. Eaedem figurae poſtea, ut per oculos magis in animos penetrarent, majore forma et coloribus vivis diſtinctae, populo in grandi tabula lignea propoſitae ſunt; quas diu poſtea in porticu coemeterii S. Severini, jam vileſcente regia majeſtate, proſtare vidi; vixque tandem oratoris Anglicani crebris expoſtulationibus victus rex, ut amoverentur, a ſeditioſis templi aedituis, impetravit. Hae artes Guiſii et emiſſariorum ejus erant; quibus ubique populi praeoccupati ad futuros motus accendebantur. His autem initium hoc anno factum eſt, ex occaſione obſidionis Antuerpianae, ut creditur, a Philippi miniſtris praecipitatum: quanquam et alia cauſa, a vero non abludens, ferebatur. Rex, a Proteſtantium cauſa maxime omnium alienus, contra quam a Guiſianis vulgo jactabatur, eos citra vim apertam labefactare, et viribus toto regno evertere, prudentiſſime cum animo ſuo ſtatuerat: quod ea ratione ſe aſſecuturum videbat, ſi, conſtituta per pacem auctoritate, homines licentiae armorum aſſuetos ad legum obſequium flecteret, et paulatim in ordinem cogeret. Id ut faceret, ſedulo cavebat, ne dignitatum, praefecturarum, magiſtratuum, aut alterius beneficii, quae omnia a regis mera voluntate et liberalitate apud nos pendent, ulli quam majorum religioni addicto gratiam faceret; et, ſi qui ab ea alieni ulla poſſiderent, eis abrogaret, aut petentibus non largiretur. Cavebat item, ut procerum filios juvenes, quos parentes Proteſtantium doctrinae addicti domi ſeneſcentes in aulam mittere ad tuendum familiae decus conſueverant, in intimam gratiam, ut pleroſque alios, non reciperet: quod cum illi ob religionem fieri in arcano ex Jouſa et Eſpernonio (nam per eos ſolos ad regis gratiam aditus patebat) intelligerent, multi, ut in illa aetate, praevalente contra praeceptae religionis, in qua educati fuerant, ſenſum, apud eos principis gratia, ut eam adipiſcerentur, ad majorum ſacra redibant. In urbibus vero paſſim iis qui magiſtratum gerebant, ſi Proteſtantium doctrinae addicti eſſent, negotium moleſtis litibus faceſſebatur, quarum cognitionem rex ſibi ſumebat; et ſubornabantur homines, qui ob alias cauſas, aut quod multiplicatis per edicta fiſcalia magiſtratibus populus gravaretur, pecunia eos lui, aut in eorum locum, ut vitio creatorum, ſubſtitui petebant; qui ſemper, cadentibus cauſa Proteſtantibus, obtinebant.

VII. Guisius igitur, qui mentem regis perſpectam haberet, veritus ne, ſi ulterius conſilium tam ſalutare procederet, viteſcente ipſius apud populum gratia, et debilitata ac proſtrata citra armorum uſum Proteſtantium potentia, quae unica toties renovatis bellis cauſa obtendebatur, nullum operae ſuae pretium eſſet, occupare conſultum duxit; antequam plebs et ſacer ordo tantum ex regis pacata cum Proteſtantibus agendi ratione fructum ſentirent, eoque percepto, cum Guiſium ac ceteros ejuſdem familiae proceres minus ſibi neceſſarios in poſterum defenſores exiſtimarent, flagrantem adeo, qua eos huc uſque proſecuti fuerant, gratiam, ſenſim ex animo deponerent. Ea de cauſa pridie Kalendas Januarias in Jonvillae arce foedus ſecretum cum Hiſpanis renovaverat; quo Philippi nomine Jo. Baptiſta [c] Taxis, S. Jacobi eques, conſiliarius belli, et exercituum curator, Joannes [d] Moreus eques Rhodienſis,

INTERPR. [a] *le lieutenant civil.* [b] *Dorron.* [c] *de Taxis.* [d] *le commandeur Moreo.*

Rhodienſis, intervenere; Catholicorum principum Franciae nomine Franciſcus [a] Roncerollius Menevilla, Caroli Borbonii cardinalis primi regii ſanguinis principis ac legitimi regni heredis (hos enim titulos ſibi ſumebat) procurator; Guiſius ipſe, ac Carolus [b] Meduanae dux frater, tam ſuo quam Ludovici cardinalis fratris, Caroli [c] Aumalii et Caroli [d] Ellebovii patruelium, nomine. Pactis praefati, Religionem Catholicam apoſtolicam Romanam ſalvam velle, quam Sectarii vi, aſtu, clam palamque perditum eant, et pro qua ſupplices repetitis ſaepius apud regem precibus nequicquam intercesſerint; ad exſtirpandas tam in Belgio quam per Franciam haereſeis, ac diſturbandos conatus ejus, qui, ſi regem ſine liberis decedere contingat, jus in regno tanquam proximus heres ſibi vindicat, et, connivente rege male conſulto, aliiſque qui circa ipſum ſunt, plus de privatis commodis quam de Dei gloria ac publica ſalute ſolicitis, jam patrocinium Sectariae pravitatis per totum regnum ſuſcepit, in has conditiones conveniunt; Ut cardinalis Borbonius, tanquam proximus et legitimus regni heres, ſi regem ſine liberis maſculis legitimis contingat decedere, annitentibus principibus qui foederi ſubſcriberent, rex declaretur; excluſis ab ea ſucceſſione in poſterum cunctis principibus, qui nunc haeretici ſunt ac relapſi; ita ut nullus haereticus deinceps, et qui haereticos impune ac libere in regno toleret, ad ſucceſſionem admittatur: item, ſi rex ſine liberis decedat, ad arctius praeſentis foederis vinculum cardinalis Borbonius, quem illi regem ſtatim ſalutabunt, pacificationem Cameracenſem, anno CIƆ IƆ LIX inter reges conventam, ratam habeat, et denuo jurejurando firmet. Sola Catholica apoſtolica Romana religio in regno locum habeat, omni alia tanquam perverſa prohibita; cunctique a ſacris majorum alieni, nullo diſcrimine, ad internecionem deleantur. Ad tollendos eccleſiae abuſus, et inſtaurandam inter Catholicos in rebus ſacris tamdiu expetitam emendationem, Franciae principes decreta ac conſtitutiones concilii Tridentini in regno promulgandas ac ſervandas curent. Cardinalis Borbonius, tam ipſe, quam ſucceſſorum in regno nomine, foederi cum Turcis renunciet; neque ullis unquam, ut nec etiam Philippus, in rei Chriſtianae praejudicium ſubſcribat. Excurſiones per mare omnes, quae liberam Hiſpanis ad Indias navigationem impediunt, vetentur: in bellum contra Sectarios a Catholicis principibus ſuſcipiendum, quamdiu illud durabit, Philippus L aureorum CIƆ in ſingulos menſes ſuppeditet; et penſio ab eo die procedat, quo bellum incipiet. Curent principes, ut loca, quibus per haec bella Philippus a Sectariis ſive perduellibus ſpoliatus eſt, reſtituantur; ac nominatim [e] Cameraci urbs, cum arce et omni annona et apparatu bellico, qui in ea erat cum occupata eſt: et, ſi quidem Philippus ea armis recuperare aggrediatur, principes ei praeſto eſſe, eumque milite et annona juvare, teneantur; Gallicas copias obſeſſis auxilio venienteis impedire, atque omni ope eniti, ut in poſſeſſionem locorum a perduellibus ſeu Sectariis per Belgium occupatorum reſtituatur. Si Borbonius ante ea recepta ad regni ſucceſſionem veniat, protinus ubi regnum inierit, ea quae in poteſtate ſua erunt reddere teneatur: ſi principum ope ea recipiat Philippus, in ipſorum favorem, Catholicis civibus, criminis perduellionis, in quod incurrerunt, gratiam faciat; curetque ut idem a Cameracenſi archiepiſcopo fiat. Borbonius ejuſque ſucceſſor, ubi regnum adepti fuerint, ſumptus in bellum factos refundere; ſicuti et Philippus ſumptus a principibus, extra tempus quo ſtipendia a Philippo proceſſerint, factos, poſt rationem eorum diligenter initam, pariter exſolvere teneatur. Perpetuum et inviolatum foedus inter Philippum ejuſque heredes, et principes Catholicos eorumque conſimiliter heredes, pro regno

Galliae

INTERPR. [a] *Roncherolles de Meneville.* [b] *de Mayenne.* [c] *le duc d'Aumale.* [d] *le duc d'Elbœuf.* [e] *Cambray.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

Galliae et Belgio maneat; eoſque, ad religionis cauſam promovendam, et familiarum illuſtrium conſervationem, praeter menſtrua L aureorum CIↃ, milite et pecunia, quanta opus erit, juvare teneatur. Pactis comprehenſi intelligantur, praeter principes memoratos, coronae officiales, proceres ac regni nobiles, civitates, collegia, et univerſitates, et quicunque alii Catholici, quibuſcum illi foederati ſunt, aut deinceps erunt. Si quis externus princeps Catholicus in ſocietatem foederis venire cupiet, ex utriuſque partis conſenſu admittatur. Philippus et principes Catholici foederati, cum rege Chriſtianiſſimo aut alio quovis principe agere aut paciſci directe vel indirecte non poſſint; in foederis praejudicium nihil agant; et, ſi quid agi oporteat, non niſi ex communi conſenſu agatur. Foedus, ad vitandas turbas a Sectariis, ſi emanaverit, mox ſecuturas, celetur; neque evulgetur, niſi ex utriuſque partis conſenſu. Conventum poſtremo, ut Philippo Emmanueli Lotaringo [a] Mercurii, et Ludovico Gonzagae [b] Nivernii ducibus, erga religionis cauſam bene animatis, et abſentibus, locus in inſtrumento ad ſubſcribendum ſervetur. Inſtrumenti duo exempla confecta; quorum unum penes Philippum, qui illud, ut et Mercurianus et Nivernius abſentes, toto Martio proximo, ratum habere, et ratihabitionis documentum propria manu ſubſcriptum et ſigillo firmatum tradere, tenebuntur: alterum penes cardinalem Borbonium ceteroſque memoratos principes remaneat.

VIII. HAE belli tunc praecipitati cauſae, haec initia perhibentur. Nam dum rex ad audiendos Ordinum legatos, quos [c] Silvanecti ſubſiſtere primum, dein et Lutetiam venire, clam juſſerat, ſe parat, Bernardinus Mendoza, Philippi apud eum orator, acri oratione interceſſit; obteſtatuſque eſt regem, ne homines a Deo hominibuſque deſertos, conſcientia teſte convictos, ab ſacroſanctae inquiſitionis tribunali dudum in Hiſpania proſcriptos, ac proinde de principis ſui gratia deſperanteis, admitteret, aut conditiones ab iis offerendas, quarum poteſtatem nequaquam habebant, acciperet: neque vero putare ſe dicebat, Belgas quidquam a majeſtate ſua impetraturos; nam majorem prudentiam ſuam eſſe, quam ut poſtulata tam iniqua audire, et exiſtimationis ſuae decus ac conſcientiam contaminare velit: ſed, ſuo muneri ut ſatisfaceret, orare regem, apud ſe perpendat, exemplum hoc non ad Philippum tantum, ſed univerſos principes ac viros etiam nobiles pertinere; quorum praecipue interſit, ne hujuſmodi rebellionum monſtra perfugium uſpiam reperiant, et potius, ut aliis terrori ſint, inſigni ſeveritate puniantur: imo aegre et indigne ferre debuiſſe majeſtatem ſuam, quod homines divinae humanaeque majeſtatis rei per impunitatem eo uſque arrogantiae et impudentiae devenerint, ut ipſum tam potentem principem, tanquam ſibi aequalem, adire atque alloqui ſint auſi. Proinde jubeat ipſos, antequam in conſpectum ſuum veniant, regno faceſſere; potiuſque memoria repetat, quam ſincere Philippus, XX abhinc annis, bello inteſtino ardente regno, erga Franciam ſe geſſerit, occultis machinationibus aures clauſerit, reges Chriſtianiſſimos opibus ſuis juverit: quod non eo dicat, quod vereatur, ne quis horum rebellium, nedum ſua majeſtas, patrocinium ſuſcipiat: nam ſi quis reperiatur, qui, fidei ac decoris omni cura abjecta, id faciat, eum bello, quo ſe ad defenſionem potius quam offenſionem obligatum ſentiet, mox intricatum iri; tandemque periculo ſuo experturum, ſeram eſſe temeritatis poenitentiam; praeſertim adverſus tantum principem, tamque fortunatum, qui hactenus nullam injuriam ſibi intentatam factamve reliquerit inultam. Hominis ſuperbi verba minas ſpirantia, qualia a Guiſianis inſtructus proferre jubebatur, non tulit rex; brevique, ſed gravi ac regia majeſtate digno reſponſo, ſi facta dictis reſpondiſſent, oratorem excepit: Se Belgicorum ordinum legatos, non tanquam perduelleis, quod nolit, ſed

INTERPR. [a] *de Mercœur.* [b] *de Nevers.* [c] *Senlis.*

ſed tanquam de oppreſſione conquerenteis, audire decreviſſe: ſcire ſe Belgas, cum omnia ſumma feciſſent ut a principe ſuo in gratiam reciperentur, nunquam, malignitate quorundam qui bellum quam pacem in Belgio malint, auditos eſſe: proinde, cum tam vicini Galliae ſint, et multis neceſſitudinum vinculis cum regno hoc conjuncti, periculum eorum aut juſtas querelas negligere non poſſe: neque vero propterea quemquam tam iniquum eſſe debere, ut quod humanitatis contemplatione fit, id continuo ad animum quaſi injurioſe factum revocet: eam ſemper Gallici nominis peculiarem gloriam fuiſſe, ut injuriis potentiorum affectos, aut iniquo dominatu oppreſſos, benigne audiverint, et ope conſilioque juverint; ſemperque ſupplices ac miſeros exules tutiſſimum apud Gallos perfugium habuiſſe: hanc a majoribus per manus quaſi traditam gloriam nolle regnante ſe perire; quinimo cupere ut ipſe cunctique ſciant, Francogallorum reges nullis minis aut periculis terreri poſſe, quo minus in priſca benignitatis erga exules, hoſpites, et adflictos principes ac populos, laude, ad ultimum vitae ſpiritum conſtanter perſeverent. Cum hoc ambiguo reſponſo dimiſſus Mendoza, continuo ad Guiſium, qui tunc aula aberat, ſcribit, et quid reſponſi a rege tulerit ſignificat; inſtatque ut promiſſorum memor jam tandem fidem exſolvat, et priſcam ac veram religionem, cujus majores ejus tam ſtrenui propugnatores fuerint, in Belgio et Gallia periclitantem, fortiter defendendam ſuſcipiat: delectus in Helvetiis paratos, et pecuniam ad limitis Germanici copias, quas adeo expetiverit, deſtinatam, jam numeratam eſſe: obſidionis Antuerpianae ſucceſſum inde pendere, qui felix ſecum univerſum Belgium ad obſequium trahat; ſi ſecus accidat, religionem et res Philippi prorſus evertat: tandem ſua ac publica injuria excitetur; in aula ipſum a Jouſa et Eſpernonio jamdudum palam ac publice ſperni: id diſſimulatum huc uſque prudentiae tributum; ſi ulterius tendat, ignaviae aſſignatum iri. Currentem Guiſium haec incitarunt; qui vereretur, ſi rex ſerio ſe bello Belgico implicaret, ut nobilitas ac militares viri, quorum fidem ſolicitaverat, bello externo occupati, aegre ad domeſticas factiones revolverentur, et, aliis ducibus huic bello praepoſitis, ipſe privatus in otio domi torpeſcere cogeretur. Itaque mox ad Ludovicum [a] Fiferum legionis Helveticae praefectum, et tunc inter Quinquepagicos primarium ducem, quem pecunia jamdudum corruptum ad ſuas partes pertraxerat, ſcribit, ut militem promiſſum ſine mora adduceret: item ad Chriſtophorum [b] Baſſumpetram, Othonem [c] Plotum Saxonem, ut cum turmis equitum promiſſis ad limitem venirent. [d] Sanpaulus, haud ita claris natalibus, ceterum ultimis bellis ſtrenuus peditum ductor, homo ſupra ſortem elato animo, Gallicis copiis praeerat: nobilitatem ex Campania et vicina Burgundia undique ad novos motus, nondum certo conſilio, confluentem, ipſe, fraterque ejus Carolus Meduanae dux, et Ellebovius, ducendam ſuſceperunt. Cardinalis Borbonius [e] Gallionem ex compacto ſeceſſerat, arcem regia magnificentia exſtructam, haud longe a [f] Rotomago; unde accerſitus a delectis e nobilitate Picardica, qui priori foederi ante IX annos facto nomen dederant, Peronam magnis itineribus deducitur. Interea rex pridie Eidus Februarias legatos Ordinum admittit: ii cum ampliſſimis mandatis et plena poteſtate ſe miſſos a Belgii provinciis dicunt; ſupplicesque petunt, ut ſe in patrocinium ſuum tanquam ſubditos ac clientes recipere dignetur, quaecunque aequa et honeſta poſtulanti ſincera fide praeſtituros. Ad haec rex benigno vultu gratum ſibi ipſorum adventum dicit; agitque gratias, quod ſe prae omnibus deceſſoribus ſuis magnifica hac atque inſigni legatione decorare ac ornare in animum induxerint, quodque tam bene ac ſincere de ſua erga ipſos voluntate

ſentiant:

INTERPR. [a] *Phiffer colonel.* [b] *de Baſſompierre.* [c] *Plot.* [d] *de St Paul.* [e] *Gaillon.* [f] *Rouen.*

ſentiant: debere ſe multum provinciis ob honorem fratri defuncto delatum; nunc plura debere ob conditiones tam honorificas ſibi ultro oblatas: viciſſim maximi ſemper eas provincias feciſſe, ac eorum prudentiam in adminiſtratione publica et opulentiam maximis uſque laudibus praedicaſſe: nunc et illis, ob tam propenſum erga ſe obſequium, fauſta omnia precari; ac porro effecturum, ut ſibi cum juſto, aequo, benigno, ac clementi principe rem eſſe ſentiant: quod vero ut ipſis ſubveniat, et ſe tanquam ſubditos conditionibus aequis recipiat, petant, id majoris molis negotium exactam deliberationem requirere: proinde petere ut poſtulata ſua ſcripto comprehenſa tradantur, quo, re cum ſuis conſiliariis communicata, de ea mature ſtatuat decernatque. Cum rege regina parens erat, Philippus [a] Huraltus Cevernius cancellarius, [b] Pomponius Bellevreus, Petrus Brulartus, et Claudius Pinarius a ſecretis epiſtolis; alii delecti e conſiſtorio proceres. Regina, non ignara Guiſii conſiliorum, auditos ſeorſim legatos compoſito ad diſſimulationem vultu excepit, et bona ſpe eſſe juſſit. Ita ad tempus dimiſſi legati: quos ubi admiſſos intellexit Parmenſis, de obſidione ſuſcepta ſolicitus, cum in ea progreſſuum deinceps in Belgio faciendorum ſummam poneret, eo magis inſtabat, ſcriptis ad Mendozam literis, ut Guiſianos in Gallia ad arma ſine mora ſumenda incitaret: ſic enim judicabat, conata ſua exitu caritura, ſi e Gallia aut Anglia Ordinibus per ſe infirmis auxilia in tempore ſummitterentur.

IX. Itaque, dum bellum a Mendoza in Gallia urgetur, ipſe diverſa parte in Angliam Aſcanium [c] Suffarinium miſerat, cum mandatis, ut reginam precibus, promiſſis, minis, a ſuſcipiendo Ordinum patrocinio demoveret: verum is, quod pontifici ſubditus, et de caede Arauſionenſis ſuſpectus eſſet, minime admiſſus fuit. Jamque crebreſcentes nuncii de Guiſianorum molitionibus, et undique ex cunctis regni provinciis de delectibus, qui ſine regis mandato habebantur, ac nobilitatis coitionibus, ad regem afferebantur; qui languida et infirma tunc, et ſemper poſtea, adverſus potentem factionem remedia adhibuit. Itaque pro tempore, edicto IV Kal. April. propoſito, praefatus de quiete et populi levamento ſolicitum ſe eo anno CCL aureorum CIↃ populo remiſiſſe, delectus tam peditum quam equitum, qui ſine ipſius mandato fiunt, prohibet, et ut qui ejuſmodi delectus habent, lectum militem quamprimum dimittant, imperat; ni faciant, praefectis locorum, ut non parenteis comprehendant, et in jure ſiſtant, ac, ſi opus ſit, tintinnabuli pulſu convocata plebe ruſtica, in eos impetum faciant, mandat. Tum ad Henricum [d] Clauſſam Florianum, ſuum apud Helvetios oratorem, ſcribit, ut delectus haberet: Gaſpari item [e] Schombergio Nantolii comiti negotium dat, ut aliquot equitum turmas in Germania ſcriberet. Florianus ſedulo ac feliciter officio defunctus eſt. Schombergius Sedanum iter habuit, ubi perhonorifice a Bullionii duce exceptus fuit: ſed dum per Lotharingiam, nihil de fraude cogitans, iter per diſpoſitos equos perſequeretur, ab juniore [f] Lenoncurio et aliis a duce Lotharingiae ſummiſſis, ex Baſſumpetrae conſilio, [g] Briae ſiſtitur, et inde [h] Virodunum ductus; tantiſper mora interjecta, dum rex inermis ad conditiones cum Guiſio minus aequas et honeſtas adigeretur: quod viro optimo et Gallici nominis perſtudioſo valde moleſtum fuit, verito ne, quod arcta cum Lotharingis et Baſſumpetra ipſo extra regni cauſam amicitia conjunctus eſſet, ex eo in ſuſpicionem veniret, quaſi ſponte et non aegre retentus fuiſſet.

X. Nec in Lotharingia ceſſabatur, Guiſio annitente ut tres civitates, quae a belli Germanici tempore juris Francici fuerant, in foederatorum poteſtatem venirent: quas et in Caroli ducis Lotharingiae familiae ſuae principis manus conſignaturum

ſe

INTERPR. [a] *Hurault de Chiverny, chancelier.* [b] *Pompone de Bellievre, P. Brulart, & Cl. Pinart, ſecretaires d'eſtat.* [c] *Zuffarini Lucquois.* [d] *de Clauſſe, Sieur de Fleury.* [e] *de Schomberg, comte de Nantueil.* [f] *de Lenoncourt.* [g] *Brie.* [h] *Verdun.*

ſe receperat, ut eum, hactenus toto motuum civilium tempore neutrarum partium, CIↃ IↃ LXXXV.
bello, quod contra Proteſtanteis geſturus erat, obligaret. Principium a Viroduno HENRICUS III.
factum, quod a [a] Ludeo regis nomine cum praeſidio tenebatur. [b] Oimba haud hinc longe in Virodunenſi ditione caſtellum eſt, ſitu firmum: quod Sanpaulus juſſu Guiſii cum intercepiſſet, [c] Gargus mox a Ludeo miſſus recepit; ſed poſtea, a [d] Santignone juridico praefecto et [e] Guitaldo corruptus, in Lotharingorum manus tradidit. Ludeus, qui ſe in arctum cogi videret, caſtello tam vicino amiſſo, quod unum poterat, praeſidiarios in urbe recenſet, eos novo ſacramento in fidem adigit, et ante omnia diſpoſitis ad portas ſtationibus praecipit, ne Guitaldus ſibi ſuſpectus tanquam machinationum omnium auctor et incentor in urbem admitteretur. Interea Lotharingi juſſu copiae foederatorum ad urbem admoventur XIV Kal. Maias, dum urbem praeterveherent, tormentorum aliquoties diſploſorum ictibus exceptae: et biduo poſt, qui dies in Dominicae reſurrectionis celebrationem eo anno incurrebat, dum Ludeus pranderet, nunciatur ei Guitaldum cum conſciis urbem ingreſſum. Ipſe ad hunc nuncium ſubito in equum inſilit, et cum delectis ad tumultum accurrit. Guitaldus, qui ad ſignum civeis conjuratos nondum arma capere videret, veniente Ludeo, in proximas aedeis confugit: ſed, crebreſcente fama a conjuratis ſparſa, quaſi Proteſtantes a Ludeo ad urbem diripiendam et vim Catholicis afferendam introducerentur, plebs arma capit, et Guitaldum e latebris prodeuntem tanquam ducem ſequitur; ſacri collegii ſodalibus et Santignone Virodunenſi praefecto cauſam religionis agi, quae ſolemnis ſeditiones tunc temporis cientium vox erat, ubique per vicos clamitantibus. Ludeus, cum numero vinceretur, ad aedeis proprias cum ſuis receptum habuit, a furente plebe ſubito circumſeſſus, donec poſtridie ſuperveniente Guiſio incolumis dimiſſus eſt, et Guitaldus loco ejus impoſitus; non ſine occulto Sanpauli morſu, qui ſpem de opima praefectura, cujus jam partem tenebat, conceptam, eripi ſibi e faucibus aegerrime tulit. Ludeus, cum in aulam veniſſet, a rege ob fidem ſervatam multum laudatus fuit; injuriae tantae ſenſu nihilominus, prudentia pro tempore uſitata, diſſimulato. Eodem aſtu, ſed minore cum motu, [f] Tullum captum, civibus cauſam religionis agi falſo perſuaſis. Jamque copiae foederatorum undique convenerant; et, cum [g] Bullionius [h] Jametio metuens duo ſigna peditum Roberto [i] Thino Schelandrio miſiſſet, [k] Roborei ad Guiſium venerunt IX Kal. Jun. III CIↃ peditum, et totidem equitum Germanorum; ita ut univerſae ejus copiae XII CIↃ bellatorum conficerent, et [l] Divioduro Mediomatricum, quae una e tribus civitatibus reſtabat, formidabiles eſſent; quippe corruptis a Guiſio aliquot ordinum ductoribus qui in praeſidio erant. Nec periculum neglexit Jo. Ludovicus [m] Nogaretus Eſpernonii dux, Guiſio pariter inviſus et infeſtus; qui, miſſis [n] Monpeſato Tagentio et Jacobo Eſcaravaco, ſuſpectos tam ex civibus quam ex praeſidiariis urbe emittere pro tempore ſatis habuit, acrioribus remediis tunc uti intempeſtivum exiſtimans. Cumque incertum an illi incolumes ad urbem venturi eſſent, diverſo itinere Onufrium ab [o] Hiſpania Rameſortium et [p] Monmaſum miſerat; qui, Jametii aſſumptis circiter LXX delectis, ſe in viam dederunt exeunte Maio, ut Diviodurum cum iiſdem mandatis peterent: verum per avia incedentes in Guiſianos praecipitarunt, a quibus caeſi ſunt. Irrito contra Diviodurum ob Tagentii adventum conatu, Guiſius copias in [q] Campaniam immiſit, et [r] Catalaunum belli arcem venire juſſit, ut earum oſtentatione regi reginaeque terrorem injiceret: ſecuto paulo poſt edicto, quo pacificatoria praecedentia edicta revocabantur,

INTERPR. [a] *le Sieur de Ludieu.* [b] *le chateau d'Oimbé.* [c] *le capitaine Gargas.* [d] *Sainctignon, bailli du lieu.* [e] *Guitauld.* [f] *Toul.* [g] *le duc de Bouillon.* [h] *Jametz.* [i] *Du Thin, baron de Schelandre.* [k] *Rouvroy.* [l] *Mets.* [m] *Nogaret de la Valette, duc d'Eſpernon.* [n] *de Montpezat, Sieur de Tagent; & d'Eſcaravagues.* [o] *d'Eſpagne, Sieur de Rameſort.* [p] *Monmas.* [q] *Champagne.* [r] *Chaalons.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

revocabantur, et bello Proteſtantibus ac Navarro denunciato, ſicuti mox dicemus. Æſpernonius minime a primo illo metu quievit; quippe qui perſuaſum haberet, a Guiſio ejuſque ſequacibus ex religione armorum colorem quaeſitum, quae ſemel ſumpta, nunquam, niſi cum pernicie regis regnique, poſituri eſſent. Itaque occaſionem nactus exeunte anno ipſe Diviodurum profectus eſt; et, cum [a] Lupiaci Moncaſſini ſibi proxima cognatione conjuncti, quem ob id vicarium ſuum conſtituerat, ſuſpectam fidem haberet, quaſi occulta cum Lotharingis conſilia agitaret, eo a praefectura amoto, in ipſius locum Rogerium [b] Convenam Sobolium ſufficit, aſſignato [c] Curcellis ad conveniendum religionis cauſa Proteſtantibus loco.

XI. INTER haec, cardinalis Borbonii nomine ſcriptum publicatur [d] Peronae [1] Kalendis Aprilis. Eo XXIV ab hinc annis graſſanti Sectarii veneni malo hactenus parum idonea remedia adhibita queritur: interim reges, ita volente Deo, ſine maſcula prole deceſſiſſe: regem, qui nunc eſt, hactenus nullos ex ſe genitos regni heredes habere: qui proximum jus in ſucceſſione ſibi arrogant, a majorum religione defeciſſe, ſeque proinde indignos ea reddidiſſe. Neque tamen propterea a ſecretis machinationibus tam in regno quam extra apud principes Proteſtanteis ceſſare, quo regni tanti poſſeſſionem olim invadant, eamque adepti, exemplo reginae Anglicanae, veram religionem aboleant. Id eo magis vereri, quod videat novos homines in amicitiam regis irrepſiſſe, horum conſiliorum fautores, qui unum hoc agunt, ut non ſolum principes ac proceres, ſed ceteros omneis, ab ea excludant, eoſque, qui ratione officii in aula auctoritatem aliquam habent, muneribus ſpolient. Idem erga provinciarum praefectos factitatum, quos praefecturis ob merita a regis deceſſoribus in ipſos collatis, accepta pecunia, abdicare ſe, pernicioſiſſimo exemplo, neque unquam antea apud nos uſurpato, coegerint. Eos eſſe qui aerarium novo more in dies exhauriunt, pecunia omni in arcas privatas regis comportata, ne rei notitia a rationalibus iniri poſſit; ita ut cum populus inſolitis collationibus gravetur, nihilominus rex ſemper egeat, nihil publicis regni creditoribus ex vectigalibus oppigneratis erogetur, penſiones et honoraria denegentur. Ultimis comitiis [e] Bloeſenſibus factam ſpem ut populus in poſterum levaretur, et antiqua religio in integrum reſtitueretur, abolita omni alia a Catholica apoſtolica Romana: ſed quo minus id a pii et a Sectario veneno maxime alieni principis ingenio obtineri potuerit, pravorum conſiliariorum opera factum eſſe, qui rurſus regi auctores fuerint aliud edictum condendi, quo libertas conveniendi Proteſtantibus, ut antea, fiebat; quod licet pacis conſtituendae, ſine qua populus levari non poterat, cauſa, excuſatum ſit, non propterea imminuta tributa; ab eoque tempore ſacrum ordinem majorum tributorum collatione quam antea oneratum, ac miſeram plebem ruſticam ad extremam inopiam redactam fuiſſe. Ea propter ſe primarium regii ſanguinis principem, eccleſiae Catholicae apoſtolicae Romanae cardinalem, ad quem proinde religionis et regni jura proxime pertinent, ex conſilio aliorum regii ſanguinis principum, cardinalium, et aliorum principum, parium, antiſtitum, procerum, praefectorum provinciarum, nobilium, civitatum, ac collegiorum, qui omnes majorem et ſaniorem regni partem efficiunt, obſtricta conjunctim ab ipſis ſolemni jurejurando fide, ſtatuiſſe, religionem antiquam inſtaurare, Sectarium venenum omne, ne amplius pullulet, ab radice exſtirpare; nobilitati priſtinam dignitatem reſtituere; populum tributis, quae ab exceſſu Caroli impoſita ſunt, levare; regni curiis priſtinam auctoritatem, importunis aulicorum prenſationibus enervatam, reddere.

His

INTERPR. [a] *de Lupiac, Sieur de Moncaſſin.* [b] *de Comminges, Sieur de Sobole.* [c] *Courcelles.* [d] *Perone.* [e] *Eſtats de Blois.*

NOT. [1] *Lege* pridie Kalendas *Put.*

His de cauſis tam juſta arma ſumpta, quae plene confectis iis rebus, nec aliter, depoſituri ſint: quod regem, quando quidquid id eſt religionis et publicae ſalutis ergo fiat, boni conſulturum ſperet. Injecta et obiter de regni ſucceſſore mentio; quem peroptaret a rege nominari, et tamen, ne ambitioni potius quam pio religionis promovendae et regni in priſtinam quietem ac ſplendorem reſtituendi deſiderio id tribueretur, omitti ac ſilentio tranſigi libenter patiebatur: addita et quaedam adulatorie in reginae parentis laudem; cui, tot exantlatis pro republica laboribus, quorum ipſe in partem veniſſet, religionis aſſertae decus et regni ſalutem deberi aiebat. Hujuſmodi ſcriptum fuit, quod ad regem, eorum nomine qui foederi ſancto, hoc nomen tunc factioni inditum, ſe addixerant, tranſmiſſum eſt, ſolius Caroli nomine ſubſcriptum, frivola Guiſianorum initio diſſimulatione, quorum nemo non ſciebat inſtigatu id fieri. Aliud antea, neque ſubſcriptum, neque ad regem miſſum, a foederatis evulgatum fuerat, quo nominatim [a] Jouſam et Eſpernonium quaſi Sectariorum fautores, regni hirudines, et infeſtos procerum regni ac curiarum hoſteis, multa verborum acerbitate inſectabantur: ſed poſtea mutavere, veriti ne rex, cui etiam vim inferendo ope reginae illudi poſſe ſperabant, plus dilectorum ſibi hominum inſectatione quam bello ipſo commoveretur. Et regi gratum fuiſſe conſtat, quod illi nominati non eſſent: nam cum ad ſcriptum illud reſpondere conſtituiſſet, ſi mentionem eorum feciſſet, quod neceſſarium erat, verebatur, ne eos excuſando ſe invidia apud populum majore oneraret. Igitur eodem menſe Aprili diploma declarationis nomine publicatur; quo rex gravi et elaborata [α] quidem oratione, refutatis Guiſianorum, non expreſſo eorum nomine, calumniis, ceterum infra dignitatem, non tam jubere, quam quaſi reus ſe purgare, et coram adverſariis ipſis cauſam dicere, videbatur; et ad ceteras quidem querelas de religionis cauſa, et decretis in comitiis [b] Bloeſenſibus factis, egregie reſpondebatur; et per ſuppreſſionem officiorum, quae vocant, cunctis ordinibus priſtinum ſplendorem reddi oſtendebatur: ſed cum ad profuſiones, munerum publicorum diſtributiones, et regiae liberalitatis ad paucos contractam gratiam, ventum eſt; ibi veluti haerens ad indignas exclamationes devolvitur, Deique et hominum, qui ſunt, et poſtea erunt, fidem obteſtans, rogat, an ferendum ſit, ut ob iniqua deſideria et privatas paucorum offenſas, quibus nihil ſatis eſſe poteſt, regni florentiſſimi quies turbetur. Tum ad miſeras preces converſus, turbarum auctores ac duces, ut arma deponant, orat, et a ſua clementia et prudentia exſpectent, quod per bellum minime utique conſequi poſſint.

XII. Acrius in eos invecti alii, ſcripto tunc evulgato, quo Guiſianorum ambitionem, totius familiae facinora, pernicioſa a multo tempore conſilia, conjurationes, cum Hiſpanis occulta foedera, fucatam religionem, ut quietos populos ad ſeditiones excitent, et regiam familiam ſolio detrudant, florida et vehementi admodum oratione copioſe exagitabant. Multa et in eandem rem ſcripta, quibus rex monebatur, confeſſionum Salſedae tandem memor eſſet, et de Guiſianorum ambitione, ſi non verbis, quod hactenus non feciſſet, ſaltem factis crederet: et, quo magis crederet, ſub id de foederatorum conatu ad [c] Maſſiliam intercipiendam allatum eſt: de quo antequam dico, quaedam altius repetenda ſunt.

XIII. In ſocietatem hujus foederis Ludovicus Gonzaga [d] Nivernii dux a cardinali Borbonio et Guiſio aſcitus fuerat, pro religione, ut credi volebat, defendenda; ut

VAR. LECT. [α] *In editione Genevenſi* 1620 *tam verbis quam ſenſu luxatus hic locus, hoc modo,* quidem, ceterum infra dignitatem oratione refutato, non tam. *Editio tamen poſterior mentem integram auctoris exhibet, ope* MSS. Reg. et Samm. *prout in textu reponitur, viz.* quidem oratione, refutatis Guiſianorum, non expreſſo eorum nomine, calumniis, ceterum infra dignitatem, non tam

INTERPR. [a] *les ducs de Joyeuſe & d'Eſpernon.* [b] *Eſtats de Blois.* [c] *Marſeille.* [d] *de Nevers.*

ut alii putant, et rex ipſe ſolebat dicere, ut praefecturam aliquam in regno obtineret. Quod cum unice ſemper ambiiſſet, ex quo tempore, poſt reſtitutum [a] Pinarolium et Savilianum, ſe [b] Subalpinae regionis praefectura abdicaverat, nunquam tamen aſſequi potuerat: tunc vero oculos in [c] Provinciam conjecerat, cujus potens eſt qui Maſſilia potitur. Itaque eodem tempore quo Guiſius cum fratribus et patruelibus in [d] Campania et Heduis copias cogebat, ipſe [e] Avenionem uſque progreſſus fuerat, quo propior conjuratis auram favoris aſpiraret; fama ſparſa, et ita regi affirmaverat, quaſi ad balnea [f] Lucenſia valetudinis curandae cauſa, et Romam inde profecturus eſſet, ad negotia quaedam domeſtica cum Gulielmo Mantuae duce, quicum illi minus bene conveniebat, tranſigenda, de quibus inter cardinaleis nominatos a pontifice ambo compromiſerant, et ob id a magno Etruriae duce triremeis commodari ſibi petierat; quae, quod mare illud tunc a piratis Turcis infeſtaretur, numero XII, egregie inſtructae ad eum portandum, [g] Maſſiliam paulo ante appulerant. Conjuratorum in urbe primarii duces erant [h] Darius ſecundus urbis conſul, et Claudius Bonifacius ductor, [i] Bonifacii quaeſtoris hominis opulenti frater; qui V Eid. April. concubia nocte ad domum quaeſtoris veniunt, quaſi faſciculum literarum ab Henrico [k] Engoliſmenſi magno Franciae priore ac Provinciae praeſide afferentes. Pulſatis foribus ille continuo exit, uxore lumen praeferente; acceptoque a Dario faſciculo literarum, quem et Darius, ut magis falleret, reverenter deoſculatus eſt, cum eum aperire vellet, ſigno dato, a duobus ſicariis, qui cum conſule venerant, impetu facto, ictibus pugionum confoditur. Inde plebi furenti licentia data per urbem armati diſcurrunt, et aedeis Sectariorum, quos vocabant, hoſtiliter invadunt, miſeroſque captos in turrem S. Joannis includunt. Poſtridie quatuor ex iis e carcere educunt, et vinctos, ac per urbem tractos, in conſpectu aliorum captivorum crudeliter necant, et corpora interfectorum ſupra muros urbis ejiciunt. Mox, poſt admiſſum ſcelus ultionem veriti, et Bonifacius inprimis fratris caede efferatus, [l] Gardianam arcem, quae in portum deſpicit, occupant; et ad Hubertum [m] Gardam Vincium, Guiſianorum in Provincia praecipuum ducem, ſcribunt, ut quamprimum ad ſe cum armatis veniat, et felicibus principiis finem optatum imponat. Subſcripſere literis Nicolaus [n] Roca et Ludovicus Darius conſules, [o] Borgonius, Antonius [p] Cornelius, Carolus [q] Caſalius, Bonifacius, [r] Teronus et Lauſa ordinum urbanorum ductores. Vincius is Honorati [s] Gardae praeſidis [α] Aquenſis filius fuit, qui, cum comitis [t] Carſii negotiis praeeſſet, ſororem ejus, obſoleta forma et aetate foeminam, in uxorem duxerat, et praeſidis dignitate ob id a regina, Carſii commendatione, ornatus fuerat; quo ex matrimonio natus Vincius, qui, ſuperbo et [β] elato ingenio praeditus, primam aetatem in aula triverat, et in Rupellae obſidione, Henrici, qui ei praeerat, vitam periculo ſuo texerat, ſicuti ſuo loco diximus: a cujus gratia cum excidiſſet, ſuis meritis dignam gratiam non rependi moerens, in patriam conceſſit; [γ] ubi Carſianae factionis, quae Provinciam tamdiu vexaverat, reliquias coegit; et, exemplo patris, quod aſtu ille et blanditiis fecerat, ut [δ] conjugium ſibi conciliaret, ille vi aperta fecit; et Margaritam, Franciſci Ludovici

VAR. LECT. [α] Aquenſis, Brugnolenſi pellione prognati, filius fuit, qui, cum comitis Carſii negotia procuraret, ſororem ejus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*
[β] elato ſupra fortunam ingenio *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*
[γ] ubi homo factioſus Carſianae *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*
[δ] conjugium ſupra conditionem ſibi *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Pignerol, & Savillan.* [b] *Piedmont.* [c] *Provence.* [d] *Champagne, & Bourgogne.* [e] *Avignon.* [f] *Bains de Lucques.* [g] *Marſeille.* [h] *Dariez conſul.* [i] *Boniface, general des finances.* [k] *le chevalier d'Angouleſme, grand prieur de France, & gouverneur de Provence.* [l] *le fort de Noſtre Dame de la Garde.* [m] *de la Garde, Sieur de Vins.* [n] *Roque.* [o] *Bourgoigne.* [p] *Cornille.* [q] *de Caſaux.* [r] *Teron & Lauze, capitaines de la ville.* [s] *de la Garde, preſident d'Aix.* [t] *de Carces.*

Ludovici [a] Agutii comitis Saltuenſis, primarii Provinciae reguli, [α] ſororem, in uxorem ſibi ſumpſit, cum armatis ſemper diſcurrens, et late illis regionibus terrore ſui [β] ſparſo. Verum aut tardius venere literae, aut ſerius Vincii auxilium fuit. Erat tum [b] Maſſiliae [c] Buquerius, aetate et auctoritate venerandus civis; qui, magiſtratum creare et plebem ad nutum circumagere potens, multorum inde odia, ut ſunt in urbe inſulanis vicinis et externis fere in civitatem aſcitis conſtante, acria partium ſtudia, in ſe conciverat. Illi, veriti ne is, commoditatem novi motus nactus, inde poenarum de inimicis expetendarum occaſionem caperet, in S. Victoris [d] coenobium confugerant, armiſque ſumptis ſe ad defenſionem parabant; quos ille urbi metuens per fidos monet hortaturque, ut, metu omni et odio depoſito, inimicitias antiquas reipublicae condonent, et ſecum reconciliati ad commune periculum propulſandum vireis conjungant. Id in tempore factum, perniciem conjuratis, urbi ſalutem attulit: nam, reconciliatione facta, protinus Buquerius per urbem incedens, plebem, cui gratioſus erat, ferocientem repreſſit; et [e] Darium interrogatum cujus juſſu has turbas excitaſſet, et, cum ille [f] Engoliſmenſis mandata cauſaretur, neque probaret, comprehenſum, necnon et fratricidam Bonifacium, in carcerem conjicit; moxque, miſſis ad Engoliſmenſem literis, cum de re tota certiorem facit: qui, nulla mora interjecta, [g] Aquis Sextiis, ubi tunc erat, cum CC equitibus et delectis a curia ſenatoribus in urbem venit pridie Eidus Aprileis, ſub veſperam, ac ſtatim ob religionem vinctos ſolvi juſſit. Tum poſtridie in Darium et Bonifacium legibus agitur, qui rebellionis convicti eodem die ſecuri percuſſi ſunt; ac demum ſequenti die, qui in Dominicam incidebat, ſupplicationes publice habitae pro urbe ſervata; in quibus paſſim a plebe feſtis vocibus regi feliciter acclamatum eſt. Cum vero plebs aut imprudenter ſe ſeditioni immiſcuiſſet, aut eam non impediiſſet, ſupplex a ſenatu culpae veniam petiit; et, rege ita volente, impetravit. Inde miſſae ab Engoliſmenſi ad alias Provinciae civitates ac praefectos literae, quibus de motu Maſſilienſi certiores fiebant; mandabaturque, ut Proteſtantium, ſic enim velle ac jubere regem, ſalutem commendatam haberent. Et, quia vicinae in [h] Septimania urbes, quae fere a Proteſtantibus tenebantur, ad famam ejus rei in eo erant ut arma ſumerent, mature Engoliſmenſis ad Franciſcum [i] Colinium Caſtellionaeum Monpelii praefectum dat literas VI Kal. Maias; quibus poenas de ſeditioſis Maſſiliae ſumptas ſignificabat, eamque regis voluntatem eſſe affirmabat, ut edicta in gratiam Proteſtantium facta ſervarentur; ac proinde rogat, det operam, ut viciſſim ſe illi in officio contineant, neque pacem publicam turbent.

XIV. [k] NIVERNIUS vero, qui Avenionem uſque proceſſerat, cum de motu Maſſilienſi compoſito intellexiſſet, ut in diſſimulatione perſeveraret, Romam ire perrexit; datis ad cardinalem Borbonium et Guiſium literis, quibus ſe foederi renunciare ſignificabat, religione praepeditum, quod privato, vel in juſta cauſa, contra principis voluntatem, arma ſumere ſine publica auctoritate nefas putaret, neque in eo ſibi ſatisfactum eſſet. Qua re haud mediocriter illi indignati ſunt: et, quia verebantur ne exemplo Nivernii plerique a foedere deficerent, ipſi famam ſparſerunt, quaſi non religione praepeditus, quod ille jactabat, ſed quia Maſſiliae potiundae ſpe excidiſſet, quae illi in ſocietatem veniendi praecipua cauſa extiterat, foederatorum

VAR. LECT. [α] ſororem rapuit, eamque in uxorem duxit, cum *MSS. Reg. et Samm.*
[β] ſparſo. Hujuſmodi hominum, quibus aut ad crimina abolenda, aut ad domeſticas ruinas ſarciendas, bello civili opus eſt, ſtudioſe jam a multo tempore amicitiam ſibi conciliaverat Guiſius; et Vincium inprimis, quem et audacia et manu ad quodvis facinus promptum noverat. Verum aut tardius *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *d'Agout, comte de Sault.* [b] *Marſeille.* [c] *Bouquier.* [d] *Abbaye de St Victor.* [e] *Dariez.* [f] *le chevalier d'Angouleſme.* [g] *Aix.* [h] *Languedoc.* [i] *de Coligny, Sieur de Chaſtillon, gouverneur de Montpellier.* [k] *le duc de Nevers.*

foederatorum partes deſeruiſſet, ſperans ſe a gratia regis, quod a fortuna ſociorum fruſtra ſperaverat, tutius conſecuturum. Certe memini Nivernium, cum quadriennio poſt ad eum a rege de negotiis quibuſdam acturus eſſem allegatus, mihi narrare ſolitum, ſe, cui ſemper religionis praecipua cauſa fuiſſet, ſi non foederis auctorem, at ordinatorem fuiſſe; cum Guiſius ejus incentor, vaſto ingenio vir, confuſe res gereret, ex turbis auctoritatem captaret, et fortunam pro duce in ſeditionum conſiliis ſequeretur: ſibi vero a theologis, qui circa cardinalem Borbonium erant, ſaepius aſſeveranter confirmatum, et bellum juſtum eſſe, et pontificem auctoritate publica illud probaturum; eaque fiducia fretum ſe rebus foederis ordinandis ſedulo incubuiſſe, donec, iis jam bene ordinatis, ſibi de ſcrupulo ſatisfieri petiit. Praecipuum vero foederis emiſſarium fuiſſe Claudium [a] Matthaeum, e ſodalitio [α] Jeſuitico; qui, corpore et ingenio velox, Romam itare veredariorum more pro ludo habebat: cum Nivernio aſſeveranter confirmaſſe, pontificem non ſolum foedus probare, ſed, poſtquam omnia ad rem gerendam parata eſſent, illi publico diplomate auctoritatem facturum. Igitur, fidem promiſſis Nivernio repoſcente, hominem impigrum Romam volaſſe, et pro diplomate literas fiduciarias et ambiguas adtuliſſe; et addidiſſe, pontificem ſummopere laetari, quod foederis negotium tam feliciter procedat; laudare inſuper Nivernii pietatem, qui nihil niſi ſalva conſcientia facere velit; ſed cupere, pro ſua prudentia expendat, an e re Chriſtiana ſit, ut foedus per ſe ſanctum pontificia auctoritate publice confirmetur: nam verendum eſſe, ne Germani, qui Proteſtantibus in Gallia ſemper antea praeſto fuerint, ea re quaſi claſſico excitati, quod aliena contemplatione hactenus fecerint, id proprio periculo territi multo magis nunc ſint facturi; praeſertim cum videbunt libertatem fieri ſubditis citra principis voluntatem in cauſa religionis arma ſumendi: his proinde rationibus ſibi ſatisfactum putaret; neque committere, ut, dum ſibi privatim amplius caveri cupit, parum rei univerſae Chriſtianae conſuluiſſe videretur. Quibus auditis Nivernium in obſequii ſignum caput demiſiſſe: de cetero ſubjeciſſe, ſi pontifici ſtaret foedus publico diplomate minime confirmare, ſaltem ſingularibus reſcriptis privatorum conſcientiis ſatisfacere ne gravaretur; fidem ſe obligare, nemini unquam mortalium reſcripti ſui copiam facturum. Hac nova petitione attonitum Claudium Matthaeum, cum non haberet quod contra diceret, Romam revolaſſe; et poſtremo reverſum ne hoc quidem a pontifice impetrari poſſe retuliſſe: nec enim poſſe fieri, ut quod ipſe ad privatae conſcientiae ſolatium petat, non alii, vel ejus exemplo, deſiderent; et ita fore, ut quod ſingulis tribuitur, in univerſos emanet: proinde verbo pontificis gratiam ejus quod peteret ſibi factam credat, neque ulterius caveri petat. Ad haec Nivernium, qui vinci nollet, denuo replicaſſe, ſe viam iniviſſe ad pacandas citra periculum, quod pontifex metuat, privatorum conſcientias, ſi breviculum ad legatum Avenionenſem mitteretur, quo ſcrupulus, quo ipſe tenetur, apoſtolica auctoritate tollatur: nam minime ejus exemplum petere; et ſatis eſſe, ſi ejus inter legati manus ſibi legendi copia fiat. Cum igitur tertio ſuperatis Alpibus Matthaeus nihil afferret, quo novae petitioni ſatisfieri poſſet, tunc de voluntate pontificis dubitare Nivernium coepiſſe; et, quoniam de ea nullo idoneo teſtimonio ſibi conſtaret, decreviſſe Romam proficiſci, ut coram de toto negotio cum ipſo ageret. Hoc ſe conſilio in Italiam profectum, et iter per Provinciam cepiſſe, ut legatum Avenionenſem in itinere conveniret; cumque nihil ab eo certi retuliſſet, non exſpectato pontificis mandato, literas ad cardinalem Borbonium confeſtim dediſſe, quibus foederi renunciare ſignificabat, quando de ſcrupulo, quo attineri

VAR. LECT. [α] Jeſuitico, hominem impudentia ac temeritate inſignem; qui, corpore *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *le pere Mathieu.*

attineri ſe dicebat, idonec non ſatisfieret. Haec, ut a Nivernio in familiari colloquio accepi, ita trado; qui et hoc addebat, novum pontificem, de ſtatu regni tunc a ſe melius inſtructum quam Gregorius ejus deceſſor fuiſſet, poſtea nunquam foederi ſatis aequum fuiſſe: nam neque pecunia neque milite toto magiſtratu ſuo foederatos juviſſe; tantum cauſae, quam honeſte deſerere non poterat, hoc dediſſe, ut Guiſianis inſtantibus Navarrum Condaeumque publico programmate proſcriberet: qua de re poſtea plenius dicemus.

XV. JAMQUE foederatorum copiae in limite apparere coeperant, cum Guiſius Peronam excurrit cum expedito equitatu, et inde cardinalem Borbonium per [a] Auguſtam Sueſſionum [b] Catalaunum ad Matronam magno comitatu deducit, ubique, et palam et in occulto, inuſitatis obſequiis credulum ſenem colens: quo ubi venit, per emiſſarios, quos in aula habebat, in aurem regi inſuſurrari curat, aequis conditionibus ſecum tranſigi poſſe. Itaque rex, quantumvis irritatus, otii deſiderio, omni decoris et exiſtimationis cura abjecta, reginae parenti negotium dat, ut ad foederatos proficiſceretur: quod non gravate fecit; quanquam ad purgandas ſuſpiciones in ſpeciem rogari volebat; ſecumque duxit Ludovicum [c] Sangelaſium Lanſacum, Petrum [d] Brulartum ab epiſtolis, et Petrum [e] Eſpinacum archiepiſcopum Lugdunenſem, hominem in occulto foederatis addictum; qui in adoleſcentia Proteſtantium doctrinam profeſſus, poſtea mutaverat, et impotenti in eos odio ferebatur; verone an adfectato, ad conſequendam cardinalis dignitatem, quam perdite ambiebat, incertum: de cetero doctus, et vehementi facundia [α] praeditus, et, profuſiore luxu abſumptis non ſolum propriis ſed ſuorum facultatibus, materiam per turbas novas parandis opibus quaerens. Regina et ſecum ducere voluerat Nicolaum Neovillum Villaregium ab epiſtolis, virum cautae prudentiae, et qui ſua induſtria ac ingenii felicitate meruerat, ut in ea dignitate res univerſas regni unus moderari videretur: verum is, ſive ingenio muliebri non ſatis fidens, ſive quod vereretur ne longe periculoſiſſimi negotii is eſſet exitus, ut regem ejus poeniteret, ab eo ſe excuſavit. [f] Eſpernaeum, oppidum coenobio nobile ad Matronam, colloquio condictum: quo regina cum magno ſtipatu venit; longiſque altercationum gyris res protelata eſt, dum copiae univerſae foederatorum convenirent; eo conſilio, ut per oſtentationem virium, ex periculi magnitudine regi pavore injecto, neceſſitas cum foederatis tranſigendi imponeretur: nam ab armis ante omnia diſcedi volebat rex, facta ſpe, ut, depoſitis armis, foederatorum petitionibus ſatisfaceret; idque dignitati ſuae, ne in ea cauſa a ſubditis ſuis cogi videretur, dari petebat. Contra foederati prius vitam quam arma depoſituros ſe oſtendebant, donec bellum irreconciliabile cum Proteſtantibus decretum, in regni curiis promulgatum, a rege, principibus, ac proceribus, ſolemni jurejurando adprobatum eſſet. Inter haec de reſponſo legatis Ordinum dando agitur; qui novo motu perculſi, et ſpem auxiliorum per illum praecluſam dolentes, non tam reſponderi ſibi, quam ut honeſte dimitterentur, petebant. Rex, qui non tam bellum cum Philippo habere vellet, quam a bello in regno movendo ſe excuſandi occaſionem quaereret, ſumma diu diſſimulatione in eo negotio uſus erat; cuncta ad bellum quaſi contra foederatos, ſi ulterius pergerent, gerendum parans, ſtationibus in urbe, ac ſi hoſtis ad portas eſſet, ac excubiis agi juſſis: quotidie vero cum principibus et proceribus, qui in aula erant, moenia circumibat; et non ſolum de urbe, ſed etiam [g] Dionyſii ſano, quod quarto ab urbe lapide abeſt, loco valde opportuno, muniendo cogitare coeperat. Aderant

Navarri

VAR. LECT. [α] praeditus, et, nepotatu abſumptis *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Soiſſons.* [b] *Chaalons ſur Marne.* [c] *de St Gelais, Sieur de Lanſac.* [d] *Brulart ſecretaire.* [e] *d'Eſpinac, archevêque de Lyon.* [f] *Eſpernay ſur Marne.* [g] *St Denis.*

CIↃ IↃ LXXXV.

HENRICUS III.

Navarri delegati, Claudius Antonius [a] Viennenſis Claravantius, et [b] Chaſſincurius; qui, cum in heri ſui caput haec cudi viderent, apud regem inſtabant, ne pacem, quod metuebant, cum foederatis faceret; quae belli internecini, ad finem ipſi regnoque exitioſi, initium eſſet: quibus ille adfirmabat, nequaquam cum iis ſe conventurum, priuſquam arma deponerent, et rem omnem ipſius arbitrio committerent; interea quieſceret Navarrus, et ſuos in officio contineret. Cum igitur, legatis Ordinum flagitantibus, reſponſum dandum eſſet, rex, qui nec conditiones accipere armis domeſticis occupatus tempeſtivum duceret, et iis recuſatis ſuſpicionem Navarro injici videret, quaſi arma contra Proteſtanteis vertendi neceſſitatem ſibi imponi paſſurus eſſet, procraſtinabatur, et ex novis cauſis ſemper novas nectebat.

XVI. Erat tum in aula Franciſcus [c] Noallius Aquenſis epiſcopus, vir, praeter nobilitatem generis, prudentia inſita et uſu rerum, quem Anglicana, Veneta, et recenti Byzantina legatione magna cum laude obita contraxerat, praeſtans; ſed ob id minus regi gratus, quod eum et Jo. [d] Monlucium epiſcopum Valentinum auctores reginae parenti fuiſſe crederet, ut de regno Algeriae, dein Poloniae, ei parando, hoc eſt, ipſo in longinquas oras a patrio regno procul relegando, cogitaſſet; et ipſa vaſti animi foemina, et ad adulationes erga filios compoſita, quanquam id ſummopere ab initio probaſſet ac deſideraviſſet, tamen, quod conſilium filio poſtea diſplicuiſſe cognoviſſet, ejus culpam in Noallium et Monlucium rejecerat, quaſi a Colinio maris praefecto, qui ipſi minus bene vellet, et Alençonio fratri ejus magis faveret, ſubornatos: idque eo facilius filio probaverat, quod Monlucius de religione vulgo ſuſpectus eſſet; et Noallius, quamvis de religione minime ſuſpectus, tamen in Coliniorum familia veluti adoleviſſet, et prima fortunae incrementa in ea cepiſſet, opulentis a cardinali [e] Caſtellionaeo ſacerdotiis olim donatus. Is Lutetiam ad res privatas ordinandas venerat; et, rege ſalutato, ſe domi continebat, ultimum vale, cum diſceſſurus eſſet, aulae dicturus. In eo deliberationis tantae ſalo cum fluctuaret rex, quod nihilominus Noallii prudentiam ac judicium magni ſemper feciſſet, eum in arcanum colloquium inopinato ſevocat; et ſedere juſſo, id viri meritis et aetati datum, orditur: Qui rerum mearum ſtatus ſit vides; tum quid agatur, et toto regno jactetur, non ignoras: conditiones mihi perhonorificae ab Ordinibus Belgii, quas Hiſpani, ſi meo loco ſint, non recuſarent, deferuntur; quas rurſus ſi accipio, bellum mihi cum Philippo habendum eſt. Id ſi in deliberationem ſolum deducatur, in decernendo minus difficultatis ſit, ſive accipiendae ſive recuſandae eſſent conditiones: nam ab utroque periculum abeſſe poſſet: ſed tumultus novi inciderunt, qui poteſtatem in utramvis partem libere ſtatuendi adimunt: ſiquidem motibus domeſticis occupato integrum non eſt tantae molis bellum ſuſcipere; cujus tamen ſi occaſionem elabi ſinam, una et rationem excuſandi me a civili bello, quod maxime vitatum cupio, mihi perire patior. In tam perplexo negotio, a quo, quicquid ſtatuam, periculum abeſſe non poteſt; quid facto opus videatur, nam libertatem ſecretum et praeſentia mea facit, pro fide erga me et charitate erga patriam, ediſſere. Ad haec Noallius; Perplexitas negotii, quam dicis, potentiſſime rex, et quod imparatum me ſententiam rogas, ſi me excuſare vellem, contumaciae ſuſpicione liberare apud te poſſet: ſed, quando pro fide et amore in patriam, cujus amplificationi ſcis me ſemper praecipue ſtuduiſſe, quid ſentiam, me dicere jubes, malo in me prudentiam quam propenſum obſequium deſideres. In utramvis ſententiam eatur, cum periculum ſemper ſubſit, ſuadeo tibi faciendum quod vulgo dicitur, ut e duobus malis minus eligas. Nunc diſquirendum eſt, externum cum Hiſpano

INTERPR. [a] *de Vienne, Sieur de Clervant.* [b] *de Chaſſincour.* [c] *de Noailles, evêque d'Acqs.* [d] *de Montluc, evêque de Valence.* [e] *de Chaſtillon.*

Hiſpano bellum, an domeſticum cum Navarro, non dicam magis utile, (nam pacem, ſi potes, tibi ſervandam conſulo) ſed minus tibi, minus regno, ſit noxium. Si bellum adverſus Navarrum ac Sectarios, ab iis qui tantopere illud urgent, religionis ergo, ſerio et bona fide, proponi putas, expeditum eſt negotium, nec conſultatione amplius eget: nam nemo eſt majorum religioni addictus, nedum ego, qui epiſcopali dignitate fungor, qui non prae vita aeſtimare debeat, videre unum paſtorem, unum ovile, unum gregem: verum cum ſcias non pietatem aut reipublicae curam, quicquid ſpecioſe obtendatur, his motibus cauſam dediſſe, imo unum id agi, ut ambitioſi homines, quorum immodicis deſideriis nihil ſatis eſſe poteſt, auctoritatem, quam in pace habere non poſſunt, per turbas arripiant, et regii faſtigii arcem, quod Deus avertat, gradu per haec facto, olim invadant, bellum hoc non ſacrum, quale majores tui, aliique eorum exemplo Chriſtiani principes, magna cum pietatis et virtutis laude, in Oriente geſſerunt, ſed merum civile, cenſendum ſit. Quod ſi, comparatione utriuſque propoſita, optio tibi alterius facienda eſt, quin externum bellum prae civili eligere debeas, nemo ſanus contra ierit: nam bellum civile qui dicit, omnia mala dicit; idque periculo tuo ſatis probaſti, qui corpore tuo corpus Caroli fratris toties texiſti, totieſque victor monſtrum Sectarium per pacificationes, non vi armata, debellari poſſe experientia comperiſti. At enim difficultates ingentes occurrunt; et hoc ipſum bellum, ad quod te invitum homines ſeditioſi indigne rapiunt, impedimento eſt, quo minus quod juſtum, quod utile, ac commodum eſt, libere amplecti valeas: nam juſtum quin hoc bellum ſit, nemo Gallici nominis ſtudioſus negabit, qui ſciat avum tuum injuſte Mediolanenſis principatus poſſeſſione dejectum; et, cum jus ſuum armis perſequeretur, captum; atque, ut ſe diriſſimo carcere eximeret, ſupremo dominio melioris partis Belgii, non convocatis regni ordinibus, quod per leges regni facere tenebatur, ceſſiſſe: qui ſciat quibus injuriis Carolus frater tuque ab Hiſpanis affecti eſtis in Indiis, et infelici nuper commiſſo ad [a] Tertiam certamine; cujus quoties recordor, toties horreſcit animus et incandeſcit, obverſante ante oculos Philippo Strozzio, Petri fortiſſimi ducis filio, qui ambo pro regni cauſa et amplitudine ejus tuenda, bene de patre, bene de te meriti, occubuerunt. Sed Philippi indigna ſors mihi praecipue lachrimas elicit; quem nunc adhuc videre videor, poſt amplexus Matignono et mihi, ceteriſque qui cum eo erant, datos, Burdigala cum delecto procerum et juventutis flore diſcedentem, et tuis auſpiciis alacriter claſſem conſcendentem, demumque fortiſſime pugnando lethaliter ſauciatum ac captum, ſemianimemque, et Gallicum adhuc decus ſpirantem, carnificis manu, et cum eo tot proceres, tanquam latrones, ignominioſe necatos, milite Hiſpano ipſo reclamante, qui jure belli cum iis agi debere contendebat. Ignoſce mihi, potentiſſime rex, ignoſcant qui circa te ſunt conſiliarii, ſi quas voces juſtus dolor a me exprimit, coram majeſtate tua mittere audeo: nimia patientia tua in diſſimulanda tanta injuria hanc novam invitavit. Nam cave putes, tantum animi aut virium Guiſianis eſſe, ut hoc bellum tam alieno tempore in regno tuo excitare auſi ſint, niſi opibus Hiſpanorum ſuſtentarentur: jampridem [b] Tagus in [c] Ligerim et Sequanam defluxit; et aurum Indicum, quod multi principes monuerunt, conſiſtorium tuum arcanum perrupit. Hoc bellum non contra regni tui Sectarios, ſed ad avertendam a Belgio tempeſtatem, indicunt tibi per Guiſianos Hiſpani; cujus eum exitum ſperant, ut Galli cum Gallis commiſſi ſe mutua laniena conficiant; ipſi interim Belgium, tanto auxilio deſtitutum, ſub jugum, te vidente ac patiente, mittant. At tu, ſi me audis, ab exemplo hoſtium conſilium cape; quod illi ad avertendum a Belgio bellum faciunt, idem tu

INTERPR. [a] *la Tercera.* [b] *le Tajo, ou le Tage.* [c] *la Loire, & la Seine.*

CIↃ IↃ LXXXV. tu fac ut bellum civile in regno devites: conditiones oblatas accipe, et Navarrum
HENRICUS III. in Belgium cum auxiliaribus quamprimum immitte. Implicatum hoc malum eſt; et peſtis viſceribus tuis haerens, niſi contraria peſte, depelli nequit. Aſtu et dolis tecum agunt Hiſpani; tu contra aperto Marte occupa. Crede mihi, diſſimulatione tua audaciam illorum alis; qui minus audebunt, cum te aut illorum dolos detexiſſe, aut minus ipſorum potentiam reformidare, ſentient. Eja rex potentiſſime, tandem expergiſcere, ac priſtinos, hoc eſt, vere regios, ſpiritus indue, quos in Baſſacenſi et Monconturiana pugna gerebas, quoſque nimiis pietatis exercitiis exuiſſe te contumelioſe paſſim jactitant Guiſiani; qui ea fiducia arma ſumpſerunt, quod ad primum religionis nomen animos tibi tuiſque conſiliariis ſubito caſuros ſibi perſuaſerant. Magno in periculo verſaris, niſi mature, quod e re tua ſit, conſulas: quicquid peccabis, non utique poenitentia emendare poſtea tibi integrum erit. Nolo refricare memoriam monitorum, quae Colinius maris praefectus ante XIII annos, cum de Belgica expeditione ageretur, Carolo fratri tuo dedit: utinam ab homine minus ſuſpecto profecta eſſent, et major iis fides adhibita fuiſſet; non in calamitates incidiſſemus, quae poſtea ſecutae ſunt; quas et adhuc deploramus, et quarum memoriam omnes boni ſepultam cupiunt. Ille, cum hoc bellum juſtum, utile, confectu facile, multis verbis oſtendiſſet, poſtremo etiam neceſſarium eſſe aiebat; ne, ſi Belgarum patrocinium recuſaremus, illi a Gallis ſuis deſerti ad Anglos confugerent; qui, tot opulentiſſimarum urbium ac regionum commoditate freti, inde antiqua nobiſcum bella renovandi occaſionem proculdubio caperent. Idem nunc tibi dictum puta; neque nunc conſilium tam ſalutare, quod praejudicio perſonae fortaſſe Carolus frater tuus fecit, neglige. Neque vero de facto apud externos principes, et ipſum Philippum, ſi opus erit, ſive excuſando ſive defendendo, multum laborare debes: nam quod neceſſarium tibi fuiſſe oſtenderis, idem et juſtum judicabunt. Cum primum aperte Anglorum regina Belgas pecunia et hominibus juvit, non dubitavit legatos ad Philippum mittere, qui neceſſitate eadem, quam tibi nunc fortuna imponit, factum excuſarent; eamque legem potentiſſimo principi dixit, ut aut pacem Belgis ſuis daret, aut, ſi bello rem gerere mallet, ne moleſte ferret, ſi, metu ne illi ex deſperatione in Gallorum ſinum confugerent, ipſa miſerorum patrocinium ſuſciperet. Nunc finge cauſam coram pontifice ipſo diſceptari; an ille, qui, ut et ceteri Italiae principes, Gallicae majeſtatis culmen Hiſpanorum late ſe effundenti potentiae aequiponderare cupiunt, quod tanta tamque evidenti neceſſitate impulſus facis, non juſte factum exiſtimabit? aut Belgium, ſi Philippo periturum ſit, non Gallici juris potius quam Anglici eſſe mallet? Eandem igitur legem dic Philippo, quam Angli dixere: ſi ille pacem ſuis dabit, habebis et domi pacem; nam Belgii cauſa bellum in Gallia excitatur: ſi belli viam eligat, armis tuis, de quibus adeo conqueritur, jus contumacia ſua aſtruet. Si ergo juſtum, ſi neceſſarium bellum eſt, nunc ſupereſt ut de ejus gerendi rationibus agatur; in quo magnae, haud inficior, difficultates occurrunt. Sed ea magnorum negotiorum, quale hoc eſt, natura ſemper fuit, ut magnas difficultates ſemper admiſtas habeant: quibus ſuperandis non ſolum gloriam nunquam intermorituram parabis, ſed ſuperatis, longe te majoribus magiſque periculoſis difficultatibus aliis explicatum ſenties. Si conditiones accipis, aiunt, bellum tibi cum potentiſſimo principe, et pecunia, milite, ac claſſe inſtructiſſimo erit: atqui jam tibi bellum cum illo eſt, quod, ut nuper per [a] Bellogardium in [b] Subalpina regione, et in angulo regni, ad tentandam patientiam tuam, nunc per Guiſianos toto regno ad illud evertendum facit: hoc tantum differt, quod nunc tecte, et per inſidias, ſuſcitatis in regno hoſtibus, rem gerit.

Acceptis

INTERPR. [a] *le mareſchal de Bellegarde.* [b] *Piedmont.*

Acceptis autem Ordinum conditionibus apertum cum illo bellum habebis; quod minime vult; quippe qui tragoediae Chriſtianae, tranſlato in Galliam theatro, ſpectator ſedere, quam actor in ſcenam prodire, et rurſus pecuniae et hominum a ſe conductorum, quam exiſtimationis, jacturam facere malit. At ſi artes ejus et dolos ſuperare cupis, ille tibi actor in ſcenam attrahendus eſt, ut jam hoſtem a fronte, non a tergo aut a lateribus, non domi et in ſecretioribus ubique locis intra te habeas. Bello ſemel inter Gallos Hiſpanoſque denunciato ceſſabunt ſtipendia, quibus in pace homines circa te alit, qui praepoſtera prudentia generoſa tua conſilia infringunt ac corrumpunt, eumque de ſecretis tuis in dies certiorem faciunt: tunc enim per exploratores et hujuſmodi homines, qui parva pecunia vitam aeſtiment, de tuis rebus cognoſcet; quas ut in pace cognoſcat, magna illi pecuniae vi opus eſt, quam tunc melius in belli ſumptus impendet: quin illi ipſi duces, quorum opera nunc ad bellum in Gallia excitandum utitur, aut domi otioſi ſedere neceſſe habebunt, aut ſtipendiis tuis, ne privata vita iis in contemptum vertat, contra Hiſpanos ipſos militare cogentur. Qua in re tamen videndum erit, ut, Salſedae confeſſionum memor, nihil illorum fidei temere initio belli committas, ſed eos in exercitibus ad proelia et certamina paratos cum ceteris habeas; donec, poſt felices ſucceſſus, etiam in partem honorum ac cuſtodiae locorum, prout eorum fidem et virtutem his bellis expertam habebis, ad tollendas ſuſpiciones ſine diſcrimine admittas: nam illi tuam fortunam ſequentur, cum videbunt eadem ſibi apud te et in patria parata praemia, quae veluti transfugae ab hoſte ſperaverant. Praeterea multos eorum armorum vis abſumet; multorum conſilia in dies, ſubeunte poenitentia, in melius vertent: quibus niſi moram per belli Belgici occaſionem interponas, ſerum erit omne, poſt bellum civile in Gallia renovatum, remedium. Hoc igitur tantae molis bellum, quod prima ſpecie videbitur, hoc commodi in ſe habet, ut regnum a proditoribus et inſidiatoribus, qui in pace circa te pernicioſe graſſantur, repurget, turbulentos homines ad bonam mentem reducat, et eorum, qui alioqui noxii futuri eſſent, utilem tibi operam reddat. Hoc et commodum ex eo percipies, ut, dum Navarrus ac Proteſtantium proceres in hoc bello utiliter occupabuntur, tantiſper nominis ejus ac ſuorum terror conquieſcat; et ſuſpicionum falſarum nubeculae, quas praeſentia ipſius malignis ſeditioſorum artibus in regno excitat, ſerena veritatis luce per ejuſdem abſentiam ſenſim ex populorum animis detergantur. Sane, ſi, propoſito belli civilis, quod impendet, periculo, ut illud devitares, externum aliquod tibi ſuſcipiendum eſſet, non aliud quam Belgicum poteſt occurrere; quod et commoditatem gerendi majorem ob viciniam habeat, et confectum aeque magna acceſſione regnum ſimul locupletaturum ſit ac firmaturum. Nunc non tam de bello in Belgio gerendo, quam de populis in clientelam tuam recipiendis, et ab immani oppreſſione Hiſpanorum liberandis, agitur. Habent illi civitates, oppida, arces munitiſſimas, et omni re inſtructiſſimas; quibus expugnandis longo tempore et integris exercitibus opus eſt: quas tamen difficultates omni ratione ſuperandas ſuaderet tibi fidiſſimus quiſque, potius quam bellum in regno haberes. Nunc, cum illi ultro ſe ſuaque tibi dedant, pars ipſi nobiliſſima Galliae, et a reliquo corpore quaſi per violentam membrorum diſcerptionem olim avulſi, erunt, qui, injecta praepotentis hoſtis formidine, eos deſerendos conſulent? Quae, malum, iſta prudentia eſt; ne foris hoſtem habeas, eundem domi hoſtem habere? Apage iſtam prudentiam, quae pericula reformidare potius, quam in tempore devitare aut ſuperare, docet. Occaſiones rerum gerendarum aut fortuna benigne offert, aut accipiendi eas neceſſitatem imponit. Alieno tempore hanc oblatam dicunt, qui bellum cum Hiſpano diſſuadent, cum, diviſis factionum ſtudiis, animi minus bene conveniunt: atqui rebus

rebus pacatis, et concordibus procerum, nobilitatis, ac ceterorum ordinum ſub principis obſequio voluntatibus, tam pulchram occaſionem non praetermittere ſummae prudentiae eſſet. Quid ſi non alia ratione divulſi animi ad concordiam adduci poſſunt; annon ejuſdem prudentiae erit, eam dein neceſſitate ſuadente amplecti? Cogor heic rurſus Salſedae confeſſionum triſtem memoriam renovare; quas, licet pro tempore non creditas, nihilominus vanas non fuiſſe, hoc, quod inſtat a Guiſianis, bellum fidem facit. Bellum ſuperſtite fratre tuo in Gallia excitare non poterant, quod ille omneis eos, per quos bellum adminiſtraretur, penes ſe haberet; in hoc maxime laudandus, quod bellum foris geſturus pacem domi relinquebat. Itaque ad illum opprimendum omnes animi nervos intenderant; et, cum vi non poſſent, inſidias fortunae ejus ac vitae ſtruxerunt. Nunc, fratre ſublato, eorundem necne ſcelere incertum, quid illos facturos reris, cum bello a te, ipſis cogentibus, decreto, armorum potentiam ſuo arbitrio moderandam penes ſe habebunt, et pro libidine, in quem volent, convertent? Quod fratri facturi erant, ne tibi faciant, merito verentur omnes boni; et facient profecto, niſi mature rebus tuis conſulis: et hoc eſt magnum periculum, in quo te verſari ab initio dixi, quod non a viribus Hiſpanis, ſed a tuis propriis inter ſe diviſis, impendet. Hoſtileis vero, quales ſint, quandoquidem multi eas tantopere ad terrorem extollunt, operae pretium eſt diligentius conſiderare. Qui multitudine ditionum et titulorum amplitudine eas metiuntur, nae ignaris rerum terrorem incutere poſſunt: verum illa ipſa amplitudo robur ejus minuit, cum, disjunctis tot locorum intervallo regnis, quae omnia fere validis Hiſpanorum praeſidiis tenet, ſeparatas vireis habere cogatur. Hiſpania ipſa univerſa praeſidiis plena eſt; quippe quae Pyrenaeis a ſeptentrione, qua parte Galliam habet, et validis contra eam praeſidiis munita eſt; a ceteris partibus mari Mediterraneo et oceano ambitur; et inde Turcos, inde Mauros et Anglos, infeſtos habet. Ne mediterranea quidem Hiſpaniae metu vacant: nam [a] Baetica ob recenteis Maurorum motus, Luſitania nuper Caſtellenſi coronae unita, haud ſatis aequo animo jugum Hiſpanum ferunt; et potius vires ac duces, quam animi, ad defectionem deſunt. Quid quod Arragoniae, ob antiqua privilegia et immunitates, quas labefactare reges inter arcana imperii ducunt, ſuſpecta fides eſt; ideoque nunquam fere ab ea parte, quamdiu Gallis cum Hiſpanis regibus bellum noſtra aetate fuit, exercitus immiſſi ſunt? quod ſcilicet reges vereantur populos illos armare, ne priſtinae libertatis memores eam ſumptis armis tueri velint. Itaque cum tot locis diviſas copias habere cogatur Philippus, Italis et Germanis plerumque auxiliaribus utitur; neque plus X CIↃ hominum, partim Italorum, partim Hiſpanorum, praeter delectus provinciae, in Belgio ſtipendiis ſuis alere ſolet; quibus Germanicae copiae interdum accedunt. His ſi totidem Gallos, quod tibi facillimum eſt, opponas, quibus recentes quotidie ſummittere potes, plus ſatis erunt, non ſolum ad defendenda oppida quae ſe tibi ſponte dedunt, ſed pellendum Belgio hoſtem: quibus et addere potes VI CIↃ Helvetiorum, qui locis ſuſpectis, aut ab hoſte, aut ab oppidanorum fide, diſponendi erunt; quod et ſtationes obire diligenter ſoleant, et contenti ſtipendiis ab inquilinorum injuria abſtineant; quod ad populos in officio continendos multum valet. Quae dum facis, et ſimul Dei beneficio uteris, et famae, qua fere imperia conſtant, conſulis; et non ſolum Belgas ab oppreſſione injuſta, quod tibi honorificum, ſed etiam populos tuos a belli domeſtici, quod alioquin impendet, injuria defendis; dedoceſque Gallos contra Gallos pugnare, per belli externi neceſſitatem, reſtituta inter eos olim divulſos mutua charitate et concordia: quo quid glorioſius aut magnificentius dici poſſit non video. Praeterea aerario jam bellis ſuperioribus

INTERPR. [a] *Andalouſie, ou Royaume de Grenade.*

ſuperioribus exhauſto parcis; quod alioqui, ſi bellum domi habeas, tibi cumulatis aliis ſuper alia edictis fiſcalibus ſarciendum erit. Adde his militis diſcurrentis licentiam, populationes crebras, et vexationes; quae tributis ordinariis ruſticae plebi multo graviores ſunt, et quas duplicatis vel triplicatis tributis libenter redimat, ſi de maleficio et injuria idonee caveatur: nam inter arma civilia diſciplinam ſervare, ſupra tuam prudentiam, ſupra ducum tuorum vireis, poſitum eſt. Haec mea eſt de hoc negotio ſententia; quam ut ſequaris, ſi te regnumque ſalvum cupis, potentiſſime rex, te vehementer oro obſecroque; tecumque ſic cogites, jam ſemel ejuſdem belli fortunam Carolo fratri oblatam; quam ne acciperet, Hiſpanienſium fraudibus et dolis inductum, ſe regnumque piaculari clade obligaſſe: nunc idem Belgium, quod illi tunc armis ſubigendum proponebatur, longe opimioribus conditionibus dedere ſe ultro tibi; quas ne itidem accipias, eoſdem illos homines bellum funeſtum in regno tuo excitaſſe. Porro ad prudentiam tuam pertinet, ut ejus triſtiſſimum, quem animo provideo, exitum, tranſlatis contra ſpem conjuratorum alio armis, quaſi averſione, declines; tibique perſuadeas, in magnis periculis audacia ac generoſa conſilia plerumque cautioribus tutiora eſſe.

XVII. DICENTEM benigno vultu audiviſſe rex viſus eſt, ut mihi poſtea ipſe Noallius retulit; et poſt gratias actas memorem ſe monitorum ejus fore promiſit. Poſtea, re cum ſuis deliberata, cum Noallii rationes, ſuppreſſo ejus nomine, allegaſſet, qui contra ſentiebant, ita diſſerebant: Pacato et bene concordi regno fortaſſe minus juſtum honeſtumve aut tutum hoc bellum multis viſum iri; diſſidentibus vero animis, et factionum ſtudiis ſciſſa concordia, non ſolum audacis prudentiae, ſed abſurdae temeritatis eſſe, ne bellum habeas, bello te longe periculoſiſſimo implicare; imo duo bella ſuſcipere, ne unum habeas: nam ſi cum Belgii Ordinibus conveniatur, eo facto protinus bellum Philippo indici; et manere tamen adhuc bellum cum foederatis; quod prius conficiatur neceſſe eſt, quam illud geri poſſit: itaque eodem tempore duo bella haberi. Quid ſi Navarrus, et qui cum eo ſunt Proteſtantes, quorum factio adhuc viget, inde occaſionem capiant arma ſumendi, et, toties ſe deluſos cauſati, oppida capiant, et tertium bellum tibi moveant? Nam, ita turbatis ubique rebus, quis ſponſor erit egregiae adeo eorum erga regem regnique pacem voluntatis? Bella ex bellis ſeri, dum ſpecie vitandi civilis belli, quod toties habuimus et compoſuimus, potentiſſimus hoſtis laceſſendus proponitur. Neque vero aemulatione Anglorum moveri quenquam debere: nam ut Angli Belgii patrocinium ſuſcipiant, non propterea formidabiliores ex eo Galliae futuros: nam illis diuturnum cum obſtinatis Hiſpanis bellum fore; et, ut votorum compotes evadant, quod vix ſperari poteſt, non ideo Belgis ad bellum cum volent Gallis inferendum pro libidine uſuros; aut paſſuros Belgas, ut, arcibus impoſitis, libertas, cujus inſano retinendae ſtudio Philippo obſequium renunciarunt, ab Anglis auxiliaribus ſibi eripiatur. Conſtare ex annalium Belgicorum fide, populos eos, libertate et commercio gaudenteis, ſaepe contra principes ſuos, quod bellum regibus noſtris facere vellent, rebellaſſe. Itaque nihil in hoc negotio ſtatui poſſe, antequam bellum a foederatis excitatum compoſitum fuerit: ac proinde conſultum videri, ut ante omnia cum iis agatur; et, quantum fieri poterit, in id intendatur, ut arma deponant: quod ſi impetrari poterit, tunc liberum fore regi, ut de conditionibus a Belgii Ordinibus propoſitis, juſtum, utile, ac neceſſarium necne bellum ſecum trahant, ſecure per otium deliberetur. Interim honeſte legatos dimittendos, prius monitos, hoc ſtatu rerum regem nihil certi ad poſtulata eorum reſpondere potuiſſe; ceterum eorum ſalutem regno Franciae praecipuam ſemper fore; ac curaturum regem, ut de ſubſidiis, quantum per ſua negotia licebit, ipſis in tempore proſpiciatur.

Qui

CIↃ IↃ LXXXV. Qui ita ſentiebant, quanquam impraeſentiarum nihil de bello contra Proteſtanteis
HENRICUS III. movendo ſtatuerent, tamen ſciebant, cum ante omnia cum foederatis tranſigendum eſſet, arma ſemel ſumpta aliter deponi non poſſe, quam ſi alio transferrentur. Itaque, rejectis pro tempore Ordinum conditionibus, apparebat, neceſſario arma adverſus Navarrum vertenda eſſe. Eam tamen ſententiam, ut mediam, rex elegit, tarditate inſita, quae ignavia ſuorum multum adjuvabatur: alioqui eo ingenio erat, ut recta monenteis libentiſſime audiret, et deterioribus nihilominus conſiliis ſe vinci ad extremum pateretur. Igitur exeunte Martio legati ad regem introducti ſunt; qui, poſt graviſſimam de vi ſibi ab Hiſpanis Guiſium incitantibus illata expoſtulationem, a patrocinio eorum ſuſcipiendo pro tempore ſe excuſavit; monuitque ut rationem ipſi inirent, qua ſe ſuis viribus adverſus hoſteis tueri poſſent: quae poſſit libenter offert; porro majora praeſtiturus, cum res ſuas ad priſtinam tranquillitatem reduxerit. Tum apud reginam Angliae ſe inſtiturum promittit, ut eorum periculum minime negligat: idem ſe cum Navarro acturum; quod et bona fide praeſtitit.

XVIII. PAULO ante, VII Kal. Martias, Henricus [a] Stanleius Derbiae comes ingenti ac magnifico comitatu ab Eliſabetha miſſus ad regem venerat, periſcelidis inſigne, ut mos eſt inter foederatos principes, ferens; pari magnificentia a rege Lutetiae exceptus: unde ſumpta occaſione concionatores in urbe, majore quam antea licentia, in regem debacchati ſunt: cum Sectariis nova foedera in religionis perniciem iniri, majorum religionis propugnatores interea ſperni, et dignitate ac potentia ſpoliari: piis omnibus tandem evigilandum eſſe, et periculo, in quod ignavia ſive conniventia eorum qui rerum potiuntur religio devocatur, mature praevertendum. Eas voces cum negligere a matre male conſultus rex didiciſſet, contemptum, et ex contemptu odium, ſibi apud populum peperiſſe ſero ſenſit, patientiam illam pro confeſſione accipientem. Tunc vero, cum inter convivia, choreas, pompas nocturnas, haſtiludia, ad Derbienſis legationem honeſtandam inſtituta, de motibus foederatorum undique allatum eſſet, neque proinde rex Ordinum patrocinium ſuſcipere poſſet, enixe Derbienſem oravit, ut eorum cauſam apud ſereniſſimam reginam commendatam haberet: eodem officio et per oratorem ſuum poſtea apud reginam defunctus eſt. Ita dimiſſi legati: quorum diſceſſu cum viderent Navarri delegati res ad bellum contra Proteſtanteis ſpectare, eo magis apud regem reginamque, quae tunc [b] Eſpernaei erat, inſtiterant, ne cum foederatis tranſigendo quidquam in ipſorum praejudicium ſtatueretur.

XIX. JAM ante, poſt primum diploma a rege publicatum, quo delectus prohibebantur, et ſi qui milites ſine ejus mandato ſcripti eſſent dimitti jubebantur, diverſi ex aula in diverſas provincias miſſi, qui primos illos motus comprimerent. [c] Monpenſerius in [d] Pictones profectus eſt, ubi jam ſecretis [e] Mercurii ducis Armoricae vicinae praeſidis mandatis milites ſcribebantur; in quos ille, adjuncta ſibi nobilitate provinciae, et multis ex juventute urbana [f] Julioduni, Thoartii, Fontenaii, et aliis circumpoſitorum locorum, ut plurimum Proteſtantibus, impetum fecit; et, caeſis aliquot, ne ad ſigna convenirent impedivit. Miſſus et Annas Jouſa [g] Bogentiacum ad Ligerim cum delectis, qui copias foederatorum, [h] Ellebovii ductu illac populabundas, reprimeret. Is eas per [i] Turones ac Vindocinum agrum in [k] Cenomanos uſque perſecutus eſt, ultimum ſemper agmen carpens, nec ulla praeterea re memorabili geſta, donec in inferiore [l] Neuſtria ſine certamine omnino diſſipatae

INTERPR. [a] *Stanley, comte de Derby.* [b] *Eſpernay.* [c] *le duc de Montpenſier.* [d] *Poictou.* [e] *le duc de Mercœur, gouverneur de Bretagne.* [f] *Loudun, Thouars, & Fontenay.* [g] *Baugency ſur Loire.* [h] *le duc d'Elbœuf.* [i] *Touraine, & le Vendoſmois.* [k] *le Maine.* [l] *Normandie.*

α diſſipatae ſunt. Remanſerat aegre in aula Eſpernonius, ex abſceſſu frigido, qui illi infra dextram maxillam fluebat, ad maciem extenuatus; qui impatientiſſime omnium hos motus ferebat; quippe qui in occulto rebus Navarri faveret, et infeſtos ſibi Guiſianos potentia creſcere indignabatur. Itaque ſtimulos quantos poterat regis tarditati ſubjiciebat; et, cum primum convaleſcere potuit, cum delecto peditatu et nobilitatis flore [a] Genabum uſque excurrit, et copias foederatorum jam illuc confluenteis, antequam convenirent, huc illuc diſturbavit. Sub id de novo motu Lugduni excitato affertur. Franciſcus Mandelotus urbis praefectus aegre ferens arcem Michaeli Antonio [b] Saluciano Mantae, quicum illi bene conveniebat, ademptam, et ab Eſpernonio [c] Poeſio Paſſagio ſuae factionis homini commiſſam eſſe, atque ita ſibi quaſi ſuſpecto fraenum injectum, rationem init, qua per plebem eam interciperet ac demoliretur. Igitur, ſparſo rumore quaſi Proteſtantes aliquid molituri in urbe eſſent, qui foederatorum ad ciendam plebem aſtus tunc vigebat, arma corripiuntur; plebſque concitata a conjuratis ducibus ſtatim ad arcem ducitur, fere incuſtoditam, neque dum bene munitam; propugnaculoque aſcenſo quod urbem ſpectabat, majore numero contra paucos certans, facile loco potitur, ac ſumma celeritate arcem a fundamentis diruit, antequam rex de caſu intelligere potuiſſet. Poſtea Mandelotus factum excuſavit; et in populi furorem, quem cohibere nullo praeſidio fretus minime potuerit, culpam rejicit. Quod quanquam Eſpernonius non inultum vellet, tamen, quod privatae potius injuriae quam publicae ſenſu in ea cauſa tangi crederetur, pro tempore a rege diſſimulatum fuit, et excuſationes Mandeloti in bonam partem acceptae; annitente Villaregio, qui Mandeloti filiam Carolo [d] Alincurio filio uxorem parabat, et per has nuptias Lugdunenſem praefecturam ambiebat, arce deſtructa longe futuram ampliorem. Id actum III Nonas Maias. Adverſum hunc caſum, quo rex, etſi in ſpeciem placatus, praecipuam regni urbem e poteſtate ſibi a foederatis ereptam in occulto moerebat, utcunque penſavit Jacobi Matignoni, [e] Aquitaniae ſub Navarro legati, aſtus; qui, cum videret [f] Burdigalam provinciae caput, in arcis, cui [g] Tubae nomen eſt, nam altera eſt minus munita, poteſtate eſſe, Ludovicum [h] Genulliacum Valliacum, qui eam tenebat, multis nominibus ſibi ſuſpectum, in poteſtate habere ſtatuit, non prius eum, quam arce tradita, dimiſſurus. Is igitur, antea conciliata civium per popularitatem benevolentia, et major urbis creatus, ad horum motuum famam cunctos provinciae praefectos convocat, quaſi de regis mandatis cum iis acturus, et in commune conſultaturus. Concilium in Matignoni aedibus habetur; ubi, cum Valliacus ex arce veniſſet, poſt aliquot horarum conſultationem, ordine rei gerendae jam in urbe compoſito, et, ſi vis adhibenda eſſet, tormentis inſtructis, cum ceteri in aedeis quiſque ſuas diſceſſuri eſſent, Valliacus retinetur; regiumque mandatum mox adfertur, et coram eo recitatur; quo arcem in [i] majoris et juratorum urbis, ita [k] conſules ſeu aediles vulgo vocantur, manus conſignare jubebatur. Cum initio recuſaret, et minas ſpirans Dei hominumque fidem obteſtaretur; Matignonus contra, niſi mandatis regiis ſtatim pareret, ſe eum ad primum tormenti jactum, qui ex arce diſploderetur, expoſiturum interminatur: ut minis fides conſtaret, e veſtigio tormenta, ad majorem

VAR. LECT. α diſſipatae ſunt. Ferunt Ellebovium, cùm in domo cujuſdam ruſtici ditis dies aliquot cum ſuo comitatu omnia helluaſſet, hoſpitem ad menſam evocaſſe, et quaſi valedicturus, affectata humanitate, homini non infaceto ex hoc bello omnia fauſta promiſiſſe; nam fore, ut, Sectariis extirpatis, populus oneribus levaretur, nihilque deinceps pro tributis exſolveret: et ruſticum ad haec reſpondiſſe, ſentire ſe tam fauſti augurii fructum; nam eo res ſuas tanti hoſpitis adventu redactas, ut nihil amplius ſolvere poſſet. Remanſerat aegre *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Gien.* [b] *de Saluces, Sieur de la Mante.* [c] *de Poiſieu, Sieur du Paſſage.* [d] *le Sieur d'Allincour.* [e] *Guienne.* [f] *Bourdeaux.* [g] *Chateau-Trompette.* [h] *de Genouillac, baron de Vaillac.* [i] *le maire & les jurats.* [k] *conſuls, ou eſchevins.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

majorem terrorem praeſidiariis incutiendum, ex publicis aedibus promuntur, et ad arcem admoventur in Valliaci conſpectu: quo animadverſo ille animos demittit; et, facta ſpe ut rex ei impenſas in arcis refectionem, ut aiebat, factas refunderet, legato, ut arcem traderet, imperavit: et ita Matignonus ea potitus eſt; quam non, ut Mandelotus Lugduni fecerat, deſtruxit, ſed diligenter poſtea munivit; ejuſque praeſidio fretus, urbem et totam provinciam ſemper ex eo in obſequio ad belli uſque exitum continuit. Diverſa parte [a] Maranum, [b] Tremolliorum antiquitus municipium, nunc [c] Sancerrae comitum ditionis, ob [d] Rupellae viciniam magni ad res gerendas momenti, cum accenſis animis et ob religionem diſcordantibus utraque pars ad ſe traheret, tandem Renati [e] Roani adventu confirmati Proteſtantes arcem occuparunt, accepto [f] Saliceto Bellogardio praefecto a Roano impoſito. Cumque haud multo poſt [g] Albinius Joſſelinerius, foederatorum partibus addictus, cum ccc [h] Jacopolim petens illac tranſire prohibitus fuiſſet, anfractuoſo per [i] Malcacum et Rondam facto itinere, a praeſidiariis [k] Fani Joannis Engeriaci, qui inter haec de ejus profectione cognoverant, loco iniquo oppreſſus, ſuis fere omnibus caeſis, vix periculum evaſit. Poſtea et ob opportunitatem loci arx Maranenſis, praeſidio Rupella ſummiſſo, amplius firmata eſt; eamque defendendam ſuſcepit [l] Montalambertus Eſſartius, expertae virtutis dux, et, ob egregie navatam olim in Fani Joannis et Rupellae defenſione operam, inter ſuos clarus.

XX. Cum vero paſſim voces audirentur de Navarro tanquam haeretico, et poſt poenitentiam in haereſim relapſo, eccleſiae et Catholicorum infeſto hoſte, ac denique quietis publicae perturbatore, ipſe ſcriptum [m] Bergeraci in Petrocoriis edit, quo cum bona regis gratia ad calumnias inimicorum reſpondet; et, quantum ad Sectarii crimen, eum non haereticum eſſe dicit, qui nulla ambitione ductus, et de ſalute aeterna tantum ſolicitus, quod veteri ac novo teſtamento, ſymbolo apoſtolorum, compendioque fidei ab antiquis patribus, quo Orthodoxi a Sectariis diſcernerentur, compoſito, antiquis item conciliis continetur, toto pectore amplectitur, omnemque doctrinam Dei verbo, et patrum Orthodoxorum decretis ac conciliis, contrariam, et ab iis damnatam, deteſtatur. Sed multorum jam a multo tempore veterem querelam fuiſſe, multa in eccleſiae ſeu doctrina ſeu diſciplina depravata eſſe, quae caſtigatione indigerent: cui malo, cum ab iis qui poterant, et quorum maxime intererat, nequaquam ſatisfieret, inde ſciſſuram ſecutam Deo humanoque generi inviſam, ac piis omnibus deplorandam. In ea ſe tempora incidiſſe; turbiſque ob id in Germania et Gallia exortis, non aliud poſt multa ac ſanguinolenta bella repertum opportunius remedium, quam ut, dum legitimo ac libero in concilio de controverſis religionis capitibus ſtatuatur, conſcientiis libertas concederetur. Ea de re condita regum beneficio complura edicta; quae publicata pacem regno pepererint, violata ſtatim ferro et igni omnia miſcuerint. Quod vero controverſiae illae ſynodo Tridentina deciſae dicantur, nequaquam ſibi nec aliis multis probari, qui ſciunt ſynodum illam neque legitime convocatam neque peractam fuiſſe; quippe bello civili in Gallia ardente, cum Proteſtantes neque intereſſe, neque audiri poſſent: quapropter inauditos eos nequaquam rite condemnari potuiſſe. Et vero ſcire omneis, in ea petitionibus ab oratoribus regiis propoſitis, cum prius eae a [n] Sorbonicorum theologorum collegio in Gallia approbatae, et in regis conſiſtorio lectae eſſent, et regis reginaeque ac principum et procerum ſubſcriptionibus firmatae, minime ſatisfactum eſſe; ob idque oratores regios, prius proteſtatione contra pontificem facta, Tridento regis juſſu diſceſſiſſe, neque amplius eo rediiſſe; et cum concilii illius

INTERPR. [a] *Marans.* [b] *de la Tremoille.* [c] *Sancerre.* [d] *la Rochelle.* [e] *de Rohan.* [f] *de la Saulſaye de Beauregard.* [g] *d'Aubigny, Sieur de la Joſſeliniere.* [h] *Brouage.* [i] *Maillezais, & la Ronde.* [k] *St Jean d'Angely.* [l] *de Montalambert, Sieur des Eſſarts.* [m] *Bergerac en Perigort.* [n] *la Sorbonne.*

illius promulgationem poſtea cardinalis Lotharingus urgeret, ſemper ampliſſimum ordinem interceſſiſſe. Non igitur Navarrum haereticum pertinacem eſſe, qui doceri et inſtrui cupiat, et ſe legitimi concilii, in quo Proteſtantes audiantur, decretis nunc etiam ſummittat. Nec magis ei relapſi notam impingi, cujus ratione omni ſucceſſionis regiae jure indignus haberi debeat: nam ſe in ea doctrina, quam profiteatur, a puero educatum, ſemper vixiſſe; neque dum, ut aliter ſentiret, inſtructum eſſe. Et quod poſt Sanbartholomaeam ſtragem mutaſſe dicatur, et miſſis Romam oratoribus haereſim priorem abjuraſſe, id reſponſionem non mereri; quippe cum id, dum captivus eſſet, vi et metu factum omnibus conſtet, qui in conſtantiſſimum virum cadere potuerit; et poſt libertatem recuperatam, ceſſante illo metu, quid ſuae mentis eſſet, ſtatim declaraſſe. Mox ſecutum edictum anno CIↃ IↃ LXXVI, inſtante Alençonio regis fratre, factum; et anno eodem, eorundem, qui nunc publicam quietem turbant, factione violatum, ejuſdem foederis jam tum icti et nunc renovati praetextu: et anno ſequenti, alio condito edicto, aequioribus, ut rex exiſtimabat, conditionibus, pacem reſtitutam; quam et ipſe et Henricus Borbonius Condaeus patruelis toto corde amplexi ſint, et religioſe ad hoc tempus, quamvis pluribus injuriis laceſſiti, ſervaverint, in neminem Catholicorum, vel monachum vel ſacerdotem, propterea injurii: nam fidem eorum appellare, ac praecipue Aginnenſium, ubi toto eo tempore commoratus ſit; id Monpenſerium ducem, majorum religioni, quod omnes ſciunt, citra fucum, addictiſſimum, Bironum, archiepiſcopum [a] Viennenſem, et [b] Villaregium, qui tunc [c] Aginnum venerant, cum ex oppidanis diligenter percontati eſſent, cognoviſſe. Nihil in ditionibus, in quibus ſupremum dominium obtinet, ex quo per optimae parentis deceſſum in eas ſucceſſit, mutaſſe: et cum [d] Benearni jampridem Pontificiae religionis uſus ordinum decreto ſublatus eſſet, nihilominus [e] Oleronenſi et Laſcurrenſi epiſcopis ſua vectigalia reliquiſſe. In iis autem Navarrae regni reliquiis, quas pontificum et Hiſpanorum injuria, et alieni invadendi libido, ſibi reliquas fecit, utriuſque religionis, citra cujuſquam injuriam et offenſionem, liberam profeſſionem eſſe. Non ergo ſe eccleſiae et [α] Catholicorum adeo infeſtum hoſtem eſſe, neque vero pacis publicae perturbatorem, qui quaſcunque pacis conditiones, dummodo conſcientiarum innoxiae libertati proſpectum eſſet, quovis tempore libentiſſime acceperit. Quod autem de Magdeburgico [β] conventu objiciebant, in quo decretum fuerat, ut Navarrus bellum in Gallia Aprili proximo moveret, id eorum vanitatem ac impudentiam inprimis arguere: nam eum Decembri poſtremo celebratum illos fingere, cui interfuerint Palatini ſeptemviri et Arauſionenſis legati; quos aliquot menſibus ante in vivis eſſe deſiiſſe omnes ſciunt. De legatione Jacobi [f] Segurii non diffiteri; et quae mandata ejus eſſent, minime regem ignoraſſe: id ſe juſtae ac privatae tutelae cauſa feciſſe, cum videret inimicorum molitiones, de quibus undique afferebatur, et tot teſtimoniis conſtabat, in aula negligi: nam jam ante IX annos de iis monuiſſe regem, miſſo e nobilibus ſuis domeſticis uno, qui ſecreta eorum rimatus fuerat. Poſtea Joannem Caſimirum ab iis [g] Nancii perhonorifice exceptum, et ſolicitatum; quod tamen conſilia eorum ad regni everſionem ſpectarent, ab iis ſe ſeparaſſe. Poſtea, quid in Hiſpania et Italia molirentur, diverſis ex locis regem reſciviſſe; et Salſedae confeſſiones nimis veras fuiſſe, ne nunc quidem regem dubitare: quibus conſpirationibus, cum regem ſaepius a ſe monitum, ſeque peti videret, conſultum duxiſſe,

VAR. LECT. [α] Catholicorum, quod inimici impudenter comminiſcuntur, adeo infeſtum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.* [β] conventu blatterabant, in quo *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Vienne.* [b] *de Villeroy.* [c] *Agen.* [d] *Bearn.* [e] *d'Oleron, & de Leſcar.* [f] *de Segur.* [g] *Nancy.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

duxiſſe, ſe principum amicorum praeſidio adverſus tantos belli apparatus munire. Itaque Segurium in Angliam, Daniam, ad Imperii principes, ablegaſſe, ut primum de diſſidio religionis, quod Gallicis et Helveticis eccleſiis cum Germanicis intercedit, ſi qua ratione poſſet, componendo, cum iis ageret; tum, expoſitis turbulentorum hominum in Gallia contra regnum in Proteſtantium perniciem machinationibus, auxilia contra communeis hoſteis parari, et pecuniam in id conferri, et ad uſus belli ſeponi, peteret: hanc ſummam eſſe ejus mandatorum. Quod vero de [a] Montalbanenſi conventu objicitur, vix reſponſionem mereri; quippe cum rex ſciat eum ſuo permiſſu celebratum, et Pomponium [b] Bellevreum ab ipſo miſſum conventui interfuiſſe; in quo de urbibus praecipue, quas rex repoſcebat, et Proteſtantes, cum bona regis gratia, adhuc aliquot annis ſecuritatis ergo retinere cupiebant, actum eſt: eamque petitionem juſtam regi poſtea viſam fuiſſe, prorogato ad biennium tempore, quo eas in poteſtate haberent: ut mirari ſubeat illorum impudentiam, qui, cum non erubeſcant, jam tot praefecturarum in regno potentes, minis additis, et bello ultro intentato, flagitare, ut [c] Neuſtria, Picardia, Lugdunenſis provincia, Salucianus principatus, Tullum, Virodunum, ac Diviodurum Mediomatricum, inter ſuae familiae proceres diſtribuantur, in invidiam trahant, ſi Proteſtantes, tot injuriis ab iis affecti, ſuſpicionibus majorum malorum quotidie creſcentibus, pauculas urbes ad perfugium ſibi a rege attribui ſuppliciter petant. Quae cum ita ſe habeant, et criminum objectorum, qui accuſant, potius rei ſint, quam qui accuſantur, petere viciſſim, ut cum bona regis venia, cui omne honorificum obſequium ac reverentiam debet, liceat ſibi palam pronunciare, falſo et maligne mentiri illos, qui hujuſmodi calumnias de ſe ſpargere auſi ſunt: petere inſuper, quo tot hominum innocentum ſanguini parcatur, a vexationibus, incendiis, direptionibus, quae bellum civile ſecum trahat, abſtineatur, ut ſibi liceat ſingulari certamine, aut duobus pluribuſve cum totidem compoſitis, privatam hanc controverſiam, loco a rege in regno aſſignando, aut, ſi extra regnum malint, loco ad quem tutus acceſſus ſit, cum ipſis dirimere: id perhonorificum Guiſio fore, ut ad duellum a praecellenti longe dignitate principe provocetur; neque conditionem honeſte recuſare poſſe. Tum Deum optimum maximum de utriuſque partis jure pro ſua ineffabili providentia ac juſtitia decreturum; ſic regi quietem, regno populoque Galliae afflicto pacem parari, et impotenti Guiſianorum adverſus Navarrum odio citra publicam perniciem plene ſatisfactum iri. Hoc ſcriptum IV Eid. Jun. editum, et IV Kal. Quintil. regi a [d] Claraventio et Chaſſincurio Navarri nomine oblatum, ac poſtea Lutetiae publicatum fuit.

XXI. Pridie quam editum Bergeraci fuerat, foederati, qui [e] Catalauni erant, directo ad regem libello, qui cardinalis Borbonii et Guiſii tantum nomine ſubſcriptus erat, petunt, ut edictum condatur, quo religio Catholica apoſtolica Romana, omni alia interdicta, in regno conſtituatur, Sectarii omni dignitate ac publico munere exuantur, et indigni qui iis fungantur in poſterum declarentur. Edictum illud rex promulgari in regni curia praeſens curet; et, promulgatione facta, juxta jusjurandum in regni inauguratione praeſtitum, et [f] comitiorum Bloeſenſium decretum, in illud ſolemni ſacramento ſe obſtringat; et ceteris principibus, paribus Franciae, ac aliis proceribus, praefectis, ac iis qui muneribus publicis ubique per totum regnum praediti ſunt, exemplo ſuo praeeat. Urbes, quae a Proteſtantibus tenentur, ab iis recipiantur: ſi reſtituere recuſent, armis repetantur. Rex patrocinium Genevae, quod male conſultus, et contra animi ſententiam, ut ipſe compluries proteſtari

INTERPR. [a] *Aſſemblée de Montauban.* [b] *de Bellievre.* [c] *Normandie, Picardie, Lyonnois, marquiſat de Saluces, Toul, Verdun, & Mets.* [d] *les Sieurs de Clervant & de Chaſſincour.* [e] *Chaalons.* [f] *Eſtats de Blois.*

proteſtari auditus eſt, ſuſcepit, deſerat; cum directo inter ſe pugnent, majorum religionis defenſionem profiteri, et civitatem Sectarii veneni officinam, quod inde in omneis orbis Chriſtiani partes effunditur, tuendam ſuſcipere. Et quia, jam toties repetitis ad aſſerendam majorum religionem edictis, nihil actum ſit, inpraeſentiarum ſtatuatur, ut cum iis, quas foederati habent, viribus, aliiſque ſine mora ulla a rege conſcribendis, edictum hoc executioni demandetur. His conditionibus paratos foederatos, ut omnem odii et ambitionis ſuſpicionem amoveant, a petitione de civitatibus ſecuritatis ergo poſtulatis deſiſtere, et praefecturis ac dignitatibus, ſi rex ita velit jubeatque, ultro renunciare: quod ultimum ad oſtentationem ac regis invidiam a Guiſianis additum erat; qui certo ſcirent, regem minime eas a ſe repoſciturum; ac nihilominus ſperarent id ſibi modeſtiae laudem, et ex ea gratiam, apud ignaram plebem conciliaturum. Tandem rex, poſtquam vidit foederatos in propoſito perſeverare, ut arma ante edictum conditum minime deponerent, reginamque matrem ac ceteros conſiliarios animo linqui, cum et ipſum, niſi poſtulatis ſatisfaceret, etiam armis cogi poſſe dicerent, etſi aegre, ceſſit; et, tranſlato [a] Nemoroſium in Gaſtinenſi agro colloquio, quo Eſpernonius [b] Genabo rediens venit, ex regis conſenſu, de conditionibus conventum fuit; eaeque ſubſcriptae ſunt Nonis Quintilibus. Id praeſenſerant Navarri delegati, qui ad eum de re omni diligenter ſcripſerant. Is igitur, cum Neraci eſſet, triduo poſt ad regem dat literas, expoſtulationis plenas; quibus eum ad epiſtolas ad ſe ſcriptas, et quae penes ſe erant, vocabat. Iis rex Guiſianorum ambitionem exagitabat; et non religionis cauſa, ſed ut ferro et igni omnia miſcerent, regemque ac regnum perditum irent, ſuſceptum bellum fatebatur: ſed tantiſper, dum vulgus opinionem de iis conceptam paulatim exueret, et decipi ab illis aliquando dediſceret, Navarrum rogabat, ut ſe quietum in [c] Aquitania contineret, et ut Proteſtantes nihil moverent, auctoritate ſua pervinceret: nam nihil cum iis conventum iri, quod in ipſius praejudicium recideret. Se igitur, quamvis provideret his armis et regem et ſe praecipue peti, tamen regis imperia pro lege ac ratione accepiſſe; et periculum potius proprium negligere, quam voluntati regis non obtemperare, maluiſſe. Nihilominus magno cum animi dolore intelligere cum iis conventum, et, contra quam promiſſum erat, bellum contra Proteſtanteis decretum eſſe, revocatis edictis in ipſorum gratiam factis. Atqui nullas non conditiones aequas aut propoſuiſſe, aut paratum ſe accipere oſtendiſſe: nam et ſe concilio legitimo ſummiſiſſe; et praefectura Aquitaniae, lociſque quae in ea tenet, ſponte cedere, dummodo illi et ſuas a ſe abdicent: quod ſi ipſum petant, ſe, quanquam dignitate longe praecellentem, rem duelli aleae, ut rex pacem habeat, et populus ab omni injuria prohibeatur, permittere voluiſſe: idque honoris hominibus, quos rex perduelleis nuper declaraverit, detuliſſe; et regis obſequio ac patriae charitati, cujus calamitates ex hoc bello ſecuturas ſanguine ſuo luere voluerit, decus ac vitam propriam poſthabuiſſe. Quarum nihilominus conditionum ſi nulla ratione habita cum perduellibus in caput ſuum conveniatur, et contra Galliam, contra ſuos, contra ſeipſum, rex, Guiſianorum violentia coactus, bellum decernat; unum hoc ſibi ſupereſſe, ut regis, qui ſua fideli opera uti noluerit, conditionem, et regni calamitatem, cujus non alium exitum quam ipſum exitium videat, veris lachrimis deploret: ſe interim fidei conſcientia ac innocentia ſua ſoletur, et, cauſae juſtae confiſus, cujus defenſorem Deum ſperet, ſe animis et viribus adverſus ſuos et regis regnique hoſteis muniat. Hae literae jam rebus confectis ad regem perlatae parum valuere; quippe qui, quamlibet aegre foederatorum votis

INTERPR. [a] *Nemours en Gaſtinois.* [b] *Gien.* [c] *Guienne.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

votis acquieſcere videretur, tamen praeſenti neceſſitati parere conſultum duceret; et populos nimio otio et pacis beneficio exultanteis mox taedio belli mutaturos, et ad quietem inclinaturos, ſperaret. Itaque edictum eodem menſe conditur, quo rex, praefatus de remediis malo Sectario jam a XXV amplius annis in regno pullulanti adhibitis, modo belli, modo pacis viam tentatam dicit, infelici fere ſucceſſu: nam, cum per pacificationem nuper tumultus compoſitos quiſque crederet, arma repente exorta; ut parum humanam prudentiam in iis rebus, quae religionem ſpectant, valere appareat; tandemque experientia compertum eſſe, diviſos religione populos in negotiis civilibus inter ſe convenire non poſſe; et, juxta Dei verbum, omne regnum in ſe diviſum deſolari. His rationibus motus, ex reginae parentis aliorumque principum ac procerum conſilio, decernit, ut nullus deinceps ſit alterius religionis, quam Catholicae apoſtolicae Romanae, in regno ſuo uſus; addita capitis et bonorum proſcriptionis poena, ac revocatis ſuperioribus edictis, quibus religionis ſuae libera profeſſio Proteſtantibus concedebatur: ut paſtores ei doctrinae addicti intra menſem ab edicti promulgatione regno excedant, eadem addita poena: ut omnes religionem Catholicam apoſtolicam Romanam profiteantur; qui facere noluerint, intra ſex menſeis ab eadem promulgatione regno excedere teneantur, facultate nihilominus ipſis data, ut de bonis ſuis tam mobilibus quam ſoli libere ſtatuant, iiſque plene uti frui poſſint. Inſuper Sectaria labe infectos, qui muneribus publicis fungantur, indignos pronunciat; bipartitas et tripartitas judicum claſſeis, ad cauſas Proteſtantium judicandas in curiis inſtitutas, abolet; mandatque ut urbes ad ipſorum ſecuritatem attributas ſine mora reſtituant, et praeſidia iis impoſita dimittant: et, ut privatis ultionibus via praecludatur, ſi quid contra edictum factum fuerit, ejus rei cognitionem judicibus ordinariis attribuit; inhibetque, ne quis privata auctoritate fretus vim eo praetextu adhibeat. Tum eorum quaecunque a foederatis per hos recenteis motus, tam in regno quam extra regnum, geſta factaque ſunt, quae nimirum ſtudio pietatis et religionis Catholicae apoſtolicae Romanae tuendae cauſa facta reputat, oblivionem ſancit. Poſtremo ut omnes in verba edicti, quod perpetuum et irrevocabile futurum declarat, ſolemni ſacramento adigantur, eaque de re publica inſtrumenta conficiantur, jubet. Hoc edictum violentia a rege [α] extortum, pleriſque viris gravibus et pacis ſtudioſis pericula ex eo regi regnoque impendentia praeſagientibus, ſummo plebis favore et plauſu exceptum fuit. Rex XV Kal. Sextil. in ſenatum venit, ut promulgationi intereſſet; [β] ſic a matre ac foederatis jubebatur; et patres in purpura, quo majorem actioni celebritatem conciliaret, ſedere juſſit; pleriſque frementibus, et potius eos atratos adeſſe debere, ut in publico luctu, cenſentibus. Alii colorem in omen verterunt; et merito ſenatum purpuratum huic actioni interfuiſſe dicebant, quae cruenti, atque adeo purpurae concoloris belli initium eſſet. Poſt promulgationem triſti ubique bonorum omnium ſilentio peractam, cum rex curia exiret, feſtae illae voces, jampridem, uti dixi, intermortuae, bene precantis regi populi, ex compoſito a ſeditioſis renovatae ſunt; quas ludibrio potius quam honori ſibi a foederatis delatas rex interpretatus, aegre audire viſus eſt: nec defuerunt qui indignabundi vociferanteis increparent, ac perinde eos facere dicerent atque limaces Aeſopicas, quae, cum a ruſtico aſſarentur, domibus conflagrantibus quaſi laetitiae ſonum edere audiebantur. Additum occultis pactis, praeter conditiones publice promulgatas, ut ſecuritatis cauſa has urbes, exemplo, ut aiebant, Proteſtantium, cum praeſidio regis ſumptibus alendo

VAR. LECT. [α] extortum, verae pietatis, quae pace ſtat, ſtudioſis, et pericula ex eo regi regnoque impendentia praeſagientibus, abominandum, mirum quanto plebis favore *MSS, Reg. et Samm. Put. et Rig.*
[β] ſic miſer princeps a matre *Put.*

alendo tenerent; [a] Catalaunum et Fanum-Deſiderii in Campania, [b] Auguſtam Sueſſionum in Franciae peninſula, [c] Durocortorum Remorum in Veromanduis, in Morinis [d] Spiritus-Fanum, [e] Dinanum et Concham in Armorica; in Burgundia [f] Divionis arcem et oppidum, caſtrum item [g] Belnenſe; in Sclabis [h] Virodunum, in quo arx regis ſumptibus exſtrueretur; [i] Tullum in Leucis: praeterea rex cc millia aureorum externo militi a Guiſianis conducto exſolveret. Toto eo, quod a ſumptis armis ad edictum publicatum interceſſit, tempore, Guiſius, tam ſuo quam cardinalis Borbonii nomine, civitatum ac provinciarum fidem per emiſſarios ſolicitaverat; et addictum fere ſacrum ordinem habebat, quod religio huic foederi praetexeretur: paucique inter eos erant, qui, quod plus aliis ſaperent, non tam diſſentiebant, quam ſilentio rem tranſigebant, de exitu veriti; qui tamen a majore numero vincebantur. Plebs autem, majorum religioni addicta, in urbibus et per agros, per ſacrificos et concionatores, quos Guiſius ad id conductos ac plerumque pretio corruptos habebat, ſolemnia ubique inſaniebat. Reſtabant proceres, ac nobilitas; quae, ut dignatione illuſtrior, ita regii faſtigii et reipublicae majorem ſenſum habet: quidam tamen ex iis, aut criminum ultionem metuentes, aut aere alieno oppreſſi, aut partium ſtudio, ut in regno factionibus pridem ſciſſo, Guiſii partes ſequebantur: plures factionem Guiſianam, ut regni everſioni imminentem, deteſtabantur, et reipublicae ſalutem in ſolo regis obſequio ponebant.

XXII. INTER eos facile princeps eminebat Henricus Momorantius [k] Septimaniae praeſes; qui et tantae familiae clientelis, et provinciae ampliſſimae, cui praeerat, viribus ſubnixus, utri parti acceſſiſſet, magnum momentum afferebat. Ad eum ſolicitandum crebros nuncios ex Guiſii conſilio miſerat cardinalis Borbonius, priſtinae etiam amicitiae, qua conjuncti in aula olim vixerant, memoria renovata; eumque, ut in foederis ſocietatem veniret, ingentibus promiſſis invitaverat. Verum ille, qui ambitionem Guiſianorum perſpectam haberet, et reconciliationem olim cum Franciſco fratre factam parum ſinceram exiſtimaret, omnem cum Guiſianis ſocietatem leoninam reputans, a foedere, ut regi regnoque pernicioſo, ſe excuſavit; et Borbonium ſedulo monuit, ut a blanditiis Guiſianorum ſibi caveret: nam conſilia eorum huc tendere, ut ſe ejus nomine adverſus regem munientes, regno in bellum inextricabile praecipitato, ac confuſis ejus ordinibus, regiam tandem familiam perderent, ex ejuſque ruinis ſuam amplificarent. Is igitur, Navarro Condaeoque inſtantibus, ne regis regnique, in quo veluti Gallicae nobilitatis princeps praecipuum dignitatis locum teneret, tam neceſſario tempore cauſam defereret, et familiae aemulae per fas nefaſque in Gallia graſſanti, mature ſociatis ſecum conſiliis ac viribus, ſe opponeret, fidem iis addicit; et, poſt promulgationem edicti, ad [l] Pauli-fanum venit, in Laureacenſi agro, duabus a [m] Vaurenſi civitate leucis; quem locum ad colloquium delegerant. Ibi ſcriptum publicatur IV Eid. Quintil. nomine Navarri, Condaei, et Momorantii. Eo repetita conjurationum memoria, quas Lotharingi a tempore Franciſci II, ad invadendam ſummam potentiam, turbandam regni quietem, et regii ſanguinis principes per calumnias et falſas criminationes de medio tollendos, iniiſſent; quae bella ab iis excitata, quomodo compoſita fuerint, exquiſita oratione demonſtratur: multaque in invidiam eorum adduntur, ut oſtendatur, quibus artibus ac veluti gradibus eo pervenerint, ut pacem, ad inſtaurandos per armorum licentiam collapſos toto regno ordines, a rege vix tandem conſtitutam, turbarent; et quomodo regem alieniſſimo tempore vi ad edictum novum, quo ſuperiora revocabat, faciendum coegerint. Neque tamen id regi reginaeque matri

INTERPR. [a] *Chaalons, & St Diſier en Champagne.* [b] *Soiſſons en l'Iſle de France.* [c] *Reims en Vermandois.* [d] *St Eſprit de Rue en Picardie.* [e] *Dinan, & Conquernau, en Bretagne.* [f] *Dijon.* [g] *de Beaune.* [h] *Verdun.* [i] *Toul.* [k] *Languedoc.* [l] *St Paul de Cade-Jous en Lauraguais.* [m] *Lavaur.*

matri imputandum, quorum clementiam et aequitatem longe ab iis turbis alienam eſſe conſtet, ſed malignitati quorundam qui circa ipſos ſunt; qui primos hos motus artificioſe apud eos extenuantes, ne rex neceſſariis adverſus eos remediis ſe muniret, ſuaque adeo opera, quam tam obſequioſe detulerant, in tempore uteretur, impedimento fuerint: poſtea, adulto jam malo, adeo illud extulerint, ut, niſi deſideriis foederatorum confeſtim ſatisfieret, actum de ipſius dignitate ac regno videretur: ad haec exercitus ingenteis viſos, quibus vix Turcicae vires ad reſiſtendum ſatis eſſe poſſent. His vanis terriculamentis regem reginamque a ſuis deceptos ac proditos, poſtremo iniquis ſeditioſorum petitionibus acquieviſſe, et ſua auctoritate bellum funeſtiſſimum, ab infeſtiſſimis regis Gallicique nominis hoſtibus excitatum, comprobaviſſe. Ea propter Navarrum, Condaeum, et Momorantium, ad quos praecipue et ratione natalium et muneris neceſſitate pertinet, ut regis regnique curam ſuſcipiant, communi conſenſu de Lotharingorum violentia proteſtari; et, poſt repetitas a Navarro ante menſem propoſitas conditiones, amplius declarare, ſi quae aliae aequae proponi poſſunt, quas ſalvo decore ac conſcientia amplecti poſſint, ut pax in regno conſtituatur, eas ſe amplecti paratos: de cetero ſe foederis hujus auctores pro regis, regiae familiae, regnique hoſtibus habere, qualeis eos ante rex declaraverit, diplomate ad regni curias miſſo, et in iis promulgato; cujus mandatis obtemperanteis ſtatuiſſe eos tanquam perduelleis armis perſequi, et ſe contra injuſtam vim juſtis armis tueri. Quod ſi qui ſunt, qui ſpecioſo religionis colore decepti eorum partes hactenus ſecuti ſunt, modo intra duos menſeis a proteſtationis ejus promulgatione ab armis diſcedant, et quietos ſe domi contineant, eos ſe, ut ceteros majorum religioni addictos, qui factioni minime nomen dederint, in ſuum patrocinium recipere. Inde, poſt maturas de belli gerendi rationibus habitas deliberationes, diverſi, Momorantius in [a] Septimaniam ad res provinciae ordinandas, Navarrus et Condaeus in [b] Aquitaniam, abierunt.

XXIII. Postridie ejus diei quo proteſtatio publicata eſt, rex, qui jam ante promulgatum edictum [c] quaeſtoribus Pictonicae provinciae mandatum dederat, ut in Pictonibus et Engoliſmenſi annonam pararent, et IϽ CCC tritici, CCCL avenae modios ad Pariſienſem menſuram, IϽ XXC vini amphoras, provinciae imperarent, quae in publica horrea ad belli uſus ſeponerentur; cum, bello ſemel decreto, ingenti ſibi opus pecunia videret, ex ſenatu primarium ac ſecundum praeſidem, [d] praefectum [α] mercatorum, decanum eccleſiae Pariſienſis, in [e] Luparam evocat; et coram Ludovico cardinali Guiſio, compoſito ad laetitiam initio vultu, quamvis jam belli taederet, quomodo ejus taedium alios caperet quaerens, Gaudeo, inquit, ex animo, quod bene conſultus, et auctoribus vobis qui adeſtis, edictum ultimum in gratiam Proteſtantium factum revocaverim. Cunctatus ſum diu, non quod in me religionis ardor teperet, ſed quod ſummis difficultatibus, quas vix ſuperabileis credebam, hoc negotium implicatum eſſe ſuperiorum temporum experientia didiciſſem: verum nunc, re decreta, ſpero ac confido, tot virorum illuſtrium et robore et conſiliis ſubnixus, ut tantum bellum ad exitum feliciter perduci poſſit. Quod nihilominus ut cum decore ſuſcipere et conficere poſſim, tribus exercitibus opus habeo; quorum unum penes me retinere decrevi, alterum in Aquitaniam, tertium ad limitem, ut venientibus Germanis aditum intercludat, mittere: nam de adventu eorum, quicquid contra jactetur, dubitari non debet. Periculoſa mihi ab initio viſa eſt edicti pacificatorii revocatio; ſed bellum decretum, ut geri poſſit, meo judicio,

VAR. LECT. [α] mercatorum, Ludovicum Seguierium decanum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Languedoc.* [b] *Guienne.* [c] *Treſoriers de France en Poictou & l'Angoûmois.* [d] *le prevoſt des marchands.* [e] *le Louvre.*

judicio, majores longe difficultates habet, quibus in tempore proſpici oportet: nam ſerum erit auxilium cum hoſtem ad portas habebitis, et ex feneſtris, ut olim, molatrinas ardere cernetis. Alieno potius quam meo ad id conſilio raptus ſum; neque tamen induſtriae ulli aut impenſae parcere decrevi; et quando mihi in pace ſervanda minime auſcultaſtis, reliquum eſt, ut in bello gerendo ſubveniatis: nam nolo ut in me ſolum belli onus incumbat, quod conſultoribus vobis geſturus ſum. Tum ad [a] Harlaeum converſus; Laudo tuam, laudo collegarum tuorum pietatem, qui et conſilium de revocando edicto probarunt, et ad religionis cauſam conſtituendam tam fortiter me hortati ſunt: ſed velim ſciant bellum ſine pecunia geri non poſſe; et clauſas mihi aures ad illorum querelas fore, cum de honorariis ſuis, quamdiu bellum durabit, ſuppreſſis, apud me expoſtulabunt. Idem et tu, mercatorum praefecte, quantum ad vectigalia annua, quae civibus ab aerario publico debentur, tibi dictum puta; et civium concilio indicto mane renuncia, quando tantam laetitiam in revocatione edicti teſtati ſunt, opus eſſe mihi ad hoc bellum CC aureorum CIↃ, quae ab ipſis exigi volo: nam initis rationibus, in ſingulos menſeis belli ſumptus ad CCCC aureorum CIↃ excurrere comperio. Tum ſubirato vultu ad cardinalem Guiſium converſa oratione, In primum menſem curavi, ut ex mea et privatorum pecunia ſtipendia procederent; tuum eſt videre, ut in ceteros, quotquot erunt, menſeis ex ſacro patrimonio pecunia ſubminiſtretur: nam nolo in me unum belli onus, atque adeo haec ruina, recidat. Neque vero pontificis conſenſum expectabo: nam in cauſa religionis quin ſalva conſcientia hoc poſſim et debeam, nulla mihi religio eſt: ſacro ordine praecipue impulſore hoc ſanctum bellum ſuſceptum eſt; ſacri belli ſumptus ſacer ordo luat. Quibus dictis, cum praeſes primum, dein mercatorum praefectus, poſtremo et cardinalis Guiſius, ſuppliciter intercedere vellent, rex occupavit; et, Non jam verbis, ait, ſed factis opus eſt: nunc video, quod ſaepius monui, ſedentibus et otioſis procul a periculo quam facilius ſit bellum decernere, quam gerere; atque adeo vereor, ne, dum novis concionatoribus bellum indicitur, antiquae religioni periculum creetur. Cum rurſus illi replicare vellent, rex dicturos increpuit: Et ſatius ergo erat pacem a me datam ſervare; quam ſemel a vobis violatam, metuo ne illi, quos perdere volumus, dare deinceps quam accipere malint. Ita dimiſſus conventus, abſque operae pretio; niſi quod facile omnes judicabant, regem invitum ad belli conſilia ferri: quod illi apud plebem motuum avidam, odium; apud Lotharingos belli incentores contemptum peperit: nam, cum ſemel experti eſſent regem impune cogi poſſe, nihil non deinceps, ſpreta ejus auctoritate, auſi ſunt: miſeranda hoc vel maxime principum ſorte, quod fallendi ſimulandique artes callere neceſſe habeant; ut, ſi qua in re, ſive ea bona ſit ſive mala, etiam violentiſſime cogantur, minime tamen cogi videantur. Promulgato edicto, rex, qui videret, non ſolum praeter voluntatem ſuam, ſed etiam contra fidem Navarro datam, bellum adverſus Proteſtanteis ſuſceptum, ut factum colore aliquo excuſaret, honorificam legationem ad eum decernit. Eam obierunt Philippus [b] Lenoncurius cardinalis, qui olim in Antonii patris gratia floruerat; Joannes [c] Angeneus Poinius, utriuſque ordinis eques; et Nicolaus Brulartus, qui, Petro patre nuper defuncto, ſummae integritatis viro, in ejus locum [d] inquiſitoriarum claſſium praeſes creatus fuerat. Cum legati Neracum veniſſent VIII Kal. Sept. ubi primum ad colloquium admiſſi ſunt, Lenoncurius orditur; et, multa de egregia regis erga ipſum ejuſque dignitatem voluntate honorificentiſſime praefatus, eo ſe miſſos

INTERPR. [a] *le premier preſident de Harlay.* [b] *de Lenoncour.* [c] *d'Angennes, Sieur de Poigny.* [d] *Preſident aux enqueſtes.*

CIↃ IↃ LXXXV. miſſos dicit, ut de pacis, nuper cum iis qui arma ſumpſerant factae, rationibus cum

HENRICUS III. ipſo agerent. Eam feciſſe regem concordiae et unionis inter Catholicos ſanciendae cauſa; quos non ſcindi factionibus, non ſolum religionis, ſed ſua et reipublicae intererat. Cupere, pro charitate Chriſtiana, qua omnes ſuos, ſed Navarrum inprimis, quem loco filii habeat, complectitur, et pro tranquillitatis publicae ſtudio, quam ſciat regii muneris eſſe omni ratione procurare, ut ipſe ad unionem eccleſiae redeat; a qua citra ſalutis aeternae periculum diſcedere nemo poteſt: et vero metuere, ne, ſi contingat, ſe ſine maſculis filiis decedente, eum ad regnum legitimo jure devolutum vocari, ex ea cauſa ei de tanta ſucceſſione bello excitato controverſia moveatur. Petere igitur, ut intra ſex menſeis edicto comprehenſos, religionis reformatae, quam vocant, ubique exercitium ſuſpendatur; et tantiſper dum rationes ineantur, quibus utrique parti aequis conditionibus ſatisfieri queat. Facta obiter de concilii ad componenda religionis diſſidia celebrandi ſpes; cujus tamen expreſſum mandatum non habebant. Poſtremo et repetitae juxta edictum urbes, quarum reſtituendarum ſpatium ad biennium prorogatum fuerat. Ad ea a Navarro reſponſum; ſe pro tam propenſa regis erga ſe voluntate, et benevolentiae honorifica ſignificatione, gratias quam demiſſe poteſt agere; et aegerrime ferre, quod rex melius conſultus, non ſua potius fideli opera uti ſit dignatus, quam patientia ſua nimia committere, ut ab iis, quos pro ſuis et regni hoſtibus, ut ſunt, reputet, ad iniquiſſimum bellum compelleretur. Quod vero de ſua ſalute ſolicitum ſe dicat, ſe conſimiliter gratias agere; ac ipſum obſecrare, ut pro prudentia ſua et aequitate videat, an dignum juſtumve ſit, ut ab ea religione in qua educatus ſit, et in qua nullum errorem agnoverit, vel metu vel ſpe temere diſcedat. Sibi primam conſcientiae ac ſalutis aeternae ſemper ac praecipuam curam fuiſſe; eique omnes honores, dignitates, regnorumque acceſſiones poſthabere: neque tamen recuſare, quin melius inſtructus mutet; et de re hac omni, quod ſemper antea proteſtatus ſit, ſe liberi concilii decreto ſummittat. Quod ad reſtitutionem urbium attinet, fruſtra eas hoc ſtatu rerum repeti; quo ſi Proteſtantes novas ad ſecuritatem contra tot belli ingentis turbulentorum hominum apparatus petant, aequum petere videantur. Nec magis ut religionis exercitium ad tempus ſuſpendatur, ad regni pacem pertinere: nam altiores eam radices in Gallia egiſſe, quam ut, quod regum et edictorum praecedentium beneficio crevit, edicto vi a rege extorto tam ſubito evelli queat. Cum nihil obtineri poſſet, legati, quae altera adventus eorum cauſa fuerat, proponunt; ſi colloquendi poteſtatem faceret, reginam regis mandatu [a] Campiniacum uſque in Turonibus proceſſuram, modo auxiliaris Germanorum exercitus, qui propediem regnum ingreſſurus dicebatur, interea ſiſteretur: quod ſi faceret, regem exercitus, qui trans [b] Ligerim ſint, viciſſim revocaturum. Ad quae retulit Navarrus; ſi regina ſe colloquio dignaretur, et vero ad locum praedictum veniret, revocatis, qui trans Ligerim ſunt, exercitibus, ſe quoque, ubi voluntatis ſuae certiorem ipſum fecerit, Bergeracum uſque proceſſurum, ut ibi de loco ad colloquium deſtinando ſtatuatur: ceterum quod ſiſti interea exercitum auxiliarium petant, id neque ſe poſſe, neque debere; ne amicorum, tam paratis animis ad opem ferendam accurrentium, mora interjecta, alacritatem infringat; cujus, ad inſtaurandam regis auctoritatem factionibus collapſam, et regni pacem reſtituendam, magnum et praeſentem uſum ſperet. Ita re infecta dimiſſi legati, ſpe tamen colloquii in aulam relata; quod ideo expetebatur, ut per illud auxiliarium adventus retardaretur: qui cum non ita paratus eſſet quam putabatur, in cauſa fuit, ut colloquium in ſequentem annum dilatum ſit.

XXIV. QUAE

INTERPR. [a] *Champigny en Touraine.* [b] *la Loire.*

XXIV. Quae dum in Gallia geruntur, foederati minime ceſſabant Romae; ubi per Claudium [α] [a] Matthaeum toties euntem ac redeuntem, et per cardinalem [b] Pellevaeum [β] Guiſianorum partibus obnoxium, qui Romae erat, apud pontificem inſtabant, ut principes Sectariorum in regno proſcriberentur. Veneni Sectarii malum non jam admonitionibus ſed poena egere; cujus capita quo magis in excelſo exemplo poſita ſunt, eo majorem in univerſos terrorem ſparſura. Quid porro Romanae ſedi ac pontifici glorioſius evenire poſſe, quam ſi potentiam a Deo traditam, quam Sectarii in dubium revocant, tam inſigni exemplo ſanciat? His aſſiduis et importunis flagitationibus Pellevaeus urgebat pontificem; qui, natura miti ac lento ingenio praeditus, et ingraveſcente aetate cunctantior, ſemper procraſtinabatur, et tantae molis deliberationem de die in diem ducebat. Tunc vero in excipiendis Japoniorum legatis occupabatur. Is, cum ante biennium aedificium Romanae ſcholae a ſe inſtitutae conſummaſſet, eam ſodalitii Jeſuitici patribus, bene de ſancta ſede et de re Chriſtiana meritis, attribuerat; et alioqui eos toto magiſtratu ſuo ingentibus beneficiis affecerat: qui, gratiam bene meritò de ſe pontifici viciſſim repenſuri, non ceſſarunt omni opera eniti, ut, ſicut olim temporibus Clementis VII a Franciſco Alvaro ſacerdote Luſitano de Abyſſinis ad intima Africae ſepoſitis populis factum fuerat, qui tamen ab eo tempore in Europa non comparuerunt, ita ab ipſis, de Japoniis ad ultimum Orientem projectis inſulanis, ad unionem eccleſiae adductis, trophaeum aliquod inſigne Gregorio XIII erigeretur. Itaque legationem ad eum adornarunt: de qua, antequam ulterius progrediar, quaedam dicenda ſunt.

XXV. In [c] Japonia terra, quae vulgo dicitur, tres inſulae omnino ſunt, circumfuſis aliis minoribus, interfluo euripo, disjunctae. Primae et maximae a primaria urbe Meaco nomen; alteram [d] Ximum, tertiam [e] Xicoam appellant. Harum longitudo in CC ferme leucas excurrit, diſpari latitudine; nam alicubi tantum X, qua latiſſima XXX ad ſummum patet; jacetque ab aequatore in arcton, a trigeſimo gradu ad trigeſimum fere octavum. Ab ortu oppoſitam habet novam Hiſpaniam, CL leucarum intervallo; a ſeptentrione Scythas et Tataros, ab occaſu Seras ſeu [f] Sinas ſpectat, varia pro litorum flexu excurſuve diſtantia; ſiquidem ab urbe Liampo, qui regionis illius in ortum limes eſt, ad Japoniam inſulam [g] Gotam, quae prima inde navigantibus occurrit, leucae LX numerantur: ab Amacano, occiduo Sinarum emporio, ubi Luſitani negotiantur, ad eandem Gotam inſulam CCXCVII leucarum trajectus interjacet: ab auſtro vaſtae terrae panduntur, adhuc inexploratae. Omne autem Japonium nomen uni olim parebat imperatori, ſeu [h] Dairi; qui [i] Cubos pleroſque ſub ſe habebat, quaſi dicas praefectos; donec in delicias reſolutus, cum aliena potius quam ſua auctoritate rempublicam otio marcens adminiſtraret, ſuis contemptui eſſe coepit; occaſionemque praefectis dedit, principis indigni dominationem pertaeſis, ut quiſque provinciam ſuam arriperet: et ita momento, tanti contextus imperii multas in particulas veluti fragmina diſſiliit; numeranturque hodie ſeu regna ſeu ſatrapiae ad LXVI; nam regni nomen pleriſque non convenit. Aëris temperies illis locis, qualis in Hiſpania; montana plerumque regio, et ob id frigida: itaque vites non habet; ſed pro vino indigenae ſuccum ex oryza, quam Septembri metunt, exprimunt; qua et pro cibo utuntur, et polentam ex ea, non panem more noſtro, conficiunt. Praeterea ferventis aquae hauſtu delectantur: ferina carne vivunt; animalia domeſtica ad eſum neſciunt. Quae de ingenio ſoli et natura, hominum victu et moribus, praeterea traduntur, ea obtrudere propiora quaerenti

VAR. LECT. [α] Matthaeum, ſancti foederis veredarium, toties *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.* [β] Guiſianorum emiſſarium, partibus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *le pere Mathieu, Jeſuite.* [b] *de Pellevé.* [c] *Japon.* [d] *Ximo.* [e] *Xicoan.* [f] *la Chine.* [g] *Iſla del Gotto.* [h] *Dairi.* [i] *Cubes.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

quaerenti lectori, et unde petat alias abunde habenti, non eſt mihi animus. Hae terrae primum inventae ab Antonio [a] Mota, Franciſco Zeimoto, et Antonio Pixoto, e Jeſuitica ſodalitate patribus, cum ex [b] Sionis inſulae urbe Dodra [c] Sinas peterent: nam pertinaci vento ad inſulas Japonias abrepti ſunt anno hujus ſaeculi XLII, cum rem Indicam Joannis III Luſitani nomine adminiſtraret Martinus Alfonſus [d] Soſa; qui biennio ante [e] Oliſſipona cum claſſe regia ſolvens, Franciſcum [f] Aſpilcuetam, alias Xaverium dictum, natione Cantabrum, ab Ignatio Loiola Cantabro ſodalitii illius principe Roma miſſum, in Indiam portaverat. Xaverius poſtea, anno hujus ſaeculi LII, IV Non. Dec. illis in regionibus deceſſit, cum ex [g] Sanctioni inſula in Sinarum litus, atque adeo ad Cantonis urbem, vellet trajicere. His in inſulis, patrum illorum appulſu, cum inſulani aliquot Chriſtianae fidei nomen dediſſent, ex eo proventu ſparſa per univerſum orbem fama, magnam non ſolum gratiam, ſed auctoritatem, tam ſtrenue in Dei vinea excolenda deſudantibus patribus conciliavit: cujus eximii laboris ut majorem fidem facerent, et eadem ratione pontifici gratificarentur, cum Alexander [h] Valignanus ordinis curator, qui provinciam luſtraverat, in Europam rediturus eſſet, legationis adornandae auctor fuit. Eam obierunt, Franciſci regis [i] Bungi, qui [k] Meacum tenet, principem majoris inſulae urbem, nomine, [l] Mancius [m] Fiungae regis nepos; pro Protaſio rege [n] Arimenſi, et Bartholomaeo [o] Omurae principe, qui primus, abolita omni falſi cultus ſuperſtitione, ac ſtatuis paſſim dejectis in Japoniis inſulis, fidem Chriſtianam cum ſacro lavacro ſuſcepit, venit Michael Cingiva, Protaſii patruelis frater; et cum iis duo juvenes nobilitate primarii, Julianus Nacaura, et Martinus Fara. Ii in [p] Nangaſacae portu navem Luſitanam, cui praeerat Ignatius Lima, cum Valignano conſcendunt, X Kal. Mart. anno CIↃ IↃ XXCII; et vento, qui ab aquilone flabat, initio ſecundo uſi, neque tamen poſtremo ſine periculo, tempeſtate foeda ſuborta, qua per quinque dies continuo jactati ſunt, tandem, poſt XVII diem ex quo ſolverant, ad [q] Macaonam Sinarum inſulam, Luſitanorum commercio frequentem, appulerunt. Ibi novem menſeis fruſtra commorati, navium, quae in Europam tenderent, commoditatem opperientes, tandem eandem, qua venerant, repetunt; quam duae naves onerariae longe majores, omni genere pretioſarum mercium plenae, ſequebantur. Varia dein fortuna jactati, in ſinu [r] Anianenſi ſummum periculum adierunt, ad vada et brevia allidentibus plerumque carinis: quem praetervecti, cum jam Malacam in conſpectu haberent, rurſus extremo periculo conflictati ſunt inter fretum [ſ] Sincapuranum et Somatram inſulam; quam volunt veteribus fuiſſe Taprobanam; quanquam potius Taprobanam [s] Ceilanum putet eſſe Joannes [t] Barrius, gravis harum rerum auctor; quae inſula, ab aurea Cherſoneſo ad freti Siculi ſimilitudinem quaſi avulſa, Cori promontorio objacet. Tandem, poſtquam una ex navibus naufragium paſſa eſt, et poſt naufragium a vicinis Mahumetanis ad praedam accurrentibus direpta, ipſi incolumes exeunte Februario ſequentis anni Malacam venerunt, IↃ leucas emenſi; tot enim a Macaona inſula ad Malacam numerantur. Inde ſolventes, cum antea cum ventis et procellis conflictati eſſent, poſtea ab aeſtibus immodicis haud minus infeſtati ſunt; ex quibus Mancius periculoſiſſime laboravit. Tum, remittente vento, quod per calores fere accidit, tandem, poſt Paſchale feſtum [u] Menapari celebratum, terreſtri itinere [w] Cochinum venerunt, ineunte Aprili: ubi totum eum annum commorati, appetente vere ſequentis anni, [x] Goam tendunt, a Franciſco [y] Maſcaregna Indiarum prorege magnifice excepti; a quo et navem optime inſtructam,

INTERPR. [a] *Mota, Fr. Zimoto, & Ant. Peixoto.* [b] *Sion.* [c] *la Chine.* [d] *de Souſa.* [e] *Liſbonne.* [f] *de Azpilcueta, Biſcayen.* [g] *Sanchoan.* [h] *Valiñano.* [i] *Bungo.* [k] *Meaco.* [l] *Mancio.* [m] *Fiunga.* [n] *de Arima.* [o] *Omura.* [p] *Nagaſaki.* [q] *Macao.* [r] *Golfe d'Anian.* [ſ] *Deſtroit de Sincapura & Sumatra.* [s] *Zeilan.* [t] *de Barros.* [u] *Menapar.* [w] *Cochin.* [x] *Goa.* [y] *de Maſcareñas.*

inſtructam, cui ſancti Jacobi nomen, acceperunt. Sed, juſſo hic ſubſiſtere Valignano, ſe ducem iis praebuit Nonius Rodericus; cum quo ſolventes exeunte Februario, et lineam aequinoctialem praetervecti VII Eid. Mart. et ſancti Laurentii vada admodum navigantibus infeſta, [a] Natale litus dictum tetigerunt procellis famoſum. Demum VI Eidus Maias, in quem Aſcenſionis feſtum eo anno incidebat, promontorium Bonae Spei ſuperarunt; atque inde ad ſanctae Helenae inſulam iter intenderunt. Modico illa circuitu, ſed ſaluberrimo coelo, et amoeniſſimo ſolo; limonibus et malis punicis fere conſita; aquis optimis, et egregia frugum et carnium copia, ac denique mari circum maxime piſcoſo: loco praeterea tam opportuno, ut ad recreandas e longinquo itinere Luſitanorum claſſeis divino conſilio ibidem enata videatur. Hanc copiam inſulae, alioqui populis infrequenti, non naturam primum, ſed fortunam peperiſſe ferunt; cum inſtitor quidam Luſitanus illac tranſiens, anno hujus ſaeculi XII, et loci amoenitate captus, ad haec incommodorum mortalitatis ac vitae hujus laborioſae curarum pertaeſus, capras, lepores, gallinas, quas ſecum navi vehebat, in inſulam expoſuiſſet, et vitam ſolitariam in ea profeſſus eſſet: nam ab eo tempore foecunditate ſua in tantum multiplicaſſe feras; et Joannem regem edicto vetuiſſe, ne qui populi inſulam incolerent; copia illa in uſum ad Indias navigantium reſervata. Inde felici curſu tendentes, cum [b] Tertiam piraticis excurſionibus infamem ad laevam reliquiſſent, tandem IV Eid. Sextil. [c] Caſcaium, quod eſt [d] Oliſſiponae portus, incolumes appulerunt. Dein perhonorifice in civitate ab Alberto Auſtrio cardinali regni praeſide excepti, terreſtri poſtea itinere per [e] Guadalupem, Talaveram, et Toletum facto, [f] Mantuam Carpetanorum venerunt; à proceribus obviam miſſis honorifice excepti, et ad Philippum introducti exeunte Octobri; ubi uſque ad VI Kal. Dec. commorati ſunt: quo die, petito a rege commeatu, ab aula diſceſſerunt, et per [g] Complutum, Murciam, Oricellam, ad [h] Alicantam et Carthaginis Conteſtanorum portum, ubi pars claſſis illius ingentis, de qua dixi, hyemabat, venerunt. Inde, cum ad [i] Gymneſias inſulas aliquot dierum moram feciſſent, poſtremo inter Corſicam et Sardiniam iter emenſi, [k] Liburnum in litore [l] Tyrrheno portum, [m] Piſis ſubjectum, incolumes appulerunt Kalendis Martiis; a Franciſco Etruriae duce, qui Petrum fratrem jam praemiſerat, poſtea Florentiae magnifice excepti. Inde Romam iter intendunt, in itinere a Jo. Franciſco Gambara cardinali [n] Balneis haud longe a [o] Viterbio, et Caprarolae arce ſumma magnificentia exſtructa ab Alexandro Farneſio itidem cardinali, ubique perhumaniter et lautiſſime excepti; ab iiſque deducti, Romam, pontificis juſſu obviam magno prodeunte comitatu, ingreſſi ſunt XI Kal. April. cum treis annos, menſem unum, et duos dies, ex quo Japoniis ſuis profecti ſunt, in itinere conſumpſiſſent. Romae in collegii Jeſuitici aedibus primum hoſpitium legati habuerunt: poſtridie, cum ſenatus iis datus eſſet, majore quam uſpiam pompa ad pontificem, cardinalium principumque et antiſtitum corona cinctum, deducti ſunt; ut non in principis ſacerdotum conſpectum, ſed in potentiſſimi toto orbe Chriſtiano monarchae aulam, ſe veniſſe dicerent. Ibi, poſt ſolemnem adorationem et beatiſſimorum pedum oſculationem, literae, in Italicum ſermonem verſae, regum, a quibus miſſi erant, recitatae ſunt, cum magnificis admodum titulis pontifici delatis: nam inſcriptio literarum Franciſci regis Bungi ejuſmodi erat; *Adorando, et coeli Regis locum in terris obtinenti, magno et ſanctiſſimo Papae:* ſubſcriptio, *Sanctiſſimis pedibus beatitudinis veſtrae ſubſtratus Franciſcus rex Bungi.* Sic Protaſii literae inſcriptae

INTERPR. [a] *la tierra que llaman Nadal.* [b] *la Tercera.* [c] *Caſcaes.* [d] *Liſbonne.* [e] *Guadalupe, Talavera, & Tolede.* [f] *Madrid.* [g] *Alcala de Henares, Murcie, & Origuela.* [h] *Alicante, & Cartagene.* [i] *Majorque, & Minorque.* [k] *Livourne.* [l] *Mer de Toſcane.* [m] *Piſe.* [n] *Bagnaia.* [o] *Viterbe.*

CIƆ IƆ LXXXV. HENRICUS III. inſcriptae erant; *Reddatur epiſtola magno illi et ſancto domino, quem adoro Dei vices gerentem:* et ſubſcriptae, *Sanctitatis veſtrae ſubſternitur calceis D. P. Bartholomaeus.* Denique princeps [a] Omuranorum ſic ſuas inſcripſerat; *Sublatis manibus adorans offero haec ſanctiſſimo domino papae, magni Dei vices gerenti:* ac ſubſcripſerat, *Ego D. Bartholomaeus ſanctis ejus pedibus humi ſubſtratus.* Recitatis literis Gaſpar [b] Conſalvus, ex eodem ſodalitio ſacerdos Luſitanus, pro Japoniis orationem habuit, et cauſas legationis expoſuit, ac regum legatorumque ab iis miſſorum pietatem ac conſtantiam multis verbis laudavit. Poſtremo ad pontificem converſus, ejus beneficentiam, cum ſingulari religionis ſtudio conjunctam, magna verborum copia extulit; quae non urbis tantum moenibus includi, non Italiae finibus circumſcribi, non Germaniae, Bohemiae, Hungariae, Poloniae, non Syriae, Graeciae, et [c] Dalmatiae terminis contineri potuerit; quibus locis omnibus immortalia ſuae pietatis monumenta, exſtructis paſſim ſeminariis, ediderat; ſed longius provecta, etiam extra anni ſoliſque vias, hoc eſt, ultra [d] Brachmanorum et Serum fineis, ad ultimas Japoniae terrae oras pervenerit: renovataque Franciſci Xaverii primi eccleſiarum Chriſtianarum in Indiis orientalibus fundatoris memoria, porro, ut ſocietati, a ſe tot beneficiis exornatae, favere pergat, demiſſiſſime rogat: ſic enim fore, ut non jam paucas Japonii nominis urbes, non regna pauca, quae hodierna hac die quaſi quaedam foecundiſſimi agri primitiae offeruntur, ſed plures alias, et ampliſſimas, ac vix numero comprehenſibileis regiones, quibus India diſtincta eſt, ad Chriſti fidem audiat acceſſiſſe. Ad haec ab Antonio [e] Bucapadulio juſſu pontificis reſponſum: quòd reges Japonii ab ultimis Indiae oris hos legatos ſuos propinquos Romam miſiſſent, ejus, quam pontifex obtinet Dei benignitate, poteſtatis venerandae cauſa, pie illos ſapienterque feciſſe: eſſe enim unam fidem, unam eccleſiam Catholicam, unum huic ipſi eccleſiae praefectum, Chriſtique gregis univerſi, hoc eſt, Catholicorum omnium, qui ubique terrarum ſunt, Petri ſucceſſione paſtorem, Romanum pontificem. Proinde laetari, hoc illos cum ceteris fidei Orthodoxae myſteriis agnoſcere et profiteri; et optare atque orare, ut ipſorum exemplo ceteri quoque illarum inſularum, totiuſque orbis reges ac principes, abjecto omni pravo cultu atque errore, cognoſcant Deum verum, et, quem ille miſit, JESUM CHRISTUM: hanc enim eſſe vitam aeternam. Ita dimiſſi cum ſumma honoris ac laetitiae ſignificatione legati.

XXVI. TANTAE laetitiae haud diu ſuperfuit Gregorius: nam IV Eid. April. ſubita infirmitate correptus, a prandio, antequam ſacra ſynaxi ſumpta ad tranſitum ſe munire poſſet, defecit; et, tantum extrema unctione procuratus, animam Deo reddidit anno aetatis XXCIII, cum ſedi praefuiſſet annos XIII, menſem I, diebus III minus; in baſilica S. Petri, in ſacello a ſe exſtructo, magnifice ſepultus. Mortuum laudavit Stephanus [f] Tuccius, Jeſuiticae ſocietatis ſodalis, habita ad ſacrum collegium oratione in Vaticano XV Kalendas Maias; qua praecipuam ejus curam fuiſſe dicit, ut, exſtructis verae pietatis ubique ſcholis, tot propugnacula adverſus Sectarios, toto Chriſtiano orbe exortos, opponeret: ſic enim [g] Prutenis et Suecis [h] Brauſebergenſem, Lithuanis Vilnenſem, Pragenſem Bohemis, Marcomannis [i] Olomucenſem, [k] Viennenſem Auſtriacis, Stiriacis [l] Graecenſem, [m] Claudiopolitanam Dacis, [n] Dillinganam Noricis, [o] Fuldenſem Saxonibus, [p] Muſſipontanam Scotis et Hibernis, [q] Remenſem Anglis, [r] Mediolanenſem Helvetiis deſtinaſſe. Cum autem ei vivo, ut fit, ſtatua marmorea in Capitolio poſita fuiſſet, poſt mortem ejus opus dedicatum

INTERPR. [a] *le prince d'Omura.* [b] *Gonçalez.* [c] *Sclavonie.* [d] *Brachmans, & Chinois.* [e] *Boccapadule.* [f] *Tucci.* [g] *Ceux de Pruſſe, & les Suedois.* [h] *Braunſberg.* [i] *Olmutz en Moravie.* [k] *Vienne en Auſtriche.* [l] *Gratz en Stirie.* [m] *Clauſemburg, ou Coloſwar, en Tranſilvanie.* [n] *Dillingen en Baviere.* [o] *Fulde en Saxe.* [p] *Pont à mouſſon.* [q] *Reims.* [r] *Milan.*

dedicatum eſt; addita pro elogio inſcriptione, Ob farinae vectigal ſublatum, urbem templis et magnificentiſſimis operibus exornatam, H S octingenties ſingulari beneficentia in egenos diſtributum, ſeminaria exterarum nationum in urbe, ac toto paene terrarum orbe, religionis propagandae cauſa inſtituta; ob paternam in omneis genteis charitatem, qua ex ultimis novi orbis inſulis Japoniorum regum legatos triennali navigatione ad obedientiam Romanae ſedi exhibendam primum venienteis Romam pro pontificia dignitate accepit. Fuit miti ingenio, benefico, et moderata prudentia praeditus: in charitates propenſior; Jacobo Boncompagno filio naturali, quem invidioſis opibus auxit, ad maximos honores ſtatim evecto: in civili etiam diſciplina, ſive innata animi manſuetudine, ſive vitio aetatis, remiſſior; ita ut exules, inde fiducia ſumpta, non jam in pontificiae ditionis et regni Neapolitani limite, quod frequenter accidit, ſed in medio Latio, ac plerumque media luce urbem ingreſſi, impune rapinis, ſtupris, ac caedibus, graſſarentur. Inſigne et obnoxii animi exemplum fuit, cum [a] Pontius Pontianus, Antonii Pontii illuſtriſſimae in [b] Santonibus familiae principis filius et heres, forma et virtute praeſtans juvenis, a domeſtico quodam cardinalis Altempſii, quem pontifex impenſe diligebat, nefaria proditione interfectus eſſet: nam comprehenſo ſicario, multorum annorum perſecutione nihil obtineri potuit, donec pontifex, regis oratore inſtante, et publica expoſtulatione nobilitatis Romanae victus, quae juvenis lectiſſimi atque adeo hoſpitis tam indignam caedem inultam relinqui ad nominis Romani infamiam pertinere clamitabat, ipſe veluti ſupplex ab Altempſio tandem impetravit, ut, quo exſpectationi publicae et aequitatis ſuae opinioni, cujus periculum in ea cauſa vertebatur, ſatisfieret, de vili homine ſupplicium ſumi aequo animo pateretur. Nicolaus [c] Pontanus Venetiarum dux decem circiter annis Gregorium anteibat: itaque pontifex, quoties aliqui recens Venetiis Romam veniſſent, diligenter eos de valetudine Pontani percontabatur; ex qua ſpem diuturnioris vitae concipiebat. Is Quintili menſe proximo tandem deceſſit, integris in illa aetate adhuc corporis et animi viribus; ita ut legatos publice admittere, et reſponſa dare, ad ultimum vitae ſpiritum nunquam intermiſerit: vir magna doctrina, et, inter haec omnia, mira animi libertate praeditus; quae aetatis et dignitatis acceſſione ſemper in eo creverant. Cum igitur, ſubortis inter pontificem et ſenatum de finibus controverſiis, ut ſaepe accidit, minae a legatis pontificiis adderentur, quaſi pontifex contra ſenatum cenſuris acturus eſſet; ille ſtatim, non conſulto ſenatu, reſpondit, cenſuram pontificiam eſſe gladium vagina incluſum, qui temere diſtringi non deberet, ne diſcerent homines contemnere ejuſmodi telum, quod, quia intempeſtive miſſum eſſet, minus laederet. Cum inſtarent nihilominus legati, ille ſubjecit; verendum eſſe, ne, qui Graeci olim fuiſſent, e Latio in Graeciam migrarent. Quod cum ad pontificem perlatum eſſe reſciviſſet ſenatus, dictum excuſavit; et, ut aetati bene de republica meriti alioqui civis et dignitate praecellentis viri, id condonaretur, a benignitate pontificis petiit. Mortuo Pontano, in ejus locum Venetiarum princeps creatus eſt Paſchalis [d] Ciconia XV Kal. Sept. Paulo ante Jacobus [e] Sabaudus, Nemoroſii dux, [f] Anicii in Foſſiniaco agro deceſſit XIII Kal. Quintil. non tam annis effoetus, quam continuis arthritidis nodoſae, atque totas corporis partes ferme occupantis, doloribus attritus; vir magni animi ac judicii, ſed in adoleſcentia vitae ſolutioris; quae diriſſimi morbi, ex quo totam paene vitam decubuit, cauſa exſtitiſſe creditur: quem ut falleret, dum vixit, ſecretis naturae, metallorum fuſione ac miſtione, pictura, ac ſtatuaria, atque architectura denique, otium oblectabat ſuum,

INTERPR. [a] *Pons de Pons.* [b] *Saintonge.* [c] *da Ponte.* [d] *Cicogna.* [e] *de Savoie, duc de Nemours.* [f] *Aniſſy dans le Foſſigny.*

ſuum, exſtructis magno ſumptu [a] Vernolii aedibus in Bellovacis. Is Annam [b] Aſtinam, Franciſci Lotharingi Guiſii ducis viduam, ac tot liberorum animis et forma praeſtantium matrem, in uxorem duxerat; ex qua duos filios ſuſcepit; quorum Carolus grandior natu patri morienti aſtitit, ab eoque, inter alia prudentiae civilis plena praecepta, id praecipuum accepit; ne ſe bellis civilibus, de quibus inaudiverat, et quorum initia jam videbat pater, [α] implicaret: nam providere ſe, atque adeo vereri, exitum horum motuum Galliae funeſtum, et ipſis auctoribus exitioſum fore.

VAR. LECT. [α] implicaret; nec fratribus uterinis in ambitione ſua exſatianda temere ancillaretur: nam providere ſe, atque adeo vereri ne exitus horum motuum Galliae funeſtus, et ipſis auctoribus exitioſus eſſet: ita velle ac jubere: ni faceret, male de eo ominari, ac pro patria poteſtate etiam male ipſi precari. Verum ille, ſalutarium dictorum immemor, maluit diris paternis caput obligare, quam turbandarum in Gallia rerum tam pulchrae, ut putabat, occaſioni deeſſe. *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Verneuil en Beauvaiſis.* [b] *da Eſte.*

JACOBI AUGUSTI THUANI,
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTOGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

IN novo pontifice eligendo factionibus ſciſſum collegium. Felix Perretus, qui Sixtus v *dici voluit, tandem electus. Ejus natalis et ingenium. Severa pontificatus auſpicia.* II. *Graſſatores exules miſſi qui perſequerentur.* III. *Tumultus Neapoli ob frumenti penuriam. Jo. Vincentius Staraces a plebe furente miſere diſcerptus. Petrus Giro Oſſunae dux prorex ejus mortem poſtea ſevere ulciſcitur.* IV. *Paulus Jordanus Urſinae familiae princeps Franciſci Perreti pontificis ex fratre nepotis caedis inſimulatus, ultionem veritus, in Venetam ditionem ſe contulit. Eo mortuo, Virginia Acorambona, primis nuptiis Perreti, et poſtea ipſius Pauli Jordani uxor, Patavium conceſſerat; ubi a graſſatoribus occiſa et expilata eſt. Caedis poſtulatus Ludovicus Urſinus Pauli gentilis, a Veneto ſenatu tandem captus, et ad mortem damnatus eſt.* V. *Navarrus et Condaeus a pontifice publico diplomate proſcripti. Ejus executio apud nos a rege prohibita. Audax facinus cujuſdam Romae Navarri ſtudioſi. Scripta alibi in eam rem pro proſcriptis publicata.* VI. *Accenſo apud nos bello, regis et Navarri contraria edicta promulgata.* VII. *In Pictonibus et Santonibus a Condaeo et Roano cum Mercuriano et foederatis geſta.* VIII. *Jacopolis a Condaeo in ſummas anguſtias redacta; qui, nuncio de arce Andegavenſi intercepta allato, protinus ab obſidione diſcedit, et Ligerim ad Roſarium cum ſuis tranſmittit. Arx Andegavenſis a Jouſanis fratribus paulo poſt recepta. Diſſipatae Condaei copiae: Condaeus ipſe in inferiorem Neuſtriam deſcendit, et conſcenſa nave Grenezaeam inſulam petiit.* IX. *Turenius interea Tutelam in Lemovicibus capit.* X. *Talliaburgum, Tremolliae ditionis oppidum ad Carantonum, in poteſtatem Proteſtantium venit.* XI. *Meduanius in Aquitaniam cum exercitu miſſus Pictavium accedit, et in Cadurcos deflectit, recepta in itinere Tutela.* XII. *Diguierii in Allobrogibus geſta. Caturigum civitas, et Dia in Vocontiis capta: mox et Montelium Adaemari, et poſtremo Ebrodunum.* XIII. *Alia ſuper alia contra Proteſtanteis edicta condita.* XIV. *Sacer ordo regem per epiſcopum Briocenſem compellat. Ejus petitiones: a quibus rex pro tempore ſe excuſavit. Terrae motus prodigioſus in agro Bernatum.* XV. *Literis clarorum virorum mortes; Georgii Armeniaci, Gul. Sirleti, cardinalium; M. Ant. Mureti, Petri Victorii, Caroli Sigonii, Sebaſtiani Echini patritii Veneti, Joannis Cratonis, Remberti Dodonaei, Joannis Molani, Petri Ronſardi.*

EX AUCTORIBUS,

Antonio Cicarella, Thoma Coſto, Bullario, Scriptis tunc publicatis, Franciſci Bonae Diguierii ephemeride, Actis publicis, Archivis curiae Pariſienſis.

LIBER OCTOGESIMUS SECUNDUS.

CIƆ IƆ LXXXV.
HENRICUS III.

GREGORIO mortuo, poſt novendialeis preces M. Antonius Muretus ad patres habuit gravem orationem; qua eos hortatus eſt, ut cum pontificem deligerent, in quo nec Pii V pietatem, nec Gregorii XIII cum pietate conjunctam prudentiam, orbis Chriſtianus deſideraret. Inde itum in conclave ad eligendum novum pontificem. Quatuor in ſacro collegio factiones erant; Farneſiana a Paulo III, Altempſiana a Pio IV, Alexandrina a Pio V inſtituta, et ultima Gregoriana; quae in duas coaluerant: nam Farneſiana, XXXV annorum, tot enim ab exceſſu Pauli III numerantur, intercapedine multum imminuta, ad Alexandrinam ſe applicuerat; Altempſiana adhuc recens ac vegeta, quae devinctam Gregorianam tenebat, nam Gregorius a Pio IV cardinalis creatus fuerat, Gregorianam amplectebatur. Propoſita haec fuerant capita, in quae pontifex, qui crearetur, ſe ſacramento adigeret: pacem et tranquillitatem inter principes Chriſtianos ſervaturum; eoſdem ad oppugnandos Turcos, Sectarios, Schiſmaticos, omneiſque fidei Chriſtianae hoſteis, invitaturum; ſacram ſedem ab urbe Romana in aliam civitatem aut provinciam, niſi urgente per legem communem neceſſitate, et in conſiſtorio pluribus cardinalium ſuffragiis probata ac confirmata, ſe non tranſlaturum: praeterea mandaturum, ut muneribus ac officiis ſacris defuncti, in loco ubi illa exercuerunt, rationem adminiſtrationis ſuae reddant; in cardinalium denique creatione viros idoneos ſpectaturum. Decretum inſuper Julii III renovatum, ne duo cardinales fratres germani vel conſanguinei creentur, nec bona eccleſiae alienentur, aut privatos in uſus vertantur. Prima de Donato [a] Caeſio cardinali facta mentio, ſed mox omiſſa. Producti dein [b] Albanus et Sirletus; et in hunc quidem omnes initio conſentiebant: ſed quia, licet ſummae eruditionis laude commendaretur, minus tamen rebus agendis idoneus cenſebatur, eo omiſſo, de alio creando cogitatum fuit. Cum factiones potentia et aemulatione diſſidentes certarent, et qui ex Alexandrina nominabantur magis idonei cenſerentur; tandem Gregorianae princeps S. Sixti cardinalis, ab [c] Alexandrino et Riario cardinalibus perſuaſus, ceſſit: atque ita, praevalente Alexandrina, quam Aloiſius [d] Ateſtinus et Ferdinandus Medices, nulli harum factionum addicti, ſuo et amicorum ſuffragiis adjuvabant, [e] Felix Perretus tertio, poſtquam cardinales conclave ingreſſi erant, die, atque adeo VIII Kalendas Maias, pontifex renunciatus eſt; ita ut ſedes tantum XIII dies vacaverit. Is [f] Cryptis pago, qui Montis-alti caſtro ſubjectus eſt, in [g] Piceno natus, pauperrimis parentibus; quod et ipſe gloriabatur, cum ſe illuſtri domo natum diceret, quippe quae ſine tecto a ſole omni ex parte illuſtraretur. Poſtea [h] Aſculi, quae civitas haud longe a Monte-alto abeſt, in S. Franciſci monaſterio vitam religioſam profeſſus, nomen Felicis a parentibus inditum mutare, ut fieri ſolet, noluit, jam tum fortunae proſperae ſuae praeſagus: dein ordinis generalis vicarius, et denique in cardinalium collegium a Pio V cooptatus eſt; cum rerum quae ad religionem pertinent, ac diſciplinae ſacrae, magnum ſtudium prae ſe ferret: ad haec ſumma diſſimulatione efficeret, ut homo maxime imperioſus, propoſiti pertinax, in injuriis ulciſcendis acerrimi ſenſus, aliorum prae ſe contemptor, charitatum diligentiſſimus, contra quietus, moderatus, ab omni contentione alienus,

INTERPR. [a] *Ceſis.* [b] *les cardinaux Albano & Sirleto.* [c] *Aleſſandrino, & Riario.* [d] *da Eſte.* [e] *Felice Perreto.* [f] *alle grotte di Caſtel di Mont-alto.* [g] *Marca Anconitana.* [h] *Aſcoli.*

alienus, rerum humanarum prae divinarum amore negligens, injuriarum contemptor, vulgo reputaretur. Cujus rei inſigne exemplum fuit, cum nepos illius Franciſcus Perretus, ex inſidiis, Pauli Jordani Urſinae familiae principis, qui [a] Virginiam Acorambonam Eugubinam illius uxorem inſano amore deperibat, juſſu, interfectus fuit: nam, nuncio caedis allato dum in conſiſtorio eſſet, nullam turbati animi ſignificationem dedit; nec a pontifice, aut a quoquam alio, vindictam tanti ſceleris petiit. Electio in Mercurii diem incidit, qui fatalis illi fuit: nam eo natus et profeſſus fuit [b] Aſculi; eodem vicarius generalis ordinis, et cardinalis creatus eſt. Itaque eodem quoque die, Kalendis Maii, coronam et inſignia ſummi magiſtratus in area beati Petri ſumpſit; quibus ceremoniis Japonios legatos intereſſe voluit: et, cum Dominica proxima ad beati Joannis Lateranenſis baſilicam pro more ſe conferret, iidem legati eum comitati ſunt. Poſtea ab eo cum muneribus et exili pecunia dimiſſi, et per Urbinum ac [c] Picenum a pontificiis miniſtris traducti; inde Venetiis a ſenatu, dein Ferrariae et Mantuae, ut tam longinquae legationis fama magis illuſtraretur, ac Mediolani poſtremo ſumma magnificentia excepti, Genuam poſtremo petierunt: ibique nave conſcenſa in Hiſpaniam trajecerunt, patriam eodem quo venerant itinere repetituri. Novus pontifex Sixti nomen ſumpſit; cum Nicolai IV potius, cujus memoriam in ſumma veneratione habebat, aut Eugenii, aut denique Pii, quippe a Pio V ad dignitates provectus, nomen ſumpturus crederetur: quod eo fecit, partim ut cardinali S. Sixti, cujus favore praeter ſpem in conſequendo ſummo magiſtratu adjutus fuerat, gratificaretur; partim ut Sixti IV ejuſdem ordinis memoriam renovaret. Prima cura ejus fuit, res nimia deceſſoris ſui indulgentia collapſas inſtaurata diſciplina reſtituere, et adverſus graſſantem licentiam juris ſeveritatem adhibere.

II. ITAQUE gravia edicta contra exules, homicidas, latrones, ac eorum receptatores, condidit Kalendis Juliis, et V Kal. Sextileis; quorum executionem, ne tam praeclara decreta effectu carerent, demandavit quinque primariis cardinalibus; M. Antonio [d] Columna in [e] Latium, Andrea Spinola in [f] Spoletinum principatum, Alfonſo [g] Geſualdo in Picenum, Julio [h] Canano in [i] Umbriam, Antonio Maria [k] Salviato [l] Bononiam miſſis. Et Salviati quidem memoratur inſigne ſeveritatis exemplum, quo Sixti juſſu in Joannem [m] Pepulium comitem, pietate et probitate juxta et nobilitate clarum, animadvertit. Is aliquas ditiones, Caeſarum gratia antiquitus conceſſas, in Gallia [n] Tranſpadana habebat, extra pontificiam ditionem; in quas quod nobiles aliquot exules receptum habere dicerentur, interpellatus a legato ut eos dederet, cum ſe privilegii Caeſarei praeſcriptione tueretur, et tantum juriſdictioni ſuae praejudicium factum deprecaretur, ille noctu virum in aedibus ſuis nihil tale veritum comprehendi jubet; et tanquam perduellem in palatium ductum, ſtatim introducto ſacerdote, cui mori certus peccata ſua confiteretur, ſtrangulari juſſit. Hoc inter pauca, ſi non omnino iniquae, ſaltem inuſitatae ad hoc tempus, ſeveritatis exemplum, ut in multorum reprehenſiones incurrit, ſic exulum animos incredibili pavore implevit; ita ut licentiae tempora praeteriiſſe, tempus Sixti veniſſe, communi proverbio jactaretur. Inter exules primarii duces erant [o] Curtietus Sambucanus, ex Columniorum in [p] Samnio clientibus; qui paulo ante, etiam poſt Sixti inaugurationem, ad portas uſque urbis excurrerat, et ad [q] Pauli-fanum in conſpectu urbis, ad majorem contemptum, ſe cum ſociis, qui XXV tantum erant, muniverat; et, accurrentibus undique armatis, et ipſo levis armaturae pontificiae equitatu, cum

INTERPR. [a] *Virginia* (les autres l'appellent *Victoria*) *Accorambona da Eugubio.* [b] *Aſcoli.* [c] *la marca d'Ancona.* [d] *Colonna.* [e] *Campagna di Roma.* [f] *Ducato di Spoleto.* [g] *Geſualdo nella Marca.* [h] *Canano.* [i] *Romagna.* [k] *Salviati.* [l] *Bologna.* [m] *le comte de Pepoli.* [n] *Lombardie.* [o] *Curtieto del Sambuco.* [p] *Abruzzo.* [q] *San Paolo.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

cum ſe aliquandiu ſtrenue defendiſſet, magno ſui terrore ſparſo, e tot hominum manibus explicuerat: unde populabundus, decurſo circa [a] Centumcellas litore, longis itinerum anfractibus poſtremo ſe in Samnium receperat, ut ſe cum [b] Marco Sarra, altero famoſo praedonum duce, conjungeret. Inde, collecto circa Aſculum ſociorum globo, qui LX numero erant, manu et audacia prompti, rurſus in Latium deſcendunt, eadem qua antea licentia graſſati, donec cardinales ii quos dixi, in ſuas quiſque provincias profecti, manu armata inſeſſis itineribus, eam licentiam refraenarunt. Tumque [c] Curtietus et Sarra primum ſibi metuere coeperunt; et, navigio clam conducto, in adverſum litus maris [d] Hadriatici transfretarunt; et, dum haec procella contra eos excitata deſaeviret, in [e] Illyricum uſque conceſſerunt. Curtietus fratrem ſecum juniorem duxerat, veritus ne inimici per ſuam abſentiam ultionis deſiderium contra ſe conceptum in miſerum adoleſcentem evomerent; qui otii pertaeſus inde Venetias contendit. Sarra [f] Sebenicum, quod Sicum olim dictum putant, Dalmatiae, urbem Venetae ditionis, profectus eſt, ut [g] Petrocontium Gabutium, qui ſenatus ſtipendiis militabat et legioni praeerat, conveniret, et ſe ſereniſſimae reipublicae ſtipendiis militare cum ſociis paratum oſtenderet. Eos in Illyrico reliquerat, eorumque ducem per ſuam abſentiam creaverat Baltaſarem quendam exulem [h] Fulginatem. Curtietus Venetiis interim [i] Tergeſtum Fori-Julii oppidum venit, cum VI ſolummodo ſociis: de quorum adventu certior factus praefectus, eos ex ſuſpicione huc illuc per oppidum ſparſos comprehendi jubet. Verum Curtietus, homo imperterriti etiam deſperatis rebus animi, ne heic quidem ſe deſeruit; ſed, ope ſociorum refracta conclavis, in quo aſſervabatur, janua, locum in arce, in quo tormenta et nitratus pulvis recondita erant, occupat; et, quanquam arce incluſus, interminatur oppidanis, niſi ſe ſocioſque liberent, fore ut diſploſis tormentis oppidum ruinis foedis ſternat: quod ſi ne ſic quidem liberetur, ſtatuiſſe cum animo ſuo dicit, pulvere ſubjecto arcem cum oppido ſubvertere; ſeque eadem cum arce oppidoque ruina involvere, potius quam in inimicorum manus deveniat. Id deſperati conſilium oppidanis ſummum terrorem injecit; qui poſtremo apud praefectum lachrimis pervicerunt, ut potius paucorum hominum, licet noxiorum, in libertatem conſentiret, quam tot innocenteis animas in manifeſtum exitium obfirmato animo daret. Tandem exorato praefecto, plus negotii fuit in conditionibus perſcribendis, dum ſibi de vita idonee caveri petit Curtietus; qui, ſeu conſcientia territus, ſive quod ſciret pontificem a fide exulibus data cunctos abſolviſſe, nullam ſatis idoneam cautionem reperiebat. Ad extremum [k] Raimondi Turriani comitis aequitati confiſus, ſi ille fidejuberet, ſe arce cum ſuis excedere paratum oſtendit. Igitur Turrianus ſubito accerſitus ea lege fidem interpoſuit, ut Caeſarem primum adire, et pactorum confirmationem ab eo, quod ſperabat, obtinere poſſet; viciſſim Curtietus fidem interponeret, in oppido ſe cum ſuis ad reditum uſque Turriani manſurum. Sed dum Turrianus Pragam peteret, praefectus fidem, quam Curtietus Turriano religioſe ſervaverat, minime captivis ſervavit; ſive pontificis diris territus, ſive praemii a pontifice captivorum deditione conſequendi ſpe invitatus. Itaque antequam Turrianus ex aula Caeſarea rediret, nocte intempeſta eos rurſus in hoſpitio, in quo publica fide interpoſita nihil tale metuentes diverſabantur, comprehendi, maniciſque et pedicis ferreis injectis, in liburnicam armatam, qua Anconam portarentur, imponi jubet. Ac Curtietus, qui fruſtra fidem hominum obteſtatus nullum exitum jam videret, quod unum reſtabat, ne carnificis manu periret, quod nunquam fore arroganter ſaepius jactaverat, conſilium ex deſperatione capit;

et

INTERPR. [a] *Civita Vecchia.* [b] *Marco di Sciarra.* [c] *Curtieto.* [d] *Golfe de Veniſe.* [e] *l'Eſclavonie.* [f] *Sebenico.* [g] *il colonello Pier Conte Gabutio.* [h] *da Fuligni.* [i] *Trieſte, ville du Frioul.* [k] *il conte Raimundo della Torre.*

et cum ſocio, cum quo alligatus erat, ut idem faceret perſuaſo, ſe prono vertice in mare demiſit; fluctuque incitato abſorptus nuſquam poſtea apparuit, quantumvis navarchus omnem operam dediſſet, ut eum inde eductum Anconae ſiſteret, et incolumem in miniſtrorum pontificiorum manus conſignaret. Frater ejus junior Romam perductus, et inde [a] Neapolim, quod Curtieti ſceleribus minime participaſſe probaretur, vita ſalva dimiſſus eſt. Ceteri pro merito cujuſque, variis ſuppliciis affecti: et ita exulum audacia pro tempore aliquantum conquievit.

III. EODEM tempore Neapoli ex hac occaſione tumultuatum fuit. Philippus hoc anno Aragoniae comitia, quas [b] Curias vulgo vocant, habiturus, et ſponſalitia Catharinae filiae cum Carolo Emmanuele Sabaudiae duce celebraturus, cum provideret magna annonae penuria in Hiſpania laboratum iri, regni Neapolitani praeſidi, is tunc erat Petrus [c] Giro Oſſunae dux, ſcripſerat, ut, quoniam magna anni ubertas in Campania et Apulia fuiſſet, quantam poſſet frumenti copiam per inſtitores colligi, et in Hiſpaniam tranſportari, curaret. Id a regiis miniſtris non ſedulo tantum, ſed avare factum: nam, cum pro tranſportatione annonae magnum vectigal penſitetur, portoriis defraudatis magnus a miniſtris quaeſtus factus; tantaque frumenti multitudo avecta fuit, ut in Hiſpania, alioqui ſterili, et tunc hominum concurſu frequenti, maxima ob abundantiam annonae vilitas eſſet; contra in regno Neapolitano ſumma frumenti anguſtia laboraretur. Id cum ſerius animadverſum eſſet, quam ut remedium in tempore adhiberi poſſet, qui rem urbanam adminiſtrabant, dum aliunde publicae egeſtati proſpiceretur, quo tempus ducerent, primum ſecreto edicto pani, qui vulgo a piſtoribus coquebatur, de pondere aliquid demunt, ne pretium ob caritatem auctum deprehenderetur: dein et cum fraus illa detecta eſſet, etiam pretium augent, magno plebis fremitu, qui tandem in apertam ſeditionem erupit. Praeerat annonae Jo. Vincentius [d] Staraces, ad id eo anno electus; qui, ſive quod ex publica egeſtate privatum emolumentum captare crederetur, ſive quod proregi addictior eſſet, plebi inviſus, qua pollebat ingenii dexteritate ac momentanea induſtria, huc uſque populum irritatum placaverat. Tunc vero, cum delegati ad S. Mariae novae conveniſſent, conventus ſubito ad S. Auguſtini, quod moris eſſet eo in coenobio de rebus hujuſmodi concilium haberi, a furente plebe tranſlatus eſt: quo juſſus venire Staraces, cum ſe ob adverſam valetudinem primo excuſaret, facto concurſu a ſeditioſis quibuſdam in humeros tollitur; et, inter mediam multitudinem quaſi in triumphum ductus, tandem Santauguſtiniano coenobio violenter infertur. Id primum tumultus initium; qui funeſtum tandem exitum habuit. Staraces, non tam ex morbo quam periculo praeſenti exanimatus, ut primum ſe ex pavore collegit, obvium quemque populari comitate, ac blandiſſimis quam poterat ſermonibus, compellans, ope amicorum ex porticibus in templum, atque inde in ſacellum quoddam cancellis ferreis vallatum ſe incluſit, dum populi furor deſaeviret opperiens: et interea ſe loci religione ac firmitate tutum exiſtimans, tandem incaleſcente magis plebis rabie, ut ſe periculo ſubduceret, in cryptam ſacello ſubjectam ſe clam demittit, fugae ſparſa fama; qua non credita, in ſacellum, clathris ac valvis refractis, fit impetus; et cum in cryptam recenter clauſam, quod ex pedum veſtigiis apparebat, quidam ſeditioſi deſcendiſſent, inde hominem metu exanimem extrahunt; et capto illudentes, non convenire vivo adhuc et ſpiranti tumulum, mox ad plebis ſatiandam rabiem expoſitum innumeris ictibus confodiunt: tum membratim diſcerptum in partes minutatim lacerant; et ita per totam urbem, etiam ſub ora praeſidis, qui ad [e] Caſtrum novum

INTERPR. [a] *Naples.* [b] *las Cortes.* [c] *Giron, duc d'Oſſune.* [d] *Starace eletto.* [e] *Caſtel-nuovo.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

novum hoſpitium habebat, minas et iram ſpirantis, magiſtratus contempta auctoritate, traducunt. Nec heic immanitas ſtetit: nam ut quiſque vel ſtrenuum ſe aut magis patriae libertatis ſtudioſum approbare cupiebat, ita particulam aut fruſtum laniati cadaveris domum referre, aut cruentatus in publico conſpici, gaudebat. Conſumpto cadavere, ad aedeis tam crudeliter interfecti Staracis fit concurſus; et, ut ſe non praedae, ſed ultionis, deſiderio duci probarent, ſupellectilem omnem defuncti per monaſteria diſtribuunt; paulumque abfuit, quin aedeis ipſas incenderent: ſed Jeſuitici ſodales partes ſuas interpoſuerunt; id non in defuncti damnum, ſed ducis [a] Matalunae, a quo Staraces aedeis conductas habebat, recaſurum oſtendentes. Dum haec fierent, tabernas in urbe mercatores clauſerant, a concitata plebe ſibi metuentes: nobilitas vero ſe domi de exitu anxia continebat; ſedente interim prorege, et indignationem intra ſe conceptam coquente: cui cum prudentiores initio motus ſuaderent, ut obviam naſcenti malo mature iret, ille contra reſpondebat, ſibi placere Petri [b] Toletani olim regni ejuſdem praeſidis exemplum; qui, ſeditione ob inquiſitionem ante XXXVIII annos in urbe ſuborta, eam affectata patientia eluſerat; ſcilicet opperiens, dum, ſedato furore et plebe dilapſa, regiam auctoritatem et ſuam ipſius poteſtatem inſigni ſeveritatis monumento ſanciret. Nec dictis eventus defuit: nam compoſito tumultu, poſtquam annonae de publico proſpexit, ſtatim in ſeditionis auctores inquiri juſſit. Plures capti; ex quibus XL capite luerunt, C ad triremeis damnati, multo major numerus in exilium acti. In ſeplaſiarium abſentem, qui ſeditionis cauſam dediſſe arguebatur, ſevere animadverſum fuit: nam domus ejus ſolo aequata, et area ſale conſperſa eſt; addito cippo lapideo cum elogio, quo ſeverae adeo caſtigationis ratio reddebatur. Cum nullum juris rigori finem faceret prorex, multique inſontes ex ea occaſione in crimen vocarentur, nobilitas, quae initio ſibi a plebe metuebat, interceſſit; et, miſſis e ſuo numero in Hiſpaniam, tandem a Philippo diploma impetravit, quo praeteritorum gratia miſerae plebi fiebat. Is caſus, tot hominum poena miſerabilis, alio haud minus calamitoſo cumulatus, initia novi pontificatus minus laeta fecit.

IV. Paulus Jordanus Urſinus, de quo modo dixi, caedis Franciſci Perreti in ſuſpicionem venerat; ex eo auctam, quod Virginiam Acorambonam defuncti viduam, cum prius aliquandiu in [c] Hadriani Mauſoleo ob facti conſcientiam fuiſſet, poſtea ipſe in uxorem duxerat, longe inaequali conjugio; quippe qui Iſabellam, Coſmi magni Etruriae ducis filiam primis nuptiis duxiſſet, ex eaque filios haberet. Is, poſtquam Sixtus pontifex creatus eſt, ultionem veritus, ceterum, ne crimen fateri videretur, valetudinem adverſam cauſatus, cum nova uxore quaſi ad balnea profecturus in Venetam ditionem conceſſit, et [d] Salonae in Benaci lacus ripa domicilium fixit; ubi febre violenta correptus, cum ſecandam venam medicis praebuiſſet, dum ſanguis mittitur, inter ſuorum manus exſpiravit. Uxor ingenti luctu defuncta, cum iis, quas ex tanto naufragio aſportare potuit, opibus, et mundo ſuo muliebri, [e] Patavium ſe contulit; ubi a graſſatoribus, e Ludovici Urſini Pauli Jordani gentilis ſatellitio clam immiſſis, noctu cum Flaminio fratre, qui ad illam conſolandam venerat, crudeliter interfecta eſt. Ludovicus is, occiſo [f] Vincentio Vitellio, Jacobi [g] Boncompagni ſacrae Romanae eccleſiae gubernatoris vicario, ut ſupra diximus, cum ſuis urbe aufugerat; et, cum per [h] Umbriam aliquandiu cum armis diſcurriſſet, tandem Venetias ſe contulerat: et, cum ſenatu honeſtis conditionibus, quibus eorum ſtipendiis militaturus eſſet, pactus, in eo erat ut in [i] Corcyram proficiſceretur, cum mors Acorambonae intervenit; quae a ſatellitibus ejus patrata, cum juſſu quoque ipſius

INTERPR. [a] *Duca di Matalona.* [b] *de Tolede.* [c] *Caſtel St Angelo.* [d] *Salo ſur le lac de Garde.* [e] *Padoue.* [f] *Vincenzo Vitelli.* [g] *Buoncompagno.* [h] *Territorio di Romagna, e d'altri luoghi della Chieſa.* [i] *Corfu.*

ipſius facta crederetur, in eum ex ſuſpicione probationes confici coeperant. Ille vero, qui aut factum latere ſperaſſet, aut, ſi qua ſuſpicio contra ſe naſceretur, ſenatum nomini Urſino, cujus egregia tot erga ipſum merita exſtabant, id condonaturum putaret; ut ſecum moderatius ac mitius ageretur, non ſe propterea Patavio movit, ſed in aedibus [a] Contarenis, quas in [b] Medoaci ripa conductas habitabat juxta ſancti Auguſtini aedem, cum ſatellitio ſuo, quod L hominibus delectis egregie inſtructis et bellicae rei peritis conſtabat, ſe quaſi ad defenſionem hoſtili animo paravit. Quod cum magiſtratibus jam ſatis atrocitate facti commotis inſolens videretur, tantamque audaciam in civitate libera ferri, ad exemplum pertinere exiſtimaret prudentiſſimus ſenatus, interceptis ſub id literis ab Urſinis ſcriptis, per quas de auctoribus caedis plena fides fiebat, praefectis mandat ut jure in Ludovicum agerent: quod mandatum, in pervigilio Dominici natalis, Venetiis ab Aloiſio Bragadino allatum, manu armata illi executi ſunt; et, ut ſuorum ſanguini parcerent, tormenta ad Contarenas aedeis admovent. Quo conſpecto inducias poſcit Ludovicus; et per eas epiſtolam ad praefectos exarat, cujus haec erat ſumma: Quando non via juris, cui ſe obedientem ſemper fore declarabat, ſed vi armata ſecum ageretur, nec meritorum Jordani patris, et Valerii Urſini ac Bartholomaei [c] Liviani avorum, erga ſereniſſimam rempublicam ratio haberetur; proteſtari ſe intrepido animo, et digna Urſino nomine conſtantia, rei exitum exſpectaturum; neque commiſſurum, ut quidquam tam illuſtri nomine aut innocentia ſua indignum admiſiſſe dicatur: proinde decreviſſe vitam, quae vi petatur, vi contraria tueri, ſanguinemque ſuum injuſte ſitientibus pari ſanguinis menſura admetiri: porro exemplum inſigne poſteris relicturum, innocentiae contra jus oppreſſae, et malae Urſinorum fortunae, cui pro tot exantlatis pro republica laboribus tam indigna gratia rependatur. Literis exaratis, quaſi immemor eorum quae ſcripſerat, adjecerat, quando nullae conditiones accipiantur, cuncta ſe facere paratum, modo vita ſibi ac ſuis ſalva maneat. Hac ipſa epiſtola in ſenatu recitata, major quam antea exorta omnium indignatio, hominem criminis convictum a crimine animos ſumere, et, cum ſupplex ad preces humiles deſcendere deberet, tantos ſpiritus gerere, nec de ſuperbia priſtina quidquam remittere. Itaque juſſu praefecti tormenta contra aedeis obſeſſas diſploduntur; dejectaque ſtatim anteriori parte, cum circumſeſſis undique aditibus nulla ſpes erumpendi aut evadendi eſſet, Ludovicus deditionis conditiones ad praefectum mittit; quas a reo accipere ille indignum ratus, verberationem continuari jubet. Itaque tandem deditio ſine conditione fit; ductuſque inermis Ludovicus cum ſuis ante praefectum ſiſtitur, qui cunctos in cuſtodiam dedit. Tum ſententiae in eos latae, pro gravitate criminum diverſae: et cum Ludovico renunciatum eſſet mori illum oportere, intrepidum vultum prae ſe tulit; et, collectis intra ſe animis, tempus ad res domeſticas ordinandas popoſcit. Tum nocte quae VI Kal. Jan. praeceſſit, codicillos ad uxorem, quae Venetiis erat, et ſenatum fruſtra pro mariti ſalute prenſabat, ſcripſit; quibus eam ad ſortem ſuam fortiter ferendam, et ut ad Dei voluntatem deſideria ſua inflectens imperſcrutabilibus ejus judiciis obtemperaret, hortabatur. Famulos ac fidos ſibi enixe commendabat; et, quando in eâ aetate eſſet, rogabat, ut de matrimonio ſe digno mature cogitaret: gemmas omnes ſuas, quas ingentis pretii et magno numero habebat, donabat: inſuper heredem in uſufructu omnium bonorum eam inſtituebat, eique poſt mortem alios ſubſtituebat. Tum poſtremo addebat, ita deinceps viveret, ut Ludovicum Urſinum virum habuiſſe neque oblivisceretur unquam, neque nimium meminiſſet. Ea erat Julia Sabella, ingentis animi foemina, et ut natalibus illuſtris, quippe foeta tot claris belli ducibus familia

INTERPR. [a] *Palazzo de' Contareni.* [b] *al fiume Brenta preſſo à Sant-Agoſtino.* [c] *d' Alviano.*

familia Sabellorum prognata, ſic moribus et ingenio praeſtans: quae cum nihil non feciſſet, ut a ſenatu poenam marito deprecaretur, cum nihil impetrare potuiſſet, generoſiſſime caſum tulit; et, memor monitorum ejus, erga famulos et amicos ſibi ab ipſo commendatos mira liberalitate etiam ſupra vireis uſa eſt: et poſtea, cum plerique proceres Itali matronalis virtutis admiratione incenſi ejus nuptias certatim ambirent, dignum ſe maritum elegit Joannem [a] Vivonum Piſanii marchionem, tunc regis apud pontificem oratorem, virum et natalium ſplendore et propriis virtutibus, quarum pace tot legationibus obitis, et bello tot aditis periculis, egregia monimenta exſtabant, inſignem; eoque facto Alexandri exemplum approbavit, viros non nationibus, ſed virtute ac malitia diſtingui debere, dictitantis. Ludovicus praeterea codicillis arma ſua reipublicae Venetae legavit; quibus poſitis inter decemvirorum arma, illa verba ſubſcripta ſunt, *Arma a Ludovico Urſino reipublicae legata, ingenuum juſtae necis teſtimonium.* Poſtridie noctu in carcere, ita jubente ſenatu, ſtrangulatus eſt. Severius cum percuſſoribus Acorambonae actum, qui exquiſitis ſuppliciis vitam finiverunt. Quidam ad triremeis tantum damnati: alii denique, qui caedis conſcii non erant, liberi dimiſſi ſunt. [b] Marcellus, alter Acorambonae frater, tanquam unus de conjuratis adverſus Franciſcum [c] Perretum a ſummo pontifice poſtulatus, atque a ſenatu traditus, poſtea ſummo ſupplicio affectus eſt. Ad hos caſus, qui fortunae imputari potuerunt, acceſſerunt et alii a voluntate novi pontificis profecti, qui naturae ejus ab humanitate abhorrentis, qualis antea credi noluerat, plenam fidem fecere: quanquam alii id ab illo de induſtria factum putant, ut natalium humilitatem magnitudinis animi oſtentatione et ingentibus coeptis penſaret, magnaque ſtatim initio magiſtratus de ſe ſparſa fama, parem ſe tantae dignitati oſtenderet. Utcunque ſit, inſigne ſeveritatis ſpecimen dedit in cauſa juvenis cujuſdam Florentini; qui, quod in heri ſui aedibus in Tranſtiberina regione [d] latrunculatoribus de aſino quid poſtulantibus aut exſequi volentibus ſola denegatione ſimpliciter reſtiterat, quanquam poſtea non [e] aquarii, qui amiſſum aſinum repoſcebat, ſed heri ſui eum fuiſſe conſtitiſſet, nihilominus ad mortem damnatus eſt, ita Sixto volente ac jubente: nam, quo minus recuperatores in juvenem mortis ſententiam ferrent, urbana lex obſtabat; quae quenquam ob ejuſmodi crimina, ante XX annum completum, morte affici vetat. Cum duceretur ad ſupplicium juvenis, multorum commiſerationem excitavit: ipſe prae doloris vehementia lachrimas cruentas fundere, et ſanguinem pro ſudore toto corpore mittere, viſus eſt; quod multi pro certo documento acceperunt, naturae feſtinati crudeliter judicii ſeveritatem impugnantis, et de magiſtratu ipſo quaſi percuſſore ultionem repoſcentis. Aliud et incidit eodem tempore dignum commiſeratione et exitu ominoſo funeſtum ſpectaculum. Patre filioque homicidii poſtulatis, uxor, quae et mater alterius erat, poſtquam fruſtra pro utroque expoſtulavit, innocenteis eos a criminibus objectis inclamans; cum nihilominus in miſeros mortis ſententiam latam intellexiſſet, ex dolore in tantam deſperationem incidit, ut protinus ſe ex ipſo palatio, cum puero bimulo, quem in ulnis geſtabat, per feneſtras praecipitem dejecerit. Poſtea, cum pater filiuſque ad ſupplicii locum veniſſent, triſte pietatis certamen inter utrumque fuit, dum alterum alteri praevertere quiſque loco gratificationis reputat. Vicit tandem pietas paterna; qui filio, ne, ſi patri ſuperfuiſſet, geminata adflictione torqueretur, ſupereſſe voluit. Quod rurſus ſpectantium animos ad miſericordiam concivit; renovata interim triſti infelicis illius mulierculae, per viri filiique mortem, memoria.

V. INTER

INTERPR. [a] *de Vivonne, marquis de Piſany.* [b] *Marcello.* [c] *Perreto.* [d] *Sbirres.* [e] *Porteur d'eau.*

V. INTER haec, inſtante Claudio [a] Matthaeo, quem ſaepius ob eam cauſam hoc anno Romam iaſſe diximus, apud Sixtum, negotium de Navarro et Condaeo proſcribendis, quod Gregorius aut conſulto diſtulerat, aut morte praepeditus perficere non potuerat, exitum habuit. Nam diploma confectum eſt v Eidus Septembreis, quo pontifex multa praeclare praefatur de auctoritate ab immenſa aeterni Regis potentia beato Petro ejuſque ſucceſſoribus tradita, quae cunctas terrenorum regum ac principum ſupereminet poteſtates; ſtabilique in petra conſiſtens, nec ullis adverſitatibus vel etiam ſecundis flatibus a recto deflectens, inconcuſſa profert in omneis judicia, et, ne divinae leges violentur, ſumma ope curat; et, ſi quos Dei ordinationi reſiſtentes invenit, ſeveriore vindicta ulciſcitur, et, quamvis potentiſſimos, de ſolio dejiciens, veluti ſuperbientis Luciferi miniſtros, ad infima terrae deturbatos, proſternit. Tum pro neceſſitate muneris arma militiae ſuae exerere ſe coactum dicit in duos irae filios, Henricum Borbonium quondam regem Navarrae, et alterum Henricum Borbonium Condaeum principem: nam Navarrum, cum Calvini errores a puero imbuiſſet, tandem Caroli regis, Catharinae reginae ejus matris, cardinalis item Borbonii et Monpenſerii piis et aſſiduis hortatibus, adhibito doctiſſimorum theologorum colloquio, melius inſtructum, in majore Pariſienſis urbis templo errores publice abjuraſſe, et religionem Catholicam apoſtolicam Romanam profeſſum eſſe; et, ut ratum id haberet Gregorius deceſſor ſuus, honorificam legationem ad eum, tanquam ſupremum eccleſiae Catholicae caput, miſiſſe; qui, a ſupra memoratis perſuaſus, cum ſerio poenitentem et ex animi ſententia Navarrum agere putaret, ei abſolutionis beneficium impertiverit, in fidelium communionem receperit, et de vinculo adfinitatis, quod nuptiis ipſius et Margaritae regis ſororis impedimentum afferre poterat, gratiam fecerit: ſed poſtea levitate ſeu malitia inſita ab aula diſceſſiſſe, et rurſus in primos errores relapſum a fide Catholica et obedientia ſedi apoſtolicae debita deſciviſſe; et, conventu publico indicto, quo ſceleratiſſimi quique Sectarii confluxerant, profeſſionem, quam Lutetiae fecerat, revocaſſe, et rurſus in Calvini doctrinam fidem adegiſſe; ſeque Sectariis ab eo tempore ducem praebuiſſe, exercitus externos contra regem ſororium in regnum induxiſſe, cultum antiquum ubique profligaſſe, omnia ferro denique et ſanguine miſcuiſſe. Condaeum vero patre et matre Sectariis prognatum, in eodem errore a teneris annis perſeveraſſe, donec eadem, qua Navarrus, ratione melius inſtructus, religionem Catholicam, et eandem gratiam a Gregorio ſibi factam, amplecteretur: verum ab ea mox defeciſſe, et paternis veſtigiis inſiſtentem externos Sectarios pariter ad regnum invadendum introduxiſſe, templa ſpoliaſſe, ſacerdotes ubique jugulaſſe, ſubſtitutis in eorum locum indignis Sectariae doctrinae paſtoribus. Quae cum omnibus publice manifeſta ac nota ſint, et ſibi abunde de iis conſtare teſtetur pontifex, ſtricto ultionis contra deteſtabilem hanc et ſpuriam illuſtris adeo gentis Borboniae generationem gladio, Navarrum ac Condaeum tanquam Sectarios, et in errorem relapſos, Sectariorum fautores ac defenſores publicos ac manifeſtos, divinaeque Majeſtatis reos, et fidei Catholicae hoſteis, proſcribit: et Navarrum quidem omni jure, quod in Navarrae regno ſibi competere contendit, et ea parte ejus quam nunc occupat, ſimul et Benearni principatu excidiſſe; Condaeum autem et utriuſque ſucceſſores omni principatus et dignitatis jure in praeſens et in poſterum pariter excidiſſe, indignoſque eſſe ipſos et eorum ſucceſſores, qui in ullum principatum, ac ſpeciatim in regnum Franciae, ſuccedant, hac ſententia pronunciat; ſubditos obſequii ſacramento ſolvit. Tum regem Chriſtianiſſimum hortatur, ut, memor jurisjurandi

INTERPR. [a] *le pere Mathieu.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III. jurisjurandi in inauguratione praeſtiti, omnia Sectarum ſemina exſtirpet, hanc ſententiam executioni demandari jubeat. Mandat inſuper archiepiſcopis ac epiſcopis, ut exempla ejus ſententiae, ſimulac in manus eorum devenerint, per totum regnum publicari curent. Huic ſententiae, XI Kal. Oct. Romae locis ſolitis promulgatae, ſubſcripſere XXV cardinales. Caute Ateſtinus et Farneſius conſiſtorio, cum de tantae molis negotio ageretur, abſtinuerunt; ille, quod quamvis Guiſianorum, qui ſententiam urgebant, avunculus eſſet, regni principumque regni heredum ſalutis potiorem curam haberet; uterque, quod principali familia prognati exemplum olim metuerent: mirumque fuit inter alios, Ferdinandum Medicem et ipſum principali familia prognatum, qui biennio poſt Franciſco fratri magno Etruriae duci, ſine maſcula prole defuncto, in imperio ſucceſſit, ſententiae ſubſcripſiſſe; multique ea in re prudentiam ejus deſiderarunt. Factum ea ratione quidam excuſant, quod cum principatum in familia ſua nuper a pontificibus fundatum et titulis invidioſis auctum ſciret, eorundem potentiam ſuo ſibi ſuffragio amplificandam intelligeret. Publicato diplomate Sixtus protinus ad Rodolfum Caeſarem ſcripſit, et per oratorem ſuum de proſcriptionis ſententia contra Navarrum et Condaeum lata eum certiorem fecit; petiitque pro auctoritate, qua in Imperio pollet, operam daret, ne ii Proteſtantium principum ope ad res in Gallia turbandas, et impediendam ſententiae executionem juvarentur; delectuſque omneis per Imperium, proſcriptionis addita poena, prohiberet. At, incenſis apud nos non tantum ad bellum contra Sectarios, ſed ad defectionem contra regem animis, ea ſententia quaſi oleum camino addidiſſe viſa eſt; cum concionatores a factioſis incitati, et jam licentiae loquendi inſueti, occaſionem inde caperent in Navarrum et Condaeum, quaſi pontificis judicio damnatos, eorumque fautores acerbius invehendi; quo nomine Eſpernonium, qui principem locum in gratia regis tenebat, et optimum quemque regiſque ac regni ſalutis ſtudioſum, deſignabant: eaque re regi ipſi, quaſi Navarro ejuſque ſequacibus in occulto faveret, invidiam creabant. Cum vero, evulgata decreti pontificii fama, rex, majorem motum veritus, ſedulo cum Jacobo [a] Ragaſſono Bergomenſi epiſcopo, oratore a Gregorio in Galliam miſſo, egiſſet, eumque ad moderata conſilia ſibi inflexiſſe videretur, ab [b] Ateſtino cardinali, et Piſanii marchione, ſuo apud pontificem oratore, certior fit, pontificem, qui ulla conſilia moderata nollet, Bergomenſem revocaſſe, et in ejus locum Fabium [c] Muertum Frangipanium Neapolitanum, Nazarethi archiepiſcopum, in Galliam legatum deſtinaſſe, hominem jam eadem legatione bello civili apud nos ardente olim defunctum, eique de ſententiae executione mandatum admodum ſeverum dediſſe. Itaque per eoſdem rex apud pontificem agit, ut alium ad ſe legatum mittat; nam Nazarethanum ſibi multis de cauſis ſuſpectum: quas ab Ateſtino et Piſanio ut intelligeret, et boni conſuleret, enixe rogabat. Pontifex contra in propoſito perſeverare: nam, cum in cujuſque principis arbitrio ſit, quem velit oratorem mittere, multo magis pontifici electionem liberam permitti debere. Cum nihilominus id regis ingenio dari peterent Ateſtinus et Piſanius, pontifex animum obfirmat, et ſtare ſibi reſpondet Nazarethanum mittere; qui ſi non recipiatur, neque ſe regium oratorem admiſſurum. Hoc praefractum Sixti reſponſum, quod ad Gallici totius nominis contumeliam ſpectare videretur, Piſanius ex Ateſtini conſilio regem celavit; tantum per literas monuit, Sixtum nullis rationibus aut precibus adduci potuiſſe, ut alium quam Nazarethanum in Galliam legatum mitteret; jamque ipſum in itinere eſſe. Quibus acceptis, rex, qui legatum Guiſianis partibus addictum crederet, cum ſperaret adhuc precibus apud pontificem

INTERPR. [a] *Ragazzoni, evêque de Bergame.* [b] *le cardinal d'Eſte, & le marquis de Piſany.* [c] *Muerto Frangipani.*

pontificem locum eſſe, ad legatum, qui jam Lugdunum venerat, et perhonorifice in urbe exceptus fuerat, ſcribit; rogatque, ut quocunque loco iſtas literas acciperet, in eo maneret; nec ulterius in regni interiora proficiſceretur, antequam novum mandatum a pontifice accepiſſet. Nazarethanus lectis literis obſtupuit; et, cum ſciret quam imperioſo domino ſerviret, ilico retulit, nequaquam pontificem hanc repulſam laturum; ſe conſtituiſſe quamprimum hinc diſcedere; nam ſic ſibi ab eo praeſcriptum eſſe: ſtatimque ad pontificem dat literas, quibus quid ſibi a rege ſcriptum eſſet perſcribit: qui, re cognita, nec exſpectatis regis ſuper ea re literis, e veſtigio [a] Piſanio mandat, res domeſticas componeret, et, iis compoſitis, pontificia ditione intra triduum excederet. Nuncio a pontifice miſſo, Piſanius, vir generoſus, et nominis regii Gallicique decoris acerrimus vindex, conſtanti vultu reſpondit, inſolens ſibi hoc mandatum videri; ceterum haud valde curare, quid pontificem moveat, ſcire; tantum velle ut hoc ſciat, rebus compoſitis ſe datum tempus contracturum; neque enim ditionem pontificiam tam late patere, quin intra diem ea excedere commode poſſit: quod et ſedulo fecit. Poſtea, cum praecipitati mandati pontificem poeniteret, ne tamen homo omnium propoſiti tenaciſſimus vinci videretur, Horatio [b] Oricellario, qui, partis ex ſalinario vectigali in Gallia ingentibus opibus, paulo ante Romam ſe receperat, ultro citroque commeante, ita diſſidium compoſitum fuit, ut Piſanius a pontifice cum aliqua verborum ſatisfactione reciperetur; viciſſim rex Nazarethanum, quaſi ſuſpicionibus purgatis, admitteret. Is poſtea admiſſus moderatum ſe admodum, contra quam rex putaverat, tota ſua legatione geſſit; in qua Lutetiae biennio poſt IV Eid. Mart. defunctus eſt. Ceterum hujus cenſurae, atque alterius quae ante XXIII annos contra Joannam Navarri parentem promulgata fuit, pro temporum et ingeniorum, quae tunc in aula erant, diverſitate, longe diverſum fatum fuit; quippe [c] Anna Momorantio et Michaele Hoſpitalio res tunc moderantibus, qui, rege puero, virileis curas et animos ad rempublicam attulerant. Itaque iis auctoribus, cum Henricus [d] Clutinius Oiſellius, tunc Romae orator regius, graviter ea de re apud pontificem expoſtulaſſet, et regem injuriam talem, qualem majores ſui nunquam inultam reliquiſſent, minime laturum oſtendiſſet; tandem obtinuit, ut diploma, jam in urbe ſolemni more publicatum, revocaretur, et omnino induceretur: ita ut inter Pii IV conſtitutiones hodie minime reperiatur, ſicuti ſuo loco diximus. At generoſis illis moderatoribus exſtinctis, novi ſuccreverunt, qui ſub muliebri imperio nati, praepoſtera prudentia, quae nunc in aula plurimi fit, potentiorum iniquis voluntatibus ſerviliter ſeu maligne ancillantes, priſtinam illam dignitatem ac Gallicam ſimplicitatem paulatim amitti non ſolum paſſi ſunt, ſed aegerrime ferunt cum memoria heroum illorum a viris bonis renovatur, quaſi ea commemoratio ad ignaviae ipſorum exprobrationem pertineat; alia tempora alios mores poſtulare, et horridam illam libertatem hoc rerum ſtatu minime convenire, dictitantes; atque adeo paedagogicae, ſi Deo placet, notam ſtrenuis illis regiae dignitatis propugnatoribus impingentes; cum ipſi, cum tota ſua ſolertia et novitia prudentia, ſi ad ea tempora, quibus clavum tenuerunt, revocentur, et rationem adminiſtrationis ſuae reddere cogantur, potius erubeſcere debeant; quod, cum florentiſſimum regnum ab illis, quorum nomen ſugillant, integra adhuc regni et Gallici nominis majeſtate, traditum acceperint, illud praeclaris adeo conſiliis ſuis concidere, et domi foriſque regium nomen vileſcere paſſi ſint. Hinc enim factum eſt, ut inſolens coelo Gallico illud telum a Sixto contra Navarrum Condaeumque vibratum, non, ut illud de quo modo dixi, irrito omnino ictu ceciderit; ſed

INTERPR. [a] *le marquis de Piſany.* [b] *Rucellai.* [c] *le conneſtable de Montmorency, & le chancelier de l'Hoſpital.* [d] *Clutin, Sieur d'Oiſel.*

CIϽ IϽ LXXXV. HENRICUS III.

ſed ejus nunc adhuc inter Sixti v conſtitutiones ab omnibus, non ſine publica offenſione, memoria conſervetur. Nam qui circa regem erant ſatis pro tempore habuerunt cavere, ne decretum uſpiam in regno promulgaretur, aut ejus ratio publice haberetur: de cetero, cum regem obtorto collo ad bellum, contra animi ſententiam, rapi nuper paſſi eſſent, intempeſtivum, imo et abſurdum duxerunt, ejus, in quem arma vertebantur, cauſam adverſus pontificem tueri: neque interim viderunt, quanto in praeſens flagitio, in futurum dedecore, tanta injuria Gallico nomini inuſta diſſimularetur. Navarrus certe, et qui ei in Italia favebant, cum Gallici nominis cauſam in ejus ſalute ac dignitate verti viderent, minime eam tulerunt; ſed, programmate ad Marforii ac Paſquilli ſtatuas, et aliis celebrioribus locis affixo, cenſurae Sixti v pro pontifice Romano ſe gerentis interceſſit, falſam eam affirmans, et de ea, tanquam contra jus abuſive decreta, appellans ad curiam parium Franciae, quorum ipſe princeps eſſet: et quantum ad haereſis crimen, falſo objectum ait; dominum Sixtum ſe pro pontifice gerentem, ſalvâ ſanctitate ſua, falſo et malitioſe mentiri; ipſumque haereticum eſſe, idque ſe in concilio libero ac legitimo probare paratum oſtendit; in quod niſi, ſicuti per ipſas leges ſuas obligatur, conſentiat, ipſum pro Antichriſto et Sectario reputare; eique hoc nomine perpetuum et irreconciliabile bellum indicit. Interim de actu quaſi nullo proteſtatur, ſalvo jure ſuo, tam contra ipſum quam ſucceſſores ejus, ut ſibi de tanta injuria ipſi regioque nomini illata idonee ſatisfiat. Quod ſi deceſſores ſui reges hujuſmodi nebulonum, qualis hic Sixtus eſt, quoties muneris obliti, et jura humana cum divinis confundentes, legitimae potentiae limites egreſſi ſunt, temeritatem digna caſtigatione ulti ſunt; ſperat Navarrus, nihilo majoribus ſuis inferior, Deo adjuvante, injuriam regi, familiae regiae, ac ſanguini ſuo, regnique curiis factam, ſe contra ipſum ac ſucceſſores ſuos pari poena vindicaturum. Ad hoc omnium regum ac principum, rerumpublicarum ac civitatum, ad quos exemplum tantae injuriae pertinet, opem et auxilium implorat; rogatque omneis Franciae coronae amicos ac foederatos, ut ſecum contra tyrannidem et uſurpationem pontificis, ac conjuratorum nuper in regno exortorum, tanquam Dei, regni, regiſque, ac publicae orbis Chriſtiani quietis hoſtium, vireis conjungant. Idem eodem tempore et Condaei nomine programma Romae affixum eſt, hoc eſt, VIII Eidus Novembreis; ſtupentibus cunctis, et aliis audaciam palam admirantibus, aliis in ſinu animos ac fidem eorum, qui ſpreto periculo id feciſſent, laudantibus. Pontifex, diligenti veſtigatione facta, ſi forte auctores comprehendi poſſent, exempla ſupprimi et aboleri juſſit, jam tum de Navarri fortuna bene auguratus; qui injuriam tam longe factam, tam prope ac ſub ipſius pontificis oculos ulciſcendam judicaret, ad idque miniſtros adeo fidos ac generoſos habuiſſet: ac perſaepe poſtea auditus eſt cum diceret, toto orbe ſe unum virum et foeminam videre dignos, niſi labe Sectaria infecti eſſent, qui regnarent, et quibuſcum ipſe de ingentibus rebus, conſilia, quae animo agitabat, communicaret, Navarrum et Eliſabetham Anglorum reginam intelligens. Cum vero cum Piſanio de negotiis Gallicis colloqueretur, ut ipſe Piſanius mihi ſaepe poſtea retulit, ingenteis Navarri ſpiritus ac imperterritam conſtantiam crebro laudabat, et ſimileis regi animos precabatur: nec proinde adduci potuit, ut in belli contra eum gerendi ſumptus pecuniam conferret. Programmati illi poſtea amplior declaratio acceſſit ad pulchram Italiam, Italice ſcripta, et typis excuſa, nomine nobilis cujuſdam Galli, cum pleriſque verſibus Italicis contra pontificem ejuſque cenſuram, quibus Sixtum mentitum eſſe confirmatur; collectis etiam ex Fr. Petrarcha, [a] Dante Aligerio, Jo. [b] Bocatio locis, quibus conceſſa illo ſaeculo libertate curiae Romanae mores ac libidines amarulente

INTERPR. [a] *Dante Aligheri.* [b] *Boccace.*

amarulente carpuntur. Scripti auctor putatur Franciſcus [a] Perrotus, olim in adoleſcentia Perſicae cum Gabriele [b] Aramontio, regio apud Solymanum oratore, profectionis comes, et diu in Italia poſtea hoſpes; ubi talem linguae peritiam aſſiduo uſu loquendi ac ſcriptione contraxit, ut ſcripta ejus Italica ab Italis pro genuinis Italicis agnoſcantur. Poſtea et in cenſuram illam ſcripſit Franciſcus Hotomanus juriſconſultus, joculari ſtylo, libroque Brutum Fulmen titulum fecit; quo et de beati Franciſci et beati Dominici vita ac moribus veteres hiſtoriae, ab obſolete devotis viris ſcriptae, ridicule diſcutiuntur. Scripſit et poſtremo grandem librum Petrus [c] Belloius, ob id moleſto ac periculoſo carcere diu vexatus; ex quo raro fortunae beneficio elapſus, poſtea meruit ut fiſci patronus in ſenatu Toloſano crearetur.

VI. INTER haec, cum de oppidis ac arcibus paſſim in [d] Aquitania, Septimania, Delfinatu, a Proteſtantibus captis allatum eſſet, rex, bello funeſto implicatus, qui jam in ſua poteſtate non eſſet, iis, quibus jubentibus ac cogentibus bellum ſuſceperat, auctoribus, edictum condit Lutetiae Nonis Octobribus; quod XVII Kal. Nov. in ſenatu, audito et poſtulante [e] cognitore regio, promulgatum fuit: quo ſpatium, quod ex termino ſex menſium, edicto ultimo [f] Juliano conceſſo, ſupererat, ad XV dies contrahit; bona eorum qui in armis eſſent, tam mobilia quam ſoli, nomina, rationes, et actiones deſcribi et annotari, et mobilia ſub haſta vendi, in poſſeſſionem immobilium idoneos homines ex decreto praetoris mitti jubet, qui fructus eorum in aerarium regium, ad ſupplendos belli ſuſcepti ſumptus, inferant. Multa inſuper in Proteſtanteis decreta; quod non tam eos, ut putabatur, territos, a ſumptorum armorum conſiliis revocavit, quam nimia ſeveritate exacerbatos ad juſtam defenſionem obfirmavit. Et Navarrus, conſilio habito, contrarium edictum promulgavit Bergeraci pridie Kalendas Decembreis: quo, multa de patientia et innocentia ſua praefatus, ſtatuit omnium eorum, qui in urbibus et oppidis, in quibus edictum hoc ultimum a rege factum promulgatum fuerat, habitarent, bona, nobilium itidem qui pro regni hoſtibus contra ſe arma ferrent, deſcriberentur; et venditorum pretium, aliorum fructus, in belli ſumptus impenderentur.

VII. JAMQUE omnia paſſim in armis erant. Primus ex Armorica vicina Philippus Emmanuel [g] Lotharingus Mercurianus in [h] Pictones cum II CIƆ circiter peditum deſcendit; Monpenſerio, qui, ante edictum Julianum factum, illuc a rege, ut primos foederatorum conatus diſturbaret, miſſus fuerat, e provincia diſcedente, et pleraque nobilitate, quae belli funeſti pertaeſa in domos ſuas dilabebatur. Mercuriano, impune paſſim vaganti, Condaeus, qui ad [i] Joannis-fanum eventum exſpectaverat, cum delecta nobilitatis, e [k] Santonibus, Engoliſmenſi agro, et Pictonibus, manu, et ſcloppetariis equitibus, ſe oppoſuit. Cum eo erant Renatus [l] Roanus, illuſtriſſimae tota [m] Armorica familiae princeps, Franciſcus Rupifulcaudius comes, Franciſcus [n] Rupifulcaudius Monguidonius Condaei legatus, Ludovicus [o] Sangelaſius caſtrorum praefectus, Georgius [p] Claromontius Amboſianus, Theodorus Agrippa [q] Albinius, alii belli duces. Cum [r] Campodenarium uſque veniſſet, cognito hoſteis prope Fontenaium eſſe, illuc ſine mora ducit; adventuque ſuo Mercurianum in oppidi ſuburbium, quod vulgo [s] Logias vocant, compulit: nam praefectus loci eum intra moenia accipere noluit; tantum commeatu et aliis rebus neceſſariis eum juvit; ſive ita a rege monitus, ſive quod, quanquam a rege ſtaret, tamen foederatorum partes minime ſequeretur. Ibi levibus aliquot certaminibus pugnatum, dum

INTERPR. [a] *Perrot.* [b] *d'Aramont.* [c] *du Belloy.* [d] *Guienne, Languedoc, & Dauphiné.* [e] *le procureur general.* [f] *Edict de Juillet.* [g] *de Lorraine, duc de Mercœur.* [h] *Poictou.* [i] *St Jean d'Angely.* [k] *Saintonge, & Angoulmois.* [l] *de Rohan.* [m] *Bretagne.* [n] *de la Rochefoucaud, Sr de Montguyon.* [o] *de St Gelais, mareſchal de camp.* [p] *de Clermont d'Amboiſe.* [q] *d'Aubigné.* [r] *Champdenier.* [s] *Fauxbourg des Loges.*

CIƆ IƆ LXXXV.
HENRICUS III.

dum Mercurianus quaſi obſeſſus a Condaeanis premeretur; qui tandem veritus, ne ſibi ad [a] Condivicinum Namnetum receptus intercluderetur, praevertere ſtatuit, et noctu levi ſtrepitu vaſa conclamari jubet; ac, nuſquam intermiſſo itinere, ne quidem cibo ſumpto, [b] Ligerim verſus tendit; multis, qui ultimum agmen ſequi non potuerunt, a Condaeanis interceptis, et parte impedimentorum amiſſa. Inde Condaeus, cum XX circiter dies in ea expeditione conſumpſiſſet, [c] Melaeum tendit, ubi Rupifulcaudius comes ab eo copias diviſit: ipſe [d] Jarnacium ad Carantonum venit, quod [e] Joannis-fanum peſte tunc infeſtaretur. Dum Jarnacii eſſet, Sangelaſius et Albinius Melaeum negotiorum cauſa proficiſcuntur: quo ubi venerunt, cognoſcunt foederatorum copias quaſdam haud hinc longe conſediſſe, [f] Sancatharino et aliis ductoribus, eo conſilio, ut ipſos interciperent. Itaque ſtatim ad Gabrielem [g] Prevotium Carbonarium, qui cum legione ſua duabus ab eo loco leucis hoſpitium habebat, et ad circumpoſitam nobilitatem ſcribit, nulla mora interjecta ad ſe venirent; hoſteis haud hinc longe ad ſe intercipiendum in inſidiis ſedere, qui, ſi mature auxiliares advolent, facile ipſi intercipi poſſint. Nec moniti illi officio defuere: nam, tota nocte itinere facto, ſub auroram cum Sangelaſio ſe conjunxerunt; qui e veſtigio ad hoſteis ducit, eoſque inopinato aggreſſus, cum nulla evadendi ſpes eſſet, ad deditionem compellit, ea lege ut foederi renunciarent; quod Sancatharinus ſedulo fecit, et Condaeo ab eo tempore militavit, cum pleriſque e ſuis: qui in Condaei caſtris manere noluerunt, armis exuti, ceterum vita ſalva, dimiſſi ſunt. Poſtea Claromontius, petito a Condaeo commeatu, in [h] Andeis abiit cum Ludovico [i] Bucerello Rupimortio ſtrenuo militiae duce, ut ex ea provincia, [k] Cenomanis, et Neuſtria proxima, copias colligeret, et rerum trans Ligerim gerendarum augurium captaret: nam Proteſtantium cauſae maxime intererat, ut bellum, ſi poſſet, trans Ligerim transferretur, oſtentatoque armorum metu illis urbibus, quae procul a periculo poſitae claſſicum canebant, eas ad pacem recantandam compellerent. Interea, ut copiae aliquo operae pretio occuparentur, in inſulas Santonicas duci placuit, eo conſilio tantum ab initio, ut [l] Anguli et Subizae arces reciperent; quae loca Franciſcus [m] Spinaeus Sanlucius, qui Jacopolim cum valido praeſidio tenebat, paulo ante miſſis praeſidiariis, muniverat: nam de Jacopoli obſidenda nondum cogitatum erat. Ob id Condaeus cum delecto equitatu Rupellam proficiſcitur: in itinere capta [n] Furraſſia, turris ad Carantonum poſita. Cum Condaeus tormenta et apparatum bellicum a Rupellanis accepiſſet, partem copiarum ad caſtrum Angulanum praemittit; quod a [o] Villatario Sanlucii juſſu tenebatur cum valido praeſidio. Is, ſive ignavia, ſive quod ſuis parum fideret, locum, licet munitum, ſtatim noctu deſerit, relictis impedimentis et pleriſque equis. Poſtridie, qui in XIII Kal. Oct. incidebat, in inſulas tranſit Condaeus cum omnibus copiis, et ad [p] Gemmae-fanum caſtra metatur: eodemque tempore Joannes [q] Rupibellocurius Sanmemmius, [r] Mongomerius Lorgeus, et Antonius [s] Ranquius, [t] Tonam ad Carantonum cum ſuis copiis veniunt. Quo cognito, qui Subizam tenebant circiter CC praeſidiarii, incenſo ponte et porta oppidi, locum deſerunt: quos ſerius inſecuti Condaeani, tandem in adverſum Jacopoli litus compulerunt; ubi ſe illi fruſtra Sanlucio oſtentabant: nam, recedente aeſtu, lembi ad eos excipiendos ſummitti non poterant. Itaque, inſtantibus Condaeanis, plerique in voragines praecipitarunt, et abſorpti ſunt; alii caeſi: ad LX et amplius capti in Sanlucii ipſius conſpectu; qui, periclitantibus ſuis opem cum

INTERPR. [a] *Nantes.* [b] *la Loire.* [c] *Melle.* [d] *Jarnac ſur Charente.* [e] *St Jean d' Angely.* [f] *le capitaine Ste Catherine.* [g] *Prevoſt de Charbonieres.* [h] *Anjou.* [i] *Bouchereau de Rochemorte.* [k] *le Maine, & Normandie.* [l] *St Jean d'Angle, & Soubize.* [m] *d'Eſpinay, Sieur de St Luc, gouverneur de Brouage.* [n] *la Tour de Fourras ſur la Charente.* [o] *de Villetar.* [p] *Ste Gemme.* [q] *de Rochebeaucour de St Meſme.* [r] *de Montgomery, Sieur de Lorge.* [s] *de Ranques.* [t] *Tonnay-Charente.*

cum ferre non poſſet, animi ultra modum diſcruciabatur. Poſtea captivi a Lorgeo remiſſi ſunt, et in iis [a] Luchetus, Millauburgius, et Silvagius, ſtrenui ordinum ductores, ignaro Condaeo; qui non mediocriter ob id ipſi, nec immerito, ſuccenſuit: nam magno illi uſui poſtea in defendenda [b] Jacopoli Sanlucio fuerunt.

VIII. Hic ſucceſſus ad majora tentanda animos fecit: nam Condaeus, Fano Gemmae profectus, [c] Juſti-fanum venit; et, [d] Marennis ad laevam relictis, [e] Hierii aditum petiit. Municipium eſt Jacopoli proximum, canali interpoſito; qui, recedente maris aeſtu, ita aqua deſtituitur, ut vorticibus limoſis ſumme tranſeuntibus periculoſus ſit. Aditum doliorum objectu in canalis margine poſitorum muniverat Sanlucius; qui in municipio ad ſubita intentus, ad defenſionem ſe parabat. Ad dolia vis facta a ſtipatoribus Condaei, quibus [f] Vignelius praeerat, et delectis e nobilitate, qui in pedes deſcenderunt: ibi ſauciati Vignelius et aliquot alii. Interea Carolus [g] Scalarius Bolaius cum ſua equitum ala et delectis ſcloppetariis, per Fanum Juſti et paludes longis anfractibus inacceſſas facto itinere, municipium accedit; Sanlucianiſque inopinato quaſi a tergo incumbens, magnam formidinem aditum tuentibus injecit; qui ſubito munitionem deſerunt. Sanlucius, qui, amiſſis iis quos penes ſe habebat, ſe Jacopolim amittere ſentiebat, mature de receptu cogitavit; ſenſimque pugnando ſe ad ſua recepit, diſploſis interim ex urbe tormentis; quae tamen arenarias ſupervolantia potius Condaeanos inſequentes turbarunt, quam damno ullo affecerunt. Hierio aditu praeter ſpem capto, XIII Kal. Oct. de Jacopoli obſidenda ſerio conſultatum eſt. Locus tantum CCCC praeſidio tenebatur, nec commeatu aut alia re admodum munitus; nam et aquae penuria in eo laborabatur. Itaque, aditibus a terra occupatis, et claſſe, quae Rupellae inſtruebatur, maris exitum claudente, brevi tempore capi poſſe videbatur. Dum res ad obſidionem neceſſariae parantur, aliquandiu levibus certaminibus pugnatum fuit. Expugnata et [h] Mornacia turris in Alvertenſi inſula, quae a Sanlucianis, duce Joanne [i] Petro ſtrenuo ordinum ductore, tenebatur; qui in ea captus eſt. Sub id Claudius [k] Tremollius Thoartii dux, juvenis praeter familiae amplitudinem ingenio et animis praeſtans, ad Condaeum cum delecta nobilitate venit, pro juſta ejus cauſa contra regni hoſteis operam ſuam deferens; qui et haud multo poſt Proteſtantium doctrinam profeſſus eſt. Decreta obſidione, cum miles fremeret, et ſtipendio minime procedente ſenſim dilaberetur, aliquantum illa prior alacritas retardata eſt, donec ex ſalinis proximis corraſa pecunia, et primariis ducibus de ſuo conferentibus, confecta ſumma eſt, qua inter eos diſtributa, rurſus placati, et ad munia ſua quiſque ut antea obeunda, priſtinis animis reſumptis, reverſi ſunt. Capti et ſub id a [l] Ranquio, qui [m] Uliario inſulae vicinae praeerat, [n] Bellomontius Matignoni legatus, et [o] Thiebertus primarius praeſidii Jacopolitani centurio, qui in Hiſpaniam, ut de foederis arcanis cum Philippo ageret, profectus fuiſſe dicebatur; et cum iis XXII alii, ſive nobiles ſive gregarii milites, a Matignono miſſi, ut ſuppetiarum ad obſidionem ſolvendam ſummittendarum rationem cum Sanlucio inirent. Dum in eo ſunt, et jam territis obſeſſis de ſucceſſu bene quiſque ſperaret, caſus incidit, qui bene coepta conſilia turbavit, et Condaeum longe periculoſiſſimae expeditioni implicavit: nam ſub id tempus de [p] Andegavenſi arce intercepta allatum eſt. Dum [q] Claromontius in Andibus eſſet, [r] Rupimortius, quem ſecum duxerat, [s] Bellofortium in valle aggeri ſubjecta, loco tota provincia fertiliſſimo ſitum municipium, in quo natus erat, venerat,

INTERPR. [a] *Luchet, Millaubourg, & Sauvage.* [b] *Brouage.* [c] *St Juſt.* [d] *Marennes.* [e] *Hiers.* [f] *Vignoles, capitaine des gardes du prince de Condé.* [g] *d'Eſchalard, Sieur de la Boulaie.* [h] *Tour de Mornac en l'iſle d'Alvert.* [i] *le capitaine Pierre.* [k] *de la Tremoille, duc de Thouars.* [l] *de Ranques.* [m] *Oleron.* [n] *de Beaumont, meſtre de camp du mareſchal de Matignon.* [o] *Thiebert, premier capitaine de Brouage.* [p] *Chateau d'Angers.* [q] *de Clermont.* [r] *le capitaine Rochemorte.* [s] *Beaufort en vallée.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

venerat, viſendorum fratrum et amicorum colore ſumpto. Ibi cum [a] [1] Broco arcis loci praefecto arctam familiaritatem contrahit; ex eo cognoſcit, [b] Andegavi res ex arcis occaſione ad aliquem motum ſpectare: nam civeis, qui regiis partibus addicti ſunt, habere ſuſpectam Caroli [c] Coſſaei comitis Briſſaci fidem, qui poſt Franciſci ducis exceſſum ejus praefecturam a rege obtinuerat; et Michaelem [d] Burrugium Halotum, ducis ſtipatorum olim praefectum, et arci, [e] Simiaeo inde amoto, ab ipſo impoſitum, malle; hominem ſibi notum et popularitate gratum, qui ab eo tempore in urbe manſerat: eum vero haud occultis indiciis id animo agitare, ut quavis ratione amiſſam arcis poſſeſſionem recuperet; ad idque ſecreto regis, qui Briſſaco, quod ab Eſpernonio injuria affectus foederatis fidem addixiſſet, infenſus erat, favore ſublevari: itaque rei exequendae undique commoditatem circumſpicere. Eam operae pretii alicujus faciendi occaſionem minime praetermittendam cum cenſeret [f] Rupimortius, commodum accidit, ut dum [g] Bellofortii eſſet, eo veniret Leo [h] Fraxineus ſtrenuus ordinum ductor; qui nuper Briſſaco militaverat, et ab eo non ſatis, ut ſibi videbatur, honeſte dimiſſus, indignationem contra illum conceperat. Cum eo egerat Halotus de arce Andegavenſi intercipienda: et ille, ultionis de Briſſaco ſumendae occaſionem quaerens, non abnuerat; tempuſque ad parandos fidos homines, tantae rei aggrediendae pares, popoſcerat. Eo conſilio Bellofortium venerat, cum [2] Broco ſibi amico de ea re acturus. Ibi conſilium Rupimortio communicatur, cujus opera ad rem conficiendam idonea multis de cauſis videbatur: nam ſecreto opus erat; quod cum majorum religioni addictis hoc rerum ſtatu, et ubique accenſa plebe, vix ſperari poterat: tum homo erat, qui non ſolum Proteſtantium doctrinam profitebatur, ſed audacia et manu promptus, multos ſui ſimileis notos habebat: ad haec patriae, a qua per bella exulabat, repetendae cupidus, ſumma fide ac ſtudio in eo negotio operam navaturus credebatur. Is Claromontium ſubito rei certiorem facit; a quo confirmatus cum Haloto rei ordinem componit. Fraxineus N. [i] Ancyrano natione Graeco, qui per Briſſaci abſentiam arci praeerat, notus erat, et quoſdam praeſidiarios jam ſibi ſpe praemii conciliaverat. Igitur ſaepe ad arcem itare ſolitus, die condicta, cum ſuos in domibus circa arcem diſpoſuiſſet, cum paucis, quaſi viſendi praefecti ergo, eo proficiſcitur. Ab eo admiſſus, cum ad prandium invitaretur, ſe excuſat; et amicos domi habere, quos honeſte deſerere non poſſit, refert. Contra, praefecto urgente prandium paratum eſſe, et ut amicos ſecum adducat rogante, ille, qui aſtum procedere videret, dat fidem; et, ad amicos adducendos petito ſpatio, inde abiit; moxque cum conjuratis redit. Duae ſtationes in veſtibulo arcis erant: in prima, milites ante ſibi conciliatos tum forte offendit Fraxineus; a quibus cum ſuis admiſſus eſt. Cum ii qui in ſecunda erant admittere eos recuſarent, jamque portas occluderent, Rupimortius cum ſuis occupat, et ſtrictis gladiis reſiſtenteis interficit. Ita arce potitis conjuratis, [k] Broſſius unus ex iis progreditur, et praefectum ad ſtrepitum conclavi egredientem obtruncat. Halotus inter ultimos in prima porta remanſerat; qui, fama captae arcis jam per urbem ſparſa, cum plebem in armis occurrere majorem motum veritam videret, benevolentiae civium imprudenter confiſus, in publicum prodit; et quod feciſſet, regis juſſu factum dicit: proinde oppidani non commoverentur, neque majoris motus cauſam praeberent. Haec ſumma fiducia dicentem comprehendunt cives, et in carcerem trudunt: et, terrore mortis intentato, quam tamen non effugit, eo adigunt, ut Fraxineo,

INTERPR. [a] *d'Aubigné le nomme Brac, les autres Broc.* [b] *Angers.* [c] *de Coſſé, comte de Briſſac.* [d] *du Bourrouge, Sieur du Halot.* [e] *de Simié.* [f] *de Rochemorte.* [g] *Beaufort.* [h] *le capitaine le Freſne.* [i] *de Ancyra,* hodie *Engori, ou Engouri.* [k] *la Broſſe.*

NOT. [1] *Lege* Braco *Put.* Les Mem. de la Ligue Tom. II. p. 11. l'appellent *le capitaine Broc.*

[2] *Lege* Braco *Put.*

Fraxineo, qui in prima porta adhuc haerebat, perſuaderet, arce ad colloquendum ſecum egrederetur. Id ſub veſperam actum, diſpoſitis in inſidiis, qui aut egredientem comprehenderent, aut, ſi non poſſent, interficerent; magnum in ejus, qui capiendae arcis praecipuus miniſter fuerat, morte momentum ponentes. Egreſſo per tabulam ſubliciam cum praepropere unus ex inſidiatoribus ſcloppetum diſploſiſſet, [a] Rupimortius tabulam adducit, Fraxineo deſtituto; qui catenis, quibus tabula ſuſpendebatur, mox manus injecit: verum, inciſis a circumſtantibus manibus, in foſſam praealtam et in ſaxo acuto excavatam praecipitavit; et, lapſu exanimatus, a cervo fero, et ob anni tempeſtatem tunc furenti, qui in foſſa erat, cornibus crudeliter laniatus eſt. Poſtea in Halotum jure agi coeptum; qui, fruſtra regis gratia implorata, ſero ſenſit, periculoſos conatus, ſi ſuccedant, laudari; ſi exitu careant, iis ipſis, qui juſſerunt, factum improbantibus, capite lui. Itaque, cum de mandato regio, quo ſe tuebatur, Halotus non probaret, rege id pernegante, ad mortem damnatur, et membris fractis rotae in arcis conſpectu imponitur. Ita Fraxineo Halotoque ſublatis, Rupimortius ſolus in arce cum imperio reſtabat; qui nuncium rei ad [b] Claromontium ſtatim perferendum curavit; et ille porro ad Condaeum ſcripſit. Cum Rupimortio in arce erant omnino XVI milites, religione diſcordes; vincebantque Catholici numero. Cumque cives Rupimortium rogarent, cujus nomine arcem teneret, reſpondit, Navarri ſe nomine eam tenere: quod rurſus magnam ipſis animorum conſternationem attulit; qui viderent, bellum, quod procul in ima [c] Aquitania gerendum deſtinabatur, ad portas ſe habituros. Continuo, ubi de ea re in aula cognitum eſt, Henricus [d] Jouſa Buchagii comes ac provinciae praeſes illuc cum delecta nobilitate a rege mittitur; qui foſſas a civibus circum arcem ductas, ne auxiliares intro accipi poſſent, diligenter cuſtodiendas curaret. Jam ad rei famam advolaverant cum rapta manu Briſſacus, proprio periculo invitatus, et cum eo Ludovicus [e] Campanus Suſae comes: mox et venit ipſe Annas Jouſa Buchagii frater, cum Claudio [f] Caſtreo et delectis copiis: quorum adventu confirmati cives, jam melius de ſucceſſu ſperare coeperunt. Interea praeſidiarii refringendis Briſſaci arcis, et pretioſae ejus ſupellectili inter ſe dividendae, intenti erant; et, cum de praeda ſecum aſportanda deſperarent, cum regiis, qui intra foſſas erant, clam pacti, vili pretio res ingentis pretii vendebant, et noctu in foſſam dimittebant; ita ut poſt arcem deditam, aulaeorum, tapetum, ac pretioſae veſtis ſtragulae, quae furto celari haud facile poſſunt, cujuſmodi multa in arce erant, nihil omnino repertum ſit; ne quidem famoſum illud monocerotis cornu prodigioſae longitudinis, quod olim a parente ejus in [g] Vercellarum direptione captum fuerat. Claromontius, poſt literas ad Condaeum de hoc ſucceſſu datas, quibus et addebat Rupimortium arcis potentem eſſe, in [h] Cenomanos et Neuſtriam deſcenderat, ut quas poſſet copias inde colligeret. Nec ad famam rei deerant, qui ultro nomen militiae darent; ita ut IƆ C egregie inſtructi brevi ad ſigna convenerint. Sed incidit res, quae rurſus cuncta conturbavit: nam cum Rupimortius, cui praecipue innitebantur ſpes et cuncta Claromontii conſilia, arcem obeundo, ad illam partem quae praealto ac praerupto undique ſaxo vallata [i] Meduanam flumen ſubjectum deſpicit, inter muri pinnas cogitabundus ſubſtitiſſet, quod antea ſaepius fecerat, quidam, qui hominem noverat, et conſuetudinem ejus notaverat, longiore ſcloppeto nixum cubito ferit, gulaque tranſverberata necat. Ab eo tempore diſcordes inter ſe praeſidiarii, cum nullum certum ducem haberent, potius de deditione quam de exſpectandis auxiliaribus cogitare coeperunt.

Mors

INTERPR. [a] *de Rochemorte.* [b] *de Clermont.* [c] *Guienne.* [d] *de Joyeuſe, comte de Bouchage.* [e] *de Champagne, comte de la Suze.* [f] *de la Chaſtre.* [g] *Verceil.* [h] *le Maine, & la Normandie.* [i] *la Mayenne.*

Mors tamen Rupimortii aliquandiu regios latuit, de induſtria a ſociis celata, ut opimiores conditiones a Jouſa ferrent; quamvis is qui eum collimaverat, occiſum aſfirmaret: cui fides primo minime habita fuit. Sed majore errore is caſus Claromontium et Condaeum latuit: nam Condaeus, accepto arcis captae nuncio, ſtatim ad opem obſeſſis ferendam animum intendit; potiuſque duxit [a] Jacopolis, quae brevi in poteſtatem ejus ventura credebatur, obſidionem deſerere, quam committere ut Claromontio in re tam praeclara ac Rupimortio deeſſet. Contra tam periculoſam expeditionem multa et magna incommoda objiciebantur: certa, et quae in manibus haberet, pro incertis deſeri. Matignonum propediem auxilio obſeſſis venturum: quem vero per Condaei abſentiam huic ſuſtinendo parem futurum? Inſulas, magni ad bellum gerendum momenti, hoſti ad praedam exponi. Quas porro difficultates in tranſmittendo Ligeri, jam aquis intumeſcentibus, fore? et, ſi conatus non ſuccedat, quantum periculi in repetendo tranſitu? Nam feſſum accelerato itinere militem recenteis regios obvios habiturum: infeſta omnia undique; ipſa elementa inimica ubique hac anni tempeſtate conſiliis praeſentibus pugnare; et monere nos Deum, ni mens laeva ſit, tot incommoditatibus propoſitis, ne ab inchoata obſidione diſcedatur. Haec ita a prudentioribus diſſerebantur: verum Condaeo, ad pericula et res maximas nato, quamvis incerta caſuum reputanti, ſemper magna magis quam tuta conſilia placebant. Nec rationes magnitudini conſiliorum pares propoſito ſuo firmando deerant: nam quid agi, capta Jacopoli, niſi ut commodius bellum in Santonibus geratur? Atqui hoc agi hoc bello, ut pax, toties a regis regnique hoſtibus violata, deinceps ſecura et conſtans habeatur: quam nunquam habituri ſint, quamdiu bellum procul in [b] Aquitania erit. Hinc igitur arma ulterius contra hoſteis, in ipſis illorum laribus, geramus. Id autem qui commodius fieri poſſit, quam loco munito trans Ligerim occupato? Eam eſſe arcem [c] Andegavenſem, omnium regni fama et re firmiſſimam; quam Deus in manus dat. Rupimortium in ea ſummum imperium habere, hominem fidum ac ſtrenuum; quo tradente, citra periculum eam accepturi ſunt: tantum celeritate opus eſſe; nam vireis hoſtium nondum magno ſatis numero conveniſſe, et urbanas ad primum armorum ſtrepitum confeſtim dilapſuras. Quod ſi conatus voto non reſpondeat, in ipſa virium oſtentatione non parvum momentum eſſe; ex eoque id emolumenti conſecuturos, ut Claromontii copias ſecum conjungant, alioqui non venturas; et tunc demum univerſos ad obſidionem inchoatam integris animis et viribus reverſuros: interim videndum eſſe, ne, potiundae arcis Andegavenſis ſpe, Jacopolis amittatur. Igitur, profectione decreta, de relinquendo ad obſidionem ſummo duce conſultatum fuit. Is a Condaeo nominatus fuit [d] Sanmemmius, vir matura aetate, et longo belli uſu expertus; qui, cum ſe initio incommoda cauſatus excuſaſſet, tandem id onus ſuſcepit. Ei attributae [e] Lorgei, Sanſeverini, et Boſcorotundi legiones. Fr. [f] Perſona, qui nuper tormenta [g] Rupella advexerat, obſidioni navali praeeſſe juſſus: [h] Ranquius in [i] Uliaro inſula ad incerta ſedebat: inſulanis, qui militaturi erant, [k] Belonus praeerat. De Henrico [l] Turrio Tureniae vicecomite, qui in [m] Lemovicibus cum copiis erat, accerſendo injecta mentio fuerat: ſed praecipitata profectione res exitu caruit. Tandem Condaeus VIII Eid. Oct. [n] Talliaburgum venit; et inde poſtridie ſe in viam dedit, facto juxta [o] Niortium, Argentonum, et Vierium itinere. [p] Sangelaſius caſtrorum praefectus, accepta [q] Bolaii equitum cohorte et aliquot ſcloppetariis equitibus, ad Ligeris ripam progreditur, locum tranſmittendis copiis idoneum,

navigia,

INTERPR. [a] *Brouage.* [b] *Guienne.* [c] *Chateau d'Angers.* [d] *de St Meſmes.* [e] *les Sieurs de Lorge, de St Surin, & de Bois-rond.* [f] *la Perſonne.* [g] *la Rochelle.* [h] *de Ranques.* [i] *Oleron.* [k] *Belon.* [l] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [m] *Limouſin.* [n] *Taillebourg.* [o] *Niort, Argenton, & Viers.* [p] *de St Gelais, mareſchal de camp.* [q] *de la Boulaie.*

navigia, aut molatrinas veſtigaturus; et ex adverſo [a] Roſarii venit, loci proelio inter [b] Andelorum et Martigium ante XVII annos commiſſo famoſi. Jam [c] Maurifanum [d] Albinius et Bonetus venerant; et locum ſine maleficio, ſic enim a Condaeo juſſi erant, occupaverant. Mox [e] Genas venit Condaeus ipſe; cum quo erant [f] Roanus, Henricus [g] Sabaudus Jacobi Nemoroſii nuper mortui et Franciſcae Roanae filius, qui ſe Nemoroſii ducem ferebat, et ita inter Proteſtanteis appellabatur, Vidus [h] Lavalli comes, [i] Tremollius, Bolaius, Avantinius, qui IↃ CC circiter equites ducebant: praeterea legiones equeſtres, Albinio, [k] Uſchio, Campoſio, Tuchio, Flexia ductoribus, circiter IↃ CCC ſcloppetarios equites efficiebant. Flexia tria magna navigia vino onuſta ceperat tranſmittendis copiis. Heic defixis omnibus triſti ſilentio, quaſi de ſucceſſu male ominantibus, cum nuſquam Claromontii copiae comparerent, ſpes tamen potius quam animus ad rem bene gerendam deerat; et belli duces conſultum ducebant, ut Condaeus in citeriore ripa remaneret, eventum opperiens: ſic enim judicabant, hoſteis nullum impedimentum in tranſitu allaturos; ceterum copias in ulteriorem ripam Salmuriam traducturos, quae a tergo in reditu reverſuros intercluderent. Sed Condaeus nihil horum ſeu monitis ſeu precibus motus eſt, cum potius eos periculum ſuum, quam rei exequendae rationem, ſpectare crederet. Itaque toto triduo omnes copiae traductae ſunt. Monpenſerius [l] Andegavum venerat, ut ſummum armorum imperium ab oppidanis acciperet; verum eum ut ſuſpectum oppidanis minime admittentibus, ſummopere indignatus eſt. Neque tamen cum id Condaeus reſciviſſet, et ſub id Avantinium ad eum honoris cauſa miſiſſet, viro optimo perſuadere potuit, ut vireis in communi cauſa conjungeret, regii nominis, quod foederati conjurationi ſuae obtendebant, religione praepedito. Copiis traductis, et [m] Lotione exiguo amne, ſed profundo, inter [n] Ligerim et Belloſortium ſuperato, Condaeus Belloſortii hoſpitium habuit, XIV Kal. Nov. a municipibus ſine tumultu exceptus. Inſequens dies, qui in Dominicam incidebat, et quo arcis deditio facta eſt, viribus colligendis inſumptus fuit. Dein Lunae die Condaeus Andegavum verſus proficiſcitur; acieque in conſpectu arcis inſtructa, conſiſtit. Ibi, ſed ſero, de [o] Rupimortii morte cognoſcit, et praeſidiariorum cum Jouſa pactis; qui huc uſque deditionem diſtulerant, ſupellectili pretioſae Briſſaci, ut putatur, inter ſtationarios regios, quorum fidem obſeſſi ſequebantur, noctu diſtribuendae toto eo tempore occupati: quod non ignaris omnino ducibus primariis fiebat, qui Briſſaco etiam praeſenti ita illudi in parte ultionis ponebant. His autem conditionibus deditio facta eſt, ut Catholici, qui IX numero erant, in arce, ſi vellent, remanerent, et ſacramentum Buchagii comiti dicerent; Proteſtantes incolumes dimitterentur; quae poſſent ſecum aſportarent. Quod et bona fide praeſtitum eſt; et in tutum a Suſae comite illi deducti ſunt. Eo die, quo Condaeus comparuit, levibus velitationibus certatum fuit; et in [p] Breſſiniacum et ſanctae Magdalenae ſuburbium impetus factus, munitionibus doliorum dejectis; ubi Flexia majore ſcloppeto ictus, ex vulnere poſtea deceſſit; hoc ſaltem conſecutus, quod ſaepe optaverat, ut in patria moreretur: nam Flexia municipio in [q] Andibus natus erat, unde et nomen ſumpſerat. Ibi nox conſumpta. Condaeus et Roanus ad [r] Sorgae portum hoſpitium ea nocte habuere; ceteri extra ſuburbia haud hinc procul, ad domos furcis publicis ſubjectas, pernoctarunt. Poſtridie, jam concidentibus Proteſtantium animis, tamen copiae in aciem eductae, et rurſus in ſuburbia factus impetus; ſed longe

INTERPR. [a] *les Roſiers.* [b] *le Sr d'Andelot, & le vicomte de Martigues.* [c] *Abbaye de St-Maur.* [d] *d'Aubigné, & Bonet.* [e] *Bourg de Genes.* [f] *le vicomte de Rohan.* [g] *de Savoie, fils de Jacques duc de Nemours.* [h] *Laval.* [i] *les Sieurs de la Tremoille, de la Boulaie, & d'Avantigny.* [k] *des Ouſches, de Campois, de la Touche, & de la Fleche.* [l] *Angers.* [m] *le Laution.* [n] *la Loire, & Beaufort.* [o] *de Rochemorte.* [p] *Fauxbourg de Breſſigny & de la Magdelaine.* [q] *Anjou.* [r] *Port de Sorges.*

longe minore quam heſterna die militum alacritate. Tandem auctore Roano decretum fuit, ut [a] Bellofortium ſe reciperent, ibi amplius deliberaturi; multum reclamante Condaeo, qui frûſtra veniſſe ſe, et nullo operae pretio facto vacuum diſcedere, impatienter ferebat. Bellofortii biduum inutiliter conſumptum, componendis aliquot nobilium ſubortis rixis: tandem miſſus [b] Pleſſius Getaeus, qui juxta [c] Mauri-fanum navigia tranſportandis copiis colligeret. Demum VIII Kal. Nov. univerſae copiae Lotionem tranſmiſerunt, confuſo tumultu; ita ut navigium unum nimio pondere depreſſum ſit, citra tamen ullius exitium. Praecedente die [d] Lavallus, qui primam aciem ducebat, et poſt eum [e] Bolaius, [f] Ligerim jam tranſmiſerant: ſed, cum ſub id navigia quaedam armata in Ligeri apparuiſſent, et allatum eſſet, quoſdam delectos equites in ulteriorem ripam a Jouſa miſſos, qui Condaeanos tranſmittenteis, antequam univerſi tranſiiſſent, ſingillatim carperent, rurſus inter duces deliberatum fuit, quid facto opus eſſet: nam [g] Claromontius cum ultimo agmine et impedimentis adhuc Bellofortii haerebat. Tandem exquiſitis ſententiis decretum fuit, repetendum rurſus Bellofortium eſſe, et oram Ligeris adverſo flumine legendam; ſi forte [h] Bloeſis aut [i] Baugentiaci, aut denique [k] Sancerris, commoditas tranſmittendi ſe offerret. Mox et mûtata itineris ratio; nam [l] Ludam poſtridie itum eſt: ûbi vix [m] Ledus, qui pluviis admodum intumuerat, tranſiri potuit; caſuſque in tranſitu incidit, qui varie animos affecit, et ad extremum in omen vertit. Lepus tum forte cubili excitatus fugam arripuit; et, ingenti clamore, ut fit, ſublato, inter tot equites hinc inde exagitatus, tamen nunquam capi potuit, et ad ultimum incolumis evaſit. Nam, concitatis contra Condaeum non ſolum ubique militibus, ſed etiam ruſtica plebe, quae quaſi ad cinctam indagine feram capiendam undique confluebat, ex cunctis partibus concurſus fiebat, ita ut elabi non poſſe videretur: jamque ſermones paſſim Lutetiae ſpargebantur, quaſi captus eſſet, et in triumphum trahendus adduceretur. Ledo tranſmiſſo, [n] Fanum Arnoldi, haud longe a [o] Laverdino in Vindocino agro, ſparſim diverterunt copiae; ubi non ſolum animorum, ſed virium, ſciſſura facta eſt. Nam cum allatum eſſet a fidis, Eſpernonium et Bironum in [p] Belſia eſſe cum delectis copiis, Carolum Lotharingum [q] Meduanae ducem, cui exercitus in [r] Aquitaniam deſtinatus erat attributus, jam [s] Aureliano a tergo relicto, cum equitibus Germanis et Gallicis copiis iter ſuum perſequi, [t] Caſtreum a [u] Soloniaco agro [w] Genabum uſque Ligeris oram legere, ut illac tranſituros prohiberet; Roanus, non ulterius procedi poſſe citra exitium manifeſtum ratus, auctor fuit ut copias dividerent; Condaeus cum delectis proceribus viam ſecretam, qua tutum judicaret, carperet; ceteri, cum amicis quiſque ſuis, domum remearent. Qui aliter ſentiet, (inquit) ille caput Lutetiam ad ſupplicium portare ſit certus: ipſe [x] Armoricam petere ſtatui, poſt fugam ſalutarem denuo pugnaturus. Quibus dictis commeatum a Condaeo petit, et retro domum abiit. Ejus exemplum ſecuti multi, nec petita a Condaeo venia domum abierunt. Quapropter cum Condaeus [y] Fanum Annae veniſſet in Vindocino agro, ibi cognovit Joannem [z] Bellomanerium Lavardinum haud hinc longe ad eum perſequendum miſſum eſſe: idem et confirmatum a Maximiliano [aa] Bethunio Roſnio; qui, cum diplomate regio Lutetia veniens, in Aquitaniam ad Navarrum tendebat. Itaque [bb] Selumem uſque progreſſum eo die; ubi, concilio cum belli ducibus habito, decretum eſt, ut Sangelaſius Ligeris oram cum quibuſdam repeteret; quo paulo ante [cc] Albinius et Boſcodulius praemiſſi fuerant.

INTERPR. [a] *Beaufort.* [b] *le Sieur du Pleſſis Geté.* [c] *Abbaye de St Maur.* [d] *le comte de Laval.* [e] *de la Boulaie.* [f] *la Loire.* [g] *le Sieur de Clermont.* [h] *Blois.* [i] *Baugency.* [k] *Sancerre.* [l] *Lude.* [m] *le Loir.* [n] *St Arnoul.* [o] *Laverdin en Vendoſmois.* [p] *la Beauſſe.* [q] *Mayenne.* [r] *Guienne.* [s] *Orleans.* [t] *de la Chaſtre.* [u] *la Sologne.* [w] *Gien.* [x] *Bretagne.* [y] *Ste Anne en Vendoſmois.* [z] *de Beaumanoir, Sieur de Lavardin.* [aa] *de Bethune, Sieur de Roſny.* [bb] *Seloumé.* [cc] *d'Aubigné, & Bois-du-lis.*

fuerant. Ipſe concubia jam nocte cum [a] Tremollio, Avantinio, Claromontio, et aliis, per [b] Cenomanos in inferiorem [c] Neuſtriam, et inde conſcenſa nave inter [d] Abrincas et Maclovii-fanum, in inſulam [e] Grenezaeam Anglicae ditionis trajecit. Profectio [f] Sangelaſii Condaeum perſequentibus errandi occaſionem praebuit; et in tot agmina diſſipatus exercitus, dum hoſtes quodnam ex iis petant, neſciunt, ab indicibus diverſis decepti; et, fruſtra circa [g] Ligerim, diſpoſitis in utraque ripa copiis, tranſiturum veſtigant. Sangelaſius [h] Talſiaci cum Albinio et [i] Boſcodulio capita confert; et, cum undique inſtantibus hoſtibus nulla effugii ſpes eſſet, [k] Lorgeum una tendunt; ac rurſus nova ſubſortitione copias dividunt in [l] Fori-nigri ſilva, et diverſa inter ſe itinera capiunt. Stipatores Condaeani iter Ligerim verſus ingrediuntur: partem ducendam ſuſcepit Albinius: alii [m] Aurelianum, alii Lutetiam verſus tendunt. Joannes [n] Caballinus Tifarderius, qui cum Sangelaſio erat, fidem amici cujuſdam Catholici ſecutus, cum aliquot e ſuis domum ejus divertit: ipſe Sangelaſius cum Boſcodulio, [o] Quercaeo, Campoſio, ſe [p] Motae itidem Catholici, qui Boſcodulio in via amicitiam et receptum ultro obtulerat, fidei commiſit, et iter [q] Caſtellodunum verſus ingreditur. Triſte utique ſpectaculum et moeſta diſcedentium facies fuit, cum ductores milites ſuos, amici amicos, heri ſervos, nunquam eos, ut putabant, reviſuri, relinquere cogerentur, cum lachrimis vale ultimum dicentes; ſparſis paſſim impedimentis, quae majore numero, quam expedito exercitui opus erat, ſecum adduxerant. Itaque paſſim videre erat per vias jumenta ſtrigoſa inedia confecta, et itinere feſſa, clitellas, corbeis, arcas refractas, omnis generis vileis ſarcinas jacenteis; quae quaſi per veſtigia regios ad Condaeanos inſequendos ducebant. Nuſquam major citra ſanguinem ſtrages; ita ut ex IV CIƆ delectorum bellatorum egregie inſtructorum, majoremque partem ex nobilitate bellis experta conflatorum, tot enim in Condaei exercitu, cum Bellofortio Andegavum profectus eſt, numerati ſunt, vix decem ſimul incedentes conſpicerentur; neque tamen in tanta ſeu fuga ſeu diſſipatione quiſquam magni nominis aut captus aut interfectus ſit: nam cuncti fere incolumes in tutum evaſerunt, raro Dei beneficio; qui, ut conſilii audacis auctores de ſucceſſu exultare, ita ullum ex tot capitibus, quae eos ſequebantur, perire, noluerit. Sangelaſius, cum aviis itineribus cum Mota in [r] Carnutes veniſſet, haud ſatis Motae viae duci fidens, inſequentibus aliquot equitibus Epirotis, quaſi [s] Chamerollium petiturus, Motae vale dixit, et impedimenta ſua reliquit, et in iis equos magni pretii; diverſoque a Chamerollio itinere per [t] Janvillam, Aureliano ad dextram relicto, in ſilvam Aurelianenſem ſe abdidit: in qua cum tota nocte deerraſſet, ad extremum [u] Genabum uſque pervenit, et ibi Ligerim tranſmiſit. Inde, cum in [w] Biturigibus aliquam moram feciſſet, ſuperatis poſtea [x] Creuſa, Vigenna, et Clanio, [y] Fanum Joannis Angeriaci in Santonibus incolumis pervenit. Boſcodulius, inſperato fortunae beneficio, ruſtici indicio, reperto lembo, molatrinam in flumine occupat; mortiſque intentato metu piſtrinario, ad pontonem ab eo ducitur; cujus ope cum ſuis et equis omnibus in ulteriorem ripam trajecit. Interea [z] Sanmemmius in [aa] Jacopolis obſidione a Condaeo relictus, accepto de infelici ſucceſſu nuncio, cum fruſtra a [bb] Bordeti et [cc] Sandiſani legionibus adjutus, aliquot diebus plus quam ſperaverat obſidionem continuaſſet, tandem monito Ranquio,

INTERPR. [a] *les Sieurs de la Tremoille, d'Avantigny, & de Clermont.* [b] *le Maine.* [c] *Normandie.* [d] *Avranches, & St Malo.* [e] *Guernſey.* [f] *de St Gelais.* [g] *la Loire.* [h] *Talſy.* [i] *Bois-du-lis.* [k] *Lorges.* [l] *Foreſt de Marché-noir.* [m] *Orleans.* [n] *Chevalleau de la Tiffardiere.* [o] *Ducheſne, & de Campois.* [p] *de la Motte.* [q] *Chateaudun.* [r] *Pays Chartrain.* [s] *Chamerolles.* [t] *Janville.* [u] *Gien.* [w] *Berry.* [x] *la Creuſe, la Vienne, & le Clain.* [y] *St Jean d'Angely en Saintonge.* [z] *de St Meſmes.* [aa] *Brouage.* [bb] *le Bourdet.* Les Memoires de la Ligue le nomment *le capitaine Bourdeaux.* [cc] *le Sieur de St Diſan.*

CIƆ IƆ LXXXV. HENRICUS III.

[a]Ranquio, qui [b]Uliarum tenebat, et claſſi tunc praeerat, de receptu cogitare coepit; et [c]Hierio relicto ad [d]Carantonum venit: in cujus tranſitu inſequentibus hoſtibus rurſus magna rerum perturbatio fuit; juxta [e]Lupinum, haud longe a [f]Subiza, magna impedimentorum parte amiſſa.

IX. Diversa parte Henricus [g]Turrius Turenae vicecomes minime ceſſabat; qui, copiis non ſolum provinciae ſed etiam ex nobilitate longinqua conflatis, quae ſeveritatem edictorum peroſa parvis agminibus in [h]Aquitaniam tendebat, confirmatus, cum per [i]Petrocorios et Cadurcos terrorem ſui oſtentaſſet, et [k]Liburnum, in confinio duorum fluminum [l]Inſulae et Duranii, ad res gerendas valde opportunum oppidum, fruſtra tentaſſet, poſtremo in [m]Lemovices venit. Ibi cognoſcit Matignonum collectis copiis in eo eſſe, ut [n]Sanlucio [o]Jacopoli obſeſſo opem ferat. Cum igitur inde [p]Sanmemmii ad obſidionem haerentis periculum negligere minime conſultum duceret, hinc intelligeret [q]Meduanium cum exercitu in Aquitaniam quaſi medium venire, varie animi angebatur. Tandem, ut aliquo operae pretio copias, quas habebat, occuparet, [r]Tutelam ducit. Ea eſt in Lemovicibus civitas exigua, a Joanne XXII anno ſalutis CIƆ CCC XVIII epiſcopali dignitate, territorio a Lemovicenſi avulſo, ornata; negotiationibus dives; tribus ſuburbiis, quae ipſam magnitudine vincunt, ampliata, et montibus praealtis undique circumdata, amne alluitur, qui ſecundum moenia labens ſuburbium inferius, urbe ipſa majus ac moenibus cinctum, interfluit. In illud ſua quaeque pretioſa oppidani recondiderant. Petrus [s]Chuppius in inferius ſuburbium impetum facere juſſus, cum delecta nobilitate adjunctum Robertum [t]Tauvenaeum habebat, qui nuper e Pariſienſi provincia cum aliquot ſcloppetariis in caſtra venerat. Is Franciſcanorum coenobium in ingreſſu ſuburbii, igne ad portam incenſo, capit; atque inde uſque ad defenſorum tumultuarias munitiones progreſſus, eas dejecit. Eodem tempore [u]Lamaurius cum ſua legione ſuperius ſuburbium invadit: tandem poſt aliquod certamen defenſores in urbem ſe recipiunt, ſuburbiis relictis; quae licenter a Proteſtantibus direpta ſunt. Protinus ad urbem vis facta: ſed, occupato in praeda aut dividenda aut avehenda milite, ſex dies levibus proeliis inutiliter inſumpti. Tandem, cum propter iniquitatem loci deterior obſeſſorum quam oppugnantium conditio eſſet, multis ex oppidanis in dies cadentibus, de deditione actum. Dati utrinque obſides: ac poſt multas altercationes conventum, ut oppidani certa pecunia in militem eroganda direptionem redimerent; praefectum, quem habebant, cum aliquot praeſidiariis qui ſuperabant, dimitterent; Lamaurium ſumme ſibi antea inviſum cum praeſidio reciperent; qui urbem ad Meduanii uſque adventum tenuit. His actis, dilapſae huc illuc Turenii copiae. Matignonus interea, qui [v]Burdigala in [w]Santones cum validis copiis deſcenderat, ut Jacopolis obſidionem ſolveret, ſoluta obſidione, circa loca quae a Proteſtantibus tenebantur populabundus aliquandiu diſcurrit; commodumque accidit, rebus ubique eorum turbatis, et propter famam diſſipati Condaeani exercitus animis populorum concidentibus, ut Lavallus comes cum [x]Bolaio ſub id [y]Joannis-fanum reverſus ſit. Is, ſuperato Ligeri, et poſtea accepto ſecum Bolaio, cum CXXX equitibus et CCC circiter ſcloppetariis delectis, cum vix pontem tumultuaria opera refectum juxta [z]Niortium ad [aa]Fanum Maſſirii tranſiiſſet, incumbente [bb]Mercurio Epirotarum equitum ſtrenuo duce, qui Niortii erat, ſe tandem incolumis Joannis-fanum recepit IV Nonas Novembreis; ubi, quamvis peſte

populariter

INTERPR. [a]*de Ranques.* [b]*Oleron.* [c]*Hiers.* [d]*la Charente.* [e]*Port Lupin.* [f]*Soubize.* [g]*de la Tour, vicomte de Turenne.* [h]*Guienne.* [i]*Perigort, & Quercy.* [k]*Libourne.* [l]*l'Iſle, & la Dordogne.* [m]*Limouſin.* [n]*de St Luc.* [o]*Brouage.* [p]*de St Meſmes.* [q]*le duc de Mayenne.* [r]*Tulle en Limouſin.* [s]*de Chouppes.* [t]*Tauvenay.* [u]*de la Maurie.* [v]*Bourdeaux.* [w]*Saintonge.* [x]*la Boulaie.* [y]*St Jean d'Angely.* [z]*Niort.* [aa]*St Maſſire.* [bb]*Mercure, Albanois.*

popularitér graſſante cum militibus manere ac quotidie promiſcue verſari ad tuendum locum cogeretur, ab ea nec ipſe nec ullus ſuorum infeſtatus eſt. Ibi aliquoties cum *Matignono*, dum illac excurreret, tumultuariis proeliis conflixit; et per Condaei abſentiam cura et animi praeſentia non ſolum in Santonibus, ſed etiam in [a] Pictonibus, res Proteſtantium adflictas erexit ac confirmavit.

X. [b] TALLIABURGUM haud longe hinc abeſt, oppidum arce munitiſſimum, ad Carantonum ſitum, Tremollianae ditionis; et in arce erat Joanna Momorantia, Ludovici [c] Tremollii in [d] Melaei obſidione ante VIII annos defuncti vidua, Claudii Tremollii et Carlotae Catharinae parens: de qua in uxorem ducenda jam ſermones injecerat Condaeus; et cum [e] Andegavum peteret, partem familiae, gemmas, et pretioſam omnem ſupellectilem in arce Talliaburgi reliquerat: quas nuptias mater Carlotae, ſive a rege monita, ſive ob religionis cauſam, quamvis ſibi perhonorificas, minime probabat: ſed contra Claudius et Carlota ſoror impotenti rei conficiendae deſiderio ardebant. Itaque et ille in Condaei caſtra tranſierat, et haec nihil non factura videbatur, ut ſe non indignam tam honorifica conditione praeberet. Proinde ſecretum erat inter matrem filiamque diſſidium; et mater, promiſſis Matignoni illecta, ut ſe a Proteſtantium dominatu vindicaret, IV ſignorum praeſidium intra oppidum acceperat, cui praeerat is, de quo modo dixi, [f] Bellomontius; qui, cum aſtu arcem in poteſtate habere non poſſet, vim adhibet, foſſa circa eam ducta, ac munitionibus excitatis. Arx ſatis ampla ſaxo pluribus partibus praerupto inſidet, cui circumdatur oppidum minime firmum; ita ut oppidanorum domus ad radices fere rupis ſitae, eam quaſi corona cingant; deſuper ſpatioſis a natura complanatis in ſaxo ipſo areis; quae in oppidum et campos ſubjectos deſpiciunt. Ab una parte Carantono alluitur, cui pons firmus impoſitus eſt. Cum videret Carlota matris patientia in dies magis arcte locum premi, metueretque, amiſſa tam opportuna ad res gerendas arce, ne Condaei erga ſe affectus refrigeſceret, clam parente ad Lavallum mittit, qui auxilia expoſceret, et rationem hoſtis invadendi oſtenderet; idque ſignificat per quendam puerum nobilem ex Condaei domeſticis, quem ille in arce reliquerat, et cujus moribus et licentia loquendi offenſam ſe Carlota ſimulabat; qui cum bona Bellomontii gratia eo colore dimiſſus eſt. Lavallus, re cum Sanmemmio et [g] Bolaio aliiſque belli ducibus communicata, compoſito ordine cum C loricatis et CCCC plus minus ſcloppetariis delectis [h] Fano Joannis profectus, hora pomeridiana Talliaburgo propinquat, et Lorgeum ac Mongomerium juniorem cum XX loricatis in pedes deſcendere jubet; qui per arenarias foſſam ingreſſi, in objectas munitiones acrem impreſſionem faciunt; eodemque tempore diverſis locis ſcloppetarii incumbunt, Bellomontianis initio graviter reſiſtentibus: ſed cum ad ſignum praeſidiarii animos ſumpſiſſent, et tormentis ex arce contra munitiones diſploſis hoſteis graviter infeſtarent, illi paulatim linqui animis; et, quamvis C delectis [i] Mediolano proximo heſterna nocte a [k] Picardo ſuperveniente adductis confirmati, munitiones ſenſim retro cedendo reliquere. Pugnatum tamen toto die; nox fugae dedecus texit: pars per paludes vicinas dilapſi, et pontis opportunitate trans Carantonum in tutum ſe receperunt. Pauci interfecti; nam tantum LX in oppido numerati ſunt; plures capti et ſauciati; erga quos ſumma humanitate uſus eſt Lavallus, qui in acie extra oppidum ſtabat; ſtatimque intra arcem annitente Carlota admiſſus eſt. Is poſtea, antequam diſcederet, a Carlota in occulto perſuaſus, [l] Burſerium ſtipatorum Condaei vicarium cum ſtipatoribus ipſis loco impoſuit, multum diſſentiente Momorantia matre; quae, iram regis verita, et alioqui Proteſtantibus haud ſatis

INTERPR. [a] *Poictou.* [b] *Taillebourg ſur la Charente.* [c] *de la Tremoille.* [d] *Melle.* [e] *Angers.* [f] *de Beaumont.* [g] *la Boulaie.* [h] *St Jean.* [i] *Saintes.* [k] *le capitaine Picard.* [l] *Bourſier.*

CIϽ IϽ LXXXV. HENRICUS III.

ſatis fidens, locum neutris partibus addictum ſervari malebat. Precibus tamen ejus datum a [a] Lavallo, ut cum Bellomontium ſua voluntate ac juſſu veniſſe affirmaret, is, et [b] Rupius, et aliquot centuriones, ſine pretio dimitterentur.

XI. Jamque Meduanius [c] Pictavium cum exercitu omni re inſtructo venerat; in quo erant IϽ cataphracti equites, IϽ CCC Germani, CCCC Epirotae equites, et V CIϽ peditum, ductoribus [d] Sacromoro Birago, Nicolao Tiercellino, Dominico Vico, aliis. Inde in Santones deſcendit, et ad [e] S. Juliani pontem aliquoties levibus proeliis cum Lavallo certavit; in iiſque Jacobus [f] Carbonellus Caſſegaius Lavalli turmae vexillifer, dum acrius invehitur, captus eſt. [g] Pontium tenebat Joannes [h] Pontianus Plaſſacus, ex eadem illuſtriſſima Pontianorum familia, vir bello expertus. Id cum expugnare in animo haberet Meduanius, tubicinem ad eum mittit Plaſſacus, et ſuperbe eum rogat, an in propoſito perſeveraret; nam ſperare ſe ut ejus copias toto ſemeſtri in ea obſidione diſtineret; quo exacto, gratia duci facta, ipſe cum ſuis omnibus lanceam erectam geſtans et tympanis pulſantibus inde honorifice exiret. Tam magnifico nuncio ſe provocatum cum indignaretur Meduanius, cum Matignono, qui interim ad eum venerat, enixe agit, ut a Pontio belli gerendi principium duceretur. Verum ille diuturnam obſidionem deprecari hac anni tempeſtate, qua exigua caſtella, non munita loca, capi poſſint: haud ſatis commeatus, quo copioſo haec obſidio egeat, inpraeſentiarum ſuppetere; majorem copiam vere proximo, quo et commodius bellum geri poſſit, paratam fore. Itaque dividunt copias: ipſe in Santonibus hyemavit; Meduanius cum ſuis copiis in [i] Petrocorios, Cadurcos, et Lemovices tranſivit; praemiſſoque Sacromoro [k] Tutelam, diſcedente inde [l] Lamaurio, recepit.

XII. In Delfinatu eodem hoc anno magnae res geſtae ſunt a Franciſco [m] Bona Diguierio, Proteſtantium in ea provincia ſummo duce a Navarro conſtituto; de quo jam multa dicta, deinceps plura dicenda erunt. Ante edictum [n] Julianum conditum, cum jam praepoſtera eorum qui circa regem erant prudentia, res eo recaſuras appareret, ut, pace cum foederatis facta, pax regni turbaretur, Diguierius praevertendum ratus, [o] Caturigum civitatem, quae et hodie nomen retinet, nam Chorgias vulgo vocant, a C circiter e numero novorum foederatorum occupatam, media luce aggreditur; et IX Kal. Quintil. admotis ſcalis, et impetu undique facto, capit, interfectis XXC circiter foederatis. Inde menſe inſequenti Proteſtantes, quaſi hoc claſſico excitati, [p] Diam univerſi ſe conferunt; et paulo poſt, ducibus [q] Renato Turrio Guberneto et Ludovico [r] Blanio Poetio, arcem urbi impoſitam aggrediuntur: quam commeatus penuria laborantem, nec milite ſatis firmatam, tradente [s] Belnaeo praefecto, ineunte Sextili proximo recipiunt. Mox, creſcentibus cum ſucceſſu animis, Diguierius copiis circa [t] Montelium Adaemari ſecreto diem condicit, et nocte concubia, quae VIII Kal. Sept. praeceſſit, tormentis portatilibus, quae crepitacula vulgo vocant, ternis vicibus ad treis portas feliciſſime applicatis, oppidum apertum invadit; eodemque impetu duas primarias turreis, quas defenſores tuebantur, capit. Poſtridie ad veterem [u] arcem, cui Narbonae nomen, vim facit; quam eodem die defenſores deſeruerunt. Plus negotii in altera arce fuit, quam [w] Anconus et Bullatius ſtrenui belli duces tuebantur; alioqui ſitu munita, et ad quam, ſi auxiliares in tempore veniſſent, Diguierii conatus fruſtra fuiſſet. Ad eam non tumultuarias e doliis munitiones extruxerat Diguierius, ſed altam foſſam duxerat, ut ſe adverſus

campeſtria

INTERPR. [a] *le comte de Laval.* [b] *la Roque.* [c] *Poictiers.* [d] *Sacromore de Birague, N. Tiercellin, & D. de Vic.* [e] *Pont St Julien.* [f] *Carbonel, Sieur de Chaſſegutey.* [g] *Pons.* [h] *Pons de Plaſſac.* [i] *Perigort, Quercy, & Limouſin.* [k] *Tulle.* [l] *de la Maurie.* [m] *de Bonne, Sieur de Leſdiguières.* [n] *Edict de Juillet.* [o] *Chorges.* [p] *Die.* [q] *René la Tour Gouvernet.* [r] *du Blain, Sr du Pouet.* [s] *Beauné.* [t] *Montelimart.* [u] *le vieux chateau de Narbone.* [w] *Anconne, & Boulati.*

campeſtria tormenta defenderet. Itaque, cum Laurentii Maugironi provinciae legati ductu, [a] Saltus, Turnonii, Monlaurii, Suſae comites, comitis [b] Griniani filius, Alfonſus [c] Ornanus Corſus, ac vicina nobilitas, cum IↃ equitibus et bis CIↃ peditibus illuc tanquam ad commune incendium reſtinguendum advolaſſent, campeſtribus tantum tormentis advectis, nihil efficere potuerunt; tantumque temporis majoribus tormentis advehendis effluxit, ut interea obſeſſi omni commeatu deſtituti colloquium petere compulſi ſint.. Igitur, recedentibus auxiliaribus, conventum; et III Eid. Sept. decimo nono, poſtquam obſeſſa fuerat arx, die, deditio honorificis conditionibus facta eſt. Eodem aſtu arx [d] Ebrodunenſis, repetitis crepitaculorum ictibus, capta eſt a Diguierio XIII Kal. Dec. Contra quam cum oppidani excitatis tumultuariis propugnaculis ſe muniviſſent, eodem die expugnati ſunt; et [e] Grotus, ac Geſſanus arcis praefectus, qui ad ſtrepitum intra epiſcopaleis aedeis ſe receperant, honorificis conditionibus ſe dediderunt.

XIII. Tam proſperorum ſucceſſuum alii ſuper alios ſupervenientes nuncii, quanquam ex provincia procul poſita, res Navarri in [f] Aquitania ut non mediocriter erexerunt, ita foederatos in aula non parva moleſtia affecerunt; [α] qui regem aſſiduis et importunis flagitationibus perpulerunt, ut rurſus Proteſtantibus, novis ad judices provinciarum ac praefectos datis mandatis, negotium faceſſeret. Praecipue in eos ſaevitum qui Condaei partes ſecuti erant, et poſtea, diſſipato ejus exercitu, in domos ſuas ſe receperant; quibus bona, arma, et equi adempti. Ceteri in quatuor claſſeis diſtributi; in eos qui arma ferrent; qui edictis parentes regno exceſſiſſent; qui arma tuliſſent, et nunc domi ſe continerent, religionem Catholicam profiteri parati; et denique in eos qui ſe domi ſemper continuerant, religionem Catholicam juxta edictum profeſſi. Horum deſcriptionem facere jubetur magiſtratus, et nomina praefectis provinciarum tradere; qui ea porro ad regem miſſuri ſint. Id actum III Eid. Nov. et X Kal. Jan. Perſcripta et confeſſionis formula, quam facere tenerentur ii qui errores et falſam Proteſtantium doctrinam ejerarent; qua, inter alia, veniarum et indulgentiarum uſum, tanquam maxime Chriſtianis ſalutarem, a Deo eccleſiae traditum agnoſcere, et in omnia concilia, ac praecipue ſynodi Tridentinae decreta, juramento adiguntur. Contra quam poſtea Ludovicus [g] Blacerius et Joannes [h] Spina, Proteſtantium ſectae paſtores, ſcripſerunt; et fratres ſuos enixe hortati ſunt, ne ſe mortis metu, poenis, tormentis, bonorum mulctationibus, aliiſque hujuſmodi mortalitatis incommodis ac perſecutionibus, vinci paterentur; in eaque doctrina uſque in finem conſtanter perſeverarent, quam tanquam ſalutarem amplexi eſſent; et melioris vitae, cujus contemplatione hujus fluxae bona et afflictiones contemni debent, ſpem certam animo conciperent. Tum inprimis ſynodum Tridentinam exagitant, et pontificem, ejus conditorem ſive adprobatorem.

XIV. Inter haec regem, quem belli ſuſcepti pertaeſum crebri de proſperis Proteſtantium in Delfinatu rebus nuncii turbabant, et quae ex Aquitania afferebantur futuri anxium tenebant, ſacer ordo, quo praecipue incentore ad bellum utebantur Guiſiani, ſolari, et quaſi nutantem confirmare, officii ſui eſſe duxit. Ad id delectus Nicolaus [i] Angelerius, Fani Brioci in Armorica epiſcopus, vir doctus et antiquitatis eccleſiaſticae gnarus, jam aliquoties eo munere defunctus; qui coram cardinali Borbonio et aliis delegatis orationem ad regem habuit XIII Kal. Dec. qua de revocata

VAR. LECT. [α] qui apud regem aſſidui et importuni flagitatores miſerum principem perpulerunt, *MSS. Reg. et Samm.*

INTERPR. [a] *les comtes de Sault, Tournon, Monlaur, & la Suze.* [b] *Grignan.* [c] *Ornano Corſo.* [d] *d'Embrun.* [e] *des Crottes, & Geſſan.* [f] *Guienne.* [g] *de la Blachiere.* [h] *de l'Eſpine.* [i] *l'Angeller, evêque de St Brieu en Bretagne.*

revocata pacificatione, ac edicto pro una religione in regno ſancienda nuper facto, quaſi per illud factione Sectariorum extincta, ipſum laudat: porro, ut executionem ejus perſequatur, rogat; antiquum poſtulatum de concilio Tridentino promulgando repetit; quo et quantum ad doctrinam, et ad mores diſciplinaeque ſacrae emendationem, abunde proſpectum dicit: inſuper petit, ut nominationes tollantur, ſacrae electiones reſtituantur. Quod ſi hoc rerum ſtatu obtineri non poſſit, videat rex, ut epiſcopos idoneos, et moribus ac doctrina tantae dignitati pares, nominet; coenobia tantum monaſticam vitam profeſſis attribuat; ſin et aliis, ſaltem vere piis ea commendet: honos ſacro ordini debitus exhibeatur, dignitas, immunitates, privilegia, ac juriſdictio intacta ſervetur; judicibus regiis per appellationes a ſententiis judicum eccleſiaſticorum, tanquam ab abuſu interpoſitas, cauſarum eccleſiaſticarum cognitio interdicatur, ne bona eccleſiaſtica ullo caſu in poſterum alienentur; a praeſtatione annua CCCC XXXIII et amplius millium aureorum, ad quae Pariſienſis civitas ordinis ſacri vectigalia ſibi oppignerata contendit, quando ultimo contractui ſatisfecerint, deinceps liberentur. Haec pluribus verbis, adjecta exemplorum auctoritate, et exquiſitis patrum ac conciliorum teſtimoniis amplificata, et inſolita libertate coram magno coetu pronunciata, rex indigniſſime tulit: ſed cum, revocata ſemel contra votum pacificatione, vim majeſtati regiae afferri paſſus eſſet, reſtabat, ut verborum contumelias ac ludibria eadem patientia diſſimularet. Itaque pro tempore dimiſſus coetus; et cum ſe excuſaſſet, quo minus per turbas juſtis eorum poſtulatis ſatisfaceret, tempus ad amplius reſponſum popoſcit; interimque monuit, non ſine verborum acerbitate et aliquo offenſionis ſenſu, ut belli tam neceſſarii, et ipſis flagitantibus decreti, ſumptuum immenſorum rationem habere vellent. Prodigii loco fuere hoc anno parhelii in agro [a] Bernenſi viſi, quibus conſumptis, flamma tenuis ſupra terram conſpecta eſt; quam terrae motus ſecutus tam vehemens, ut ſub pedibus ſolum mugire videretur; quartoque ex quo ſonus auditus die, rupta eſt pars montis cujuſdam, qui a pago [b] Hiborna trihorii itinere abeſt; unde ventus violentus erupit, qui ſaxa, glebas, arbores ſecum trahens, ad extremum ſuperato, quod vix fidem merebitur, colle interjecto, oppreſſit pagum ipſum, et foedis ruinis obruit: qua de re Claudius [c] Auberius Triumcurianus, qui Lauſannae profitebatur, orationem poſtea editam habuit.

XV. ANNUS hic, funeſtiſſimi belli primus, vitae extremus multorum doctrina inſignium virorum fuit; quorum in numero ut recenſeatur, ſi non excellenti eruditione, ſaltem laudabili literarum amore, meruit Georgius [d] Armeniacus. Is patrem habuit Petrum, [e] Inſulae Jordanis comitem, et [f] Gimoſii vicecomitem et Cauſſadae regulum; unde ex Cauſſadae ſtirpe prognatum eum fuiſſe, et Armeniaci nomen tanquam magis illuſtre, Henrici [g] Labretani Navarrae regis Armeniacae familiae heredis beneficio, ſumpſiſſe, multis perſuaſum fuit. Petrus autem filius naturalis fuit Caroli VII Armeniaci, et Carolus VII Joannem IV Armeniaci comitem patrem habuit; et Joannis V, qui adverſus Ludovicum XI rebellavit, et contra pacta anno CIↃ CCCC LXXII inita [h] Lactorati in Novempopulonia in arce ſua proditione occiſus eſt, frater fuit: inde ortus Georgius, qui in vita ſoluta propter patrimonii tenuitatem cum majoribus titulis reſpondentem fortunam minime ſperaret, ſacrae militiae nomen dedit; et ampliſſimis ſacerdotiis donatus, Franciſco I rege Romam orator miſſus eſt; ac ejuſdem commendatione in cardinalium collegium lectus, maximos in utraque aula honores geſſit: vir comitate, humanitate, ac liberalitate praeſtans, ac literatorum fautor eximius: cujus rei fidem fecerunt duo magna

hujus

INTERPR. [a] *dans le Canton de Berne.* [b] *Hiborn.* [c] *Aubery de Tonnerre.* [d] *le cardinal d'Armagnac.* [e] *Lille-Jourdain.* [f] *Vicomte de Gimois & baron de la Cauſſade.* [g] *d'Albret.* [h] *Leytoure en Gaſcogne.*

hujus ſaeculi lumina, Petrus Gillius et Gulielmus Philander, ambo in familia ejus quaſi educati ac ſublevati; et ille quidem Romae, hic Toloſae, in aedibus munificentiſſimi patroni mortuus. Poſtea cum Carolus cardinalis Borbonius legatione Avenionenſi donatus eſſet, collegae in munere eo participavit Armeniacus, et [a] Avenione ob aëris ſalubritatem ſenectutis ſuae domicilium fixit; iiſque, quas dixi, virtutibus, quibus vicinos demereri nunquam deſtitit, potius quam armis, pontificiam ditionem toto hoc bellorum tempore tutatus eſt; hanc indignam gratiam pro tantis meritis conſecutus, ut Gulielmum [b] Patricium [1] epiſcopum Tolonenſem, hominem ſibi chariſſimum, cujus fidei ſummam legationis commiſerat, ad pontificem delatum, quod in Navarri et Proteſtantium partes inclinaret, a ſicariis quaſi ante oculos injurioſe interfectum viderit. Auxit injuriam, quod, cum de caede quereretur, pontifex juſſu ſuo factam et rite factam pronunciavit; quod ſeni jam annis effoeto, ſed adhuc naturali robore vigenti, mortem acceleraſſe dicitur; quae in v Nonas Junii incidit. Vixit annos LXXXV; in majori urbis templo, ubi ſibi vivens monumentum extruxerat, ſepultus. Aliquanto poſt Romae obiit VIII Eid. Oct. Gulielmus [c] Sirletus, cum annos LXXI exegiſſet; [d] Squillacii in Calabria natus: qui ob raram linguae Graecae peritiam, cui et Hebraeam poſtea adjunxit, magno in honore a Paulo III habitus, ab eodem [e] Monopolitanus epiſcopus creari meruit: dein in collegium cardinalium a Pio IV, Caroli Borromaei cardinalis commendatione, allectus, poſt M. Antonii [f] Amulii cardinalis mortem bibliothecae Vaticanae praepoſitus fuit: cui decedenti in eo munere ſuffectus eſt Antonius Carafa cardinalis, rara et is linguae Graecae cognitione praeditus; qui Graecam Bibliorum editionem, jam tum ſuperſtite Sirleto inchoatam, ſua diligentia tandem ad umbilicum adduxit. Moriens Sirletus privatam ſed locupletiſſimam bibliothecam multis principum gazis comparandam reliquit; quam nunc Aſcanius [g] Columna cardinalis, cum eruditiſſimo annotationum ejuſdem in Pſalmos opere, et apparatu Biblico, quae adhuc lucem exſpectant, poſſidet. Ante Sirletum ibidem M. Antonius [h] Muretus, [i] Ratiaſti Lemovicum apud nos natus, naturae debitum perſolvit pridie Nonas Junias, cum annum LIX egreſſus eſſet; ingenio praeſtanti et ad omnia nato praeditus, quod in politiori literatura praecipue exercuit; utriuſque linguae peritia clarus, et Latine ſcribendi facultate inſignis: ad quae omnia acerrimum judicium attulit. Is primum literas humaniores Lutetiae profeſſus; dein [k] Burdigalae, et Auguſtae Auſciorum, Pictavii etiam et Toloſae, juri civili operam dedit: atque inde, relicto ſummo ſui apud ſuos deſiderio, in Italiam conceſſit anno hujus ſaeculi LIV; et Venetiis ac [l] Patavii ſexennium commoratus, poſtremo Romam ampliſſimis conditionibus ab Hippolyto Ateſtino cardinali invitatus, in illius, et poſt ejus mortem in Aloiſii Ateſtini cardinalis, familia conſenuit, majore ſemper ad eruditionis ac facundiae praeſtantiam facta cum aetate acceſſione. Mortuum laudavit Franciſcus [m] Bencius, tanto praeceptore digniſſimus diſcipulus, coram celebri coetu ad ſanctae [n] Trinitatis in colle Hortulorum congregato; ubi et Muretus teſtamento condito ſepeliri voluit. Eo ſenior, atque adeo longaeva aetate id conſecutus, ut literas in Italia renaſcenteis et paene exſtinctas viderit, Petrus [o] Victorius, gente patricia Florentiae natus, hoc anno exeunte in patria XIV Kal. Jan. obiit, cum annum aetatis XC exceſſiſſet; ad Sancti Spiritus, quod eſt Auguſtinianorum coenobium, in monumento majorum conditus; qui alterius Petri, ex eadem familia ante annos LXX mortui, memoriam renovavit; et quantum ille conſilio manuque rempublicam Florentinam difficillimis

INTERPR. [a] *Avignon.* [b] *de Patris.* [c] *Sirleto.* [d] *Squillaci en Calabrie.* [e] *de Monopoli.* [f] *Amulio.* [g] *Colonna.* [h] *Muret.* [i] *Limoges.* [k] *Bourdeaux, Auſch, Poictiers, & Toulouſe.* [l] *Padouë.* [m] *Bencio.* [n] *la Trinité du Mont.* [o] *Vettori.*

NOT. [1] *Dele* epiſcopum Tolonenſem. Il n'y a point eu d'evêque de Toulon de ce nom. *Put.*

CIƆ IƆ LXXXV. HENRICUS III.

diffìcillimis temporibus juvit, tantum ipſe ingenio ac ſtylo rem literariam illuſtravit: de quo pauciora eo mihi dicenda ſunt, quod ejus pleraque monumenta extant, quibus humaniores literas, et antiquos ſcriptores, tam Graecos quam Latinos, magna fide ac diligentia recognitos, explicavit. Ante Victorium eo longe junior fatis conceſſit Carolus [a] Sigonius Mutinae natus, ex qua Jacobus Sadoletus et Gregorius [b] Corteſius cardinales, dignitate et eruditione praeſtantes, Marius [c] Molſa, Gabriel [d] Fallopius, alii, prodierunt; qui, cum ſub Romulo Amaſaeo literis primum operam dediſſet, in Baptiſtae [e] Egnatii locum, qui Venetiis profitebatur, ad literas humaniores docendas primum a ſenatu accerſitus eſt; atque inde ad gymnaſium Patavinum ſibi gradum fecit; ubi cum inaequali longe adverſario, ſed aequalibus fere partium ſtudiis, (contentiones quippe illorum quaſi ſcholam in duas partes ſciderant) Franciſco Robortello, coram voce et ſcriptis, cum Nicolao [f] Gruchio noſtrate abſente, quem longe Robortello praeferebat, tantum ſcriptis diu certavit: tandemque [g] Bononiam conceſſit; ubi et ultima ſtipendia fecit, monumentis variis editis ad aeternitatem victuris, quibus antiquitatem Romanam, iiſdem, quibus Onufrius Panvinius, veſtigiis inſiſtens, et poſteriora tempora, unus poſt omneis maxime illuſtravit, clarus. Tandem, cum menſe Auguſto Mutinam excurriſſet, ut ſuburbanum in patria ſenectuti ſuae pararet, domum propriam vere ac ſempiternam invenit: nam morbo correptus eo loco deceſſit, cum LX tantum annos expleviſſet. His accenſebitur Sebaſtianus [h] Echinus, gente patricia, Venetus; qui egregie literis inſtructus, primam juventutem capeſſendis honoribus inſumpſit: inde ad otium literarium revolutus, omiſſa republica, ad ſtudia familiaria ſe totum contulit; et opus de nummis antiquis abſolvit, in Ariſtotelis Ethica ſcripſit, Timaeum Platonis ſuis Italis dedit, aliaque philoſophica commentatus eſt. Dein quadrageſimum vitae annum ingreſſus, rurſus ad reipublicae munia obeunda quaſi vegetior rediit: in quibus cum ad annum LV aſſiduus fuiſſet, magna ut doctrinae ſic civilis prudentiae fama, exacto vitae curſu, defecit. Paulo ante Rembertus [i] Dodonaeus Mechlinienſis, qui D. Maximiliano II et Rodolpho II Caeſaribus in medicina operam navavit, et rei herbariae meliore quam a quopiam antea ordine digeſtae opere praecipue inclaruit, et poſtea medicinam publice apud Batavos [k] Lugduni magna peritiae laude profeſſus, anno aetatis LXVIII, ad VI Eid. Mart. e vita demigravit. Demum XIV Kal. Oct. Joannes [l] Molanus Lovanienſis, et theologiae in celebri illa academia profeſſor, hiſtoriae eccleſiaſticae, quam compluribus ſcriptis illuſtravit, admodum gnarus, quamvis jam ſenex, tamen immatura morte, quippe nondum editis, quae plurima affecta habebat, praeclaris ingenii ſui in eodem genere monumentis, naturae debitum perſolvit, in patria urbe ad beati Petri ſepultus. Joannes [m] Crato Wratiſlaviae in Quadis natus hoc quoque anno fatis conceſſit, cum aetatis annum LXVII ageret. Is prima ſtudiorum tirocinia in Germania fecit ſub Philippo Melanchthone: dein Jo. Bapt. Montano praeſtantiſſimo medico operam navavit, ſub eoque excellentiſſimus philoſophus ſimul et medicus evaſit; gratamque vicem praeceptori de ſe optime merito rependens, Conſilia ejus et alia opera aut correxit, aut auxit, aut non edita publico edidit: hoc etiam, raro felicitatis exemplo, ob eximiam doctrinam ac morum ſuavitatem cum prudentia conjunctam conſecutus, ut tribus Caeſaribus, patri, filio, ac nepoti, ordine nuſquam intermiſſo, conſiliarii ac primarii medici munere ſemper aeque charus ad mortem uſque inſervierit, ac tandem in patria placido et optato fine animam Deo reddiderit. Annum clauſit mors Petri [n] Ronſardi, gente nobili in Vindocinis nati; qui inter pueros nobileis in Caroli

Aurelianenſium

INTERPR. [a] *Sigonio, natif de Modene.* [b] *Corteſe.* [c] *Molſa.* [d] *Falopia.* [e] *Egnatio.* [f] *Grouche.* [g] *Bologne.* [h] *Erizzo.* [i] *Dodonée de Malines.* [k] *Leyde.* [l] *Molanus de Louvain.* [m] *Crato de Breſlaw en Sileſie.* [n] *Ronſard.*

[a] Aurelianenſium ducis familia educatus, et poſteà in Scotia aliquandiu verſatus, inde grandior ad literas animum appulit, praeceptore uſus Joanne [b] Aurato; quas tanta aviditate ſimul ac felicitate percepit, ut praeteritae negligentiae damnum brevi tempore reſarcierit. In poetica vero tantum antiquorum, quos nocturna ac diurna manu verſabat, imitatione atque adeo aemulatione profecit, ut praeſtantiſſimos aequaſſe, pleroſque ex iis ſuperaſſe, videatur: nam cum generoſos impetus et acerrimum judicium, quod raro accidit, ſimul a natura haberet, haec duo ad facultatem poeticam attulit; et ita naturam arte temperavit, Graiae camoenae Latinaeque ſpiritum admiſcens, ut poſt Auguſti ſaeculum, quod ut in altiſſima pace uberrimo ingeniorum proventu floruit, poetarum qui poſt fuerunt, citra exceſſum et invidiam hoc dictum ſit, praeſtantiſſimus evaſerit. Verum homo ut ingenio, ſic forma et corporis robore inſignis, cum vita ſoluta licentioſe nimis genio indulgeret, valetudinem firmiſſimam debilitavit, acerbiſſimis arthritidis doloribus extrema aetate conflictatus: inter quos aliquid poeticum ſemper pangebat; quod, licet jam tepeſcente ſanguine, priſtinam venam redolebat. Natus erat eodem, quo infeliciter a noſtris ad [c] Ticinum pugnatum eſt, anno, ut ipſe in elegia ad Remigium [d] Bellaqueum ſcribit; quaſi Deus jacturam nominis Gallici eo proelio factam, et ſecutum ex illo veluti noſtrarum rerum interitum, tanti viri ortu compenſare voluerit. Tandem, attenuato doloribus corpore, ad [e] Coſmi-fanum in Turonibus coenobium, altero a [f] Caeſaroduno lapide, loco amoeniſſimo, animam Deo reddidit v Kalendas Januarias; etiam dum animam ageret, aliquot piis verſibus non poenitendis factis, qui poſtea cum ceteris ejus operibus editi ſunt. In eo coenobio, quo a Carolo rege donatus fuerat, et ſepeliri voluit; teſtamento condito, quo heredem ſcripſit Joannem [g] Gallandium juventutis Pariſienſis optimum moderatorem, cujus hoſpitio, cum Lutetiae eſſet, familiariſſime utebatur; qui, dignam tanti viri memoriae gratiam rependens, ei exequiis perhonorificis poſtea in ſchola [h] Becodiana ſua parentavit. Mortuum laudavit Jacobus [i] Davius Perronus, magni tunc ingenii et eruditionis adoleſcens; qui poſtea et dignitate et fama crevit, ſicuti ſuo loco videbimus. Statuam etiam marmoream Ronſardo in ſacello ſcholae poni curavit Gallandius, et anniverſario ſacro ac doctis puerorum concertationibus memoriam ejus longo poſt tempore celebravit.

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *Dorat.* [c] *Bataille de Pavie.* [d] *Belleau.* [e] *Prieuré de St Coſme en Touraine.* [f] *Tours.* [g] *Gallandius.* [h] *College de Boncourt.* [i] *Davy du Perron.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTOGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

IN Belgio Stenvica a Willelmo Naſſovio Leovardiae praeſide fruſtra tentatur. Viciſſim et Bergae ad Somam fruſtra a Parmenſi tentatae. Silva-ducis ab Hohenloo comite capta, et ſtatim amiſſa. Neomagum in Sicambris ab Ordinibus deficit. Idem a Doësburgenſibus factitatum. Oſtenda in Flandria irrito conatu a Valentino Pardeo Mota tentata. II. *Bruxellis excitata ſeditio, et ejus exitus.* III. *Munitiones a Parmenſi ad Antuerpiam exſtructae. Machina a Friderico Junibellio ſtructa. Ejus violentus impetus; et praeter omnium ſpem disjectae oppoſitae naves, et pons abruptus. Parmenſis diligentia ſua damnum ſarcit, et pontem reficit. Covenſtenii propugnaculi cura Camillo Borbonio Montano attributa: ejus gens et laus. Ibi acriter pugnatum; dein toto robore ad eundem Covenſtenium aggerem ab obſeſſis vis facta: eo a Parmenſi dejecti ſunt; cum quo poſtremo tranſigunt. Captivi utrinque dimiſſi, Telinio excepto.* IV. *Lanovius parens cum Ecmondano permutatus.* V. *Antuerpianae obſidionis exitu pendente Parmenſis, captato tempore, Placentiae arcis reſtitutionem apud Philippum urget; et, neceſſitate quaſi impoſita, obtinet. Celebratae Caeſaraugustae Caroli Sabaudi cum Catharina filia coram Philippo parente nuptiae. Secreta de Saluciano principatu occupando et retinendo mandata a vitrico data.* VI. *Decreta ampliſſima ab Ordinibus ad Eliſabetham legatio, et leges dictae; quae, Antuerpia interim capta, paulum mutavere. Regina ſcripto publicato rationes foederis cum Belgis initi reddit.* VII. *M. Schenkius ad Ordinum partes tranſit. Ejus et Verdugi in Friſia res geſtae. Coenobii, cui Montis-Mariae nomen, origines. Nuenarius Amerongae in Ultrajectenſi ditione a Verdugo caeſus.* VIII. *Joannes Willelmi Cliviae ducis filius Jacobam Philiberti marchionis Badenſis filiam uxorem ducit. Henricus Julius Halberſtatenſis epiſcopus Dorotheam Auguſti Saxonis ſeptemviri filiam in uxorem accipit.* IX. *Induciae inter Moſcum et Suecum in quadriennium ſancitae. Pontii Gardiae deploranda mors.* X. *Rigae tumultuatur, ob Kalendarium receptum, et Jeſuitas patres admiſſos.* XI. *Stephanus in comitiis Warſaviae Shoroviorum cauſam diſcutit, et Chriſtophorum proſcribit. Bolognetus cardinalis auditur pro ſacro ordine, ac decimis praeſertim, a pontifice miſſus, nullo exitu. Cum Theodoro Moſco biennales induciae pactae.* XII. *Curlandicae dioeceſis negotium inter Danum et Polonum componitur. Item Magdeburgicum cum Brandeburgico archiepiſcopo.* XIII. *In Anglia Henricus Percius Northumbrius in carcere occiſus reperitur, dubio caedis patratore. Philippus Howardus, Thomae Norfolcii ducis filius, Arondeliae comes, non petita venia, Anglia diſcedens, retractus cuſtodiae mancipatur. Edictum ſeverum contra Jeſuitas, et eos qui in ſeminariis illorum operam literis navabant..* XIV. *In Scotia, factione Anglicana et Levinia diſſidentibus, res turbant. Anglicani, conjuratione inita, ad Aniani-fanum haud longe a Sterlino, ubi rex erat, conveniunt; et regem, amoto Edmondo Stuarto, et Jacobo Stuarto Ochiltrio,*

qui

qui ſe Araniae comitem indigitabat, in poteſtatem redegerunt. Araniae comes anguſtia omnium rerum preſſus, tandem a gentili quodam Mortonii forte obvio ultionem quaerente interfectus eſt.

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, Caeſare Campana, Jo. Parvo, Actis publicatis, Reginone Prumienſi, Davide Chytraeo, Jacobo Typotio.

LIBER OCTOGESIMUS TERTIUS.

DUM legati Ordinum apud nos eſſent, in Belgio minime ceſſabatur. Willelmus Naſſovius Joannis filius, nuper [a] Leovardiae praeſes in Friſia inauguratus, [b] Stenvicam intercipere fruſtra conatur. Viciſſim Parmenſis cum [c] Bergas ad Somam in poteſtatem redigere meditaretur, opera [d] Bravoëtſi praeſidiariorum praefecti; perfidia detecta, fruſtra fuit: Bravoëtſus mature ad Parmenſem fugiens ſe periculo ſubduxit. Jampridem Ordines [e] Silvae-duci inhiabant; cujus potiundae in ſpem venerant exulum ope, qui patria diutius carere impatientiſſime ferebant. Conatus dux et auctor fuit Julianus [f] Claragius, Bruxellenſis patricius; ſed qui ex familia Silvaducenſi uxorem duxerat, et in [g] Iſelſtenii legione militabat. Is ſecreta cum oppidanis conſilia ſe habere et militem introduci poſſe affirmaverat, ac facturum receperat. Igitur Philippus Hohenlous comes, quam occultiſſime poteſt, militem delectum eo ducit XIV Kalendas Februarias. Nec officio defuit Claragius; pauciſque ſecum aſſumptis, ſub porta, qua Antuerpiam itur, locum latebris deligit; ex quo noctu progreſſus, ſeptum in ulteriori ſublicii pontis parte extructum tranſcendit, et in duobus tuguriis ad vigilias deſtinatis cum ſuis latuit, donec mane ſub horam octavam porta aperiretur, et pons ſublicius demitteretur. Tum inopinato cum ſociis erumpens ſtationarios invadit et interficit, portaque vi occupata ad plateam objectam pergit; quam et poſt aliquod cum oppidanis certamen occupat, adjutus a cohortis ſuae reliquis militibus, qui ſe ei conjunxerant. Claragius ad tuendam plateam Fridericum Hermannum [h] Cloëtum juvenem ſtrenuum attributis militibus reliquerat; diſerteque mandaverat ne portae cuſtodiam deſereret, niſi ab Iſelſtenio legionis praefecto aliter juberetur. Cloëtus vero portae cuſtodem, ſenem, qui raſtrum ferreum demittere conabatur, interfectum a ſuis ratus, deque porta parum ſolicitus, qua patente jam ad tria millia peditum et equitum, ſed confuſis ordinibus, ingreſſi urbem fuerant, mandatorum immemor, et ipſe irrumpentibus militibus ſe cum ſuis praedae ſpe immiſcuit, relicta porta; quam cuſtos ille ſenex, quem interfectum putabat, e latebris, in quas ſe vulneratus conjecerat, erumpens, et vacuum locum cernens, mox demiſſo raſtro clauſit. Ingreſſi milites cum ad praedam effuſi, neque aditus, ſicuti ipſis praeſcriptum fuerat, ſervarent, quippe nondum Hohenloo aut Iſelſtenio appulſis, incumbente oppidanorum, qui maxime omnium illorum populorum bello exercitati ſunt, globo, et Claudio [i] Barlemontio Altapennio, qui forte ex morbo aeger huc, ut curaretur, venerat, ipſis ad fortiter rem gerendam praeeunte, poſt aliquot tormentorum ictus in equites diſploſos a praeda in fugam verſi ſunt; fruſtra Claragio contra obnitente, et Hohenloum cum reliquis copiis jam in porta eſſe affirmante.

CIↃ IↃ LXXXV.

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Leeuwaerden.* [b] *Steenwijck.* [c] *Bergen-op-zoom.* [d] *Bravoetz.* [e] *Bois-le-duc.* [f] *Cleerhage.* [g] *Yſelſtein.* [h] *Cloot.* [i] *de Berlaymont, Sieur de Haultepenne.*

CIƆ IƆ LXXXV. HENRICUS III.

affirmante. Ubi ad portam ventum, major trepidatio fuit; quam tamen ab Hohenloo ipſo, ut fugam ſiſteret, clauſam putabant, et vero palam dicebat Claragius. Ibi alii raſtrum refringere, alii morae impatientes ſe per moenia dejicere; alii denique, ſed exiguo numero, frontem oppidanis vertere. In eo conflictu ad ccc caeſi, in iiſque Ferdinandus [a] Truchefius, Gebbardi nuper archiepiſcopi Colonienſis frater; qui poſt res fratris deploratas amiſſa [b] Bonna in Batavos confugerat, et Ordinibus tunc militabat. Juſtus Naſſovius maris praefectus vix praecipiti e moenibus ſaltu periculum evaſit: ipſe Claragius, cum nullum non fortiſſimi ducis munus impleviſſet, ex omnibus ſuis vix xv penes ſe reliquos habens, e turri [c] Crictohorna ſe cum ſuis armatus in foſſam demiſit; ubi Scoti militis opera ſervatus eſt. [d] Cloëtus, quamvis alioqui ſe ſtrenue geſſiſſet, et ſignum militare hoſti ereptum ſecum retuliſſet, tamen, quod deſerta porta ſtragi cauſam dediſſe diceretur, mortis ſupplicio ob id affectus fuit. Is caſus adverſus [e] Neomagi in Sicambris ab Ordinibus defectione cumulatus fuit. Qui in oppido pecuniam publicam adminiſtraverant, repetundarum poſtulati, ut poenam eluderent, inſtigatu Martini Schenkii legionis ductoris, qui tunc adhuc Parmenſi militabat, arroganter a magiſtratu, ut ipſi videbatur, poſtulant, templa ſibi libertatemque ad ſacra ſecundum ritum Romanae eccleſiae conveniendi, id tanquam pacificatione conceſſum, poſcentibus, permitteret. Quod etſi juſte peteretur, tamen quod ea re occaſio motus quaeri videretur, Adolfus [f] Nuenarius comes, qui provinciae praeerat, interceſſit; et, ut conatum illorum impediret, validiori praeſidio urbem firmare voluit: unde occaſione ſumpta, illi quos dixi, inſtigante Gulielmo Arinberga [g] Dornicio primario cive, plebem contra Nuenarium concitant, urbis portas et moenia occupant, tormenta et arma praeſidiariis eripiunt, Schenkii copias, quae in agro vicino erant, intra oppidum accipiunt, ac poſtremo praeſidiarios expellunt; ultionemque a Nuenario veriti, interventu Altapennii cum Parmenſi aequis conditionibus reconciliantur. Horum exemplum ſecuti ſunt [h] Doësburgenſes. Cum idem et facere vellent [i] Arnhemenſes, Nuenarius obſtitit; qui, occupata aſtu porta, ad famam fictae impreſſionis alio loco factae oppidanos avertit; et ita ſubſequentibus agminibus oppidum ingreſſus, firmiſſimo praeſidio munivit. Eodem tempore Valentinus [k] Pardeus Mota Gravelingae praefectus irrito conatu Oſtendam in Flandria oppugnavit: nam cum primo impetu veterem urbem, quae ponte cum nova conjungebatur, cepiſſet, et currus, munimenta, gerras, ad ſuorum tutelam diſpoſuiſſet, pontiſque tuendi curam [l] Joanni Namurcenſi commiſiſſet, ille praedae ſpe illectus ſtationem deſeruit: itaque praeſidiariis erumpentibus, et ex navibus, quae in ſtatione erant, crebra diſploſione tormentorum facta, magno cum damno regii inde expulſi ſunt, amiſſis plus quam cc, in novo urbis propugnaculo ruina obrutis. Ceciderunt ordinum ductores ſeu centuriones ad xl: machinae bellicae, quas Mota adduxerat, in oppidanorum poteſtatem venerunt; ipſe in manu vulneratus eſt.

II. Interea Bruxellenſes et Mechlinienſes, qui ſuperiore anno, anguſta jam annona, in Bataviam ad frumentum coëmendum miſerant, [m] Scaldi clauſo, et [n] Vilvorda a Parmenſi obſeſſa, frumentum Antuerpiam advectum nequaquam inde exportare potuerunt: itaque in ſumma penuria verſabantur. Ad haec ingenti mercium jactura, fraude, ut interpretabantur, praeſidiariorum paulo ante accepta, mirum in modum commoti erant: unde occaſione ſumpta, qui Bruxellis regiorum partibus favebant, plebem frequentem in magiſtratum concitant, quaſi negligentia atque adeo avaritia ejus factum eſſet, ut urbs tantis anguſtiis conflictaretur; eoque

ſeditio

INTERPR. [a] *Truchſes.* [b] *Bonn.* [c] *Cruys-Toren.* [d] *Cloot.* [e] *Nimegue en Gueldre.* [f] *de Newenar.* [g] *Dornick.* [h] *de Duyſbourg.* [i] *Arnheim.* [k] *de Pardieu, Sieur de la Motte, gouverneur de Gravelines.* [l] *Jean de Namur.* [m] *l'Eſcault.* [n] *Vilvoorde.*

ſeditio evaſit, ut ad placandum plebis furorem magiſtratus in carcerem ſit conjectus. Sed poſtea, cognito calumnioſe magiſtratum accuſatum fuiſſe, occulti delatores ſive incentores capti, et liberato magiſtratu in cuſtodiam traditi ſunt; in iiſque [a] Rouchius *ille*, qui ſtrenuam adeo operam [b] Pontio Noiellae Burſio in Antuerpienſi arce recipienda navaverat; capite procul dubio cum conſciis luiturus, niſi mox urbs mutata rerum facie in manus Parmenſis tradita fuiſſet. Id autem accidit cum Hohenlous comes, qui commeatum in urbem inferendum ſuſceperat, compendioſo itinere inundationibus obſtructo, et alio longiore arboribus ſuccisis clauſo, [c] Bergis ad Somam profectus, diutius quam ſperaverant Bruxellenſes in itinere fuiſſet: nam interim fame preſſi illi, cum Hohenloi moram ad cladem ab eo acceptam referrent, nam ita jactabatur in urbe a conſciis, cum Parmenſi tandem tranſegerunt III Eid. Mart. his conditionibus; ut Oliverius [d] Templeus urbis gubernator, [e] Schaius legionis praefectus, [f] Pironus et [g] Etveltus militum ductores, per aliquot menſeis Ordinibus in Brabantia non militarent; milites praeſidiarii cum armis dimitterentur: oppidanis ſpatium duorum annorum ad deliberandum conceſſum, an religionem mutare vellent; qui nollent, migrare juſſi: imperata et pecunia, quae ea lege remiſſa eſt, ut regis ſacellum, cardinalis Granvellani et Petri Erneſti comitis Mansfeldii aedeis, ſupellectilem inſtaurarent ac reſtituerent. Quantum ad privilegia, in regis arbitrio relictum, ut ea, prout juſtum et aequum videretur, corrigeret, mutaret, minueret. Captivi dimiſſi, et in iis Rouchius ille, de quo modo dixi, et Rolandus [h] Eboracenſis Anglorum militum praefectus, proditionis antea accuſatus. [i] Gognius, cum valido XX ſignorum praeſidio, urbi a Parmenſi impoſitus eſt. [k] Mechlinia, propter aemulationes quae utrique urbi intercedunt, ſerius deditionem fecit, a commeatu Bruxellenſibus deſtinato, et ab Hohenloo importato, aliquandiu ſuſtentata. Jam ante legati, a rege accepto reſponſo, e Gallia domum redierant: quo intellecto, Eliſabetha, a Derbienſi etiam comite de ſtatu noſtrarum rerum et regis voluntate edocta, cum vereretur ne Belgae ex deſperatione ad conditiones cum Hiſpano ineundas adigerentur, [l] Griſeum magnum Brugenſium praefectum, paulo ante ab Ordinibus in Angliam ad militem conſcribendum miſſum, propere ad Ordines remittit, cum largis et plenis enixae voluntatis promiſſis: unde occaſione ſumpta Ordines ſtatim convocantur, et de foedere cum regina ineunda conſultatur. Verum adverſis ventis ac tempeſtatibus cum ultro citroque commeando multum temporis conditionibus diſceptandis inſumptum eſſet, Bruxellae interim et Mechlinia, mox et [m] Antuerpia, amiſſae.

III. ANTUERPIA, ponte ſuperiore anno inchoato et menſe Martio proximo conſummato, in arctiſſimas anguſtias redacta erat, ſero Batavis ac Zelandis errorem ſuum animadvertentibus, qui magnas et opportunas operis diſturbandi occaſiones ſibi elapſas moerebant; dum ſui ad Zutfaniae obſidionem inutiliter ſederent, et nautae inter ſe de belli gerendi ratione diſſiderent. Ordines cum noſtris viribus atque adeo alienis auxiliis confiſi, negligentiores in propriis opibus diſpenſandis fuiſſent, tandem excitantur; et, ductoribus Hohenloo et Juſtino Naſſovio maris praefecto, claſſem inſtruunt ex vaſtis navibus et aliis planiore carina, in quarum ſummis corbibus ſcloppetarios diſpoſuerant; qui aeſtu accedente in altum provecti, longoque proſpectu, hoſtem vallis ac ſepimentis [n] Liefkenſhoëcae munitionis crebra glandium fulminatione expulerunt, citius ſpe, quippe cum vix defenſores quater tormenta exploſerint, priuſquam munitionem deſererent: obvii quique trucidati. Eodem

INTERPR. [a] *Rouck.* [b] *Pontus de Noyelles, Sieur de Bours.* [c] *Bergen-op-zoom.* [d] *de Tempel.* [e] *Schay.* [f] *Piron.* [g] *Eetwelt.* [h] *York.* [i] *Goigny.* [k] *Malines.* [l] *de Griſe, grand bailli de Bruges.* [m] *Anvers.* [n] *Liefkenſhoeck.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

Eodem ſucceſſu propugnacula [a] Antoniſhoëcae, Terventae, Vortiae, tota denique [b] Doëla expugnata, praeſidiariis cum gladio et pugione tantum dimiſſis. Eam ſive ignaviam ſive perfidiam ſuorum ſeveriſſime ultus eſt Parmenſis: nam munitionum praefectos in ipſo aggere in omnium conſpectu ſupplicio mortis affecit; et, crebris excitatis ad loca idonea Germanorum opera propugnaculis, jacturam illarum amiſſarum utcunque ſarcivit. Ceterum magno errore peccatum fuit ab Hohenloo et Naſſovio, quod non, ſicuti a [c] Santaldegondio moniti fuerant, ſtatim capta munitione, uſque ad extremum aggeris [d] Calloae perfoſſi vallo locum muniverint: ab hoc enim angulo, ſi eum ſervare potuiſſent, commodiſſime pons ab hoſte ſtructus tormentis quaſſari ac everti poterat. Ea autem erat pontis ratio: in utraque aggeris parte, quae pontis extrema complectebatur, propugnacula ingentia, unum in Flandria prope Calloam nomine B. Mariae, alterum in Brabantia prope [e] Ordamum nomine B. Philippi, et plura alia huc illuc circumpoſita ad XXX locis idoneis, excitata ſunt. A duobus illis majoribus juxta pontem ſublicae magnae ad ripam in flumen fiſtucis adiguntur altitudine L pedum, continuo ductu, quouſque amnis minus profundo alveo id patiebatur; nam immenſa altitudo ulterius progredi vetabat. His ſublicis tabulae impoſitae: quo opere amnis utrinque contractus, et CIↃ amplius pedes anguſtior redditus eſt. Spatium apertum in medio relictum, quod CIↃ CCC et amplius pedes patebat: id omne XXX navibus clauſum eſt, quae XX pedum et amplius ſpatio inter ſeſe diſtabant. Singulae duabus anchoris firmatae; quarum una contra maris acceſſum, altera contra receſſum, obluctabatur. His rurſus navibus mali navium impoſiti erant, et aſſeres: unaquaeque autem navis alteri IV catenis ſive rudentibus connectebatur; bina et in prora et in puppi tormenta muralia, ac praeterea XXX milites, habebat; ſpatiumque inter duo propugnacula omnino erat duorum millium et quadringentorum pedum. Altera et contra Antuerpianorum oppugnationes parata erat ratis, ex malis navium et quadratis trabibus intervallo quodam junctis, quas cymbae anchoris firmatae fulciebant: ratis a ponte diſtabat utrinque pedes circiter IↃ, ut quicquid adverſus pontis naveis adventaret, hoc loco haereret atque occuparetur, donec ex propugnaculis, navibus, et aggeribus, tormentorum muralium vi in profundum demergerentur. Advectae huc rurſus naves undique conquiſitae; quae utrinque diſpoſitae, et milite praeſidiario firmatae, pontem tuebantur. Dum pons ſtruitur, utrinque in aggeribus tormenta diſpoſita fuerant, et militum plurimae cohortes, qui navigationem infeſtam ac periculoſam tranſeuntibus facerent: verum ea nautarum ſive militaris audacia ſive ſolertia fuit, ut propterea dum opus conficitur, quod non niſi ſeptimo poſt menſe conſummari potuit, navigationem non intermiſerint. Contra hoc opus Antuerpiani variis locis utrinque tam in Flandria [f] Lilloae, Antoniſhoëcae, Terventae, Vortiae, [g] Borctae, quam in Brabantia munitiones, praeterea antemurale ſive ſepimentum extra urbem prope moenia inter arcem et portam [h] Caeſaream, conſtruxerunt. Tunc vero machinae ad pontem diruendum apparabantur. Earum fabricator erat is, de quo jam diximus, Fridericus [i] Junibellius Mantuanus; qui, ſpecimine artis ſuae coram regina Angliae edito, ad Santaldegondium remiſſus fuerat. Is poſtulaverat ſibi dari III naveis vaſtae magnitudinis, primam CL, alteram CCCL, tertiam, qui Leoni nomen, IↃ amphorarum capaces, in quibus ex caementitia materia meatus ac cuniculos ſtrueret: petierat praeterea LX naveis latas et plana carina, quae rudentibus, catenis, ac trabibus nexae, ſupra aquas aeſtu accedente ſemilunae ſpecie fluctuarent; ſingulae cum duabus anchoris ſive uncis dimidiatis, quae X pedes aqua extantes

INTERPR. [a] *St Antoniſchoeck, Terwente, & Oyrt.* [b] *Doel.* [c] *le Sieur de St^e^ Aldegonde.* [d] *Callo.* [e] *Ordam.* [f] *Lillo.* [g] *Borght.* [h] *Keyſers-porte.* [i] *Jenibelli Mantouan.*

extantes obvia quaeque vehementi impetu traherent raperentque. Sed, ut in conſeſſu tot hominum ſententiis diſcordantium, neque unius, ſicuti in tanto periculo neceſſe erat, imperio parentium, non ſolum res in longum inutilibus diſputationibus extracta, ſed praepoſtera parſimonia poſtulatis Junibellii multum detractum fuit; tantumque illi duae naves minores, quibus Fortunae et Spei nomina erant, attributae, utraque tantum LXX aut LXXX amphorarum capax; ac X aliae carinis planis, quas [a] Pleitas vulgo vocant. Machinarum haec erat ratio. Naveis duas firmiſſimis carinis conſtructas tabulis et aſſeribus robuſtis undique vallaverat Junibellius, et arcam in unaquaque ex lapidibus albis majoribus V pedum latitudine ſuperſtruxerat, interius longam pedes XL, latam et altam III cum dimidio: tum in unam pulveris nitrati librarum VI CIϽ, in alteram VII CIϽ et IϽ imponit, et utramque magnis lapidibus coeruleis ſepulchralibus tegit; ita ut frons ſeu cuſpis ſex pedes lata promineret, et firmitate ſua exploſos tormentorum globos potenter averteret. Porro in arcis patebant foramina, quibus funalia ignea indita erant; et ſupra ipſas naveis machinam ignitam aedificaverat architectus, quae unius horae ſpatio arderet, antequam pulvis nitratus flammam conciperet; ut cum nihil pejus eo artificio metuerent hoſtes, ſecuri ad ſpectaculum ſederent; et ita non ſolum pons everteretur, ſed etiam ipſi incogitantes opprimerentur. Inſtructae praeterea erant XXXII cymbae majores planis carinis, ignibus artificioſis refertae; quarum VIII ſeſquihora quaque aquis refluentibus ſimul ardentes deſcenderent: rurſus, quo magis fallerent, aliae urinatrices dictae paratae erant; quae, pulvere nitrato, quem capiebant, incenſo, hoſtium rateis ponti circumdatas flammarum vi propius accedentes abſumerent; eo conſilio, ut hoſtis irritatus explodendis omnibus ſuis machinis ſpatio duarum horarum occuparetur, laſſuſque demum deſiſteret, circa id tempus quo duae naves incendiariae medio alveo ad pontem appellerent, alteraque poſt alteram opus deſtinatum exſequeretur. Igitur poſtridie quam [b] Lieſkenſhoëca munitio capta eſt, hoc eſt, pridie Nonas Aprileis, promota claſſis: ſed culpa [c] Jacobi Jacobini maris praefecti, ſive ea ſocordia ſive improbitas fuit, graviſſime peccatum eſt: nam quatuor illae octonariae claſſes praepropere continuo ordine amni, jam recedente aeſtu, decreſcenti, commiſſae fuerunt; quas incendiariae illae duae naves celerius quam oportuit ſubſequebantur, earumque una ante tempus conſtitutum incenſa fuit. Erat illi horologicum inſtrumentum aptatum, quod laxatum citra igniarii funiculi opem ignem extundebat: itaque recedentibus aquis juxta pontem provecta, nullo damno hoſtem affecit. Stabat ad ſpectaculum Parmenſis in aggere, venientem procul claſſem et incendiarias naveis reſpiciens; qui, priorem illam navem nullo effectu ad pontem uſque proceſſiſſe videns, vanos obſeſſorum conatus ridebat; fumumque tantum ex illa flamma, neque aliud praeterea operae pretium, emanaturum credebat. Itaque, relicto ad pontis cuſtodiam Roberto [d] Meloduno Riſborgii marchione, et Gaſpare [e] Robleſio Billio, inſtante Vega primario centurione veterano milite, ut ſe reciperet, cum Caeſare [f] Davalo Vaſtii marchione et Nicolao [g] Caeſio comite ad S. Mariae munitionem retro iter intendit. Ex octonariis illis IV claſſibus una ad ripam incubuerat, haud longe a munitione hoſtili; quae ignem concipiens, praeſidiarios propius ſtanteis diſcerpſit: altera ad objectas trabes ratis ponti praetenſae haeſit: tertia ulterius progreſſa, ad ſublicas uſque in flumen fiſtucis adactas, qua proxime ponti jungebantur, itidem diu haeſit, antequam ignem conciperet. Quo conſpecto, tormentarii aliique hujuſmodi rerum periti, qui in ponte erant, impetum ceperunt in naveis illas ad ignis fomitem tollendum aut reſtinguendum accendendi;

INTERPR. [a] *Pleytes.* [b] *Lieſkenſhoeck.* [c] *Jacob Jacobſſen.* [d] *de Melun, marquis de Richebourg.* [e] *de Robles, Sieur de Billy.* [f] *Davalos, marcheſe del Guaſto.* [g] *de Ceſis.*

accendendi; ac plerique in eas inſilierunt: alii etiam ultro intra naveis ipſas, machinae rationem propius inſpecturi, penetrarunt; qui, ſubito ignem concipiente pulvere, cum ingenti et formidabili fragore, in particulas diſcerpti ſunt: tantaque vis concepti ignis a nitro impulſi fuit, ut navis ipſa minutatim diſcerpta ſit, nullaeque ejus partes uſpiam dein conſpectae ſint; tantuſque etiam contra ſubjectam aquam impetus, ut turbatae undae extra alveum effuſae, et, fundo paene in ſicco deſtituto, hinc inde immenſa mole diſſilientes, utramque ripam longo ſpatio inundaverint; atque adeo [a] Calloanam munitionem tanta aquarum reſtagnantium copia repleverint, ut ad genua uſque milites incedentes mergerentur, extinctis ubique funibus tormentariis, ac tormentis ipſis, ſcloppetis, aliiſque igniariis machinis ita madefactis, ut, ſi ab hoſte impetus ſub id factus eſſet, nullo uſui eſſe potuerint. VI pontis naves disjectae ac confractae, aliae inverſis carinis ſubmerſae; obvii quique in altum rotati ac diſcerpti ad IƆ CCC uſque, Hiſpani tantum IƆ dicunt; alii innumeri membris lapſu aut lapidum et clavorum fragminibus mutilati: alii denique inſolito ictu paſſim, qua fragor pertingere potuit, quaſi de coelo tacti, ad duorum milliarium uſque ſpatium conciderunt. Ipſe Parmenſis, qui haud ita longe praeceſſerat, cum ſuis terrae afflictus eſt; unde conſurgens, ſubitoque collectis animis ad pontem advolans, ad tantae ſtragis miſerandum ſpectaculum primo obſtupuit: mox, ut erat intrepido ac praeſenti in periculis animo, poſtquam nullam hoſtium e longinquo claſſem venientem conſpexit, in ſpem erectus, ponti inſtaurando ope ſuorum ad ſtrepitum undique accurrentium ſumma diligentia incubuit; adeo ut edita heſterno die ruina noctis illius continuo labore ſarta fuerit, ſed mutata ſtructurae ratione; ita ut pons, ubi naves ignivomae propinquarent, ſe bipatentibus valvis aperiret, et naves illae abſque ullo maleficio pertranſirent. Magno hic rurſus ac longe pernicioſiſſimo a Jacobo Jacobino errore peccatum fuit; quippe non monitis, ut praeceptum fuerat, Santaldegondio et Junibellio; qui, ſi in tempore ſigno dato pontis abrupti certiores facti fuiſſent, turbatis tam inopinato caſu regiis, procul dubio impreſſione facta tot menſium opus omnino evertiſſent, et irritos Parmenſis conatus reddidiſſent. Periere illo caſu Risborgius, et Billius Luſitanus, bellis Belgicis maxime famoſus; nec non [b] Segura Hiſpanus, militiae praefectus. Riſborgius autem, praeter natalium ſplendorem virtute militari praeſtans, ſed ſuperbia indomita, cum Arauſionenſi ex aemulatione infeſtus, Ordinum partes, quibus ante ſtuduerat, deſeruiſſet, ſe non ſolum infeſtum ſed crudelem adverſae partis poſtea hoſtem praebuit; quod Hiſpani levius tulerunt, cum dicerent, eum plus damni uno die regi, cum adverſus eum ſtaret, dediſſe, quam aſſiduo decennalis militiae labore compenſare poſſet. Inde ineunte Maio navigium illud vaſtae magnitudinis, cui [c] Finis-belli nomen impoſitum erat, ſuperiore anno inſtructum, magno tormentorum numero et circiter CIƆ delectis ſcloppetariis onuſtum, contra munitionem [d] Ordamenſem vix tandem impulſum eſt; quod jactatione et crebra tormentorum majorum diſploſione adeo quaſſatum fuit, ut cum ad vada juxta pagum ipſum alliſiſſet, nunquam inde educi potuerit. Nec felicior ſcloppetariorum impoſitorum conatus fuit, quia ſcloppetariis a Mota diſpoſitis, navigio haerente, contraria diſploſione infeſtati, magno cum ſuorum damno repulſi ſunt. Eodem tempore Hohenlous et Iſelſtenius cum claſſe XXX navium ſubſequebantur, cum magno foſſorum numero; ut dum agger perfoderetur, Covenſteniam munitionem, et vallum, quod Chriſtophorus Mondragonius tuebatur, oppugnarent. Quo per exploratores cognito, Parmenſis, qui ſciret in loco illo ſervando totam obſidionis molem verti, eoque amiſſo aut ſervato Batavis aditum ad urbem aperiri aut omnino intercludi, in

tempore

INTERPR. [a] *de Callo.* [b] *Sigura.* [c] *la Fin-de-la-guerre.* [d] *le fort d'Ordamme.*

tempore tormentis comportatis et ſtationibus duplicatis, munitionem, cui [a] Cruci nomen, firmaverat, eamque tuendam Mondragonio commiſerat; [b] Covenſtenii propugnaculi cura Camillo [c] Borbonio Montano attributa, cum CCCC delectis Germanis, CC Gallobelgis. Is ab antiqua Borboniorum regulorum apud nos gente genus repetebat, per ſe illuſtri, ſed quae inſititia regii ſanguinis familia per illam adoptata poſtea illuſtrior fuit; Ludovico Roberti [d] Claromontani filio, et Ludovici IX, qui inter divos aſcriptus eſt, nepote, hoc nomen ſibi et poſteris ſuis ſumente. Igitur, quo ſe jam claro ſtemmate prognatum approbaret, multa virtutis ſuae his bellis documenta edidit. Oppoſitam aggeris partem tuebatur Mansfeldius, cum Hiſpanorum [e] Inici, et Italorum Camilli [f] Capiſucci legionibus, et praeterea una Germanorum, et altera Gallobelgarum legionibus; ut ad inopinatos caſus, ubicunque ingruerent, praeſto eſſet. Hohenlous et Iſelſtenius ad Covenſtenium aggerem Nonis Maii albeſcente die appulerunt; et, conſpectis tribus ſignis igneis, ad vim faciendam ſe parant; rurſus magno ac fatali errore, cum putarent id [g] Santaldegondii auxilio cum ſuis venientis ſignum eſſe: nam convenerat, ut, edito ex praecelſa urbis turri ſigno igneo, quidam praefecti militares, quibus id negotii a Santaldegondio datum erat, tria illa ſigna ederent. Illi vero, ſocordia an perfidia incertum, homini imprudenti rem commiſerunt; qui militis ignem procul in aggere conſpicatus, id ſignum ratus, protinus ignes accendit, et hoc indicio Hohenloo impoſuit; qui, ſperans mox adventurum Santaldegondium, perfoſſionem aggeris aggreditur, eodemque acri impreſſione facta Covenſtenium propugnaculum capit: ſed cum non comparerent auxiliares, ſupervenientibus Hiſpanis, poſt longum et obſtinatum certamen, CCC circiter e ſuis aut interfectis aut aqua ſubjecta hauſtis, cum Iſelſtenio conſcenſo lembo vix ſe eripuit. In eo periit [h] Monbereius [i] Mattiacorum militum praefectus. Magno et hic conflictus Hiſpanis conſtitit, multique illorum deſiderati; et in iis Simo Padilia, qui magnam laudis famam eo die meruerat. Eo ex ſucceſſu et ex aliquot captivis cum cognoviſſet Parmenſis id conſilii hoſtibus eſſe, ut aggerem Covenſtenium quavis ratione aut occupent aut perfodiant, quod is impedimento eſſet, ne per agros ſummerſos a Lilloa ad Antuerpiam libera transfretatio eſſet, eo diligentius loco muniendo incumbit; et ea ipſa parte, qua hoſtis perfoſſionem orſus erat, videlicet anguſtiore, et ubi altior aqua ſubeſt, palos et ſepimenta jacit; iiſque munitionem ſuperſtruit, cui a Palis nomen dedit: tum CCC Italos rurſus Camillo Borbonio ad firmandam ſtationem attribuit. Cum vero tantum poſt triduum de incendiariae navis a [k] Junibellio fabricatae experimento cognitum eſſet Antuerpiae, intereaque ſuſpenſis de eventu animis, ipſe Junibellius, quaſi obſeſſos vanitate artis ſuae ludificatus, in ſummo vitae diſcrimine a plebis furore verſatus eſſet; tandem converſione animorum facta, omnes in urbe artificem miris laudibus extulerunt; ſeraque, quod non quaecunque petiiſſet ab initio ei dediſſent, poenitentia ducti, qui rebus praeerant, ei XV naveis planis carinis rurſus conceſſerunt; quae artificioſis ignibus quam citiſſime fieri potuit inſtructae, et roſtris ferreis munitae, ut obvias rateis frangerent ac disjicerent, adverſo flumine, aeſtu accedente, contra pontem immiſſae ſunt. Has quatuor majores ſequebantur, et poſtremo aliae duae artificioſis ignibus refertae: et priores quidem exitu non caruerunt; quippe impetu earum apertus pons, ſed ita disjectis eo paſſim navibus, ut, cum nemo ad vim faciendam ſtatim compareret, regii ponti diducto inſtaurando ſatis temporis habuerint. Conceſſerunt et Junibellio Antuerpiani, ſed ſerius, treis grandiores naveis,

INTERPR. [a] *Cruys, ou de la Croix.* [b] *de Couwenſtein.* [c] *Bourbon del Monte.* [d] *de Clermont.* [e] *Don Iniguez.* [f] *Capizucca.* [g] *le Sieur de Ste Aldegonde.* [h] *de Monberé.* [i] *Zelandois.* [k] *Jenibelli.*

naveis, quas initio petierat: verum ex iis Arauſiana tantum data eſt, quod quidam dicerent, olim Batavum quendam, [a] Gedani ob capitale crimen captum, unius navis vi pontem in Viſtula hujuſmodi ſtructum deſtruxiſſe, perviumque flumen obſeſſis reddidiſſe. Eam Junibellius, tot dominis aegre ſerviens, eadem ratione, qua ſuperiores duas, inſtruxerat, propter magnitudinem inditis quindecies mille pulveris libris: ac ne quis ad ignem reſtinguendum, propiuſve ad diſturbandam machinam accederet, quod ultimo conatu factum fuerat a quodam Anglo harum rerum peritiſſimo, qui Parmenſi operam addixerat, et unam ex iis incendiariis navibus ceperat; id ut prohiberet Junibellius, grandem illam navem XXIV amphoris cerviſiariis cinxerat circumpendentibus, interius caementitia ſtructura ac pulvere nitrato munitis, quarum unaquaeque diverſis vicibus exploderetur; ita ſiquidem tempus admenſus fuerat architectus: rurſus et X alias minores majori circumpoſuerat, quae aditum ullum urinatoribus prohiberent. Verum urgente neceſſitate obſeſſi artificiorum hujuſmodi pertaeſi ad vim apertam faciendam ſe parant; decretumque fuit, omiſſa illa nave, ut totis viribus ad Covenſtenium aggerem occupandum duceretur; quo capto ac perfoſſo, et in eo munitione excitata, Batavi navibus planis a [b] Lilloa Antuerpiam per inundatos agros navigare, et pontem ſuum Parmenſi cuſtodiendum relinquere, ſtatuerant. Id quo commodius facerent, jam ſtationem Hiſpanorum, quae circa Lilloam erat, dejecerant; ita ut libere, nullis a tergo hoſtibus relictis, ad illam partem vim facere poſſent. Condictum ad VII Kalendas Junias, ut omnes hinc e Lilloa, inde ex urbe, ad aggerem convenirent; quod ſumma alacritate utrinque factum. Antuerpiani cum XII navibus recedente aeſtu venerunt; Lilloani cum C circiter omnis generis navibus, magno numero foſſorum, ſaccorum, terra, goſſipio, lana, et alia materia ad tumultuarias munitiones excitandas neceſſaria repletorum. Ad [c] Sangeorgianum propugnaculum prima exſcenſio facta, qua latior agger; quod ad palis vallatam munitionem anguſtior eſſet, quam ut in eo munitio ſatis firma conſtrui poſſet. Rurſus et eo peccatum, quod pluribus locis aggerem, qui inter palis munitum propugnaculum et Sangeorgianum jacet, perfodere aggreſſi ſunt; quippe cum ita opus lentius procederet, quam ſi eodem loco conjunctis operis incubuiſſent. Igitur ſuperato aggere ſingulis belli ducibus ſua loca tuenda, munienda, fodienda, aſſignantur: [d] Morgano legionis praefecto pars quae [e] Scaldim, [f] Freminio, Balfurio, et aliis Scotorum ductoribus, quae Antuerpiam ſpectat, obvenit: [g] Iſelſtenius et Batavi ac Zelandi partem, quae continenti objecta eſt, habuerunt. Interea ad Sangeorgianum factus impetus, quod Alfonſus [h] Cordubenſis cum aliquot Hiſpanis tuebatur; qui, nobilitate quam virtute melior, haud magnum poſt certamen locum deſeruit: cui occurrens ex [i] Sanjacobino [k] Camillus Borbonius, Hiſpanis, ut frontem obverterent, praeſentia ſua effecit. Miſſi laborantibus ſubſidio [l] Ferrandus Spinola eques Siculus, et Petrus [m] Guerra Mediolanenſis, cum delecta peditum Italorum manu; quibus et recentes mox additi, Caeſar [n] Bechinius et Alfonſus Plantaneda; qui omnes fortiter pugnando in veſtigio occubuerunt: tantum Spinola ſauciatus ac captus, et ab Santaldegondio Antuerpiam deductus, ex vulnere poſtea periit. Borbonius et ipſe nullas fortiſſimi bellatoris partes omiſit, ad ſubita occurrendo, et voce manuque ad fortiter rem gerendam ſuos hortando. Plus centum hinc inde illi ad latera ceciderunt, et in iis [o] Cerbeno ex eadem familia, et Marius Bottonius Rhegienſis. Eorum tamen virtute effectum, ut ſi auxiliarium opus tunc impeditum non eſt, tamen Sangeorgiana munitio in eorum

manus

INTERPR. [a] *Dantzick.* [b] *Lillo.* [c] *Fort de St George.* [d] *le colonel Morgan.* [e] *l'Eſcault.* [f] *Fremin, & Balfour.* [g] *le general Yſelſtein.* [h] *de Cordouë.* [i] *Fort de St Jacques.* [k] *Camillo Bourbon del Monte.* [l] *Ferrante Spinola.* [m] *Guerra, Milanois.* [n] *Bechino, & Alfonſo Piantaneda.* [o] *Cerbone del Monte, & Mario Bottoni de Regio.*

manus non venerit. Dum in eo ſunt, ſtrepitu excitus Parmenſis, qui tota nocte evigilaverat, et tunc forte ad quietem capiendam [a] Beveram conceſſerat, mox cum delectis accurrit; et auxiliares operi alacriter incumbere, ſuos clade accepta triſteis lente defenſionem moliri, cernens, altum ſuſpirium duxit: tum in medios ruens, certamine utcunque reſtituto, etiam hortatus ad confirmandos ſuos addit, veniſſe ſummam diem, quae tot exantlatis laboribus optatum finem imponat, modo ne linquantur animis, neque ſe deſerant, et multorum annorum decus brevi momento amittere, quam fortiter pugnando certam de hoſte toties victo victoriam reportare, malint: atqui cum iis rem eſſe, quibus frontem obvertere et vincere paria cenſeantur; qui ſi quid plus animi nunc habeant, id a deſperatione mutuari, non tanta ſpe vincendi, quam deſiderio audacter pugnando honorifice moriendi: proinde ſe ſequantur; quod qui imperium detrectabunt, eos neque decoris neque fidei regi ſuo debitae curam habere ſe exiſtimaturum. Quibus dictis ſtricto gladio per agros ſummerſos ad foſſam vadit; et ad inferiorem [b] Covenſteniae domus curtem, ad [c] Crucis et S. Jacobi munitiones, contractis tormentis ac viribus, denuo ſuos ad dejiciendos aggere auxiliareis confirmat. Quo conſpecto, illi, qui magno jam errore operas diviſerant, majore longe opus perfodiendi, quod nimis longum et laborioſum videretur, omittunt; mutataque maxime alieno tempore ſententia, ut omnia confuſe inter eos agebantur, ſaccos et ſcaphas apparant, in quas aeſtu redeunte naveis onerarias exonerarent, et frumentum ad urbem deportarent; et ita loci tuendi ac muniendi curam abjiciunt. Sub id [d] Hohenlous et Santaldegondius, qui putarent ſuos aggerem occupatum diutius tutari poſſe, Antuerpiam petunt, modum rationemque endituri, quibus Parmenſis munitiones acrius oppugnarent. At Parmenſis interea minime cunctatur; et decreſcente amne, ipſe ante alios ſariſſam manu gerens, per occaſionem recedentis aeſtus, et navium, quae ex Zelandiae inſulis venerant, diſceſſum, ſuos ad proelium fortiter capeſſendum hortatur. Ab utraque parte vis facta; et qui cum [e] Mansfeldio erant, et cum Camillo Borbonio, eodem tempore aggerem Covenſtenium oppugnant: primuſque inter Italos [f] Toralva ſtrenuus ordinum ductor hoſtem ſe intra foſſam et vallum, recedentibus cum refluxu navibus, recipientem invadit, pulchro de decore inter Italos et Hiſpanos, quamvis tunc intempeſtive, exorto certamine; quod Parmenſis, confuſionem veritus, ita pro tempore compoſuit, ut cujuſque gentis virtuti decoris praerogativam eo die propoſitam diceret; quem quiſque locum occuparet, eum tueretur; ſalvo in aliis belli expeditionibus, quae deliberandi ſpatium admitterent, pro gentis cujuſque praerogativa, jure ac dignitate. Joannes [g] Aquila Hiſpanos, Camillus Capiſuccus Italos ducebat; qui aemulatione certantes, poſt longum et obſtinatum certamen, poſtquam ſeptem jam horas aggere auxiliares potiti erant, eos inde dejecerunt. Ceciderunt utrinque, ut Belgae ſcribunt, CIↃ IↃ. Hiſpani multo majorem numerum edunt: nam ex ſolo Ordinum exercitu tria millia bellatorum, ictibus interfectorum, aut aquis hauſtorum, periiſſe memorant. Inter eos ex Antuerpianis [h] Jacobus Jacobinus maris praefectus, [i] Valdaeus, Chimaius Ooſtenus, ordinum tribuni; duo Anglorum ductores primarii, alii Angli et Scoti, et civium magnus numerus: ex Zelandis [k] Halteinus Walacriae praefectus, et alii ordinum ductores. Amiſſae praeterea Antuerpianae naves xxx, quae aeſtu recedente remigrare adverſo flumine non potuerant. Biduo poſt, ne quid reliquiarum ſupereſſet, quod ſpem auxilii in animis obſeſſorum alere poſſet, Parmenſis, conſpecta procul vaſta illa et gravitate ſua inutili nave, cui Finem-belli nomen fecerant, quae ad vada in campis ſummerſis Ordami alliſerat,

INTERPR. [a] *Beveren.* [b] *de Couwenſtein.* [c] *Forts de la Croix, & de St Jacques.* [d] *les comtes de Hohenlo, & de Ste Aldegonde.* [e] *le comte de Mansfeld.* [f] *Toralva.* [g] *de l'Aquila.* [h] *Jacob Jacobſſen.* [i] *les capitaines la Valdée, & Chima van Ooſten.* [k] *le Sieur de Haltain, gouverneur de Walcheren.*

ad eam capiendam Mansfeldium comitem mittit, poſt [a] Robleſii mortem navium armatarum praefectum creatum, ſicut [b] Risborgii praefectura equitum [c] Vaſtii marchioni commiſſa fuerat; eique adjunxit Carolum [d] Arembergium comitem, et Hippolytum [e] Bentivolium Gualteriae marchionem, et [f] Herculem Bevilacam comitem. Circa navem minores aliae ad tuendam eam in ſpeciem volitabant, re vera ut ſine hoſtium ſenſu illam paulatim exarmarent; quae regiorum adventu poſt leve certamen huc illuc dilapſae ſunt. Mox Mansfeldius in navem involat; quam vacuam miratus, eo ſtructuram ejus magis miratus eſt. Venit et ad eam viſendam ſubito Parmenſis; qui et fabricam miratus ſtationem militum in ea reliquit, ac poſtea mandavit ut ea deſtrueretur. Inde [g] Borgerhoutum ducit Parmenſis cum CIϽ IϽ peditibus, CCCC equitibus, et IV tormentis: quo capto urbis in conſpectu conſedit, et, terrore ſui late ſparſo, propugnacula ab Antuerpianis circum erecta recipit, ita ut urbs undique veluti corona cingeretur. Haec toto Junio acta; quo tempore anguſtia annonae, quam magiſtratus, occupatis in defenſione plebis animis, ſumma prudentia huc uſque oppidanos celaverat, patuit. Cui malo ut mederetur, ſero repetita a Junibellio anno ſuperiore propoſita remedia, ut divites in annum ſibi de commeatu proſpicerent, ex publico aerario mature horreum inſtitueretur in plebis alimoniam, ex quo frumentum ſtatis diebus promeretur, et viritim certa menſura diſtribueretur. Primum cerviſiariis, qui magnam frumenti vim abſumebant, coquendi cerviſiam facultas edicto adempta. Poſtea ad odioſa et dura magis urgente neceſſitate deventum eſt, ut inutilis ſexus et aetas urbe emitteretur: nam numerabantur tunc omnis ſexus et aetatis ultra LXXXV capitum CIϽ; quibus per annum alendis, putata diligenter ratione, opus erat tercenties mille menſuris frumenti, quae circiter novies mille laſtas, hoc eſt Antuerpianae menſurae genus, conficiunt. Sed cum ſeu miſeratione ſeu privatorum charitate minime id exacte curaretur, rurſus propoſitum fuit, ut majorum religioni addicti eliminarentur: qui in urbe praepotentes re intellecta plebem ad ſeditionem concitant; et in [h] Mocheronium tribunum, qui huic ſententiae favere dicebatur, et curam ex agro convehendi frumenti habebat, facto impetu, parum abfuit quin eum interficerent, [i] Santaldegondii praeſentia ſingulos blande appellantis vix tandem placata plebe. Cum vero ſeditionis auctores comprehenſi eſſent, auctus tumultus, et vi e manibus magiſtratus erepti ſunt; exortis paſſim per urbem confuſis virorum, foeminarum, ac puerorum vocibus, pacem petentium, pacem volentium ac jubentium. Itaque cum neque Santaldegondius conſul, neque alii conſiliarii, commota ſemel plebe urbem amplius in poteſtate haberent, decernunt legatos ad Parmenſem mittendos. Ii fuere ipſe Santaldegondius, Willelmus [k] Merodius Duflaeus, Joannes [l] Schonovius, Andreas [m] Heſſelius; qui pridie Nonas Quintileis in caſtra regia venerunt, et non pro urbe tantum verba faciunt, ſed generalem pacificationem petunt; qua praeteritorum oblivione ſancita, religionis libertate permiſſa, abolita ubique arcium et praeſidiorum mentione, confirmatis antiquis privilegiis et immunitatibus, cuncti Ordines ſe poſthac Philippo obedientes fore ſponderent. Harum conditionum ſi ſpes fiat, ſe in urbem reverſuros, et cum plenis mandatis redituros, oſtendunt legati. Ad haec Parmenſis, qui ſciret penuriam in dies magis in urbe creſcere, et motibus popularibus novam materiam praebere, re in longum extracta, ſexto tantum poſt die reſpondet: Quoniam cum literis ac diſertis mandatis non venerint, nihil ſtatui poſſe; et conjectare ſe potius eos explorandi, quam de pace agendi cauſa veniſſe: optare quidem, ut

INTERPR. [a] *de Roblès, Sieur de Billy.* [b] *le marquis de Richebourg.* [c] *del Guaſto.* [d] *d'Aremberg.* [e] *Bentivoglio, marcheſe de Gualtiere.* [f] *il conte Ercole Bevilacqua, Ferrareſe.* [g] *Borgherhout.* [h] *le colonel Moucheron.* [i] *le Sieur de Ste Aldegonde, bourgmaiſtre.* [k] *de Merode, Sieur de Duffele.* [l] *de Schoonhoven.* [m] *Heſſels.*

ut generalis pacificationis ratio iniri poſſit; ſed, cum tam brevi ſpatio res confici nequeat, conſultum videri, ut ipſi, ſeparatis ab aliorum cauſa ſuis rationibus, mature pro urbe ſua agant, neque religionis negotium aut pro ea conditiones miſceant, totumque id regis clementiae ac benignitati committant. Ita remiſſi legati. [a] Mechlinia interim, cui [b] Famarſius praeerat, diſſidentibus in ea partium ſtudiis, cum jam urgente penuria et poſt Antuerpiam deditam iniquiores conditiones vereretur, monente Roſſignolio, feſtinata pactione cum Parmenſi tranſegit; qui eo opimiores conditiones oppidanis per [c] Rantiaci marchionem conceſſit, quod Mechliniae deditione Antuerpianos facilius ad leges accipiendas cogi crederet. Exſoluto militi ſtipendio praeſidium dimiſſum; cives in gratiam recepti, modo in poſterum ſecundum ritus majorum religionem colerent, praeteritorum ſancita oblivione, et ſalvis privilegiis: [d] [1] Provenus cum praeſidio urbi impoſitus. Id actum XIV Kalendas Quintileis. Mox et [e] Donſcena, Willebroca, Margarita, aliae arces, partim dedentibus ultro praefectis, partim urgente penuria, in poteſtatem Parmenſis venere: quibus ille commoditatibus fretus, arctius obſidendae Antuerpiae inſtitit, praediaque ſuburbana [f] Berchemi, Strali, et Hobochi occupavit. Sub id a Zelandis et naves aliquot artificioſis ignibus refertae contra pontem miſſae ſunt, ſed nullo exitu; eoque magis in urbe tumultuatum, pacem vociferante paſſim plebe. Cumque ſub id a Batavis et Zelandis veniſſet [g] Levinus Calvardus ſcriba, et pertenuem auxiliorum ſpem afferret, placuit ut legati cum plena tranſigendi poteſtate ad Parmenſem mitterentur. Miſſi XX viri; qui cum Jacobo [h] Pamelio, Chriſtophoro [i] Aſſonvillio, Joanne [k] Ricardoto, et [l] Borchtio agere juſſi; poſt longas altercationes, tandem XVI Kal. Sept. convenerunt in has conditiones: Ut Antuerpiani ſe regi dedant, eique tanquam Brabantiae duci deinceps obediant; foederibus quibuſcunque cum aliis principibus initis renuncient; praeteritorum oblivio ſanciatur, condonenturque civibus, proceribus, collegiis, quaecunque, archiduce Matthia et duce Alençonio gubernantibus, admiſſa ſunt. Ne urbs incolis vacua relinquatur, permittatur ut cives per quatuor annos ab inquiſitione et novo religionis cauſa jurejurando liberi maneant, dummodo moderate, placide, ac ſedate, citra offenſionem ſe domi contineant: interea deliberent, an ad majorum ſacra redire velint; qui nolint, tempore exacto, libere ac ſincere provincia exeant: nihilominus plenam bonorum poſſeſſionem, et de iis liberam ſtatuendi facultatem, habeant; et, ſi extra provinciam inteſtati moriantur, heredes proximi ex jure ſuccedant. Rex ſuis juribus, dominiis, ac vectigalibus fruatur; eccleſiaſtici et alii bonis reſtituantur; civitas indictiones, collationes, exactiones, belli hujus tempore inſtitutas ad aes alienum exſolvendum, privilegia item quae ante haec bella habuerit, retineat; ne cives intra anni ſpatium ob aes alienum aut onera litibus infeſtentur: de templis deſtructis, quae inſtaurari aequum eſt, magiſtratus et ordines civitatis conſultent, rationemque, qua id commodiſſime et minimo cum privatorum damno fieri queat, ineant. Tormenta bellica, et apparatus omnes bellici, ac naves praeſidiariae, in Parmenſis manus conſignentur: II CIↃ peditum et equitum turmae duae pro praeſidio urbis conſtituantur, ea conditione, ut ſi Batavi et Zelandi regi reconcilientur, urbs ab arce et praeſidiis omnino liberetur. Pro ſumptibus belli CCCC florenorum CIↃ certis penſionibus exſolvantur: [m] Santaldegondius intra annum contra Philippum non militet. De captivis et conventum, ut utrinque exſolutis impenſis dimitterentur.

IV. SED

INTERPR. [a] *Malines.* [b] *le Sieur de Famars.* [c] *Renty.* [d] *le ſeigneur de Proneves, gentilhomme de Bruges.* [e] *Forts de Tongſken, Willebroeck, & Margarite.* [f] *Berchem, Stralen, & Hoboken.* [g] *Lievin Calvart, greffier.* [h] *Pamele.* [i] *d'Aſſonville.* [k] *Richardot.* [l] *Vander Borgh.* [m] *le Sr de Ste Aldegonde.*

NOT. [1] *Lege* Pronevus *Put.* Petit le nomme *de Proneves*, les autres *de Provenes.*

IV. Sed exemptus eorum numero Odetus [a] Lanovius Telinius Franciſci filius, qui in arce [b] Tornacenſi attinebatur, quod eum in poteſtate non habere Parmenſis diceret; qui tamen pro ejus libertate apud Philippum officium omne prolixe pollicitus eſt. Franciſcus ejus parens ad [c] Ingelmonſterum ante quinquennium a Risborgio marchione, qui tunc vicecomes Gandenſis dicebatur, captus, eodem anno Philippum [d] Ecmundanum [e] Ninivae ceperat; qui longo tempore in Ramekenſi arce in Zelandis captivus, atque inde in Bataviam devectus, tandem procerum, adfinium, ac ſororum interventu, cum ipſo Lanovio permutatur: ſed praeterea duris ac inſolitis conditionibus Lanovio impoſitis; qui, quanquam facultatibus ac dignitate Ecmondano minor, virtute certe ac meritis longe major, Navarrae regem fidejuſſorem dare compulſus eſt, poſſeſſionibus quas Navarrus in [f] Pleumoſiis habebat, ad C aureorum CIↃ, oppigneratis, ipſum contra Philippum non militaturum, neque arma ulla, abſque regis tanquam ſupremi domini expreſſo mandato, geſturum. Fidejuſſit inſuper pro Lanovio Carolus Lotharingiae dux, et Guiſius ejus gentilis: viciſſimque promiſit Lanovius contra Lotharingum et Guiſium ſe non militaturum; obſidemque fidei ſuae filium juniorem dedit, qui per annum in aula Lotharingi manſit. Intervenit ea in obligatione aſtute Guiſius, et ejus conſilio Lotharingus; non tam ut virum virtute bellica praeſtantem ſibi devincirent, quam ut eum, quem alioqui dimiſſum iri providebant, ſi non ſuis partibus favorabilem haberent, ſaltem per has conditiones Navarro, qui pro illo jam ſtudioſe fidejuſſerat, inutilem redderent. Sed ea tempora poſtea inciderunt, quae [α] nimia Guiſii conſilia poſtremo irrita reddiderunt, et viro optimo, adeoque Hiſpanis ac Guiſianis formidabili, libertatem fecerunt, fide data ac decore ſalvo, arma contra utrumque ſumendi. Perſcriptae deditionis conditiones tertio poſt die Antuerpiae promulgatae ſunt; quo die Proteſtantes ultimas ſuas conciones in urbe habuerunt. Mox ſub id Parmenſis velleris aurei inſigne a Philippo miſſum, magna ceremonia, a Petro Erneſto Manſfeldio in [g] Lilloano propugnaculo accepit. Inde ſeptem dies civibus ad feſtos apparatus conceſſi; quibus exactis, Parmenſis armatus urbem triumphali pompa per portam [h] Caeſaream ingreditur. In ponte [i] Merano Genuenſes ſumptibus ſuis columnam roſtratam ordinis Dorici exſtruxerant, altam plus minus C pedes; in qua Parmenſis effigies viſebatur inſtar Alexandri veſtitu antiquo Romano mira arte elaborata. Inde per arcus feſtinata opera erectos ad majus templum ventum, et, poſt [k] hymnum beatorum Auguſtini et Ambroſii decantatum, in arcis palatium; tormentis feſta ejaculatione ubique diſploſis, et tintinnabulis templorum toto triduo perſonantibus. Ante ingreſſum detracta fuerant Franciſci regis fratris paſſim locis publicis affixa inſignia, et Philippi reſtituta. Tum tormenta omnia in arcem comportari juſſa; quae mox, foſſa ducta, et propugnaculo contra urbem, quod olim deſtructum fuerat, erecto, inſtaurata eſt. Dein et ſenatus novus legitur, magiſtratu motis, qui antea eam dignitatem tenuerant. Conditum et edictum IV Non. Oct. quo res monetaria, quae eodem, quo apud nos ante octennium per bellorum licentiam, vitio laborabat, certo pretio et aeſtimatione ſingulis nummis impoſita, conſtituta eſt. Dedita urbe, penuria annonae magis quam antea patuit; laudata ob id ſumme magiſtratus prudentia, qui tamdiu egeſtatem illam, plebe alioqui citius tumultuatura, celaſſet. Itaque tertio poſt deditionem die, antequam annona ex caſtris in urbem comportaretur, cum panis venalis nullus proſtaret, parum res a ſeditione abfuit: nam panis ſecalitius inter notos, gratia facta, XXIV ſtuferis vendebatur.

Nihilominus

VAR. LECT. [α] nimia *deeſt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeritur, e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.

INTERPR. [a] *de la Nouë, Sieur de Teligny.* [b] *de Tournay.* [c] *Ingelmunſter.* [d] *le comte d'Egmond.* [e] *Ninove.* [f] *Flandre.* [g] *Fort de Lillo.* [h] *Keyſers-porte.* [i] *le Meer Brugghe.* [k] *le Te Deum.*

Nihilominus apud Ordines poſtea magiſtratus accuſatus fuit; et in primis Santaldegondius conſul, quod, nulla penuria aut neceſſitate urgente, praepropere deditionem feciſſet. Itaque ei dies ad purgandum ſe dicta; et antequam ſe purgaſſet, Batavia et ad Zelandiae inſulas appulſu interdictum fuit. Verum ille ſcripto typis mandato calumnias objectas diluit, et, contra quam praeceptum fuerat, [a] Zuitburgam in Zelandia venit; et, crebris libellis oblatis, copiam purgandi ſe dari, et accuſatores nominari, petiit: qui cum nuſquam comparerent, ipſe in Zelandia interea temporis manſit.

V. Ab initio obſidionis Antuerpianae Parmenſis, qui et diuturnam eam provideret, et tamen in illa tanquam totius Belgii arce omne belli momentum verti judicaret, pertentata nequicquam antea Philippi de arcis [b] Placentinae reſtitutione voluntate, occaſionem cepit ejuſdem negotii retractandi; eaque de re ad Octavium parentem diligenter ſcripſit, ab eoque petiit, ut ad ſe mitteret virum dignitate, fide, et uſu rerum praeſtantem, cujus opera ea in re uteretur. Is fuit Pomponius [c] Torellus Clariguli comes, Octavii beneficiarius: qui [d] Beveram ad Parmenſem cum veniſſet, ab eo probe de ratione cum Philippo et ejus miniſtris agendi inſtructus, inde facto per Galliam itinere in Hiſpaniam exeunte anno ſuperiore contendit, et Philippum [e] Mantuae Carpetanorum convenit. Is de obſidionis ſuſceptae ratione, rebuſque ad eam continuandam et ad optatum finem perducendam neceſſariis, ejuſque ſucceſſu ad cetera perficienda viam facilem ſternente, ut cum Philippo ageret, miſſum ſe credi volebat; et ita jactari curaverat Parmenſis. Quibus artificioſe coram Philippo expoſitis, Torellus ſecreta mandata, quae patris filiique nomine ad eum habebat, de arcis Placentinae reſtitutione profert; enixeque, ac quam demiſſe poteſt, rogat, ut tam juſtae petitioni nullam a ſuis longiorem moram interponi patiatur: nam ad ejus exiſtimationem pertinere, ne interpellatus aut rogatus, ſed ſponte, id feciſſe videatur. Octavium certe et Alexandrum ſedulo operam dediſſe, ne quiſquam de hoc negotio reſciſceret; ut tanti beneficii ſolidum decus ac gratia penes Philippum manerent, ipſi commodum ex ea ſentirent. Et vero ad obſtruenda calumniantium ora et comprimendas malevolorum voces, opus eſſe ut omnes videant, contra quam vulgo in Belgio jactatur, benefactorum praemia, ut maleficiorum poenas, apud regium tribunal conſtare. Nam aegre audire Parmenſem ſe in invidioſum exemplum trahi: quid enim ſperare poſſe Belgas, poſt tot annorum pro libertate ſuſceptum bellum, de Philippo ſive Hiſpanis, ſi is, qui ad eos debellandos tam ſedulam operam vitae ſanguiniſque pretio quotidie navat, foediſſimam ſervitutem ſub utriſque ſervit? Si principes liberi, nec Philippi beneficiarii, jugum Hiſpanorum tot annos pati, ſi arces cervicibus ſuis impoſitas cernere quotidie coguntur; quae ſpes eſt ut per pacem a Philippo priſtinam libertatem recuperent, et, quod toties poſtulatum eſt ab Ordinibus, arces diruantur, et praeſidia toto Belgio amoveantur? Haec in vulgus ſpargi regiam majeſtatem minime ignorare; iiſque Parmenſem, non tam ſua, quanquam et hoc ad decus ſuum pertineat, quam Philippi ipſius cauſa angi, quod impedimento ſint, quo minus populorum exacerbatorum animi ad bonam mentem et obſequium adduci queant. Ad haec Philippus, qui hoc rerum ſuarum ſtatu impoſitam ſibi utriſque ſatisfaciendi neceſſitatem ſentiret, Bonam in partem accipere ſe ejus poſtulata reſpondit, ceterum de ratione rei perficiendae amplius deliberare velle: interim jubere, ut cum cardinali [f] Granvellano, [g] Caſtellenſis militiae principe, et Joanne [h] Idiaco a ſecretis epiſtolis, in arcano agat; nam nolle ut ceteri ſui conſiliarii de hoc negotio cognoſcant. Id

incidit

INTERPR. [a] *Zuitbourg.* [b] *Citadelle de Plaiſance.* [c] *Torello, conte di Monte Chiarugolo.* [d] *Beveren.* [e] *Madrid.* [f] *le cardinal de Granvelle.* [g] *le grand commandeur de Caſtille.* [h] *de Idiaquez.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

incidit in tempus quo Carolus Emmanuel Sabaudiae dux gener deſtinatus ad nuptias celebrandas in Hiſpaniam venerat. Ad eum excipiendum Philippus, exeunte Februario hoc anno, [a] Caeſaream Auguſtam venit, inſolita, ut in tali re, comitatus aulici, et procerum, atque etiam oratorum externorum principum, pompa. Ibi nuptiae altero quam venerat die, hoc eſt, VI Eidus Martias, celebratae: inde per pompas et haſtiludia totum trimeſtre exactum. Demum ineunte Junio Sabaudus eadem pompa [b] Barcinonem reductus, cum uxore et toto aulico ſuo comitatu Joannis Andreae Auriae praetoriam conſcendit; et Genuam primum, ab Auria honorificentiſſime exceptus, ac poſtea [c] Nicaeam portatus eſt; et inde [d] Taurinorum Auguſtam terreſtri itinere petiit, ingentibus ſumptibus, quae dotalem pecuniam longe excedebant, in ea profectione factis; vanique honoris per illam adfinitatem ſpecie, ac promiſſis magis quam pecunia oneratus, domum rediit. Ceterum juveni ambitioſo ſatis erat, ſpem factam eſſe, ut ſecreto cum Guiſianis foederi participaret, et, bello magis in Gallia accenſo, per occaſionem ejus [e] Salucianum principatum in Subalpina regione occuparet; idque ſibi mandari inter ſecretas matrimonii pactiones, ac veluti imperari, voluit, ut ſe in tantae molis negotio adverſus ceterorum Italiae principum invidiam ſoceri auctoritate tueretur. Inde Philippus [f] comitia Aragoniae jam indicta celebravit; adactiſque in principis verba ritu ſolemni provinciae ordinibus, in Caſtellam rediit. Interea negotium de arce Placentina urgebat Torellus; et cum ad eos, de quibus dixi, remiſſus eſſet, cum illis ſedulo egit; depoſitaque veluti legati perſona, mediumque ſe gerens, cum videret moras, uſurpato in illa aula more, affectari, omnem procraſtinationem longe periculoſiſſimam eſſe in eo negotio oſtendit; quod contraria procraſtinatione, quod tamen minime futurum putet, obſidionis in longum extractae, res Philippi ex ſumma ſpe in ſummum periculum adducere queat. Quae verba ad Philippum relata cum alte in ejus pectus deſcendiſſent, et de eventu obſidionis vereretur, ſi adfectata mora, et commeatu per diſſimulationem introducto, protelaretur, conſiliariis mandavit ut de reſtitutionis ratione quamprimum decernerent. Heic rurſus altercatum fuit, cum arcem ob Alexandri merita ei reſtitui, non Octavio patri, debere cenſerent: nam Torellus ita a Parmenſi inſtructus, beneficium hoc cum patris filiique ſimul injuria conjunctum dicere. Quid enim meruiſſe filium, ut patrem tam indigne habitum; aut quid feciſſe patrem, ut ſibi tanquam ſuſpecto filium praelatum videre cogatur? Quod olim Octavius contra Carolum Philippi parentem arma tulerit, id extrema neceſſitate, quae legitimam excuſationem habeat, feciſſe: qua ceſſante, et data occaſione, cum alioqui Galli in Italia praepotentes eſſent, ſtatim ad Philippum tranſiiſſe; et periculo vitae, ſuarum rerum diſpendio, res ejus tunc temporis inclinatas ſumma conſtantia tutatum eſſe. Proinde Philippum orare, ut ſi ea tranſitio ſibi non honori, ſaltem ne fraudi ſit: quid enim ab eo tempore feciſſe Octavium, ut tanto beneficio indignus habeatur? Hanc invidiam, imo impietatem, deprecari Alexandrum; qui, conditione accepta, merito in hominum reprehenſiones incurrat, quaſi vivo ac vidente de ſe optime merito parente, ejus hereditatem cernere voluerit. Quibus rationibus victus Philippus, cum ſe in has anguſtias redactum videret, ut, ſi arcem Placentinam retinere vellet, ſpem potiundae Antuerpiae, quae ad res ſuas in Belgio conſtituendas tantum momentum habebat, amittere periclitaretur, tandem, licet aegre, in reſtitutionem conſenſit; annitente cardinali Granvellano, obnoxio ob vitam ac dignitatem [g] Campiniaco fratri ſtudioſe a Parmenſi conſervatam. Igitur, clam aliis conſiliariis, datum cum expreſſis mandatis negotium Carolo [h] Aragonio Terrae-novae

INTERPR. [a] *Saragoce.* [b] *Barcelone.* [c] *Nizza, ou Nice.* [d] *Turin.* [e] *Marquiſat de Saluces en Piedmont.* [f] *Cortes de Arragon.* [g] *le Sieur de Champigny.* [h] *d'Arragon, duc de Terra-nuova, gouverneur de Milan.*

Terrae-novae duci, tunc Mediolanenſis principatus praeſidi, ut Placentiam profectus per praefecti abſentiam, arcem, deductis praeſidiariis Hiſpanis, Octavio reſtitueret. Id magna diligentia factum; ita ut citius executioni demandatum, quam in Hiſpania reſcitum fuerit. Terranovanus eo profectus, Eidibus Juliis praeſidium inde deduxit; cui menſtruum ſtipendium Octavius praeſenti pecunia numerari juſſit; continuoque arcis poſſeſſionem Ranutius Alexandri filius, Octavii avi nomine, magno nobilitatis Placentinae, quae cum eo venerat, comitatu, cepit; et praeſidiarii Itali loco Hiſpanorum introducti; iiſque praepoſitus fuit Leo Lazarus [a] Hallerus Bruxellenſis, bello vir ſtrenuus, ab ineunte aetate cum Alexandro educatus.

VI. INTEREA Ordines cum Eliſabetha Anglorum regina agebant; et poſt longas diſceptationes tandem pridie Nonas Quintileis legati Londinum venerunt: Brabantiae nomine Jacobus [b] Griſeus, qui prius ad militem conſcribendum in Angliam miſſus fuerat, magnus Brugarum praetor, quanquam cum poteſtate non omnino plena, ob Antuerpiam tunc temporis arcte obſeſſam; Geldriae nomine Rogerius [c] Harſoltus; Flandriae [d] Natalis Caronius Schonevallius Franconatum conſul, plena poteſtate quidem non donatus, attamen admiſſus; Bataviae meridionalis Joannes [e] Douza Nordovicus, Juſtus [f] Meninus, Franciſcus [g] Maelſenus juriſconſultus; Zelandiae [h] Jacobus Valkius; [i] Ultrajecti Paulus [k] Buſius juriſconſultus; Friſiae [l] Felgerus Feitzma, Laeſius Jonghema, Haſſelus Aiſma praeſes. Hi magnifice ac ſplendide reginae ſumptibus excepti, tertio poſt die [m] Grenwici a regina audiuntur. Pro Ordinibus verba fecit Meninus, gratiaſque ante omnia pro tam propenſa erga Belgium in ſummittendis auxiliis voluntate egit; cujus nuper certiſſimum experimentum fecerint, cum, Arauſionenſi crudeliſſime et indigniſſime interfecto, per Davidſonum legatum ſignificavit, Dolere ſibi, Ordines foederis cum rege Galliae ineundi, ob excitatum a ſeditioſis in eo regno bellum, ſpe fruſtratos fuiſſe: non tamen ob id curam ac ſolicitudinem vicinis et afflictis populis ſubveniendi depoſuiſſe; ſed quo major neceſſitas ingruat, eo voluntatem ac benevolentiam ſuam magis accendi. Itaque Ordines, tot urbibus ac arcibus ab hoſte captis, cum videant ſibi ſummo duce aliquo ad univerſorum propugnationem opus eſſe, qui eos ab immani Hiſpanorum jugo, ac pejore Indica ſervitute, ſub execrandae inquiſitionis nomine introducta, defendat, religionemque quam profiteantur, et cujus odio tot etiam adverſus ipſam conjurationes initae ſunt, deinceps tueatur, hanc legationem adeo honorificam decreviſſe, legatiſque mandaſſe, ut ipſius majeſtati plenum imperium ac ſummam poteſtatem, legitimamque Belgicarum provinciarum adminiſtrationem, aequis ac legitimis conditionibus deferant. Multa quidem gravia provincias his bellis paſſas; ſupereſſe tamen adhuc in Brabantia, Geldria, Flandria, et Tranſiſelana, pleraſque urbes et arces validas in Ordinum poteſtate; Bataviam totam, Friſiam, Zelandiae inſulas, Ultrajectum, integra penes Ordines manere. In his multas urbes, arces, et praeſertim portus inſigneis eſſe, qui majeſtati ſuae ejuſque heredibus magno non ſolum ornamento, ſed commodo, eſſe poſſint: et procul dubio eſſe, foedus cum his provinciis, adjunctis Sluſarum et Oſtendae portubus, initum, plenam late per oceanum dominationem et imperium ipſi in praeſens, in poſterum ſucceſſoribus ipſius ſecuritatem et proſperitatem, allaturum. Proinde Belgas tanquam fidos ſubditos in ſuum patrocinium ac clientelam recipiat; totque ſparſas

INTERPR. [a] *Haller.* [b] *de Gryſe, grand bailli de Bruges.* [c] *Rutgert van Harſolt, bourgmaiſtre de Harderwijck.* [d] *Noel de Caron, Sieur de Schoonewalle, bourgmaiſtre & eſchevin de Vrye, ou du Franc.* [e] *Vander Does, Sieur de Northwijck.* [f] *de Menin, penſionaire de Dort.* [g] *Maelſen, conſeiller d'Enckhuyſen.* [h] *Jacob Valke, conſeiller d'eſtat.* [i] *Utrecht.* [k] *Buys.* [l] *Jelger de Feytzma, Laes de Jonghema, & Heſſel Ayſma preſident.* [m] *Greenwich.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

ſparſas et metu anxias eccleſias, quas noviſſimis his temporibus Chriſtus ſibi in Belgio lucrifecit, adverſus Anglicae gentis atque adeo Chriſtiani nominis hoſtes protegat ac tueatur. Gratae fuere admodum Eliſabethae tam honorificae ab Ordinibus delatae conditiones; negotioque ad concilium remiſſo, dum in commune conſultatur inter delegatos ac reginae conſiliarios, multa in foederis hujus commendationem magnifica propoſita, de provinciarum opibus ac belli gerendi commoditatibus: nam pro certo affirmatum fuit, Bataviam ſolam a tempore Gandenſis pacificationis, praeter domeſticos ſumptus ordinarios, ad bellum extra provinciam geſtum pluſquam tricies quinque centena millia florenorum de ſuo contuliſſe. Ceterum, haud ſine cauſa, longiſſimo ab hinc tempore, arctiſſimam foederum neceſſitudinem Belgis et Anglis interceſſiſſe, quod mutua alteri alterorum opera atque amicitia egeant: nam cum Anglia Belgio oppoſita ſit, diſcordia utrinque maxima damna inferri; concordia maris dominationem teneri poſſe, maximo cum quaeſtu; ſine quo neque Angliae regnum neque Belgium diu ſtare poſſit. Praeterea id in conſiderationem venire, nulla firma propugnacula in Anglia eſſe, praeter vaſti maris munimenta, quae pro moenibus ſunt: in Belgio contra, firmas munitaſque urbes eſſe; et Belgas praecipue navigationem exercere, nautarumque ac navium copia abundare, quibus marina Angliae moenia capi, totumque regnum facile obſideri ac expugnari valeat: contra commodiſſimos ad negotiationem ac commercium, quo Belgarum opes ſuſtentantur, in Anglia portus eſſe. Atque has ob cauſas, ſumma majorum prudentia, tot pactiones utrinque initas, magno utriuſque gentis et bono et commodo, fuiſſe. Tandem foedus ad tempus percuſſum; et, cum ab initio placuiſſet ut regina plenum ac perpetuum imperium Belgii ſuſciperet, capta interim Antuerpia, mutavere; et IV Eidus Sextileis perſcriptae ſunt foederis leges. Regina V CIↃ peditum, CIↃ equites, ſub praefecto dignitate, virtute, ac pietate praeſtanti, qui regias partes ſuſtineret, auxilio mitteret; quibus toto belli tempore ſtipendia ex reginae aerario perſolverentur. Finito bello, ſumptus in illud facti Ordines reginae refundere certis temporibus teneantur; cui amplioris cautionis loco [a] Vliſſinga et arx [b] Rammekena in Walacria, praeterea [c] Briela in Batavia, cum duabus munitionibus [1] ad Bataviam ſpectantibus, omni re ad bellum neceſſaria inſtructis, et porro praefectorum a regina impoſitorum arbitrio inſtruendis, tradentur; quas praeſidiis tenebit, quouſque plene ſatisfactum de ſumptibus, et pecunia omnis depenſa Londini repraeſentata fuerit: quo facto, tam Vliſſingam et arcem Rammekenam, quam Brielam, in Ordinum manus conſignare, neque alii tradere, teneatur. Duos ex ſuis ſubditis viros idoneos et verae religioni addictos, qualis in Anglia colitur, in concilium ſtatus, et totidem in concilium militare, ſi ita ſummo ejus praefecto videbitur, cooptare poſſit. Praefectus ſuae majeſtatis et concilium ſtatus rem monetariam curent; nullius monetae pretium abſque ſuae majeſtatis aut ejus praefecti conſenſu augeatur. Ordines neque generales neque ſingulares, inſcia ſua majeſtate aut ejus praefecto, cum hoſte, aut alio externo principe; neque viciſſim ſua majeſtas ejuſve praefectus cum rege Hiſpaniae aut aliis Ordinum hoſtibus de rebus ad Belgium ſpectantibus pactum ullum aut foedus ineat, abſque Ordinum generalium ob id convocatorum conſilio aut conſenſu. Conſcribantur aut dimittantur extranei milites a praefecto et concilio ſtatus, Ordinum permiſſu. In conſtituendis in locum defunctorum aut mutandorum praefectorum aliis ea ratio ſervetur, ut ex duobus aut tribus ab Ordinum proceribus nominatis, probis, et religioni Proteſtantium addictis, praefectus et concilium unum eligant. Quotieſcunque ſua majeſtas claſſem ad

INTERPR. [a] *Fleſſingue.* [b] *Rammekens.* [c] *la Brille.*
NOT. [1] *Lege* portui Brielae imminentibus, *Put.*

ad communem defenſionem mittet, claſſem totidem navium, quae ſub ſummo maris praefecto a regina conſtituto militent, Ordines mittere teneantur; ita tamen ne numerus navium vireis ac facultates Ordinum excedat: praeda, ſi quae parta fuerit, aequaliter dividatur, habita expenſarum utrinque factarum ratione. *Si quae lites ac controverſiae oriantur inter provincias et urbes, quae decretis, conſtitutionibus, aut jure dirimi nequeant, de iis ad ſuam majeſtatem aut ipſius ſummum praefectum referatur, et cum ſtatus concilio deliberetur ac decernatur. Suae majeſtatis ſubditis liberum ſit equos in Belgio emptos in Angliam tranſvehere, exſoluto jure in id conſtituto; eaque lege, ne emptos alio transferant. Praefectus, tribuni, ac alii belli duces militeſque, jusjurandum provinciarum Ordinibus antea praeſtari ſolitum, excepto pleno ac ſummo obedientiae ac clientelae jure ſuae majeſtati debito, praeſtent. Pactis conventis ac ſubſignatis, Zelandi in foederis memoriam nummos ex omni metallo cuderunt, impreſſis ex una parte provinciae inſignibus, ſcilicet leone ex undis emergente, cum inſcriptione, LUCTOR ET EMERGO: in poſtica parte erant cujuſque civitatis inſignia, cum inſcriptione, AUCTORE DEO, FAVENTE REGINA. Mox milites, duce Joanne [a] Norriſio, ex Anglia mittuntur. Viciſſim ab Ordinibus per Hohenloum comitem, nomine Mauritii Naſſovii, tunc temporis ſupremum dominium in ea urbe habentis, Vliſſinga cum arce Rammekena Philippo [b] Sidneio reginae delegato conſignatur IV Kalendas Novembreis; qui urbis et arcis praefectus ab ea conſtitutus, utramque praeſidiis munivit. Briela quoque in Batavia, cum ſuis propugnaculis, in Anglorum poteſtatem juxta pactiones tradita fuit. Summus praefectus a regina conſtitutus fuit Robertus [c] Dudleius comes Leiceſtrius, Joannis [d] Northumbriae ducis filius, et [e] Guilfordi frater, ob perduellionis crimen ſub Maria ſorore capite plexorum; qui inſigni comitatu ac pompa ex Anglia Vliſſingam venit proximo Decembri. Regina quoque, ſcripto Anglice Galliceque publicato, rationes foederis cum Belgii Ordinibus initi reddit. Eo repetuntur mutua foedera et pacta, non tantum inter utriuſque gentis principes, ſed etiam inter Ordines ac ſubditos, inita, ſancita, atque ſervata, mutuae defenſionis cauſa. Tum multis invehitur in barbaram ac crudelem Hiſpanorum in Belgio dominationem; exponitque quid egerit, ut populos ad pacem et obſequium cum Philippo colendum adduceret: quod cum fruſtra fuerit, ſe poſtremo, ſicuti Philippo antea praedixerit, neceſſitate urgente, ſuppetias Belgis ferre conſtituiſſe; eorumque patrocinium ſuſcepiſſe, tribus potiſſimum de cauſis: primum ut Belgium ſibi foederatum, reſtitutis antiquis libertatibus, privilegiis, ac adminiſtrandi rationibus, ad pacem quietemque reducatur: deinde ut ſua majeſtas ſecura et tuta ab hoſtium vicinorum infeſtatione ſit: poſtremo ut negotiationes ac commercium inter Anglos Belgaſque tuto ac libere exerceantur. Cum autem ſub id tempus liber Mediolani publicatus eſſet, quo inter alia teterrimum ingrati animi crimen Eliſabethae objiciebatur, quod cum vitam Philippo deberet, qui eam, a Maria ſorore mortis ſupplicio adjudicatam, ſervaverat, tam malam gratiam ei rependat, populorum contra regem legitimum rebellantium patrocinio ſuſcepto; praeterea etiam perfidiae inſimulabatur, quaſi promiſſis et muneribus corruptos ſicarios in Parmenſis necem ſubornaſſet; quorum duo, a judicibus ſententia lata, ob id capite luerint: ad haec regina, edita apologia, reſpondet; et quantum ad primum, negat, ſuam fidem aut ſinceritatem reginae ſororis ſuae temporibus unquam in dubium revocatam fuiſſe, multoque minus ſententiam mortis contra ſe latam; proinde haudquaquam opus Philippo fuiſſe ipſam ſervare. Neque tamen inficias ire, quin ob alia beneficia tunc temporis ipſi devincta

INTERPR. [a] *le colonel Norris.* [b] *le chevalier Philippe Sidney.* [c] *Dudley, comte de Leiceſter.* [d] *Northumberland.* [e] *le lord Guilford Dudley.*

devincta fuerit; verum poſtea opportuno tempore beneſacta illa beneficiis longe majoribus cumulaſſe: neque per ipſam, quod omnes ſciunt, ſtetiſſe, quin, ſi ſanioribus conſiliis auſcultaſſet, pacatum Belgium haberet: nunc, poſtquam nihil preces ac monita ſua apud eum valuerint, reliquum fuiſſe, ut ſibi regnique ſui ſecuritati conſuleret. Quod vero ad Parmenſem attinet, meras calumnias eſſe: nam nullam profecto ſe, rebus exacte perpenſis, inimicitiarum cauſam contra eum habere; quandoquidem melius de ipſo quam de deceſſoribus ſuis ſemper ſenſerit; et certo ſcire, morte ejus bellum in Belgio minime finitum iri.

VII. DUM haec in Anglia et Brabantia geruntur, in aliis Belgii partibus res nequaquam quietae erant. Martinus Schenkius in adoleſcentia ab Iſelſtenio educatus, ſub quo et prima militiae ſtipendia fecerat, tandemque in ſtrenuum et ſagacem belli ducem evaſerat, cum arcem [a] Bleienbekam ad ſe pertinere contenderet, a Parmenſi in ea defendenda ſuppeditatis auxiliis adjutus, ejus quoque partes ſecutus fuerat, cum neque Philippi cliens neque beneficiarius eſſet: ſub eoque magnas res ac magna felicitate geſſit; nam victor hoſteis in [b] Hardenbergenſibus campis fudit, multa loca cepit; nuper [c] Neomagum in Sicambris, et antea Bredam, induſtria ſua ac virtute Parmenſi ſubjecit. Quorum meritorum fiducia cum praefecturam quandam ambiret, ea [d] Altapennio, nequaquam meritis ſecum, ut putabat, comparando, delata, ſummopere indoluit; et animo reputans, cum ſemel atque iterum his bellis captus fuiſſet, nullam ſui a Parmenſi habitam rationem, indignatione inde concepta, Philippi partibus relictis, menſe Maio hujus anni, ſe Adolfi [e] Nuenarii Meurſiae et Alpenae comitis, qui Gebbardo Colonienſi quondam archiepiſcopo, nunc ſede ſua dejecto, operam navabat, militiae addixit; fideique ſuae pignus Bleienbekam arcem, aliaque loca munita quae tenebat, Meurſio comiti tradidit; et occulta conſilia ac machinationes de capiendis pleriſque oppidis et arcibus, qua arte callidiſſimus ſua aetate dux cunctos alios ſuperare dicebatur, detexit; monuitque in primis ut [f] Venloae in tempore proſpicerent. Dein et eodem menſe [g] Blebergam trans Iſalam juxta [h] Graviam cepit; qua Altapennio adempta, liberas ejus excurſiones refraenabat. Sub id, x Kalendas Junias, Willelmus comes Naſſovius, Friſiae Ordinum nomine praeſes, arcem [i] Slicenborgam inter Cunderam et Stenvicam, praeterea [k] Oldemertam, locum opportuno ad res bello gerendas ſitu, cepit: quorum commoditate fretus Franciſcus Verdugus, ejuſdem provinciae regis nomine praefectus, a [l] Septem-ſylvarum ac vicinorum locorum colonis magnas collationes extorquebat. Itaque Verdugus, qui paulo ante propugnaculum [m] Bergeſhofdae expugnaverat, ocyus eo contendit; et amiſſa loca non tantum recepit, ſed trans Iſalam etiam [n] Rhaam, Ruterbecam, Rechterenum, et Seulenborgum, partim vi, partim deditione, regii juris facit, magnamque pecuniam agrorum vicinorum colonis imperat. Paulo ante Nuenarius, Friderici Hermanni [o] Cloëti, audacis ac bello in illa aetate experti adoleſcentis, opera, [p] Erpraëtum, in ripa Erpii fluvii haud longe a [q] Noveſio poſitum caſtrum, ceperat; unde majora audendi occaſione ſumpta, ipſum Noveſium oppugnat. Id oppidum eſt Ubiorum ad Rhenum poſitum, Colonienſis ditionis, longa [r] Caroli Burgundionis obſidione memorabile; cui novus archiepiſcopus, quod ſciret Truchesſianos inhiare, praeſidium imponere voluerat: verum oppidani recuſabant, loci firmitate et viribus propriis ſatis ſe tutos rati. In eo cum infrequentiores excubias haberi obſervaſſet Nuenarius, VI Eidus Maias eo ducit; et partem

INTERPR. [a] *le chateau de Blyenbeeck.* [b] *ſur la bruyere de Herderberg.* [c] *Nimegue en Gueldre.* [d] *le Sieur de Haultepenne.* [e] *de Newenar, comte de Meurs & d'Alpen.* [f] *Venlo.* [g] *Bleberg delà l'Yſſel.* [h] *Grave.* [i] *le fort de Slykenbourg entre le Kuynder & Steenwijck.* [k] *Oldemerct.* [l] *Sevenwolden.* [m] *le fort de Berghthooft.* [n] *Rha, Ruitenberg, Rechteren, & Schuylembourg.* [o] *Cloet.* [p] *Erpraet ſur l'Erpe.* [q] *Nuys.* [r] *le duc Charles de Bourgogne.*

copiarum intempeſta nocte per rivulum molatrinis ſervientem tranare, et ſub ipſis moenibus ſummo ſilentio, ad coenobium uſque, cui [a] Monti Mariae nomen, adrepere jubet. Quibus id negotii datum erat, appoſita ſcala, ex ſuis uni moenia ſuperare, et quid in oppido agatur explorare, praecipiunt: qui cum per tractum illud obambulando neminem reperiſſe ad ſuos reverſus renunciaſſet, continuo admotis pluribus ſcalis in muros enituntur; indeque praecipites ſe in oppidum demittunt, et, malleis ac vectibus confeſtim reſeratis ſeris, portam aperiunt. Nuenarius cum equitatu in ſuburbio eventum opperiebatur; qui, dato ſigno, ilicet in urbem advolat. Ad hinnitum equorum et armorum ſtrepitum excitati oppidani ſeminuda corpora hoſti intrepide objiciunt, et equites ad portam inferiorem tendentes oppoſito vallo repellunt; qui in forum effuſi, miſeros homines, huc illuc confuſe rem gerenteis, tandem in fugam compellunt. Interfecti aliquot primarii cives; alii ſe ex moenibus in foſſam praecipitarunt, noctiſque beneficio evaſere: ceteri capti; qui grandi pretio libertatem redemerunt. Oppidum crudeliter direptum, ac templa ſpoliata; in quibus magna vis aureae et argenteae ſupellectilis reperta eſt. Coenobium hoc ſub Adelwino archiepiſcopo Colonienſi conſecratum fuit, anno ſalutis IƆ CXC, ut [b] Regino Prumienſis ſcribit: dein, anno IƆ CCC LXXXI, cum Godofridus et Sigefridus Normannorum reges, [c] Agrippinam, Bonnam, Tolbiacum, ac Noveſium depopulati, etiam hoc ſacellum igne abſumpſiſſent, rurſus a [d] Segevino archiepiſcopo inſtauratum eſt; inſtitutumque in eo ſacerdotum et devotorum collegium, ad quod multi religione inſignes, et dignitate praecipui viri, pietatis ergo commigrarunt. Poſtea, anno CIƆ CCCC XXX, collegio [e] Windeſemenſi [f] Brielae Batavorum congregato eſt unitum, praerogativa conceſſa, ut a Windeſemenſi coenobio eſſet ordine primum: eaque in diſciplina ſodales, ſumpto etiam eodem habitu, uſque ad annum hujus ſaeculi LXXXIII vixerunt; quo Noveſiani, initio tumultus Truchesiani, veriti ne quid ex eo urbs et ſuburbanus ager detrimenti caperet, coenobium diruerunt; inepte nimirum ac ſtolide de ſuburbano agro ſoliciti, qui ne pomoeria ac moenia urbis ſuae defendere potuerunt. Cum vero [g] Tuitienſe monaſterium, eodem fere tempore, ob eandem cauſam, a fundamentis deſtructum eſſet, collegii ſodales Coloniam migrarunt: et cum hoc anno Noveſiani quoque Coloniam migraſſent, ex utriuſque collegii ſodalium conſenſu utrumque coenobium unitum eſt; et XVII Kal. Jun. communibus ſuffragiis praepoſitum ſibi delegerunt [h] Wernerum Titianum, in Noveſiano monaſterio olim profeſſum, ſed ob pietatis eximiae opinionem monaſterio [i] Morbacenſi in ſuperiore Alſatia prope Colmariam tunc temporis praefectum. Capto Noveſio [k] Cloëtus cum valido praeſidio impoſitus eſt; quo fretus late populabundus per agrum Colonienſem excurrit, et, incendii metu intentato, miſeros colonos ingenti pecunia damnum redimere coëgit. Eorum ut excurſiones moraretur, et a ſua ditione averteret, Willelmus Cliviae dux propugnaculum in adverſa Rheni ripa exſtruxit. Proſperos hos ſucceſſus turbavit clades a Nuenario [l] Amerongae juxta Wikam accepta, in ditione Ultrajectenſi; ubi cum caſtra poſuiſſet IX Kalendas Quintileis, cum eoque eſſent ipſe [m] Schenkius, et Villerſius Ultrajecti praefectus, [n] Verdugus collectis viribus Joannem Baptiſtam Taxim ſtrenuum bello ducem eo mittit; qui, parte praemiſſa, partem in inſidiis in vicina, quae Amerongae pago imminet, ſylva collocat. Venientem hoſtem conſpicati Nuenariani, qui in pago erant, protinus in aciem inſtructi obviam procedunt: at regii paulatim

INTERPR. [a] *Mont de Noſtre Dame.* [b] *Reginon de Prum.* [c] *Cologne, Bonn, Tolbiac* Germ. *Zulpich, & Nuys.* [d] *Segevin.* [e] *de Windeſheim.* [f] *la Brille.* [g] *de Dutz.* [h] *Werner Titian.* [i] *de Morbach en la haute Alſace.* [k] *Cloet.* [l] *Ameronghen prés de Wijck.* [m] *de Schenck, & de Villers gouverneur d'Utrecht.* [n] *Verdugo.*

paulatim retro pedem referunt, donec Nuenariani omnes pago exiiſſent, atque concitatiori in recedenteis agmine ferrentur. Interea qui in inſidiis latebant erumpentes, a tergo impreſſionem faciunt; eodemque tempore qui fugere videbantur, fugam ſiſtunt. Tum utrinque claſſicum canitur, ſigniſque collatis acerrime pugnatur: Nuenarius pro ſalute, regii pro gloria certabant. Tandem Nuenariani, qui a fronte et a tergo petebantur, numero alioqui inferiores, ceſſere, ſupervenientibus [a] Oſwaldo et Hermanno comitis Bergenſis filiis, qui nutantem victoriam Taxi vindicarunt. Ii, quanquam ſorore Arauſionenſis nati, quod patri tanquam ſuſpecto adempta eſſet ab Ordinibus Geldriae praefectura, injuriam tantam ulturi, Parmenſi militabant. Praeter caeſum peditatum, cccc etiam equites eo conflictu periiſſe ſcribunt Hiſpani. Villerſius graviter vulneratus et captus eſt, cum xxx centurionibus; qui poſtea, ſupplicii metu injecto, quod in [b] Buchaini Atrebatum oppidi deditione parum ſincere, nec citra clandeſtini foederis ſuſpicionem, verſatus diceretur, grandi pretio vix tandem, aliiſque captivis pro eo dimiſſis, vitam redemit. Nuenarius et Schenkius, poſt rem fortiter geſtam, tanto periculo defuncti, Ultrajectum venerunt; qui minime animos deſpondentes, ut cladem aliquo operae pretio ſarcirent, novas copias colligunt; et, cum propugnacula inter Ultrajectum et [c] Vianam ad prohibendas hoſtium excurſiones, aliiſque locis idoneis, exſtruxiſſent, Schenkius animo invictus in duas turmas invectus eas ad internecionem caedit. Inde [d] Rurortum ducit, oppidulum, ubi [e] Rura, a quo loco nomen, e Weſtfalia labens in Rhenum influit, haud longe a [f] Duisburgo; et cum aliquos ſuorum interdiu diſſimulato habitu, ab oppidanis rei ignaris admiſſos, praemiſiſſet, ipſe noctu oppidum ingreditur, et vallis ac foſſis ita captum munit; moxque propius [g] Groëningam admotis copiis, clandeſtina conſilia, quae in ea agitabat, urgere coepit: ſed re detecta, et aliquot conſciis capite plexis, cum fruſtra fuiſſet, aliam rationem urbis expugnandae init, claſſe in [h] Amaſo inſtructa, quae commeatus tantae urbi neceſſarii, qui [i] Embda importabatur, ſubvectionem impediret, eamque extrema egeſtate tandem ad deditionem compelleret. Ei praepoſitus [k] Cnopius Ordinum nomine; qui dum ſevere nimis in munere commiſſo verſaretur, neque ulli commeandi libertatem faceret, Ezardus [l] Friſiae orientalis comes, et Embdenſes, miſſis legatis, apud Ordines graviter queſti ſunt, adimi, contra foedera, libertatem, magnumque inde rebus ſuis privatis detrimentum afferri. A quibus cum nihil praeter blanda verba retuliſſent, aliquot navibus interim omnis generis mercibus onuſtis a Cnopio retentis, claſſem contrariam inſtruunt; reſque fere ad mutuam perniciem devenit, niſi horrida tempeſtate ſuborta hinc inde claſſes disjectae eſſent, praefectis utriuſque claſſis haud ſine diſcrimine elapſis. Ita pro tempore diſſidium hoc ſedatum; quod anno ſequenti, retentis rurſus a Cnopio navibus, renovatum; ac vix tandem interventu Anglorum compoſitum eſt. Paulo ante [m] Meurſiae comes, Anglorum copiis, quae Joanne Norriſio duce ad ſuppetias Antuerpiae ferendas venerant, poſt urbem captam ſecum acceptis, [n] Iſelortum munimentum, ad Rheni et Iſalae confluentem IↃ paſſibus ab Arnhemio poſitum, et a Verdugo nuper captum, rurſus obſidione cingit; quod tandem, poſt obſtinatam defenſionem, pulvere, glandibus, aliiſque rebus neceſſariis deficientibus, Octobri menſe exeunte deditur. Quo recepto, ad [o] Bergerſhofdum admoventur copiae; quod et ſtatim deditione receptum eſt; praefecto, inſigni Turco, qui munitioni praeerat, a praeſidiariis in Meurſii manus tradito. Poſtea Meurſius, inſtigatu Schenkii, occulta conſilia cum oppidanis agitantis, [p] Neomagum tentat: ſed, conatu votis non reſpondente, inde copiae [q] Betuam ducuntur; et, caſtris in circuitum

INTERPR. [a] *Oſwald & Herman, fils du comte Vanden Berghe.* [b] *Bouchain en Artois.* [c] *Vianen.* [d] *Ruerort.* [e] *la riviere de Roer.* [f] *Duiſbourg.* [g] *Groningue.* [h] *Ems r.* [i] *Embden.* [k] *Knoop.* [l] *le comte d'Embden.* [m] *Meurs.* [n] *Yſſeloort.* [o] *Bergſhooft.* [p] *Nimegue.* [q] *le Betuwe.*

circuitum poſitis, ad [a] Lentae et Oſterholti pagos munitionem forma quadrata, e regione Noviomagi in ulteriore [b] Wahalis ripa, ex argilla, vivo ceſpite, et virgultis inſertis, exſtruit Meurſius; ex qua machinis diſpoſitis non ſolum vicinum oppidum infeſtat, ſed etiam ingentium globorum ejaculatione incendium in urbe molitur. Una et altera domus flammam concepere, diligentia ſtatim oppidanorum reſtinctam. Interea [c] Altapennius Noviomagi praefectus, magno navium, cymbarum, et pontonum numero undique locis vicinis comparato, copias ſuas Betuam tranſvehi, et e regione [d] Bommelae caſtra metari, jubet. Ea inſula undique fluminibus cingitur, a meridie Moſa, a ſeptentrione Rheno; quae flumina ab ortu brachio intermedio junguntur, et in occaſu confluunt. Adventu copiarum Batavae naves ceſſere, aquarum copia ex nivium abundantia jam decreſcente. Cumque exercitus regius, in quo erant peditum et equitum circiter VI CIƆ, amnem trajeciſſet, Meurſiani et Angli caſtris incenſis diſcedunt, et Ordinum praeſidiarii munitioni novae impoſiti eam deſerunt; nec non et ii qui Dorniciam arcem tenebant; et [e] Arnhemium, Tielam, ac loca vicina firmiora petunt. Inde Altapennius ulterius tendens, [f] Dukenborgum et Bergerſhofdum, aliaque circum munita loca, praeſidiariis diffugientibus, recipit; inde promoto exercitu [g] Graviam obſeſſurus. Haec toto Novembri acta. Carolus [h] Mansfeldius comes cum Hiſpanis veteranis ex agro [i] Ravenſtenio deſcendens, inter [k] Sylvam-ducis et inſulam Bommelam, copiis reficiendis, [l] Emplae et locis vicinis hoſpitium ſumpſerat, ſi occaſio ferret, aliquid contra hoſtem tentaturus. Quibus ut incommodaret Hohenlous comes, aggeres rumpit; continuoque aquis inundantibus, et in ſolum humile confluentibus ac reſtagnantibus, undique regii cinguntur. Tum [m] Dordraco claſſe tumultuaria ex actuariis et celocibus aliiſque navibus advecta, quae aditus obſervabat, cum omni commeatu deſtituerentur, in ſummas anguſtias redacti erant, aeque frigoris vi atque ab aquarum incommoditate infeſtati; ita ut in turribus templorum, aggeribus, aliiſque editioribus ejuſmodi locis, ſine igne manere cogerentur. Tunc temporis Parmenſis Bruxellis erat, feſtis pompis ac ludis, quae in ejus adventu celebrabantur, occupatus; qui ubi de ſuorum periculo cognovit, omni re alia omiſſa, eo contendit. Verum cum [n] Herentalam veniſſet pridie Eidus Decembreis, in itinere nuncium accepit, aquis gelu ſubito concretis, Hohenloum ſibi metuentem, ne, claſſe inter glacies haerente, ab Hiſpanis circumveniretur, propere diſceſſiſſe, [o] Lochtano etiam propugnaculo a ſuis negligenter ac turpiter deſerto; Sylva-ducenſes autem, cymbarum et lemborum numero coacto, et commeatu, quo maxime egebant, importato, Hiſpanis ſtatim praeſto fuiſſe. Ob id oppidanis gratiae a Parmenſi actae, miſſique LXXX boves inter egenos diſtribuendi: civitati vero phiala aurea eximii operis, fidei ſervatae pignus, ab eodem donata fuit. Ex occaſione aquarum frigore congelatarum, extremo anno tentata ab Hiſpanis [p] Clundera, Reggenhilla, et Gertrudis-mons in [1] Brabantia, ſed irrito ſucceſſu.

VIII. Hoc anno Joannes Willelmi Cliviae ducis filius, cujus frater Carolus Romae ante decennium deceſſerat, in ſpem tantae ſucceſſionis uxorem duxit Jacobam Philiberti marchionis Badenſis filiam. Nuptiae magna pompa Duſeldorpii celebratae ſunt XVI Kalendas Quintileis. [q] Monaſterienſis epiſcopatus, quem tenebat, et antea ejeraverat, a collegii ſodalibus in Erneſtum [r] Baioarum, jam archiepiſcopum Colonienſem inauguratum, communibus ſuffragiis delatus eſt XV Kalendas Junias.

INTERPR. [a] *Lent*, & *Ooſterholt*. [b] *le Wahal*. [c] *le Sieur de Haultepenne*. [d] *Bommel*. [e] *Arnheim*, & *Thiel*. [f] *Duckenbourg*, & *Bergſhooft*. [g] *Grave*. [h] *le comte de Mansfeld*. [i] *de Ravenſtein*. [k] *Bois-le-duc*. [l] *Empel*. [m] *Dort*, *ou Dordrecht*. [n] *Herentals*. [o] *Locht*. [p] *le Klunder*, *Ruygenhil*, & *Gertruydenberg*. [q] *de Munſter*. [r] *de Baviere*.

NOT. [1] Non in Brabantia, ſed in Hollandiae fine qua Brabantiam reſpicit. *Put.*

CIↃ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

Junias. Aliquanto poſt Henricus Julius Julii Brunſvici filius, epiſcopus Halberſtadenſis, et ante triennium Mindenſis acceſſione auctus, in uxorem accepit Septembri ineunte Dorotheam Auguſti Saxonis ſeptemviri filiam: ſed Mindenſi cum, ſicuti convenerat, ſe abdicaſſet, ea ſpe ut Philippus Sigiſmundus ipſius frater a collegio epiſcopus deligeretur, moras nectente patre in conditionibus adimplendis, collegii ſodales, veriti ne Colonienſis ſeptemvir electionis jus ſibi arrogaret, Antonium ex [a] Schaumburgenſium comitum [b] Mindae vicinorum familia epiſcopum in ſummo urbis templo renunciarunt v Kal. Sept. anno inſequenti. Gaudium ex his nuptiis conceptum mox turbavit, Anna Auguſti uxore, Chriſtiani III Daniae regis filia, et Dorotheae matre, menſe inſequenti vivis exempta. Antea Joannes III Sueciae rex, defuncta Catharina priore uxore ex Poloniae regum familia, de novo conjugio contrahendo cogitavit; et Gunillam primariae nobilitatis virginem, Joannis [c] Bielcii filiam, [d] Axilli neptem, menſe Februario duxit. Nec multo poſt, VI Eidus Maias, Ludovicus Wirtembergicus, cum nullos liberos ex priore uxore Urſula Dorothea, Caroli Badenſis marchionis filia, ante biennium defuncta, haberet, Urſulam Georgii Joannis Palatini filiam, et ejuſdem Joannis Sueci ex Anna Maria neptem, ſibi matrimonio junxit.

IX. Cum vero induciae triennales inter Suecum et Moſcum conventae prope eſſent ut exirent, miſſi ad fineis utrinque legati; qui, cum de perpetuae pacis conditionibus convenire non poſſent, quadriennii inducias pacti ſunt, Suecis omnia, quae ſuperioribus annis in Livonia et Ruſſia occupaverant, retinentibus. Sueciae regis legati fuere [e] Pontius Gardius, nobili loco apud nos in Septimania natus, et qui diu ſecunda virtutis fama bellum Suecorum auſpiciis geſſerat, ob id et finibus imperii ejus longe lateque propagatis meruerat, ut filiam naturalem ipſius Joannis in uxorem acciperet; Nicolaus Achatii, Chriſtiernus Gabrielis filii, Nicolaus et [f] Turo Bielcii, Carolus Henricii filius: qui cum in reditu ad Narvam fluvium veniſſent, Nonis Novembribus naviculam annoſam cum magno nobilium ac aliorum numero conſcendunt, et aliquot campeſtreis machinas navi imponunt; quibus medio jam fluvio diſploſis, navis, ſive diſploſionis vi, ſive aliam ob cauſam, fatiſcens, diſſiliit; ita ut XVIII homines qui in ea erant, et inter eos Gardius ipſe fortiſſimus belli dux, ac tot exercituum imperator, indigno magnitudine rerum ab eo geſtarum exitu, perierit. Cum eo et ſuffocatus eſt Bartholomaeus [g] Rotertus conſul Revalienſis, magnae in ſua republica auctoritatis; alii item nobiles.

X. Paulo ante in Livonia ex Kalendarii Gregoriani occaſione tumultuatum eſt: nam cum, regis ac ſacri ordinis mandato, pontificium diploma Rigae promulgatum eſſet, et eodem cum Jeſuitis nuper a rege introductis die, Natale feſtum celebraretur, plebs univerſa ac ceteri ordines nec concionibus nec ceremoniis eccleſiaſticis interfuerunt; atque adeo nemo ſacrae ſynaxi participavit. Cumque die antea uſitato, ut natalem Dei celebrare et ad ſacra liceret convenire a ſenatu petiiſſent, id negante ſenatu, nihilominus frequentiſſimi cives in utroque templo convenerunt, habita etiam a ſcholae rectore concione. Qua re ultra modum Nicolaus [h] Eikus urbis conſul irritatus, a Georgio [i] Neunero inſtigatus, rectorem evocat, et in publicis aedibus retinet: ſparſaque artificioſe per urbem fama, quaſi de capite rector periclitaretur, Valentinus [k] Raſcius, qui vicarius rectoris in eadem ſchola erat, ſingulari erga collegam fide, minime ejus periculum contempſit; ſed, pueris paſſim diſcurrentibus, aedeis conſulis circumſiſtit, libertati rectorem reſtitui flagitans: quod cum conſul negaret, vi facta, plebs rectorem, refractis curiae januis, cuſtodiae

INTERPR. [a] *de Schaumburg.* [b] *Minden.* [c] *Bielki.* [d] *Axille.* [e] *Pontus de la Gardie.* [f] *Turo Bielki.* [g] *Rotert.* [h] *Eicke.* [i] *Neuners.* [k] *Raſcio.*

cuſtodiae eximit. Initio inde ſeditionis facto, conſulis, Neuneri inſtigatoris, et Gotardi [a] Willingi ſyndici aedeis invadunt, ac violenter diripiunt: Neunerus indigne habitus vix extremum periculum evaſit. Poſtridie, cum impetus ille primus deferbuiſſet, cives dolorem ob Jeſuitas receptos, totum jam biennium diſſimulatum, occaſione captata renudant; et, inquiſitione in ſenatum inſtituta, urbis portas claudunt, et IV vexilla in foro ſtatuunt. Tum ſenatum, conducto advocato, interrogant, An communi ſenatus conſenſu jusjurandum [b] Drocizini a legatis praeſtitum, beati Jacobi templum alienatum, Jeſuitae in urbem recepti, Kalendarii emendatio admiſſa, nundinae Lithuanicae, contra mandata a civitate legatis data, regi conceſſa eſſent. Tum Joannes Taſtius, qui multis annis reipublicae praetor, ac deinceps ad Stephanum Poloniae regem orator, mandati fineis exceſſiſſe, et multa in gratiam Polonorum, contra jura, privilegia, libertatem, juriſdictionem civitatis, turpi praevaricatione feciſſe arguebatur, in cuſtodiam truſus; ex qua poſtea evaſit. Tandem inter cives et ſenatum conventum, ut ablata conſuli, ſyndico, et Neunero reſtituerentur; ceterum Kalendarium, quod ſenatus et concionatores mandatu regis receperant, urbe exploderetur. Multa inſuper conventa, quae rex, ut per vim facta, poſtea irrita pronunciavit: et cum cardinalis Georgius Radevillius provinciae praeſes mulctam admodum gravem ſeditioſis irrogaſſet, inſuper diploma novarum conſtitutionum inter ſenatum ac civeis nuper conventarum publice concerpſiſſet, cives ab eo appellarunt; et rex partes [c] Grodnam evocatas anno inſequenti audivit.

XI. INTEREA rex Poloniae Stephanus Warſaviae comitia celebrabat, in quibus praecipue [d] Sboroviorum cauſa agitata eſt; productaeque literae Chriſtophori ad fratrem Samuelem, ſive Salomonem, ſuperiore anno ſupplicio affectum; quibus de ingratitudine ac injuriis regis, ac Joannis Sarii [e] Samoſcii cancellarii, graviter conquerebatur; nec ſe flexurum genua coram iſto Bahale, nec Stephanum regis nomine dignum eſſe, ſcripſerat; inſignia quoque regia, qui dentes lupini ſunt, contumelioſe dentes caninos appellaverat: et antea, belli Moſcici tempore, operam ſuam Moſcis Polonici nominis hoſtibus, accepta Lubecae ab iis pecunia, addixiſſe; poſtea denique Coſacos per Samuelem fratrem, dum in vivis eſſet, ſolicitaſſe accuſabatur. Ob id citatus, cum ad Warſaviam propius magno comitatu acceſſiſſet, de periculo ab amicis praemonitus, non comparuit. Andreas et Joannes illius fratres venerunt: jurejurando nihil de literis reſciviſſe ſe cum affirmarent, quaſi crimine purgato, dimiſſi ſunt. Chriſtophorus, homo barbara crudelitate inſignis, cum non compareret, laeſae majeſtatis reus et infamis per regni tribunum pronunciatur: tum praefectis a rege mandatur, ut ubicunque locorum deprehenſum eum impune interficerent. Tunc Viennae morabatur, quo ſe a comitiis receperat: igitur rex ad Caeſarem ſcribit, miſſo legato, qui Chriſtophorum proſcriptum ad ſe captivum mitti poſceret. Caeſar, re deliberata, non quidem captivum eum, ſicuti petebatur, tradidit, ſed regnis ac ditione omni ſua confeſtim exire juſſit. Paruit mandato Caeſareo Sborovius, ſed inſolentis ſaevitiae exemplo de ſe relicto. Pridie enim quam abire decreverat, inſtitor quidam, cui IϽ taleros debebat, ad eum venit ſolutionem petens: ille hominem redire poſtridie cum juſſiſſet, illo redeunte, et pecuniam promiſſam exigente, Sborovius, arrepto cultro, unoque et altero vulnere inflicto, ſanguinem profluentem poculo excipere et inſtitorem bibere cogit; qui, ut vitam redimeret, immane hoc poculum hauſit; domoque confeſtim ejectus, quarto poſt die, ſive ex vulnere ſive metu exanimatus, deceſſit. Sborovius inde mox equis conſcenſis cum ſequacibus in [f] Marcomannos profugit, ubique in itinere ſimilis immanitatis exemplis

INTERPR. [a] *Willinge.* [b] *Drocizin.* [c] *Grodno.* [d] *Zborowſki.* [e] *Zamoyſki.* [f] *Moravie.*

CIƆ IƆ LXXXV. HENRICUS III.

exemplis editis. Interea in comitiis Terrarum nuncii, quos vocant, inſtabant, ut, omiſſis privatis inimicitiis ac ſimultatibus, de republica ac capitibus a ſe propoſitis conſultaretur. Ea cum ad fraenandam regiam potentiam ſpectare intelligeret rex, alia de finitis morte Moſci induciis, de recuperanda arce ac ditione [a] Smolenkenſi, de Suecis ac Danis Livonia pellendis, contra urgebat. Itaque cum illi ſe deludi viderent, proteſtatione contra comitia interpoſita, diſceſſerunt. In iiſdem comitiis pridie Eidus Februarias admiſſus et auditus eſt Albertus [b] Bolognetus cardinalis; qui nomine pontificis gravem pro ordine ſacro orationem habuit, multa queſtus, quod majorum religio pleriſque in regni locis violaretur, Sectarium venenum interea ſerperet, juriſdictio eccleſiaſtica et cenſura, quam gladium ſpiritalem vocabat, enervaretur, decimae contra comitiorum decretum ſacro ordini adimerentur, libertates et immunitates labefactarentur, templa ſpoliarentur, cenſus ac vectigalia a nobilibus paſſim occuparentur. Ad decretum de decimis quod attinet, conſtat in comitiis antea ſancitum fuiſſe, ut illas veteribus dominis occupatores reſtituerent: verum decreti executio initio belli Moſcici in alterum conventum dilata fuerat; quod ita nobiles in rem ſuam interpretabantur, quaſi nulla ipſis decimarum nomine moleſtia, donec amice inter partes conveniret, fieri deberet. Contra Bolognetus decretum iniqua interpretatione eludi querebatur, ejuſque proinde apud Ordines executionem urgebat; aliter firmam in regno pacem coire non poſſe oſtendens, niſi juſtitia ſuum cuique tribuens ex aequo ſingulis regni ordinibus adminiſtretur, juſtitiaque et pax ſe mutuo oſculentur. Etſi aequa petere videretur Bolognetus, tamen interceſſione ac proteſtatione, quam dixi, et adverſis paucorum ſtudiis, effectum eſt, ut haec et alia de republica negotia indeciſa remanſerint. De Livonia inter Polonos et Lithuanos controvertebatur, utris ea attribui et quaſi corpori inſeri deberet: et rex in Lithuanos affectu propendebat; et, quamvis ſecundum eos ſententiam dixiſſet, re infecta diſceſſum eſt. Comitiis exeuntibus admiſſi Theodori novi Moſcorum principis de pace miſſi legati; quibus duorum annorum pacem ſive inducias rex conceſſit.

XII. CURLANDICAE poſtremo dioeceſis negotium, de qua, a Magno [c] Holſatiae duce antea poſſeſſa, Daniae et Poloniae reges inter ſe contendebant, eo deductum eſt a Georgio Friderico Boruſſiae duce, in quem tanquam arbitrum partes compromiſerant, ut, perſolutis a ſe Daniae regi XXX CIƆ Joachimicorum, ipſi fruenda a Poloniae rege attribueretur. Secundum haec miſſus a Dano legatus menſe Quintili, qui dioeceſis ſubditos fidei jurejurando ſolveret, eamque Poloniae regi traderet: qua ita accepta, Radevillius cardinalis Boruſſum in ejus poſſeſſionem nomine Poloni miſit. Paulo poſt diſſidium, quod civitati Magdeburgenſi cum archiepiſcopo intercedebat, jam inde a confeſſione Auguſtana accepta, de juriſdictione ſacra ac civili, de munitionibus ac porta urbis, templo, aliiſque rebus controverſis, ita compoſitum eſt, Saxonis et Brandeburgici ſeptemvirûm interventu, ut civitas liberam religionis confeſſione Auguſtana comprehenſae profeſſionem, jus vocandi ac conſtituendi eccleſiae miniſtros, rectorem, ac ceteros ſcholae collegas, totamque ac plenam parochiarum, ſcholae, coenobiorum, ſicuti antea habebat, adminiſtrationem ſalvam et integram retineret; juriſdictionem in cauſis connubialibus archiepiſcopo, qui ſolus eam olim habuit, hac conditione reſtitueret ſenatus, ut archiepiſcopi vicarius judiciis ejuſmodi praeſit; cui judices certo numero ex ſenatu ac presbyterio conſules adjungent, qui non praeciſe juxta pontificia decreta, ſed uſurpatas in eccleſiis Auguſtanae confeſſionis leges, pronuncient: quod ſi inter archiepiſcopi et a ſenatu datos judices de ſententia ferenda non conveniet, acta ad alia

INTERPR. [a] *de Smolenſko.* [b] *Bolognetto.* [c] *Holſtein.*

alia confeſſionis Auguſtanae conſiſtoria remittantur. Alia inſuper ad juriſdictionem inter eos conventa; item ut porta noctu et interdiu archiepiſcopo pateat, clavium cuſtodia penes delectum ſenatorem manente. Haec acta VI Eidus Septembreis.

XIII. NEC Anglia hoc anno, qui Franciae regno ac Belgio, capta per occaſionem noſtrorum bellorum Antuerpia, harum provinciarum principe urbe, fatalis fuit, ſuis motibus caruit. Henricus [α][a] Percius Northumbriae comes, in ſeptentrionali regione, ad Scotorum fineis, magnis opibus ac clientelis potens, poſt fratris mortem ob ſuſpicionem in carcerem conjectus fuerat: ex quo emiſſus, poſt [b] Pageti reguli in Galliam fugam, quod ejus conſiliis atque adeo conjurationibus ob religionis cauſam contra reginam initis participaſſe diceretur, rurſus in [c] Londinenſe caſtrum ducitur; ubi ob eandem cauſam [β][d] Throcmortonus attinebatur. Sub id Philippus [γ][e] Arundeliae comes, Thomae [δ][f] Howardi ducis Norfolcii ante tredecim annos capite plexi filius, cum tanquam procerum regni princeps aliquandiu in aula ſplendidiſſime vixiſſet, deinde ob religionem in Galliam tranſire cogitans, non petito a regina commeatu, navem conſcendiſſet, e fuga retractus Londinum ducitur, et cum fratribus ac tota familia cuſtodiae mancipatur: unde, contracto dolore, ejus uxor, quae praegnans erat, in ipſo partu obiit. Tot procerum fugae, tempore ſuſpecto, tum bellum apud nos nuper a Guiſianis ob eandem cauſam excitatum, conjurationis alicujus magnae contra reginam initae ſuſpicionem fecerunt. Cum interim [ε] Northumbrius menſe Sextili nocte quadam inventus eſſet in lecto ſuo, ſcloppeto per renes et inguen trajecto, occiſus, quaeſitum eſt, quis mortis ejus auctor exſtitiſſet; et vulgo creditum fuit, ab amicis aut conſciis eum occiſum, ne arcanum conjurationis per eum, aut conſcientia ductum, aut tormentis ſubjectum, evulgaretur. Contra tamen ab exulibus jactabatur, ſcelere inimicorum ejus id factum; qui hominem innocentem, cum criminum objectorum reum peragere non poſſent, veriti ne tempore calumniae paterent, eum indigna morte affecerint: ejuſque rei invidiam praecipue in Leiceſtriae comitem rejiciebant, publicato ſcripto, quo neque ab amicis Northumbrii, neque ab ipſo deſperatione, ut putari poterat, adacto, caedem patrari potuiſſe demonſtrabant: quanquam contrarium ſuadere videatur, quod uſu apud Anglos comparatum eſt, ut quod inter alios ad vitandam invidiam aſtu fraudeve aut clam amat fieri, id apud eos non niſi propalam et publice ad terrorem incutiendum fiat. Nec deſunt exempla in illorum annalibus ſuppliciorum de viris illuſtribus publice ſumptorum: atque inprimis illud omnium maxime memorabile exſtat, quod biennio poſt in ſereniſſima Scotorum regina Maria editum eſt; ſicuti plenius infra dicemus. Paulo ante, crebreſcente conjurationum fama, edictum admodum ſeverum in regni comitiis menſe Martio conditum fuerat contra Jeſuitas, et eos qui in ſeminariis eorum inſtituerentur: nam decretum eſt, ut ii omnes, et quicunque juxta ritus Romanae eccleſiae ſacris initiati eſſent, poſt feſtum natalis beati Joannis Baptiſtae, anni primi ex quo Eliſabetha regnum iniit, intra XL dies a publicatione hujus ſtatuti, Anglia excedere cogerentur: qui poſt terminum praeſcriptum in Anglia remanſerint, rei ſint laeſae majeſtatis; qui eos receptaverint, homicidarum poena plectantur. Juvenes ſoluti ditionis Anglicae, extra regnum in ſcholis Jeſuitarum et hujuſmodi ſeminariis inſtituti, niſi domum poſt VI menſeis a publicatione edicti redierint, et juramentum ſuper religione in decreto anni primi memorati comprehenſum praeſtiterint, ſeque legibus regni parituros promiſerint, rei

VAR. LECT. [α] Percaeus Nortumbriae *D.* f. d. Ed. Gen. 1620. [β] Trogmortonus *D.* f. d. Ed. Gen. [γ] Arondelii *D.* f. d. Ed. Gen. [δ] Howarti *D.* f. d. Ed. Gen. [ε] Nortumbrius *D.* f. d. Ed. Gen.

INTERPR. [a] *Piercy, comte de Northumberland.* [b] *le lord Paget, baron de Beaudeſert.* [c] *Tour de Londres.* [d] *Throckmorton.* [e] *Arundel.* [f] *Howard.*

CIↃ IↃ LXXXV.

HENRICUS III.

rei ſint pariter laeſae majeſtatis; qui item ullum ſubſidium exulibus miſerint, bonorum et libertatis amiſſione plectantur; qui ſacerdotes agnitos ad magiſtratum non detulerint, poena arbitrio reginae afficiantur. Poſtremo, qui filium aut filiam extra regnum, non petita a regina venia, dimiſerint, pro ſingulis vicibus CCCXXXIII aureorum mulctentur; a quibus tamen poenis ii liberati intelligantur, qui quovis tempore, in cauſa religionis, reginae ſe ſummittere ac regni legibus voluerint: quod qui facient, abſtinere a reginae conſpectu, neque propius quam X milliarium intervallo ad eam per decennium accedere, jubentur.

XIV. Major in Scotia motus fuit ob eandem religionis cauſam. Aliquot ante annis [a] Edmundus Stuartus Albinius, in Gallia natus, et uxore in Gallia ducta Catharina Franciſci [b] Balſaci Interamnatis ſorore, in Scotiam trajecerat, ut neceſſitudinem ſanguinis, quam cum Jacobo VI rege habebat, (nam Joannes Stuartus Albinius Edmundi parens, et Matthaeus Stuartus [c] Leviniae comes Jacobi paternus avus, fratres erant) praeſentia ſua renovaret: ac brevi tempore, non ſolum ob proximitatem, ſed moribus ad Gallicam comitatem compoſitis, gratiam ſibi regis ac multorum procerum in illa aula conciliavit, et Leviniae dux creatus eſt. Cum eo faciebant antiquae religionis in occulto tenaces; in iiſque praecipue Jacobus Stuartus, qui ſe [d] Araniae comitem ferebat, ſtipatorum regis et arcis Edimburgenſis praefectus, [e] Gordonius Huntileae, Graimus Montis-roſae, Cunigamius Glencarniae, Lindeſius Crafordiae, Haius [α] Erroliae comites. Ii in regis juvenis, Anglicani regni ſucceſſioni inhiantis, aures ex compoſito inſtillare, ſuſpectam ei debere eſſe reginae Anglorum amicitiam, et eorum, qui ipſius inter Scotos ſtipendiarii ſunt, fidem. Id agere illam, ut, jure ſucceſſionis in ambiguo relicto, eum jure ſuo privet: igitur aliis tutioribus praeſidiis opus eſſe. In proximo Hiſpanos eſſe; qui brachia e Belgio porrigant, magnoque ſibi decori et ad tuendum Belgium ſecuritati ducant, ſi legitimus regni Anglicani heres tantam acceſſionem beneficio ſuo debeat. Horum amicitiam et opes per homines fidos parari poſſe. Proinde patiatur ſacerdotes atque adeo Jeſuitas in regno clam verſari; qui inde in Angliam ſecreto irrepant, et reliquias Catholicorum, qui haud dubie in eo regno multi ſunt, periculo ſuo colligant. Eos pararios tam neceſſariae amicitiae ac foederis idoneos fore; et, ſi Hiſpanos faventeis habeat, quin illi ejus cauſae in utroque regno faveant, minime dubium relinqui. Tum videat rex, ut, inter paſtores, eos qui moderatiores ſint eligat; alios, qui Anglicanae factioni ſtudent, alias ob cauſas a miniſterio amoveat: idem in ſenatu ac regni curiis faciat: ita viam ad jus in regno legitima ſucceſſione ſibi debito tuendum ſterni. Cum his veſtigiis inſiſteret rex, indignari proceres; reginam Angliae, quam veluti Scotici regni tutricem venerabantur, ſedulo monere: quae, toties repetitis conjurationibus edocta alterutrius regni motus ad utrumvis ſpectare, et iiſdem inſidiis aetatem adoleſcentis regis circumſcribi, quibus vita ſua petebatur, periculum ſuum, quod in ea cauſa verti rebatur, minime contempſit. Itaque ad proceres diligenter ſcribit, mature ſibi conſulant, et tam pernicioſis conſiliis, antequam altiores radices in juvenili regis animo agerent, evellendis ſedulo incumbant: ad id gratiam ſuam et opes paratas oſtentat. Hac illi fiducia conveniunt; conſilioque inito ſtatuunt, ut regem in poteſtate habeant, novos regis moderatores ab ejus latere amovendos eſſe. Factionis capita erant [f] Duglaſſius Anguſiae, Areskinus Marriae comites; [β] [g] Franciſcus Stuartus [γ] comes Bothuelius, Jacobi Heburni

VAR. LECT. [α] Atoliae *Ed. Gen.* [β] Jo. *Ed. Gen.* [γ] marchio *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Eſme Stuart, Sieur d'Aubigny.* [b] *de Balſac, Sieur d'Entragues.* [c] *le comte de Lenox.* [d] *Arran.* [e] *Gordon comte de Huntley, Graham comte de Montroſ, Cuningham comte de Glencairn, Lindeſay comte de Crawford, & Hay comte d'Errol.* [f] *Archibald Douglaſs comte d'Angus, & Jean Erſkine comte de Marr.* [g] *François Stuart, comte de Bothwell.*

Heburni Bothuelii comitis ex ſorore nepos; [α] [a] Joannes Stuartus Atholiae [β] comes, [b] Kethus mareſcallus comes, [c] Hamiltonii fratres familiae principes; [d] Maxvallius, [e] Humius, [f] Heriſius, [γ] [g] Cambuskennethus, [h] Leonius Glamiae heredis tutor; [i] Areskinus Driburgii, [δ] [k] Willelmus Areskinus Paſleti, [l] Humius Coldingami, abbates; [m] Carus Ceſfordius, [n] Duglaſſius Drunlaricus, [ε] [o] Coldingknollius et Wodeburnius Humii: qui, die amicis ac clientibus condicta, ad x CIↃ circiter, in armis Kalendis Novembribus convenerunt; et [p] Ruvenae, quae arx erat Gauriae comitis, regem ſiſtunt; amotoque ab ejus latere [q] Leviniae duce et Araniae comite, ſtipatorum praefecturam Gulielmo Stuarto nobilis cujuſdam notho filio, qui ſtipendia ſub Arauſionenſi in Belgio, ſecunda virtutis ac fidei fama, fecerat, attribuunt. Levinius, qui nec honorificum ſibi duceret eo in loco poſt dignitatem priſtinam amiſſam manere, nec vero tutum, mature, petito a rege commeatu, e Scotia diſceſſit; et cum in Galliam rediiſſet, ut conſilia hoc caſu turbata cum Guiſianis repeteret, ex moerore animi in lethalem morbum incidens, Lutetiae Pariſiorum paulo poſt deceſſit. Sed mox, ejuſdem Gulielmi Stuarti, cui tantum foederati tribuerant, mutata voluntate, pariter res mutavere. Nam, factionis illorum pertaeſus, ſecreta cum Araniae comite conſilia in ipſius inimicorum perniciem agitare coepit; regique auctor fuit, dum ad Fanum Andreae eſſet, ut ſe manibus eorum extricaret, et, in exilium pulſis aut in carcerem conjectis foederatorum ducibus, Araniae comitem revocaret; quod et rex fecit. Ceterum is Jacobus Stuartus alterius factionis princeps, [r] Ochiltrii reguli minor natu filius, cum ex gentis conſuetudine nulla bona haberet, quibus tantae familiae decus tueretur, homo ingenteis ſpiritus gerens, ultro in peregrinam militiam profectus fuerat; et Sueciae regi Erico, tunc adverſus Moſcos et Polonos bellum, de quo diximus, gerenti, operam ſuam addixerat. Inde in patriam reverſus, eam factione ſciſſam cum reperiſſet, ſe in amicitiam [s] Albinii, tunc in regis gratia florentis, inſinuavit; ejuſque beneficio tutelam Jacobi Hamiltonii Araniae comitis familiae ſuae principis, qui jampridem emota mente domi continebatur, Hamiltoniis gentilibus abſentibus, conſecutus, ſtatim Araniae comitis titulos ſibi ſumpſit; et jam majora animo agitans, inter ſuos ſe Jacobum VII, quaſi Jacobo VI, qui tunc regnabat, ſucceſſurum, appellari gaudebat; exemplaque ad id domeſtica miſcens, Mardonio duce, Jacobi I avunculo, qui regnum ambiverat, ſe prognatum, in ſpem regiae ſucceſſionis, jactabat. Quoque ſibi magis Albinium obſtringeret, Jacobum [t] Duglaſſium Mortonii comitem, regni olim [ϛ] moderatorem, ut aemulum potentiae tolleret, accuſavit, quod patris regis paricidio conſcientia participaſſet; ac tandem reum peregit; ita ut Mortonius capite luerit anno hujus ſaeculi CIↃ IↃ LXXXI. Haec ante Ruvenenſem conjurationem acta. Poſtea, cum jam amoto et mortuo apud nos Albinio, Gulielmi Stuarti ſuaſu revocatus eſſet Araniae comes, cancellarii dignitatem invaſit; et, Edimburgi arcis potens, ſupremam in regno

VAR. LECT. [α] N. *Ed. Gen.*
[β] comes, regni equitum tribunus, *Ed. Gen.*
[γ] Cambellus Kennethus, *Ed. Gen.*
[δ] N. *Ed. Gen.*
[ε] Codonenovius *D.* f. d. *Ed. Gen.*
[ϛ] moderatorem, et cui rex omnium confeſſione vitam debebat, ut aemulum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Jean Stuart, comte d'Athol.* [b] *George Keith, comte mareſchal d'Eſcoſſe.* [c] *le lord Jean, & le lord Claude Hamilton.* [d] *Jean lord Maxwell, comte de Morton.* [e] *Alexander, lord Hume.* [f] *Jean Maxwell de Terreagles, lord Harries.* [g] *Adam Erſkine, abbé ou commandeur de Cambuſkenneth, fils naturel de Thomas ſecond fils de Jean lord Erſkine pere du regent.* [h] *le chevalier Thomas Lyon, tuteur & oncle de Patrick lord Glamis.* [i] *David Erſkine, abbé ou commandeur de Driburg, fils naturel de Robert frere ainé de Jean comte de Marr regent d'Eſcoſſe.* [k] *Guillaume Erſkine, commandeur de Paiſly, fils puiné de Jacques Erſkine de Saucy frere de Jean lord Erſkine pere du regent.* [l] *Hume, prieur de Coldingham.* [m] *Kerr, Sieur de Ceſsford.* [n] *Jacques Douglaſs, Sr de Drumlanrig.* [o] *Jean Hume Sr de Coldingknows, & Hume Sr de Wedderburn.* [p] *Ruthven, chateau du comte de Gowry.* [q] *le duc de Lenox, & le comte d'Arran.* [r] *le baron d'Ochiltree.* [s] *Eſme Stuart, Sr d'Aubigné, duc de Lenox.* [t] *Douglaſs, comte de Morton.*

regno auctoritatem uſurpavit, donec exules hoc anno Eliſabethae ope in regnum clam irrepentes, die ac loco amicis ac clientibus rurſus condicto, ad [a] Aniani-fanum, quod unico a [b] Sterlino, ubi rex erat, milliario diſtat, fixis tentoriis caſtra ponunt. Poſtridie, poſt bihorii moram, quo regiis reſtiterunt, [c] Montis-roſae, Crafordiae, Glencarniae, Araniae comitibus in arcem ſe recipientibus, oppido potiuntur; moxque ad propugnaculum ſigna figunt. Quo conſpecto, rex legatum juri dicundo praepoſitum cum amanuenſi mittit; petitque vitae, decori, ac regno ante omnia conſuleretur; dein ut Montis-roſae ac Crafordiae comitum, et Jacobi Stuarti Araniae comitis, vitae parceretur; poſtremo, ut pacate, quam fieri poſſet, omnia tranſigerentur: his conditionibus ſe in poteſtate eorum fore. Ad haec proceres reſpondent, Nihil ſibi regis regnique ſalute, decore, ac tranquillitate, antiquius eſſe: ad hoc ſumpta arma, ut regi regnoque exitium ac dedecus, quod a pravis conſiliariis maturabatur, averterent. Quod ad eos attinet, quorum ut vitae parcatur, petitur, nulla ſe privata ſimultate aut mala voluntate contra ipſos ferri; tantum publico odio incitari; ac petere viciſſim, ut dum ſe in jure ſiſtant, cuſtodiae tradantur: ad ultimum, optaſſe ſemper, et petere, ut rex rationem ineat, qua motus hi pacate componi poſſint: ad id operam et opes ſuas ultro deferre. Ita dimiſſis legatis, e ſuo numero alios ad regem mittunt, qui peterent, ut quae, tam in ſacra diſciplina, quam in civili adminiſtratione, prave irrepſerant, in poſterum corrigerentur, et emendationis ratio, habito concilio, iniretur: quod ipſi feciſſent ut id impetrarent, rex ratum haberet; et ſcripto, quo juſtas ſumptorum armorum cauſas probare conabantur, a ſe evulgato ipſe ſubſcriberet: ſuſpecti, qui in arces ac loca firma nullo jure invaſiſſent, ab eorum praefectura amoverentur; ipſi in cuſtodiam traderentur, donec de eorum cauſa in jure cognitum eſſet: ſtipatores mutarentur, aliique moderatiores ac continentiores, quos nobilitas nominaſſet, in eorum locum legerentur. Araniae comes interim in [d] Edimburgenſem arcem, et inde [e] Britannodunum, confugerat. Arx Edimburgi mox corona cincta eſt: captus et Patricius [f] Adamſonus, Fani Andreae archiepiſcopus. Tandem conventum, ut [g] Glamiae heredis tutor ſtipatoribus regiis praeficeretur; Britannoduni arx, ex qua interim [h] Aranius aufugerat, [i] Hamiltonio, Edimburgi [k] Coldingknollio regulo, Sterlini [l] Marriae comiti committerentur; cetera loca munita antiquis poſſeſſoribus, unde vi dejecti fuerant, reſtituerentur. Aranius ab eo tempore huc illuc vagus, diu cum ſummis incommoditatibus conflictatus, poſtremo, ex deſperatione ad latrocinia verſus, vitam aeque miſeram ac infamem exegit, uſque ad annum XCI; quo a gentili quodam [m] Mortonii, forte obvio, ultionem quaerente, interfectus eſt; qui et caput occiſi perticae affixum triumphali laetitia per regnum impune circumgeſtavit.

INTERPR. [a] *St Minians.* [b] *Sterling.* [c] *Montroſs, Crawford, Glencairn, & Arran.* [d] *d'Edinburg.* [e] *Dunbritton.* [f] *Adamſon, archevêque de St André.* [g] *Glames.* [h] *Stuart, comte d'Arran.* [i] *Hamilton, Sieur d'Arbroth.* [k] *Hume, Sieur de Coldingknows.* [l] *le comte de Marr.* [m] *Douglaſs, comte de Morton.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTOGESIMUS QUARTUS.

EPITOME.

IN Oriente Oſman, ſummae rerum ab Amurathe praepoſitus, Tauriſium expugnandum ſuſcipit. II. *Haſſanis eunuchi Aegyptii ſatrapae avaritia et opes, et ad Portam ob eas invidia. Ebraimes gener Sultano deſtinatus in Aegyptum miſſus, pari rapacitate provinciam expilat; et in Syria contra Maronitas et Druſos, ſive Truſcos, et Arabum phylarchos, bellum gerit. Eorum ab antiquo origo, religio, mores, et militaris virtus. Serafadinus ab Ebraime victus. Contra Ebnemanem infeſto milite vadit: vicarium ejus, et* CCCL *Truſcos, contra fidem datam, trucidat: ipſum vicarium, pelle detracta, crudeliter excarnificat.* III. *Oſman in campos Calderanos cum exercitu deſcendit, et iter Tauriſium verſus pronunciat. Aliculis, qui Tauriſium tenebat, eruptione facta, Turcos caedit: quo facto, urbem cum incolis relinquit. Urbis ſitus, magnitudo, ac infirmitas. Turcorum in dedititios ſaevitia.* IV. *In diſceſſu ab Emire ſuperveniente ad* VIII CIↃ *caeſi. Dein inſtructa utrinque acie,* XX CIↃ *circiter Turcorum deſiderata. Oſman ex morbo decumbens, arce praeſidio firmata, diſcedit; et rurſus a Perſa par occiſorum numerus Turcorum fuit: quo eodem die Oſman deceſſit, et Cicada purpuratus ejus loco exercitum ducit. Pugna ultima damno affecti Perſae. Teſliſium in reditu, a Davide Chano miſſis ſubſidiis, firmatum. Tauriſium a Turcomannis Perſae reconciliatis obſeſſum. Chiulfalium muneribus oblatis a Reivani purpurato direptionem redimit.* V. *Ferhates ſequenti anno Perſico bello deſtinatus dux, Vanni exercitum luſtrat. Ordo incedendi.* VI. *Emzae contra Turcos res geſtae. Aliculis contra eum deteſtanda conſilia, et adverſus Turcos tergiverſatio. Ferhates Tauriſianam arcem novo praeſidio firmat. Emza inſidioſe ab Aliculi interficitur. Tatarorum cum Perſis foederatio et adfinitas.* VII. *Novi motus in Syria a Manolio Truſcorum dynaſta excitati. Locuſtarum prodigioſae nubes in Syria, nec non in Thracia. In Croatia Turci magno numero a minore Chriſtianorum caeſi.* VIII. *Petri Toletani infelix ad Cercinnam, vicinam Africae inſulam, expeditio.* IX. *Franciſci Draci Angli in Indias orientaleis expeditio.* X. *Obeliſcus in Vaticano loco obſcuro defoſſus, inde artificioſis machinis a Dominico Fontana tranſlatus.* XI. *Pontificis ad Quinquepagicos Helvetiorum legatio, et cum iis pro religione Catholica foedus initum. Lucernatum cum Bronnenſis ſacri collegii ſodalibus controverſia.* XII. *Octavii Farneſii Parmenſium ducis, et Margaritae ejus uxoris, deceſſus. Aloiſii Ateſtini cardinalis mors, ingenium, liberalitas. Antonii Perrenoti cardinalis, Martini ab Aſpilcueta Navarri D. Antonii Auguſtini Tarraconenſis archiepiſcopi, Octaviani Ferrarii, Julii Caſtellani, Laurentii Gambarae, Hier. Columnae, Galeacii Caraccioli Vici marchionis, Martini Chemnitii, Rodolfi Gualteri, Ludovici Lavateri, Matthaei Weſembecii deceſſus.* XIII. *Auguſti Saxonis ſeptemviri mors.* XIV. *Stephani Poloniae regis res geſtae, ingenium, mores; ex ira et indignatione ob motum Rigae excitatum obitus.*

Ex auctoribus,

Joanne Leunclavio, Jo. Thoma Minadoio, Aithono Armenio, Antonio Errera, Caeſare Campana, Thoma Coſto, Franciſci Draci navigatione, Bartholomaeo Caſa, Antonio Cicarella, C. Plinio.

LIBER OCTOGESIMUS QUARTUS.

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

NUNC ex Europa in Aſiam tranſeundum eſt; ubi Turci bellum contra Perſas, ante octo annos magna vi inchoatum, majoribus animis perſequebantur. Ei gerendo Oſman amoto Ferhate ab Amurathe praepoſitus, cum ſpem Taurifii capiendi feciſſet, famam diverſam, quaſi Naſſivanum hoc anno petiturus eſſet, ſtudioſe ſpargi curaverat. Igitur, accepto a Sultano vexillo praetorio, Conſtantinopoli profectus, durante adhuc hyeme, per [a] Ancyram et [b] Amaſiam iter habuit; et [c] Sebaſtopoli tamdiu ſubſiſtere ſtatuit, dum copias omneis Erzirumi conveniſſe intelligeret. Quo cognito, Hodabenda, quanquam injuria, qua legatus ejus fuerat affectus, ipſum deterrere poterat, quo minus alium de pace legatum in poſterum ad Portam mitteret, tamen, ut arcana hoſtium certius exploraret, diverſos nuncios ad Oſmanem mittit, qui ipſum, quantum ad pacis conditiones, de voluntate ſua certiorem redderent. Per eos cum, praeter ſparſam de Naſſivano famam, nihil certi de hoſtium conſiliis cognoſcere potuiſſet, copias in omnem eventum inſtruit. Ad purpuratum quotidie ex omnibus provinciis qui vel praefecturarum confirmationem petebant, vel novas dignitates ambibant, tanquam ad ſupremam imperii mentem, venerabundi ſe conferebant, inſolitiſque honoribus et muneribus ipſum proſequebantur; ita ut ampliſſimum comitatum et ingenteis theſauros brevi collegerit. Ipſe dignitati, quam toto ore praeferebat, comitatem admiſcebat; dignitateſque pro meritis, iis, qui ſe ad hoc bellum ſequebantur, prolixe pollicitus, tandem appetente tempore, quo numeroſiſſimus exercitus Erzirumum venturus erat, eo ſe exeunte Quintili confert. Exercitu luſtrato, compertum, ex omnibus provinciis huic expeditioni deſtinatas copias adeſſe; ſolae [d] Damaſcenae et Aegyptiae non comparuerunt, quippe alio novo bello occupatae: de quo, antequam ulterius progrediar, aliquid dicendum eſt.

II. Hassan eunuchus, gynaecei regii olim primarius miniſter, cum commendatione Sultanae Aegypto praefectus eſſet, homo omnium maxime avarus, ex provincia totius Othomanici imperii opulentiſſima ingenteis opes comparaverat, nullo non exactionum, ut ab univerſis, nullo non calumniarum genere, ut a ſingulis pecuniam emungeret, toto ſuo magiſtratu uſus: unde crebrae a populis illis, alioqui ad ſervitutem natis, et praecipue ab Alcairenſibus, querelae ad Portam delatae; tantaque fuit miſerorum hominum, vexationem ab immanis avaritiae praedone deprecantium, erga omneis commiſeratio, atque adeo ipſam Sultanam, ut ejus invidiam diutius ferre non ſuſtinuerit: et cum plurimum apud Amurathem poſſet, tamen Haſſanem, in quem tam opimam dignitatem contulerat, e provincia revocandum, aliumque in ejus locum, qui de criminibus objectis diligenter anquireret, mittendum, cenſuerit. Is fuit [e] Ebraimes Illyrio natus, vico [f] Clanicio, haud longe ab

INTERPR. [a] *Enguri*, al. *Engori.* [b] *Toccat.* [c] *Sivas.* [d] *de Damas.* [e] *Ebraim de Sclavonie.* [f] *Chianichie.*

ab [a] Epidauro, admodum Sultanae gratus; qui praeſtanti forma, et aliis illecebris ſeu virtutum ſimulachris, in illa aula meruerat, ut ei una imperatoris filia uxor deſtinaretur. Qua re cognita, Haſſan, plus opibus fidens, quam innocentia ſua ſubnixus, illico ante mandatum acceptum vaſa colligit; et per eas ipſas opes, quae ipſi periculum creabant, placabilem ſe Sultanum habiturum ſperans, omnibus theſauris ſecum aſportatis, alia tamen, quam qua venturum Ebraimem ſciebat, via, ad profectionem ſe accingit; nimirum per Syriam, longiore, ſed tutiore, ut ſibi videbatur, itinere. Ebraimes in viam ſe dederat cum mandatis ut obvium Eunuchum in cuſtodiam daret, et theſauros ejus omneis quamprimum ad urbem tranſportandos curaret; qui, poſtquam reſcivit eum per Syriam iter facere, ad Amurathem ſcribit, metumque ex itineris conjectura injicit, ne Eunuchus de fuga ad Perſas cogitet, ſecumque et aulae ſecreta, quibus hoc hominum genus in Turcica aula maxime omnium participant, et opes in provincia partas, ad hoſtem transferat. Itaque Amurathes eo confeſtim [b] ſtabuli comitem ſeu praefectum cum fidis ac delectis [c] cubiculariis mittit, qui per veredarios recta in Syriam tendit, quo jam venerat Haſſan, eumque, cum in ſubjectis Apameae campis tentoria fixiſſet, invenit. Adventu ejus, ut debuit, commotus Eunuchus, minime tamen ſe deſeruit; et cum ſciret primos irae herilis impetus frangendos, poſtea ad gratiam eorum aditum patere, ſtipatoribus, quos ex mancipiis ſibi fidis egregie haſtis et ſcloppetis inſtructos ſemper penes ſe habebat, nutu imperat, tentorium circumſiſtant, neque praeter ſtabuli praefectum quenquam ex ejus ſatellitio ingredi patiantur. Itaque ſolus ille ad Eunuchi colloquium admiſſus, mandata imperatoris profert, quibus Haſſanem ſecum adducere ad Portam jubebatur: quibus lectis, homo aſtutus, et qui aulae artes callebat, Ego vero jam occupaveram, inquit, et antequam ad Portam accerſerer, cum ſcirem mihi ſucceſſorem datum, et malevolorum artibus inſimulari me apud imperatorem expilatae provinciae, ultro in viam dederam, ut coram crimina purgarem, et innocentiam meam imperatori adprobarem. Quibus dictis iter ſuum per [d] Antiochiam, [e] Heracleam, Iconium, et Nicaeam, non captivi ſpecie, ſed eadem pompa ac comitatu, perſequitur. Ubi [f] Chalcedonem venit, mox ab urbe miſſi, qui theſauros omnes indicta cauſa Eunucho ademptos in aerarium transferrent, ipſumque in carcerem, loco cui [g] Heptapyrgio nomen, deductum, conjicerent: ubi ille diu extremum ſupplicium metuens fuit, donec Sultana, nuncio miſſo, miſerum beavit, ſuaſque opes illi vitam conſervaſſe ſignificavit; facta inſuper ſpe, ut brevi libertati reſtitueretur. Interea Ebraimes [h] Alcairum venit; ubi novas, et, quod Eunuchus vix clam auſus eſſet, ille vero nuptiarum ſperatarum fiducia palam audebat, violentas exigendae pecuniae rationes excogitavit; paucorumque dierum ſpatio, quo in Aegypto fuit, ingentem auri argentique, pretioſae ſupellectilis, ac gemmarum vim undique per fas ac nefas corraſit, praeter ordinarium IϽC cechinorum CIϽ tributum, quod ſine onere ad imperatorem ex Aegypto quotannis redit; protinuſque ad nuptias celebrandas in aulam revocatus per Syriam iter habuit. Cum Conſtantinopoli diſcederet, mandatum ab Amurathe habuerat, ut adverſus Druſos, qui ſpecie libertatis occulta conſpiratione rebellabant, expeditionem ſuſciperet, et armis exutos ac tormentis ademptis ad obſequium reduceret. Maronitae et Druſi ſive Truſci populi ſunt, qui eam omnem regionem colunt, quae [i] Joppes urbis territorio, [k] Orontis ac Jordani fluminum [l] fontibus clauditur, et ad Damaſcum et Libanum uſque montem, ab Tripoli Syriae

INTERPR. [a] *Raguſe.* [b] *Imbrahur baſſa che noi diremmo maeſtro di ſtabla.* [c] *Capigi.* [d] Turcis *Tachie.* [e] *Heraclée, Cogni, & Nicea.* [f] *Scutari.* [g] *les Sept Tours.* [h] *Caire.* [i] *Jaffa.* [k] *Oronte.* [l] hodie *Dan & Jor.*

CIƆ IƆ LXXXV.
HENRICUS III.

Syriae Phoeniciae urbe haud procul diſſitum, porrigitur. Chriſtiani tempore [a] Aithoni Armenii, qui eorum mentionem facit, ac etiam poſtea, fuerunt; et patriarcham ſacrorum principem habuerunt, qui habitabat in monaſterio Virginis Deiparae, quod itinere medio montem Libanum aſcendentibus occurrit. Habebant et Hieroſolymis templum S. Georgii martyris; ubi, qui ſuperſunt ex illa gente Chriſtiani, appellantur vulgo cincti ſive zonarii, propter longas lataſque zonas ſive cingula, quibus utuntur. Truſci iis admiſti et ipſi olim Chriſtiani erant, ex reliquiis Francorum ad bellum ſacrum devotorum, quorum opera Godofridus Bullionenſis circa annum ſalutis CIƆ XCIX Hieroſolymis et reliqua Palaeſtina potitus eſt; nam et ipſi hodie ad eos originem ſuam referunt. Priſtinam a gente virtutem retinent: nam et hodie fortiſſimi bellatores et ſcloppetarii peritiſſimi habentur, et libertate innata nunquam ſe Saracenico jugo ſummittere voluerunt; tantum olim Mamalucorum, dum Syriam tenebant, et, poſt everſum Sultanorum Aegypti imperium, Turcorum majeſtatem comiter coluerunt. Sed tractu temporis majorum pietatem obliti ſunt, atque adeo Chriſtiano nomine ejerato deteſtandae ſectae ſe addixerunt: neque tamen in omnibus Turcicas ſuperſtitiones ſervant; nam neque circumciduntur, neque vini potu, ut ceteri Mahumetani, abſtinent; et peculiarem prophetâm nomine Iſmanem habent. Eos domare cum animo ſuo conſtituerat Selimus II ante XI annos, quod, etſi tributum pendant, tamen in plena poteſtate imperii Turcici non ſint. Olim concordes, et idcirco externis viribus inſuperabiles, poſtremo, gliſcente inter eos avaritia et alieni invadendi libidine, diſſidere coeperunt; eoque factum, ut ſe vinci faciles vicinae potentiae ipſi reddiderint. Praeterea in Palaeſtina inter lacum [b] Aſphaltitem et Damaſcum, in Sodomae finibus, in Hierichuntis et Samariae vallibus, ac locis qui Bethlemum, [c] Emmauntem, Bethaniam, Bethſagem, Capernaum, Nazarethum, Ramam denique et Joppem interjacent, Arabum phylarchi habitant, vitam vagam praedis et latrociniis tolerantes, et Judaeam excurſionibus infeſtant: ac paulo ante Ebraimis adventum, cum [d] Veiſius purpuratus Damaſco, et ejus filius Hieroſolymis, impoſitus eſt, veriti ne, quod jactabatur, excurſionum libertas ab iis refraenaretur, eos de medio tollendi conſilium ineunt; et cum Bethlemi praefecto, quem praedarum participem faciebant, conveniunt, ut ſibi in eo conſilio praeſto eſſet. Sic autem ordinem componunt. Sub Hieroſolymorum portas excurrere conſtituerant, quod minime laturus juvenis ambitioſus putabatur, qui procul dubio vicinos praefectos continuo accerſiturus eſſet; in iiſque Bethlemi praefectum, ut ad pugnam extra urbem contra praedones exiret. Tum vero Bethlemi praefectus ille primus pugnandi initium facturus erat; atque ubi juvenem cum ſuis pugnae immiſtum videret, protinus cum ſuis diffugeret, miſerumque juvenem ab Arabibus undique circumventum cum ſuis caedendum relinqueret. Sicuti convenerat, ita factum eſt; conſertoque proelio Hieroſolymorum praefectus poſt Bethlemitici praefecti fugam, amiſſis fere ſuis, vix ſe periculo extricavit. Quam fraudem cum ulciſci decreviſſet, ejus ſenſum in ſpeciem diſſimulavit, acceptam cladem adverſae belli fortunae, nec ullius praeterea culpae, imputans; evocatumque alta voce Bethlemi praefectum, quaſi contra Arabas ducturus, comprehendit, et vivo detracta pelle dignas de perfidia ejus poenas expetivit. Ceterum inter Maronitas et Truſcos ſive Druſos V dynaſtae praecipui, vulgari nomine Emires, quaſi reges, ſive potius regulos dicas, memorantur. Primus [e] Ebneman Manonii filius, qui colleis et campos jurisdictioni [f] Ptolemaidis, Caeſareae, Sidoniae, et Tyri ſubjectos poſſidet, et [g] Anderae in

INTERPR. [a] *Aython d'Armenie.* [b] *Mer Morte*, incolis *Sorbau.* [c] hodie *Nicopel.* [d] *Veis Baſſa.* [e] *Ebnemau, ou Manogli.* [f] *Acre, Ceſarée, Seid, & Sur.* [g] *Andera.*

in montanis habitat; omnium potentiſſimus et Turcis infeſtiſſimus, ob patrem amicitiae ſpecie a Muſtafa Damaſci purpurato evocatum, et ſumma proditione crudeliter interfectum. Alter Serafadinus. Mahametes [a] Ebnemanſur tertius, Manſuris filius. Quartus Ebnefrecus [b] Feraci filius. Quintus denique [c] Halis Ebnecarſi filius. Ii ſub ſe vicarios habent, qui vulgo [d] Macademi dicuntur; inter quos praecipui fuere Gomeda, qui Tripoli nomine Ebnemanſuris, et [e] Mendeles, qui [f] Beryti res procurabant; ipſique et interdum ſibi blandientes ab inferioribus Emires adulatorie ſalutari gaudebant. Duo primi dynaſtae inter ſe amicitiam colunt, habentque ceteros aemulos; ex quibus Ebnemanſur etiam vectigalia Tripolis conduxit, et [g] Laodiceae [h] praetor a purpuratis creatus eſt. Halis autem magno ſibi titulum purpurati comparavit, alienas opes ſcilicet ad propriam gentem delendam emendicans. Igitur hi in perniciem illorum foedus inierant, eoſque apud purpuratos calumniandi nullam occaſionem praetermittebant; odio caeci, nec videntes ad univerſorum libertatem opprimendam per has diſcordias Turcis aditum patefieri. Cumque intellexiſſent Ebraimem, ſuperatis Arabiae interpoſitis deſertis, et [i] Gaza a tergo relicta, jam Judaeam ingreſſum, ei obviam Hieroſolyma uſque proceſſerunt cum donis et magno comitatu, Ebnemanem et Serafadinum ut Turcico imperio minus obedienteis apud purpuratum accuſaturi. Cum iis in [k] Coeleſyriam, per Galilaeam et Samariam facto itinere, deſcendit menſe Julio, et caſtra in campis Damaſco ſubjectis metatur; in quibus habebat equitum XII CIↃ ex Aegypti, Syriae, Cypri et Alepi praeſidiis collecta. Huc etiam ſubjectarum provinciarum praetores ac praefecti locorum ſingulorum evocati venerant. Tum citati Ebneman et Serafadinus; et hic quidem, cujus ditio Ebnemanis et Ebnemanſuris ditione cingebatur, quamvis de exitio certus, cum recuſare non auderet, cum muneribus, quibus ſe Ebraimem placaturum ſperabat, venit; et coram aliis dynaſtis, cum purgare ſe paratum ad purpurati mandatum, tanquam humile et devotum Amurathis mancipium, veniſſe oſtenderet, interpellatus ab Ebraime, quare ergo perpetuas ſimultates et rixas cum tribus ejuſdem gentis dynaſtis exerceret; et ille juſtae defenſionis cauſa ſumpta arma excuſaret; tum dynaſtae torvo conſpectu accuſationem contra Serafadinum inſtituunt, et ejus excurſionibus ac contumacia fieri dicunt, ut impedito commercio vectigalia [l] Sidonis, Tyri, ac Beryti magno imperatoris detrimento multum minuantur. Cum rurſus ille objectam calumniam purgare vellet, non auditus in cuſtodiam juſſu Ebraimis ducitur a praetorianis, quos numero CC Conſtantinopoli ſecum duxerat; qui miſerum dynaſtam ſingulis noctibus pedicis ac manicis ferreis vinciebant. Ebneman ſe per literas, quo minus veniret, excuſavit, jurisjurandi religionem cauſatus, quo fidem obſtrinxiſſet, poſt indignam patris caedem, nunquam ſe purpuratorum fidei committere; in ceteris ſe paratum Amurathis imperiis ſatisfacere. Quo reſponſo efferatus Ebraimes copias in Ebnemanis ditionem promovet, et juxta Anderam caſtris poſitis XXIV villas direptas incendit, relicto in valle ſubjecta Veiſio purpurato cum filio [m] Hieroſolymorum praefecto, qui CIↃ IↃ circiter bellatores circa ſe habebant; qui, a Truſcis Ebnemani ſubditis per avia itinera ingruentibus, inopinato, cum in eo eſſent ut tentoria deponerent, circumventi, partim caeduntur, partim in fugam abjectis armis conjiciuntur, amiſſis tentoriis et impedimentis. Quo caſu irritatior Ebraimes, tamen cum neque vim procedere, neque terrorem intentatum videret, aliam inſtituit viam; aſtuque per [n] Gomedam Ebnemanſuris vicarium, de quo modo dixi, Ebnemanem aggreditur. Is

INTERPR. [a] *Ebnemanſur, ou Manſur-ogli.* [b] *Ferac-ogli, ou Ebnefrec.* [c] *Ali Ebnecarſus da Turchi detto Alycarfus-ogli.* [d] *Macademi.* [e] *Mendel.* [f] *Barut.* [g] hodie *Lizza.* [h] *Sangiac.* [i] *Gaz.* [k] *Pianure del Bocca.* [l] *Seid, & Sur.* [m] *Sangiac de Hieruſalem.* [n] *Gomeda, agente d'Ebnemanſur.*

Is eum Anderae convenit, et arma omnia quae ſui habebant, ab illo tradi petiit; ſic enim jubere purpuratum imperatoris nomine, qui homines ſuis ſtipendiis non militanteis arma ad infeſtandos in ſuo imperio vicinos habere minime pati poſſet. Ebneman ad haec prudenter reſpondet, arma, quae petantur, ſe non habere, ſuis ob incendia et hoſtileis direptiones huc illuc per montana ſparſis: veniamque ſibi dari a purpurato petit, ſi imperiis ejus ea re, cum non poſſit, minime obtemperet. Cum nihil Gomeda a cordato regulo obtinuiſſet, miſſus [a] Halis, unus ex tribus aemulis; qui Ebnemani data fide fraudi illi non futurum, ſi ad purpuratum veniret, cum perſuadere homini aſtuto non potuiſſet, ad extremum, ut aliquem ſcloppetorum numerum ac munera ad purpuratum in obedientiae ſignum mitteret, perſuaſit. Igitur miſſi CCCXX ſcloppeti, et L CIϽ cechinorum, et ipſius Ebnemanis parens munera ad purpuratum attulit; quae eandem jurisjurandi religionem cauſata abſentiam filii excuſavit, oravitque Ebraimem ne id contumaciae tribueret: nam in aliis fore et imperatori et ipſi ad omnia dicta obedientem filium. Verum haec parum apud Ebraimem valuerunt, ejus ſive auri ſive ſanguinis ſiti nequaquam propterea reſtincta; qui blanditiis cum vetula agit, et multa humanitatis ſpecie miſerae perſuadere conatur, ut ipſa ad carnificinam filium adduceret. Verum ille nequaquam monitis matris obtemperavit. Itaque remiſſus ad eum Gomeda, qui cum nihil promiſſis et precibus ab obfirmatae prudentiae viro impetrare poſſet, tamen tenuit, ut, quo in ſuo, cum tanto popularium detrimento, manendi purpurato occaſionem adimeret, rationes regiorum vectigalium adminiſtratae provinciae ſecum inſpiceret; quo colore emunxit rurſus ab Ebnemane L cechinorum millia, CCCCXXC ſcloppetos, CIϽ capras, CL camelos, totidem bubalos, CIϽ boves, CC verveces, fide data, ut purpuratus e ſua ditione exercitum deduceret, neque popularibus amplius moleſtus eſſet. Cum his muneribus reverſus Gomeda, minime placatum, ſed in ſpeciem irritatum Ebraimem invenit, graviter ipſi ſuccenſentem, quod fidem de deducendo exercitu interpoſuiſſet. Ita rurſus ad eum miſſus Gomeda; qui furentem Ebnemanem nactus, tamen ab eo nova munera poſtremo impetravit; quibus acceptis Ebraimes exercitum, contra datam a Gomeda fidem, in ditionem ſpoliati reguli mittit, et late obvia quaeque vaſtat, Anderam ejus ſedem militi in praedam datam incendit; XIX inſuper villae incendio et direptionibus circum deformatae. Avido cruoris purpurati animo haud ſatis erat, quod praedis et incendio graſſatus eſſet, niſi inſigni crudelitatis exemplo memoriam ſui in his locis impreſſam relinqueret. Cum contra Ebnemanem exercere ultionem non poſſet, per Ebnefrecum Macademo, hoc eſt, Ebnemanis vicario, perſuadet, ut cum magno comitatu ad ſe veniat, ſuaeque fidei et egregiae erga principem ſuum voluntatis experimentum faciat. Paruit imprudens Macademus, fraudulentis aemuli dynaſtae verbis deceptus; qui et ſpem fecerat, ut illum, ſi pareret, praefectura inſigni Ebraimes donaret. Inſuper miſero Macademo pernicioſiore conſilio impoſuit Ebnefrecus, cum illi, ut ſuos deponere ſcloppetos juberet, perſuaſit; rem enim gratam purpurato fore, cui perſuaſum ſit nullos amplius ſcloppetos in tota Ebnemanis ditione ſupereſſe. Amice in ſpeciem monenti promiſſis ineſcatus credidit Macademus, et cum eo in viam ſe dedit, ſupra latus dextrum Ebnefreci incedens: id honori dynaſtae a vicario datum; nam, contra quam apud nos exiſtimatur, laevum latus, quo gladius cingitur, honoratius cenſetur. Ita ſimul incedentes in caſtra veniunt: juſſi comites, qui cum Macademo venerant, CCCL numero, egregie arcubus et gladiis inſtructi, nam ſuaſu Ebnefreci ſcloppetos depoſuerant, tribus

INTERPR. [a] *Aly Baſſa.*

tribus ab hinc milliaribus ſubſiſtere. Ipſe [a] Macademus ad tentorium Ebraimis ductus, etſi tota corporis expediti forma et truci vultu dignus qui aſpiceretur, minime in conſpectum ejus admiſſus eſt, ſed ſeorſim a Serafadino in cuſtodiam datus: ſtatimque vocatis belli ducibus et ipſis dynaſtis, conſultatum, qua ratione Truſci, quos Macademus adduxerat, citra ſuorum ſanguinem ad internecionem deleri poſſent; et ita conſultum viſum, ut ignari in vineam ab Ebnefreco ducerentur, quaſi praefectum ſuum exſpectaturi; et in confertos quaſi indagine cinctos hinc inde a praetorianis et praefectis cum delectis impetus fieret. Cujus rei Ebnefrecus executionem ſibi ſumpſit: miſeri Truſci ictibus ſcloppetorum, quibus carebant, eminus primum petiti, dein et ſtrictis gladiis ad internecionem conciſi ſunt, paucis ex interfectoribus deſideratis. Mox productus Macademus coram ipſo Ebraime, cui vivo pellem ſumma immanitate detrahi juſſit; quos cruciatus ille ſumma non ſolum conſtantia, ſed etiam cum riſu, perpeſſus eſt; perfidiam Ebraimi improperans, et foeda dictu multa addens, carnifices ad ſcelerata mandata exequenda quaſi contemptim incitabat: tandem, cum pellis jam humeris et pectori detracta ad umbilicum adduceretur, effuſi magna vi ſanguinis Macademus, Turcorum verbis nimis credulus, poſt multa in imperatorem et ejus falſum prophetam contumelioſe jactata, exſpiravit. Poſtea quaſi efferveſcente immanitatis impetu in purpurati tentorium adducitur Serafadinus; ubi dum eſſet, CL, quos in comitatu ſuo habebat, coram ipſo crudeliter a praetorianis trucidati ſunt. Moxque Serafadinus in vincula, ut antea, conjectus eſt; Haliſque purpuratus Alepi, et [b] Veiſius Damaſci, ſervare eum juſſi. Inde immiſſus in ejus ditionem miles, et Sidone, quo venerant triremes, IIII CIↃ evocati, et totam circumpoſitam regionem ad Caeſaream Palaeſtinae uſque late direptionibus ac incendiis vaſtare juſſi. Poſtea Maronitarum et Truſcorum quaſi ſub jugum miſſae regioni Ebnefrecum, acceptis ab eo C aureorum CIↃ, purpurati titulo impoſuit; et Ebnemanſurem, cum pro vectigali Tripolitano, quod ab imperatore conduxerat, CLX aureorum CIↃ, quae debebat, non repraeſentaret, in catenas conjecit; et [c] Mendelem ejus vicarium, qui nihilominus ſe pro Emire geſſerat, Beryto adduci, et coram ſe ſiſti juſſum, remo mancipavit, et totam Ebnemanſuris ditionem militi in praedam conceſſit. Inde cum ingenti, quam ex Aegypto et Syria ſpoliata congeſſerat, praeda, et Ebnemanſure ac Serafadino vinctis, triremeis Tripoli conſcendit. Conſtantinopolim venientem ingens amicorum et adfinitate junctorum turba felicem reditum gratulantium excepit. Mox ad imperatorem introductus, praeter unius anni ab Aegypto pendi ſolitum tributum, decies centena millia auri ſignati obtuliſſe dicitur. Praeterea LX equos Arabas exquiſita pulchritudine regie inſtructos, elephantum I, camelopardalim I, crocodilos II, ſed mortuos, immanis longitudinis, capſam inſuper ex ſolido auro gemmis pretioſis diſtinctam, et thronum ex auro puro puto aeſtimatum ſexies centenis aureorum millibus; panni ſerici et auro intertexti incredibilem vim, telas inſuper Alexandrino textu elaboratas, ac pro triumphi tanti veluti cumulo omnes ab Ebnemane traditos ſcloppetos. Grato admodum animo, ut a principe inſatiabilis avaritiae, accepta fuerunt munera, cujuſmodi et multa inter purpuratos et in gynaeceum ſparſa ſunt; eoque dignior tam honorificis nuptiis, quae anno ſequenti celebratae ſunt, quamlibet ſaevitia et avaritia infamis, habitus eſt Ebraimes, quod tantam auri vim ab innocentibus populis et Maronitarum ac Truſcorum regulis in ordinem coactis, tot annorum tantaque parſimonia congeſtas opes, ſeu ſolertia ſive rapacitate extorſerat. Paulo ante circa

INTERPR. [a] *Macademo.* [b] *Veis Baſſa.* [c] *Mendel titolato di nome d'Emir.*

CIƆ IƆ LXXXV.
HENRICUS III.

circa medium Martium, conceſſum in Divano fuerat [a] Siauſi purpurato, quem exauctoratum ſupra diximus, ut libere quibus vellet in locis verſari poſſet. Quod decretum ei viam aperuit ad priorem dignitatem revertendi; quod, mortuo ad fineis Perſicos Oſmane, non multo poſt accidit. Certe conſtat Amurathem cum Ferhate nuper amoto et Siauſe mitius egiſſe, quod eorum indigeret opera. Nam qui per Oſmanis abſentiam ſupremi purpurati loco res adminiſtrabat, Meſites purpuratus, caſtratus ac ſenex, licet alioqui juſtus ac ſeverus, tanto muneri minus idoneus judicabatur. Jamque Oſman Erzirumum venerat, ubi luſtrato exercitu, CL bellatorum CIƆ peditum equitum omnis generis numerata ſunt, praeterea ingens numerus ſervorum, foſſorum, tormentariorum, annonae praefectorum, camelorum, mulorum, ſagmatariorum. Praeter deſtinatas ad id bellum copias, multi fama Oſmanis excitati, ſive ſpectatores futuri, ſive ſponte, huic militiae nomen dederant. Certe Giafer Eunuchus Tripolis in Syria purpuratus, et proinde bello contra Truſcos gerendo inſervire juſſus, tamen ab Ebraime evocatus, non comparuit; maluitque tam famoſum ducem ad bellum longinquum ac periculoſum ſequi, quam Amurathis genero deſtinato domi et citra diſcrimen operam navare.

III. TANDEM III Eid. Sextil. caſtra movet Oſman, [b] Maxude Perſa, de quo ſupra dixi, viae duce, et ſecretorum conſiliorum ſemper participe; et fama ſparſa quaſi Naſſivanum duceret, cum biduum progreſſus eſſet, plus a commeatus penuria quam ab hoſte metuens, recenſet copias, et ad XL CIƆ dimittit, ſic ut tantum [1] C LXXX mille capita in toto exercitu reliqua eſſent. Inde per [c] Haſſanchalaſſium et [d] Carſam, in campos Calderanos a nobis ſaepius memoratos deſcendit; ſtatimque quaſi mutato conſilio, omiſſa Naſſivani expeditione, Tauriſium verſus iter pronunciatur, quod militem Graeciae et alios Europaeos jam ob parcius demenſam annonam queſtos ad ſeditionem fere commovit, qui jam ſuperioris anni licentiae adverſus Ferhatem inſueti, contumeliis contra Oſmanem minime abſtinuerunt; prudentiſſimoque duci improperarunt, quod eos ad certam perniciem duceret, et tanquam totidem jumentorum, non pluris, ſalutem tot hominum ſtrenuorum faceret, dum ambitioni privatae et avaritiae ſatisfaceret. Tulit has voces indigniſſime vir generoſus: verum ſeveritatem alias tempeſtivam pro tempore omiſit; et mutaſſe non voluntate propria, ſed mandato ſummi imperatoris, dicit; et praecipuos ſeditionis auctores ſeorſim vocat, ac blandis verbis et donis placat, ſpe meliorum in poſterum facta. Ita ſedatis ſuorum animis [e] Coium, ſupra [f] Vannum inter [g] Tauriſium et Martianam paludem poſitum oppidum, ducit: tum per [h] Marantam et Sophianam Perſicae ditionis omni re ad victum neceſſaria abundanteis vicos iter fecit. Mox ut Tauriſium procul apparere coepit, ingens in exercitu orta laetitia, et qui modo Oſmanem conviciis petebant, ejus prudentiam ac felicitatem laudare, qui tantum exercitum ſine incommodo ac damno, poſt tot annorum bellum, in loci adeo deſiderati conſpectum tandem deduxiſſet. Inter has voces longe prioribus diſſimileis, prima acies, verſante ſub oculos Tauriſio, cujus praedam jam ſpe devorabant, cum aliquantum proceſſiſſet, et loco amoeniſſimo reficiendis viribus inter Sophianae hortos conſediſſet, erumpente ex improviſo hoſtium globo ad pontem aquae ſalſae impoſitum, caeſa et amiſſa magna impedimentorum parte, fere diſſipata eſt: occiſi circiter VII CIƆ, non ſine aliquo Perſarum damno, ex quibus a cubiculariis et aliis nobilibus centurionibus, quos [i] Chiauſſos et Spahinos vocant, ad Oſmanem CCC capita allata ſunt. Emir-emza Hodabendae grandior natu filius copiis his praeerat, qui a parente, qui XII trans Tauriſium milliaribus cum exercitu circiter

INTERPR. [a] *Siauſes Baſſa.* [b] *Maxud Chan.* [c] *Haſſan-chalaſi.* [d] *Chars.* [e] *Coy.* [f] *Van.* [g] *Tauris, & Lago d'Actamar.* [h] *Marant, & Soffian.* [i] *Chaous, & Spahis.*

NOT. [1] Sic in textu utriuſque Codicis Genevenſis.

circiter L CIↃ bellatorum caſtra metatus fuerat, vix tandem X CIↃ delectorum impetraverat; quibus citra univerſae pugnae aleam hoſteis per inſidias et excurſiones, nam ſuos tormentorum fulminationi objicere religio erat, carpere, ac ſenſim labefactare, conſtituerat. Tauriſium tenebat cum IIII CIↃ [a] Aliculis ſatrapa, Emirischani, ſuperiore anno ſumma imprudentia capite plexi, infeſtus olim inimicus, ideoque Turcomanis, quorum facile princeps erat Emir, ſumme inviſus; ita ut illi tanta injuria irritati Tauriſio ſuppetias in tempore ferre detrectaverint. Neque vero ex [b] Aria et Geilana provincia ullae copiae comparuerunt; ita ut univerſae Perſicae copiae tantum LXIIII CIↃ bellatorum eo anno conficerent. Clade ſuorum intellecta Oſman confeſtim ad arma conclamari jubet, et Sinanem purpuratum [c] Cicadae purpurati filium, et Mechemetem [d] Amidae item purpuratum cum XIIII CIↃ delectorum contra principem mittit; qui tanta celeritate eum inſecuti ſunt, ut brevi in ejus conſpectum venerint. Nec ille proelium detrectavit; ſed cum citra damnum ac dedecus illud vitare non poſſet, converſis ſignis in perſequenteis invectus, cruentiſſimae pugnae initium primus fecit, duabus fere horis ante ſolis occaſum. Nox ſuperveniens eam diremit, incerta adhuc victoria. Tamen multo major numerus Turcorum cecidit, ex quibus VI CIↃ deſiderati ſunt. Poſtridie, cum Turci duobus a Tauriſio milliaribus, quadrageſimo, ex quo Erzirumo profecti erant, die, conſediſſent; Aliculis cum ſuis et urbis incolis, qui armis ferendis idonei erant, ad pugnam exit, conſertoque proelio hoſteis ad tentoria uſque Oſmanis compulit, III CIↃ eorum interfectis. Nocte inſequenti in caſtra impetum rurſus fecit, et magno tumultu omnia miſcuit, multis etiam occiſis et in iis [e] Maroniae purpurato: quo facto, cum urbem tueri ſe non poſſe tam exiguo numero cerneret, ad Hodabendae caſtra ſe contulit, relictis in urbe oppidanis, ac libertate facta ut rebus ſuis conſulerent. Qui in urbe arma ferre poterant, ad defenſionem ſe parabant; nihil tamen jam inclinata die tunc actum, nec nocte proxima. Ubi vero illuxit, ingens ſervorum, lixarum, ac viliſſimorum hominum ex tota exercitus Turcici colluvie in armis apparent; qui ſpe urbis diripiendae cum propius acceſſiſſent, Perſae acriter tanquam pro aris et focis reſiſtunt, cruentoque proelio commiſſo multi utrinque cadunt. Tauriſium, quod Ecbatana fuiſſe multis argumentis probari a viris doctis ſupra demonſtratum eſt, in [f] Armenia majori VIII dierum itinere a mari Hyrcano ſeu Caſpio ſitum, ad radices [g] Orontis montis, qui a ſeptentrione imminet; a meridie Perſidem reſpicit, ad occaſum Caſpios montes habet; frigido coelo ob montium viciniam, ſed ſalubri, fruitur, et ob commoditatem ſitus veluti totius Aſiae frequentiſſimum emporium, quo ex Syria et Meſopotamia, atque adeo Arabia, per orientem, et contra ex oriente per occidentem, merces diſtribuendae comportantur: habitatur urbs plus CC hominum CIↃ omnis aetatis et ſexus, aperta ubique ad hoſtium invaſiones, neque muro valido aut foſſis et aggere munita; aedificia habet more regionis ex luto acerrato conſtructa, depreſſiora quam altiora; fontibus, hortis, et rivulis perennibus, aliiſque inſuper rebus ad vitae commoda neceſſariis, ac poſtremo regia ſede illuſtratur; quam [h] Tamaſus poſtea [i] Caſminum, quam Arſaciam eſſe volunt, tranſtulit; praerogativam tamen, etiam abſente regis aula, in toto imperio Perſico hactenus retinuit. Cum diu Perſae reſtitiſſent, magna Turcorum ſtrage facta, tandem numero victi ceſſerunt; et ad ſubterranea urbis ſe recipientes, inde atque ex platearum anguſtiis Turcos erumpenteis et ad praedam diſcurrenteis ſagittis et ſcloppetorum ictibus aliquandiu infeſtarunt. Nihilominus parta ingenti praeda, multiſque capitibus ſecum abductis, Turci

INTERPR. [a] *Aliculi-Chan.* [b] *Heri, & Gheilan.* [c] *Cicala Baſſa.* [d] *Baſſa de Cara-Hemid.* [e] *Baſſa de Maras.* [f] *Media grande.* [g] *Orontes.* [h] *Tamas.* [i] *Casbin.*

CIↃIↃLXXXV. HENRICUS III.

Turci victores in caſtra reverſi ſunt. Ita potitus urbe Oſman ſeveriſſime edicto propoſito vetuit, ne quis in poſterum Tauriſianos ulla injuria aut maleficio afficeret. Ipſe totam urbem in equo ſedens circumivit, locum caſtris et propugnaculo ad defenſionem captae urbis exſtruendo oculis veſtigans; ac tandem ad meridionalem partem caſtra transtulit; ibique fundamenta novae arcis jecit, loco amoeniſſimo, arboribus, plantis, floribus conſito, et innumeris rivulis ac fontibus irriguo, cui de VII ſeptis ſeu Paradiſis nomen, ubi regum Perſarum ſedes olim erat. Magna cura deſignatum opus ab Oſmane ipſo, majore operarum diligentia ac feſtinatione, conſummatum fuit, quippe intra XXXVI dierum ſpatium, aedificiis ac balneis etiam extructis: quo tempore aegrotare coepit Oſman ex inteſtinorum doloribus, qui morbus ad extremum ei lethalis fuit. Ita captum Tauriſium ſcribit Joannes Thomas [a] Minadoius Rhodiginus harum rerum accuratiſſimus ſcriptor, idque literis ab [b] Apameae praefecto ad Halim Alepi purpuratum ſcriptis confirmat: tamen Jo. Leunclavius, ex relationibus ſcilicet Caeſareorum oratorum, urbem ſine ſanguine ac citra certamen captam memorat. Nam Oſmanem, Perſis inſciis et nihil de hoc ipſius itinere cogitantibus, per obſcuras, opacas, et anguſtas valleis inter altiſſimos utrinque montes profectum, ubi militis animandi gratia multoties diſploſa fuere tormenta bellica, urbem acceſſiſſe; alioqui facillimum Perſis fuiſſe, his in anguſtiis eum toto cum exercitu delere, ſi maturius de hac ejus profectione cognoviſſent. Oſmanis autem adventu intellecto, [c] Cadium, ſive magiſtratum urbis, fuga ſibi conſuluiſſe; tum ceteros praeſertim LX viros in urbe primarios variis cum inſtrumentis muſicis in caſtra Turcorum abiiſſe, et ſe Oſmani, ſalvam libertatem immunitateſque ſuas pactos, dedidiſſe, eumque noctu cum ſuis in urbem, ceteroqui apertam, nec ullis clauſam muris, deduxiſſe: ut appareat Portae proceres, a quibus id diſcere potuit Leunclavius, cum puderet eos immanis perfidiae, totque caedium ac maleficiorum avare ac libidinoſe in Tauriſii direptione patratorum, famam eorum de induſtria ſuppreſſiſſe; ac proinde inter ipſos jactatum, Tauriſium citra certamen in Amurathis poteſtatem veniſſe. Et profecto quae in prima illa oppugnatione admiſſa ſunt, jure belli defendi poſſint; verum haec levia fuere prae iis, quae poſtea contra jus et fidem datam, captata ex Oſmanis morbo occaſione, patrata ſunt. Nam quinto poſtquam decumbere coepit die, praetoriani ac ceteri militares centuriones praedam opimam ſpe devoratam edicto imperatoris ſibi ereptam moerentes, tentorium ejus circumſiſtunt; et ſubornatis teſtibus, qui cum dejeratione affirmarent, octo praetorianos et aliquot primarios centuriones a Perſis in balneo ſuffocatos fuiſſe, tantam ut perfidiam ulciſci liceat, cum ipſius bona gratia petunt: qui, ſive credulitate nimia, ſive quod reſiſtere afflicta adeo valetudine non poſſet, urbem diripiendam exercitui permiſit. Unde effuſi in miſeros Tauriſianos, cum minus putarent, Turci, nullo non crudelitatis et libidinis genere, ſemel et iterum atque tertio repetita direptione, graſſati ſunt, ſanguine, incendio, ac rapinis paſſim foedata et deſolata civitate. Raptae virgines et pueri ad ſtuprum, et in miſeram ſervitutem abducti, ſenibus parentibus, qui ſequi non poterant, crudeliter interfectis, et matribus natale ſolum in diſceſſu, quaſi nunquam patrios lares reviſurae eſſent, inter ejulatus ac lamenta deoſculantibus. Ingens praeda facta, et veſtigatis domorum ſubterraneis locis eruta, ac camelis impoſita eſt, inde in tutum devehenda. Actum id licentia militari, et inſcio Oſmane, quod vero ſimile ſit, teſtatur is, quem nominavi, in literis ſuis Apameae praefectus.

IV. Nec

INTERPR. [a] *Minadoi da Rovigo.* [b] *Sangiac d'Aman.* [c] *Cadi.*

IV. Nec vero diu tantam immanitatem ſivit inultam Deus. Nam mox [a] Emir-emza princeps, et ſuam et populorum vicem ultra modum dolens, cum delectis urbi propinquat; praemiſſiſque IↃ delectis, qui in caſtra uſque hoſtium eos ad pugnam provocarent, Oſmanis juſſu aciem inſtruunt [b] Cicada et Amidae purpurati cum XXXIIII CIↃ armatorum, et explicatis ſignis ac tubis clangentibus in Perſas ducunt. Per VIII milliaria amplius ſemper recedendo a IↃ illis praemiſſis mira arte extractum certamen, donec, jam feſſis Turcis, Princeps cum toto exercitu, qui XX CIↃ bellatorum recentium conſtabat, apparuit; et ultione ardens contra conſcientia veluti attonitos, interque pugnandum perfidiam, avaritiam, et libidinem Turcis exprobrans, ad extremum multis occiſis eos in fugam vertit. Primus Amidae purpuratus diffugientibus ſuis e pugna receſſit. Cicada diu poſtea pugnando, et certamine aliquoties reſtituto, hoſtem moratus eſt: ſed poſtremo cedere coactus, cum deſtitutus a ſuis jam nullos circa ſe haberet, amiſſis omnibus vexillis, et tribus pueris quos in deliciis habebat, ſe quoque cum aliis fugae commiſit. Deſiderata eo proelio VIII Turcorum CIↃ; quo et inſigni exemplo conſtitit, Perſas, ſi uſum tormentorum demas, Turcis longe virtute bellica ſuperiores eſſe. Captus Sinanis Cicadae legatus, et aliquot alii. Hoc ſucceſſu elatus Princeps fecialem ad Oſmanem, quem aegrotare neſciebat, mittit, qui pugnandi copiam peteret. Nec abnuit, licet ingraveſcente in dies morbo, Oſman, cunctoſque purpuratos in aciem prodire jubet. Sic autem Turci inſtructi erant: in medio ſtabant Amidae et Sinan Cicada purpurati cum milite Aſſyrio et Babylonio. Siniſtrum cornu regebat Aſiae minoris purpuratus cum Graeco milite. Dextrum ducebat cum Syris copiis Amurathes Ciliciae purpuratus; totuſque exercitus ad LX CIↃ bellatorum accedebat. Praetoriani cum tormentis penes Oſmanem lethaliter aegrotantem remanſerunt. Acies Perſica ita inſtructa erat, ut Princeps mediam teneret, hinc Perſae et Hyrcani, inde Parthi et [c] Atropateni egregie armati ſtarent, numero omnes circiter XL CIↃ. Longo ac porrecto gyro cum aciem circumducerent Perſae, ut tormentorum primum impetum declinarent, id conſpicati Turci, veritique ne a tergo in caſtra ad avehendam praedam jam camelis impoſitam tenderent Perſae, et ipſi retro cedunt; et ita Perſas intra tormentorum jactum prope adduxerunt. Quod ut illi vitarent, contracta protinus acie primi impetum faciunt; et Princeps ipſe in mediam aciem ruens Amidae purpuratum propria manu mactat, caputque a cervice reciſum et haſtae praelongae impoſitum uni ex domeſticis ſuis geſtandum dedit. Ejus conſpectu ſibi noti territi Turci; contra ſpe victoriae erecti Perſae vim ingeminant. In eo conflictu cecidit [d] Trapezuntinus purpuratus, [e] Pruſae in Bithynia praefectus; [f] Schenderus Graeciae praetor, cum aliis V praefectis et multis [g] cubiculariis ac ſtrenuis centurionibus. Captus [h] Ciliciae purpuratus, in puteum pugnando praecipitatus. Nox caedium finem fecit. Nuſquam magis cruento proelio certatum: cecidere ex Turcis XX CIↃ. Majorem duplo numerum edit epiſtola, quam dixi, praefecti Apameae. Jamque munitione ad eam altitudinem perducta ut defendi poſſet, Europaei, praedae avehendae cupidi, et ſuorum clade moeſti, de reditu cogitabant; quem et precibus et prenſationibus primo urgebant; mox, ſublatis vocibus ſeditioni propioribus, oſtendebant, niſi mature reducerentur, ſe a ſignis diſceſſuros. Id cum Oſmani, jam deſperata ſalute decumbenti, renunciari per fidos curaſſent, ille, qui in mora periculum majus vereretur, novae munitioni Giafferem eunuchum Tripolis purpuratum, quem Ebraimis militiam detrectantem ultro in caſtra Oſmanis veniſſe diximus, impoſuit, attributis ei [i] Bithiae et Marrae

INTERPR. [a] *Emir-Emza.* [b] *Cicala Baſſa, & le Baſſa de Cara-Hemid.* [c] *Ceux de Sirvan.* [d] *le Baſſa de Trebiſonde.* [e] *le Sangiac de Burſia.* [f] *le Beglerbeg de la Romelie.* [g] *Chaoux.* [h] *Caramanie.* [i] *les Sangiacs de Bir & de Marra.*

CIƆ IƆ LXXXV. HENRICUS III.

Marrae praefectis; atque, ut tanti momenti arcem tuendam libentius ſuſciperet, triennale loci vectigal concedit, et ipſum Amidae purpuratum in locum defuncti ad triennium creavit; quo exacto, in Porta inter ceteros majorum gentium purpuratos ſeſſurus eſſet. XII CIƆ bellatorum, praeter C mancipia, quae Giaffer penes ſe habebat, loco inſuper impoſita, cum idoneo tormentorum numero et rebus aliis ad victum ac defenſionem in annum uſque ſequentem neceſſariis. Quo facto, ut Europaeis ſatisfaceret Oſman, vaſa conclamari jubet, ineunte Novembri, octogeſimo ſeptimo poſtquam Erzirumo diſceſſerat die; et primis caſtris [a] Sancazanum venit, ſeptem a Tauriſio milliaribus. Cum in eo eſſent Turci ut tentoria figerent, ſtrepitus armorum, hinnitus equorum cum tympanis et tubis clangentibus venientium, ab una parte auditus: quo dum Turci ſigna vertunt, altera parte Princeps Perſarum cum XXIX CIƆ bellatorum acrem impreſſionem facit, et camelos, mulos, ac alia ſagmataria jumenta praeda Tauriſiana et annona exercitus uſibus neceſſaria onuſta abigit; moxque, VI CIƆ equitum, qui ea retro in tutum deducerent, attributis, ipſe acriter certamini inſtat; et, dejectis late tentoriis, momento magnam et inſignem Turcorum ſtragem edidit, ita ut jam in ipſius Oſmanis animam agentis tentorium impetum facturus crederetur; cum praetoriani, qui illud ad tormenta ſedentes circumſiſtebant, protinus ex purpuratorum conſilio pugnam fortiter capeſſunt, et cunctas machinas diſplodi jubent, majore initio ſuorum, qui ante principia pugnabant, poſt etiam aliquo Perſarum damno; qui ſanguine inimico ſatiati, cum jam praedam in tuto eſſe ſcirent, ſenſim ſe victores receperunt, fruſtra inſequentibus Graecis ac Byzantinis praedae recipiendae deſiderio; qui tandem in caſtra feſſi, et ſuorum clade, qui ad XX CIƆ eo die cecidiſſe perhibentur, triſtes, etiam virtute hoſtium ſtupefacti, ſe contulerunt, amiſſa cum ſuo inſigni damno praeda, quam fidei cum jactura et multo ſuo ſanguine quaeſiverant. Eodem die Oſman, non ex vulneribus, ut falſo jactatum fuit, ſed ex dyſenteria incurabili, qua jam ab initio laboraverat, deceſſit, nominato per codicillos Cicada, qui ſupremo cum imperio exercitui praeeſſet. Mors ejus celata Turcos diutius quam Perſas latuit, ad quos tres juvenes, qui gemmarum, auri, et pretioſi mundi Oſmanis cuſtodiam habebant, mortuo hero, cum generoſioribus equis transfugerunt; ex quibus cognovere jam a longo tempore Oſmanem decubuiſſe, et eo die fato conceſſiſſe: eoque minus mirum viſum, quod, imperatore aegrotante, et licentia in caſtris per occaſionem morbi ejus graſſante, Turci tanta immanitate in Tauriſianos contra fidem datam uſi erant; alioqui minime id facturi, ſi per valetudinem Oſmani rei ſummae ſupereſſe licuiſſet. Ex ejus morte occaſione capta, Princeps cum XIV CIƆ armatorum rurſus recedenteis Turcos inſequitur; et, cum in dextro cornu tormenta eſſe reſciviſſet, ad ſiniſtrum vim facit. Sed, converſis machinis et aperta acie dextra, in laevam diſploſio facta; qua infeſtati Perſae protinus in medios ruunt, et pugnam capeſſunt. Principi ab initio conſtitutum erat, ſi poſſet, pugnando Turcos in eam partem praecipitare, qua palus tunc deſiccata, foetidumque aquis reſtagnantibus odorem exhalans, ſuberat; quam vitaturos illos, quippe locorum ignaros, minime putabat. Itaque, quo eos eliceret, ipſe ſenſim cedendo eo tendebat. Sed, monitus a [b] Maxude transfuga et [c] Davide Georgiano locorum gnaris, Cicada explicata fronte hinc inde in latera ſuos immittit, qui Perſas in foſſam, quam ipſi paraverant, impreſſione acri facta, impellerent. Senſit contrarium aſtum Princeps, ſed ſerius quam ut ſuos jam in arctum coactos in tempore periculo contra hoſtem excogitato eripere potuerit. Periere palude hauſta III CIƆ Perſarum, minore multo Turcorum numero ea pugna deſiderato;

INTERPR. [a] *Sancazan.* [b] *Maxud Chan.* [c] *Daut Chan.*

deſiderato; quae ſola ex quinque paucorum dierum ſpatio commiſſis damnoſa Perſis fuit. Princeps inde in caſtra ad parentem rediit. Turci [a] Salmam proceſſere, ubi primum mors Oſmanis in caſtris vulgata fuit. Salma Vannum itum; ubi, recenſito exercitu, compertum, ratione diligenter inita, periiſſe in ea expeditione Turcorum LXXXV CIϽ, in quibus erant lectiſſimorum militum veteranorum ad XL CIϽ. Dimiſſus Vanni exercitus, et praefecti in ſuas quique provincias abiere: extemploque Cicada ad Amurathem diligenter ſcribit, et de ſucceſſu capti Tauriſii, munitionis in urbe exſtructae, ac morte Oſmanis, eum certiorem fecit. Audita Oſmanis et tot hominum morte, majore moeſtitia quam laetitia acceptus Conſtantinopoli primo nuncius: dein Tauriſii capti in majus exaggeratum momentum; edictoque propoſito cunctis imperii civitatibus imperatum, ut in publicae laetitiae ſignum pompae ubique feſtae more gentis celebrarentur. Quin etiam legati Franciae, Pannoniae, hunc titulum Caeſareus orator prae ſe fert, reipublicae Venetae, et aliorum principum moniti, ut idem facerent. Verum illi ſe excuſarunt, et in more poſitum negarunt, ut publicae laetitiae ſigna ederent, niſi cum princeps ipſe victor e caſtris in urbem rediret. Dimiſſo exercitu Vanni, a Cicada conſultatum fuit, de commeatu et auxilio Teſliſium ſummittendo. Id oneris in ſe ſuſcepit David Chanus, ſpe praemii ab Amurathe conſequendi; et, acceptis a Cicada XXX CIϽ cechinorum, Teſliſium ſumma felicitate ivit; nulloque in itu aut reditu damno accepto ad Cicadam reverſus eſt; rei tam bene geſtae ergo poſtea commendatione Cicadae ab Amurathe [b] Maroniae praefectura in Cappadociae et Meſopotamiae confinibus cum titulo purpurati donatus. Maxudes Chanus, qui dux viae et praecipuus conſiliarius una et altera expeditione fuerat, praefectura itidem opulenta Alepi decoratus fuit. At rex, poſt Turcorum diſceſſum, collectis animis, cum indigniſſime ferret, magno ſuarum rerum in praeſens incommodo, in poſterum detrimento, Tauriſio a Turcis arcem impoſitam eſſe, neque tamen ad oppugnationem ejus aut miles recens, aut machinae cum apparatu bellico ſuppeterent; nam neque in [c] Aria neque Geilenſi provincia Abas Merizes et Thamaſus juniores regis filii conſcribi militem patiebantur, et Turcomanni morte Emiris-chani alienati in rebellione ac contumacia adhuc perſeverabant; conſilio cum regni proceribus habito, placuit, ut, quamvis aſpera hyeme, munimentum novum a Turcis Tauriſii exſtructum obſidione cingeretur; et Turcomanni, miſſis ad eos legatis, ad bellum commune, quo tot gravia damna et injurias a Turcis acceperant, conditionibus eorum arbitrio permiſſis, invitarentur. Miſſi igitur, qui Emiris mortem excuſarent, eamque juſto regis ſuſpicacis et publicae calamitati indolentis dolori peterent condonari; ceterum regem paratum oſtenderent, quavis ratione honeſta eis ſatisfaciendi; tantum ad commune bellum ſe parent, et exitium certum, quod Perſico imperio, ſi in diſcordia perſeverent, impendet, ſarta concordia avertant. Diligenter et ad [d] Mechemetem et Califam Sultanum praecipuos inter Turcomannos ſcribit rex; qui, quanquam ultionem animo agitarent, cum ejus expeditiorem fore rationem per ſimulatam reconciliationem ſperarent, ultro ſe paratos oſtendunt, quo ducere vellet, ſequi. Rex, ut Turcicum propugnaculum recens Tauriſii aedificatum oppugnent, enixe rogat, et arcem illam, quaſi jugum Perſici imperii, cujus pars praecipua ſint, cervicibus impoſitum, a fundamentis demoliantur. Igitur Mechemetes et Califa ad regem cum X CIϽ egregie armatorum veniunt; et ſummum praefectum, qui ipſis in bello praeſit, dignitate et virtute praeſtantem, a rege in Emiris locum creari poſtulant. Rex vero, quamvis diſſuadentibus proceribus qui circa eum erant,

INTERPR. [a] *Salmas.* [b] *Baſſa de Maras.* [c] *Heri, & Gheilan.* [d] *Mehemet Chan, & le Chaliſe Sultan.*

CIↃ IↃ LXXXV.
HENRICUS III.

et cum reconciliatis amicis, ut circumſpectius ageret, monentibus, cum hoc unum omni ſtudio quaereret, ut homines offenſos petitionibus eorum ſatisfaciendo placaret, ſperaretque ea ratione, ut illi, ſi quidquam ſiniſtri conſilii animo coquerent, id novo beneficio devincti deponerent, et ſincera in poſterum obedientia ac intemerata fide reipublicae inſervirent; [a] Thamaſum filium nondum ulla praefectura ornatum ipſis belli ducem offert, tanquam obſidem egregiae ſuae erga Turcomannos voluntatis. Conditionem accipiunt laeti Turcomannorum duces; et, cum inſtarent proceres apud Hodabendam, ut conſilium de filio Turcomannis praefecto dando in melius mutaret, illi, quo regem in concepta de ipſorum fide opinione magis confirmarent, et ſcrupulum omnem proceribus de conjuratione eximerent, Tauriſianae arcis oppugnationem ſumma alacritate adorti ſunt; ita ut fama ejus expugnatae primum per Aſiam ſparſa, inde in Europam omnem brevi emanaverit. Sed mox, ut Thamaſum in poteſtate habuerunt, ambitioſis incautum juvenem promiſſis a patre paulatim alienant; ac poſtremo, vana ſpe regni, dejecto patre et fratre praeterito, conſequendi deceptum, ad defectionem ſolicitant; relictaque noctu obſidione clam ſecum abducunt, [b] Caſminum verſus iter intendentes, ut in regia ſede infauſta uſurpati per ſcelus imperii inſignia caperet. Qua ex re, ut par erat, perculſus nimium credulus parens; tum vero [c] Emza grandior filius, qui ad obſidionem haerebat, ſummum dolorem cepit, quid ageret anxius: nam et inde ab obſidione tam bene inchoata aegre diſceſſurus erat, et ſerpenti per defectionem ubique rebellioni in tempore non occurrere ſumme periculoſum videbatur. Tandem omitti obſidionem placuit, et contra conjuratos ducere; quos ille cum delecta XII CIↃ manu inſecutus, haud longe a Caſmino aciem inſtruit. Ceterum cum multos tam ſcelerati conſilii poeniteret, alii Principis virtutem tot proeliis exploratam reformidarent, ſciſſis voluntatibus ſine certamine Turcomanni diſſipati ſunt, deſertis proditionis ducibus; qui mox juſſu Principis, quod inultam tantam perfidiam minime manere ad exemplum pertinere exiſtimaret, ſecuri percuſſi ſunt. Thamaſus in [d] Cahacam arcem ſub cuſtodia conjectus eſt. Ex Turcomannis V CIↃ in [e] Babyloniam transfugerunt, et gratia deſperata Turcis ſe dedidere; a quibus injurioſe habiti, eodemque tempore patria ac libertate amiſſa, hoſtibus ſuſpecti, ſuis inviſi, miſerabili in ſervitute perierunt: alii, quos Caſminum profectus ex ſtrage incruenta collegerat Princeps, rurſus ei fidem addixerunt; quorum ille ope fretus relictam obſidionem repetere conſtituit. Interea Giaffer, praeſidiariorum, partim morbis, partim aliis caſibus, imminuto numero, cum ſibi metueret, ad [f] Cicadam Vanni purpuratum ſcribit; et ſubſidio aliquo, donec ampliora auxilia ab Amurathe cum exercitu ſummittantur, juvari petit. Nec Cicada officio defuit, quamvis periculo non carere judicaret, ſi praeſidio Vanni deducto provinciam propriam deſereret, ut in aliena res injuſſu imperatoris gereret: nam accidere poſſe, ut a tergo Perſae Vanno incumbant, et locum praeſidio deſtitutum interea occupent. Nihilominus cum III CIↃ ſcloppetariorum delectorum et magna commeatus copia ſe viae accingit; ſed in itinere certior factus per ipſius Principis exploratores Salmam praemiſſos, ut de rebus Turcorum cognoſcerent, Principem haud hinc longe inſidias ſtruxiſſe, domum re infecta rediit. Eodem tempore [g] Saitanchalaſſium a praeſidiariis Turcis deſertum eſt; quod [h] Loriana arx vicina ad tractum illum in officio continendum ſufficeret, et, nova Tauriſii exſtructa munitione, parcendum ſumptibus videretur. Tunc et Reivani purpuratus [i] Chiulfalium duxit cum IↃ ſcloppetariis. Locus eſt in Armenia, trium dierum a Tauriſio itinere, ad fineis Atropatenorum poſitus, qui a X CIↃ Chriſtianorum

INTERPR. [a] *Thamas.* [b] *Casbin.* [c] *Hamze.* [d] *Rocca di Cahaca.* [e] *Bagdat.* [f] *Cigala Baſſa de Van.* [g] *Saitan-Chalaſſi*, i. e. *Diaboli caſtellum.* [h] *Lory.* [i] *Chiulſal.*

Chriſtianorum ſecundum Georgianorum ritus religionem colentium habitatur, ſerici artificio et mercimonio dives; qui, tributo grandi depenſo, ſub imperio Perſico libertatem tuetur. Oppidani adventu Turcorum cognito portas claudunt, et arma ſumunt, miſſis obviam legatis, qui vim deprecarentur, iram regis ſui in cauſa fuiſſe dicentes, quo minus tributum temporius attuliſſent; tum munera placandae purpurati avaritiae offerunt. Ille, qui vireis idoneas non haberet, ut locum vi caperet, excuſationes in bonam partem accipere ſe oſtendit; et, muneribus, quorum praecipue cauſa expeditionem ſuſceperat, acceptis, Reivanum reverſus eſt; fama ſparſa, quod ad vanitatem facere amant Turci, quaſi Chiulfaliani ultro Turcis ſe ſubjeciſſent, et exemplo ſuo ad defectionem aliis civitatibus praeire voluiſſent. Itaque Aliculis ſatrapa continuo ab Hodabenda eo miſſus cum III CIↃ armatorum, ac mandatis, ſi quidem vera eſſent quae jactabantur, ut oppidum diriperet, et incendio deformaret. Quod cum aliter habere comperiſſet, miſeros homines ad majora, quam quae Turcis dederant, regi offerenda munera, in ſignum fidae obedientiae compulit. CIƆ IↃ LXXXV. HENRICUS III.

V. JAMQUE de novo exercitu in Perſiam mittendo, novoque duce poſt mortem Oſmanis deligendo, in Porta conſultabatur, qui Tauriſium ab eo anno ſuperiore captum tueretur, et majores porro progreſſus contra Perſas faceret. Codicillis Cicadam moriens Oſman nominaverat, hominem virtute praeſtantem, et qui jampridem ſecunda fama illis in locis rem bellicam adminiſtraverat. Verum aetas in eo requirebatur; longeque a ſummi imperatoris conſpectu, niſi a maturae aetatis duce, diſciplina inter milites licentiae aſſuetos ſervari non poſſe videbatur. Itaque Ferhates rurſus delectus, jam bello eo, ſi non omnino ſecunda fama, quippe cum aemuli calumniati fuerant, quod interverſis ſtipendiis ad ſordidas functiones praetorianos ac ceteros digniores milites adegiſſet, ſaltem re bene geſta, defunctus: qui Aprili menſe ab urbe, peſte admodum violenta in ea graſſante, cum pleno imperio diſceſſit, et per [a] Chalcedonem terreſtri itinere [b] Sebaſtopolim Julio exeunte venit. Negotium et datum Uluzali ſummo maris praefecto, qui nuper [c] Sinope redierat, ut praetorianos triremibus impoſitos [d] Trapezuntem ad eam expeditionem portaret. Major in re pecuniaria expedienda difficultas fuit: nam praeter locorum vectigalia et Aegypti totum illud IↃC cechinorum CIↃ tributum, ab Alepi negotiatoribus LX aureorum CIↃ, ex portoriis et teloniis Syriae mox reſtindenda, mutuo ſumpta ſunt, magno inſtitorum fremitu; qui et ea re commercium turbari dicebant, et, ne pro levi ſumma magnae penuriae Perſis, atque adeo Chriſtianis principibus, argumentum daretur, ad tanti imperii magnitudinem pertinere exiſtimabant. CCCC tormenta bellica ab Amurathe impetraverat Ferhates; et inſuper tenuerat, ut Maxudes ſibi dux viae et conſiliarius daretur, et Cicada, quod cum illo minus bene conveniret, a Vanni praefectura in [e] Babylôniam mitteretur. Exercitus fere ejus Europaeis conſtabat, ex Graecia et Pannonia copiis majore numero, quam antea, ad illud bellum profectis; quippe conſultum Amurathi viſum fuerat, alios milites, quam qui ſub ipſo tantas turbas ultima ſua expeditione in exercitu excitarant, ei ad bellum illud attribui. Ad Sebaſtopolim diutius haeſit, quod Erzirumi, quo copiae antea de more conveniebant, magna annonae anguſtia laborabatur. Igitur a Giaffere, qui ejus adventum per crebros nuncios urgebat, ſolicitatus, Erzirumum ineunte Quintili contendit; tantumque locum praetervectus, mox Vannum venit, quo jam copiae ex Syria venerant, declinato in itinere Erzirumo; quod et Haſſan loci praefectus ob eandem cauſam deſeruerat, et Carſam conceſſerat. Vanni exercitus luſtratus, et jam CIƆIƆ LXXXVI. HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Scutari.* [b] *Sivas.* [c] *Sinabé.* [d] *Trebizonde.* [e] *Bagdat.*

CIↃ IↃ LXXXVI. HENRICUS III.

jam tum aemulatione Sinanis, qui, hoſte procul viſo, quaſi pugnaturus aciem inſtruxerat, ſed juſtiore de cauſa ut inſidias Perſarum devitaret, ſuos ordinat. Primam aciem ducebat Meſopotamiae purpuratus, ex milite intra Euphratem et Tigrim collecto conſtantem, cujus numerus ad XII CIↃ accedebat. Damaſci purpuratus, qui gentes Syriae ducebat, ultimum agmen regebat, et VIII CIↃ bellatorum ſub ſe habebat. In medio gentes Europaeae erant ex Graecia, Peloponneſo, Pannonia, ac vicinioribus Europae gentibus, puta [a] Bithynia, conflatae, numero XVIII CIↃ: tum cornua firmaverat, et in dextro, cui [b] Ciliciae purpuratus praeerat, Ponti, Cappadociae, Ciliciae, et ceteros [c] Aſiae minoris milites collocaverat, qui numerum XII CIↃ efficiebant: tum foſſa praetenta machinas bellicas ab ea parte diſpoſuerat. In ſiniſtro [d] Maroniae, Erzirumi, et Vanni purpurati ſtabant, cum utriuſque Armeniae gentibus, et Curdorum praefectis, qui circa [e] Toſpitem lacum et Martianam paludem habitant, eiſque attributus erat ſummus [f] caſtrorum praefectus. Volones, qui ſtipendiarii non erant, numero XX CIↃ, in utroque cornu aequaliter diſtributi erant. Excubiarum cura commiſſa fuit Aſiae minoris et Amidae praefectis. Sic autem incedebat: prima acies milliaris unius intervallo praecedebat, tum ſequebatur [g] ſtabuli praefectus cum CCCC praetorianis ac totidem [h] ſolachis; quos rurſus praetorianorum ſubſequebantur IV CIↃ, et poſt eos ſtipatores Ferhatae longioribus ſcloppetis, qui [i] Algeriae in Africa fabricantur, armati: poſt ipſos inter mediam et ultimam aciem impedimenta et ſagmentaria jumenta, quae annonam portabant, incedebant. Ab inſidiis, quibus Oſman tot hominum jacturam anno ſuperiore fecerat, cum ſibi ante omnia cavendum duceret Ferhates, eo majorem in caſtris diſponendis et inter incedendum curam adhibebat. Eo metu anxium ſolabatur ſecreta ſpes de caede Emzae principis, aut eo in Turcarum manus tradendo, concepta; quam Aliculin animo agitare, ut imperium in Abam-Merizem juniorem fratrem transferret, communicatis ſecum antea conſiliis, ſciebat; ad quam quo magis Aliculin incitaret, ſpem fecerat, ut ſublato Emza facilius inter Turcos et Perſas conveniret: nam ejus ambitioſum et truculentum ingenium multis de cauſis merito Amurathi ſuſpectum eſſe; et cupere Sultanum, ut quamprimum arma, quae contra Chriſtianos potius moveri utriuſque gentis interſit, ab Aſia in Europam vertantur.

VI. EAS inſidias vitae ſuae ſtructas cum praeſentiret Emza, tamen ad extremum vitare non potuit. Tunc vero cum ad Tauriſianae arcis obſidionem exeunte Julio veniſſet, ſive ob eum metum, ſive quod capta arce Turcos, de quibus ampliores poenas expetere cupiebat, habere in poteſtate ſua deſperaret, ſtatim inde diſceſſit; et, cum intellexiſſet [k] Zeinellum natione Curdum, et Salmae cum titulo purpurati impoſitum, haud procul in armis eſſe, in eum ducit, et oppreſſum in fugam vertit; fugientiſque veſtigiis inſiſtens Salmam impetu capit ac diripit, templa ſpoliat, in utrumque ſexum nullo diſcrimine ſaevit, eadem prorſus licentia, ſeu potius rabie, qua Turci erga Tauriſianos uſi erant. Inde verſis contra Reivani purpuratum, qui cum CIↃ IↃ ſcloppetariis vicinum agrum vaſtabat, viribus, eum non procul a Reivano adſecutus in fugam vertit, multis ex ſuis interfectis, nullique eorum, quos nanciſci potuit, vitae gratia facta. Inter haec de permutatione [l] Ebraimi ſatrapae, qui legati titulo ad Amurathem miſſus, quaſi non tanquam orator ſed explorator Conſtantinopolim veniſſet, [1] et Murathis purpurati in proelio capti, inter partes actum eſt; Turcique eam urgebant, ſed Perſae longe aliam utriuſque rationem eſſe oſtendebant: nam Ebraimum contra jus gentium retentum, contra Murathem jure belli captum; proinde alios captivos pro eo dimitti petebant: verum nihil

ab

INTERPR. [a] nunc *Burſia.* [b] *Caramanie.* [c] *Natolie.* [d] *Maras.* [e] *Laghi Toſpite, & Actamar.* [f] *Maeſtro del campo.* [g] *Imbrahar Baſſa.* [h] *Solachi.* [i] *Alger en Barbarie.* [k] *Zeinel Bey, du pays des Chourdes.* [l] *Ebraim-Chan.*

NOT. [1] *Supple* in cuſtodia retinebatur,

ab iniquis Turcis impetrari potuit. Emza, poſt fugatum [a] Reivanenſem praefectum, ad parentem redierat, qui juxta Tauriſium caſtra muniverat, in quibus ad XL CIↃ bellatorum fuiſſe memorantur, copiis e [b] Geilenſi et Aria provincia, quae Aliculi et [c] Ametis ſatrapae filio ductoribus venerant, in eo numero comprehenſis. Negotium datum Aliculi cum Ariano milite et Turcomannis, quos poſt defectionem Emza collegerat, et Emanguli ſatrapae cum Armeniae et Mediae copiis, ut contra hoſtem ducerent, et locis anguſtioribus et ad inſidias opportunis venientem exciperent; eo conſilio, ut, carptis et intercifis hoſtium copiis, poſtea cum ad Tauriſium acceſſurae eſſent, cum toto exercitu incumberent, et commiſſo proelio jam infractas ad internecionem delerent. Verum Aliculis, qui de inſidioſo contra Emzam conſilio, potius quam contra hoſteis, cogitaret, licet imperio in ſpeciem alacriter accepto, nihil omnino adverſus Turcos molitus eſt, alias atque alias, quo minus cum iis congrederetur, excuſationes et procraſtinandi rationes commentus; quibus et effecit, ut Emangulis, quanquam ſceleratorum ipſius conſiliorum minime conſcius, pariter nihil ea in expeditione geſſerit. Eoque in majorem conjurationum ſuſpicionem adductus Emza, jam non de hoſtibus debellandis, ſed de privata ſalute contra domeſticos inimicos ac imperii proditores tuenda, ſolicitus eſſe coepit. Itaque, omiſſis contra Turcos bene procedentibus conſiliis, omnem animi et imperii vim contra Aliculim vertit. Nec feliciores fuere Simonis Georgiani conatus. Is cum VIII CIↃ delectis domo profectus, ſparſa ante ſtudioſe fama, quaſi ad ſectam Mahumetanam denuo defeciſſet, mandata falſa, ſed ingenioſe conficta, a Porta attulerat ad Teflifii purpuratum, cum magno jumentorum onuſtorum numero; quibus praefectus ille jubebatur, Simonem cum pecunia, ea L aureorum CIↃ eſſe dicebatur, et commeatu intra munitionem accipere, eique arcem tradere. Dictis initio fidem habuit praefectus; et praeſidiarii ſtipendii ſpe, quod in ſpeciem repraeſentabatur, facile ſe decipi patiebantur: ſed unum ad fraudem reſtabat, quo deficiente Simo fruſtra fuit; nam teſſeram dare rogatus, cum eam ignoraret, non potuit; et ita detecta fraude praefectus in eum diſplodi tormenta jubet, quibus cum damno repulſus re infecta rediit. Interea Ferhates ſine impedimento Tauriſium venit, et arcem novo praeſidio ac commeatu firmavit; [d] Cucciuci item haud longe a Tauriſio, et [e] Coii, necnon et [f] Curni, quod erat [g] Ebraimi captivi, de quo modo dixi, ditionis oppidum, munitiones novas exſtruxit, idoneo praeſidio unicuique impoſito; et incolumem exercitum, re feliciter citra ſuorum ſanguinem geſta, Erzirumum reduxit. Ita Perſarum princeps, poſt tot ſecunda ſuperioris anni proelia, cum majora hoc anno tentandi ſpem concepiſſet, ea omnino excidit, domeſticis inſidiis retardatus; quibus felices hujus anni ſucceſſus Turci, potius quam ſuae virtuti, debent. Pulſo tandem et amoto Aliculi, cum poſt Ferhatae diſceſſum novos conatus reordiretur, Emanguliſque, cujus fidei ac virtuti multum tribuebat, opera uti conſtituiſſet, cum minus putabat, ab eunucho domeſtico, ab Aliculi, ut vero ſimile fit, ſubornato, nocturna fraude interfectus eſt; cum eoque virtutis Perſicae lumen, quod adeo ſplendori Othomanici imperii officiebat, extinctum; fama maligne a Turcis caedis auctoribus ſparſa, quaſi patris ipſius juſſu, qui Abam-Merizem quam Emzam regni heredem habere mallet, id factum eſſet; quo ad miſeri parentis infortunium etiam paricidii infamiam adderent, et eum filiumque ejus ex tanti ſceleris deteſtatione ſuis inviſos ac execrabileis redderent. Sane parens ejus magnum ex fortiſſimi filii caede dolorem concepit, ex quo, ad eum accedente rerum ſuarum taedio, paulo poſt obiit, relicto Aba-Merize imperii herede. Antequam moreretur, ad firmandum contra

INTERPR. [a] *Baſſa de Reivan.* [b] *Gheilan, & Heri.* [c] *Amet-Chan.* [d] *Cucchive.* [e] *Coy.* [f] *Curn.* [g] *Ebraim-Chan.*

contra Turcicam potentiam imperium cum magno Tatarorum [a] imperatore foedus icerat; qui et ipſe, oppreſſo Perſa, proximum ſe potentiae fore cum videret, cui ex ea ruina multum virium acceſſurum eſſet, ad foederis, quo ſe uterque mutuis ſubſidiis adverſus communem hoſtem ferendis obligarunt, etiam majoris conjunctionis cauſa matrimonii, vinculum intercedere voluit, filia in uxorem regis Perſarum filio data; et ad Perſae uſum pactus eſt, hominum ſe XX CIƆ ſuis ſtipendiis tamdiu in armis habiturum, donec finis bello ex voto Perſarum imponeretur.

VII. PER abſentiam e Syria praefectorum res aliquantum iis in locis turbavere. [b] Manolius ſuperioris anni injurias perſequi certus, poſt Ebraimis diſceſſum ad ſua reverſis [c] Truſcis, cum delecta manu uſque ſub portas Tripolis et [d] Balbeci, quam Caeſaream Philippi fuiſſe autumant, excurrit, et Ebnemanſuris ditionem vaſtat; connivente ad haec, ſive metu ſive diſſimulatione, Ebnefreco, ut invidiam alienae crudelitatis, cujus ſe miniſtrum nuper praebuerat, eo erga Manolium officio elueret: quod cum indignum oppidanis videretur, inter eos extitit quidam [e] Mamutes, qui pecunia data Perſicae militiae neceſſitatem redemerat; qui, cum alioqui in telonaei Tripolitani conductione gratiam ſibi fieri ambiret, ultro ſe ducem contra Truſcos praedones profeſſus eſt. Is igitur, cunctis, qui arma ferre poterant, exire juſſis, ipſo etiam, ne quid reliqui faceret, [f] judice et rationali, qui a militiae onere alioqui immunes ſunt, in Manolianos ducit; quos ad primum conſpectum diffugituros cum ſibi falſo perſuaſiſſet, longe ſpe ſua deceptus eſt: nam Manolius acri impreſſione facta cum primos ordines diſturbaſſet, et judicem ante omnium ora ex equo dejectum ictu ſcloppeti tranſverberaſſet, ilico oppidani caſu territi fugam capiunt, et ipſe Mamutes vexillo amiſſo cum ceteris fuga ſibi conſuluit. Quod ubi in Porta cognitum eſt, Ebnemanſur et [g] Mendeles, qui in eo erant ut libertati reſtituerentur, in arctiorem carcerem truſi ſunt; et protinus Halis Alepi natus titulo Damaſceni purpurati in Syriam mittitur, qui novos motus, antequam magis creſcerent, comprimeret, et, ſi poſſet, Truſcorum gentem omnino deleret. Verum is, tempore ob incertum belli Perſici eventum ſuſpecto, et alioqui propter inſolitam provinciae calamitatem, nihil bello moveri conſultum duxit; ſatiſque habuit, ab hominibus tot injuriis privatis, et ex deſperatione potius quam animo res novas moliendi arma ſumentibus, dona ac pecuniam emungere, fide accepta, ut in poſterum ſe in officio continerent. Laborabat eo tempore pabuli omnis generis et annonae inopia Syria, ob locuſtarum nuſquam hominum memoria tantam viſam multitudinem, quae denſae nubis inſtar die in media luce obſcurato volitantes, agrum circumquaque depaſtae ſunt; idque prodigii loco in ea provincia acceptum eſt. Paulo ante menſe Junio Conſtantinopoli cum nubecula quaedam ſubito ſuborta eſſet, ea deſinente mox locuſtis pluit, quae fructus omneis et arborum folia vaſtitate mira abſumpſere. Alii motus et in Turcico imperio tunc fuere: nam exeunte anno Croatinis in finibus aliquot millia Turcorum a noſtris numero longe imparibus fuere caeſa. Periit inter alios purpurati Boſnenſis frater, qui ambo Mechemetis [h] purpuratorum quondam principis, qui Selimi II filiam et Amurathis ſororem in uxorem duxerat, filii perhibebantur: caput ejus a cervicibus reſciſſum Viennam ad Erneſtum Auſtrium perlatum fuit.

VIII. ANTEA Petrus Toletanus, Garſiae ſummi triremium in mari Mediterraneo praefecti filius, infelicem expeditionem in [i] Cercinam inſulam Africae vicinam ſuſceperat: ea longa XXV CIƆ paſſuum, lata dimidium ejus, ubi plurimum, ac in extremo non plus V CIƆ, perparvam ponte conjunctam [k] Cercinitidem habet;

Meningem

INTERPR. [a] *Grand Chan de Tartarie.* [b] *Manogli.* [c] *les Druſes.* [d] *Balbec.* [e] *Mamut Beg.* [f] *Cadi & Dephterdar.* [g] *Mendel.* [h] *Premier Viſir.* [i] *Cherchene.* [k] *Carcana.*

[a] Meningem ſive Lotophagitidem, de qua alias diximus, infelici itidem Hiſpanorum expeditione famoſam, c paſſuum millibus diſſitam, ad laevam ſpectat. Igitur Toletanus Neapoli ſolvens cum XVIII triremibus, cum in [b] Asfachi, quod eſt oppidum Tunetani regni, conſpectum ineunte Quintili veniſſet, in [1] Cercinam proximam ad praedas abigendas exſcenſionem facere decrevit; cujus incolae agro colendo et paſtorali vitae addicti nullum munitum locum habent, et ingruentibus hoſtibus ſubito in continentem, atque adeo Asfachum, quod XXX paſſuum CIↃ hinc abeſt, confugiunt per poſticum canalem; quem a ſuis occupandum, antequam in inſulam penetraret, conſultum cenſuit Toletanus. Itaque eo miſſus Marcellus [c] Caracciolus Caſarborei marchio cum LX expeditis ſcloppetariis et aliquot centurionibus, ſed qui plus animis quam bellicae rei uſu valerent. Ii, antequam ad averſam inſulae partem, quo juſſi erant appellere, veniſſent, procul conſpicati Mauros aliquot ſub palmeto ad vitandum aeſtum ſedenteis, haud ita bene armis inſtructos, Caracciolo auctores fuerunt, ut illuc exſcenſionem faceret; et, quanquam ille initio contra pugnaret, et Toletani contrariis mandatis ſe excuſaret, ad extremum, [d] Galiani Hiſpani et Jo. Antonii [e] Solimeae Neapolitani precibus victus, ſuos ad illam partem appellit, et per brevia interpoſita ad hoſteis vadit. At Mauri noſtros advenienteis ubi viderunt, qui numero tantum XXVIII erant, ilico ſtrictis gladiis occurrentes ſumma animi praeſentia adoriuntur, ita ut majoris numeri, quam qui cerneretur, fecerint ſuſpicionem; eoque metu praeoccupatis animis noſtri inſidias veriti retro ad naveis ſuas pedem referunt; ad quas aeſtus ſuperventu cum in tempore pervenire non potuiſſent, miſerabiliter caeſi ſunt, et in iis ipſe Caracciolus. Interea Toletanus, qui ſuos in terram expoſuerat, cognito Caraccioli caſu, de tam infortunatis auſpiciis male auguratus, ilico triremeis repetit, et in Siciliam, atque inde retro Neapolim, unde venerat, tendit; quo ſub id Joannes [f] Sunica Mirandae comes ex Hiſpania venit proregis titulo, revocato Petro Girone Oſſunae duce, crudeliter ac avare adminiſtratae provinciae apud Philippum inſimulato, et ob exercitum ſeverius contra eos de nece [g] Staracis judicium Neapolitanis ſumme inviſo.

IX. DAMNUM in [h] Cercina acceptum a Toletano leve fuit comparatione eorum quae ab Anglorum claſſe in Indiis occidentalibus Hiſpani paſſi ſunt; evulgato arcano, nihil eſſe tam Hiſpanorum proprium ac peculiare et munitum in Indiis occidentalibus, quod non Galli, Angli, atque adeo Batavi, cum libuerit, vi ſuperare, diripere, ac publici commercii facere poſſint. Exacerbatis utriuſque gentis potius animis, quam aperte bello indicto, Franciſcus [i] Dracus eques ſuperiore anno claſſem [2] XXV navium Eliſabethae juſſu ſeu permiſſu inſtruxerat, in qua, praeter duces et rei maritimae peritos, II CIↃ bellatorum portabantur, ad ulciſcendas Hiſpanorum injurias, qui inſtitores Anglos cum navibus ac mercibus in portubus Hiſpaniae, contra foederis leges, violato jure gentium, retinuerant: quod eo conſilio fiebat, ut tantundem debilitarentur Anglorum vires, et Hiſpanae firmarentur; quae jam longo ante tempore contra Angliam parabantur. Igitur ille ſolvit [k] Plimoutha pridie Eidus Septembreis, et [l] Galeciae litus primum tenuit XIV Kal. Oct. Ibi cum, nondum bello inter Hiſpanos et Anglos aperte indicto, dubium eſſet, quo animo Angli venirent, per colloquium cum praefecto res tranſacta eſt; et acceptis muneribus inde ſumpta aqua dulci diſceſſit Dracus. In diſceſſu parta ingens praeda, cum populares, hoſtium adventu territi, pretioſam omnem templorum ſupellectilem, quaſi in tutiorem

INTERPR. [a] *le Gerbe.* [b] *Esfacos.* [c] *Caracciolo, marcheſe di Caſadarbori.* [d] *Galiano.* [e] *Solimea.* [f] *de Zuniga.* [g] *Starace.* [h] *Cherchene.* [i] *Drake.* [k] *Plimouth.* [l] *Galice.*

NOT. [1] Pinet, le traducteur de Pline, la nomme Carcana. Ces deux iſles ſe nomment les Cherchenes. *Put.* [2] XXI. *Camd.*

CIↃ IↃ LXXXVI.
HENRICUS III.

tutiorem locum tranſlaturi, in navem impoſuiſſent, quae tempeſtatis vi abrepta in Anglorum claſſem incidit, et ab iis capta eſt: triduumque foeda tempeſtate jactatus [a] Fortunatas inſulas petiit. Cumque [b] Palmam aggredi ab initio conſtituiſſet, difficultatibus deterritus ad [c] Ferream deflexit, et CIↃ armatos in terram expoſuit. Verum ex puero Anglo, qui in inſula erat, ab indigenis ſummiſſo, cum cognoviſſet magna rerum omnium penuria inibi laborari, ſuos in naveis imponit, et objectum Africae litus legit, ad promontorium [d] Album Eidibus Novembribus delatus; ubi naveis Gallicas, quae piſcationi operam dabant, mari locis illis admodum humili, obvias habuit; et poſt mutuas, ut inter foederatas gentes, animi benevoli ſignificationes, ac prandium ſimul ſumptum, ad inſulas promontorii [e] Viridis curſum direxit. Triduo poſt ad inſulam [f] S. Jacobi appulit; et CIↃ armati duce Chriſtophoro [α] [g] Carlilo ſummo Draci vicario, exſcenſione facta iter ad [h] Forum Jacobi, a quo inſulae nomen, intendunt per ardua et ſaxis impedita loca, ita ut inter incedendum acierum ordo ſaepius turbaretur. Tum in planitie ſubjecta urbs apparere coepit; ad quam praemiſſi Joannes [β] [i] Sampſonus et Georgius [γ] [k] Bartonus, ſinguli cum XXX delectis ſcloppetariis, qui citra certamen admiſſi vexillum regium cruce rubra inſignitum in majore propugnaculo ſtatuunt: mox et juſſu Draci regiae inaugurationis feſtum, quod quotannis in Anglia XV Kalend. Dec. peragi ſolet, ſolemni omnium tormentorum diſploſione celebratum eſt. Dein eo loci convaſandis, quae ad victum neceſſaria erant, integri XIV dies inſumpti: ac poſtremo incenſa urbe, et aſportatis quae potuere, Angli ſolventes occaſum verſus ad inſulam Hiſpaniolam ſive [l] S. Dominici curſum tenuerunt; ad quam, cum in itinere ſub natalem Chriſti ad S. Chriſtophori inſulam reficiendae claſſi aliquandiu morati eſſent, tandem Kalendis Januariis hujus anni appulerunt, loco a S. Dominici civitate, quae inſulae nomen dedit, X CIↃ paſſuum diſſito; quod iter emenſi Draciani, protinus acie inſtructa, ad urbem impetum faciunt, et, repulſis qui ad defenſionem exierant, cum iis locum ingrediuntur; et occupata platea, quae circa templum eſt, eam et alia loca opportuna operibus et milite muniunt. Tum incendio excitato oppidani poſtremo adacti, ut ſe redimerent, XXV CIↃ aureorum dependere. Haec eſt inſula totius Americani tractus olim emporium, Angliae regno paulo minor; quam immani Hiſpanorum avaritia vaſtatam, et deletis omni genere ſaevitiae inſulanis deſolatam, moerens Bartholomaeus [m] Caſa Chiappae praeſul a ſacris Carolo V confeſſionibus, privatim primo, dein et publice petiit, ut, occupato bellis Europae Caeſare, miſerorum interea Indorum ratio haberetur; et, diligenti ab ipſo perquiſitione facta, conſtitit, in illa una inſula IↃCCC hominum CIↃ, inaudita novorum hoſpitum barbarie, miſere paucorum annorum ſpatio exſtincta eſſe. Addunt praeterea rem dictu foedam et horroris execrandi plenam, viros eo deſperationis adactos, ut ex compacto deinceps a concubitu naturali cum uxoribus abſtinuerint, ne liberos ſub Hiſpanorum poteſtate futuros generarent; eoque factum eſſe, ut tractu temporis tam frequens populo locus ad ſolitudinem ſit redactus. In magna ceterarum rerum, quae ad vitam commode degendam pertinent, abundantia, parum auri et argenti in ea repertum. Inde ad continentem objectum tendit Dracus; et [n] Carthaginem, quae haud longe a litore abeſt, acie inſtructa petens, C equites obvios caedit. Primo tentatum propugnaculum civitati vicinum, ſed irrito conatu, quippe quod aggere et tormentis optime munitum eſſet: ſed noctis beneficio uſi Draciani muro ſuccedunt, et impetu facto gerras terra repletas dejiciunt, et oppidum perrumpunt; tandemque poſt acre certamen forum occupant,

VAR. LECT. [α] Carletio *Ed. Gen.* 1620. [β] Sampſo *Ed. Gen.* [γ] Berto, *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *les Canaries.* [b] *Iſle de Palme.* [c] *Iſle de Fer.* [d] *Cap Blanc.* [e] *Cap Verd.* [f] *Iſle de Santjago.* [g] *Carlile, lieutenant general.* [h] *Ville de Santjago.* [i] *Sampſon.* [k] *Barton.* [l] *San Domingo.* [m] *de las Caſas evêque de Chiappa.* [n] *Cartagene.*

occupant, multis ex ſuis ab Indianis ſagittariis vulneratis et occiſis: nam, infectis veneno praeſentiſſimo telis, nemo fere vulneratus mortem evaſit. Captus in eo conflictu [a] Alfonſus Bravus oppidi praefectus. Poſtea ut incendium redimeretur, quod jam multis locis Angli in urbe excitaverant, C [1] florenorum CIↃ depenſa. CCC Anglos in ea expugnatione deſideratos memorant Hiſpani: Angli numerum non edunt; ſed a febre ardente, ex veſpertino frigore, quod illis locis peſtilens eſt, contracta, multos periiſſe ſcribunt; quo et factum ſit, ut conſilium de civitate, quae [b] Nomine Dei indigitatur, et Panama expugnandis omiſerint. Interea rebus tranſactis, cum praefecto et epiſcopo urbis aliquot dies magna benevolentiae ſpecie Angli vixere; ita ut Dracus illos convivio aliquoties exceperit, et illi viciſſim Anglos. Haec toto Februario et Martio acta. Tandem ad [c] S. Antonii promontorium claſſis Anglicana venit V Kalendas Maias; unde III Eidus Maias ſolvit, et Floridae [d] promontorium tenuit V Kalendas Junias, et propugnaculum [e] S. Joannis dictum ex trabibus et aſſeribus tranſverſis exſtructum, ab Hiſpanis deſertum, tibicine [f] Gallo dedente, capit, repertis in eo XIV tormentis aeneis, et aliqua pecunia intacta. Inde ad [g] S. Auguſtini urbem ducit, aſſumptis ſecum Matthaeo [h] Morgano et Joanne [i] Sampſono, ac Martino [k] Frobiſhero praefecti maris ſub ſe vices gerente; qui altera navigatione, de qua diximus, clarus, magna rei maritimae peritia excellebat. Ea civitas, ut et S. Helenae oppidum, a CL praeſidiariis ſingula tenebantur, iiſque praeerat Petrus [l] Melendes, illius Melendae proximus, qui claſſem Anglicanam ante XV annos, cujus dux erat Joannes [m] Hawkinſus, contra datam fidem in litore Mexicano oppugnaverat, et antea in noſtros inſigni crudelitate ſaevierat; quam Dominicus [n] Gurgius poſtea ultus eſt, ſicuti ſuo loco diximus. Deſerta S. Auguſtini urbe, ad S. Helenae urbem duci placuit, ut inde in Virginiam trajiceretur, Anglicae ditionis terram, quae ab illa civitate ſeptentrionem verſus VI gradibus abeſt. Virginiae praeerat Rodulfus [o] Lanus cum CL Anglorum praeſidio, qui, cum morbis et omnium rerum inedia diu conflictatus, loco ſummi beneficii accepit, quod eos [p] Dracus in ſuas naveis impoſuit, et in Angliam ſecum portavit; quo ad [q] Plimoutham, unde ſolverat, appulit VI Kalendas Sextileis, magna gratulatione a regina exceptus. Praeda omnis, quam in ea expeditione fecit, LX CIↃ librarum ſterlingarum, hoc eſt, CCX aureorum CIↃ aeſtimata fuit; ex quibus XX CIↃ inter milites ac nautas diſtributa ſunt. Tormenta item tam ex aere conflata, quam ex ferro fabrefacta, CCXLII: pleraque cum Saxonicae domus inſignibus; quae videlicet Jo. Friderico Saxoni ſeptemviro olim ablata et [r] Witenbergae ac Gothae a Carolo V capta fuerant. Amiſſi milites, qui ex morbis ſive ex vulneribus deceſſerunt, IↃCCL.

X. ITALIA inter haec a motibus quieſcebat, repreſſa Sixti V adventu exulum et latronum antea impune paſſim graſſantium licentia; et novus pontifex, conſtituta auctoritate et reddita Italiae quiete ſecurus, quaſi bellum Gallicum et Belgicum ad eum minime pertineret, totus erat in operibus publicis ad ſempiternam nominis ſui memoriam exſtruendis; quorum illud primum ac praecipuum fuit, quod obeliſcum in Vaticano loco obſcuro ac ſordido ruinis paene obrutum, e ſterquilinio erutum, in aream beati Petri loco conſpectiore tranſtulit. Is ex marmore pyropoecilo, quaſi maculis igneis variegatum dicas, ſolidus in Thebaide Aegypti juxta Sienem olim exciſus a Nuncoreo Seſoſtridis filio, et in molitione ab operis fractus, ac poſtea

a Caio

INTERPR. [a] *Alonſo Bravo.* [b] *Nombre de Dios.* [c] *Cap de S. Antoine.* [d] *Cap de Floride.* [e] *Fort de S. Jean.* [f] *un fifre François.* [g] *Ville S. Auguſtin.* [h] *Morgan.* [i] *Sampſon.* [k] *Forbiſher.* [l] *de Melendez.* [m] *Hawkins.* [n] *de Gourgues.* [o] *Lane.* [p] *Drake.* [q] *Plimouth.* [r] *Wittenberg & Gotha.*

NOT. [1] *Lege* CX CIↃ aureorum depenſa. La rançon de la ville etoit CX CIↃ ducats, chaque ducat valant cinq ſhelings ſix ſols monnoye d'Angleterre. *Voiez Camden*; *& la relation en Hackluyt*, vol. 3. p. 545.

CIↃ IↃ LXXXVI. a Caio et Nerone Caeſaribus Romam advectus, ut C. Plinius ſcripſit libro XXXVI, et

HENRICUS III. Auguſto ac Tiberio, quod inſcriptio docet, conſecratus fuit. De eo transferendo olim cogitaverant Paulus II et Julius II; dein et Paulus III; et aedificandi ſuprà omnes ſtudioſus Pius IV, addita in architectos, qui id ſuſciperent ad praeſtandum periculum, capitis poena; aemulatione, ſed diverſa, Ramiſis Aegyptiorum regis, qui cum obeliſcum immenſae longitudinis in Mnevidis regia ſubrigeret, uſus ad id opera XX CIↃ hominum, et vereretur ne machinae ponderi non ſufficerent, quo majus periculum curae artificum denunciaret, filium ſuum alligavit cacumini, ut ſalus ejus apud molienteis prodeſſet lapidi, ſicuti idem Plinius prodidit. Verum, ſive illis ſumptuum magnitudine territis, ſeu quod nemo artificum vitae pretio periculum praeſtare vellet, nihil in eo negotio hactenus tentatum fuit. Quod ut ad exitum perduceret Sixtus V, in delectorum cardinalium, ii fuere Petrus Donatus [a] Caeſius, Philippus [b] Vaſtovillanus, Ferdinandus Medices, qui poſtea magnus dux Etruriae fuit, et Franciſcus Sfortia, conventu agitari voluit XIV Kalendas Octobreis, quae optima transferendi lapidis citra periculum ratio videretur. Ad rei famam, e diverſis non ſolum Italiae ſed vicinis Europae partibus artificum plus IↃ concurſus factus eſt; tandemque, cum quiſque rationem operis conficiendi, vel voce vel ſcripto, alii etiam machina fabricata, propoſuiſſent, ea optima reperta eſt, quae a Dominico [c] Fontana Novocomenſi adducta fuit; qui et rationem ponderis a ſe initam cum cardinalibus adprobaſſet, tamen, quod homini tunc primum noto non ſatis fiderent, rei exequendae curam Bartholomaeo [d] Amannatio Florentino et Jacobo [e] Portae notae fidei architectis commiſerunt. Poſtea Sixtus id totum ipſius Fontanae induſtriae detulit. Ad opus perficiendum initio quinque balliſtae et XL ergata conſtructa ſunt, quae a IↃCCCC viris et LXX equis in orbem verſabantur et regebantur. Apparatus omnis cum inſtructus eſſet, pridie Kalendas Maias, qui in Mercurii diem Sixto fatalem incidebat, levando lapidi principium factum eſt; tandemque levatus, demiſſus, tranſlatus, ac rurſus loco deſignato erectus eſt, IV Eid. Septembr. hoc anno, ac biduo poſt, qui in Veneris diem incidebat, ſanctae Cruci conſecratus. Solidus hic lapis penſitatus a Fontana IↃCCCCLVI CIↃ et CXLVIII libris, CVII pedum longitudinem habet, latitudinem parte infima XII, ſupra qualibet parte VI, cum ſtylobata ſecundum Fontanae ipſius menſuram CL palmorum cum III quadrantibus; quibus ſi addas intervallum, quod a ſolo ad baſim, et illud quod a lapide ad ſtylobatam mediis leonibus aereis interjacet, ac denique altitudinem crucis lapidi impoſitae, altitudo CXXC palmorum et quadrantis erit. Expenſa ſunt in illud opus, ut ſcripſit Fontana ipſe, ex cujus libro poſtea edito rationem machinarum, quibus id factum eſt, harum pulcherrimarum rerum diligenti lectori petere licet, XXXVII CIↃ et IↃCCCCLXXV aureorum; in ea ſumma non comprehenſo aere fuſo, ex quo crux et leones ſub lapide poſiti ſunt conflati, quod a camera pontificia ſuppeditatum eſt. Majorem ſummam alii edidere uſque ad XXC CIↃ aureorum. Inde Fontana, cum hic primus ejus conatus ſucceſſu non caruiſſet, in flagrante gratia apud Sixtum fuit; eoque auſpice obeliſci alii erecti, aedificia multa publica, aliaque utilitati et ornamento urbis, molitus eſt; de quibus poſtea dicemus. Et haec quidem, ut in alta pace.

XI. CETERUM aſſiduis Guiſianorum et Hiſpanorum expoſtulationibus ſtimulatus, ne bellum in Gallia accenſum omnino negligere videretur, Jo. Baptiſtam [f] Santomium epiſcopum Tricarienſem ad [g] Quinquepagicos apud Helvetios mittit, qui homines majorum religioni addictos novi ſacramenti religione a ceterorum pagorum fere Proteſtantium doctrinam ſequentium ſocietate, et a foedere Gallico nuper renovato,

INTERPR. [a] *Donato Ceſis.* [b] *Guaſtovillano.* [c] *Fontana de Como.* [d] *Ammanati.* [e] *della Porta.* [f] *Santomio evequê de Tricarico.* [g] *les cinq petits Cantons Catholiques.*

renovato, alienaret. Eorum fidem jam antea Guiſius per Ludovicum [a] Fiferum ſollicitaverat, et aditum Philippo ad eos pecunia corrumpendos patefecerat. Ab eo tempore et Philippus et pontifex oratores aſſiduos, quod antea non fecerant, apud Quinquepagicos toto hoc, quod ſecutum eſt, belli tempore habuerunt. Tunc vero novi oratoris adventu perculſi illi populi, annitente Fifero, comitia ſtatim indicunt; et III Nonas Octobreis, quo comitiis initium factum eſt, omnes, ſacra faciente Santomio, ſacroſanctae ſynaxi participarunt, et poſt ingentia ab ipſo et Hiſpanis facta promiſſa foedus icerunt; ſe pro religionis Catholicae et eccleſiae defenſione vitam, filios, et omnia ſua impenſuros. Foedus mox jurejurando firmatum, de eoque inſtrumentum publicum confectum fuit. Secundum haec orator juriſdictionem in eos qui ſacrae militiae nomen dediſſent, qui antea judici civili ſuberant, ſibi ſumpſit; eamque aliquoties ſevere in ſpeciem exercuit. In [b] Abbatis-cella, quod eſt inter Helvetios liberum territorium, Franciſcanorum Capucinorum coenobium aedificavit. Mox, cum Quinquepagici ingentem delectum in Navarri et Proteſtantium gratiam haberi in ceteris pagis intellexiſſent, ac vererentur ne haec tempeſtas in ipſos incumberet, quaſi poenitentia ducti oratorem circumſtant, et promiſſorum fidem repoſcunt; ac procul dubio mutaturi credebantur, niſi certis argumentis conſtitiſſet, delectus illos nihil in itinere molituros, ſed quamprimum in Galliam nulla mora interjecta profecturos. Nutanteis et confirmavit delectus apud eos a rege X CIↃ imperatus, qui, antequam iter ingrederentur, ab oratore pontificio omnes ſacra ſynaxi communiti ſunt, ac praeterea ſacramento adacti, tantum pro fidei Catholicae defenſione ſe pugnaturos; et, ſi rex quidquam in Sectariorum gratiam moliri deprehenderetur, arma poſituros, et ad ſua reverſuros. Quod additum erat Guiſianorum ſuggeſtione, qui regem, alioqui Proteſtantium cauſae infeſtiſſimum, tam in Gallia quam apud exteros principes ac civitates majorum religioni addictas calumnioſe traduxerant, quaſi quod regni pacandi, quod illi turbatum malebant, cauſa faciebat, id in Proteſtantium gratiam faceret. Inter haec incidit aliud, quod potentiam, quam novus orator in populos horridae libertati aſſuetos ſibi ſumpſerat, non parum labefactavit. Lucernenſes Quinquepagicorum facile principes, premente annonae anguſtia, a collegii [c] Bronnenſis ſodalibus magnam frumenti copiam poſtulaverant; et, cum illi poſtulata non facerent, ab iiſdem Lucernenſibus citati fuerant. Quod ad animum revocans Santomius, et contra juriſdictionem nuper ſibi ſeu conceſſam ſeu ſumptam fieri interpretatus, ſodalibus denunciat et injungit, ne ad citationes reſponderent, aut coram judice civili comparerent; alioqui ſe interdicto in ipſos uſurum. Quod ubi Lucernae cognitum eſt, fama etiam ab emiſſariis ſparſa, quaſi eadem ſeveritate erga ipſos uſurus eſſet Santomius, cuncti novitate rei ſtupere, multi fremere, libertatem ſuam paulatim infringi, et patientiam, quatenus ulteriora pati vellent, tentari; atqui majores ſuos generoſe hujuſmodi minas contempſiſſe, et, cum interminaretur pontifex in eos cenſurae telo ſe uſurum, reſpondiſſe illos, nolle ſe excommunicari: quin eoſdem animos ſumerent, et mature conatibus contra patriam libertatem ſuſceptis obviam irent, neque temere ſe a communi Helvetiorum ſocietate quovis praetextu dividerent. Cum res a verbis ad apertam ſeditionem ſpectare videretur, orator anxius, ex conſilio patrum Jeſuitarum, quos penes ſe habebat, religionis arma induit, et in majus urbis templum primarios cives evocat, ratus loci religione ab omni injuria ſe tutum fore; et, ad majorem ſecuritatem propoſita in altari venerabili euchariſtia, coram ipſis orationem habuit ad gravitatem et nihilominus ad moderationem compoſitam, qua praecipue capita novi foederis nuper adventu ſuo ſanciti urgebat: tandemque is actionis exitus fuit, ut gladium,

INTERPR. [a] *Fiffer.* [b] *Appenzel*, al. *Abbecelle.* [c] *Chanoines de Brounnen.*

CIↃ IↃ LXXXVI. HENRICUS III. gladium, quem ſtricturum ſe interminatus fuerat, clauſum vagina teneret; ipſi cives libertate antiqua, prout rite ac recte ea uſi fuerant, porro fruerentur; ſodalibus Bronnenſibus ad praeſens moleſti non eſſent.

XII. PAULO ante Octavius Farneſius Parmenſium et Placentinorum dux, Alexandri ſumma in Belgio Philippi nomine bellum potentia adminiſtrantis parens, jam ſenex, bello in Germania olim ante XL annos Caroli V et Pauli III avi auſpiciis ſuſcepto, ac poſtea in Italia, dum nunc noſtris, nunc contrariae parti ſerviret, geſto clarus, praeterea magna prudentiae et ingenii ad facetias nati ſolertia praeditus, Parmae deceſſit XIV Kalendas Octobreis; cum Margarita ejus uxor, Caroli Caeſaris filia naturalis, [a] Ortonae, quae illi dotalis erat civitas, in regno Neapolitano antea exeunte Januario fatis conceſſiſſet; foemina magni animi, morum probitate quam forma melior, et, quam filius ſecunda belli in Belgio geſti fama, tam ipſa aequitatis in provinciae adminiſtratione olim laude inſignis; quam Belgae a gubernaculis factione Hiſpanorum amotam doluerunt, et Philippus ipſe frater ſero errore agnito deſideravit, dum vulnera ab Albano et Hiſpanis Belgio inflicta Alexandri ipſius filii virtute vel prudentia ſanari poſſe deſperat. Abſtulit et hic annus Ludovicum Ateſtinum cardinalem, generis humani delicias: quidni enim tantum virum vel *Titi* elogio citra invidiam appellem? patre Hercule II Ferrariae duce et matre Renata Ludovici XII filia natum, ut avo cognominem ſic magnitudine animi parem; munificentia vero in omneis, quibuſvis principibus, qui ſunt aut fuerunt, longe ſuperiorem; ita ut in ea urbe, in qua tanquam in publico Chriſtiani orbis theatro tot annos admirationi omnibus fuit, theſaurus pauperum, ſacri collegii ſplendor, aulaeque Romanae ornamentum dici meruerit; quod vel auguſti oris vere regia forma prae ſe ferebat. Sane Jo. Baptiſta [b] Porta Neapolitanus, qui inſigne phyſiognomicon opus conſcripſit, non ſolum illud ei dicavit, ſed ipſius imaginem, tanquam eximium efficti ad omneis virtutes oris exemplum, libro praeſcripſit. Igitur quod alii in vaſtis aedificiorum molibus et otioſis divitiis exſtruendis inſumunt, id ille totum demerendis hominum per liberalitatem voluntatibus, ac tenuiorum fortunis ſublevandis, impendit; eas ſolas veras opes poſſidere ſe exiſtimans, non quas ſervaret, aut ad ſplendorem et uſus privatos ſepoſuiſſet, ſed quas amicorum neceſſitatibus non rogatus donaſſet. Cum igitur, poſt Hippolytum patruum ante XIV annos vivis exemptum, rerum Gallicarum patrocinium Romae ſuſcepiſſet, ut aurum igne, ſic fides ejus et animi magnitudo calamitoſiſſimis noſtris temporibus explorata maxime emicuit; cum Guiſianis Annae ſororis filiis, arma, praeter regis voluntatem, ad regni ſuamque ipſorum perniciem, ut eventus docuit, ſumentibus, Romae, ubi illi ob ſpecioſum religionis praetextum nihil non poterant, ſe generoſe oppoſuit, et regis regnique, quod illi altera patria erat, cauſam adverſus proprias charitates defendit. Et cum eorum et Hiſpanae factionis inſtigatu Sixtus V male conſultus promulgato diplomate Henricum regem Navarrae, et Henricum Borbonium principem [α] Condaeum, proſcripſiſſet, eoſque et eorum poſteros jure ſucceſſionis regni indignos pronunciaſſet, ille diplomati, cui Nicolaus [c] Pellevaeus [β] cardinalis, et, quod magis mirum eſt, Ferdinandus Medices cardinalis, qui poſtea magnus Etruriae dux [γ] fuit, ſubſcripſerunt, ſubſcribere recuſavit; cum potiorem regni, quod ea proſcriptione in periculum vocabatur, ſalutem, quam ſuorum, qui per bella civilia amplificationem fortunae quaerebant, ambitionem haberet. Tandem continuis arthritidis

VAR. LECT. [α] Condaeum, perverſo juris ordine, proſcripſiſſet, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.* [β] cardinalis, Guiſianorum emiſſarius, et, quod *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.* [γ] fuit, ſumma imprudentia ſubſcripſerunt, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Terra di Ortona.* [b] *della Porta.* [c] *de Pellevé.*

rthritidis doloribus attenuatus, et nimio nivis uſu debilitatis nervis, accedente ad incommodam valetudinem publico rerum noſtrarum moerore, in lethalem morbum incidit; ex quo, commendata prius Deo anima, poſt maxime ſerios de republica cum Joanne [a] Vivoño Piſanii marchione regis apud pontificem digniſſimo oratore, et Arnaldo [b] Oſſato, qui poſt Pauli [c] Foxii mortem in ejus familia principem locum tenebat, habitos ſermones, animam, bene de regno et genere humano meritam, III Kal. Januar. creatori ſuo reddidit. Vixit annos XLVIII; et, ut vita tot beneficiis in omnes veluti diſperſa fuit, ſic et funus diviſum: nam cor in Gallia [d] Auguſtae Auſciorum, cujus civitatis archiepiſcopus erat, viſcera Romae ad B. Ludovici condita ſunt; corpus [e] Tybur portatum, et juxta Hippolyti patrui in Franciſcanorum templo tumulatum fuit. In hujus funere duo celeberrimi tota Italia viri ingenii vim exercuerunt, Baptiſta [f] Guarinus, et Leonardus [g] Salviatus; quorum alter Latina, alter Italica oratione virum omni gloria digniſſimum laudavit. Modum et rationem hiſtoriae excedat, qui tot liberalitatis, ac tot in omnis generis homines benefactorum, regia magnificentia et humana pietate collatorum, exempla, quae toto orbe Chriſtiano depraedicantur, colligere velit. Ateſtinum paulo praeceſſit Antonius Perrenotus cardinalis Granvellanus, Nicolai [h] Veſontione loco humili nati, qui poſt Mercurium Gattinaram cancellarius Caroli V Caeſaris fuerat, filius, et patri in eo munere rara felicitate ſucceſſit; vir rara eruditione, linguarum multarum peritia, facundia non fucata, longo rerum maximarum, quas tota vita adminiſtravit, uſu, clarus; ſummis honoribus, quos ſub Carolo V primum, dein ſub Philippo II, in Belgio, aula Romana, regno Neapolitano, cui proregis titulo praefuit, et Hiſpania geſſit, perfunctus; ſed in aſſerenda regia majeſtate, ſive inſito erga potentiſſimam Auſtriacam familiam amore, ſive Proteſtantium odio, multis aſperior creditus; interdum etiam minus bona fide in magnis negotiis verſari viſus, ut cum cavillatoria unius literulae captione illuſtriſſimo Heſſorum principi illuſit, et conſilii de retinendo eo praeter fidem datam auctor fuit; quod minus honeſtum, etiam Caeſari poſtremo damnoſum, fuit. Denique, poſt tot exantlatos labores in Hiſpaniam a Philippo evocatus, et arcanis conſiliis adhibitus, tandem hoc anno aetatis ſuae ſexageſimo nono [i] Mantuae Carpetanorum deceſſit XI Kalendas Octobreis, eo ipſo quo Carolus V ante XXVIII annos fatis conceſſerat, qui B. Matthaeo ſacer eſt, die. Mortuum laudavit Jo. Baptiſta [k] Saccus, edita, non etiam habita, neque enim in Hiſpania mos eſt, oratione. Corpus in Eremitarum S. Auguſtini templo depoſitum, et inde, ſicuti teſtamento mandaverat, Veſontionem tranſlatum, atque in metropolitana eccleſia, ubi gymnaſium inſtituerat, ſepultum fuit. Hos rurſus anteceſſit conditione diſpar, ſed dignus, multas ob cauſas, qui memoretur, Martinus ab [l] Aſpilcueta doctor Navarrus dictus, quod paternum et maternum genus ex Navarra duceret; qui [m] Salmanticae primum, dein [n] Conimbricae, permultos annos jus pontificium, magna non ſolum eruditionis ſed pietatis ac ſinceritatis fama, profeſſus eſt, innumeris et ſummae auctoritatis in eo genere editis monumentis; vir, praeter eas quas laudavi in eo virtutes, conſtantia et fide praeſtans, quod duobus maxime illuſtribus exemplis manifeſtum fecit: nam cum Bartholomaeus Carança archiepiſcopus [o] Toletanus, cui multis nominibus obſtrictus erat, Sectariae labis poſtulatus eſſet, ejuſque rei, Philippo permittente, cognitionem pontifex ſibi ſumpſiſſet, Navarrus, quanquam octogenario proximus, omnem aetatis et valetudinis curam amici periculo poſthabuit, et Carançam Romam ductum

CIↃ IↃ LXXXVI.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *de Vivone, marquis de Piſany.* [b] *d'Oſſat.* [c] *de Foix.* [d] *Auſch.* [e] *Tivoli.* [f] *Guarini.* [g] *Salviati.* [h] *Beſançon.* [i] *Madrid.* [k] *Sacco.* [l] *de Azpilcueta.* [m] *Salamanca.* [n] *Coimbra.* [o] *de Tolede.*

ductum comitatus, ejus innocentiam, averſo Philippo et ejus miniſtris, conſtantiſſime tutatus eſt; donec taedio carceris miſer Carança, cum nihil contra ipſum probaretur, tandem extinctus eſt. Cum vero ſub id Romam orator miſſus eſſet a rege Paulus [a] Foxius, vir praeter natalium ſplendorem omni laude digniſſimus, memini, cum in ejus comitatu eſſem, Navarrum ad ſalutandum eum veniſſe; et, cum illum domi non reperiſſet, ad Trinitatis in porticu Foxio obvium factum, mox, poſito pileo et pileolo, humi ſe proſtraviſſe, et oſculum ad pedes ejus tuliſſe; et cum miraretur Foxius, et, qua erat humanitate ac modeſtia, tantum honorem deprecaretur, ac venerandae aetatis ſenem erigere conaretur, reſpondiſſe Navarrum, hunc cultum ac reverentiam genti, ex qua reges ſui prognati eſſent, merito deberi; et cum tandem ſurrexiſſet, nunquam precibus aut juſſis adduci potuiſſe, ut caput tegeret, quanquam loco ad coeli tunc maxime frigidi injurias expoſito cum Foxio deambularet. Nec vero mirum fuit, hominem probum, et in caſibus, quos vocant, conſcientiae examinandis, de quibus et omnium peritiſſime ſcripſit, verſatum, tantam tamque venerandam ſuorum regum memoriam ac cultum ſervaſſe; quippe cum ſciret Carolum V et Philippum ejus filium, aliquoties ſuper ea re ab ipſis conſultus, de Navarrae regni ut injurioſe occupati reſtitutione, aut idonea compenſatione danda, ſaepius deliberaſſe; idque ipſis, ut facerent, ſi ſuae conſcientiae ſatiſfactum vellent, auctor fuiſſet. Tandem poſt Carançae obitum, ſeu taedio patriae, ſeu quod aetate provectior eſſet quam ut in patriam rediturus tam longinquo itineri ſe tuto committeret, Romae manſit; ubi hoc anno XI Kal. Jul. ad Deum migravit, cum annos XCV exegiſſet, menſeis VI, dies VIII; ad B. Antonii [b] Patavini in campo [c] Martio ſepultus. Navarrum anteceſſit magnum Hiſpaniae lumen Antonius [d] Auguſtinus domo Caeſarauguſtanus, patris cognominis, Aragoniae procancellarii, a regni ordinibus olim repetundarum poſtulati, et a Carolo rege Bruxellis ſolemni judicio abſoluti, filius; qui politioris literaturae ac antiquitatis rara cognitione ſibi in Italia comparata, et juris Romani ac poſtremo pontificii exquiſita ſcientia, meruit, ut Romae inter duodecimviros litium judicandarum a pontifice cooptaretur; inde [e] Aliſanius primum, dein Ilerdenſis in Hiſpania, epiſcopus creatus. Multa, in [f] Italia dum fuit, et poſtea in patria, ad aeternam memoriam victura monimenta edidit, ſive edenda Fulvio Urſino amico ſuo, et in eodem literarum genere, juris ſcientiam excipio, verſanti, commiſit. Tandem archiepiſcopus Tarraconenſis creatus, dum in iiſdem ſtudiis perſeverans, praecipue in jure pontificio illuſtrando deſudat, et jam apparatam conciliorum tam Graecorum quam Latinorum editionem haberet, animam bene de republica literaria atque adeo Chriſtiana meritam Deo reddidit pridie Kalendas Junias, cum annos LXX, menſeis III, dies totidem vixiſſet; ad B. Theclae in odeo a ſe parato [g] Tarracone conditus. Mortuum laudavit Andreas [h] Schottus Antuerpianus ipſius Auguſtini familiaris, oratione [i] Laevino Torrentio Antuerpiae epiſcopo inſcripta. Octavianus [k] Ferrarius, Hieronymi, de quo alias dixi, filius, poſt Ant. Auguſtinum dicetur, nobili familia [l] Mediolani natus; qui primum literis humanioribus et philoſophiae ac medicae in celeberrimis Italiae gymnaſiis egregie eruditus, in Canobiana ſchola, cujus inſtituendae Paulo [m] Canobio auctor fuerat, annos duodeviginti ethica et politica docuit. Dein juſſu ſenatus [n] Ticinum conceſſit, et naturalem Ariſtotelis philoſophiam ſuſcepit interpretandam, quam et [o] exoterico opere non parum exornavit; eoque meruit ut Franciſcus [p] Vicomercatus, qui Franciſco I apud nos tanto concurſu Lutetiae in regio gymnaſio

INTERPR. [a] *de Foix.* [b] *de Padoue.* [c] *Champ de Mars.* [d] *Agoſtini de Saragoça.* [e] *Evêque d'Aliſe en l'Abruzze, & de Lerida en Eſpagne.* [f] *Royaume de Naples.* [g] *Tarragona.* [h] *Schott.* [i] *Levin Torrentin.* [k] *Ferrari.* [l] *Milan.* [m] *Canobbio.* [n] *Pavie.* [o] *liber de ſermonibus exotericis.* [p] *Vicomercat.*

gymnaſio docuit, in patriam poſt ſummi literarum fautoris mortem reverſus, illum inter omneis deligeret, cujus judicio opera ſua olim edenda committeret. Inde poſt quadriennium impetrata a ſenatu venia Mediolanum rediit, ac denuo in eadem ſchola profiteri perrexit: tandemque morbo, cujus occaſione domum repetierat, ingraveſcente oppreſſus, III Non. Oct. in villa ſua placide ad Deum migravit, cum vitae exegiſſet annos LXIIX, menſeis V, dies XII; a Bartholomaeo [a] Capra juriſconſulto, et individuo vitae ſocio, cui et bibliothecam legavit, cum honorifico elogio funeratus. Romae et deceſſit hoc anno Julius [b] Caſtellanus, [c] Faventiae celebri Galliae Togatae urbe natus, qui Academicas Ciceronis, et Ariſtotelis de humano intellectu doctrinam, diſcuſſit; et cum in urbe philoſophiam aliquot annis ſecunda fama docuiſſet, ſuppreſſorum ſtipendiorum a Sixto V, ut impenſae parceret, jacturam paſſus, homo ingenuus valde indoluit, accedente ad injuriam egeſtatis importuno ſenſu; ex qua dum epiſcopatu ab eodem donatus ſe extricare ſperat, qui paupertatis triſtitiam invicto animo tulerat, inexpectati beneficii laetitiam non tulit, antequam ea frui poſſet, ſubito extinctus, cum LVIII tantum aetatis annum attigiſſet. Caſtellano Laurentium [d] Gambaram Brixianum addam, qui ingenium in poetica feliciter exercuit, et in familia Alexandri Farneſii cardinalis literatorum fautoris eximii diu vixit; et exeunte hoc anno matura morte, quippe nonagenarius, ad Deum migravit, ad S. Laurentii in Damaſo ſepultus. Majore praeconio dicendus Hier. Columna, et ob gentis, cujus nomen praeferebat, claritudinem, quippe qui a Pompeio Columna cardinali, qui regni Neapolitani prorex fuit, genus repeteret, et ſingularem eruditionem cum moribus ſuaviſſimis conjunctam: arctam cum Jo. Matthaeo [e] Aquaviva Hadrianenſium duce, viro ultra ſplendorem natalium egregia ſcientiarum atque aſtronomiae ac muſicae inprimis doctrina itidem illuſtri, amicitiam coluit; et bis mille quingentorum voluminum bibliothecam inſtruxit, praeter ſtatuas antiqui operis et nummos; raraeque elegantiae picturis ornatam domum habuit, ac ſplendide vixit; in eoque ſplendore et otio multa elucubraſſe dicitur, quippe utriuſque linguae non trita cognitione praeditus: poſt elatam uxorem etiam linguae ſanctae operam dedit; et cum ſacris initiari cuperet, jam epiſcopus deſignatus, ex malo calculi praemature III Non. April. hoc anno, aetatis ſuae LIV, Neapoli deceſſit, ad beatae Virginis in monumentum majorum illatus. Q. Ennii fragmenta collegit, diſpoſuit, explicuit; quae Joannes filius quadriennio poſt parentis obitum publicavit, fidem apud poſteritatem factura, quid a tanto viro exſpectandum fuerit, ſi diuturniorem ei vitam Deus annuiſſet. Praeter Joannem ex conjuge dilectiſſima, Pompeium, honoribus quibuſdam in aula Romana defunctum, reliquit; ac poſtremo et [α] Fabium, qui in naturali hiſtoria induſtriam ſuam hodie exercet, ſcriptis in eo genere aliquot jam editis, et majore in poſterum ſpe excitata. Italorum mentio, atque adeo Columnae, me admonet, ne Galeacium [f] Caracciolum Vici marchionem, qui hoc anno debitum naturae procul a patria perſolvit, indictum praeteream. Is Nicolaum Antonium, bellis ſub Arauſionenſi principe in Italia celebrem, patrem habuit, matrem Joannis Petri Carafae, qui Paulus IV poſt adeptum pontificatum dictus eſt, ſororem; Victoriam ducis [g] Nucerini filiam in uxorem duxerat, ex qua numeroſam ſobolem ſuſtulit. Sed cum ſub id Petrus Martyr Vermilius Neapolim veniſſet, et jam tum diſſeminatam per Helvetios et in Germania doctrinam fidis in arcano inſtillaret, in iis ſectatores habuit Joannem [h] Valdeſium Hiſpanum, de quo alias dixi, et Joannem Franciſcum Caſertam

VAR. LECT. [α] Fabianum, *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Capra.* [b] *Caſtellano.* [c] *Faenza nella Romagna.* [d] *Gambara Breſciano.* [e] *Aquaviva, duc d'Atri.* [f] *Caracciolo, marquis de Vico.* [g] *de Nocera.* [h] *de Valdes.*

Caſertam Galeacio adfinitate conjunctum, et ipſum Galeacium, qui jam arctam cum M. Ant. Flaminio, Victoriae [a] Columnae [b] Piſcarii marchionis viduae perfamiliari, ob pietatis ſtudia amicitiam colebat; non quod Flaminius doctrinae in ceteris illi addictus eſſet, ſed quod quaedam ad juſtificationem pertinentia, ut alias diximus, et multa quae prava conſuetudine in eccleſiam irrepſiſſe videbantur, emendari conſultum duceret. Tandem a Valdeſio et Vermilio perſuaſus, et cum officii cauſa in Germaniam, ut Carolo Caeſari inſerviret, veniſſet, [c] Argentinae convento eodem Vermilio, qui interim in Germaniam diſceſſerat, magis confirmatus, Genevam, patre et conjuge ac liberis relictis, conceſſit; cum aliquoties cum patre primum in Italia, et poſtea cum patre ac conjuge ſimul, collocutus, nec illius reverentia, nec amore hujus, aut liberorum collo paterno haerentium blanditiis ac lachrimis, adduci poſſet ut propoſitum mutaret. Poſtremo Genevam reverſus, quaſi uxor ſecum prima divortium feciſſet, aliam duxit anno CIↃ IↃ LX, primum conſultis paſtoribus, ſicuti ſcribunt qui res eas prodidere, Annam [d] Fremeieram nomine, jam quadragenariam; quae, viro priore defuncto, [e] Rotomago, unde nata erat, ob religionis cauſam paulo ante migraverat: cum eaque in ſumma tenuitate, quippe omnibus bonis dejectus, ad annum LXVIII aetatis conjunctiſſime vixit; novo divortii probati et ſuperinductae uxoris, non ſine Proteſtantium invidia, exemplo. Abſtulit et hic annus, qui fuit illi climactericus, Martinum [f] Chemnitium, [g] Britzae, cui Fideli cognomentum, in Vandalia natum; qui literas primas ſub Philippo Melancthone et Georgio Sabino Witenbergae et Francofordiae ad Oderam imbuit: dein ſe totum theologicis ſtudiis mancipavit, in quibus aſſiduo labore tantum profecit, ut poſt Philippi praeceptoris obitum, theologorum Auguſtanae confeſſionis facile princeps inter ſuos habitus ſit; a Friderico II Daniae rege, Ludovico Palatino, Auguſto Saxone, Joanne Georgio Brandeburgico ſeptemviris, Julio Brunſvico, aliiſque principibus ac civitatibus et ordinibus huic doctrinae addictis, in conſilium ſuper eccleſiaſticis negotiis ſemper adhibitus, aut abſens conſultus. Tandem Brunſvicae, in qua XXX totos annos docuit, tot laboribus defunctus ac ſcriptis multis editis, VI Eid. April. debitum naturae perſolvit. Hic annus ultimus fuit Ludovico [h] Lavatero et Rodolfo Gualtero, ambobus [i] Tigurinis, et illius eccleſiae paſtoribus: et ille quidem Henrici Bullingeri gener, multis editis ſcriptis, etiam extra religionis controverſias, claruit; hic Joſiae Simleri, de quo jam diximus, ſocer, homiliaſtes inter ſuos celeberrimus, valde ſenex. Nec praetermitti debet Matthaeus [k] Weſenbecius familia patricia Antuerpiae natus, qui cum juri civili operam [l] Lovanii dediſſet, eandem ſcientiam magna cum laude [m] Jenae, et poſtea Witenbergae, profeſſus eſt; ubi et, editis compluribus ſcriptis, hoc anno obiit, cum LV aetatis annum attigiſſet.

XIII. EODEM tempore, ut a viris doctrina claris ad viros principes redeam, deceſſit Auguſtus Saxo ſeptemvir, Henrici filius, Alberti nepos; qui, fratre Mauritio poſt [n] Siverhuſanam pugnam ſine maſcula prole extincto, in ſeptemviratum a Joanne Friderico a Carolo Caeſare in fratrem tranſlatum ſucceſſit; ab eoque tempore laudem bellica virtute in familia ſua partam pacis ſtudiis fere ſemper excoluit, niſi quod, recrudeſcente antiquarum ſimultatum, quamvis repetitis tranſactionibus ſopita, ut rebatur, memoria, bellum [o] Gothanum Imperii et ordinum decreto ſuſcepit: quo feliciter confecto rurſus ſe pacis et tranquillitatis publicae ſtudioſiſſimum praebuit. Auſtriacam familiam, cui devinctus erat, et Maximilianum Caeſarem inprimis, coluit; et Caeſarum amicus neceſſarius, quam Caeſar, qui ceteris principibus

INTERPR. [a] *Colonna.* [b] *de Peſcara.* [c] *Strasbourg.* [d] *Fremier.* [e] *Rouen.* [f] *Chemnitz.* [g] *Britzen dans le viel marquiſat de Brandenburg, où eſtoient les Vandales.* [h] *Lavater, & R. Gualterus.* [i] *de Zurich.* [k] *Weſembeck.* [l] *Louvain.* [m] *Jena, & Wittenberg.* [n] *de Siverſhauſen.* [o] *de Gotha.*

principibus egeret, in Imperio eſſe maluit. Cumque pecuniam omnium rerum nervum eſſe intelligeret, eo aſtu in ea congerenda uſus eſt, ut ſimulata prodigendi licentia omne patrimonium ſemel atque iterum aut diſtraxerit aut oppigneraverit; atque inde conflata clam grandi pecunia, nihilominus quaſi ad egeſtatem redactus, ordinibus ſuis convocatis, et ingenua male geſtae rei confeſſione veluti culpa purgata, eos ad luenda bona ſua ita vendita ſive oppignerata adegerit. Ad hunc aſtum acceſſit longae vitae parſimonia, et ingens ex Fribergenſibus fodinis proventus, qui ad ceteras divitias accumulatus, ſepties decies centena CIↃ talerorum decuplavit, quae ſumma in ejus aerario reperta eſt. Diſſidiorum inter principes ac civitates, quamdiu vixit, tanquam conciliator et arbiter rerum Imperii ac moderator extitit. Confeſſionis Auguſtanae acerrimus vindex, ita ut in quoſdam in ditione ſua Helveticam, quae inter Proteſtanteis Galliae ſervatur, introducere conantes ſeveriſſime animadverterit; Gaſpare Peucero, qui alioqui ob eximiam doctrinam ac philoſophiae et mathematicarum artium ſcientiam chariſſimus ei eſſe debuit, ad longum ac moleſtum carcerem ob id damnato. Tandem cum ſuperiore anno Annam uxorem amiſiſſet, initio hujus anni intempeſtivas nuptias cum Agnete [a] Hedwige Joachimi Erneſti principis [b] Anhaltini ex Helionora Wirtembergica filia juvencula, jam ſexagenario major, contraxit: quibus magno ſplendore celebratis, et nova nupta domum ducta, cum III Eid. Febr. poſt concionem ex venatione cum conjuge [c] Dreſenam rediiſſet, ſubito animi deliquio correptus et extinctus eſt: poſtea, pridie Eidus Martias, ſolemni pompa cum priori conjuge, patre Henrico, ac fratre Mauritio, Fribergae ſepultus. Moriens ex XV liberis, quos ex Anna priore uxore ſuſceperat, ſolum habuit, ſeptemviratus et tot opum heredem, Chriſtianum; qui jam Sophiam, Joannis Georgii Brandeburgici ſeptemviri filiam, in uxorem duxerat, ex eaque in tantae ſucceſſionis ſpem Chriſtianum II ſuſceperat: inſuper III filias ex Anna ſuſcepit Auguſtus, quarum Eliſabetha Joanni Caſimiro Palatino, Dorothea proxime Henrico Julio Brunſvico, Anna Joanni Caſimiro Saxoni Friderici II filio, elocatae ſunt. Paulo ante mortem in gratiam ſoceri ſeu novae nuptae carcere illo diuturno tandem Peucerum emiſſum libertati reſtituit; qui deinceps, jam admodum ſenex, ad extremum vitae diem [d] Deſſaviae Anhaltinae ditionis oppido familiae ſuae larem collocavit.

XIV. Annum clauſit obitus Stephani regis Poloniae, ex vehementi animi commotione ob inſolentem Rigenſium contumaciam, ut creditur, acceleratus. Superiore anno Rigae in Livonia tumultuatum fuerat ob Kalendarii Gregoriani promulgationem, conjectis in carcerem Joanne Taſtio et Gotardo [e] Wellingo juris utriuſque doctore ſyndico. Et Taſtius quidem e cuſtodia elapſus in arcem ad praefectum confugerat; verum cum obſoleta veſte ſumpta naviculam conſcendiſſet, in medio flumine e fuga rurſus in cuſtodiam retractus eſt; ubi tormentis ſubjectus, a rege pecunia ac promiſſis corruptum ſe ac collegam ad ipſum miſſum confeſſus eſt, ut multa contra mandata civitatis in patriae libertatis ac religionis praejudicium agerent facerentque. Poſt quas confeſſiones illi, quaſi proditionis contra patriam convicti, ad mortem damnati et extremo ſupplicio affecti ſunt exeunte Junio. Cujus rei nuncio in aulam perlato rex ultra modum commotus eſt, confeſtimque civitatis procuratorem ac tribunum proſcribit, et ludi moderatorem ad regium tribunal citat. Tabulae proſcriptionis in urbem allatae, et per legatum regium coram iis, de quorum capite agebatur, in ſenatu recitatae, non tamen publice affixae ſunt. Cum vero ſubinde ad regem ab exulibus faces irae ejus admoventibus querelae adferrentur, de civium occultis cum Sueciae rege conſiliis, rex alioqui irritatus copias per circumpoſitam Rigae regionem immittit, veluti ſtativa per hyemem ibi acturus: tum nobilitatem

INTERPR. [a] *Hedwige.* [b] *d'Anhalt.* [c] *Dreſde.* [d] *Deſſau.* [e] *Wellinge.*

CIƆ IƆ LXXXVI. HENRICUS III. nobilitatem Livonicam convenire, et caſtellum ad [a] Dunae oſtium arcendae claſſi Suecicae, quam a ſeditioſis evocatam fama erat, exſtrui jubet. At cives, jam exſatiato per ſeditionem furore, cum res amice componi expeterent, ultro Gotardum Curlandiae ducem rogant, medium ſe ac pacis veluti pararium inter civeis ac regem gereret, et componendi motus rationem pro prudentia ſua iniret. Nec officium detrectavit Gotardus, petitaque a rege venia ad urbem venit; et nomine regis ante omnia petiit, ut mandatis ejus plane ſatisfieret; tum de praeteritorum memoria inducenda ageretur. Sed cum cives contra urgerent, ut oblivio ante omnia ſanciretur, tum caſtelli exſtructionem deprecantes, ſuſpicionem de occultis cum Sueco conſiliis eximere conarentur, rex magis quam antea indignatus, quod nulla injuſte interfectorum, et reipublicae in priſtinum ſtatum reſtituendae, mentio facta eſſet, actionem totam a Gotardo cum civibus inchoatam irritam pronunciat; et, niſi ſe arbitrio ac voluntati regiae abſque ulla conditione civitas permittat, nullam gratiae ſpem ſupereſſe declarat. Id cum actum eſſet VI Kalendas Decembreis, Riga ob regis indignationem anxia, et omnibus in exſpectationem tanti motus ſuſpenſis, rex natura ſtomachoſior, ex nimia commotione, ſexto poſt datum legatis Rigenſibus reſponſum, epilepticis paroxyſmis tentari coepit, ex quibus Eidibus Decembribus deceſſit. Paulo poſt ex caſtris ad munitionem recens exſtructam excubantibus, Polocenſis praefectus et alii nobiles Poloni ac Lithuani Rigam venerunt, et morte regis nunciata cives hortati ſunt, in obſequio ac fide regno Poloniae debita conſtanter perſeverarent. Ad quae a ſenatu reſponſum, civitatem in fide ac obedientia permanſuram: ceterum cum religionis et privilegiorum ac libertatum, ad quorum defenſionem ac tutelam ſe regia majeſtas obligarit, labefactata ſint fundamenta, petere, ut ea per futurum regem et ordines reſtituantur; et a propugnaculi novi conſtructione, prorſus privilegiis ſuis adverſante, et perpetuam fidei minus ſincere ſervatae maculam aſpergente, damnumque ingens regio et urbis vectigali allatura, deſiſtatur. Hic exitus Stephani regis Poloniae fuit, Bathoria [b] [1] Somlienſi, non [c] Bathoria Bathorienſi, quae longe altera illuſtrior erat, familia orti; fortitudine, magnitudine animi, gravitatis ac juſtitiae laude, et rerum agendarum ſolertia cum paucis comparandi; qui virtute ſua meruit, ut, inter tot ambienteis, in tanti regni petitione ceteris praeferretur; princeps ad omnia magna capeſſenda natus, niſi in eo regno eſſet, quod non tam unius auctoritate, quam optimatum conſilio, regebatur. Vixit annos LIII: regno praefuit totum decennium, menſeis VII, dies XII; quo temporis ſpatio [d] Dantiſcanos in ordinem coegit, Moſcicum bellum ſumma felicitate geſſit ac confecit, Livoniam ac [e] Polotiam Poloniae reſtituit, Tataros compreſſit, domi foriſque clarus: ſed qui ceteris imperare conſueverat, juſtae irae adverſus Rigenſeis, ex occaſione Kalendarii et Jeſuitarum, conceptae, moderari non potuit, quae ei poſtremo lethalis fuit. Commendatione imperatoris Turcorum, ut creditur, in petitione regni adjutus, tamen occaſionem dari optavit, qua bellicae rei ſtudium adverſus communem nominis Chriſtiani hoſtem exerceret: et cum Amurathes, bellum adverſus Perſas geſturus, auxiliareis copias ab eo imperioſe poſceret, non ſolum ſtrenue negavit, ſed ſubjecit, candidam Polonorum aquilam, antea veluti ſenio implumem ac viribus deſtitutam, nunc priſtinam in juventutem reſtitutam, pennas ac primum robur recepiſſe, et roſtrum ungueiſque exacuiſſe; et cum Podolovius ſtabuli ſubpraefectus, in [f] Aſiam minorem ante triennium ad equos generoſos, quibus

INTERPR. [a] *la Duine.* [b] *Bathory de Somlys.* [c] *Bathory de Bathory.* [d] *ceux de Dantzick.* [e] *Ploczko.* [f] *Natolie.*

NOT. [1] Somlys eſt un chateau ſur les confins de Tranſilvanie & Hongrie, qui a donné le nom à la famille. *Put.*

quibus rex pro ſe uteretur, cum bona Amurathis gratia, comparandos miſſus, contra fidem crudeliter a Turcis ſummiſſis interfectus eſſet, captis etiam equis, de tanta injuria ſibi ſatisfieri voluit, et obtinuit: quanquam ea in re Stephano a Turcis illuſum quidam ſcripſere, pro Podolovii interfectoribus ei ad poenam deditis hominibus nihili, et alias extremum ſupplicium promeritis. Mortuum laudavit Chriſtophorus [a] Warſevicius; inſigni elogio ornavit Joannes Sarius [b] Samoſcius, cujus ductu ac conſilio maximas res bello et pace rex geſſit, et alioqui arcta adfinitate conjunctus, quippe qui ante treis annos Griſelidem [c] Bathoream regi proximam in uxorem duxiſſet. Hujus morte, cum res ad interregnum rediiſſet, denuo ſtudia partium inflammata ſunt: neque tantum votorum ſciſſura, ut proximis regi creando indictis comitiis, facta eſt, verum ex ea atrox bellum exarſit; quod tamen ejuſdem Samoſcii virtute exigui temporis ſpatio confectum eſt, ut poſtea loco ſuo dicemus.

INTERPR. [a] *Warſevicze.* [b] *Zamoyſki.* [c] *Bathory.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTOGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

IN Belgio *ſupplicatio anniverſaria Antuerpiae in nominis Gallici invidiam inſtituta. Res in Friſia a Jo. Bapt. Taxi geſtae.* II. *Leiceſtrius in Zelandiam et Bataviam magno comitatu deſcendit, ubique ab Ordinibus regia magnificentia exceptus. Ei ſumma armorum, terra marique belli gerendi, aerarii diſpenſandi, poteſtas facta. Mauritius Naſſovius et Hohenlous comes in ejus verba adacti.* III. *Res ſevere a Leiceſtrio ordinantur. Edicta ad reprimendam praedandi licentiam ab Eliſabetha facta.* IV. *Tolbiacum in Ubiis a M. Schenkio fruſtra tentatum. Loci origo et celebritas. Werla in Weſtfalia capta ac direpta. Hiſpani poſt trimeſtrem obſidionem ad Graviam caeſi. Gravia tandem dedita. Ad Venloam dein verſa vis, quae et tandem Parmenſi deditur. Parmenſis Noveſium ducit, et oppidum vi capit ac diripit.* V. *Leiceſtrius in Batavia delectus facit, ut, in Flandriam impreſſione facta, Parmenſem, qui Noveſium obſidebat, domum revocet. Mauritius Naſſovius in Pleumoſios deſcendit, ut Neuſam obſidione liberet. Sidneius Axelam citra ſanguinem in Flandria capit. Ad Hulſtam et Gravelingam irritus conatus. Druſiburgum in Zutfanienſi agro a Leiceſtrio captum. Ad Zutfaniam poſita caſtra. Acriter certatur juxta Warusfeldium pagum.* VI. *Leiceſtrii cum Ordinibus publicam adminiſtrationem pertaeſis contentiones. Ipſe in Angliam ob motus exortos tranſmittit.* VII. *Meduanii in Aquitaniam expeditio.* VIII. *Tureniae ditionis deſcriptio, origines, immunitas, et ad Turrianam gentem per adfinitates jus devolutum.* IX. *Navarri literae ad ſacrum ordinem, ad nobilitatem, et ad tertium, quem vulgo vocant, ordinem, ſeu popularem. Roianum in aeſtuario Garumnae a Plaſſaco interceptum.* X. *Condaeus ex Anglia Rupellam redit, et Dampetram in Pictonibus capit. Subiza et Mornacum in proximo caſtella a Vido Lavallo recepta; et eodem tempore Alnetum, Monde-viſium, et Chizaeum ad Botonam in fidem a Condaeo accepta.* XI. *Cruenta Condaei in Tiercellina legione caedenda in Mediolani Santonum conſpectu victoria. Renati Roani Rupellae deceſſus. Caſtelli et Monſegurii deditio.* XII. *Haud obſcurum Meduanii et Matignoni diſſidium.* XIII. *Navarrus Rupellam venit, et Maranum munit.* XIV. *Subductus a Birono, conditionibus cum Navarro conventis, a Marano exercitus, ob proximum reginae, condicto cum Navarro colloquio, adventum.* XV. *Meduanius cum Matignono Caſtellionem ad Duranium obſidione cingit; locus conditionibus certis deditus, quae praeſidiarios ſpectabant.* XVI. *Annam Caumontiam, Carancio principi prius nuptam, Meduanius ſecum abducit. Carancii cum Carolo Birono duellum.* XVII. *In Campaniae limite Donzium, Bullionicae ditionis oppidum, Guiſius in poteſtatem redigit. Novum edictum contra Proteſtanteis a rege conditum.* XVIII. *Annas Jouſa cum exercitu in Velaunos, Gabalos, et Rutenos miſſus.* XIX. *Philippus Altovitus Engoliſmenſi Provinciae praeſidi inviſus, ab ipſo confoditur Aquis Sextiis, et confoſſus ipſum lethali vulnere ſauciat. Ei in praefectura Eſpernonius ſuffectus, et exercitus ipſi, ut et Jouſae, attributus.* XXVII *edicta fiſcalia in belli ſumptus promulgata. Helvetiorum ad regem de pace legatio. Rex*

Lugdunum uſque procedit. Germaniae principum pro pace legatio. Collatio Montis-Pelicardi inter Auguſtanae et Helveticae Genevenſiſque confeſſionis ſocios habita, nullo concordiae inter partes exitu. XX. *Malezium in Gabalis a Jouſa captum. Gabali ad epiſcopum Mimatenſem pertinent. Marologium a Jouſa obſeſſum, et deditum. Inde ad Petram pulſatio directa, quae poſtremo victoris arbitrio dedita eſt. Ad Salvaniacum caſtra poſita in Rutenis, quod et tandem deditum eſt.*

EX AUCTORIBUS,

Imm. Meterano, Caeſare Campana, Jo. Parvo, Meduanii diario militari, Actis publicis, Ant. Scipionis Jouſae militari diario, Actis collationis Monpelicardicae, Pariatus Mimatenſis inſtrumento.

LIBER OCTOGESIMUS QUINTUS.

NEC in Belgio, et Belgicae ditioni adjunctis provinciis, toto hoc anno ceſſatum eſt. Antuerpiae XVI Kal. Febr. ſolemnis ſupplicatio inſtituta eſt, quotannis eodem die celebranda, ob pulſos urbe Gallos, ad renovandam cladis Franciſco Brabantiae duci ante triennium illatae memoriam. Eodem tempore Jo. Baptiſta Taxis, Verdugi in Friſia vicarius, hyemis commodo uſus, cum per glaciem itinera antea aquis merſa paterent, collectis undique praeſidiariis [a] Weſtergavam occupat: et [b] Worcomium, Hindelopam, Codemum, aliaque circum loca diripit; et inde, ubi primum glacies ſolvi coepit, diſceſſit. Eadem expeditione [c] Winſumi et Ripae colonos, qui arma ceperant, cecidit. Cumque ſub id [d] Steinius Maltza Danus, Willelmi comitis Naſſovii legatus, [e] Boxiumi, uno a [f] Leovardia milliari, exiguum militum numerum tumultuario collegiſſet, Taxis eodem impetu ad eos ducit; conſertoque VI Kal. Febr. proelio Maltzianos caedit, et in fugam vertit: CIƆ IƆC deſideratos ſcribunt Hiſpani; qui ſuperfuerunt, ad templum perfugium habuerunt, ubi et capti ſunt. Maltza in poteſtatem regiorum venit: ex regiis tantum XXV perierunt, et in iis Henricus [g] Deldenus magni nominis inter eos dux, et Oſwaldus comitis [h] Bergenſis junior filius; Hermannus ejus frater graviter vulneratus eſt. Eodem tempore, alternante vices fortuna, Martinus Schenkius eruptione ex Venloa facta magnum Hiſpanorum ad praedas palantium numerum cecidit; cum paulo ante [i] Appii Contii equitum Italorum alam fudiſſet, multis ex iis caeſis ſeu captis.

CIƆ IƆ LXXXVI.
HENRICUS III.

II. INTEREA Leiceſtrius comes, quem ſuperiore anno exeunte in Zelandiam magno Anglorum procerum comitatu appuliſſe diximus, in Bataviam venit, in omnibus civitatibus, per quas iter habuit, regia magnificentia, exſtructis paſſim arcubus triumphalibus, exceptus. Hagae Comitatenſi convenerant Belgii univerſi Ordines; qui Kalendis Februariis in eum provinciarum foederatarum, Geldriae, Zutfaniae, Bataviae, Zelandiae, Ultrajecti, Friſiae, Tranſiſelanae, aliorumque locorum, quae adhuc in Pleumoſiis et Atuaticis tenebant, hoc eſt, in Brabantia et Flandria, plenam adminiſtrationem contulerunt, eumque generalem gubernatorem nomine ſereniſſimae Anglorum reginae pronunciant; eaſdemque provincias, ultra auctoritatem conditionibus a regina acceptis definitam, cum ſumma juriſdictione et abſoluta poteſtate bellum terra marique pro ſuo arbitrio gerendi, inſuper imperandi,

INTERPR. [a] *Weſtergoo.* [b] *Worcum, Hindeloopen, & Couden.* [c] *Winſſum & Rijp.* [d] *Stein Maltz, Danois.* [e] *Boxim.* [f] *Leeuwaerden.* [g] *de Delden.* [h] *le comte Vanden Berghe.* [i] *Appio Conti.*

CIↄ IↄLXXXVI. HENRICUS III.

imperandi, exigendi, et diſpenſandi publicam pecuniam, deferunt; ut eodem jure uteretur, quo gubernatores generales olim in Belgio ſub Carolo V Caeſare. Ea nova pacta mutuo jurejurando utrinque confirmata, Mauritio Naſſovio et Philippo Hohenloo ceteris exemplo ſuo praeeuntibus, confecto etiam inſtrumento publico. Quod ubi ad reginam allatum eſt, illa, ſeu ſimulate ex compacto, ſive revera et ex animi ſententia, admodum commota eſt, confeſtimque Eidibus Februariis Thomam [a] Heneageum equitem auratum ad Ordines mittit cum literis, quibus ſignificat, admodum aegre ferre ſe, contra pacta Londini conventa, ampliorem, quam velit aut intelligat, [b] Leiceſtrio delatam ab Ordinibus poteſtatem: id vero nec debuiſſe nec potuiſſe fieri; ſicque exiſtimare, ad contumeliam ſuam pertinere, ſi clienti ac miniſtro ſuo poteſtas, quam juſtis de cauſis recuſaverit, ab Ordinibus deferatur, et ab ipſo accipiatur; praeſertim cum ſcripto de ea re nuper juſſu ſuo promulgato omnino repugnet, quo palam teſtabatur, ſe Belgii provinciis tanquam vicinis ſuppetias ferre, non etiam earum plenum patrocinium ad adminiſtrationem ſupremam ſuſcepiſſe: nec enim dubitare, quin malevoli, quos nimis multos habeat, inde occaſionem arripiant, ejus ſinceram voluntatem et aliena ab omni fuco conſilia calumniandi, quaſi aliud in ore, aliud in pectore celatum, habeat: proinde velle ac jubere, ut delata Leiceſtrio ab Ordinibus poteſtas revocetur, eaque juxta conditiones Londini nuper conventas definiatur. Ad has literas Ordines, qui [c] Haga Amſterodamum venerant, VIII Kal. April. reſpondent; et quod ab ipſis praeter pacta et mandata factum ſit, excuſant; neque eo conſilio factum dicunt, ut majeſtatem ſuam ad alia, quam quae pactis conventa eſſent, obligarent, ſed tantum ut auctoritatem, quae in plures diſperſa minor eſt, ad unum contractam potentiorem redderent; utili ad diſciplinam inter milites atque adeo cunctos ordines ſarciendam ac neceſſario remedio: proinde revocationem, quam adeo literis ſuis urgeat, deprecari, quae citra turbas et rerum jam conſtitutarum confuſionem fieri nequeat: neque vero id contractui nuper inito repugnare, ſi, ſummo imperio ac juriſdictione ſuprema penes Ordines manente, gubernatio ac adminiſtratio provinciarum in Leiceſtrium transferatur, donec dominium ſupremum reſervatum regiae majeſtati accipere placeat. His acceptis literis regina utcunque placata.

III. LEICESTRIUS provinciarum rebus ordinandis animum intendit, atque ante omnia pecuniae annuae ab ipſis collatae ratio initur, quae ad vicies quinquies centena CIↄ florenorum accedebat; ex quibus in uſus ſuos Leiceſtrio attributa centum millia. Mox promulgatae militares leges; et [d] Ultrajecti pridie Nonas Apriléis edictum conditur, quo commeatus, annonae, armorum, bellicorum inſtrumentorum, ac mercium ad hoſteis, eorum ſocios, et loca neutri parti addicta, ſubvectio quaecunque, item negotiationes per epiſtolas a menſariis exerceri ſolitae, prohibentur: quod eo conſilio a Leiceſtrio factum, quo omnes nationes cogerentur tuto navigandi libertatem grandi pecunia in uſus belli expendenda redimere. Sed cum Franci, Scoti, Dani, et Vandalicae civitates intercederent, ſperata ex eo pecuniae collatio locum non habuit: edictum nihilominus manſit; cujus metu plerique Belgio relicto Hamburgum, [e] Bremam, Embdam, Stadenum, et in alia loca maritima migrarunt, negotiationibus extra foederatas provincias translatis, quo libere in Italiam, Hiſpaniam, et inſulas navigare poſſent. Quapropter tandem querelis crebris exoratus Leiceſtrius, hujus tam ſeveri decreti gratiam Zelandis et Batavis fecit. Cum vero ſub id Philippus, bello nondum inter Hiſpanos et Anglos

INTERPR. [a] *Heneage.* [b] *le comte de Leiceſter.* [c] *la Haye.* [d] *Utrecht.* [e] *Bremen, Embden, & Staden.*

Anglos publice indicto, in negotiatores Anglos manus injeciſſet, navibus eorum fiſco addictis, illi, violentae repetitionis in Hiſpanos praetextu, piraticam toto oceano exercentes infeſtam navigationem non ſolum hoſtibus, ſed etiam foederatis, atque adeo Belgis, faciebant; quos promiſcue ſpoliabant, neque alio diſcrimine, quam ſi Luſitani aut Caſtellenſes fuiſſent, habebant: cumque miſeri Belgae jus ſuum in Anglia contra hujuſmodi praemiatores perſequebantur, averſam nobilitatem, judices, nautas denique experiebantur, longoque litium ſufflamine et cavillatoriis fori praeſcriptionibus vexabantur; ita ut jacturam jam acceptam pati, quam novam in damnoſa juris ſui perſecutione facere, conſultius exiſtimarent. Inde crebrae ad reginam delatae querelae; quibus ut ſatisfaceret, ſeveris edictis cavit, ut praemiatores fidejuſſores darent, neque alias quam hoſtium naveis et in Hiſpaniae tantum litoribus invaderent; neque prius quam in Angliam advectas, et judicum ſententia pro juſta praeda manubiiſque adjudicatas, caperent. Quae edicta pro tempore praedandi licentiam coercuerunt: ſed praefectorum diſſimulatione rurſus illis privilegiorum et aliarum argutiarum obtentu illuſum eſt.

IV. DUM in eo res eſſent, [a] Noveſiani praeſidiarii aſtu [b] Tolbiacum aggrediuntur, inter [c] Macrodurum et Coloniam in Ubiis ſitum pagum, nunc obſcurum, olim Alemanorum clade nobilitatum, cum Clodovaeus diu ancipiti proelio cum iis conflictatus, ad extremum Clotildis uxoris monitorum memor ſacra Chriſtiana ſe ſecuturum religioſe vovit, et victoriam de hoſtibus reportavit. Jamque ingreſſi mercatorum ſpecie hoſtilem animum renudaverant, arcis janitore jugulato; cum, ad uxoris praefecti, qui aberat, vocem, excitati oppidani auxilio advolant, et, antequam ſocii conjuratorum advenirent, eos in arce opprimunt. Captus vitrarius, qui Noveſianis rem tentandi auctor fuiſſe perhibebatur, et [d] Bonnam ductus; ubi de eo tanquam proditionis convicto ſupplicium ſumptum. Id ineunte Februario actum. Tolbiaco aliiſque locis fruſtra tentatis, ad impediendum liberum ex [e] Ubiis in [f] Eburones et Atuaticos commeatum, Martinus Schenkius et Hermannus Fridericus [g] Cloëtus Noveſii praefectus ultra Rhenum copias tranſmittunt, et menſe Martio in Weſtfaliam tendunt; et, inſtigante Everardo [h] Rekio ob religionis cauſam urbe pulſo, [i] Werlam, ſitu ad totam Weſtfaliam ſub jugum mittendam opportuno ſitam, eo aſtu capiunt: incendium in ſuburbio excitari curant, ad quod dum oppidani confuſe ruunt, diverſa parte ſcalis admotis vim in muros faciunt, et oppidanos a tergo invadunt, ita ut oppido potirentur. Arcem tuebatur Joannes [k] Werminchauſius cum delecto milite, ad quam mox illi vallum et aggeres jaciunt. Ad rei famam agricolae circum magno numero cum armis ad IV CIↃ confluxerant, quibus ſe duces praebuerunt rebus ſuis metuentes plerique e nobilitate. In eos eruptione ex oppido facta Schenkius magnam ſtragem edidit, plus IↃCCC interfectis, ceteros in fugam vertit. Interea Werminchauſius in arce rem ſtrenue gerebat, ita ut, ſive aſtu ſive vi aperta ſaepius petitus, irritos oppugnantium conatus reddiderit, donec affertur, Claudium [l] Barlemontium Altapennium cum Colonienſis ſeptemviri et Italorum copiis, quas Camillus Capiſuccus et Gaſto Spinola ducebant, item cum legione [m] Sequanorum, cui [n] Varambonius marchio praeerat, [o] Wahalim tranſmiſiſſe, et cum eo Franciſcum Verdugum Friſiae praeſidem Parmenſis juſſu adventare. Qua re cognita Schenkius mature rebus ſuis conſulit; et cum Cloëto, primum direpta urbe et praeda in currus impoſita, captiviſque civibus abductis, decimo poſtquam eam ceperat die, ab obſidione diſcedit; et

Berkam

INTERPR. [a] *de Nuys.* [b] *Zulpich.* [c] *Duren, & Cologne.* [d] *Bonn.* [e] *Pays de Cologne.* [f] *Liege, & Brabant.* [g] *Cloët.* [h] *Reik.* [i] *Werle.* [k] *Warminckouſen.* [l] *de Berlaymont, Sr de Haultepenne.* [m] *Franc-Comtois.* [n] *de Varambon.* [o] *le Wahal.*

CIƆ IƆ LXXXVI.

HENRICUS III.

[a] Berkam reverſus, praeda ibi relicta, ad Leiceſtrium contendit; a quo eques creatur, et torque aureo CIƆ aureorum, honoris et rei bene geſtae ergo, donatur. Carolus Mansfeldius, jam antea appetente hyeme ad [b] Graviam obſidendam miſſus IV circum propugnacula erexerat; et, ponte [c] Moſae impoſito, aditus ultro citroque clauſerat, ac praeſidio CIƆ IƆ firmaverat: ipſe ſeſquimilliari ab oppido cum V CIƆ Hiſpanorum caſtra metatus eſt. Poſt trimeſtrem obſidionem, quam [d] Hemertus Graviae praefectus crebris eruptionibus infeſtam regiis fecerat, Leiceſtrius Haga, Harlemum, et Amſterodamum, et poſtea Ultrajectum venit; et Hohenloum comitem, ac Joannem [e] Norriſium peditatus Anglicani praefectum, cum II CIƆ delectorum peditum [f] Venloam mittit, qui obſeſſis per occaſionem ſuppetias ferrent, et commeatum in oppidum importarent. Hi primo impetu unum ex propugnaculis Mansfeldianis medio a Gravia milliari capiunt; dein loco commodo munimentum novum ipſi juxta urbem, quam proxime fieri potuit, exſtruunt ad Moſae ripam, haud longe a ponte; quod diei noctiſque unius ſpatio CCC militum opera ad trium pedum altitudinem perductum fuit. Quod ut intellexere Hiſpani, protinus huc ter mille numero opus impedituri advolant, operarioſque ſecundo ac tertio impetu propellunt; qui recedentes, ſuperventu IƆCCC circiter auxiliarium firmati, gradum ſiſtunt, et conjunctis viribus certamen adverſus Hiſpanos reſtituunt, eoſque ad coeptam uſque munitionem impellunt, IƆ circiter ex iis interfectis, ac in iis V Hiſpanorum centurionibus; pleriſque etiam ſauciatis, et capto tormento aeneo, quod ſtatim avectum eſt. Ex auxiliaribus periere CXL: Norriſius ipſe ſcloppeti ictu in pectore, Joannes [g] Boroughus tormento in uno digito, laeſus eſt. Id actum XVI Kal. Maias. Poſtea Hohenlous [h] Batenburgum caſtrum tormentis pulſatum capit, et [i] Emplam haud hinc longe ſitam arcem; perfoſſoque aggere aquas late in ſubjectos campos immittit, et cymbarum ope copioſum commeatum et militem, quanto opus erat, Graviam intromittit. Nec propterea Parmenſis ab obſidione diſcedendum cenſuit; ſed cum toto exercitu ad eam venit IV Eidus Maias, et, diſpoſitis trans Moſam XXIV tormentis, urbem ab utraque fluminis parte verberat; magnaque murorum ſtrage edita, et turre ingenti dejecta, aciem quaſi ad oppugnationem ſerio faciendam inſtruit. Hujus conſpectu territus Hemertus, inſtigatu, ut creditur, quorundam regiis partibus addictorum, colloquium poſcit, pleriſque ductoribus ac centurionibus contradicentibus: tandemque conventum, ut milites et oppidani, qui vellent, cum armis, facultatibus, ac omni familia, incolumes dimitterentur: iis, qui manerent, ſatis aequae conditiones datae: abituris naves attributae, quibus Bomelam portarentur. Leiceſtrius ad famam adventus Parmenſis, a [k] Zutfaniae et Doesburgi praeſidiis ſibi metuens, et ipſe cum delecta manu III CIƆ peditum et CIƆ equitum iter Arnhemum verſus intenderat trans Rhenum, et in [l] Batavia inſula [m] Bercohofdum et Luitefortum caſtra munita expugnaverat. Inſuper Schenkio mandaverat, ut [n] Gravevertam inſulam prope Telonium ſitam occuparet, quo loco Rhenus in duo cornua finditur; quorum unum Arnhemum uſque et [o] Iſalam nomen ſervat, alterum Wahalis dicitur, ac [p] Neomagum in Sicambris praeterfluit. Ibi munitionem exſtrui juſſerat, qua Batavia inſula ab hoſte defenderetur. Ipſe, cum Wahalim cum exercitu tranſiiſſet, Graviam tendens, in itinere praeter ſpem cognoſcit Graviam deditam; Bomelaeque metuens, ilicet in [q] Bomelenſe territorium deſcendit, ac copias per ea loca diſtribuit. Hemertus et alii duces Bomelam venerunt, ut deditionem apud Leiceſtrium excuſarent; qui juſſu ejus comprehenſi

et

INTERPR. [a] *Rheinberg.* [b] *Grave.* [c] *la Meuſe.* [d] *de Hemert.* [e] *Norris.* [f] *Venlo.* [g] *Boroughs.* [h] *Battenburg.* [i] *Chateau d'Empel.* [k] *Zutphen & Duysbourg.* [l] *le Betuwe.* [m] *Berghſhooft & Luitefort.* [n] *Gravenwert petite iſle ſituée par delà le Tolhuys où le Rhin ſe diviſe en deux.* [o] *Yſſel.* [p] *Nimegue en Gueldre.* [q] *Bommelerweert.*

et Ultrajectum ducti, ac quaeſtione inſtituta, ad mortem poſtremo damnati ſunt, poteſtate Leiceſtrio ſervata, ut damnatis gratiam mortis facere poſſet. Verum ille ad exemplum pertinere exiſtimans ne temere imperiti ac rei bellicae rudes loca tanti momenti tuenda ſuſciperent, quanquam nullius proditionis convictos, Hemertum et duos militum praefectos [a] Banum et Cobockenum publice ſupplicio affici juſſit. Id ſeveritatis militaris exemplum, quod ad diſciplinam conſtituendam profuturum crederetur, in praeſens toleratum, poſtea in odium adverſus Leiceſtrium vertit; [b] Welſhio Anglo tribuno Aloſti Hiſpanis proditi inſimulato, et ob id ab Hohenloo comite capto, et Rolando [c] Eboracenſi itidem transfugii accuſato, non ſolum minime mulctatis, ſed ad praefecturas et invidioſos honores ab ipſo provectis. Capta Gravia Parmenſis ſucceſſum urget, et [d] Megam ac Batenburgum nullo negotio capit; tum [e] Venloam ducit, oppidum ſpatioſum et ſitu naturaque munitum, duplici foſſa circumdatum, in Moſae ripa. Erat in oppido obſeſſo Schenkii uxor, ſoror, ac reliqua ejus familia, eoque ad ſuppetias ferendas magis accendebatur Schenkius; qui cum Rogero [f] Willelmio Anglorum ſtrenuo ductore, aſſumptis ſecum C plus minus delectis equitibus, in caſtra Parmenſis perrumpunt, et ad hoſpitium ejus uſque penetrant; diverſo itinere quam quod inſtiterat Lucius Pallavicinus [g] Rabarani marchio contra eum a Parmenſi miſſus, cum legione Gaſtonis Spinolae, ut aditus et anguſtias locorum, ſi non venienti, ſaltem recedenti, intercluderet. Impetum Schenkii cum equitatu Nicolaus [h] Caeſius comes et Appius Contius ſuſtinuerunt, et eum poſtremo in fugam verterunt; qui, occupatis interim a Pallavicino aditibus, in ſummo diſcrimine verſatus eſt: verum, ut erat praeſenti in periculis animo, ſimul et ingenio, ſe hoſtium manibus extricavit, ſuperato aditu, de quo ſervando minus regii cogitarent; et, amiſſis XL ex ſuis, in caſtra ſua [i] Wachtendoncam verſus contendit. Mox Mansfeldius [k] Arſenum pagum munitiſſimum tormentis pulſatum capit XII Kalendas Quintileis. Inde contra inſulam ab oppidanis munitam verſus impetus; quam ut caperet Parmenſis, tribus pontibus ex cymbis conſtructis munitionem ſuperimponit; et, exſcenſione a CCC ex legione Spinolae facta, propugnaculum ipſum a Venloenſibus exſtructum ſexto poſt die capitur, locoque Barnabas [l] Barbovus Mediolanenſis cum idoneo praeſidio imponitur. Tum tormenta contra urbem diriguntur: quo conſpecto oppidani, alioqui bellicoſi habiti, animis ſtatim linquuntur, et, cum numero vincerent, praeſidiarios ad tranſigendum adigunt. Itaque biduo poſt, hoc eſt, IV Kalendas Julias, Venloa deditur conditionibus ſatis aequis: milites cum armis dimittuntur, uxore Schenkii cum tota familia libere diſcedere permiſſa. Interim excurſionibus ubique graſſabantur milites nullo diſcrimine, ita ut aeque a ſuis quam ab hoſte civitates infeſtarentur. Cum annonae penuria laboraretur in regiis civitatibus, Parmenſis commeatum ex [m] Juliacenſi, Clivenſi, et Leodicenſi agro ſubvehi curaverat, et ſecuritatis cauſa CIↃ amplius equites ſeu pedites attribuerat; qui haud longe ab Antuerpia a praeſidiariis [n] Bergarum ad Somam, ductore [o] Willoughbeio regulo, qui delectos Anglos ſecum ducebat, circumventi ac caeſi ſunt. Praeter interfectos CXXC capti; CCCC currus retenti; annona, quae aſportari non potuit, incenſa. Nec multo poſt Hohenlous cum Willelmo [p] Pelhamo Anglorum equitum ductore in [q] Atuaticos deſcendit, et [r] Langaſtratam diripit. Diverſa parte [s] Bebberi et Genadendalae praeſidiarii, qui Erneſto archiepiſcopo Colonienſi ſuberant, in mercatores et alios ad III CIↃ uſque, cum magno carrorum mercibus onuſtorum numero,

Berchemo

INTERPR. [a] Meteren les nomme *Ban & Cobocken.* Petit les nomme *Banck & Corf.* [b] *Welſh.* [c] *York.* [d] *Meghem.* [e] *Venlo.* [f] *Williams.* [g] *Ravarano.* [h] *il conte Nicolo Ceſis & Appio Conti.* [i] *Wachtendonk.* [k] *le chateau d'Aerſſen.* [l] *Barbovo Milanois.* [m] *Juliers, Cleves, & Liege.* [n] *Bergen-op-zoom.* [o] *le lord Willoughby d'Eresby.* [p] *Pelham.* [q] *Brabant.* [r] *Langhe ſtratte.* [s] *Bebber & Ghenedendal.*

CIƆ IƆ LXXXVI. HENRICUS III.

Berchemo profectos, et inde ad nundinas Colonienſeis tendenteis, incumbunt; et, caeſis ac diſſipatis Juliacenſibus pauculis defenſoribus, in promiſcuam mulierum, puerorum, et ceteram imbellem turbam ſaeviunt. Occiſi plus minus CCC: mox omnia praedae fiunt. Qui periculum evaſerunt, Coloniam nudi, vulnerati, ac inermes confugerunt, miſerabile utique ſpectaculum; fremente paſſim plebe, quam belli archiepiſcopi cauſa ſuſcepti taedebat. Fremitum auxere excurſiones a [a] Schenkio et Cloëto paſſim per Weſtfaliam eodem tempore factae, plus L pagis ſub ipſius urbis oculos incendio deformatis. Quibus rebus cum in ſuorum odium belli taedio veniſſe ſe ſentiret Erneſtus novus archiepiſcopus, ad Parmenſem adit; et, Willelmo Clivenſi principe ac Philiberto marchione Badenſi preces conjungentibus, ab eo impetrat, ut exercitum ad [b] Noveſium admoveret. Parmenſis, cum aliquot dies Venloae captae reficiendis viribus haeſiſſet, VI Eid. Jul. inde diſcedit, exercitu ingenti praemiſſo, ex Italis, Hiſpanis, Germanis, Belgis, et [c] Sequanis conflato; quibus praecipui duces praeerant Varambonus marchio, Carolus et Octavius Manſfeldii comites, Arembergius comes, Joan. Manricus Lara, [d] Boniquius, Liquius, Camillus Capiſuccus, Gaſto Spinola, et [e] Vaſtii marchio equitatus praefectus. Ipſe in celebri Genadendalenſi coenobio hoſpitium ſibi ſumpſit, ubi a legato pontificio ſub id gladio et pileo a pontifice conſecrato donatus eſt. Dum vallum ducitur, Italis ſecurius agentibus, plerique ex iis, eruptione a CCC praeſidiariis facta, caeſi ſunt; in eoque conflictu deſideratus Julius [f] Grimaldus. Noveſium tuebatur Cloetus nobilis adoleſcens, impiger juxta ac ſtrenuus, cum CIƆ bellatorum praeſidio; qui adventu Parmenſis propugnaculum, quod oppidani in inſula inter urbem et Rhenum exſtruxerant, quod illud defendi commode non poſſe appareret, deſerendum cenſuit; et navem praeſidiariam, quae in ea erat, vento et fluctibus committit; quae ab Hiſpano quodam ductore capta, mox eruptione ab oppidanis facta recepta, et ipſe una captus eſt. Parmenſis in inſula deſerta XXX tormenta collocat, et verberationem circa [g] Meeram et Rhenanam portas dirigit. Nulla adhuc murorum ruina edita, obſeſſi dedere ſe juſſi: nec illi, procraſtinandi occaſionem quaerentes auxilii ſpe, abnuunt. Pactis induciis Parmenſis propius oppidum accedit. Inter colloquendum cum ſeditioſi in oppido quidam dolum a regiis ſtrui putarent, inopinata ſcloppetorum diſploſione inſcio Cloëto colloquium abrumpunt, paene ut ictuum grandine obrueretur ipſe Parmenſis; qui tamen, re ad praeſens diſſimulata, plus de urbe potiunda quam de injuria ulciſcenda ſolicitus, novas conditiones offert, ut liceat praeſidiariis, et aliis, qui velint, vita et rebus ſalvis libere cum armis diſcedere. Verum Noveſiani rurſus novas moras nectunt; oppidum eſſe imperiale, quod neque Hiſpanorum regis, neque vero archiepiſcopi, ditionis ſit: proinde ſpatium deliberandi petunt, quo Caeſarem et Imperii principes conſulant. Hoc reſponſo irritatus Parmenſis verberationem a mane ad veſperam integrat; editaque duobus locis ingenti murorum ſtrage, turreis dejectas tantum occupari eo die imperat. Verum regii ab oppidanis, ſtrenue rem armorum et ignium artificioſorum vi gerentibus, inde expulſi: Cloëtus graviter laeſus, ita ut a pugna diſcedere ſit coactus; ejuſque diſceſſu ſtatim frangi et linqui animis obſeſſi coepere. Id actum feſto S. Jacobi die, hoc eſt, VIII Kalendas Sextileis, Hiſpanis religioſo, et quo magnas quaſque res, ut ſibi maxime favorabili, aggredi maxima alacritate conſueverunt. Poſtridie ad portam Rhenanam verberationem continuant. At oppidani rebus ſuis diffiſi, omiſſa ruinas ſarciendi aut aliud agendi occaſione, de deditione cogitare coeperunt, jam regiis in aciem ad oppugnationem faciendam

INTERPR. [a] *Schenck & Cloët.* [b] *Nuys.* [c] *Franc-Comtois.* [d] *de Bonninck & de Liques.* [e] *del Guaſto.* [f] *Grimaldi.* [g] *la Meerporte & la Rhinporte.*

faciendam inſtructis. Cumque ſub id ignes artificioſi ad duarum turrium defenſionem parati pulverem nitratum haud hinc longe ſepoſitum invaſiſſent, et vento glomerante per domos vicinas, ſtramine repletas, incendium ſparſiſſent, inde occaſionem nacti Hiſpani vim faciunt, defenſoribus metu incendii huc illuc diffugientibus. Ab altera parte Germani, Belgae, ac Sequani oppidum acriter oppugnant; ubi ſtrenue a defenſoribus, ignaris quid ſociis eveniſſet, certatur: ſed mox a fronte occurrentibus Hiſpanis, qui nullos fere reſiſtenteis intus repererant, oppido citra magnum certamen potiuntur. Et cum in lecto decumbentem Cloëtum reperiſſent, capto, quamvis jure belli ſecum agi poſtularet, mortem denunciant, tanquam fidei magno cum Parmenſis periculo nuper inter colloquendum violatae auctor fuiſſet; et laqueo collo injecto necant, et e feneſtra ſuſpendunt, ac praeterea cum eo duos ordinum ductores, et [a] Foſſerum Openhemium concionatorem; qui omnes ſuſpenſi una cum domo ardente conflagrarunt. Oppidum incendio graſſante miſere deformatur, et qui ſibi fuga non conſuluerant, paſſim trucidantur; tantum foeminis et pueris parcitum, inter quas Cloëti uxor ac ſorores liberae dimiſſae ſunt. Victoriam de oppido, quod tot menſibus a [b] Carolo Burgundione olim vix expugnatum fuerat, tam exiguo tempore capto, cuncti Parmenſi gratulantur; qui vacuum illud ſtatim archiepiſcopo tradit. Inde [c] Meurſia, Alpena, et Cracoha arx, quae loca [d] Nuenarii Meurſiae comitis erant, in fidem accepta; quibus praeſidio firmatis exercitus [e] Berkam tendit, quo et Parmenſis ipſe Eidibus Sextilibus venit.

V. INTEREA Leiceſtrius Ordinum poſtulatu novos delectus in Batavia habet, et II CIↃ equitum, III CIↃ peditum, ac CIↃ cunicularios conſcribi mandat, eo conſilio, ut, in Flandriam impreſſione facta, Parmenſem a Noveſiana obſidione revocaret. Secundum haec juſſi Mauritius Naſſovius et Philippus [f] Sidneius Vliſſingae praefectus cum III CIↃ armatorum in [g] Pleumoſios deſcendere, et [h] Neuſam petere haud longe ab Oſtenda; quam Valentinus [i] Pardeus Mota longa obſidione, ſpe alicujus ex occulto cum praeſidiariis quibuſdam pecunia corruptis conſilio ſucceſſus, in arctum redegerat. Hi vero cum noctu ex Neuſae propugnaculo profecti eſſent, [k] Axelam verſus ducunt, urbeculam commodiſſime ſitam; quam, IV hoſtium cohortibus munitam, fere citra ſuorum ſanguinem capiunt, nonnullis per murum aquas dividentem enitentibus: inſuper et propugnacula circumpoſita in poteſtatem redigunt, et aggeres, ut victoriam firmarent, perfodiunt. Id actum XVII Kalendas Sextileis. Inde victores Hulſtam dedi petunt; ſed, nuncio Axelae captae Antuerpiam allato, Chriſtophorus Mondragonius arcis praefectus ocyus eo venit, et Hulſtam praeſidio munit. Itaque Hulſta omiſſa in Zelandiam Sidneius tendit, occulto conſilio cum Gravelingae praeſidiariis inito de tradendo oppido; quod ſimulate ab iis fiebat. Ille igitur, Vliſſingam impoſitis in plana navigia delectis militibus, die condicto ad portam Gravelingae appellit. Praemiſſi ab eo ſubito ubi intrarunt, dolum praeſentientes ilicet pedem referunt: incumbente tamen mox hoſtili equitatu, Angli circiter XXX interficiuntur; reliqui ad naveis incolumes pervenerunt. Diverſa parte Leiceſtrius conſcripto novo exercitu, in quo erant ad VII CIↃ peditum, equitum CIↃ CCCC, exeunte Quintili movet; et primam aciem ducibus Joanne [l] Norriſio et Thoma [m] Cecilio praemittit, qui caſtra ad [n] Severini-fanum juxta Rhenum metarentur: ipſe Arnhemo VIII Eid. Septembr. diſcedit, et [o] Eltenum verſus in Cliviam proficiſcitur. Cum eo erant Emmanuel Antonii

INTERPR. [a] *Foſſerus d'Oppenheim.* [b] *Charles duc de Bourgogne.* [c] *Meurs, Alpen, & Crako.* [d] *de Newenar comte de Meurs.* [e] *Rheinbergen.* [f] *Sidney, gouverneur de Fleſſingue.* [g] *Flandre.* [h] *Ter-Neuſe.* [i] *de Pardieu, Sr de la Motte.* [k] *Axele.* [l] *Norris.* [m] *Cecil.* [n] *Sevenaer.* [o] *Elten.*

Antonii Luſitaniae regis filius, Gebbardus [a] Truchesſius nuper ſeptemviratu ſpoliatus, Mauritius et Philippus Naſſovii comites patrueles, [b] Solmenſis et Eberſtenius comites; Robertus [c] Ebroicus Eſſexiae comes, ſummus equitatus Anglici praefectus; [d] Peregrinus Bertius Willoughbeius, [e] Northus, et [f] Pelhamus Anglorum tribuni; et ipſe Philippus [g] Sidneius. Sed contra numeroſum Parmenſis exercitum cum tam exiguae vires non ſufficerent, non Berkam, quam petere Parmenſis dicebatur, ſed Doesburgum, ad avertendum a Berkenſi obſidione hoſtem, duci placuit. Id oppidum eſt in Zutfanienſi ditione, quaſi [h] Druſiburgum dictum a Druſo Tiberii Caeſaris filio, qui Rhenum ultra Arnhemum foſſa derivari curavit in [i] Iſalam, quae nunc quoque Druſiana foſſa nuncupatur, altis muris veteri more et foſſa ſatis ampla ac profunda vallatum. In eo erant CCC praeſidiarii [k] Gallobelgae, locoque praepoſitus a Parmenſi fuerat [l] Sampſonus ſtrenuus ordinum ductor. Praemiſſi cum IↃ CCC delectis peditibus, ad luſtrandum oppidum et noctu cingendum, Hohenlous, Eſſexius, Sidneius: ipſe Leiceſtrius, V Eid. Septembr. Eltenum profectus, cum reliquo exercitu ſubſequitur. Aggeribus jactis tormenta X admoventur; quorum diſploſione cum ingens murorum ruina edita eſſet, tamen ſuperabat foſſa LX pedes lata, quae oppugnationem difficilem reddebat: nihilominus ſuos in aciem inſtruit Leiceſtrius, et ad oppugnationem deſtinati Hohenlous cum Belgis ac Germanis, Jo. Norriſius cum Anglis et Hibernis. Cum in eo eſſent ut impetum facerent, id conſpicati oppidani de deditione agunt, propoſitis conditionibus; quibus a Leiceſtrio negatis, poſtremo oppidum, vita praeſidiariis ſalva, deditur. Introducti Joannes [m] Boroughus, qui et oppido praefectus eſt, et Willelmus [n] Stanleius. Inde [o] Zutfaniam verſus tendit Leiceſtrius, unam ex IV primariis Geldriae principatus urbibus, quae peculiari comitatus dignitate ornata eſt. Eam tuebatur Jo. Baptiſta [p] Taxis Verdugi vicarius; qui cum in [q] Veluam et Bataviam excurſionibus omnia circum infeſta faceret, Ordines non diu ante, ultra flumen Iſalam, munitionem conſtruxerant; unde vi inundantium aquarum ejecti praeſidiarii, poſtquam exceſſere, Zutfaniae praeſidiarii eam duabus alis tanquam anterioribus vallis adjectis firmarunt. Ad urbem Leiceſtrius, aſſumptis copiis quae [r] Rihovio et Coſmo Piſcarengio ad invadendam Flandriam militaverant, caſtra ponit XIV Kalendas Octobreis, et pontem ex cymbis collectis medio fere abhinc milliari ſternit; arcibus ac magnificis procerum praediis, et inprimis [s] Hacvorto et Worda, in poteſtatem redactis. Inde, poſtquam locus caſtris ſumptus eſt, Leiceſtrius ſumma celeritate [t] Daventriam proficiſcitur, ut diſcordias in urbe ob pecuniae collationes exortas ſedaret: ubi, introductis CCCC peditibus et II equitum turmis, cum intellexiſſet Parmenſem a [v] Berkae obſidione diſceſſiſſe, in caſtra revolat, eaque contra Zutfaniam ductis vallis diligentius munit. Parmenſis Berka diſcedens [w] Weſaliam venerat; [x] Buricaque urbe et arce in itinere capta, excitatis item per commodiora propugnaculis, Zutfaniam commeatus aliquantum importaverat: qui cum non ſufficeret, cum denuo copioſiorem annonam inferre conaretur, II CIↃ peditum et VII equitum turmis praemiſſis, acriter incurrentibus Anglis juxta [y] Warus-feldium pagum certatum. Northus, Eſſexius, Willoughbeius, Stanleius, Sidneius, Ruſſellus, et Norriſius, CC equites et CIↃ IↃ pedites delectos ducebant. Cecidere ex regiis eo conflictu plerique: nam Georgii [z] Cariſeae Epirotae, et Hannibalis Gonzagae auxilio ſupervenientis, turmae equitum caeſae;

INTERPR. [a] *Truchſes.* [b] *les comtes de Solms & d'Eberſtein.* [c] *D'Evreux comte d'Eſſex, general de la cavallerie.* [d] *Peregrine Bertie, baron Willoughby d'Eresby.* [e] *Roger lord North.* [f] *Pelham.* [g] *Sidney.* [h] *Bourg de Druſus, ou Duysbourg.* [i] *Yſſel.* [k] *Wallons.* [l] *Sampſon.* [m] *Boroughs.* [n] *Stanley.* [o] *Zutphen.* [p] *de Taxis.* [q] *par tout le Veluwe & le Betuwe.* [r] *de Rihove, & Coſmo Peſcarengis.* [s] *Hackwoort & Woorden.* [t] *Deventer.* [v] *Rheinbergen.* [w] *Weſel.* [x] *Burick.* [y] *Warus-veldt.* [z] *Cariſea Albanois.*

caeſae; ipſe Georgius captus, Hannibal graviter ſauciatus eſt. Verum ea victoria unius Philippi Sidneii, virtute, ingenii ſolertia, ac eruditione praeſtantis adoleſcentis, clade obſcurata eſt. Is, cum plus CL ex hoſtibus cecidiſſent, dum victoriam ardentius perſequitur, graviter in femore vulneratus eſt: XXV poſt die ex vulnere deceſſit, magno ſui deſiderio relicto. Mortui cadaver ut ſibi conjuncti, quippe ex ſorore prognati, Leiceſtrius in Angliam transferendum curavit; ubi magna pompa Londini ſepultum fuit. Poſt haec Leiceſtrius, caſtris in [a] Velua ad [b] *Iſalam* poſitis, munitiones e regione Zutfaniae expugnare molitur, et inprimis inſulam urbi oppoſitam; quae plerumque vadoſo illac flumine pede ſicco aditur, et a XXX tantum praeſidiariis cuſtodiebatur. Eam poſt aliquod certamen capit, et munitam praeſidio firmat, a continenti ad inſulam ſtrato ponte ad impediendam commeatus ſubvectionem: ſed nihilominus importata ſtatim ab hoſte annona copioſior. Quo facto Parmenſis valetudine preſſus Buricam per Weſaliam tendit; impoſitoque in eam Gaſtone Spinola, et [c] Orſoio [d] Capiſucco, [e] Alpenae item Camillo [f] Sacchino, inde per conſtructum pontem Rheno tranſmiſſo Bruxellas revertitur, exercitus cura Emmanueli [g] Lalanio Montinio nuper Rentii marchioni creato commiſſa. Leiceſtrius interim XVII Kalendas Novembreis ad [h] minus propugnaculum ſive alam, de qua diximus, boreae obverſam impetum facit; cujus captae decus unius Edvardi Stanleii virtuti debetur. Is enim apprehenſam hoſtis, a quo praecipue repellebatur, haſtam tanta vi tenuit, ut, ab ipſo hoſte arma ſua ſibi eripi renitente attractus, in propugnaculum tranſilierit: eoque tam inſperato aſcenſu animos ſuis pone ſequentibus fecit, ac tantum hoſtibus terrorem injecit, ut protinus locum deſeruerint. Ipſe Stanleius ob id a Leiceſtrio laudatus, et eques auratus creatus, ac IↃC florenis donatus eſt. Poſtridie, cum majus propugnaculum aggreſſuri Angli eſſent, praeſidiarii exitum veriti mature in urbem confugerunt. Et ita haec propugnacula, ac praeterea arx [i] Niebecana, Boſberga, et alia loca vicina, in Leiceſtrii poteſtatem venere; et Velua tota ab incendiariis regiorum excurſionibus liberata fuit. Ulterius Zutfaniam oppugnare minime conſultum viſum, quam, et per ſe optime munitam, et pro tempore capi difficilem, cum inter [k] Daventriam, Doesburgum, Lochemum, Dotecomum ſita eſſet, tandem commeatus penuria ad deditionem compelli poſſe ſpes erat. Itaque appetente jam hyeme caſtra movet Leiceſtrius, et militem in hyberna per vicina loca diſtribuit. Propugnaculo nuper capto et denuo munito Rolandum [l] Eboracenſem imponit cum IↃCCC Anglis peditibus et C equitibus, ut a Velua excurſiones prohiberet. Aegre id tulere Ordines, quibus ſuſpecta erat Rolandi fides; verum Leiceſtrius Anglis ſuis favens, et nimis credulus, ſponſorem ſe pro illo obtulit. Willelmus Stanleius, cum CIↃ CC peditibus Anglis ſive Hibernis, et CC equitibus, impoſitus fuit, quod hoſti militaſſet, et ipſe Ordinibus nonnihil ſuſpectus, ad arcem [m] Broncorſtam defendendam. Joannes [n] Boroughus cum IↃ CCC peditibus et CC equitibus Doesburgo praeficitur. Quibus copiis, et iis praeterea quae Lochemi, [o] Herenbergae, et Dotecomi erant, arcte ſatis cincta Zutfania credebatur. Inde, dilabente ſenſim a ſignis nuper conſcripto milite, Leiceſtrius [p] Hagam verſus iter intendit, Taxi ultimum agmen ſemper carpente, ſed levi cum damno.

VI. AB eo tempore praeſidi non cum hoſtibus, ſed cum Ordinibus ipſis, res fuit; qui de publica adminiſtratione graveis querelas ad ipſum deferunt, et capita Sextili proximo propoſita urgent, de quaeſtura et pecuniae diſpenſatione, de luſtratione copiarum Anglicarum, quas ſuppleri petunt; et praefectis a provinciis certo

INTERPR. [a] *le Veluwe.* [b] *Yſſel.* [c] *Orſoy.* [d] *Capizucca.* [e] *Alpen.* [f] *Sacchini.* [g] *de Lalain, ſieur de Montigny marquis de Renty.* [h] *l'un des petits forts ou ailes du coſté ſeptentrional.* [i] *Nieubeeck & Boexberghe.* [k] *Deventer, Duysbourg, Lochem, & Doetecom.* [l] *York.* [m] *Bronckhorſt.* [n] *Boroughs.* [o] *Heerenberge.* [p] *la Haye.*

CIↃ IↃ LXXXVI. HENRICUS III.

certo numero nominandis, ex quibus praeſes et ſtatus concilium, quem volent, unum eligant; de diſciplina militari ſervanda, de ſtipendiis militum, de foſſoribus et cunicularii per agros non cogendis: additum, ne quis privilegiorum contempto jure extra provinciam in jus vocetur, ut labefactata magiſtratus Ultrajectenſis auctoritas reſtituatur; nec ea ditio a reliqua Batavia ſeparetur, ſed ſub Mauritio Naſſovio Bataviae praeſide eidem rurſus uniatur. His intempeſtivis, ut rebatur, poſtulatis irritatus Leiceſtrius, ſenſum tamen acerbitatis pro tempore diſſimulavit, rejectaque in commodius tempus deliberatione, Ordinum petitiones eluſit; cum ſibi ob exortos nuper in Anglia motus, de quibus poſtea dicemus, quamprimum domum redeundum oſtenderet. Itaque VIII Kalend. Decembr. ſummam poteſtatem per ſuam abſentiam [1] Ordinibus committit; quam tamen conditionibus adjectis poſtea ita reſtrinxit, ut ſummum in praefectos imperium, adempta etiam ſolita juriſdictione, ſibi ſervaverit; unde exortae inter Leiceſtrium poſtea et provincialeis acres contentiones, utrique parti damnoſae. Quam vero ea adminiſtrationis ratio ipſis diſplicuerit, palam fecere, cuſis clam in ejus ignominiam nummis, in quorum antica parte ſimia prae nimio affectu pullos complexu enecans coelata erat, cum inſcriptione, [2] LIBERTASNE ITA CHARA, UT SIMIAE CATULI? In poſtica, vir igni aſtans, dum vult fumum evitare, incidit in ignem, adjecta inſcriptione, FUGIENS FUMUM INCIDIT IN IGNEM. Sub id Leiceſtrius, petito ab Ordinibus commeatu, quaſi brevi rediturus, Zelandia ſolvens in Angliam appulit pridie Nonas Decembreis: ad quem Ordinum decreto mox delegati Jacobus [a] Valkius concilii ſtatus aſſeſſor, Gulielmus [b] Suilenus Nivellanus, Juſtus Meninus Dordraci, Nicaſius Sylla Amſterodami, conſiliarii ac ſyndici, et [c] Kaminga Friſius; qui loco concilii provincialis Leiceſtrio in Anglia adeſſent, et dictis ac querelis crebris inſtarent, ut meliore forma adminiſtrandarum provinciarum ratio iniretur.

VII. APUD nos cum Carolus Lotharingus [d] Meduanae dux, exercitui in Aquitaniam deſtinato praepoſitus, exeunte Decembri proximi anni veniſſet [e] Caſtrumnovum ad Carantonum, eodem quoque Jacobus [f] Gobio Matignonus equitum tribunus provinciae praeſes venit; venerunt et [g] Santonum ac Engoliſmenſis pagi delegati: qui ante omnia [h] Pontium, Talliaburgum, et Fanum Joannis Engeriaci, duci petebant; quippe prima, quae occurrerent, ab hoſte occupata loca, et quae a tergo non relinqui, non ſolum ad famam, ſed ad rerum porro gerendarum ſecuritatem, pertinere aiebant: verum contradicebant alii, et ad famam, qua bella conſtant, pertinere itidem replicabant, ne primi conatus exitu careant; atqui aſpera jam hyeme munitas urbeis, et quas contra venientium recenteis impetus optimo milite ab hoſte firmatas vero ſimile fiat, primum tentari, temerarium videri; praeterea tantum in caſtris IV tormenta muralia et II colubrinas eſſe, ad tantae molis loca verberanda haud ſatis validum ſubſidium. Itaque inſtantibus ceterarum praefecturarum delegatis, quando firma et diuturnae obſidionis loca peti minime conſultum videbatur, placuit, ut ulterius exercitus ad loca magis debilia duceretur; quibus captis, florentiſſimae praefecturae non ſolum ad regis obſequium reducerentur, ſed grandis pecunia ex iis, quae alioqui ab hoſte inſeſſae nihil ex vectigali annuo regi pendebant, in belli gerendi uſus, praeterea annona copioſa,

INTERPR. [a] *Valck, conſeiller d'Eſtat.* [b] *de Zuylen de Nivelt, Jooſte de Menin penſionaire de Dort, le docteur Nicaſius de Sylle conſeiller & penſionaire d'Amſterdam.* [c] *Kamminga de Friſe.* [d] *Mayenne.* [e] *Chateauneuf ſur la Charente.* [f] *de Goyon, ſieur de Matignon, gouverneur de Guienne.* [g] *Saintonge & Angoulmois.* [h] *Pons, Taillebourg, & S. Jean d'Angely.*

NOT. [1] *dele* Ordinibus; *lege* Senatui, *i. e.* au Conſeil d'Eſtat, qui eſt autre que les Eſtats. *Put.*

[2] Inſcriptio illa erat ab iis procurata qui Leiceſtrio addictiores erant, et aliis libertatis ſtudium quaſi nimium objectabant. *Put.*

copioſa, comparari poſſet. Verum in tranſmittendo [a] Duranio magnae difficultates occurrebant: nam a fontibus ipſis omnia in utraque fluminis ripa, quod per XXX amplius leucas Vaſconicas decurrit, loca ab hoſtibus fere inſeſſa erant: tantum [b] Soliacum a noſtris tenebatur; et certo compertum erat, Henrico [c] Turrio Tureniae vicecomiti id conſilii eſſe, ut regios in Duranii tranſitu interciperet. Itaque ad vada, aut tranſmittendo per navigia flumini apta loca, exploranda miſſus Edmundus [d] Altafortius Lemovicum praefectus; qui ad [e] Limolium, II a [f] Linda et IV ſupra Bergeracum leucis, quae loca hoſtes tenebant, ſuperari commode flumen, modo navigia ſuppeterent, renunciaverat. Sed cum navigia eo loco minime praeſto eſſent, in [g] Eberardi Sanſulpitii [h] Cadurcorum praeſidis ſententiam itum eſt; qui inter [i] Belli-locum et Soliacum exercitum commode traduci poſſe, et ad id pleraque navigia a Proteſtantibus in flumen demerſa, et alia ex [k] Olta in Duranium per carros transferenda habere ſe affirmaverat. Secundum haec Meduanius et Matignonus tandem [l] Villeboſii copias dividunt, condicto ad [m] Baſilii-fanum loco ac die, quo ſub veris principium ad XXV Februarii convenirent. Matignono attributae, Helvetica legio [n] Rediti, praeterea [o] Piſerrati, Sarliaci, Herveti Carbonelli, Caniſii, Oraſoni, Caroli Choëſelii Pralini legiones; equitum [p] cataphractorum alae Odeti comitis [q] Torignii filii et [r] Bargaei; quae Burdigalam verſus iter ceperunt. Meduanius ſibi ſervavit Helveticam legionem [s] Heildi; legiones item [t] Sacromori Biragi, Dominici Vici, Franciſci Blancardi Cluſelli, C. Doi Fraxinei et Rupii Monteſonis; equitum alas, primo ſuam, dein Georgii [v] Villoclari Guerchii vicecomitis, Caroli [w] Gondii Bell-inſulae marchionis; levis armaturae alam [x] Villarii marchionis, [y] Nicolai Epirotae, turmas IV equitum Germanicorum, cum IV muralibus machinis et II colubrinis. Cum his copiis per [z] Turrem-albam et [aa] Burdelliam in Petrocorios divertit, et V Eid. Januar. Veſunam provinciae metropolim venit, ab urbis epiſcopo ac ſacro ordine perhonorifice exceptus. Nec ceſſabat interea Turenius; qui, [bb] Monflanquino eductis II colubrinis, cum delecta manu [cc] Belnam primum in Petrocoriis irrito conatu tentat; mox [dd] Leuſeriam II a Bergeraco leucis vi expugnat, caeſis, qui in ea erant, praeſidiariis. Eodem ſucceſſu [ee] Firmi-fanum, quod eſt in Vaſatenſi praefectura coenobium, haud longe a [ff] Monſegurio, tumultuariis operibus, ut fit illis in locis, munitum, adoritur, expugnatoque eo [gg] Rupem-brunam Monſegurio proximam ducit: ſed repulſus e veſtigio ſe recepit, ſatis ad famam actum ratus, quia cum exiguis adeo, quas penes ſe habebat, viribus majora conari minime conſultum videbatur. Jamque Meduanius Veſuna profectus ad Veſerae amnis ripam venerat; quo per pontem ad [hh] Terraſſonem tranſmiſſo, Duranium verſus tendenti occurrebat [ii] Montiniacum Comitatenſe Veſerae impoſitum, ditionis Navarri caſtellum, quod a praeſidio tenebatur. Eo ante omnia [kk] Veſunae conſules et Altafortius duci petebant, quod capto Montiniaco [ll] Lamaurius ſtatim [mm] Tutelam deſerturus eſſet. Sed, cum exiguus ad tentandam obſidionem apparatus in exercitu eſſet, miſſus [nn] Stagnius Brivati praeſes, qui tormentum Brivato et CC circiter pilas in caſtra advehi curaret;

INTERPR. [a] *la Dordogne.* [b] *Souillac.* [c] *de la Tour, vicomte de Turenne.* [d] *de Hautefort, gouverneur de Limouſin.* [e] *Limueil.* [f] *la Linde.* [g] *Ebrard de S. Sulpice.* [h] *Quercy.* [i] *Beaulieu.* [k] *le Lot.* [l] *Villebois.* [m] *S. Bazeille.* [n] *de Redhit.* [o] *de Puyſerrat, de Sarliac, Hervé de Carbonel, le Sr de Caniſy, d'Oraiſon, & Charles de Choiſeul de Praſlin.* [p] *compagnies de Gens-d'armes.* [q] *de Torigny.* [r] *la Barge.* [s] *le colonel Heyld.* [t] *de Sacromore de Birague, de Vic, de Blanchard Sr du Cluſeau, d'O Sr de Freſnes, & le Sr de la Roche-Monteſon.* [v] *de Villequier, vicomte de la Guerche.* [w] *de Gondy, marquis de Belle-Iſle.* [x] *de Villars.* [y] *le capitaine Nicolo Albanois.* [z] *la Tour blanche.* [aa] *Bourdeille en Perigort.* [bb] *Monflanquin.* [cc] *Belne.* [dd] *Luſiers.* [ee] *S. Ferme dans la ſeneſchauſſée de Bazas.* [ff] *Monſegur.* [gg] *Roquebrune.* [hh] *Terraſſon.* [ii] *Montignac le Comte ſur la Veſere.* [kk] *de Perigueux.* [ll] *de la Maurie.* [mm] *Tulle.* [nn] *de l'Eſtang preſident de Brive.*

CIↃ IↃ LXXXVI. HENRICUS III.

curaret; miſſus et [a] Sanpardeus [b] Oratorium in limite Pictonico, qui inde I tormentum et I colubrinam adduceret. Arcem tuebatur Joannes [c] Gontaldus Bironus Salignacus: cui ſubjectum eſt oppidum; quod aſtu intercipi, et incendio, quod a praeſidiariis immiſſum iri certo apparebat, praeverti, conſultum videbatur; quippe aſpera adeo hyeme commodum militi in obſidione arcis haerenti contra coeli injurias perfugium. Miſſus eo [d] Altafortius, et Faius, qui cum oppidanis aliquot ſecretum ea de re conſilium agitaverat, attributis ei Dominici Vici et Sacromori Biragi legionibus; qui noctu profecti, ob diſſidium inter Vicum et Biragum de digniore incedendi ordine exortum, fere ab incepto deſtiterunt. Vicum plurium ſtipendiariorum praerogativa tuebatur; pro Birago non tam nominis ſplendor, quippe qui non legitimus eſſet, quam Meduanii favor, faciebat, qui Vicum regi addictum, et ſibi tanquam exploratorem adjunctum, faſtidiebat, ob idque Biragi foederatione obligati cauſam praeter jus et aequum contra Vicum defendebat. Tandem, ne conatus irritus caderet, pro tempore conventum, ut eodem tempore tribuni ambo diverſis partibus impetum facerent; Vico, qui aequato ſecum Birago injuriam ſibi fieri minime ignorabat, id decori et praeſenti neceſſitati condonante. Captum haud magno negotio oppidum, diffugientibus in arcem CXX circiter militibus; ac triduo poſt, hoc eſt, III Nonas Februarias, qui in Lunae diem incidebat, admotis ad arcem IV tormentis, CCLX circiter ictus diſploſi; ac poſtridie cum ingens ruina edita eſſet, praeſidiarii deditionem fecere, vitam ſalvam pacti, his conditionibus, ut nobiles gladio accincti, milites cum puro ſcipione, exirent. Inde tranſmiſſo Veſerae fluvio in regionem [e] Interamnem deductus exercitus; et cum in itinere [f] Benaci, Salignaci, et Fani Geneſii arces occurrerent, quarum Benaciana omnium munitiſſima erat, conſultatum fuit, quid de iis ſtatuendum eſſet; et placebat Meduanio, ne ſeveris adeo contra Proteſtanteis edictis fraus fieret, ut fidis, hoc eſt, infeſtis Proteſtantium hoſtibus, earum cuſtodia committeretur, qui mobilia poſſeſſorum bona ac fructus publice diſtrahendos in belli ſumptus curarent: verum id locum minime habere potuit. Inſtabant [g] Sarlatenſes, ut [h] Monfortium [i] Turenii oppidum duceretur, ad Duranium haud hinc longe ſitum; eoque miſſus fuerat Franciſcus [k] Caſſillacus Seſſacus, qui loci poſitum luſtraret; qui cum eum acceſſu difficilem renunciaſſet, et eodem tempore allatum eſſet, Matignonum [l] Burdigala profectum eſſe cum exercitu ac tormentis, ut [m] Caſtellum in [n] Garumnae ripa obſideret, et inde [o] Baſilii-fanum tempore condicto veniret, [p] Meduanius, per [q] Giniacum et Martellum in Cadurcis facto itinere, [r] Belli-locum tendit, ut [s] Duranium illac tranſmitteret. Id conſilio [t] Sanſulpitii et Claromontii Lodevenſis agebatur, qui ſpem conceperant, exercitu in [v] Cadurcos miſſo, [w] Figeacum, quod continuis praeſidiariorum incurſionibus toti provinciae maxime incommodabat, expugnari poſſe. Sed cum, luſtrato ab ipſo Meduanio loco, Duranium ab illa parte tranſmitti citra periculum non poſſe conſtitiſſet, ad [x] Criſſeum, haud longe a Martello, tranſmittendis copiis locus delectus eſt. Sub id [y] Lamaurius, quem ſuperiore anno capta [z] Tutelae civitate in Lemovicibus a Turenio impoſitum diximus, grandem pecuniam ab oppidanis pactus urbem deſerit, et Turenam conceſſit: ubi dum crebris cum Sacromoro Birago, qui haud longe hinc cum legione ſua diverterat, proeliis confligeretur, ipſe accepto in capite ſcloppeti ictu occiſus eſt; quanquam alii imprudentia cujuſdam e ſuis, dum

INTERPR. [a] *de St. Perdoux.* [b] *le Dorat en la Marche.* [c] *de Gontaud de Biron de Salignac.* [d] *de Hautefort & la Faye.* [e] *Pays entre les rivieres de Veſere & de Dordogne.* [f] *Beynac, Salignac, & S. Genies.* [g] *ceux de Sarlat.* [h] *Montfort.* [i] *vicomte de Turenne.* [k] *Caſillac de Seſſac.* [l] *Bourdeaux.* [m] *Caſtets.* [n] *la Garonne.* [o] *S. Bazeille.* [p] *le duc de Mayenne.* [q] *Gignac & Martel en Quercy.* [r] *Beaulieu.* [s] *la Dordogne.* [t] *de St. Sulpice, & de Clermont de Lodeve.* [v] *Quercy.* [w] *Figeac.* [x] *Creiſſe.* [y] *le capitaine de la Maurie.* [z] *Tulle en Limouſin.*

dum res tumultuario ageretur, 'occiſum eum memorant. Eodem tempore Henrici Meduanii filii et Joannis [a] Thevalii alae equitum in caſtra venerunt; et Franciſcus [b] Valeta Cornuſſonus Toloſae praefectus cum [c] conſulibus urbis Martellum ad Meduanium venit, orans, ut ad [d] Manſum Virodunum, quod eſt propugnaculum in ulteriore Garumnae ripa, et [e] Montalbanum primarium Proteſtantium receptaculum, unde Toloſa continuis excurſionibus infeſtabatur, copias admoveret; in idque copioſum commeatum, IX murales machinas omni apparatu bellico inſtructas, bis mille pilas, et II CIↃ peditum ſtipendiis urbis militantium, offerebat. Nec Meduanius in ſpeciem abnuebat, quamvis de exitu veritus, cum tam exiguis, quas habebat, copiis tantae molis negotium aggredi periculoſum exiſtimaret. Interim traductae omnes copiae per pontones, et miſſus [f] Sanchamaranus caſtrorum praefectus cum II tormentis, qui ad [g] Soliacum tranſmitteret, et [h] Rocenſem arcem, quae a XXX praeſidiariis huc illuc diſcurrentibus magno popularium incommodo tenebatur, vi caperet. Verum illi, non expectato ejus adventu, locum deſerunt, 'et Monfortium ac [i] Burrolas, Turenicae ditionis oppida, conceſſerunt. Belli-locum tenebat [k] Cavagnacus, crebris de deditione tractatibus huc uſque impetu Meduanii retardato; qui, ludificari ſe aegre ferens, Altafortium eo mittit cum Sacromori legione et II tormentis. In itinere [l] Ganiacum municipium, ad quod receptum habebant aliquot praeſidiarii omnia circum infeſta facientes, ex occaſione cinctum; et, cum ſe dedere obſeſſi nollent, vi expugnatum, ſuſpendio, qui in eo capti ſunt, ad exemplum necatis. Qua re territi, qui [m] Comiacum in Cadurcis Sanſulpitii caſtellum tenebant, Proteſtantes locum deſerunt; et [n] Argentatenſes ob eandem cauſam pacti ſunt neutras in partes arma ſe deinceps laturos, deſtructis quatuor, quae circum extruxerant, munimentis. Jam Sacromorus ad [o] Aſtaliacum pervenerat haud longe a [p] Belli-loco, et inde trans [q] Duranium in ſuburbiis oppidi hoſpitium ſumpſerat; quem ſtatim ſubſecutus eſt cum toto exercitu Meduanius, ſumpto ad Aſtaliacum hoſpitio. Quod ubi vidit Cavagnacus, neque moras nectendi amplius locum citra manifeſtum exitium ſupereſſe, cum Meduanio tranſigit; et ſignis traditis locum in Altafortii manus conſignat, vitam ſalvam et res ſuis pactus, qui in tutum deducti ſunt. Inde tranſmiſſo rurſus Duranio [r] Gordonium in Cadurcis reditum, quo et totus exercitus convenit: ibi obvios habuit [s] Burnazelium et Cornelianum Meduanius, eum oranteis, ut in [t] Rutenos duceret. [v] Monvalenum et ſub id deditum, quod eſt itidem Turenicae ditionis oppidum ſupra [w] Criſſeum portum ad Duranium ſitum, a Belga quodam, qui a vicecomite loco cum praeſidio impoſitus fuerat.

VIII. HUJUS ditionis quoniam jam crebra facta mentio, et alioqui celebris ejus inter noſtros fama eſt, antequam ulterius progrediar, quaedam de illa inſerere pretium duxi. Ea in finibus [x] Arvernorum, Cadurcorum, Petrocoriorum et Lemovicum poſita, quatuor his provinciis participat; et Turenam primariam arcem, a qua ditioni nomen, in Lemovicibus habet, duabus a [y] Brivato leucis. Principes ab initio vicecomitatus titulo eum tractum tenuerunt cum pleno ac ſupremo dominio, ita ut neminem ſuperiorem, ne regem quidem, agnoſcerent; quam praerogativam inter Francorum et Anglorum arma facile tuebantur. Itaque Raimundus, qui Ludovici VII junioris vulgo dicti temporibus fuit, et ejus ſucceſſores ſupremo illo jure uſi ſunt, quaſi a Deo ſolo, et B. Marcelli corpore, quod in ſacello

Turenae

INTERPR. [a] *de Thevalles.* [b] *la Valette de Cornuſſon ſeneſchal de Toulouſe.* [c] *Capitoux.* [d] *Mas de Verdun.* [e] *Montauban.* [f] *de S. Chameran, mareſchal de Camp.* [g] *Souillac.* [h] *chateau de Rocq.* [i] *Bourroles.* [k] *de Chavagnac.* [l] *Gainac.* [m] *Comiac en Quercy, chateau de la maiſon de S. Sulpice.* [n] *ceux d'Argentat.* [o] *Aſtaliac.* [p] *Beaulieu.* [q] *la Dordogne.* [r] *Gourdon.* [s] *de Bournazel & de Cornillan.* [t] *Rouergue.* [v] *Monvalen.* [w] *port de Creyſſe.* [x] *Auvergne, Quercy, Perigort, & Limouſin.* [y] *Brive.*

Turenae arcis colitur, neque praeterea ſuperiore ullo domino, illud obtinentes. Inde immunitatis privilegium, quod hodie Turenae reguli retinent, originem habuit, quo ditionis illius populares a vectigali annuo ſeu tributo, quod ruſtici et ceteri infimi ordinis homines per totum regnum aerario pendunt, liberi ſunt. Vicecomitum illorum vetus maſcula gens in Raimundo III defecit, qui, ſuperſtite Margarita filia, deceſſit. Illa Bernardo [a] Convenarum comiti nupſit; qui, filiolae triduum matri ſuperſtitis heres, poſtea Mathildam [b] Inſulae comitiſſam in uxorem duxit, ex eoque matrimonio Helionoram ſuſcepit, quae Gulielmo Rogerio Gulielmi Clementis VI pontificis fratris filio nupſit, circa annum CIↃ CCCXII. Porro Gulielmus ille prior in gratiam pontificis fratris a rege Philippo [c] Valeſio [d] Bellofortium comitatum in Andibus acceperat, ab eoque tempore ab illo propagati Bellofortii appellati ſunt; et inde, tam qui Turenae vicecomites, quam qui poſtea dicti ſunt [e] Canilliaci marchiones ac [f] Aleſenſes comites, genus ducunt, quanquam, quantum ad Canilliacos, inſititio in [g] Monboiſſeriam gentem Bellofortii nomine. Cum vero Belloforiorum Turenae vicecomitum ſtirps ad Raimundum IV perveniſſet, Antonia ejus filia Jo. [h] Maingreo Bucicaudo Franciae equitum tribuno, et multis egregie factis inclyto belli duci, nupſit, circa annum CIↃ CCCC; nulliſque ſuſceptis ex eo matrimonio liberis, res omnis ad Annam Petri Bellofortii filiam rediit, quae Annae [i] Turrio Oliergii regulo nupſit: et inde Turenae ditio uſque ad Henricum, de quo nunc ſermo eſt, in Turriorum familia fuit, alioqui per ſe illuſtriſſima: nam a Bertrando Turrio, Annae Turrii patrueli fratre, qui Mariam [k] Bononiae comitiſſam in uxorem duxit, recta Bononiae comitum ſeries deducitur uſque ad Joannem, qui Magdalenam filiam reliquit, quae Laurentio Medici, Leonis X pontificis ex Petro fratre nepoti, nupſit, a quo prognata Catharina Henrici II uxor, et Franciſci II, Caroli IX, et Henrici III regum parens. Dum Meduanius [l] Gordonii eſſet, literas a Matignono accepit, quibus ſignificabat, ſe in itinere jam eſſe, et XI machinas inſtructas,. et II colubrinas habere, quibus [m] Caſtellum oppugnare conſtituiſſet; Navarrum vero [n] Montalbano [o] Neracum rediiſſe, eoque in loco copias, quam poſſet, maximas colligere, ut regiorum conatus diſturbaret.

IX. DUM Montalbani eſſet Navarrus, quo Proteſtantium delegati ex cunctis regni provinciis convenerant, literas ad ſingulos regni ordines Kalendis Januariis dederat; et cum ſacro ordine praecipue, ut infeſto magis ſibi, graviter expoſtulaverat, Quod inimicorum ambitioni ſervientes omne patrimonium ad turbandam regni quietem prodigerent, et qui paci ſtudere debebant, tot innocentum crudeliter per bella civilia interfectorum aut bonis ſpoliatorum execrationes ultro in ſe reciperent. Quod ſi a conjuratis nihilominus religionis colore excuſetur, quin potius conditiones a ſe ac Proteſtantibus toties propoſitae ac repetitae, quibus ſe legitimi ac liberi concilii decretis ſtare paratos ſignificarunt, ab hominibus adeo devotis accipiantur? Atqui multos ex illo ordine, omiſſa illa errantium in viam reducendorum ratione, apud pontificem inſtitiſſe, ut ſe inauditum condemnaret, et extra Chriſtiani nominis commercium poſitum proſcriberet, atque adeo legitima regni ſucceſſione privaret: verum ſe, Dei gratia et juſtae cauſae conſcientia fretum, parum his irritis pontificis irati fulminibus terreri, quippe qui ſciat ſolius Dei eſſe, reges conſtituere, ac de regnis decernere; et ab ipſo ſacro ordine Gallicano, nulla olim factionis labe infecto, edoctus didicerit, pontifici nullum jus in hoc regnum eſſe. Verum hoc ſibi dolere, quod nefariae factionis auctores et fautores

eo

INTERPR. [a] *Comminges.* [b] *comteſſe d'Iſle.* [c] *de Valois.* [d] *comté de Beaufort en Vallée, en Anjou.* [e] *Canillac.* [f] *comtes d'Alez.* [g] *Monboiſſier.* [h] *le Meingre* dit *Boucicault* II *mareſchal de France.* [i] *de la Tour baron d'Oliergues.* [k] *Boulogne.* [l] *Gourdon.* [m] *Caſtets.* [n] *Montauban.* [o] *Nerac.*

eo veſaniae venerint, ut de regis videntis viventiſque, atque adeo in aetatis flore conſtituti, ſucceſſione litem veluti moveant; at male ſit illis, qui fortunarum amplificationem regis tumulo ſuperſtruunt, atque adeo futuri ſunt providi, ut mortem ejus conſiliis ſuis anticipent. Verum haec monſtra non ab ingenio Gallico profecta ſe credere, ^α^ ſed potius a Jeſuitica ſodalitate, hominum Hiſpanae factioni addictorum officina, qui pacem et tranquillitatem Franciae invident; ac Deum toto pectore orare, tam illi in poſterum a perniciosis conſiliis animum abſtineant, quam injuriam ab iis acceptam jam nunc condonare reſipiſcentibus paratus ſit. Se Chriſtianum principem natum, ac religionis Chriſtianae amplificandae ac conſtituendae perſtudioſum ſemper fuiſſe; eundem Deum cum ipſis, eundem Chriſtum ſalutis humanae propitiatorem, eandem ſacram ſcripturam, credere ac profiteri. Si in ejus interpretatione hominum ſententiae ſcindantur, concordiam non armorum vi, ſed iis, quas propoſuerit, ac nunc demum repetat, conditionibus, ſarciri debere: quod ſi potius cruento certamine, quam amica diſceptatione et legitima concilii celebratione, negotium explicari placeat, manus ſe puras ab innocentum ſanguine ſervaturum, qui effuſus in ipſorum capita ſit recaſurus: interim diras tam ſcelerati conſilii deprecari, ac Deum obſecrare, ſe praeſenti patrocinio ſuo in tam juſta cauſa tueatur, et ipſis meliorem mentem ad regni tranquillitatem et pacem eccleſiae conſtituendam largiatur. Ad nobilitatem item literas dat eodem die, quibus rogabat, memores eſſent, bellum nunc eorum inſtigatu qui ſuperiore anno a rege tanquam perduelles proſcripti fuerant, ac contra eos, qui cum ipſis adverſus regni perturbatores regis juſſu tunc vireis conjunxerant, geri; tantaeque mutationis haud aliam cauſam ſubeſſe, quam quod rex tunc liber ac ſuae ſpontis eſſet, nunc vero, vi voluntati ſuae ab illis nefario auſu allata, deteſtandae factioni morigerari cogatur. At quid criminis ab eo tempore admiſiſſe Proteſtanteis, ut arma, quae nuper regis auſpiciis contra regni hoſteis induerant, contra ipſos nunc vertantur? Id Lotharingorum, hoc eſt, externorum, aſtu ac factione fieri; qui cauſam regni a regni proceribus, et in regno, ad libidinem ſuam, ac improbis ſuis deſideriis convenienter, decidi poſſe cum deſperarent, eam extra regnum externis in Italia judicibus committendam curarunt. Se vero, cum peteretur, veluti abjectis regiae dignitatis inſignibus, ultro duelli conditionem Lotharingis detuliſſe: ac Deum teſtem appellare, id ſe eo conſilio feciſſe, ut populi exitio praeverteretur, atque adeo nobilitatis ſanguini, cujus effundendi nomini Gallico infeſti homines ſemper nimium quam prodigi fuerunt, cum proprio diſcrimine parceretur. At qua fronte, aut cujus excuſationis praetextu, tam honorificam conditionem illi detrectent, dijudicandum ipſis relinquere. Se quidem minime illos metuere, quorum conatus, cum validiores eſſent, et ipſe debilior, irritos hactenus reddiderit. Id ſibi dolere, quod vitam contra ſe impendant, quam ſibi ſervatam mallet, ut eam pro ſalute regni auſpiciis regis ad amplificandos patriae fineis et Gallici nominis decus propagandum impenderent. Augere dolorem, quod in ea cauſa id fiat, in qua victorem aut bello ſuperſtitem nec ſtipendium nec gratia a principe maneat: nam nunquam pro beneficio reputaturum regem labores in eo bello navatos, quod contra ipſius voluntatem ſuſcipiatur; neque gratiam repenſuros belli auctores, qui regii nominis ergo, non ſui reſpectu, tot pericula ultro a nobilitate adiri exiſtimabunt. Neque vero ſe tam propria quam ipſorum cauſa angi, in quorum exitio ipſe Francus et Francici ſanguinis primarius

CIↃ IↃ LXXXVI.
HENRICUS III.

VAR. LECT. ^α^ ſed potius a Jeſuitica ſodalitate, *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed* Ed. Gen. 1626. *inſeruntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerpta.*

CIƆ IƆ LXXXVI. HENRICUS III. primarius princeps ſe perire ſentiat: ceterum ab eo ſenſu alienos exteros eſſe; neque dubium ſibi eſſe, quin multi e nobilitate idem ſentiant; qui tamen, aut neceſſitate aut alias ob cauſas, a factioſorum partibus ſtare coguntur. Sed rurſus dolere ſibi, ut, cum eos mente ab aliis ſeparet, in certaminis alea a ceteris ſeparare nequeat: itaque coram Deo de innocentia ſua proteſtari, ne ſanguis eorum a ſe olim repoſcatur. Ad tertium ordinem, ita plebs apud nos appellatur, et datae literae; quibus Navarrus ejus vicem dolere ſe dicit, cujus ſumptibus bellum, pecuniola a quibuſdam e ſacro ordine ſine totius ordinis conſenſu oblata inchoatum, deinceps alendum ſit: proinde ei dijudicandum relinquere, juſtior cauſa illius ſit, qui infra dignitatem ſe eo uſque demiſerit, ut, cum inferioribus longe ſe tentata duelli alea, univerſorum periculum in ſe ſuſciperet, an eorum, qui privatam ambitionem ſuam, odia, ultiones, publicam cauſam faciunt, et, quo clades domeſticas ſarciant, communi calamitate res univerſorum involvere minime dubitant. Praeter regni ordines etiam civitatem Pariſienſem literis ſuis dignatus eſt Navarrus, eam tanquam totius regni epitomem, et ceterarum civitatum ad conſilia ſua dirigenda exemplar, appellans: fideque ejus laudata, quod in Joannis, et poſtea Franciſci, calamitate, ſummam erga ſuos principes devoti animi propenſionem oſtendiſſet; tum eorum prudentiam et aequitatem in eo laudat, quod nuper in conferenda in hoc bellum, a conjuratis in regni perniciem contra regis voluntatem excitatum, pecunia tardi fuerint: ſi religionis cauſa obtendatur, aut de regni in meliorem ſtatum reformandi ratione agatur, praeſto eſſe, hinc concilium toties a Proteſtantibus expetitum, inde publica regni comitia; opportuna adverſus utrumque malum remedia, quorum neutrum Navarrus huc uſque diffugerit: his inſiſtendum eſſe, ſi regnum ſalvum cupiunt: proinde ut pacis rationes conſectentur, a turbulentis belli conſiliis alienos ſe praebeant, exemploque ſuo ad pacem in Dei domo et republica conſtituendam aliis in regno civitatibus praeeant, eos hortatur. His literis ubique per regnum publicatis, et, quantum anguſtia temporis patiebatur, proviſis in bellum rebus neceſſariis, Navarrus Montalbano diſcedit, et Neracum venit, tantum III CIƆ peditum penes ſe habens, et exiguum ex vicina nobilitate equitatum. Quo cognito Meduanius, a Matignono, qui ad [a] Caſtelli obſidionem haerebat, monitus, Figeaci obſidionem, quam [b] Cadurcenſis nobilitas urgebat, in eamque commeatum, pecuniam, et bellicum apparatum conferre ſe paratam oſtendebat, omiſit; atque, ut ſe cum Matignono conjungeret, in viam dedit. Hyemis huc uſque inſolens clementia fuerat, quae Martio ineunte admodum exacerbata eſt. Itaque Meduanio Gordonio proficiſcenti, et per [c] Salviacum, [d] Villam-francam Petrocoriorum, ac [e] Liboſium ad Oltam iter habenti, plus cum coeli et aëris injuria, quam cum hoſtibus, certaminis fuit, tempeſtate continuo ac frigido imbre et nivibus paludoſo ſolo liqueſcentibus infeſta: quibus incommoditatibus acceſſit hoſpitiorum ex luto acerato et materia conſtructorum, ac fere deſertorum, per pluvioſum tempus foeditas et immundities; pluſque damni exercitus eo temporis intervallo, quam tota hyeme jam exacta, accepit, morbis paſſim inter milites graſſantibus, et magno jumentorum, ac equorum praecipue, qui machinis trahendis inſerviebant, numero extincto. Interea Matignonus, cum, admotis ad Caſtellum copiis, eruptione una et altera a praeſidiariis facta, [f] Piſerratum legionis tribunum amiſiſſet, Navarro propinquante [g] Allingonem verſus copias ſubducit, adventum Meduanii opperiens. Cum vero ſub id allatum eſſet, Navarrum, acceptis Turenii copiis, [h] Montalbanum, itinere per [i] Lactoratum facto, redire

INTERPR. [a] *Caſtets.* [b] *du Quercy.* [c] *Salviac.* [d] *Villefranche en Perigort.* [e] *Libos ſur le Lot.* [f] *de Puyferrat.* [g] *le Lengon.* [h] *Montauban.* [i] *Leytoure.*

redire decreviſſe, ſed incertum eſſe [a] Viroduni manſum verſus tenderet, an Bergeracum per [b] Baſilii-fanum ac Monſegurium peteret; ut medium ſe, utramvis viam incederet Navarrus, interponeret, cum delecta manu [c] Villam-novam in Aginnenſi agro tendit, inde portum [d] Sammarianum ad [e] Garumnae ripam petiturus; relicto [f] Liboſii [g] Monberaldo, qui diſſipati exercitus reliquias colligeret. Sed cum praemiſſo [h] Sanchamarano reſciviſſet, Navarrum contrario itinere cum [i] Turenio [k] Pavium principem Benearni pagi arcem retro conceſſiſſe, Villae-novae ſubſtitit; rurſuſque cognito, Navarrum cum exquiſitis CXX equitibus, facto per [l] Eluſam itinere, [m] Neracum rediiſſe, et inde Montalbanum aut Bergeracum petere apud ſe conſtituiſſe, [n] Meduanius cum expeditis copiis e toto exercitu delectis ad Sammarianum portum ducit; ſed tanta mora interjecta, ut Navarrus ſatis temporis habuerit ad cunctas copias ſuas juxta Fanum Baſilii traducendas; qui inde Monſegurium et Bergeracum venit. Meduanius vero, qui hoſtem in Garumnae tranſitu ſe intercepturum putabat, ſpe ſua deceptus [o] Eguillonium deſcendit, ubi [p] Olta in Garumnam influit, praemiſſo [q] Seſſaco, qui Monſegurium uſque excurreret. Is [r] Caumontii et Cleriaci aliquot praeſidiarios, ſive ut Navarro tranſmittenti praeſto eſſent, ſive ad praedam, egreſſos, fudit ac cecidit. In eo conflictu [s] Carolus, Tiangii, qui Meduanii equitum alam ducebat, grandior natu filius, interfectus fuit. [t] Tonium ad Garumnam triplex municipium, in longum porrectum, nec muro aut foſſa munitum, tenebat Arnoldus [v] Bellavilla Stella cum aliquot militibus, et [w] Melo [x] Melianum; qui, ad famam adventus regiorum, loca illa deſerunt. [y] Damaſanum et deſeruere praeſidiarii aliquot a Jo. [z] Bodeano Parabero tribuno impoſiti, qui interea Montalbanum petierunt. Diverſa parte Georgii [aa] Villoclari Guerchii vexillifer, cum Monflanquinum verſus cum delectis excurreret, a [bb] Bethunio, qui inſidias venienti ſtruxerat, poſt acre certamen caeſus eſt, C circiter ex regiis aut interfectis aut in fugam conjectis. Paulo ante, VII Kalendas Martias, [cc] Plaſſacus, qui Pontium praeſidio tenebat, aſtu interceperat [dd] Roianum in Santonibus, admotis ad partem, quae ſaxo impoſita mare ſpectat, ſcalis; quod, et ſitu firmum et commoditate portus opportunum, Navarro ad res poſtea gerendas maximum momentum attulit, impoſitis navigiis armatis, quae ingreſſum fluminis tota Gallia commercio frequentiſſimi tuebantur; unde grandis pecunia in belli uſus conflata, ac plerumque ſingulis annis CC aureorum CIↃ excedens.

X. INTEREA Condaeus, qui poſt cladem [ee] Andegavi ſuperiore anno acceptam, diſſipatis huc illuc ſuis, ad [ff] Grenezaeam, ditionis Anglicanae in tractu Armorico inſulam, receptum habuerat, ſub anni hujus initium Rupellam rediit magno comitatu, navibus in id a ſereniſſima Anglorum regina honorifice commodatis, pecunia inſuper data; ita ut reditus ejus, in ſpeciem laetus, triſtitiam diſceſſus ejus atque adeo fugae ex animis ſuorum omnino deterſerit. Nec multo poſt eductis copiis [gg] Dampetram arcem haud hinc longe, quae Claudiae [hh] Claromontiae [ii] Radeſiani uxoris erat, et excurſionibus viciniam infeſtabat, ducit; quam admotis tormentis deditione cepit. Multi ultionis ergo eam expeditionem a Condaeo ſuſceptam credidere, ut par pari Radeſiarum duci referret, qui paulo ante [kk] Montacutum in Pictonibus captum, [ll] Tremollianae ditionis firmiſſimum caſtellum,

INTERPR. [a] *Mas de Verdun.* [b] *S. Bazeille, & Monſegur.* [c] *Villeufve d'Agennois.* [d] *Port Ste Marie.* [e] *la Garonne.* [f] *Libos.* [g] *de Monberauld.* [h] *de S. Chameran.* [i] *le vicomte de Turenne.* [k] *Pau en Bearn.* [l] *Euſe.* [m] *Nerac.* [n] *le duc de Mayenne.* [o] *Aiguillon.* [p] *le Lot.* [q] *de Seſſac.* [r] *Caumont & Clerac.* [s] *fils aiſné du baron de Tiange, qui menoit la compagnie de Gens-d'armes du duc de Mayenne.* [t] *Toneins.* [v] *de Belleville Sr d'Eſtelle.* [w] *le capitaine Melon.* [x] *Ville de Maillan.* [y] *Damaſan.* [z] *Bodean Sr de Parabere.* [aa] *de Villequier, vicomte de la Guerche.* [bb] *de Bethune.* [cc] *de Plaſſac, gouverneur de Pons.* [dd] *Royan en Saintonge.* [ee] *Angers.* [ff] *Guerneſey.* [gg] *Dampierre.* [hh] *de Clermont.* [ii] *le mareſchal de Retz.* [kk] *Montagut en Poictou.* [ll] *de la Tremoille.*

CIↃ IↃ LXXXVI. HENRICUS III.

caſtellum, demolitus fuerat: verum qui ingenium Condaei minime ignorabant, hoc maxime ab ejus generoſitate alienum ſciebant: et exitus aliter ſentientium opinionem refutavit; nam, praeter commeatum, qui copioſus in eo repertus eſt, et privatorum ſupellectilem, quae a milite licentiae aſſueto, quantumvis reluctante Condaeo, direpta eſt, nihil detrimenti loco allatum fuit. Poſtea Condaeus de uxore ducenda, et matrimonio, quod jam animo agitaverat, cum Carlota Catharina Tremollia contrahendo, ſerio cogitare coepit; quod tandem [a] Talliaburgi XVII Kal. Aprilis, qui in Dominicam incidebat, celebratum eſt: ſed laetitia ex eo concepta mox multis adverſis caſibus turbavit. Vidus Lavalli comes, qui collapſas poſt cladem [b] Andegavenſem Proteſtantium in [c] Santonibus res opportuno adventu ſuo reſtituerat, poſt reditum Condaei ad loca hoſtilia circa [d] Joannis-fanum in poteſtatem redigenda animum applicuerat. Itaque cum [e] Sorluſio, [f] Mongomerio Lorgeo, [g] Albinio, ac delecto equitatu, [h] Subizam ad Carantonum duxerat, oppidum a [i] Sanlucio, poſtquam [k] Jacopolis obſidio ſoluta fuerat, praeſidio firmatum. Locum tuebatur [l] Simanderius; qui templum, quod loci firmitati haud ſatis fideret, tumultuariis operibus muniverat. Primo Lavalli adventu praeſidiarii oppidum deſerunt, et in munitionem confugiunt; quae ſtatim, admotis machinis Rupella eo advectis, a Simanderio vitam ſibi et ſuis ſalvam pacto deditur. Dedita Subiza [m] Mornacum ducitur in [n] Alvertenſi inſula haud longe a Roiano caſtellum, itidem a Sanlucio firmatum; quod protinus, poſtquam paulum reſtitere praeſidiarii, deditum eſt. Eodem tempore a Condaeo praeter [o] Dampetram in fidem accepta [p] Sangelaſii ductu [q] Alnetum, Mondevizium, et Chizaeum ad Botonam. Interceptum et a [r] Ranquio [s] Saſaeum caſtellum, quod ab [t] Epirotis equitibus a Joanne [v] Chourſio Malicorneo Pictonum praeſide impoſitis tenebatur; qui, loco ſitu et arte munito defenſi, ex eo continuis excurſionibus agros circa [w] Rupellam, Maranum, et Joannis-fanum infeſtabant. Is, explorato antea per fidos loci ſitu, cum X circiter e nobilitate et XXV delectis militibus eo profectus, et quadriga boum ſecum tracto per paludes navigio, illud poſtremo in canalem, qui hortos arcis alluebat, deducit. In hortos deſpiciebat arcis porta, quam, de Ranquii conſilio ſuſpicione injecta, praeſidiarii pridie ejus diei operis tumultuariis latere, calce, et fimo obſtruxerant. Ad eam nihilominus cum crepitaculum admoviſſet Ranquius, incluſi ignis vi disjecti obices, et reſerata porta loco potitus eſt, quem [x] Faverello et Vanello tuendum commiſit; qui, ſuperveniente [y] Mercurio Epirotarum equitum ductore, eam Malicorneo dediderunt. Haec Februario et Martio acta.

XI. INEUNTE Aprili Sanlucius [z] Uliarum inſulam tentavit, quae ab [aa] Albinio et Joanne Roberto Limalia ejus legato praeſidio tenebatur. Cum Sanlucio erat [bb] Tiercellinus legionis tribunus, quae CCCC circiter ſcloppetariis conſtabat; quem cum Uliaro [cc] Marennas jam reverſum putaret Condaeus, eo ducit; et poſtridie Paſchatis, qui in VII Eid. April. incidebat, Tiercellinum haud longe a [dd] Mediolano Santonum, quo denſatis ordinibus et acie inſtructa tendebat, nactus, cum Tremollio ſororio, [ee] Bolaio, [ff] Avantinio, ac XXX circiter cataphractis equitibus ac totidem equitibus ſcloppetariis, ultimum agmen carpit, cum jam primum ſepibus et foſſis, quae regiam viam cingunt, defenſum ſuburbio propinquaret. Circiter XL prima illa impreſſione caeſi, ſed cum inſigni Condaeanorum damno: nam

INTERPR. [a] *Taillebourg.* [b] *d'Angers.* [c] *Saintonge.* [d] *S. Jean d'Angely.* [e] *de Sorluz.* [f] *de Montgomery, Sr de Lorge.* [g] *d'Aubigné.* [h] *Soubize, ſur la Charente.* [i] *de S. Luc.* [k] *Brouage.* [l] *le Sr de Symandieres.* [m] *Mornac.* [n] *Iſle d'Alvert.* [o] *Dampierre.* [p] *de S. Gelais.* [q] *Aulnay, Mondevis, & Chiſay ſur la Boutonne.* [r] *le Sr de Ranques.* [s] *chateau de Saſay.* [t] *Albanois.* [v] *de Chourſes, Sr de Malicorne.* [w] *la Rochelle, & Marans.* [x] *Favereau, & Vaneau.* [y] *le capitaine Mercure.* [z] *Oleron.* [aa] *d'Aubigné, & le capitaine la Limaille.* [bb] *de Tiercelin.* [cc] *Marennes.* [dd] *Saintes.* [ee] *la Boulaie.* [ff] *d'Avantigny.*

nam ictu ſcloppeti dejecto Tremollii equo, ipſe vix, altero equo commodato, periculo ereptus eſt. [a] Batardaraeus Bolaei ſignifer equo ſuperſtrato dejectus, ſuperveniente peditum globo interfectus eſt. [b] Canterellus, et Navarrus ordinum ductor, ex vulneribus in eo conflictu acceptis mox perierunt: Avantinius in manu et genu graviter ſauciatus eſt. Nec ſe Tiercellinus in tanto diſcrimine deſeruit, ſed, collectis ſuis, certamen reſtituit. Interea Lavallus citato gradu cum ſua equitum ala, quam vix per vaga hoſpitia ſparſam coegerat, Condaeo alteram impreſſionem facturo ſupervenit; qui, perruptis ordinibus et ſuperatis foſſis, ad praetorium ſignum contendit, ac poſt acre et cruentum certamen regiis eripit; ex quibus LX circiter interfecti, plures graviter vulnerati; pauci capti, et in iis [c] Piſcaius ordinum ductor, ceteris huc illuc disjectis: cum auxilio equites aliquot [d] Mediolano miſſi praeſto fuiſſent, nocte appetente certamen diremptum eſt. Lethaliter vulnerati [e] Sallius et Riuſius Lavalli fratres, hic in imo ventre fariſſae ictu, ille glande in capite percuſſus: [f] Cargroſius et Muſcius itidem graviter ſauciati. Condaeus, caſu triſtior quam tam cruenta victoria laetus, Fanum Joannis contendit, et poſtridie captivos milites diligenter ad tympani pulſum conquiſitos ſumma humanitate dimiſit; quo eodem die Sallius, et biduo poſt Riuſius, excellenti virtute juvenes, ex vulneribus acceptis obierunt. Inde concepto moerore et [g] Lavallus octo poſt diebus deceſſit, virtute et ipſe, nec minus morum probitate, quod genti illi innatum, praeſtans; cum [h] Tanlaeus Sallii frater germanus aliquot ante caſum diebus ex morbo vitam cum morte commutaſſet: ut moribus ſimiles, ac tota vita, quantula ea fuit, conjuncti, [i] Talliaburgi in arcis ſacello ſimul ſepulti, ne morte quidem disjuncti ſunt. Habuerunt hi omnes communem patrem Franciſcum [k] Colinium Andelotum Gaſparis equitum tribuni filium, et Odeti cardinalis ac Gaſparis maris praefecti, quorum crebra in ſuperioribus fuit facta mentio, fratrem, virum virtute bellica et eadem morum probitate, vel inimicorum confeſſione, praeſtantem; qui ex priore uxore Claudia Riuſia, illuſtriſſimae Lavallae familiae herede, Vidum et Franciſcum Riuſium, ac filiam Margaritam; ex Anna [l] Salmenſi poſteriore conjuge Franciſcum Sallium, et Benjaminum Tanlaeum, et Annam filiam ſuſceperat. Ita paucorum dierum ſpatio illuſtriſſima et natalibus et virtute familia paene extincta eſt, ſuperſtitibus tantum ex Vido, altero Vido Lavallo, et illa, quam dixi, Anna, quae octennio poſt Jacobo [m] Chabotio Mirabelli marchioni in Aeduis nupſit. Hoc triſte mortalis conditionis in illuſtriſſima familia atque in aetatis flore exemplum lethalis morbi Renato [n] Roano contracti cauſa exſtitiſſe creditur, qui paulo poſt Rupellae deceſſit, cum vix [1] annum exceſſiſſet; vir probus et candidis moribus, multaeque apud Navarrum, quem proxima cognatione contingebat, quippe Eliſabetha ipſius parens Henrici II Navarrae regis, Navarri, qui nunc eſt, avi materni, ſoror fuit, nec non inter Proteſtanteis, auctoritatis. Reliquit in ſpem tantae ſucceſſionis Henricum et Benjaminum filios, et Henricam, Catharinam, ac Annam filias, ex [o] Catharina Parthenaea Subiza lectiſſima foemina, et, ut natalium ſplendore ac moribus, ſic literis, quod in eo ſexu rarum eſt, ornatiſſima; quae longo poſt tempore, atque adeo poſt pacatum regnum, [p] Belinii in Armorica exquiſita pompa ac magnificis exſequiis viro dilectiſſimo parentavit. Ex his mortibus cum triſte belli, quantum ad Proteſtanteis, augurium

INTERPR. [a] *la Batarderie.* [b] *Chanterelles.* [c] *Peſchais.* [d] *Saintes.* [e] *de Sailly, & de Rieux.* [f] *de Cargrois, & le Sr de la Mouſche.* [g] *le comte de Laval.* [h] *de Tanlay.* [i] *Taillebourg.* [k] *de Coligny, Sr d'Andelot.* [l] *de Salms.* [m] *de Chabot marquis de Mirebeau en Bourgogne.* [n] *de Rohan vicomte de Rohan.* [o] *Catherine fille de Jean de Parthenay-l'Archevêque Sr de Soubize.* [p] *Belin en Bretagne.*

NOT. [1] *lege* XXXVI annum *Vid. Hiſt. Geneal. de la France, par le P. Simplicien.*

augurium multi caperent, Navarrus, qui interea Bergeraci et ad [a] Fidei-fanum in Petrocoriis haerebat, et Condaeus, invicto contra animo perſtitere, eoque ad omneis caſus magis intenti nihil de priſtina diligentia remittebant. Matignonus jam ad [b] Caſtelli obſidionem redierat; ad quod admotis tormentis cum CCCC ictus diſploſi eſſent, tranſlata alio verberatio fuit, cum fama eſſet, Joannem [c] Fabatum loci dominum, de quo alias diximus, [d] Caſtrogeloſio [e] Caumontium veniſſe cum CCCC ſcloppetariis, ut obſeſſis animos adventu ſuo faceret.

XII. Interea [f] Marmandam venerat Meduanius, cui jam haud occultis indiciis cum Matignono minus bene conveniebat; quantumvis per Godofridum [g] Camuſium Poncarraeum, et Augerium [h] Gurgium rei pecuniariae praefectum, ultro citroque commeanteis, ſarciendae inter eos concordiae rationes crebro inirentur. Matignono e re videbatur, ut, dum Caſtellum obſidebat, eodem tempore Meduanius [i] Fanum Baſilii oppugnaret: ſed veritus de exitu Meduanius, et plus de exiſtimatione ſua quam de bello ipſo ſolicitus, id unum cavebat, ne quid irrito conatu tentaret; malebatque nihil omnino moliri, quam committere, ut, ſi quid minus feliciter ſucceſſiſſet, de priſtina ſua fama quidquam decederet. Itaque crebras de Matignono querelas audiri; promiſſa minime repraeſentari, ipſum in deliberationibus ſemper diſſidere, diviſis copiis nihil promoveri, ac tempus inutiliter teri: quae Matignonus, natura cautus ac cunctator, affectata diſſimulatione tranſigebat, et contra id unum agebat, ne Meduanius omnem auctoritatem in provincia ad ſe contraheret. Et ſane conſtat, id regi, a bello, quod coactus ſuſceperat, alieno, conſilii ſemper ab initio fuiſſe, atque in arcano provinciarum praeſidibus, quibus fidebat, ſedulo mandaſſe, ut bellum lente adminiſtrarent; quo populi, a Guiſianis ubique his, quas dixi, artibus incenſi, armorum taedio ad poenitentiam ſenſim ex mora adducerentur, et quam motuum cupidi antea fuerant, tam pacis conſilia deinceps amplexarentur. Meduanius igitur, qui Baſilii-fanum tentare nollet, ut gloriam Caſtelli capti Matignono praeriperet, per fidos cum Fabato agit, et inconſulto Matignono cum eo conditionibus minus decoris tranſigit; quas, licet jam conventas, poſtea Matignono per Petrum [k] Forgetum, qui ei a ſecretis epiſtolis et rei pecuniariae praepoſitus a rege attributus erat, communicavit. Aegre tulit rem Matignonus, et tamen more ſuo diſſimulavit. Conditiones autem duplices fuerunt, ſecretae cum Fabato conventae, ſeorſim ab iis quas praeſidiarii tulerunt: nam Fabato aſſentiente conventum, ut arx in Meduanii manus conſignaretur, qui eam, ſi regi videretur, arbitrio ſuo demoliretur; Fabatus viciſſim compenſationis loco XII CIↃ aureorum a rege acciperet: milites, traditis in manus fecialis regii ſignis, vita et rebus ſalvis dimitterentur; qui tamen Fanum Baſilii ire non poſſent. Inde luſtrato exercitu, et duorum menſium ſtipendio repraeſentato, quod in ſumma omnium rerum caritate opportunum fuit murmuranti jam militi ſolatium, Meduanius Fanum Baſilii ducit. Miſſo feciali, [l] Pullius ex Aedua nobilitate dux ſtrenuus, qui a Navarro loco impoſitus fuerat, cum deditionem facere recuſaſſet, [m] Vici, Sacromori, et Fraxinei Doi legiones oppidum cingunt IV Eidus Aprileis; et dum, ut fit, in ſumendo hoſpitio ad macerias quaſdam et templi veteris ruinas utrinque certatur, Vicus in crure vulnus accipit, ac ruinis poſtremo potitus eſt: Sacromorus molatrinam vicinam occupavit. Oppidum ad [n] Garumnam a meridie ſitum, ceterum forma rotunda lateritiis muris cinctum, quinque

INTERPR. [a] *Ste Foy en Perigort.* [b] *Caſtets.* [c] *de Favas.* [d] *Caſtel-jaloux.* [e] *Caumont.* [f] *Marmande.* [g] *de Camus Sr de Pontcarré.* [h] *de Gourgues, general de la monnoye.* [i] *S. Bazeille.* [k] *Forget, qui par commiſſion du roy faiſoit prés du duc la charge de ſecretaire d'Eſtat, & de ſurintendant des finances en l'armée de Guienne.* [l] *le ſieur de Pueilhe, gentilhomme Bourguignon.* [m] *de Vic, de Sacromore, & d'O ſieur de Freſnes.* [n] *la Garonne.*

quinque propugnaculis e ceſpite vivo opera tumultuaria excitatis firmatum, IϽCCC praeſidio tenebatur, qui fere oppidani erant. Admotis tormentis cum Matignonus aeger [a] Melianum ſeceſſiſſet, de deditione cum Meduanio conventum perquam honorificis conditionibus; et loci munitiones, immiſſis undique ruſticis, ſtatim deſtructae ſunt. Inde, diſſidentibus in concilio ſententiis, Caumontium in ulteriore Garumnae ripa poſitum, an Monſegurium, quod eſt ad [b] Drotum amnem citerius ſitum oppidum, duceretur; tandem ex ſententia Matignoni, ad quem miſerat Meduanius, referente Arnoldo [c] Pontaco epiſcopo Vaſatenſi, placuit, ad majorem itinerum ſecuritatem, quae continuis ex eo loco in [d] Lemovices, Cadurcos, et Petrocorios excurſionibus infeſtabantur, ut Monſegurium duceretur. Igitur VIII Kal. Maias exercitus Monſegurium venit, jam dilapſis pleriſque e nobilitate qui ſponte Meduanium ſequebantur. Oppidum tumulo, in quem a nulla parte deſpectus eſt, inſidet, in planitie porrectum, et anguſtius qua [e] Regulam oppidum ſpectat, qua [f] Duracium, ſpatioſius et domibus magis frequens; eaque parte duas turreis habet ampliſſimas, porta media, quae propugnaculo e terra ſtructo defenditur; ſubjecto Droto amne, qui tumuli radices ab uno latere alluit. Dum machinae advehuntur, vallum ducit Meduanius, in molatrinis amni impoſitis collocato praeſidio, quo excurſiones, quae a praeſidiariis Bergeraci, [g] Fani-fidei, Caſtellionis, et Genſaci, per pontes et aggeres fieri poterant, ab illa parte prohiberentur. Loco luſtrato, quatuor partibus tormenta admoventur exeunte jam Aprili; quo tempore cum Meduanius duplici tertiana laborare coepiſſet, et [h] Seſſacus eodem tempore aeger [i] Eguillonii decumberet, ad Matignonum, qui [k] Burdigalae aegrotabat, datae literae, quibus ad exercitum venire rogabatur: qui acceptis literis III Non. Maias [l] Rupem-brunam venit, quo Meduanius lectica impoſitus pridie venerat; cum eoque aliquantum collocutus, exercitus atque adeo coeptae obſidionis curam ſuſcipit. Poſtridie pulſata altera earum, quas dixi, turris quadrata, portae impoſita; ad quam, nondum idonea ruina edita, cum vis facta eſſet a Sacromoro, ipſe tribus locis vulneratus, ac cum ſuis repulſus eſt: [m] Montius quoque ſtipatorum Meduanii praefectus, et [n] Poncenacus unius ſigni Sacromoranae legionis dux, nec non et [o] Thumillius, ſauciati. Bis mille quadringentis ictibus eo die diſploſis, cum pulvis nitratus et pilae deficerent, Burdigalam miſſi qui novas in caſtra comportandas curarent. Tum redintegrata verberatio, ac demum Eidibus Maii colloquio petito conventum, ut obſeſſi traditis ſignis cum armis fune extincto exirent, ac in tutum deducerentur. Poſtridie [p] Monſegurium deditum fuit; et cum praeſidiarii per exercitum tranſirent, incuria ſive imprudentia eorum qui eos deducendos ſuſceperant, exorta ſeditione, a regiis contra datam fidem male mulctati ſunt: CLX circiter interfecti, ceteri omni re ſua ſpoliati vix vita ſalva evaſerunt. Interea Meduanius, valetudine adverſa cogente, Burdigalam deducitur; ubi perhonorifice ab Antonio [q] Prevotio Sanſaco urbis archiepiſcopo ac ſacro ordine exceptus, in ipſius archiepiſcopi aedibus hoſpitium ſibi ſumpſit. Habitae, inſtigantibus foederi atque adeo Guiſianae factioni addictis, pro ejus ſalute paſſim per urbem ſupplicationes; frementibus contra pleriſque, quaſi ſimulato morbo Burdigalam veniſſet ut urbem in poteſtatem redigeret; adeoque rumor crevit, ut per delegatos e ſuo ordine ſenatus de iis cum Meduanio agendum cenſuerit: quod prudenter a Meduanio excuſatum, diſſimulato pro tempore, cum ulciſci

INTERPR. [a] *Meillan.* [b] *le Drot.* [c] *de Pontac, evêque de Bazas.* [d] *Limouſin, Quercy, &* *Perigort.* [e] *la Reole.* [f] *Duras.* [g] *Ste Foy, Chaſtillon, & Genſac.* [h] *de Seſſac.* [i] *Aiguillon.* [k] *Bourdeaux.* [l] *Roquebrune.* [m] *le capitaine Du Mont.* [n] *le capitaine Poncenac.* [o] *de Thumilles.* [p] *Monſegur.* [q] *Prevoſt de Sanſac.*

CIↃ IↃ LXXXVI.

HENRICUS III.

ulciſci eam non poſſet, apud Matignonum tantae injuriae ſenſu. Capto Monſegurio [a] Monlucius, Barrevallius, Boſcojordanus, Bertrandus Balleolius Poiana Aquarum Tarbellicarum praefectus, qui alas equitum in exercitu habebant, ſuis ad reficiendas vireis domum abeundi copiam a Matignono impetrarunt. Cum Genſaci, quod II a Monſegurio leucis abeſt, oppidanis, Joannis [b] Durfortii Duracii interventu, conventum fuerat, ut praeſidium regium acciperent; ſed ſuperveniente Turenio res mutavere, oppido, quod erat Navarri ditionis, praeſidio ab ipſo firmato, ut commeantibus [c] Montalbano [d] Bergeracum, aut [e] Cleriaco [f] Caumontium, tutus in eo receptus eſſet. Exeunte Maio, et appetente meſſis tempore, cum quiſque a ſignis diſcederet, [g] Aginnenſium, Condomenſium, et Armeniacae provinciae delegati apud Matignonum inſtiterunt, ut copias toto eo tempore alioqui inutileis futuras per praeſidia idonea diſtribueret, quae popularibus ad meſſem colligendam praeſto eſſent: nec abnuit Matignonus, qui interim partem [h] Tonnenii vallo cinxit, et firmatae praeſidium CCC militum impoſuit, ad excurſiones Cleriaci et Caumontii praeſidiariorum meſſis tempore prohibendas. Summa erat pecuniae in exercitu penuria; et quotidie tertii menſis ſtipendium, quod jam [i] Ratiaſtum in Lemovicibus allatum erat, exſpectabatur: quod David [k] Bochardus Albaterrae regulus, cum ſua equitum ala et IO ſcloppetariis, in tutum comportandum ſuſceperat. Ei, ne quid ſiniſtri in itinere accideret, obviam mittit Meduanius Urbanum [l] Lavallum Boſcodelfinium, qui, relicta [m] Guitris, quod eſt coenobium per ſe firmum, ſed cum municipio vaſto ac debili conjunctum, ſua equitum ala, Burdigalam ad ipſum inviſendum venerat. Ipſe Kalendis Sextilibus jam valetudine confirmata [n] Liburnum tendit, quo mox Albaterranus cum ſuis ac pecunia incolumis pervenit. Id oppidum eſt ſitu firmum, ad [o] Inſulae amnis et Duranii confluentem poſitum. Ponte ad [p] Blaniacum ſtructo exercitus Duranium traductus; ipſe hoſpitium ſumpſit inter Inſulam, qui [q] Veſuna Petrocoriorum labitur, et Duranium, in cujus ripa Navarrus [r] Lindam, Bergeracum, [s] Fidei-fanum, et Caſtellionem tenebat. Praeterea inter Liburnum et Caſtellionem jacebat [t] Normani-podium caſtellum, quod Navarrus praefecto cuidam majorum religioni addicto, ceterum ſibi fido, commiſerat, qui fruſtra ſolicitatus fidem hero ſervavit. Conſilium ac votum erat Meduanii ante omnia Bergeracum petere; ad idque Bironi, nuper in Pictones a rege miſſi, copias praeſto futuras ſibi perſuaſerat. Sed cum contra dicerent qui circa eum erant, eaque fiducia ſuſceptam expeditionem periculo minime cariturum oſtenderent, a prima ſententia diſceſſit, et Caſtellionem verſus duxit, dotale oppidum; in cujus obſidione ſpe diutius haeſit, ut poſtea oſtendemus.

XIII. INTEREA Navarrus, facto per [v] Santones et Engoliſmenſem agrum itinere, Rupellam venerat; ubi inde ab oppidanis, inde a nobilitate vicina, in contraria conſilia rapiebatur: nam Rupellani inſtabant, ut Marani arx, quae urbi ob proximitatem imminet, dirueretur: contra nobilitas urgebat, ut arx incolumis, valido impoſito praeſidio, ſervaretur; nam ea deſtructa metuebant, ne regii ſuas paſſim ad ultionem demolirentur. Utri in ea petitione ſatisfaceret Navarrus, alteram laedebat: ſed anxietatem eam diſcuſſit ſubitus de Bironi adventu nuncius. Is cum totis copiis cum Niortium veniſſet, inde Maranum petiturus ferebatur. Itaque

INTERPR. [a] *de Montluc, de Barrevaux, de Bois-Jourdain, & de Bailleux Sr de Poyane gouverneur d'Acqs.* [b] *de Durfort Sr de Duras.* [c] *Montauban.* [d] *Bergerac.* [e] *Clerac.* [f] *Caumont.* [g] *ceux d'Agen, Condom, & d'Armagnac.* [h] *Tonneins.* [i] *Limoges.* [k] *Bouchard baron d'Aubeterre.* [l] *de Laval Sr de Bois-Dauphin.* [m] *Abbaye de Guitres.* [n] *Libourne.* [o] *l'Iſle & la Dordogne.* [p] *Blaignac.* [q] *Perigueux.* [r] *la Linde.* [s] *Ste Foy & Chaſtillon.* [t] *Puy-Normand.* [v] *Saintonge & Angoulmois.*

Itaque eo Navarrus confeſtim proficiſcitur; et, loco luſtrato, cum in his temporis anguſtiis deſtrui munitiones non poſſent, ſuperabat, ut eaſdem adverſus hoſtem tueretur. Id excuſationis loco apud Rupellanos Navarro fuit; ſed Rupellani militem, commeatum, et bellicum apparatum ad locum tuendum, commodare ab inſulanis rogati, de milite ſe excuſarunt; cetera parce ſuppeditarunt. Hoc reſponſo turbatos inſulanos adventus Navarri recreavit; qui, dum copiae ſuae advenirent, munitiones ſingulas ſingulis attribuit, [a] Baſtiliam [b] Pevillio, [c] Bellogardiam [d] Dracavillae, [e] Brunam et Repentiam, in via quae Rupellam ducit, [f] Granvillae et Santafidio legionum tribunis, alias aliis: [g] Paulinam et Alaudam [h] Jarrius inſulae praefectus tuendas ſuſcepit: univerſis praeeſſe juſſus [i] Foquerollius. Haec acta exeunte Junio; cum jam praeter Pevillii, Dracavillae, Santafidii, Granvillae copias, [k] Sorluſii, Barachii, Neovii etiam legiones e [l] Lemovicibus et Petrocoriis, militibus diſciplinae militari utcunque aſſuetis conflatae, advenissent. VI Eid. Quintil. Bironus ad Baſtiliam appulit; quam dum ipſe luſtraret, eruptione a praeſidio facta, ipſe levi vulnere in manu ictus eſt. Sequentibus diebus foſſa a regiis circum Baſtiliam ducta; viciſſim ab inſulanis in munitionibus firmandis laboratum; et advecta e [m] Retenſi inſula [n] liburnica, ac per eam Rupella aliquot campeſtres machinae: proviſum et ut [o] Lucionio ac locis vicinis per liburnicam illam copioſus commeatus [p] Maranum comportaretur. Id inſtar peninſulae eſt, olim ditionis Tremollianae, nunc, per adfinitatem, [q] Buelliorum Sancerrae comitum; quae, vaſtis paludibus undique cincta, inſulae ſpeciem praebet. Ejus aditus munitionibus exſtructis firmati erant, ita ut in ipſa palude, quae amplius CIↃ IↃ paſſus patebat, iter ſternere et munitiones ipſe excitare coactus fuerit Bironus. Navarrus vero, intus aggere ducto, inter eum et exteriorem foſſam ſpatium XX pedum ſolidi ſoli reliquerat, per quod equitatus libere diſcurreret, et venienteis regios undique a ſcloppetorum grandine infeſtatos ab oppugnatione repelleret: praeterea loca illa omnia circulis, muricibus, clavis ſtraverat; quibus per vada et voraginoſos vertices, paludoſis herbis crura incidentibus, quas gladiolos a re dicunt, impeditos, inceſſuri milites, cum ad oppugnationem venirent, infeſtarentur. Dum in eo ſunt, XI Kal. Sextil. [r] Ciconia inſula circumpoſita regii profecti, media palude e regione Bellogardiae munitionis contrariam munitionem excitant, a continente IↃ paſſuum ſpatio diſtantem. Quo animadverſo obſeſſi aggerem ſpatio totidem paſſuum ſtruunt, cujus latera minoribus propugnaculis firmant. Alias inſuper IV munitiones Bironus ſtruendas curat, et alteram rurſus majorem ex materia, faſcibus lignorum, ac ceſpite: et, cum aquae paſſim ea tempeſtate decreſcerent, apertae in ſuperioribus locis cataractae, et inferioribus obſtructae ſunt, quo illac reſtagnarent; earumque commoditate et commeatus et machinae pulſandis munitionibus ſubvehebantur. Contra Navarrus, aeſtu fatigatis ſuis, quibus accedebat commeatus penuria et culicum infeſtiſſimi morſus, per liburnicam Rupella colubrinam advehendam curat, cui [s] Fuga-bironae poſtea nomen inditum; quae, ex Bellogardiae munitionis imo angulo in adverſum propugnaculum directa, regios admodum infeſtabat. Itaque Niortio advectae novae machinae. Dum hinc inde infeſta diſploſione certatur, tandem inter Navarrum et Bironum conventum, ut Bironus exercitum trans Carantonum deduceret, nec [t] Tonaeum ad eundem Carantonum poſitum obſideret, locum

INTERPR. [a] *fort de la Baſtille.* [b] *le Sr de Pevilles.* [c] *Beauregard.* [d] *Dracville.* [e] *Brune & Repentie.* [f] *les Sieurs de Granville, & de Ste Foy.* [g] *la Paulée, & l'Aloüette.* [h] *le capitaine la Jarrie.* [i] *le Sieur de Fouquerolles.* [k] *de Sorlus, Baraches, & Neufvy.* [l] *Limouſin & Perigort.* [m] *l'Iſle de Ré.* [n] *une patache.* [o] *Luçon.* [p] *Marans.* [q] *de Bueil, comtes de Sancerre.* [r] *l'Iſle nommée Cicogne.* [s] *Chaſſe-Biron.* [t] *Tonnay-Charente.*

CIↃ IↃ LXXXVI. HENRICUS III.

locum debilem, ceterum ob tranſitum opportunum, qui a Navarro tenebatur; Maranum utrique parti ad liberum commercium pateret, eique Navarrus praefectum cum praeſidio imponeret, qui utriuſque religionis inſulanos in pace contineret. Quibus pactis poſtea [a] Fontenaienſes et Niortiani cum ſtare noluiſſent, magnas ſe in moleſtias, ac poſtremo calamitates, induerunt.

XIV. Jam de colloquio, de quo ante annum actum fuiſſe diximus, rurſus agi coeperat; et regina parens, quae regem, belli, quod ipſa conſcia, aut non multum contradicente, excitatum ſciebat, pertaeſum, pacem expetere impotenti deſiderio videbat, et remoram per colloquium venienti auxiliari Germanorum exercitui injicere cupiebat, ad Navarrum fidos miſerat, qui de loco et tempore ac conditionibus cum ipſo agerent. Et ille quidem non abnuebat; ceterum tam vicino hoſte, et inde Meduanio, inde Birono, rem armis gerentibus, pacis negotium commode tractari non poſſe oſtendebat. Ad haec, cum regina inducias fieri, aut ex [b] Aquitania Meduanium revocari, invidioſum exiſtimaret, reſtabat, ut Bironum, in quem plus ipſi ac regi juris erat, ſi non revocarent, certe honeſtiſſimis conditionibus cum Navarro tranſigere juberent. Hae verae cauſae ſubducti a Birono tam mature a Marano exercitus fuere, quod Guiſiani et eorum partibus addicti paſſim calumniabantur, id in gratiam Navarri a rege ejus fautore fieri interpretati: quod rex, cujus maxime intererat publicam regni tranquillitatem inſtaurari, alioqui infeſtus Proteſtantium et Navarri ipſius hoſtis, pacis ſtudio faciebat. Navarrus biduo poſt pacta ſubſcripta Maranum venit; et, deductis praeſidiariis, ac per loca idonea diſtributis, [c] Jarrium in inſula relinquit; Henrico Nemoroſio, qui bellicis copiis cum ſummo imperio antea praeerat, inde in Pictones miſſo. Sub id cum ab [d] Epirotis equitibus, qui Niortii in praeſidio erant, pecuniam regiam deduci allatum eſſet, [e] Lommellus ſcloppetariorum equitum dux in eos ducit, quos et in coenobium vicinum confugere coegit; quo Navarrus colubrinam per liburnicam ſtatim advehendam curavit; et ipſe cum [f] Rupella veniſſet, adventu ejus territi obſeſſi, et vitam ac res ſalvas pacti, pecuniam regiam in Navarri manus conſignant. Inde cum propere ſibi Rupellam redeundum intelligeret Navarrus, quod regios undique feſtinare cognoviſſet, idque ſuis enixe mandaſſet; illi nihilominus, ſive praeda onuſti, ſive alias ob cauſas, cum ſecurius agerent, [g] Lucionii et aliis locis intercepti ſunt, cum jam Navarrus, aſportata ſecum pecunia, [h] Beraldum canalem in tempore tranſmiſiſſet.

XV. Interea Meduanius et Matignonus [i] Liburno profecti primis caſtris [k] Sanctaterram venerunt VI Eidus Julias; et poſtridie recenſito exercitu, in quo circiter VII CIↃ militum erant, Hervetus [l] Carbonellus Caniſius et [m] Cluſellus legionum tribuni praemittuntur, qui ſuburbia [n] Caſtellionis occuparent: quod commode ab illis factum loco arboribus opaco defenſis, et exorto inter incedendum pulvere, qui proſpectum praeſidiariis adimebat. Oppidum, olim proelio memorabili inter Francos et Anglos anno CIↃ CCCCLIII Carolo VII rege conſerto famoſum, tumulo inſidet, qui ſubjectos undique campos habet, et muro antiquo cingitur, ab unaque parte Duranio alluitur: rurſus e majore illo tumulo alter minor aſſurgit, ex quo in oppidum deſpectus eſt. Arx in oppido, quae in viam [o] Monravelium et Fidei-fanum ducentem ſpectabat, antea a Proteſtantibus diruta fuerat, magna Henricae Sabaudae Meduanii uxoris offenſione, ad quam vicecomitatus titulo Caſtellio jure hereditario pertinet. Inſuper ſuburbia, quae in via, quae

INTERPR. [a] *ceux de Fontenay & de Niort.* [b] *Guienne.* [c] *la Jarrie.* [d] *Albanois.* [e] *Lommeau.* [f] *la Rochelle.* [g] *Luçon.* [h] *le Canal de Berauld* [i] *Libourne.* [k] *Sainćte terre.* [l] *de Carbonel, Sr de Caniſy.* [m] *le Sr de Cluſeau.* [n] *Caſtillon.* [o] *Montravel, & Ste Foy.*

quae Liburnum ducit, occurrebant, oppido longe ampliora et pulchris vicis ſilice ſtratis ac domibus decorata, itidem ſolo aequata fuerant. Praeſidiarii eorum loco quinque propugnacula circundederant, foſſa admodum profunda excavata, quae humilibus propugnaculis defendebatur; ac labrum foſſae exterius, anguſto calle intus ducto, ac propugnaculis minoribus in latera ſibi invicem reſpondentibus, firmaverant. Locum tuebatur cum valido praeſidio [a] Saviniaci regulus, cui ſe comitem ultro adjunxerat [b] Alenius, e nobilitate Arelatenſi vir ſtrenuus, et bellis Belgicis ſub Brabantiae duce magnam laudem adeptus; cui tam ingenioſe muniti oppidi decus praecipue acceptum ferebatur. Fidei-fanum, Bergeracum, Monravelii turris, [c] Minzacum, loca circumpoſita, a Proteſtantibus tenebantur; et [d] Turenius inde crebris excurſionibus regios infeſtabat, eoque difficiliorem obſidionem reddebat. In imo ſuburbio praeſidiarii pauculas domos ſuperſtites vallo ducto defendebant. Ad eas Eidibus Quintilibus admota tormenta; quibus diſploſis praeſidiarii coacti domos deſerere, eas jam antea faſcibus et palea ad id impletas incendunt, et in collem vicinum ſe recipiunt: quem et aliquot dies, ut et tumulum in ſuburbio juxta fontem egregium, itidem artificioſe munitum, tenuerunt. Compulſis tandem intra muros praeſidiariis, Meduanius ope IↃCCC foſſorum, quos penes ſe habebat, vallum ducit inter propugnacula, quae dixi, et collem vitibus conſitum, qui urbem a Monravelii parte ſpectat; tribus munitionibus paulo infra Monravelium forma trianguli exſtructis, quarum duae e regione pontis lapidei rivo impoſiti verſus urbem magis porrigebantur: quae dum apparantur, CXX circiter auxiliares in oppidum a Turenio immiſſi ſunt. Mox firmato vallo arctius cinctum qua terrae jungitur oppidum; et ea quae [e] Duranium ſpectat, duo navigia armata a [f] Duſiano equite Hieroſolymitano advecta; et aliis navibus paulo infra oppidum ad inſulam, quae medio in flumine eſt, ſtratus pons imponitur, qui ſublicis praealtis utrinque in flumen jactis defendebatur, et catena ferrea ad utramque ripam et inſulam mediam pertingente firmabatur: rurſus ſupra ſublicas duo illa armata navigia excubabant, delecto milite impoſito. In utraque ripa, et ad imum pontem, et in inſula, munitiones excitatae; et in ulteriore duo ſigna collocata, addita colubrina: in citeriore foſſa ducta, quae rivo e Monravelio in Duranium labenti jungebatur; ita ut inſula rivo illo, Duranio, et vallo cingeretur, cui legio Helvetiorum ſervandae impoſita fuerat; Gallorum copiae pontem lapideum hoſti ereptum ſervabant. Ultra oppidum et alia munitio exſtructa erat, domo, quae forte integra reperta eſt, in eam incluſa, adjunctis III tormentis, quae in vallum a praeſidiariis intus ductum ictus ejaculabantur: eam tuebantur Helvetii ex [g] Redita legione delecti, quibus [h] Duracius praeerat. Et haec omnia ſtudio ac diligentia Duſiani adminiſtrata fuerant. Meduanius et Matignonus, collocatis poſt Helvetios Germanorum equitum turmis, ipſi haud longe hoſpitia habebant, ut ad omneis caſus praeſto eſſent. Inter haec minime a regiis ceſſabatur: et cum Fr. [i] Jobertus Barraudius Vaſatenſis praefectus ad excurſiones cum delecta equitum manu verſus [k] Fidei-fanum tenderet, in Floreſtanum [l] Bethunium Monflanquini praefectum incidit, cum quo [m] Claromontius Pilius grandior natu, et Malinius, nec non alter Joannis [n] Laſinii Bellovaſii filius, erant; acrique concurſu facto a [o] Montardito Barraudii legato, et [p] Chillaudio Veſunenſi ſtrenuo ordinum ductore, ac Carolo [q] Birago, qui Honorati [r] Sabaudi Villarii nuper defuncti alam equitum levis

INTERPR. [a] *le baron de Savignac.* [b] *d'Allens gentilhomme d'Arles.* [c] *fort de Minzac.* [d] *le vicomte de Turenne.* [e] *la Dordogne.* [f] *le commandeur de la Douſe.* [g] *de Redhit.* [h] *de Duras.* [i] *de Joubert Sr de Barrault, ſeneſchal de Bazadois.* [k] *Ste Foy.* [l] *de Bethune.* [m] *de Clermont, Sr de Piles.* [n] *la Fin, Sr de Beauvoir la Nocle.* [o] *de Montardit.* [p] *le capitaine Chillaud de Perigueux.* [q] *de Birague.* [r] *de Savoie de Villars.*

levis armaturae ducebat, cum numero regii vincerent, Bethunius fortiter pugnando cum [a] Malinio et aliis plerisque ceciderunt; Pilius graviter vulneratus: ex regiis etiam aliquot ceciderunt; Montarditus vulneratus, et Carolus Biragus equo ſuffoſſo, et cum eo [b] Grimaldus, captus eſt. In obſidione primum vi tormentorum depulſi tumulo ſupra fontem munito praeſidiarii, quo occupato regii inde vallum ad propugnaculum adverſum duxerunt; in quo cum a labro exterioris foſſae, quod obſeſſi adhuc tenebant, et humilibus in foſſa propugnaculis, graviter infeſtarentur, ad labrum occupandum vis converſa; quod, animos ſuis faciente Meduanio, pridie Nonas Sextileis captum eſt; in eoque regii ſtationem fixerunt, caſis e materia impoſitis, quae in foſſam ſubjectam deſpiciebant; et ex adverſo propugnaculi, quod ab illa parte prominebat, excitatus eſt tumultuariis operibus tumulus, impoſitaeque in eum IV machinae: ultraque alius ad dextram alterius ex materia tribus contignationibus extructus, in quem impoſiti milites delecti, qui majoribus ſcloppetis a tergo in vallum intus a praeſidiariis ductum jaculabantur. Aliae et duae verberationes inſtitutae, quae in murum fluvio objectum, uſque ad turrem in angulo ab illa parte poſitam, ictus dirigebant. Dejecto muro pomoerium retro apparere coepit, muris ipſis altius; et ſuberant in foſſa humilia propugnacula, quae oppugnationem remorabantur. Itaque tormentum in foſſas ad ea diruenda deduci placuit; quod rurſus [c] Duſiani ſolertia, praeter ſpem et opinionem tormentariorum, ſumma felicitate adminiſtratum eſt. His tandem deſtructis in turrem verberatio directa, diſploſis ex tumulo tormentis: dein ad propugnaculum adverſum occupandum vis facta a [d] Cluſello, et ex aemulatione a Carolo [e] Choëſelio Pralino; qui, injuſſu ducum cum enixi eſſent, magnam ſuorum jacturam fecerunt. Neque tamen omnino dejecti ſunt: nam, parte propugnaculi occupata, in ea ſtationem ea nocte habuerunt, parte penes praeſidiarios manente. Interea cum Turenius cum [f] Vivantio et Fabato regios continuis aſſultibus ab utraque [g] Duranii parte dies nocteſque laceſſeret, Meduanius exercitum ſemper in aciem inſtructum habere cogebatur; quod lentiorem obſidionem efficiebat, fruſtra miſſis ad Bironum et ſaepius repetitis nunciis, ut vireis, quas habebat, auxilio ſummitteret. Tandem, cum conatus Turenii irriti cecidiſſent, cuneo a regiis facto VII Kal. Septembr. ignis inditur, cujus vi turris dejicitur; ejuſque ruina expeditiore ad enitendum via ſtrata, imperatur oppugnatio, et comportatae crates, ſacci lana oppleti, ac dolia, quibus regii adverſus igneis artificioſos et lapidum ictus, quibus ab obſeſſis infeſtari poterant, loco occupato ſe munirent. Succeſſit conatus, et feſſis obſeſſis tota nocte a regiis allaboratum eſt, ut ſe adverſus eam propugnaculi partem, quam hoſtis adhuc tenebat, exſtructis pluteis defenderent. Poſtridie ad munitionem tribus contignationibus exſtructam certatum fuit; quae cum, vi tormentorum e propinquo diſploſorum, cum exitio ſuperimpoſitorum aliquot militum, concidiſſet, ingens clamor ab obſeſſis tanquam victoribus ſublatus; qui eodem impetu in regios jam partis propugnaculis potentes vim faciunt, et, uncis ferreis ad longas trabes alligatis, ſaccos lanae ac pluteos, quibus regii defendebantur, ad ſe connixi trahunt, igne etiam artificioſo in ſaccos injecto: nihilominus regii, repulſa hoſtium vi et molitionibus eluſis, ſtationem magna pertinacia tuebantur. Tandem, cum intus, praeter obſidionis incommoda, major pars, ſive ex morbis contagioſis, ſive ex vulneribus, decumberent, miſſi ab obſeſſis qui de conditionibus cum Meduanio agerent: ac poſtremo conventum ut [h] Saviniacus, Alenius,

INTERPR. [a] *de Maligny.* [b] *Grimaldi.* [c] *le commandeur de la Douſe.* [d] *de Cluſeau.* [e] *de Choiſeuil de Praſlin.* [f] *de Vivants, & de Favas.* [g] *la Dordogne.* [h] *le baron de Savignac, le Sr d'Allens, de Pierrebuffiere Sr de Chambaret, de Rochefort de St Angel, de St Ouyn, de Montmorency Sr de Bours, de Baſſignac, Bellier, & de Fredeville.*

Alenius, Petrobufferius Cambaretus, Rupifortius Santangelius, Santaudoenus, C. Momorantius Burſius, Baſſignacus, Bellerius, Fredevilla, Salignaci frater, [a] Coronaeus legionis tribunus, cum equis, armis, vita ſalva, oppido exirent; milites arma deponerent, et, fide adacta intra quadrimeſtre Navarro non militaturos, in tutum deducerentur. CCL omnino numerati ſunt, cum CXX ex vulneribus, plures ex peſte paſſim in oppido graſſante, periiſſent. Retenti belli duces, et [b] Burdigalam ac Blaviam ſub cuſtodiam amandati, donec captivi, qui a Proteſtantibus tenebantur, ita enim convenerat, compenſatione facta liberi dimitterentur: ii erant Carolus et Rodomontes Biragi, [c] Alemanius, et Rupius Brolius, ac poſtremo [d] Colaſius Montelii Adaemari praefectus juridicus; qui, propter diligentem operam olim Meduanio in Delfinatu navatam, gratia ipſius meruerat, ut inter belli duces recenſeretur; homo ſordidis natalibus, ſed praefracta ſuperbia inflatus; qua inter ultimos funeſtiſſimorum horum bellorum aeſtus per ſcelera hoc conſecutus eſt, ut, licentia paſſim bacchante et calcato omni pudore, ad dignitates ac titulos ſupra conditionem ſuam aſpirare non dubitaverit. Oppidani arbitrio victoris permiſſi; qui bona eorum, ad nihilum fere redacta, militi in praedam conceſſit; quoſdam ex iis Burdigalam miſit, qui ſenatus auctoritate extremo ſupplicio affecti ſunt; frementibus pleriſque, qui potius in Caſtellionenſeis, quod uxoris ſuae clientes fidem ſefelliſſent, quam in [e] Belli-loci et aliorum locorum ab eo captorum oppidanos, a Meduanio ſaevitum indignabantur, quaſi propriis et non regis auſpiciis, cujus injurias potius quam privatas ultum ire debuit, bellum adminiſtraret. Capto [f] Caſtellione, Podium-Normani et Minzacum in poteſtatem Meduanii venerunt. Et haec ſumma expeditionum Meduanii fuit; quae cum aut ſpei conceptae aut jactatae paſſim famae non reſponderent, ille de exiſtimatione ſua ſolicitus ſcriptum edendum curat; quo res a ſe geſtas multum efferebat, eoque magis, quod neque viribus neque pecunia, ſicuti ab initio conſtitutum et receptum fuerat, adjutus eſſet; culpamque partim in Matignonum rejiciebat, partim regem magna invidia onerabat: nam, cum ſtipendia cujuſque menſis CLX aureorum CIↃ conficerent, eaque ratione IↃCCC CIↃ repraeſentari debuiſſent, toto eo tempore, quo in [g] Aquitania fuit, non plus ex aerario regis quam CCCIV depenſa ſunt; quamvis ſemel atque iterum in aulam [h] Seſſevallium ob id ad maturanda auxilia aut ſtipendia miſiſſet. Aliud et ſcriptum eodem tempore, ſed majore cum temperamento, in eam rem publicatum.

XVI. CONTRA, Proteſtantes aliud ſcriptum edidere, quo prioris ſcripti vanitatem carpebant, et res a Meduanio geſtas ridicule extenuabant, ac poſtremo ei raptam Annam [i] Carancii principis viduam exprobrabant; cujus rei occaſione magna poſtea invidia laboravit Meduanius. Ea [k] Godofredi Caumontii et Margaritae Luſtracae, quae prius Jacobo [l] Alboni Santandreano equitum tribuno, a nobis ſaepius commemorato, nupſerat, filia erat, maximorum bonorum heres; quam Joannes [m] Scarſius Valliguidonius ipſius tutor, a matre invita abductam, cum [1] Carolo filio conjunxerat. Ejuſdem nuptias et antea ambiverat Carolus Bironus, admodum juvenis, Armanni Bironi filius, paternorum tunc meritorum fiducia, nam nulla adhuc ejus in rempublicam erant, quae poſtea majora quam alius ullius extiterunt. Cumque ab ea ſpe excidiſſet, inde occultae inter eum et Carancium rivalem ſimultates alebantur, quae tandem in exitialem eventum exarſerunt: nam

dum

INTERPR. [a] *Couronneau meſtre de camp.* [b] *Bourdeaux & Blaye.* [c] *Alamanni, & la Roche du Breuil.* [d] *Colas vice-ſeneſchal de Montelimart.* [e] *Beaulieu.* [f] *Caſtillon, Puy-Normand, & Minzac.* [g] *Guienne.* [h] *de Seſſeval.* [i] *Carency.* [k] *Geoffroy baron de Caumont, & Marguerite de Luſtrac.* [l] *d'Albon, mareſchal de St André.* [m] *d'Eſcars de la Vauguyon.*

NOT. [1] *dele* Carolo, *lege* Claudio *Vide Hiſt. Gen. de la France, par le P. Simp.* vol. 2. p. 234. *C.*

CIↃ IↃ LXXXVI.
HENRICUS III.

dum uterque in aula eſſet, Carolus, ex levi cauſa rixa exorta, [a] Carancium per fidum ſibi ad duellum provocat; et, contra legem ac rationem duelli, ut duos ſecum amicos adducat, monet; de cetero, armorum delectum ei defert. Id ſecreto actum; quod pravo apud nos more receptum, ne quis conſcius deſtinato duello, re ad principem renunciata, impedimentum afferat; et quiſque ad decus pertinere arbitratur, ne res evulgetur. Cum de armorum genere, loco, ac tempore conveniſſent, Carolus [b] Bertrandum Petrobufferium Geniſſacum, et [c] Monpeſatum Loniacum, ſecum adducit; Carancius [d] Carolum Stiſſacum tantae familiae heredem unicum, et [e] Labatium. Extra [f] Sanmarcellinum ſuburbium primo ab urbe lapide conveniunt: tum, Februario ſaeviente, forte copioſe admodum ningebat; ventoque glomerata nix, utrorum in oculos involaret, certum exitium certantibus afferebat. Bironus, rei bellicae jam in illa aetate apprime peritus, ſtudioſe cavit ut eam in adverſariorum oculos rejiceret. Itaque congreſſu facto Bironus, accepto in imo brachio vulnere, cum Carancio compoſitus, cum ſuis victor evaſit, et Carancium, Stiſſacum, ac Labatium interfectos humi ſtratos relinquit. Is caſus triſtem alterius duelli, de quo ſuperius diximus, memoriam renovavit, ante VIII annos in ipſa urbe inter Jacobum [g] Levium Cailuſium et Carolum [h] Balſacum Dunenſem, pari numero et eodem genere armorum, commiſſi. Carancio in duello deſiderato, Anna vidua admodum juvencula in Valliguidonia arce manſerat; quam Navarreni jactabant Meduanium, in arcem ab uxore Valliguidonii perhumaniter receptum, violato hoſpitii jure, captam ſecum abduxiſſe, et inde, nulla re praeterea geſta, relicta Aquitania Lutetiam rediiſſe.

XVII. MEDUANIO in Aquitania occupato, Guiſius, qui ſibi ademptam armorum poteſtatem et in fratrem tranſlatam moereret, ne nihil in praefectura ſua ageret, [i] Donſium [k] Bullionii ditionis oppidum per Ant. [l] Sanpaulum, verſis eo regis injuſſu armis, noctu intercipit V Kalendas Martias, poſt obſtinatum admodum certamen, in quo plures ex ſuis deſideravit. Verum, libello ſtatim Lutetiae edito, qui mos inter factionis illius emiſſarios tunc vigebat, ea victoria de Sectariis parta, tanquam de provincia ſub jugum miſſa, in majus etiam concionatorum vocibus praedicata; idque ad alendam plebis inſaniam non parvum momentum habere putabatur. Rex interim privatis affectibus, ut ſemper, intentus, cum aegre voluptatum ſuarum otium turbari ferret, ſeque a ſacro ordine ac concionatoribus paſſim apud plebem, et a Guiſianorum emiſſariis inter nobilitatem, traduci non ignoraret, quaſi Proteſtantibus et Navarro in occulto faveret, et cunctatione ſua ac denegatis ad bellum promiſſis ſubſidiis, inſuperque diſtractis per varias regni partes viribus, bene rem adverſus Proteſtanteis gerendi occaſionem belli ducibus adimeret; ad eam opinionem elevandam edictum ſeverum condit VI Kal. Maias, ſexto poſt die in ſenatu promulgatum, quo novas leges ac conditiones ad praecedentia edicta anno ſuperiore Julio, Octobri, ac Decembri menſibus promulgata, de bonis mobilibus rebellium diſtrahendis ac fundorum fructibus, addebat.

XVIII. DESTINATUS fuerat dux exercitui in [m] Arvernos, Velaunos, Gabalitanos, ac Rutenos ducendo Joannes [n] Aumontius equitum tribunus, virtute bellica et fide praeſtans. Cumque in eam rem maximos jam ſumptus feciſſet, Annas [o] Jouſa otii [α] impatiens, et aeque ambitione ac Proteſtantium odio ardens, non ſine

VAR. LECT. [α] *In* Ed. Gen. 1620 *haec verba ſolummodo leguntur*, impatiens, ac Proteſtantium odio ardens, provinciam a rege impetravit. *Sed in* Ed. Gen. 1626, *alia verba huic ſententiae interſeruntur*, *prout in hoc noſtro textu*, *e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerpta*.

INTERPR. [a] *Claude, prince de Carency.* [b] *Bertrand de Pierrebuffiere, Sr de Geniſſac.* [c] *de Montpezat, Sr de Lognac.* [d] *Charles d'Eſtiſſac.* [e] *Abadie, dit le Jeune.* [f] *fauxbourg S. Marceau.* [g] *de Levis, comte de Quelus.* [h] *de Balſac Sr de Dunes, dit le Bel Entragues.* [i] *Donzi.* [k] *le duché de Bouillon.* [l] *de St Paul.* [m] *Auvergne, Velay, Givaudan, & Rouergue.* [n] *le mareſchal d'Aumont.* [o] *de Joyeuſe.*

ſine injuria provinciam viro optimo ademptam a rege impetravit. Igitur Junio ineunte, cum, petito a rege commeatu, Perſica pompa potius quam militari ſpecie [a] Molinium in Boiis veniſſet, dum copiae undique ad ſigna convenirent, [b] Borbonium Arcimbaldi, ad coxendicis debilitatem uſu balneorum curandam, interea conceſſit.

XIX. INCIDIT et tunc caſus, qui non ſolum diſtrahendarum ac dividendarum virium, quod factioſi querebantur, ſed novorum ſumptuum, materiam regi praebuit. Henricus [c] Engoliſmenſis, Henrici II nothus filius, a Guiſianorum partibus maxime alienus, Provinciae praeſes, Philippum [d] Altovitum Florentia oriundum, triremium aliquot [e] Maſſiliae praefectum, ob criminationes ſecretas de ſe ad reginam delatas, ſummo odio proſequebatur. Ei Renata [f] Riuſia Caſtronovia, quam rex olim adamaverat, ex deſperatione, cum potiorem conditionem non reperiret, paulo ante nupſerat; metuebatque Engoliſmenſis, ne ex ea occaſione Altoviti delationes, regina annitente, quae ipſi, quod novae factioni ſummopere adverſaretur, minus bene volebat, in regis animum facilius penetrarent. Itaque per amicos Altovito ſignificandum curaverat, ſcire ſe ex amicis, quos in aula habeat, quid ille per literas de ſe calumnioſe apud regem reginamque mentiatur: proinde rogare, ut ab hujuſmodi criminationibus in poſterum abſtineat. Cumque ille non ceſſaret, poſtremo monuerat, ne ſe uſpiam in conſpectum ipſius daret; alioqui fore, ut pro merito acciperetur. Monita neglexit Altovitus; et, dum praeſes [g] Aquis Sextiis eſſet, ipſe eo venit; et per feneſtram, dum in viam deſpicit, Engoliſmenſis, qui forte tranſibat, eum conſpicatus eſt; idque contumelioſe, atque in ſui contemptum, fieri interpretatus, relictis ad oſtium ſtipatoribus, in hoſpitium irrumpit, et obvium ſtricto gladio tranſverberat. At Altovitus, ut ſe lethaliter vulneratum ſenſit, mori certus, in eum toto corpore incumbit, et pugione, quem geſtabat, quanquam languida jam manu, in inguine ferit; quo ex vulnere Engoliſmenſis aliquot poſt horis exſpiravit. Ad ſtrepitum cum ſtipatores ingreſſi eſſent, Altovitum ſemianimem in pavimento ſtratum offendunt; quem ira efferati innumeris ictibus confodiunt, et per vicos concurſu hominum facto tractum, diſcerptumque, in profluentem mergunt. Engoliſmenſis morte rex indoluit, et regina, ut filio blandiretur, dolorem finxit. Rege dolore defuncto, haud diu quaerendus fuit, cui Provinciae praefectura deferretur: nam Joannes Ludovicus [h] Nogaretus Eſpernonii dux, qui, gratiae apud regem praerogativa, cum Jouſa [i] Neuſtriae ampliſſimae provinciae praeſide certabat, et aliquot exiguas tantum locorum praefecturas, ut [k] Bononiae in Morinis, [l] Divoduri in Mediomatricibus, [m] Lochiarum in Turonibus, ceterum nullius aeque amplae provinciae praefecturam, adeptus fuerat, ſtatim ea donatus eſt; et ex aemulatione cum ſocio exercitum in Provinciam ducendum ab indulgentiſſimo principe impetravit. Verum immanibus ſumptibus in belli tot locis gerendi neceſſitatem, et uſitatas profuſiones, cum aerarium non ſufficeret, novae per edicta fiſcalia excogitatae ab hirudinibus aulicis pecuniae corradendae rationes; quas ampliſſimus ordo, repetitis ſaepius juſſionibus, ſemper recuſavit. At rex, qui vinci nollet, pravo more jam aliquoties uſurpato, tandem ipſe in ſenatum venit; et XVI Kalendas Quintileis, regia poteſtate, non rogatis ſenatorum ſententiis, XXVII edicta, magno omnium ordinum fremitu, promulgavit. Antea, cum de exercitu auxiliari inter principes, civitates, ac Helvetios in Galliam mittendo conveniſſet, illi more ſuo cunctabundi, antequam eum mitterent, officii ſui eſſe duxerunt legationem ad regem adornare,

INTERPR. [a] *Moulins en Bourbonnois.* [b] *Bourbon l'Archambaud.* [c] *le chevalier d'Angouleſme, grand prieur de France.* [d] *Altoviti.* [e] *Marſeille.* [f] *de Rieux de Chateauneuf.* [g] *Aix.* [h] *Nogaret de la Valette duc d'Eſpernon.* [i] *Normandie.* [k] *Boulogne en Picardie.* [l] *Mets.* [m] *Loches en Touraine.*

adornare, qua eum ad pacem juxta edicta in regno promulgata Proteſtantibus dandam hortarentur; ne potius bellum ultro regi indicere, quam Navarro ac Proteſtantibus pro communi religionis cauſa laborantibus, ut alias fecerant, ſubvenire, viderentur. Seorſim a Germaniae principibus ac civitatibus, Fridericus Daniae rex Bredam [a] Rantzovium, Henrici Rantzovii tot bellis feliciter confectis clari filium, miſit. Miſerunt et ſuos legatos Helvetii pagi: quibus benigne ſeorſim auditis, poſt prolatas ab ipſis Franciſci I avi literas, quibus eos, ob religionis cauſam inter ſe bellum gerenteis, ad arma ponenda amiciſſimus ac prudentiſſimus princeps hortabatur, gratiae actae; et reſponſum a rege, neminem ſe melius ſcire, quid e decore ſuo eſſet, quidve pro pietate ſua magis regno expediret: haec ſibi curae fore, neque ſe commiſſurum, ut foederati principes ac populi ullum ſuum in colenda vicinorum amicitia, et procuranda regni ſui tranquillitate, officium merito deſiderare poſſent. Ita illi honorifice dimiſſi. Cum vero Germaniae principum ac civitatum legati jam in itinere eſſe dicerentur, in quibus erant Fridericus [b] Wirtembergicus Monpelicardus, et Wolfangus comes Iſemburgicus, ad id delecti ut major legationi dignitas conciliaretur, rex diſceſſu ex urbe ſuo eorum adventum antevertit, ratus tantum morae Germanorum conſiliis ſe allaturum, quantum eos in Gallia detinuiſſet: eodemque tempore reginam parentem a ſe dimiſit, quae [c] Cenoncellas voluptuariam [d] Cari in Turonibus impoſitam arcem conceſſit, ad colloquium cum Navarro condictum tendens; quod tandem longis protelationibus in exitum uſque anni extractum eſt. Ipſe in [e] Boios exiguo comitatu abiit, relictis in urbe qui Monpelicardum et Iſemburgicum comites ac ceteros legatos ſuo nomine ſalutarent, et honorifice exciperent, et, quaeſito colore, quod rex valetudinis cauſa ad balnea profectus eſſet, abſentiam ejus excuſarent, rogarentque ut ipſum in menſem Octobrem uſque exſpectarent; tunc enim regem affuturum, eoſque auditurum. Legati ad urbem venerunt Nonis Sextilibus, cum jam rex X Kal. Sextil. diſceſſiſſet, ac perhonorifice accepti ſunt. Verum poſt aliquot dierum moram, cum Fridericus et Iſemburgicus minus decorum ducerent tamdiu reditum regis exſpectare, petita per literas a rege venia, ſibi ob privata negotia domum redeundum cauſati, in Germaniam redierunt, et ceteros legatos cum mandatis, qui officio defungerentur, in Gallia reliquerunt. Ante legatorum in Galliam profectionem bello apud nos accenſo, cum Proteſtantium ſpes omnis praecipue Germanorum auxiliis niteretur, et tamen, ob animoſum Helveticae et Genevenſis eccleſiae cum Auguſtanae confeſſionis ſociis diſſidium, plerique ex Germanis principibus ac civitatibus ab iis alieniores eſſent; Fridericus Wirtembergicus Montis-Pelicardi comes, qui laborantibus in Gallia Proteſtantibus ſupra modum favebat, nec ab eorum doctrina multum abhorrere tunc putabatur, Claudii Antonii [f] Viennenſis Claravantii inſtigatu, colloquium Monte-Pelicardi inſtituit; evocato Theodoro Beza, qui cum Abrahamo [g] Muſculo Bernenſi paſtore exeunte Martio eo venit; et Jacobo [h] Andreano [i] Tubinga itidem evocato, cum quo venere Lucas Oſiander et Theodoricus Snepfius. In eo magna contentione Beza et Andreanus, propoſitis quaeſtionibus de coena Domini, de perſona Chriſti, de baptiſmo, et copioſiſſime de praedeſtinatione, de templis, imaginibus, organis muſicis, et modo in iis ſervando, diu altercati ſunt; nullo alio inter eos exitu, quam controverſiarum, quae ſepultae credebantur, acriore quam antea renovata memoria. Cum Tubingenſes de ſucceſſu quaſi triumpharent, diſſeminatis per omnem Germaniam ea de re literis, et Bezam lachrimabundum e colloquio tanquam erroris convictum diſceſſiſſe jactarent,

INTERPR. [a] *de Rantzow.* [b] *de Wirtemberg, comte de Mont-beliard.* [c] *Chenonceaux en Touraine.* [d] *le Cher.* [e] *Bourbonnois.* [f] *de Vienne, Sr de Clervant.* [g] *Muſculus de Berne.* [h] *Andrea.* [i] *Tubingen.*

jactarent, Beza extemporaneo ſcripto reſpondit, quod quadriennio poſt amplius retractavit. Interea rex, cum aliquandiu in Boiis haeſiſſet, [a] Lugdunum perrexit, ut inde Jouſae in [b] Arvernos ac Gabalos tendenti, inde [c] Eſpernonio in [d] Provinciam ducenti, veluti ex propinquo auram favoris aſpiraret. Dum Lugduni eſſet, quaſi in alta pace ſecurus, catellis undique conquirendis, quorum educandorum ſtudio ea urbs inter alia celebris eſt, tempus ſedulo inſumſit; mirantibus pleriſque, tanto regi inter graviſſima bella tantum otii ab re ſua fuiſſe, aut inter ſummas rei pecuniariae anguſtias ſecuritatis, ut neque tempori neque ſumptibus in voluptate illa explenda parceret: nam princeps, alias profuſus ac damnoſus, nulla in re, habita ejus ad alias impenſas domeſticas ratione, damnoſior fuit; quippe qui praeter ſumptus in canes venaticos et accipitres, qui in regia familia, ut et aliorum principum, ſemper magni et ordinarii ſunt, in catellos hujuſmodi parandos alendos plus C aureorum CIↃ quotannis abſumeret, foeminis et hominibus ad id ſtipendio magno conductis, qui aulam cum omni illo comitatu ubique ſequebantur. Praeterea magnos ſumptus in ſimias et pſittacos, ac ejuſmodi exotica animalia, faciebat, quorum immanem copiam habebat, et faſtidio plerumque capiebatur; ita ut iis donatis, mox deſiderio ſubeunte, alia feſtinatis ſumptibus pararet. Et quoniam de regis ingenio in hujuſmodi rebus infra regiam dignitatem affectandis mentio incidit, minime praetermittendum videtur ejus memorabile ſtudium in conquirendis undique miniaturis, quas ex precationibus horariis, quae, ad uſum principum virorum ante typographicam inventam a ſummis pictoribus olim elaboratae, in ſcriniis curioſorum aſſervabantur, magna pulcherrimorum operum jactura incidebat, et inciſas ac conglutinatas ad parietes ſecretorum ſacellorum pueriliter applicabat: ut mirari liceat tam inaequale ingenium, quod, in quibuſdam rebus regiae majeſtati par, etiam plerumque regium faſtigium ſuperabat, in aliis infra puerorum captum deſcendebat.

CIↃ IↃ LXXXVI.
HENRICUS III.

XX. DUM Jouſa ad [e] Borbonium Arcimbaldi haereret, accepto Franciſcum [f] Colinium Caſtellionaeum Gaſparis filium [g] Competram in Velaunis cum II CIↃ peditum ac CCC equitibus obſediſſe, protinus eo magnis itineribus tendit, praemiſſo Joanne [h] Bellomanerio Lavardino caſtrorum praefecto cum ſua equitum ala, et Imberto [i] Marſilio Sipetra, qui et ſuam ducebat, equitibus ſcloppetariis additis; ac Kalendis Sextilibus Briodium venit: ubi rurſus cognito Colinium obſidionem ſolviſſe, Germanos pedites, qui ſub id venerant, eodem die recenſuit, et VI tormenta [k] Anicii Podio ſubminiſtrata cum apparatu bellico inſtruenda curavit. Conſilio inter duces habito, cum [l] Malezium in Gabalis ante omnia peti placuiſſet, tertio poſt die Lavardinum ad locum corona cingendum mittit cum ſua equitum ala, et XL ſcloppetariis ex [m] Muſſiana cohorte, quos [n] Chenardus ejus vicarius ducebat; revocato [o] Drugeaco, quem cum IↃ ſcloppetariis Competram antea miſerat, et Lavardinum ſubſequi juſſo. Malezianis deditionem facere juſſis, nullum praeter verba militaris laſciviae plena in Jouſae contumeliam reſponſum acceptum. Ipſe Nonis Quintilibus [p] Briodio cum exercitu profectus eſt, et primis caſtris [q] Langeacum venit, ac poſtridie Malezium: cujus adventu territi obſeſſi, cum miſſo centurione conditiones deditionis propoſuiſſent, Jouſa irritatus eum admittere noluit. Tormentis demum admotis biduo poſt deditio facta eſt, ſine conditione; VII ex ducibus, qui excurſionibus infeſtis regionem vicinam vaſtaverant, odio

INTERPR. [a] *Lyon.* [b] *Auvergne, & Givaudan.* [c] *le duc d'Eſpernon.* [d] *Provence.* [e] *Bourbon l'Archambaud.* [f] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [g] *Compeire en Velay.* [h] *de Beaumanoir Sr de Lavardin.* [i] *de Marcilly Sr de Cipierre.* [k] *le Puy en Velay.* [l] *le Malzyjou en Givaudan.* [m] *du capitaine Muz.* [n] *le capitaine Chenard.* [o] *le Sr de Drugeac.* [p] *Brioude.* [q] *Langeac.*

odio popularium ad ſupplicium datis: ceteris parcitum. Locus Antonio [a] Turrio Sauvitali Velaunorum praefecto a Jouſa commiſſus, qui [b] Villanovanum vicarium ſuum in eo cum praeſidio reliquit. Inde Jouſa [c] Fanum Aegidii venit IV Eidus Sextileis; cum [d] Petrae praeſidiarii excurſione facta biduo ante [e] Balmam et horrea ruſtica circum poſita incendiſſent. Cum Petram obſeſſurus crederetur Jouſa, ad eam eruptione a praeſidiariis facta acriter certatum; et plerique e regiis vulnerati; quidam occiſi. Sed a Petra [f] Marologium inopinato mox tranſlatus exercitus; quod, cum in Petrae obſidionem omnes intenti eſſent, defenſoribus paene vacuum oppreſſum eſt. Id oppidum, in montana regione loco ſpatioſo et exporrecto poſitum, populo frequens, aedificiis pulchrum, fonte intra moenia ac ſitu amoeniſſimum in toto territorio [g] Gabalitano, quod fere epiſcopi [h] Mimatenſis eſt, regium nomen tuebatur. Nam cum dioeceſis illius epiſcopi ab initio, tam ex privilegiis a regibus Francorum conceſſis, quam antiqua conſuetudine ac longiſſimo uſu, omnem ejus ditionis juriſdictionem, ac majorem, quam vocant, dominationem, ad ſe pleno jure pertinere contenderent, idque auctoritatem regiam ac juriſdictionem maximopere turbaret, Philippus Pulcher prudentiſſimus princeps cum Gulielmo Durando Mimatenſi epiſcopo, famoſo ſui ſaeculi, vel ex Speculatoris nomine, juriſconſulto ac theologo, tranſegit; et eum ac ſucceſſores epiſcopos in ſocietatem juriſdictionis admiſit, [i] Pariagium vulgo appellant, ab ipſo pariter in eandem ſocietatem admiſſus; ita ut communem judicem haberent, qui alternis Marologii et Mimati jus per annum diceret, appellationibus ad [k] Belloquadri praefectum vel ad curiam Franciae reſervatis: inſuper rex comitatus titulum epiſcopo indulſit, ac jus geſtandorum armorum ac monetae cudendae conceſſit. Ea de re publicum inſtrumentum confectum Lutetiae Pariſiorum Februario menſe anni CIↃ CCCVI. Et ita paulatim reges ſummam juriſdictionem in Gabalitana dioeceſi ad ſe contraxerunt; indeque Marologenſes multum opibus et dignitate creverunt, haud occulta Mimatenſium invidia; qui, occaſione inde capta, quod Proteſtantium toto eo tractu magnus Marologii numerus eſſet, utpote in regiae ditionis urbe, nam ab aliis excludebantur, per Adamum [l] Hurtalupium Mimatenſem epiſcopum, Jouſam ad ſuſcipiendam obſidionem inſtigant; eo conſilio, quod et evenit, ut, urbe capta potiti, veteres ex aemulatione exortas ſimultates ulciſcerentur, eamque deſtruerent. Quod cum ignoraret Jouſa, et qui circa eum erant, eam obſidionem regiae auctoritati exitu detrimentoſam ſuſcepit. Locum tuebatur [m] Rupius cum praeſidio, quem ex improviſo Lavardinus cingere juſſus cum duabus legionibus eo noctu venit. Jouſa tunc tantum CIↃ ſcloppetarios, et CXX circiter equites, penes ſe habebat. Eruptione a praeſidiariis facta certatum acriter, ex regiis pleriſque vulneratis; inter quos fuit [n] Muſſus ſcloppetariorum equitum ductor, [o] Charnerius, Bidetus, Rozillius, Merargus, alii: tandem labro foſſae exteriore regii potiti hoſtem intra moenia compellunt. Demum XIX Kal. Septembr. Germani pedites numero bis mille in caſtra venerunt, et [p] Cortinaei ac Pedifolii legiones. Miſſi interim Joannes [q] Bellofortius Canilliaci marchio, et cum eo Antonius Scipio [r] Jouſa eques Hieroſolymitanus Toloſae prior, qui hoſtem, quem ad [s] Canorgam magno numero convenire ad ſuppetias obſeſſis ferendas fama erat, diſtinerent: ac quatriduo poſt IV tormenta directa ad eam partem, quae in locum ſubjectum arboribus conſitum deſpicit, in via Mimatenſi, ubi Cortinaeus ſtationem habebat.

INTERPR. [a] *de la Tour, Sr de S. Vidal ſeneſchal de Velay.* [b] *de Villeneufve.* [c] *S. Chely en Givaudan.* [d] *la Peyre.* [e] *la Baume.* [f] *Marueges.* [g] *Givaudan.* [h] *de Mande.* [i] *Pariage.* [k] *le Seneſchal de Beaucaire.* [l] *de Hurteloup.* [m] *la Roche.* [n] *le capitaine Muz.* [o] *Charnieres, Bidet, Rozilles, & Merargues.* [p] *de Courtenay, & Puy du fou.* [q] *de Beaufort, marquis de Canillac.* [r] *de Joyeuſe grand prieur de Toulouſe.* [s] *Canourgue.*

habebat. Ibi ictu majoris ſcloppeti ſupra auriculam Jouſa ipſe vulneratus, cuticula leviter perſtricta. Eodem die cum tormenta [a] Anicio advecta veniſſent, poſtridie verberatio contra prominentia propugnacula directa; et quaedam turres dejectae, lapſo vexillo, quod, ex ſacerdotali veſte, ſicuti jactabatur, confectum, magna exultatione ad Jouſam perlatum eſt, milite, qui illud ceperat, c aureis donato. Cum pilae deficerent, die interpoſito, advectis pilis verberatio integratur, per VII horas continuata: cujus vi magna ſtrage edita, Rupius colloquium poſcit; ac, [b] Salgeaco ad obſeſſos miſſo, [c] Rodeſius et Barralius urbis conſules ad Jouſam venerunt: et, cum de obſidibus aliquandiu altercatum eſſet, poſtridie tandem conventum, ut milites vita ſalva enſibus accincti, belli duces cum ceteris armis, exirent; urbs arbitrio victoris permiſſa, ſpe facta ut oppidanis clementer uteretur. Egreſſi praeſidiarii Canilliaco marchioni in tutum deducendi committuntur; quibus, ſive militis licentia, [α] ſive quorundam, qui privatas injurias ultum ibant, libidine, aut perfida ductoris diſſimulatione, fides minime ſervata eſt: nam quidam e nobilitate in ſibi infeſtos, ſpreta ducum auctoritate, vim fecerunt; exemploque ſemel violatae fidei edito, Germani pedites, genus hominum rapinae avidiſſimum, in miſeros involant, et multos interficiunt, ceteros fere ſpoliant. Urbs diripienda militi conceditur; in qua nullo non ſaevitiae ac libidinis genere impune graſſatus miles, inſtigante [d] Sanvitali; quem, oppidanis infeſtiſſimum, ſumma imprudentia Jouſa praefectum impoſuerat. Poſtremo praeda conſumpta, ignem, ſive conſilio ſive per laſciviam, immiſit; ventoque exorto, cum incendium majorem oppidi partem depaſtum eſſet, quod reliquum ignis fecerat, foedi ſupervenientes imbres omnino deformarunt; ita ut, praeter ſuperiorem vicum, ex florentiſſima toto illo tractu urbe nihil hodie niſi maceriarum in cumulos ruinae congeſtae procul venientibus appareant: quod nobis, cum triennio poſt illac iter haberemus, triſte illud oppidi cadaver ſpectantibus, paene lachrimas excivit. Jouſa, [e] Marologio non tam capto quam ad excidium deleto, recenſet exercitum; in quo peditum Gallorum IV CIↃ, Germanorum bis mille, IↃ equites, numerati ſunt. Inde [f] Petram ducit, ſucceſſu territis praeſidiariis, ratus ſe loco citra diſcrimen potiturum. Machinarum rotis reficiendis, et per montana, hominum opera, nam jumentorum his in locis uſus nullus eſt, advehendis, aliquot dies inſumpti. Tandem pridie Nonas Septembreis pulſatio contra inferius oppidum directa. Petra, unde nobiliſſimae his in locis familiae nomen, a re dicta, ſaxo undique praerupto inſidet; in imo arcem undique inacceſſam habet, ad quam per ſcalam ligneam, neque enim per ſaxum veſtigia humana eniti poſſunt, arduus admodum eſt aſcenſus: arci oppidum ſubeſt, et ipſum ſaxo infixum ac natura munitum; quod tamen praeſidiarii, veriti, ut poſtea conſtitit, ne, ictu tormenti ſcala confracta, in arcem, neceſſitate urgente, perfugium non eſſet, ad primum regiorum adventum deſeruerunt, cum diu tueri potuiſſent. Regii eo potiti ad ſaxi interioris radices ſe pluteis tegunt. Secundum haec luſtrato loco tormenta in ſaxum proximum, quo ſubvehi non poſſe credebantur, operarum vi tolluntur, et triduana verberatione bis mille quingenti ictus diſploſi; ita ut quod erat aedificiorum omnino deſtructum ſit, dejectiſque paſſim muris, defenſores ad ictus medio corpore extra paterent, intus vero, etiam milite vim non faciente, lapidum a tormentis disjectorum fragmentis obruerentur. Igitur tandem deditio facta arbitrio victoris, qui militi vitam indulſit; quam armis exutus, mox, ruſticis in inermeis ſaevientibus, amiſit.

Petreius

VAR. LECT. [α] ſive connivente ad quorundam e ſuis, qui privatas injurias ultum ibant, libidinem Jouſa, aut perfida *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *le Puy.* [b] *Saugeac.* [c] *Rodez & Barrau conſuls.* [d] *de la Tour, Sr de S. Vidal.* [e] *Marueges.* [f] *la Roche de Peyre.*

CIϽ IϽ LXXXVI.
HENRICUS III.

[a] Petreius praeſidiariorum dux, Mimatenſibus, quos crebris incurſionibus hoſtiliter infeſtaverat, ad poenam datus, qui miſerum hominem extremo ſupplicio affecerunt. In ea obſidione Ludovicus [b] Claromontius Renelii marchio, [c] Valonus, Altarivus, ejuſque vicarius ac ſignifer, graviter vulnerati; ſed omnium graviſſime Hugo [d] Lavernius, quondam Franciſci Brabantiae ducis ſtipatorum praefectus: quo ex vulnere, crure debilitato ac contracto, vix tandem ſanitati longo poſt tempore reſtitui potuit. Inde, imminuto multum exercitu, et milite morbis ex foeda ac continua illis locis pluvia contractis abſumpto, cum iis, quae ſuperabant, copiis propius Toloſam profectus eſt Jouſa; et, ut ab ampliſſimae toto regno urbis civibus ac ſenatu gratiam aucuparetur, ad [e] Salvaniacum in Rutenis caſtra ponit, municipium tumultuariis operibus nuper munitum; quod et tandem deditum eſt, deſiderato in ejus obſidione Jacobo [f] Huralto Urielio magnae ſpei adoleſcente, qui tota illa expeditione egregiam admodum operam Jouſae navaverat. Inde Jouſa, cum Gulielmum parentem provinciae tunc regis nomine praeſidem, nam Momorantius a partibus Navarri ſtabat, ſalutaſſet, poſt aliquot dierum cum eo colloquium, relicto in exercitu jam fere diſſipato, qui ſummo cum imperio praeeſſet, [g] Lavardino, in aulam citatis equis venit.

INTERPR. [a] *le capitaine la Peyre.* [b] *de Clermont, marquis de Renel.* [c] *Valon, & de Hauterive.* [d] *la Vergne, capitaine des gardes.* [e] *Salvaignac en Rouergue.* [f] *Hurault, baron d'Uriel.* [g] *le Sr de Lavardin.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER OCTOGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

REX Lugduno veniens legatos Germaniae principum audit, et male habitos a ſe dimittit. II. *Ad Orcanum foederati conveniunt, et arma capienda decernunt ad Jametium et Sedanum in poteſtatem redigenda. Rupes-regia, Guiſii aſtu intercepta, armis capiendis occaſionem praebet.* III. *Anglicus orator ſententiam contra Mariam Scotam latam, et probationes conjurationis initae, ad regem adfert.* IV. *Franc. Brito homo emota mente captus, et ad mortem a ſenatu damnatus.* V. *Franc. Bonae Diguierii in Allobrogibus Gelaſiae-fanum et Mirabellum in poteſtatem veniunt. Ad ſolvendam Alemanii obſidionem cum delectis ducit Diguierius, et Vincianos caedit ſine certamine, ingenti ſtrage edita.* VI. *Eſpernonius in Provinciam cum exercitu venit. Caturigum civitatem obſidet; quae tandem, conditionibus cum Diguierio conventis, deditur. Induciae cum Provinciae Comitatenſibus, interventu Henrici Momorantii, a Diguierio prorogatae.* VII. *Regina parens Pictavium ad condictum cum Navarro colloquium venit: ad Brixii-fanum locus condicitur. Res inter querimonias et mutuas exprobrationes tranſacta. Tandem, propoſitis ad famam neque tamen pactis induciis, colloquium ſolvitur. Miſſi continuo a Navarro in Germaniam, qui auxiliareis urgerent.* VIII. *Conjurationes in Anglia contra Eliſabetham Mariae Scotae cauſa initae. Varia Mariae fortuna, et, poſt mortem alterius mariti, calamitates. Conjurati re detecta comprehenſi.* IX. *Delegati ad arcem Fotheringhaiam miſſi.* X. *Re*[1] *a delegatis Londini coram* CCCC *judicibus agitata, et examinatis probationibus, Maria tanquam perduellis ad mortem damnatur. Miſſi in Franciam et Scotiam legati.* XI. *Pomponius Bellevreus a rege miſſus luculentam pro Maria orationem ad Anglam habuit, ſed fruſtra.* XII. *Conſcii numero* XIV *extremo ſupplicio adfecti.* XIII. *Promulgata, inſtantibus Ordinibus, in Mariam ſententia; tandem et ſubſcripta. Mariae ſumma conſtantia, et in religione majorum perſeverantia.* XIV. *Eliſabetha dolorem ex eo prae ſe fert, et lugubria ſumit. Magnificae exequiae Mariae decretae.* XV. *Apologia ad eluendam judicii invidiam pro Eliſabetha publicata.* XVI. *Apud nos ea res varie accepta. Exequiae in majore urbis templo Lutetiae regia pompa celebratae.* XVII. *Urbanae conjurationis initia et progreſſus. Jo. Franciſci Mauroceni cardinalis aequitas, et a factionibus pernicioſis alienus animus.* XVIII. *A Pariſienſibus ſeditioſis crebrae ad alias urbes ad ſeditionem ciendam nunciorum miſſitationes.* XIX. *Occultus de Bononia in Morinis intercipienda conatus detectus.* XX. *Nicolaus Polinius, qui coitionibus urbanis participaverat, quae inter conjuratos dietim agebantur ad regem per Cevernium cancellarium defert. Foederati Guiſium Auguſta Sueſſionum in urbem repetitis nunciis evocant.* XXI. *Meduanius, ex Aquitania reverſus, ſe factioſis ducem neceſſitate adactus*

NOT. [1] *dele* a delegatis Londini coram CCCC judicibus; *lege* in parliamento.

adactus praebet. Ultima factioſorum in urbe contra regem conjuratio itidem per Polinium detecta. XXII. *Guiſius, intempeſtivi motus ratione, cum Pariſienſibus per Menevillam expoſtulat, ac vix tandem placatur.*

Ex auctoribus,

Actis publicatis, Actis curiae criminalis Pariſienſis, Diguierii militari diario, Actis in Anglia utrinque publicatis de cauſa Mariae, Guil. Camdeni Annalibus Eliſabethae, Rogerio Tritonio, Nic. Polinii diario.

LIBER OCTOGESIMUS SEXTUS.

CIↃ IↃ LXXXVI.
HENRICUS III.

REX, aſſiduis legatorum Germanicorum expoſtulationibus revocatus, jam Lugduno Lutetiam redierat; et, hoſpitio [a] Poſſiaci legatis attributo, Fanum Germani venit; ubi eos IV Eid. Octobr. audivit. Verba pro omnibus fecit [b] Hilmerus Helmeſtadius Joannis Caſimiri legatus; et ſe miſſos dixit, ut Palatini, Saxonis, ac Brandeburgici ſeptemvirorum nomine, illuſtriſſimorum principum Friderici Brandeburgici Magdeburgenſis archiepiſcopatus adminiſtratoris, Julii Brunſvici, Willelmi, Ludovici, ac Georgii Heſſiae principum fratrum, Joachimi Erneſti Cattorum principis, IV imperialium civitatum nomine, regi manum deoſcularentur, eique pro antiqua foederatione, quae principibus Imperii cum regibus Francorum intercedit, ac vicinia, obſequioſam ſuam operam officioſe deferant: principes quidem legationis [c] Monpelicardum et Iſemburgicum ob negotia privata domum retro abiiſſe; ceterum ſibi mandatum, ut per eorum abſentiam legatione defungerentur. Tum prolata mandata ſcripto comprehenſa, ac ſigillis eorum, a quibus miſſi fuerant, confirmata; quae coram recitari petivit Hilmerus. Annuente rege ea recitata a Joanne [d] Schrogelo coram Joanne [e] Rotſelhauſeno et Joanne [f] Lewenſtenio, Heſſorum conſiliariis legationis ſociis. Summa haec erat: Magno cum ſuo dolore intellexiſſe principes ac civitates ante annum quoſdam adeo temerarios exſtitiſſe, ut pacem a rege Proteſtantibus populis in regno ſuo conceſſam, quam et ſolemni ſacramento ſanciverat, et peculiari nomine ſuam vocare conſueverat, ſumptis privata auctoritate armis turbarent; eoque audaciae veniſſe, ut etiam de publica regni adminiſtratione, atque adeo legitima ſucceſſione, quaeſtionem moverint; ac regem adigere voluerint, ut populis ad omnia dicto audientibus, ac proxima neceſſitudine ſecum conjunctis principibus, bellum indiceret. Augere dolorem, quod cum rex, eodem tempore miſſis ad praefectos regni literis, ſe pacificationis edictum ſervaturum recepiſſet, nihilominus poſtea mutaverit, interdicto omni alterius quam Romanae religionis uſu; eoque gravius id ſibi accidiſſe, quod edicto Octobri menſe ejuſdem anni promulgato, cujus exemplum in Germaniam Gaſpar Schombergius [g] Nantolii comes tranſmiſit, belli culpam in Proteſtanteis transferat, quos innocenteis ab hoc crimine ſciant, et taleis eos rex ipſe prius pronunciaverit. Nam ante bellum contra illos decretum, belli tam injuſte et alieno tempore ſuſcepti auctores publicis inſtrumentis perduelleis declaratos, interpoſita ſaepius regia fide de edictis in gratiam Proteſtantium promulgatis deinceps ſervandis: nunc, illorum edictorum cum his noviſſimis, temporum item quibus pacificationis edicta magno regni bono locum habuerunt, cum his per

quae

INTERPR. [a] *Poiſſy.* [b] *Hilmer de Helmſtadt.* [c] *les comtes de Montbeliard & d'Iſenburg.* [d] *Scrogheln.* [e] *Roltſhauſen.* [f] *Lewenſtein.* [g] *Nantueil.*

quae ſex annorum pax in bellum funeſtiſſimum verſa eſt, comparatione facta, mirari, quid emolumenti ex tam periculoſa mutatione ſperari poſſit: in eo regiam dignitatem, regni tranquillitatem, regium decus et exiſtimationem, verti, ne potius turbulentis hominibus aures praebere, quam fidem ſubditis ſuis ſervare, videatur. Nullum majus regis ornamentum, nullam pretioſiorem gemmam eſſe quam fidem; quam ſi amittat, una et regium decus amitti: ſic enim ſtatuere debere, nunquam ulli principi, ut cetera condonet Deus, violatae fidei crimen impunitum fuiſſe; nec excuſabile eſſe apud Deum, ſi quis prudens ſciensque innocenteis contra fidem datam vexandi cauſam praebuerit. Ea propter principes ac civitates, pro devota erga regem regnumque voluntate, magnopere ipſum hortari, ut, belli conſiliis omiſſis, cujus, quod Deus avertat, exitioſum ipſi regnoque exitum provideant, rationes pacis inter ſuos conſtituendae mature ineat, et miſerabilem Galliae ſtatum ante oculos ſibi ponat, qui bellis ardentibus nuper fuit, Carolo fratre rege, et ipſo nuper ad regnum legitima ſucceſſione vocato. Aſtu et inſtigatu pontificis haec fieri, cui ſolemne ſit, ut auctoritatem toti Chriſtiano orbi gravem alieno periculo ſanciat, ubique bella excitare, principes inter ſe committere, pacem publicam turbare. Pontificis autem et emiſſariorum ejus diverſa licet conſilia in eo convenire, ut regno periculum creent: nam alterum id ſpectare, ut eccleſiae Gallicanae libertatem, pro qua Franciae reges olim adverſus curiam Romanam tam fortiter depugnaverint, per diſſidia domeſtica labefactet; illos, ut, dum de regni adminiſtratione in melius ſcilicet inſtauranda ac ſucceſſione ipſa cogitant, regnum regnique legitimam ſucceſſionem prorſus evertant. Igitur potius amicorum principum pacem ſuadentium conſilia in bonam partem accipiat, quam pontificem ac ſeditioſos homines, nihil praeter incendia, vaſtitatem, caedeis ac bella civilia crepanteis, audiat. In id principes ac civitates, ſi quid conferre poſſint, ultro opes ſuas ac operam deferre: neque vero id ea mente facere, quaſi ſe regis rebus aut negotiis praeter ipſius voluntatem temere immiſcere velint. Hanc invidiam a ſe deprecari, qui illibatam principibus legitimis in ſuos populos libertatem relinqui publicae quietis intereſſe cenſeant: ſed hoc ſui officii eſſe duxiſſe, regem orare et hortari, ut pacem cum recta fidei ſervatae conſcientia ac ſuorum ſalute colere, et in violatores ejus animadvertere, quam adverſus ſuos, ad perditorum hominum libidinem, injuſtum bellum, cum famae diſpendio et certa pernicie, gerere, malit. Ad haec rex pro tempore commotus, tamen aliquo verborum temperamento reſpondit; Se, a Deo regem conſtitutum et Chriſtianiſſimi titulo ornatum, praecipuam ſemper Catholicae religionis curam habuiſſe, idque re potius quam verbis tota vita ſua demonſtraſſe: ceterum hoc velle, ut ſciant principes ac civitates, ſe, qui metum Numinis ſemper prae oculis habuerit, et decoris ac famae perſtudioſus fuerit, nullam procurandae inter ſuos pacis ac tranquillitatis occaſionem praetermiſiſſe; quippe qui melius ſciat, quid pro temporum varietate populo ſuo ac regno expediat, et ad quem ſolum pertineat de republica pro ſua prudentia ſtatuere, leges ferre, interpretari, mutare, antiquare: ita feciſſe ſemper ac deinceps facturum, omnemque operam daturum, ut, qua optima ratione poterit et expedire judicaverit, populos ſibi Chriſtianorum regum principi a Deo commiſſos regat, protegat, et in tranquillitate ac obſequio contineat. Hoc praefracto pro tempore reſponſo contentus legatos a ſe dimiſit; ac mox ſub veſperam, cum ad animum revocaſſet repetitam toties pacis ac fidei violatae exprobrationem, ira impotenti correptus, ad ſuperius reſponſum addi voluit, mentiri, qui ipſum edicti pacificatorii revocatione fidem infregiſſe, aut ullam decori ſuo labem aſperſiſſe, dixerit: et haec verba propria manu ſcripta ac breviculo incluſa ad legatos nocte jam

CIƆIƆLXXXVI. HENRICUS III.

concubia perferri per cubicularium, et coram recitari, juſſit, ſcripto poſt recitatione ſuppreſſo; cujus copiam cum dari peterent legati, reſponſum eſt, regem aliter juſſiſſe, ac velle, ut hoc pro ultimo reſponſo accipiant, nec exſpectent ut rurſus ad colloquium admittantur. Ita dimiſſi, non ſine aliqua contumeliae ſpecie, legati poſtridie de diſceſſu cogitare coeperunt; acceptoque viae duce, qui eos per regnum deduceret, nec petito amplius a rege commeatu, redierunt: quod, irritatis tam indigna ſuorum legatorum miſſione principibus, mittendi maturius auxilii cauſam praebuiſſe creditur.

II. At foederati, qui ex publico regis odio gratiam rebus ſuis apud plebem captabant, quanquam viderent regem, nihil regis Daniae, Helvetiorum, et principum Imperii tot honorificas de pace legationes moratum, etiam legatos horum male verbis acceptos nuper dimiſiſſe, tamen apud plebem per ſuos eum calumniari non deſinebant, quaſi palam Sectarios averſaretur, in occulto Navarro et ejus ſequacibus faveret. Ea de cauſa foederis principes [a] Orcani exeunte Septembri convenere, quod eſt coenobium Ciſtercienſis ordinis in agro [b] Noviodunenſi opimum, quod Carolus Borbonius cardinalis poſſidebat, et quo, ut et [c] Corbeienſi, in Guiſii gratiam, Ludovicum cardinalem Guiſii fratrem donaverat. Ibi querelae contra regem renovatae; odium adverſus Sectarios prae ſe ferre, ſed eorum ducibus in occulto bene velle; bellum adverſus ipſos ſuſcepiſſe, ſed ita, ut productum illud quam confectum malit: magnas copias eum alere, verum de induſtria tot locis diſtributas, ut neutiquam ad hoſtem debellandum pares ſint: enimvero id minime bonis et vere religioſis ferendum; et, quamprimum occaſio ſe dederit, non exſpectato ejus imperio, bellum ſtrenue gerendum: Sedanum et [d] Jametium oculis obverſari, loca in Campaniae limite poſita, belli tempore infeſta, in pace ſuſpecta, quae in poteſtatem redigi ad bellum, quod religionis cauſa ſuſceptum eſt, interſit; quippe auxiliareis exercitus Proteſtantibus a Germanis miſſos illac in regnum [α] invadere: quarum urbium cum reges Chriſtianiſſimi patrocinium ſuſceperint, quid abſurdius eſſe, quam peſtem, quae per totum regnum exagitetur, in iis foveri ac propagari? has belli arces quamprimum data occaſione petendas, Sectariis, qui in iis ſunt, aut receptum habent, ferro deletis, vel in extremam Germaniam procul relegatis. Ita diſceſſum, certo Guiſio, arma a rege negata, injuſſu ejus, cum commodum videretur, capere. Occaſionem circumſpicienti commodum accidit, ut [e] Rupes-regia, munitum in limite Campaniae oppidum, cujuſdam nobilis Sedano cum delectis profecti, inſcio [f] Bullionio, ſicuti poſtea affirmavit, aſtu interciperetur, ſtatione et [g] Camberio praefecto, qui ad ſtrepitum accurrerat, trucidatis. Id actum XIV Kalendas Decembreis. Ad famam facti [h] Dorixius ordinum ductor ex Jametiano praeſidio poſtridie profectus, cum in itinere didiciſſet, id inſcio Bullionio actum et factum dolere ipſi, ſubito Jametium reverſus eſt. Guiſius inde occaſione ſumpta copias Rupem-regiam admovet, multa de Bullionio per ſuos ad regem conqueſtus: non ſatis fuiſſe Sectariis Gallia exulantibus ad conſilia contra regnum ex tuto agitanda receptum dare, et auxiliaribus contra regem venientibus per ſuae ditionis fineis tranſitum praebere; ſed eo audaciae diſſimulatione regis veniſſe, ut etiam loca munita in limite per exules illos intercipienda curaverit, et Camberium minus dictis ſuis audientem hac ratione ultus ſit. Contra Bullionius factum excuſabat, rejecta in homines otioſos patria extorreis culpa, quos Guiſius ipſe, belli occaſionem quaerens, per interpoſitos homines ad id incitaverit. Interea Guiſius admotis copiis obſidionem urget; et,

VAR. LECT. [α] invadere, et alioqui peſtis Sectariae in iis officinam eſſe: quarum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Orcamp.* [b] *de Noyon.* [c] *Abbaye de Corbie.* [d] *Jametz.* [e] *Roc-roy.* [f] *le duc de Bouillon.* [g] *le Sr de Chambery.* [h] *le capitaine Dorix.*

et, ducto propius vallo, cum in eo eſſet ut vim faceret, obſeſſos ad conditiones adigit; quae hujuſmodi erant, ut Guiſio cum obſeſſis non ita male convenire multi ac rex ipſe ſibi perſuaderent: nam [a] Monmarinus, qui loco praeerat, cum regis nomine deditio imperata eſſet, primum recuſavit, et poſtremo locum non regi, ſed in Guiſii manus, nulla regis mentione facta, conſignavit, pridie natalis Dominici, accepta grandi pecunia, et ſingulis belli ductoribus, qui in praeſidio manere vellent, CIↃ aureis promiſſis, qui alio ire mallent IↃ. Melius ſibi conſuluere, qui, acceptis tantum IↃ aureis, Sedanum et Jametium ſe contulerunt; nam ceteri, paulo poſt praeſidio, ex ſuſpicione affectata, pulſi et bonis ſpoliati ſunt. Monmarinus, homo ſtolide ferox, cum inſolentiorem ſe juſto erga Guiſium geſſiſſet, dum aliquot poſt diebus [b] Muſonii pila luderet, rixa excitata, incumbentibus percuſſoribus, vitam cum pecunia omni, quam a Guiſio acceperat, amiſit. Hoc initium belli aperte cum Bullionio geſti fuit. Nam Guiſius, qui jam [c] Donzium teneret, [d] Raucuriam ditionis Bullionii oppidum occupavit, et inde Jametianis praeſidiariis in [e] Virodunenſem dioeceſim effuſis, inde Guiſianis ad Sedani uſque moenia hoſtiliter excurrentibus, ſub anni ſequentis initium in plebem ruſticam, nullo praeterea operae pretio facto, utrinque ſaevitum eſt.

III. ALIA et tunc regi moleſta acciderunt: nam, cum de conjuratione a Maria Scota captiva et ejus factioni in Anglia addictis inita allatum eſſet, ab Eliſabetha orator venit, ſententiam mortis in Mariam latam, et probationes, ut eam regi approbaret, afferens; quod legationis ad ipſam decernendae neceſſitatem impoſuit, de qua deinceps pluribus dicemus.

IV. EODEM tempore et captus eſt quidam furore contumaci percitus, qui ex levi cauſa per regnum, bacchanti ſimilis, diſcurrens, populos ad libertatem vocabat, et, quo ire non poterat, ſcripto ad ſeditionem compoſito fidem eorum ſolicitabat. Is fuit Franciſcus [f] Brito, honeſta familia [g] Pictavii natus, ſed quae alios pari inſaniae morbo laboranteis habuerat: qui, cum literis in pueritia, et poſtea juri civili, operam dediſſet, cauſis privatorum agendis aliquod nomen in ſenatu meruerat; ceterum tanto affectu atque animi impetu ferebatur, ut cauſas clientum, quod in judicibus vitioſum eſt, in patronis excuſabile, ſuas faceret. Itaque, cum quidam pauperculus cauſa, quam ille tuendam ſuſceperat, excidiſſet, in furialeis contentiones exarſit; et, cum lis in una claſſium inquiſitoriarum terminata eſſet, inſolentem contra judices querimoniam, ad majorem, quam vocant, cameram publice detulit: ubi increpito ejus errore ſatisfactum cum putarent judices, ille ſibi ſatisfactum minime putavit; eodemque impetu querimoniam ad regem detulit, ſed majore inſolentis audaciae ſpecie, quippe libello ad baculum affixo, quem ubique circumgeſtans, cum tanquam furioſus aditu a ſtipatoribus excluderetur, magna ſublata voce cauſam ubique pauperis deſeri inclamans, Deumque ultorem interminatus, tandem a rege benigne admiſſus ac monitus, domum relegatur, et abſtinere publico jubetur. Verum ille, eo magis exacerbatus, quaſi patriam peteret, in [h] Aquitaniam tendit, et [i] Burdigalam, ubi tunc aegrotabat [k] Meduanius, excurrit; petitaque audientia, quaſi de magnis rebus cum eo acturus, ad pauperis cauſam tuendam ipſum hortatur. Nec Meduanius omnino eum neglexit, non quod non eum inſanire animadverteret, ſed quod ad ciendam plebem hujuſmodi hominum ſubſidio opus eſſe intelligeret. Itaque aliquot aureis donatum hominem a ſe dimittit; qui inde Lutetiam revolat, et, quod voce ubique per urbes

et

INTERPR. [a] *le capitaine Monmarin.* [b] *Mouſon.* [c] *Donzy.* [d] *Raucour.* [e] *Eveſché de Verdun.* [f] *le Breton.* [g] *Poictiers.* [h] *Guienne.* [i] *Bourdeaux.* [k] *le duc de Mayenne.*

CIↃ IↃ LXXXVI. HENRICUS III.

et oppida tranſiens fecerat, ſcripto facere molitur; ſtricto in magiſtratus ſtylo, eoſque improbitatis amare inſimulans, qui regi ſoluto ac tyranno, haec ejus verba erant, morigerantes, ad potentiorum libidinem tenuiores ac pauperes jure ſuo everti patiebantur. Scriptum typis mandari coeptum, ſed, re evulgata antequam abſolutum eſſet, mox exemplaria diligenter conquiſita, a praetore Pariſienſi Joanne [a] Seguierio ſuppreſſa ſunt. Brito, ſubinde hoſpitia mutans, tandem captus et in Baſtiliam primo conjectus eſt. Rex a factioſis ſubornatum, neque a propria inſania incitatum, rebatur; ideoque, antequam cauſa ad judices remitteretur, id ex reo per interrogationes ſecretas expiſcari volebat. Cum nihil proficeretur, ex conſilio eorum qui circa ipſum erant, reus ad ſenatum remittitur; ubi, inſanire hactenus creditus, majora inſaniae ſpecimina dedit, cum in jure neque caput aperiret, neque ad interrogata reſponderet. Itaque tanquam contumax, plebis vocibus ſeditioſis et ſparſis libellis ad defectionem ſolicitatae convictus, ab ampliſſimo ordine ad mortem damnatur; ſeorſimque decretum, ut rex adiretur, rogareturque, ut homini inſano, criminis, fato potius quam conſilio imputandi, gratiam pro ſua clementia faceret. Sed, quantumvis miſera parens pro filio tanquam inſano intercederet, et inſaniae ejus teſtimonia conſignatis tabulis proferret, nihil impetratum; praepoſtera conſiliariorum ejus prudentia, qui, ſeu metu, ſeu quia obnoxii, cum ad quotidianas magnatum machinationes turpiſſime conniverent, de vili capite, cujus ultor non metuebatur, ſumi ſupplicium ad exemplum pertinere exiſtimabant; nec reputabant, eo magis odium plebis atque adeo contemptum augeri, majoreſque animos potentibus factionum ducibus inde fieri; qui, perſpecta ex eo regis ac conſiliariorum ejus puſillanimitate, cruces miſeris poſitas, magna ſcelera ſibi impunita fore, perſuadebant. Itaque reus ad ſupplicium productus; et, majore rurſus imprudentia, prodito metu ne a plebe furente ſupplicio ſubduceretur, in ipſa palatii, in quo jus dicitur, area patibulo ſuſpenſus eſt, libello a carnifice exuſto, ejuſque exemplaribus. [b] Joannes Carroius et Aegidius Martinus, qui libellum typis mandaverant, fune ad collum alligato virgis caeſi, et extra regnum deportati. Id actum x Kalendas Decembreis.

V. NEC interim toto eo anno in Delfinatu et Provincia ceſſatum eſt. Franciſcus [c] Bona Diguierius contracto exercitu [d] Fanum Gelaſiae ducit, et III admotis tormentis quatit, XVII Kalendas Maias; diſploſiſque circiter CC tormentorum ictibus vim facit: ſed, cum idonea non eſſet ruina, oppugnatores in ruinae imo ſtationem eo die habuerunt, conſtitutumque ut die inſequenti pulſatio redintegraretur; qua non expectata, ſummo mane obſeſſi locum honorificis conditionibus dedunt. Ad hujus ſucceſſus famam, quatriduo poſt [e] Mirabelli oppidani, haud longe a [f] Nionio, claveis ad Diguierium, non exſpectato ejus adventu, attulerunt. Sub id Nicol. [g] Maſſa Caſtellanus, Alemanii, quod caſtrum eſt in [h] Aquenſi dioeceſi, regulus, ex Provinciae nobilitate primaria, Proteſtantium doctrinae addictus, ad Diguierium venit; et Alemanio ut ſuppetias ferre velit, quod Joannes [i] Garda Vincius, ſolertia et ſciſſa factionibus Provincia toto illo tractu formidabilis, jam totos XX amplius dies cum [1] CIↃ CCCC, et aliquot equitibus, obſeſſum tenebat, multum rogavit. Obſeſſi gnaviter ſe defendebant; quibus Caſtellani uxor, quae in arce erat, foemina virilis animi, praeſentia ſua animos faciebat. Dedito Gelaſiae Fano et Mirabello, Diguierius eo Caſtellani rogatu tendit cum delecto equitatu, quem [k] Turrius Gubernetus, Abelus [l] Berengarius Morgius, et Roſſetus ex Delfinatu, ex Provinciali

INTERPR. [a] *Seguier lieutenant civil.* [b] *Jean du Carroy, & Gilles Martin.* [c] *de Bonne, Sr de Leſdiguieres.* [d] *Ste Jalle.* [e] *Mirebel.* [f] *Nions.* [g] *du Mas Caſtelane Sr d'Alemagne.* [h] *d'Aix.* [i] *la Garde Sr de Vins.* [k] *la Tour Gouvernet.* [l] *Berenger Sr de Morges, & Roſſet.*

NOT. [1] CIↃ CCCC *ſupple* peditibus.

Provinciali nobilitate Caſtellanus ipſe, [a] Cacheretus, Genſonus, et Senas, ducebant. Nuſquam minore certamine tanta ſtrages edita: nam, cum praecurſores ex improviſo in Vincianos impetum feciſſent, illi, primis ordinibus ſolutis, et retro in ſuos, incumbente Diguierio, revolutis, ipſi inter ſe permiſti ſibi mutuis occurſibus perniciem attulerunt: perierunt ad CIↃCC. Vincius inopinato caſu ſtupefactus, cum fugam ſuorum ſiſtere non poſſet, mature [b] Regium, haud hinc longe, ſe recepit, deſideratis in eo numero fere C ex nobilitate ac praecipuis ductoribus, ac in iis [c] Vertio equite Vapincenſi, Sancolumbano Clareti fratre, Caſtellano Ampuſio, Mota juniore, Ventabreno, Gallio, Robino Fontenillio, Auruchio, Caſtellofortio, Garello juniore, Valaurio, Baraterii fratre; ac praeter eos [d] Mareno, Lamanone, Revorio, Cornelio, Triboleto, Briſſonio, ordinum ductoribus. In poteſtatem Diguierii venere [e] Morierius eques, Caſtellorodonius, Caſtellonovius, Hanſſius, qui emota mente aliquot poſt diebus obiit, [f] Sangeneſius junior, Rebeſſantus ex nobilitate, [g] Picaltus et ejus frater, nobiles ordinum ductores. Proelio interfuit ſine armis Sofredus [h] Caligno, Diguierii conſiliorum fere ſocius, et mihi ob pueritiae ſtudiorum conjunctionem amiciſſimus; qui, circumſtantibus equitibus cum pleriſque et vitam ſalvam petentibus, perurbane more ſuo mirari ſe dixit, quomodo vitam a ſe peterent, quam inermis illis eripere non poſſet. Id incidit in Nonas Septembreis. Tantam victoriam unius Caſtellani Alemanii, cujus cauſa ſuſcepta expeditio fuerat, in eo conflictu deſiderati mors funeſtam fecit, et quominus aut Diguierius ipſe, aut Alemanii uxor, ob ſolutam obſidionem, quam tanta generoſitate ſuſtinuerat, ſolido gaudio frueretur, impedimento fuit. Sed quantum animi in ſuſtinenda obſidione, tantum conſtantiae in viri morte, prae ſe tulit; ſolatioque non ſibi tantum, ſed ipſis qui eam ſolaturi venerant, atque ipſi Diguierio, fuit.

VI. JAM [i] Eſpernonius in [k] Provinciam venerat, cujus praefecturam Engoliſmenſis morte adeptus delectum exercitum ſecum in eam adduxerat; in quo, numeratis Bernardi [l] Valetae fratris, quas jam praemiſſas penes ſe habebat, copiis, erant III CIↃ Helvetiorum, VII legiones; praetoria, quam Ludovicus [m] Bertonus Grillonius ducebat; [n] Picarda, Campana, Pedemontana, ac tres aliae, quas Andreas [o] Borbonius Rubenpratus, Joachimus [p] Berengavilla, et Paſſagius, ducebant; V Corſorum ſigna, XX equitum [q] cataphractorum alae, XVIII levis armaturae; praeterea XIV tormenta omni apparatu bellico inſtructa. Diguierius [r] Caturigum civitatem, in Delfinatus et Provinciae confinibus, anno ſuperiore a ſe vi captam, poſt [s] Alemanienſem ſtragem venerat, ut res in ea ad ſuſtinendam obſidionem, quam a regiis deſignari intellexerat, ordinaret: quibus conſtitutis mature inde diſceſſit, haud quaquam opinione ſua falſus; nam poſt ejus diſceſſum Kalendis Novembribus civitas corona cincta fuit. Eodemque tempore ad Senam, cognomento vulgari [t] Magnam Turrem, admotae copiae; quae poſt aliquot dierum moram arbitrio Eſpernonii dedita eſt Nonis Novembribus. Grillonius et Dominicus [v] Vicus, qui nuper ex [w] Aquitania venerat, vulnerati; ſed graviſſime in ſura dextri cruris Vicus: quo ex vulnere cum diu decubuiſſet, crure ita ex eo debilitato, ut ad munia militaria inutilis redderetur, tandem a conſtantia ſua conſilium cepit; et, cum

INTERPR. [a] *Cacheret, de Genſon, & de Senas.* [b] *Riez.* [c] *le chevalier Vert de Gap, la Colombe frere de Claret, Caſtellane Sr d'Ampus, le jeune la Motte, de Ventabren, du Gau, la Robine dit Fontenille, Aurouche, Chateaufort, le cadet des Garreaux, le Sr de Valaure, & le frere de Baratier.* [d] *les capitaines Marene, Lamanon, Revoire, Corneille, Trivolet, & Briſſon.* [e] *le chevalier de Moriers, les ſieurs de Chaſteau-Rodon, Chaſteauneuf, & Hans.* [f] *le cadet de S. Geneſt, & le Sr du Rebeſſants.* [g] *le capitaine Pichalle.* [h] *de Calignon.* [i] *le duc d'Eſpernon.* [k] *Provence.* [l] *de la Valette.* [m] *Berton Sr de Crillon.* [n] *regiments de Picardie, Champagne, & Piedmont.* [o] *de Bourbon de Rubenpré.* [p] *Berengueville, & du Paſſage.* [q] *Gens-d'armes.* [r] *Chorges.* [s] *de Alemagne.* [t] *la grande Tour de Seignes.* [v] *de Vic.* [w] *Guienne.*

CIϽ IϽ LXXXVI. HENRICUS III.

cum his animis continuo mori, quam iners deſidere tota vita, mallet, ingraveſcente horum bellorum tempeſtate, crus ſibi generoſe praecidi juſſit, magno ſuo ac reipublicae bono, quippe multis egregie poſtea ab eo geſtis, quae maximam de tanti viri virtute ac fide ſpem jam tum conceptam longo intervallo ſuperarunt. Severe in captos ab Eſpernonio vindicatum, an ex ea cauſa incertum: nam, cum ita arbitrio victoris ſe permiſiſſent oppidani, ut vita ſalva ac bona iis manerent, nihilominus [a] Combus loci paſtor, Mercius cauſarum patronus, et Arnoldus, et poſt deditos Caturiges [b] Bagaretus et Eugenius ordinum ductores, laqueo vitam finierunt. Sena capta triduo poſt ad [c] Brealtam arcem admota tormenta; et, diſploſis circiter IϽ LXIV ictibus, cum ſpatium ad vim faciendam interpoſitum eſſet, III Eidus ejuſdem menſis obſeſſi colloquium poſcunt; et poſtridie arx deditur his conditionibus, ut praeſidiarii, traditis Eſpernonio ſignis nec non ſcloppetis, (id ad ſpeciem actum, nam, ut mox reſtituerentur, in arcano convenerat) vita et rebus ſalvis dimitterentur. Demum XV Kalend. Decembr. [d] Druentiae amnem Bernardus Valeta et Eſpernonius tranſmittunt, et biduo poſt ad Caturigum civitatem ambo conveniunt; et, quanquam arcte cincto loco, [e] Charancius junior biduo poſt cum CXX delectis ſcloppetariis a Diguierio auxilio obſeſſis miſſus, perruptis ſtationibus intra oppidum accipitur. Diſploſis initio ad periclitandos obſeſſorum animos, an de deditione agere vellent, aliquot tormentorum ictibus, demum verberatio redintegratur, et IX Kal. Decembr. mille circiter ictibus pulſantur muri; quibus latus propugnaculi [f] Saracenici ſolo aequatum fuit, et acies [g] Sanjoanni retuſae: mox et eruptio ab obſeſſis facta, paucis ex regiis deſideratis. Ab eo tempore, quod hyems ingraveſceret, res ultro citroque commeando tranſactae, intermiſſa veluti violenta oppugnatione: et; cum, ſpecie [h] Bricomotii viſendi, [i] Cadillanus, Charmontius, et Buatus [k] Ebrodunum, ubi Diguierius erat, veniſſent, injecta de conditionibus mentio, ſed nullo tunc exitu. Poſtea Bricomotius fide accepta in Eſpernonii caſtra venit, ſpecie ut literas ad Sabaudiae ducem afferret, apud quem frater ipſius [l] Auguſtae Taurinorum captivus attinebatur, re vera ut de conditionibus ageret: tandemque interventu Buati, Joannis [m] Bellogardii Thermi Eſpernonii avunculi, et [n] Tageani, qui ob id Ebrodunum venerant, convenit. Hae conditiones dictae: Obſeſſi, tam praeſidiarii quam alii, cum armis, tormentis, equis, impedimentis, commeatu ac bellico apparatu, exeant, ceterum funibus extinctis, complicatis ſignis, et tympanis ſilentibus; munitiones deſtruantur; urbe ab incendio, direptione, et privatarum aedium demolitione, ſalva; liceat oppidanis, qui volent, in ea cum ſecuritate ac plena bonorum poſſeſſione manere, modo juxta regis edicta vitam inſtituant. Eodem tempore a Diguierio induciae cum [o] Comitatenſibus Provincialibus prorogatae, rogatu et interventu Henrici [p] Momorantii Septimaniae praeſidis; qui, ut priſtinam gratiam et auctoritatem apud pontificem et in aula Romana tueretur, ſummam ſemper de [q] Venaſcinenſi principatu ſolicitudinem prae ſe tulit. Quibus actis Eſpernonius in aulam revolat, ubi omnia ex eventu colloquii a regina parente cum Navarro inſtituti ſuſpenſa erant; quippe certo auxiliaris Germanici exercitus in proximum annum adventu.

VII. REGINA [r] Pictavium venerat magno comitatu cum Franciſco [s] Borbonio Monpenſerio, Catharina Borbonia nobiliſſimi in Sueſſionibus [t] coenobii antiſtita Navarri amita, Ludovico Gonzaga [v] Nivernii duce, Birono, Lanſaco, Nicolao Angenneo

INTERPR. [a] *la Combe miniſtre, Merche avocat, & le capitaine Arnauld.* [b] *les capitaines Bougearel & Eugent.* [c] *Chaſteau de la Breole.* [d] *la Durance.* [e] *le cadet de Charance.* [f] *le baſtion Sarrazin.* [g] *les pointes du baſtion de S. Jean emportées.* [h] *de Briquemaut.* [i] *de Cadillan, de Charmont, & de Buat.* [k] *Embrun.* [l] *Turin.* [m] *de Bellegarde Sr de Thermes, frere du mareſchal de Bellegarde.* [n] *de Tagean.* [o] *ceux du Comtat.* [p] *de Montmorency mareſchal de Damville, gouverneur de Languedoc.* [q] *Comtat Venaiſſin.* [r] *Poictiers.* [s] *de Bourbon duc de Monpenſier.* [t] *Abbeſſe de Soiſſons.* [v] *Nevers.*

[a] Angenneo Ramboliecto, qui a foederatorum partibus alieni credebantur, aliis proceribus. *Hinc inde* commeante Jo. Baptiſta [b] Vadagnio, cum Navarrus [c] Jarnacium III Eid. Decembr. veniſſet, biduo poſt regina ad [d] Brixii-fanum, haud longe a [e] Cognaco in Engoliſmenſi agro, cum ipſo collocuta eſt. Ibi a querimoniis et exprobrationibus utrinque principium factum; dum illa pertinaciam et inflexibilem ad ſalutaria conſilia mentem Navarro objicit, funeſtique et inevitabilis belli neceſſitatem inde regi a foederatis impoſitam dicit; hic fidem ſuam ac patientiam, quae conjuratis animos fecerit, contra regerit, et regem non neceſſitate adactum, ſed male conſultum, in hoc bellum conſenſiſſe, et edicta pacificatoria revocaſſe, contendit. Haec primo et altero colloquio, non ſine acerbitate verborum, inter eos agitata. Dein, cum regina [f] Turenio ad ſe officioſe ventitanti inſinuaſſet, non aliam videre ſe pacis rationem, quam ſi Navarrus ad ſacra majorum redeat, mandaſſetque id ut Navarro renunciaret: hoc a Navarro intellecto, nihilominus ad tertium colloquium ventum; in quo a conditione propoſita Navarrus ſe excuſavit, idque non ſolum regi regnoque detrimento, ſed ſibi dedecori, fore multis verbis oſtendit. Et, cum regina coram inducias in annum pangi expeditum videri diceret, quo tempore ſuſpenſa religionis Proteſtantium libertate, regni comitia indicerentur, et pacificationis ineundae ex eorum ſententia ratio iniretur; Navarrus huic ſententiae accedere ſe ac ſuos non poſſe reſpondit; quippe religionis negotium non aliter quam in libero et legitimo concilio, quod ſemper expetiverit, agitari poſſe, ab eoque principium ducendum eſſe: in comitiis nullam ſpem repoſitam, in quibus, ſi ex [g] Bloeſenſium exemplo ſapere et horum conjecturam facere liceat, potius prenſatis a conjuratis delegatorum ſuffragiis vim regis voluntati allatum iri, quam de pacis rationibus ineundae ſincere actum iri, appareat: ſi de concilio aſſentiatur, inducias ſe paratum facere, per quas, acceptis a rege diplomatis, ad legatos provinciarum ſit miſſurus, et illi ad mandata venturi ſint; nam his inconſultis quidquam decernere nec poſſe nec velle. Cum conveniri inter eos non poſſet, pactae in VIII Eidus Januarii proximi induciae, interventu Franciſci [h] Rupifulcaudii Monguidonii, et Jacobi [i] Nonparis Caumontii Forcaei. Interim, dum Ramboliectus ad regem excurreret, et, expoſito quid in colloquio huc uſque actum eſſet, novas conditiones ab eo afferret, inde regina [k] Fontenaium ac Niortium conceſſit; Navarrus Rupellam redit: nec, creſcentibus utrinque ſuſpicionibus, colloquium poſtea repeti potuit. Miſſus poſtremo ad reginam Turenius, qui florenteis Navarri res extolleret, adverſariorum ſeu Guiſianorum contra deprimeret; eos priſtinae famae ac exiſtimationis ultimo hoc bello extremam jacturam feciſſe; in Hiſpano nihil praeſidii ſupereſſe, quippe bello Belgico occupatis ejus viribus; ſolam in conjurationibus ac fallaciis, et urbium per ſeditioſos defectionibus, ſpem repoſitam: Navarrum quidem loca aliqua infirma amiſiſſe, ſed decuplo plura hujus belli occaſione cepiſſe ac muniviſſe; ad haec, maximo longe exercitu propediem venturo ſubnixum, parum de regni hoſtium potentia ſolicitum eſſe; praeſertim cum animo reputet, ſe cum adeo exiguis ubique viribus V exercituum recentium eodem tempore contra ſe inſtructorum conatus irritos reddidiſſe. Heic interfatus Nivernius cum Turenium rogaret, an Navarrus ita fidem Germanis obligaſſet, ut ei cum rege de pace agere integrum non eſſet; ille magna aſſeveratione retulit, integra omnia Navarro conſtare, et, ſi rex velit jubeatque, fidem obligaturum Navarrum, Germanos auxiliaria arma contra juratos regni

INTERPR. [a] *d'Angennes, Sr de Rambouillet.* [b] *l'Abbé de Guadagne.* [c] *Jarnac.* [d] *S. Bris.* [e] *Cognac en Angoulmois.* [f] *le vicomte de Turenne.* [g] *Eſtats de Blois.* [h] *de la Rochefoucaud, Sr de Montguyon.* [i] *Nompar de Caumont, Sr de la Force.* [k] *Fontenay & Niort.*

CIƆ IƆ LXXXVI.
HENRICUS III.

regni hoſteis ac publicae pacis violatores ipſius auſpiciis verſuros. Ita diſſolutum nullo exitu colloquium. Regina propere domum a rege revocata, ob ſiniſtros de novis conjurationibus, ſub adventum ad urbem Meduanii, rumores ſparſos, de quibus poſtea dicemus. Navarrus, qui ex colloquii fama vereretur ne in ſuorum ſuſpicionem veniret, aut illi intra regnum propterea in communi cauſa remiſſius agerent; extra regnum vero ſparſa induciarum fama, Germani, natura cunctatores, tardiores in expediendis auxiliis eſſent; ſtatim Rupella fidos per regni provincias mittit, cum literis fiduciariis et mandatis, quibus rationem induciarum reddebat, et quid cum regina actum eſſet explicabat, hortabaturque, ut in priſtina conſtantia perſeverarent; nihil ſe illis inconſultis quippe facturum, nec de conditionibus pacis acturum, niſi univerſis regni provinciis, tam citra quam ultra Ligerim, in ea comprehenſis. Miſſi et in Germaniam qui auxiliarem exercitum urgerent, et induciarum paſſim inter Helvetios et Germanos famam volitantem, colloquii eventu demonſtrato, ſiſterent.

VIII. Hoc anno ingens et maxime omnium, quae multae in Anglia inceptae ſunt, memorabilis conjuratio detecta eſt, quae, contra Eliſabetham reginam inita, in miſerabile Mariae Scotorum reginae captivae exitium deſiit. Ea jam ab infantia variis fortunae caſibus jactata, intra ſextum, quam nata erat, diem orba, inde matris lectiſſimae foeminae cura educata, paulo poſt quaſi ab ejus et patriae amplexibus rapta, et in exteras regiones, licet ad ampliſſimam fortunam, abducta fuerat, oſtentato magis quam exhibito pleno gaudio; quippe quae illuſtri Franciſci II matrimonio aucta, mox extinctis matre ac viro, veluti ſaevientis fortunae aeſtu reſorbente, in luctuoſam orbitatem rejecta eſt. Inde in patriam reducem alii atque alii motus excepere, donec Henrico [a] Stuarto Darlaeo nupſit, ob aetatis et formae praeſtantiam viro ſibi delecto; quem ſubito faſtidire [α] coepit, Davidis cujuſdam [b] Rizii, ſicuti jactabatur, initio inſtigatu, hominis ſuperbi; quem rex, ſuſpicione clam concepta, per amicos e nobilitate ſibi foederatos occidi juſſit. Sed, cum poſtea blanditiis uxoris ſeu minis incautum juvenem poenitentia ſubiiſſet, ultio de Davidis caede contra percuſſores inſtituta in ipſum vertit; qui in lecto ſtrangulatus, et in hortos proximos tranſlatus eſt, pulvere nitrato, quo ignem concipiente tota domus everſa eſt, conclavi a conjuratis ſubjecto. Poſtea Jacobo [c] Hepburno Bothuelio comiti [β] nupſit, cum idem caedis regiae eodem tempore poſtulatus eſſet, et aliam uxorem in matrimonio haberet, cum qua divortium facere coactus [γ] eſt. Id raptoris audacia nequicquam pro tempore excuſatum: nam, mox ſeditione in regno exorta, Bothuelius ad [d] Orcadas nunquam rediturus profugit; ipſa in carcerem contumelioſe conjicitur: ex quo elapſa, poſt adverſam pugnam, profugo ad Orcadas Bothuelio, in Angliam poſtremo confugit; [δ] anxia pro tempore Eliſabetha, quae, exemplum verita, cognatae reginae commiſeratione initio tangi, et, cum eam Scoti proceres paricidii accuſarent, patrocinari ejus cauſae, videbatur. Inter haec Thomae [e] Howardi Norfolciae ducis conjuratio detecta, quae arctiore cuſtodia ſervandae Mariae cauſa ſuſpicaci Eliſabethae exſtitit. Ab eo tempore aliae atque aliae machinationes ad eam liberandam initae ac detectae ſunt; ac, per gradus audacia inſidiatorum creſcente, in ipſius Eliſabethae caput conjuratum fuit, conſilio ea de re extra Angliam, atque adeo periculum, in Italia et Gallia

VAR. LECT. [α] coepit, Davide quodam Rizio a citharoedica ad arcana imperii inſolito favore provecto, quem rex, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] nupſit, ſcelere majore an impudentia incertum, quippe cum idem *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[γ] eſt: auxit impudentiam quod rem ſimulato raptu excuſari potuiſſe creditum eſt. Itaque, ſeditione in regno *MS. Samm.*

[δ] anxia tunc maxime Eliſabetha, *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Stuart lord Darnley.* [b] *Rizzio.* [c] *Hepburn comte de Bothwell.* [d] *Iſles d'Orkney.* [e] *Howard.*

Gallia ab amicis et cognatione Mariae conjunctis capto, ut, occiſa Eliſabetha, regnum in Mariam transferretur, et eadem opera majorum religio reſtitueretur. Verum, cum ſuperiores conſpirationes, quantum ad Mariam, fuiſſent impunitae, haec ultima gravitate poenae tarditatem penſavit. Poſt Gul. [a] Parrii ſupplicium, iiſdem, qui facinus prius ſuaſerant, inſtigantibus, Antonius [b] Babingtonus, adoleſcens et nobilitate clarus et forma ac ingenio praeſtans, idem facinus patrandum ſuſcepit; ſeriemque et ordinem rei ita componit, ut, occiſa Eliſabetha, eodem tempore Maria carcere ab hominibus ad id ordinatis educeretur, et ad exercitum, e majorum religioni addictis ad occidentalem provinciam in occulto conflatum, ſtatim deduceretur, ibique Angliae regina ſalutaretur; et, ne quod impedimentum ejus inaugurationi afferri poſſet, copiae Gallorum et Hiſpanorum ex continenti ſub id in inſulam tranſportatae comparerent. Ea de re cum Bernardino Mendoza, Philippi apud reginam tunc oratore, actum fuerat; cui et in eam rem [α] ſcripſiſſe dicebatur Maria; quoque majores ſtimulos homini adderet, etiam ſpem fecerat, niſi filius ipſius, qui nunc Scotorum regnum tenet, quod vix ſperare poſſit, ad majorum ſacra redeat, fore, ut utriuſque regni jus, ad ſe legitimo jure devolutum, in Philippum, ut verum et unicum ac praepotentem Catholicae religionis propugnatorem, teſtamento condito transferret. [c] Pagetus e primaria nobilitate, ob religionem profugus, ob id in Hiſpaniam miſſus; et Carolus ejus frater, Guiſianorum opera, negotium in Gallia urgebat. Compoſito rei ordine [d] [1] Ballardus e ſodalitio Jeſuitico ſacerdos e Gallia in Angliam venit, et Babingtonum cunctantem incendit; id non ſolum juſtum ſanctumque, ſed etiam ipſi honorificum et utile, ſi periculum vinceret, fore oſtendens: quid enim juſtius ſanctiuſve, quam vitae periculo religionis cauſam, ſine qua vita nihil aeſtimari debet, ac patriam tueri? Eliſabetham jamdudum extra eccleſiae commercium a legitimo Petri ſucceſſore poſitam; ab eo tempore in Anglia non regnare, ſed, uſurpata contra leges potentia, immanem adverſus veros Dei cultores tyrannidem exercere; quam qui occiderit, perinde facturum atque qui profanum ethnicum et diris execrabile caput occiderit: in Deum et homines aeque peccati immunem fore eum, imo inſigni corona dignum; et facinori ſuperſtitem proculdubio maximum praemium manere. Praemii nomine cum haud ita obſcure matrimonium Mariae ipſius intelligere ſe oſtenderet, feroci juveni, jam currenti, immane quantos animos ad facinus audendum fecit; qui rem cum [e] Salisburio, [f] Savagio, qui Parmenſi militaverat, [g] Tichburno, [h] Tilneio, Babingtono gentili ſuo, et [i] [2] Barnwello Batavo juriſconſulto, ſibi fidis, communicavit: et, jam in regno et extra regnum rebus conſtitutis, rei patrandae diem ad IX Kal. Septembr. conjuratis condixit, qui B. Bartholomaeo feſtus eſt, et Pariſienſi laniena ante XIV annos memorabilis, ob idque ab iis delectus: ſed, re prius detecta, ipſi Antonius et Ballardus, ac ii quos dixi, aliique praeterea conſcii, comprehenſi ſunt; qui ſeorſim interrogati, ac poſt confeſſiones inter ſe commiſſi, atque ex epiſtolis interceptis poſtremo convicti, in eo conveniebant, ut Mariam [β] facti non ignaram, atque ejus cauſa conjurationem ſuſceptam ad Eliſabetham e medio tollendam, dicerent.

IX. ITAQUE juſſu reginae miſſi in arcem Fotheringhaiam, in qua Maria attinebatur, XXXVI viri a comitiis delegati, cum aliis reginae ipſius conſiliariis numero XLVII, inter quos fuere nonnulli majorum religioni addicti, qui coram accuſatoribus

VAR. LECT. [α] ſcripſerat Maria; *MS. Put.* [β] facti conſciam et inſtigatricem, atque ejus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Parry.* [b] *Babington.* [c] *le lord Paget.* [d] *Ballard.* [e] *Salisbury.* [f] *Savage.* [g] *Tichburn.* [h] *Tilney.* [i] *Barnwell.*

NOT. [1] *lege* Ballardus e Rhemenſi ſeminario ſacerdos *Camd.* [2] *lege* Barnwello ex nobili Hiberniae familia juriſconſulto, *Camd.*

accuſatoribus ream examinarent. Poſt excuſationes, fori proſcriptiones, ac juris exceptiones, tandem Maria magno comitatu in arcis aula comparuit. Poſtquam in ſolio ſedit, cancellarius, explicata conventus, et cur miſſi eſſent, cauſa, reginam multa hactenus pro clementia ſua ac prudentia diſſimulaſſe dicit, quae ulterius ferre non poſſit, ne fruſtra gladium a Deo acceptum geſtare videatur; neque tamen id tam ſua cauſa facere, nam ſibi vitam tanti non eſſe, quam ut religioni ac publicae tranquillitati, cujus praecipua ſemper apud bonos principes cauſa fuit, conſulat. Ad haec paulum ſubirato vultu Maria cum reſpondiſſet, ſe reginam liberam natam, nec proinde ullius poteſtati ac juriſdictioni ſubjectam, atque adeo ſoli Deo vitae ſuae rationem reddere teneri; proteſtationem ſuam ſolemni more factam in acta referri poſtulat, ne comparitio ſua ſibi aliiſve regibus, principibus, ac foederatis, aut ipſi regi filio, aliquando in praejudicium verteret: tum ad objecta reſpondet; et, cum literas a [a] Throcmortono, Franciſco Engelfeldo, Pageto regulo, et Carolo ejus fratre, acceptas cognoviſſet, multa contra objicit; et, Deum averſum comprecata ſi minus vera dicat, magna conſtantia aſſeverat, nunquam ſe reginae Anglorum dilectae ſororis vitae inſidiatam eſſe: ut libertatem recuperaret, multa feciſſe ac ſcripſiſſe, et Catholicis liberandis ſedulam operam dediſſe, ac nunc operam dare, ut vel ſanguinis ſui pretio in libertatem aſſerantur. Quibus magno lachrimarum imbre profuſo dictis, Gulielmus [b] Cecilius magnus regni quaeſtor, qui aderat, interfatur, et Jacobi [c] Navii Pariſienſis ac Gilberti [d] Curli, qui ipſi erant a ſecretis epiſtolis, chirographa profert; quae cum illa minime negaſſet, prolatis poſtea Antonii Babingtoni literis, ſumma pertinacia Babingtonum ſe noſſe pernegavit: injectaque mox comitis [e] Arundeliae, ducis [f] Norfolcii ante XIV annos ſupplicio affecti filii, mentione, rurſus ubertim flevit; et, in ejulatus tandem prolapſa, illuſtris familiae vicem ſe dolere dixit, quae tam dura ſui cauſa pati cogeretur. Poſtridie repetita actio; et illa rurſus proteſtatur, ſe, quicquid fecerit, Catholicorum in Anglia liberandorum cauſa feciſſe, potiuſque ſemper duxiſſe Eſterae exemplum quam Judithae imitari; hoc eſt, pro populo orare, quam magiſtratum de medio tollere, apud animum ſuum conſtituiſſe; quin etiam, oblatis rege filio et ducis Guiſii filiis obſidibus, ſaepius petiiſſe, ut libertati reſtitueretur, fide data, ut totis animi viribus eniteretur, quo ſeditiones ac motus in hoc regno ſedarentur. Ad haec Cecilius, vera quidem eſſe quae dicat, ſicque reginae placuiſſe; ſed Scotiae ordines nunquam de rege in Angliam mittendo aſſentiri voluiſſe.

X. HAEC inter contentiones ac complorationes tranſacta, prenſatis inſuper ſeorſum a Maria quibuſdam ex delegatis ac conſiliariis; quae omnia cum in acta relata eſſent, conventus diſſolvitur, et delegati Londinum redeunt; et, poſt relationem cauſa in comitiis regni agitata, [1] delegati, qui ex ſacro, nobilium, et plebeio ordine ad CCCC convenerant, poſt longam ac maturam deliberationem, Mariam tanquam perduellionis ream morte dignam pronunciant, ſuppliciterque apud reginam inſtant, ut confirmationem, promulgationem, et executionem ſententiae fieri mandet, ſeque ac patriam ſervatum eat: nullam in Maria poenitentiae ſpem ſupereſſe, quae, quamdiu vivet, novam conjurationibus materiam praebitura, majoreſque

INTERPR. [a] *Throckmorton, le chevalier François Englefield, & le lord Paget.* [b] *Cecil, baron de Burghley.* [c] *Nawe.* [d] *Curle.* [e] *Arundel.* [f] *de Norfolk.*

NOT. [1] Epiſcopi ſoli ex ſacro ordine regni comitiis interſunt, non tanquam delegati ſed ſuo jure aſſeſſores. Ii cum temporalibus, quos vocant, paribus, ducum, marchionum, comitum, vicecomitum et baronum titulis varie inſignitis, ſuperiorem parliamenti cameram conſtituunt; nec in his quiſquam delegatus. Inferior quidem ex comitatuum ſive provinciarum, civitatum, et burgorum delegatis conſtat: quorum, licet hodie ad multo majorem numerum multiplicati ſint, non plures quam CCCC regnante Eliſabetha recenſiti ſunt. Sententia contra Mariam tanquam perduellionis ream a reginae delegatis VIII Kal. Nov. fuit pronunciata; ab utraque camera in parliamento, hoc eſt, regni comitiis, denuo deliberata, approbata, rataque habita.

majoreſque conjuratis animos ſemper ſit factura: alioqui crudelem miſericordiam eſſe, [α] ſi toties extrema cuncta promeritae fiat gratia. Cum nullum a regina reſponſum pro tempore ferrent, eam denuo adeunt, et flexis in terram genibus orant, ut ſui ſuorumque rationem habere vellet, neque, juris executione ulterius dilata, ſe regnumque in manifeſtum exitium daret. Contra Eliſabetha, quae periculum ſuum minime ignoraret, ceterum ad ſupplicii reginae proxima cognatione ſecum conjunctae mentionem exhorreſceret, quid ageret anxia, tempus ducebat; miſſis interim ad principes foederatos legatis, qui de re omni eos edocerent.

XI. CUM in Galliam et Scotiam miſiſſet, a rege filio [a] [1] Martinus, a rege Chriſtianiſſimo Pomponius [b] Bellevreus, miſſus eſt; qui ad Eliſabetham admiſſus talem orationem habuit: Si mala reginae Scotorum fortuna ita tulit, ut quorundam Anglici regni ſubditorum conſiliis contra tuam majeſtatem initis participaverit, eo calamitoſior ejus conditio cenſenda eſt, quo fidelior is et regiae ſalutis ac patriae tranquillitatis ſtudioſior ut haberetur meruit, qui illam tanti criminis ream peragere inſtituit. Neque tamen de clementia et naturae bonitate tua deſpero, sereniſſima regina, quin me de his, quae ab optimo rege hero meo, eodemque regiae majeſtatis tuae foederato, ad te mandata habeo, benigne ſis auditura. Quorum illud primum eſt, ut ſcias, regem Chriſtianiſſimum, non minus quam te, ſceleratam eorum audaciam, qui contra te conjurarunt, deteſtari, eoſque pro hoſtibus ſuis reputare, ut qui adverſa tua omnia ad ſe pertinere exiſtimet; eoque magis laetari, quod intellexerit prudentia tua effectum, ut, diſſipatis perditorum hominum conſiliis, in tempore publicae tranquillitati conſultum ſit, et res regni in tuto collocatae: nunc reſtat, ut, ad eas majore vi ac robore firmandas, eam clementiam, aequitatem, ac moderationem adhibeas, quae a prudentia tua expectatur. De crimine, quod Scotorum reginae objicitur, dicere non conſtitui, quoniam de eo mihi minime conſtat; nec profecto ſatis animo aſſequi poſſum, quae judicii in hac cauſa conſtituendi ratio iniri valeat. In judicio omni quippe tres perſonae intervenire debent, accuſator, reus, et judex. Nec ambigo quin procurator tuus legitimam poſtulandi, accuſandi, reos peragendi, eos omnes qui juriſdictioni tuae ſubſunt, perſonam habeat. Hoc vero mihi perſuadere non poſſum, tibi unquam in mentem venire potuiſſe, tibi, inquam, a Deo cum ſummo imperio huic florentiſſimo Angliae regno praepoſitae, ut ceteros principes quaſi in ordinem coactos, et in his Scotorum reginam, olim regis Francorum uxorem, ſumma neceſſitudine cum rege optimo fratre tuo, et arctiore cognationis nodo tecum, conjunctam, eo numero habere velis; eaque fiducia audeo dicere, nunquam judicium hujuſmodi tibi probatum iri, quod potius in regiae dignitatis praejudicium, quam contra Scotorum reginam, latum ſit. Reges, quamvis potentia ac opibus inter ſe diſpares, in eo pares ſunt, ut alteri in alterum ſtatuendi jus non ſit, nec inferiorem alter ſe altero exiſtimet, tantumque fratris ſe nomine mutuo compellent. Quid ergo regi ſubditus ac privatus contra eos ſtatuere poterit, qui tantum a regia dignitate abeſt, quantum coelum a terra diſtat? Solius Dei eſt in reges animadvertere, qui unctos ſuos tangi vetuit. Id juris a Callimacho Jovi ſummo deorum in ejus hymno tribuitur, cum diis ſingulis alia atque alia rerum diſparium ſtudia aſſignaſſet. In eorum ore, qui res miſcere, et turbas ad evertendum regnorum ſtatum excitare, ſatagunt, hae voces fortaſſe tolerabiles eſſent; ſed in prudentibus

VAR. LECT. [α] ſi poſt recidivum toties crimen extrema *MSS. Reg. et Samm. Put. & Rig.*
INTERPR. [a] *Melvil, ou Melvin.* [b] *de Bellievre.*
NOT. [1] *dele* Martinus, *lege* Melvinus. Robert Melvin & Patrice Grey eſtoient les ambaſſadeurs que le roy d'Eſcoſſe envoya. *Put.*

prudentibus majeſtatis tuae conſiliariis, quos regiae dignitatis cumprimis ſtudioſos eſſe par eſt, quomodo ferri poſſint, non video. Poſſunt illi quidem, quid Scota in te admiſerit, libere dicere; ut in eam lege agi jubeas, ſuadere, ſalva regii faſtigii incolumitate, non poſſunt. Audio quid contra replicetur, eum qui in alieno territorio delinquat, ibi repertum puniri, nulla habita dignitatis aut privilegii ratione, perpetui juris eſſe. Verum in tuo vere regio vultu eos videre videor relucenteis clementiae et aequitatis igniculos, qui me non patiuntur credere, commiſſuram te, ut tot virtutes illuſtres, quarum in annalibus aeterna erit memoria, ulla foedae ſeveritatis aut imprudentiae macula aſpergantur, aut apud poſteros jactari poſſit, Eliſabetha tanti animi foemina ſceptrum Angliae tenente, regiae majeſtatis faſtigium in tantum depreſſum, ut ejus excellenti judicio principum ſupra omnem comparationem poſita dignitas humili privatorum conditioni aequata ſit. Id novum auditu, monſtroſum dictu, exemplo pernicioſum, tibi prudentiſſimae et aequiſſimae reginae ulla ratione probari poſſe nego. Vilium hominum generationem ferro et plumbo, regum auro, conſtare dixit Plato. Nos, qui ſub regum imperio nati et educati adolevimus, haud par eſt regibus id injurioſe adimere, quod iis priſci illi ſapientes, in civitatibus plerumque liberis et principum imperia exoſis nati, tam honorifice detulerunt. Et ſat erit ad illam objectionem reſpondere, hanc legem ceteris hominibus, non regibus extra commune hominum commercium a Deo in ſublimi dignitate conſtitutis, poſitam eſſe. His accedit, (nam liceat hoc mihi et in hac cauſa apud te dicere) quod Scotorum regina, proxima cognatione tecum conjuncta ac foederata, certa gratiae tuae ac favoris fiducia in hoc Angliae regnum primum venit; cumque ſupplex ac hoſpes et quaſi patrocinio ac tutela Dei tuta venerit, id utriuſque nominis ſacroſanctum jus eſſe ſcis, ut nihil inclementius in eam ſtatui poſſit, quam, ſicuti venit, ita dimittatur. Hoſpites et ſupplices a Jove mitti Homerus monuit: et Priamus apud praeſtantiſſimum poetam de Achille dixit, *Sed jura fidemque Supplicis erubuit, meque in mea regna remiſit.* Xenocratem ferunt, cum paſſerculus urgente accipitre in ejus ſinum devolaſſet, aviculam non ſolum a violenti praedonis injuria defendiſſe, ſed ſtudioſe ſervatam libertati poſtremo reſtituiſſe, cum diceret, nefas eſſe ſupplicem laedere. Atqui in ore eſt univerſo Chriſtiano orbi, quanta clementiae laude hactenus ad revincendas hoſtium machinationes majeſtas tua uſa ſit; qua et eorum improbitatem, potius quam viribus propriis, quae magnae ſunt, ſuperaſti. Vix adduci poſſum, ut credam reginam Scotorum culpae, quae ei imputatur, affinem, aut improbis conjuratorum conſiliis aures praebuiſſe; verum ſi deſperatione, ex decennovennalis carceris taedio contracta, eo imprudentiae quaſi per praecipitium delapſa eſt, ad exiſtimationem tuam pertinet, ita te in eo negotio gerere, ut omnes intelligant, te potius tuae benignitatis, quam erroris illius, rationem habere voluiſſe. Alexander, cui a re Magni cognomen merito inditum, poſt debellatos Perſas, cum multos e Graecis in hoſtium caſtris reperiſſet, in Athenienſeis et Theſſalos, quos vario beneficiorum genere ſtudioſe affecerat, ſevere animadvertit; Thebanis pepercit, quos, civitate adempta, bonis ac paene vita ſpoliaverat. Eadem animi aequitate Totilas crimen Antiſtiae, Anicii Severini Boetii uxori et Symmachi ſorori, objectum diſſimulavit: nam cum accuſaretur, quod Theodorici, qui virum ipſius ac fratrem crudeliter interfecerat, ſtatuas dejeciſſet, id juſtae ejus ultioni condonavit. Eadem ratione Scotae, etiamſi cauſa ejus privatorum jure cenſeatur, ignoſci debuit, culpa deſperationi imputata; praeſertim a te, cui illud ſaepe in mentem veniat neceſſe eſt, *Haud ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.* Solemne Dei praeceptum eſt, populo ſuo ſaepius inſinuatum, ut hoſpitum

ac

ac peregrinantium miſereantur: nam et ipſos peregrinos aliquando fuiſſe. Et theologorum cunctorumque fere conſtans ſententia eſt, malorum, quae bello ſemel accenſo fiunt, culpam ei, qui belli excitandi cauſa extitit, imputandam eſſe. Vos Deus reginas ambas naſci voluit; utra prior injuriae et offenſionis cauſam praebuerit, cuique liberum erit pro ſua aequitate aeſtimare. Multos memoria noſtra ſcimus bello captos, et in poteſtate hoſtium nihil non feciſſe, ut libertatem priſtinam recuperarent; idque ſaepe cum excidio locorum in quibus aſſervabantur, et eorum a quibus cuſtodiebantur pernicie, molitos eſſe: neque tamen propterea in eos legibus actum eſſe; quippe jus gentium atque adeo naturae adverſatur. Ut vero Scotae iniquior aut durior, quam bello capti alicujus, conditio ſit, non video. Nec magis audiendos majeſtati tuae puto eos, qui Conradini ultimi ex Suevorum gente principis deplorabilem caſum in exemplum trahunt, qui Caroli B. Ludovici fratris ſententia morti addictus eſt, quod pacem eccleſiae turbaſſet, regis nomen uſurpaſſet, et vitae Caroli regis inſidiatus eſſet. Nam annalium fide conſtat, tunc temporis, et eorum qui poſt fuerunt, magno conſenſu damnatam eam ſententiam; et inſolentis adeo judicii ſeveritatem execratos Francos fuiſſe, qui Carolum comitabantur; ac Flandrorum comitem inprimis, Caroli generum, qui judicem ipſum, quod tam iniquam ſententiam tuliſſet, propria manu occidiſſe dicitur: exprobratumque fuit Carolo ab omnibus, quod Nerone crudelior eſſet, atque adeo Saracenis; in quorum manus cum paulo ante cum Ludovico fratre incidiſſet, non ſolum ambo in carcere a barbaris et infeſtis Chriſtiani nominis hoſtibus honorifice habiti, ſed ad extremum aequis et honeſtis conditionibus dimiſſi eſſent. Nemo igitur dirum exemplum auctori ſuo pernicioſum, et Andinae ſtirpis regibus atque adeo Francorum fortunae in regno Neapolitano funeſtum, tibi in hac cauſa proponat: cui nihilominus ſi inſiſtendum quibuſdam videatur, his reſponſum velim, multo juſtiorem ſententiae contra Conradinum latae, quam in Maria eſſe poſſit, cauſam fuiſſe: nam nec illa pacem eccleſiae turbavit; et ſi cetera Mariae improperentur, at hoc in ea peculiare eſt, quod, quicquid fecit, ſalutis ac libertatis expediendae cauſa fecit. Contra, quae Conradinus fecit, cum ſponte et ultro fecerit, merito ei crimini imputata ſunt, cum illa eadem excuſationis veniam in Maria mereantur. Conradinus in Italiam venerat ut vitam regnumque Carolo eriperet: Maria non hoſtis in Angliam pedem intulit, ſed tanquam hoſpes ac ſupplex ad te, velut in portum ac tutiſſimum praeſidium, confugit, ut vel a te conjunctiſſima ſibi cognata, vel, ſi id per rerum tuarum ſtatum non liceret, ex Anglia in Galliam tranſiens a Carolo Chriſtianiſſimo rege ſororio ſuo, auxilium ad regnum amiſſum recuperandum impetraret. Sed magis urget, quod infeſti Scotae captivae hoſtes paſſim jactant, vitam Mariae perniciem Eliſabethae ſecum trahere, et ſalutem tuam hoc rerum ſtatu non aliter, quam peſte ſororis tuae, expediri poſſe: verum illi ſcire debent, accidere nunc eadem poſſe quae olim acciderunt; nec omnia conſiliis hominum tribuenda, plura divinae providentiae relinquenda eſſe. Exemplum tibi in ſacra Hiſtoria quotidie verſanti familiare proponam. David a Deo in regem, qui Iſraelitico populo praeeſſet, delectus, et a Samuele propterea unctus, Saulem captivum, qui ipſum ad perniciem perſecutus fuerat, nulla offenſione laeſit, tantum ejus veſtimenta incidiſſe contentus: cumque amici inſtarent, ut meritas poenas de capitali hoſte veluti a Deo in manus ſuas tradito expeteret, Abſit, inquit, ut in Chriſtum Dei manus injiciam: poſtea et Amalechitem Saulis interfectorem morte affecit, et Gilboae monti, in quo Saul occiſus fuerat, multa dira imprecatus eſt. Faceſſant ergo illae ſanguinolentae ac clementiſſimis auribus tuis indignae voces,

quae

quae a Mariae hoſtibus ubique inculcantur, VITA CONRADINI, MORS CAROLI; MORS CONRADINI, VITA CAROLI. Nos et noſtra aeternae Dei providentiae, quod David fecit, permittamus, qui non paſſurus eſt, ut vel minimus pilus de capite noſtro pereat. Plerumque, dum periculum vitatum volumus, in majores calamitates nos induimus. Si quiſquam eſt qui adverſus te regnumque tuum bellum ſuſcipiat, id non Scotae liberandae cauſa, ſed ad religionem conſtituendam, ſuſcipiet: neque ſublata Scota belli cauſa tolletur; quin potius exacerbabitur eo magis bellum, colore quaeſito ex tam inſolenti et omnibus ſaeculis damnato ſeveritatis exemplo, erga principem ſupremo cum imperio a Deo ordinatam, reginam unctam, et in Dei eccleſia conſecratam. Atqui metuendum eſt tibi, ſereniſſima regina, ne malum, quod ſiſtere vis, eo magis praecipitato fine acceleres; quod, ſervata Scotae vita, ſufflaminari tutius poſſe cenſuerim. Nam qui adeo mortem Scotae urgent, memores eſſe oportuit conſilii, quod ab initio prudentiſſime a te captum hactenus feliciter ceſſit, ut Mariam captivam retineres, ejuſque corporis objectu, tanquam umbone, corpus proprium tegeres: nunc, ſi clypeum illum abjicias, verendum eſt, ne aperto ad inimicorum ictus corpore pateas. Illud inſtar tibi ſaxi eſt, quod quamdiu manu tenes, tamdiu ab ejus ictu inimici tui metuent; ſi illud ſemel contra inimicos miſeris, non amplius habes unde illis metum aut ictum incutias; eritque illud in poteſtate hoſtis, qui, indigno eo caſu irritatior, majores animos ab injuria ſumet, et armis multorum principum, qui ſuum periculum in ea cauſa verti putabunt, in ultione perſequenda juvabitur. Imprudenter mea ſententia faciunt, qui utile ab honeſto in civilibus actionibus ſeparant; eoſque cum Cicerone deteſtor. Utile fuit M. Attilio Regulo, qui cruciatus ſibi Carthaginem reverſo pararentur minime ignaro, Romae manere; et tamen fidei religionem certo periculo atque adeo exitio ſuo praetulit, quod fidei violatae ſupereſſe minime honeſtum duceret. At Aelius Verus, monitus ut ab inſidiatoribus ſibi caveret, dum, pleriſque ex levi ſuſpicione occiſis, plus ſalutis propriae quam juris et honeſti rationem habere ſe oſtendit, concitato contra ſe omnium odio, exitium, quod vitatum cupiebat, ultro ſibi accerſivit. Cum contrariam viam huc uſque inſtiteris, et vitam ſupplici, hoſpiti, reginae ſorori ac cognatae foederataeque, ſervaveris; quae, malum, iſta prudentia eſt, ut, mutato repente conſilio, et everſis tam maturae deliberationis veluti fundamentis, quod in omni bene adminiſtrata republica citra perniciem fieri non poteſt, ſint, qui eam perdendam tibi conſulant? At Scota ſuperſtite obſequium tuorum, qui ad illam reſpiciunt, et multorum fides in dies labefactatur. Verum exile in captiva praeſidium eſt; et ſaepe ex ore auditum eſt cujuſdam primarii miniſtri praepotentis et merito ſuſpecti tibi principis, cum diceret, ad magnitudinem et amplificationem rerum principis ſui expedire, ut Scota amplius in vivis non eſſet, quippe ſublata illa Anglos in ejus patrocinium aperte confugituros, qui nunc fruſtra ad illam reſpiciunt. Deinde, utile ſit necne tam inſolens conſilium, tibi videndum eſt, habita tot regum ac principum Scotae ſanguinis neceſſitudine et foederatione conjunctorum ratione, qui eam injuriam ad ſe pertinere proculdubio exiſtimabunt. Eorum opes, voluntates, potentia, tibi in hac ſeria deliberatione exacte ſunt perpendendae: et, quanquam abunde tibi opes, vires, et prudentia ad earum uſum, a Deo ſuppetant, ad illam tuam prudentiam maxime pertinet, videre, ne quid temere fortunae committas, aut, periculorum tentata alea, tot annorum felicitatem prudentia ac moderatione firmatam violentis conſiliis evertas. Id a te rex Chriſtianiſſimus precibus et affectu fraterno contendit, cui nihil ea in re aliud propoſitum, quam ut Scotae ſororis, cujus periculum ſalvo decore negligere non poteſt, ſaluti, et eadem opera ſecuritati tuae ac dignitati,

et Catholicorum, qui ſub tuo imperio degunt, tranquillitati, ſimul conſulat. Qui aliter ſentiunt, et aliena a clementia tua ſuadent, eo minus tibi audiendi ſunt, quod quae conſulunt, licet ſpeciem aliquam utilitatis prae ſe ferant, tamen et multum periculi admiſtum habent, et ab honeſtate, quae in magnis principum conſiliis ſemper praeponderare debet, omnino remota ſunt. Eo etiam minus verebor ne tibi moleſtus ſim, ſi moderationis, adeo naturae tuae et ingenio vère regio convenientis, exempla in medium afferam. M. Antonius, detecta Bruti et Caſſii conjuratione, cum in conſcios aliquot ſubito calore animadverti juſſiſſet, ne ulterius pari ſeveritate in eo negotio procederetur, vetuit; quod, licet id jure fieret, tamen acerbitate et invidia ejuſmodi judicia carere non viderentur. Idem tibi in hac cauſa rex conſulit, quod ipſi ſaepius, in communi Proteſtantium, qui in Gallia ſunt, cauſa, per literas et oratores tuos ſuaſiſti; moderatione tua utaris, neque tot miſeros homines tam inſigni ſeveritatis exemplo ad extrema conſilia ex deſperatione gratiae impellas. Sed omnium maxime memorabile et praeclarum exemplum occurrit conſilii a Livia Auguſto marito dati in conjuratione Cn. Cornelii Cinnae Cn. Pompeii nepotis: nam cum Auguſtus inquies noctu praeſentibus curis et futuri ſolicitudine torqueretur, et videret conjuratorum jam ſaepius detectam audaciam nullis ſuppliciis coerceri poſſe, tandem monitis Liviae acquievit, ut a poena mortis in poſterum abſtineret, et indulgentia potius quam ſaevitia in revincendis conjurationibus uteretur, marito ſuadentis: nam poenas exaſperare caeterorum etiam minime conſciorum animos, et vulgo credi, eas potius privatae ultioni dari, quam jure infligi: atqui prudentis principis eſſe, non modo ab omni injuſtitia, ſed ab opinione injuſtitiae, abeſſe: hoc ſcire principem debere, ad id ſe inſtitutum, ut hominibus, non belluis, imperet; eamque unicam conſequendae ipſorum benevolentiae rationem eſſe, ſi ſe erga amicos munem ac beneficum, erga infeſtos magnanimum ac clementem, exhibeat: nam quibus delicti gratia facta eſt, eos poenitentia ductos vereri, ne deinceps benefactorem laedant; in idque potius incumbere, ut poſt gratiam acceptam, majora praemia conſequendi ſpe, eum omnibus officiis colant: ſic enim opinione hominum receptum eſſe, privato omnes injurias ad vitandum contemptum perſequendas eſſe; principem ea tantum, quae in publicam rem peccantur, ulciſci, privatim in ſe admiſſa, cum ulciſci queat, tolerare, debere: hoc enim ipſi, ad injuriam ulciſcendam aut prohibendam idoneis viribus ſubnixo, neque contemptum parere, neque periculum creare, poſſe: amari autem quam metui a ſuis principi expedire, et magis honeſtum eſſe. His rationibus a prudentiſſima et viri amantiſſima foemina perſuaſus Auguſtus conjuratos verbis increpare ſatius habuit, eoſque mox libertati ac dignitati reſtituit: Cinnam vero conjurationis ducem in gratiam receptum conſulari dignitate donavit. Hoc generoſum illuſtriſſimae foeminae conſilium te ſecuturam, potius quam violentis adverſariorum incitamentis auſcultaturam, Chriſtianiſſimus rex ſibi ſpondet, et ego confido. Quod ſi facias, ſicuti te enixe ipſius nomine rogo, habebis memorem tanti beneficii principem potentiſſimum; qui tibi multa amicitiae officia cum debeat, tum hoc tibi gratus cumprimis beneficium debere cupit: habebis et reginam parentem, quae de nurus incolumitate, ut par eſt, animo angitur; nec non et auguſtam regis uxorem, cognatione arcta cum Scota conjunctam: habebis denique univerſum Gallorum nomen, qui, cum Scotam olim tanquam reginam ſuam coluerint, non poſſunt non maximopere de ſalute ejus ſoliciti eſſe; tibi perpetuo obnoxii futuri, ſi loco poenae, quam inimici ei interminantur, gratiae et miſericordiae locum apud te reperiat. Cum peroraſſet Bellevreus, poſt breve Eliſabethae reſponſum, aliquandiu contrariis exemplis in medium adductis altercatum fuit.

CIƆ IƆ LXXXVI. HENRICUS III. fuit. Propoſitae et a legatis rationes, quibus, libertati reſtituta Scota, idonee Eliſabethae caveretur; nam regem fidem ſuam interpoſiturum, et Guiſium filios obſides daturum: aliaque inſuper multa in eam rem dicta. Ad quae Eliſabetha uno verbo reſpondit, hujuſmodi cautiones ac fidejuſſiones nihil ſibi mortuae profuturas; nullam in talibus promiſſis ac rationibus ſecuritatem, nec ſi in perpetua captivitate Maria conſeneſcat, a conſiliariis ſuis reperiri poſſe. Poſtea dimiſſus fuit Bellevreus cum hoc ultimo reſponſo, reginam nihil eorum quae ad ſecuritatem contra conjurationes conſtituendam pertinerent omiſſuram, ſimulque curaturam, ne quid a juris norma et benignitate ſua alienum in hoc negotio admitteretur.

XII. JAM ante conſcii numero XIV ad mortem damnati fuerant, qui pridie Kalendas Octobreis et ipſis Kalendis plauſtro tracti ad patibulum ſuſpenſi ſunt, laqueoque ſucciſo ſpirantibus adhuc in pegmate genitalia primum inciſa et in ignem ſubjectum projecta; tum pectore aperto cor exertum, eoque miſerorum genis diverberatis haec verba addita, EN COR PERDUELLIS: mox in quatuor partes diſſecti, capite ac quatuor membris ad pontes et loca publica affixis. Quidam ex illis multa in populum minaciter jactarunt, unde plebis aucta in eos indignatio. Babingtonum eo inſaniae deveniſſe memorant, ut ſpem de Maria in uxorem ducenda auctore Ballardo conceperit; eaque fiducia Ballardum Cantuarienſem archiepiſcopum, ut vicem redderet, jam deſignaſſe: Barnwellum vero juriſconſultum, quaſi jam in ſolio rex Anglorum ſederet, ſibi cancellarium delegiſſe.

XIII. INTEREA ſemel atque iterum cum Ordinum delegati apud reginam inſtitiſſent, ut ſententia contra Mariam lata promulgaretur, et executioni demandaretur; tandem illa, poſt varias ac longas reſponſiones, de promulgatione aſſenſit. Igitur pridie Nonas Decembreis edicto confirmata ſententia per tubicines Londini promulgatur, et poſtea in publica acta refertur. Mox et [a] Buckhurſtus regulus, Robertus [b] Bealus ab epiſtolis, et alii delegati, ad Scotam mittuntur, qui quae in ejus cauſa acta fuerant exponerent, eamque ſecundum Angliae leges morti adjudicatam declararent: cum contra illa, ad ſententiae ſignificationem excandeſcens, regii nominis, quod omni juriſdictioni exemptum eſſet, exceptione ſe tueretur, continuo illi uraniſcus et cetera omnia regia ornamenta adimuntur, et ipſa in ſpeciem exauguratur. Sententia promulgata, tamen reſtabat, quo executioni demandaretur, ut ipſa regina tam ſententiae, quam confirmationis, publicationis, et executionis actis, ſubſcriberet; quod et illa ſuorum expoſtulationibus victa, crebreſ-

CIƆ IƆ LXXXVII. centibus novorum motuum undique nunciis, fecit pridie Purificationis, in ſpeciem potius, ut ſuorum deſiderio aliqua ex parte ſatisfaceret, quam quod judicium tam ſeverum erga Mariam exerceri cuperet: nam nec tempus ad executionem perficiendam appoſitum eſt; et ſatis actum putabat regina, ſi neceſſitate urgente omnia ad executionem parata eſſent. Verum Davidſonus reginae a ſecretis epiſtolis, ſive ab infeſtis Mariae impulſus, ſive impotenti deſiderio ſtimulatus, acta omnia ſupremi ſigilli auctoritate firmata ad ſenatum attulit: in quo qui aderant Scotae infeſti, non amplius re cum regina communicata, quippe qui, ſive re vera ſciret, poenitentiam metuerent, ſive neſciret, perſpecto ejus a ſanguine fundendo ingenio alieno, ne executionem prohiberet, vererentur, acta omnia cum epiſtolis mandati et executionis formula ad [c] Salopiae et Cantii comites arci, in qua captiva attinebatur, per Robertum Bealum mittunt, jubentque, ut cum aliis equeſtris ordinis proceribus, nobilibus, ac praefectis ejus regionis, adjunctis [d] Amicio Pawletto et Drugone Drurio, quibus arcis cuſtodia erat commiſſa, ſententiam exequerentur. Hi igitur

INTERPR. [a] *le baron de Buckhurſt.* [b] *Beal.* [c] *Shrewsbury & Kent.* [d] *les chevaliers Amias Pawlet, & Drue Drury.*

igitur in arcem [a] Fotheringhaiam conveniunt, et, Mariae poſtridie ſignificato mandato, cum extrema neceſſitate ſeveritatem ejus excuſaſſent, illa contra jam ſaepius allatas exceptiones repetiiſſet, poſt varios hinc inde ſermones conſolationis ſpecie habitos, dies executioni condicitur ad XII Kalendas Martias, qui ſtylo veteri eſt VI Eidus Februarias; quo mane hora ſeptima proceres et alii rurſus conveniunt, numero circiter CC, praeter cuſtodum turmam ac familiam, loco in aula majori ad id parato, quo pegma pannis nigris velatum cum ſella et pulvinari erectum erat. Pulſato fruſtra a nunciis praemiſſis Mariae ſemel atque iterum oſtio, cum aliqua mora interjecta eſſet, tertio pulſantibus fores patuere, Mariamque miniſtri genibus flexis preces fundentem, circumfuſa nobilium pediſſequarum turba, offendunt; quae ad eorum adventum confeſtim ſurgit, et paratam ſe dicit. Tum, ſuſtinentibus eam hinc inde quibuſdam e ſuis, in aulam pergit; et, cum omnes domeſticos ſuos inter eundum, tam viros quam foeminas, lachrimanteis videret, conſtanti vultu ad eos converſa, ut Deum timeant, ſuperioribus poteſtatibus obediant, monet: tum ſingulis valedicit, foeminas deoſculatur, viris manum deoſculandam praebet; utque bono ſint animo, et Deum pro ſe orent, rogat. Incedenti obvii facti proceres, et Salopiae comes cum paucis quid veniſſent edicit; mandatumque reginae publico ſigillo firmatum cum oſtendiſſet, illa aeque paucis verbis reſpondit, ſibi utique placere, malle enim ſe mori quam vivere. Converſa autem facie, in [b] Melvinum unum ex praecipuis miniſtris intuens, ita eum affatur; Melvine mihi fide, licet te putem ex Proteſtantibus unum, ipſa ſim Catholica, unus autem tantum ſit Chriſtus, ego regina nata et regina tua uncta, ex Henrici VII ſanguine prognata, mando tibi, ut, quantum vitae tuae rationem Deo reddere cupis, tam ſedulo haec noviſſima verba mea ad filium meum ſincera fide perferas; ſignificeſque me orare eum, ut Deo ſerviat, eccleſiam Catholicam protegat ac tueatur, regnum ſuum in pace ac requie gubernet, neque ſe, quod ego feci, alteri ſubjiciat: hanc inſulam regno ſuo adjicere ſub unius imperium deſideravi; quod et integrum ei relinquo, atque ut ſervet ac teneat moneo; nec hujus mundi prudentiae nimium confidat, (nec enim quidquam in eo ſtabile aut commodum ſemper eſt) ſed in Deo fiduciam ſuam collocet; caveat inprimis ne male ſuſpicandi cauſam reginae Angliae praebeat: id ſi fecerit, ſciat ſe proculdubio a Deo gratiam conſecuturum: et tu Melvine teſtis eris, meoque filio renunciabis, me in Catholica religione, quam ſemper profeſſa ſum, mori; de cetero veram Scotam, ac fide Francam. Quod cum Melvinus diligenter facturum ſe recepiſſet, illa petiit, ut ſacerdoti domeſtico liceret ſibi in theatro adeſſe, item praeſentes ſui domeſtici omnes eſſent, ut regi Franciae ac ceteris teſtarentur, ſe in Catholica fide vitam finiviſſe: quod ei a proceribus negatum, veritis, ut aiebant, ne ſui doloris impotentia ac lamentationibus ei moleſtiam faceſſerent. Tandem impetratum, ut famuli V, pediſſequae duae, intereſſent, ſpondente illa futurum, ut nec eorum lachrimis nec ejulatibus actio impediretur. Inde in theatrum deducitur, in quo conſedit, eburneam imaginem Chriſti cruci affixi manu tenens, habitu admodum decenti ex pretioſo holoſerico nigro, fibulis, bullis, et margaritis diſtincto: caput ſindone pertenui, ad terram uſque a tergo dependente, redimitum erat. In eo luctu, etiam poſt taedioſi carceris moleſtiam, priſtinum oris decus ac pulchritudo, quo tot homines in ſui amorem rapuerat, integra adhuc relucebant; qua et aſtantibus partim admirationem, partim miſericordiam, movebat; de cetero obeſior ſolito, quaſi jam valetudine minus firma. Sedenti aſſedere duo hinc inde

INTERPR. [a] *Fotheringhay.* [b] *Melvin ſon maiſtre d'hoſtel.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III. inde ad latus comites, ſententiaque recitata Richardus [a] Fletcherus Petroburgi decanus proceſſit; et, cum eam ſolari et inſtruere ad mortem vellet, illa ſemel atque iterum recuſavit; cumque, identidem eam alloquente Richardo, ab eo ſe perturbari diceret, [b] Cantii comes excepit, et ut, ſuperſtitione omni abjecta, imaginem Chriſti non manibus ſed in corde geſtandam ſciret, monuit, per eamque ut in gratiam a Deo reciperetur oravit. Idem clara voce fecit in gradibus theatri flexis genibus Fletcherus, pro ſalute item reginae Anglorum ac regni incolumitate orans; ejuſque verba aſtantes ſecuti eaſdem voces reddebant: dumque haec fierent, illa altiore voce, in imaginem, quam manibus geſtabat, intuens, preces Latine fundebat. Quibus peractis, lictor flexis genibus veniam ab ipſa petit; quam et illa ei, et omnibus qui vitae ſuae inſidiati eſſent, ſumma animi propenſione conceſſit, ſicuti ſibi delictorum ſuorum veniam a Deo condonari demiſſa mente exoptabat ac depoſcebat. Demum in genua procumbens noviſſimas preces ad Deum fundit, ſpemque ſe in Chriſti merito reponere profitetur: tum pro Angliae regina orat, ut diu bene ac pacifice regnum gubernet, ac Deo ſerviat; pro inſulae incolumitate; pro pace eccleſiae; pro filio, ut longo tempore bene ac pacate regnet, et ad ſacra majorum redeat. Inde ſurgens ad mortem ſe parat; et, cum exteriorem tunicam pediſſequis adjuvantibus exueret, lictores manus admoventes indignabunda a ſe repulit; non utique conſuetam ſe coram tanta multitudine, aut ab hujuſmodi honorariis miniſtris, carnifices intelligebat, veſtibus exui dictitans. Exteriore tunica exuta, interiorem thoracem ligulis a tergo revinctum ſumma feſtinatione exuit, et manicas ex holoſerico induit, reliquo corpore ſubucula tecto; moxque expedita, ultimo pediſſequis oſculo dato, cum eas ejulanteis videret, Atqui pro vobis ſpoponderam, dixit, conſtantiam ſervaturas; diſcedite hinc, et mei memores eſtote: ſignoque crucis dextra facto, ipſis et univerſo coetui bene precata, Catholicam ſe mori denuo profeſſa eſt, teſteiſque circumſtanteis appellavit. Demum in genua procidens intrepido ac minime turbato vultu, cum una ex pediſſequis linteo conſecrato ei oculos velaſſet, Pſalmum LXX alta voce decantavit. Ad extremum, anima Deo commendata, cervicem trunco inſeruit; et, dum alter e lictoribus manus infra detinet, geminato ſecuris ictu capite truncata eſt; quo de more elevato, carnifici clamanti, Deus reginam ſervet, populus acclamavit, Sic pereant cuncti Dei ac reginae hoſtes. Dum elevatur caput, mitella forte excidit, et capilli apparuere cani, non ita pridem reciſi, quamvis vix quadrageſimum quartum annum attigiſſet; canitie ex moerore, ut vero fit ſimile, praecipitata. Nihil veſtium aut reliqui comptus lictoribus relictum, ſed pretium pro iis numeratum fuit: omnia ſanguine aſperſa tam lictori quam aliis ſtatim adempta, et eluta ſunt; nec non et pegmatis aſſeres, pannus ſubſtratus, et reliqua cruenta, in ignem injecta, ne quid reliquiarum ſupereſſet, ut Anglicani miniſtri aiebant, quod ſuperſtitioni occaſionem praeberet. Corpus balſamo cum capite conditum in loculo repoſitum eſt. Id actum clauſis arcis portis; ſubitoque Henricus [c] Talbotus Salopiani comitis filius Londinum miſſus, qui nuncium rei primus attulit; cujus fama per urbem ſparſa, injuſſu magiſtratus, paſſim ignes in publicae laetitiae ſignum accenduntur, et tintinnabula pulſantur, quaſi ſolutis formidine vulgi animis, quae cunctos, quamdiu Maria ſuperſtes eſſet, de ſalute reginae anxios tenebat.

XIV. At non idem in ſpeciem ſenſus reginae fuit, quae praecipitatam, ſe inſcia, ſententiae executionem querens, generoſum ſanguinem tam temere fundi non debuiſſe palam clamitabat, et in contrarium doloris ſignum lugubria ſumpſit; Davidſonum, qui pervicacia ſua praecipitandae rei auctor fuerat, violati mandati reum

INTERPR. [a] *Fletcher doyen de Peterborough.* [b] *Kent.* [c] *Talbot fils du comte de Shrewsbury.*

reum peregit; iſque procerum judicio graviter mulctatus, diu in carcere detentus, poſtremo ſecretarii dignitate motus eſt. Poſtea, ſive ſimulatio ea fuit, ſive verus dolor, ne quid in ſe honorifici officii deſiderari poſſet, quo dignitas tantae foeminae poſt mortem ornari poſſet, etiam magnificas exſequias C florenorum CIↃ ſumptu ei paravit. Magna pompa deductum funus, et corpus poſt peractas ceremonias [a] Petroburgi juxta Catharinam Aragoniam Henrici VIII primam uxorem tumulatum fuit Kalendis Sextilibus. Eo uſque totum famulitium ac pediſſequae et nobiles Fotheringhaiae retenti ſumptibus reginae fuerant; quibus liberum diſcedendi commeatum Maria, antequam moreretur, cum a regina petiiſſet, et hactenus, qua de cauſa incertum, negaretur, aliae atque aliae vulgi, et eorum qui reginae minus favebant, ſermonibus rationes jactabantur. Tandem exitu compertum, id factum fuiſſe ut exſequiis intereſſent: nam poſt eas ſtatim peramanter ſunt dimiſſi. Corpore ſepulto, conati ſunt quidam a conjuratis immiſſi cadaver ipſum aut partem ejus e ſepulchro tollere: jamque ciſtam plumbeam perfregerant; verum comprehenſi, antequam ad arcam ligneam penetraſſent, fruſtra fuere, treſque ex iis ad terrorem laqueo [α] ſuſpenſi.

XV. SEVERI adeo judicii invidiam ſemper a ſe deprecata eſt Eliſabetha, cum fateretur, ſe quidem paſſam, ut ad deterrendos conjuratos ſententia mortis contra Mariam ferretur ac promulgaretur, ceterum eam, ſe ignara, a proceribus, ſibi plus juſto ac regno metuentibus, executioni mandatam eſſe affirmaret. Proceres igitur, qui tantae invidiae onus in ſe ſive a regina rejectum, ſive a ſeipſis impoſitum, viderent, apologia mox edita factum tuentur; in qua primum Scota cum Joanna Neapolitana comparatur, quae circa annum CIↃ CCC XLVIII, ob Andream virum crudeliter interfectum, et aeque foedas poſtea contractas cum Ludovico Tarentino duce viri interfectore nuptias, excitatum in eccleſia, inter Urbanum Romae et Clementem Avenione ſedentem, ſchiſma, ob externas in regnum introductas vireis, tandem a Carolo patruele, ex Ludovici Pannoniae regis patrui conſilio, morte merita affecta eſt. Dein et comparatio inſtituitur Conſtantini ac Licinii imperatorum, et Eliſabethae ac Mariae reginarum: ambos illos Imperii moderationi praepoſitos; utramque item reginam Britanniae a Deo impoſitam, ſed diſtinctis regnis: Licinium, licet ingentibus beneficiis a Conſtantino affectum, malam gratiam bene de ſe merito ſororio rependiſſe, et in ipſum conjuraſſe; Mariam itidem, multis nominibus Eliſabethae obnoxiam, eadem ingratitudine beneficium compenſaſſe: Licinium imperium cum conſorte commune ſibi totum aſſeruiſſe; Mariam, licet diſtinctum in inſula ab Eliſabetha regnum haberet, Angliae et Hiberniae inſignia ambitioſe ſumpſiſſe: Licinium, non ſponte, ſed Chryſopoli in Bithynia captum, ſupplicem ad Conſtantinum veniſſe; Mariam a ſuis vi armorum pulſam ad [β] [b] Wirkintonam portum Angliae appuliſſe: ſemel detectis conjurationibus vitae gratiam Licinio a Conſtantino factam; Eliſabethae clementia eandem gratiam

VAR. LECT. [α] ſuſpenſi. Obſervatum fuit a curioſis, eodem menſe, quo ante XX annos Henricus Darlaeus vir ejus inſidioſe occiſus fuerat, ipſam extremo ſupplicio affectam eſſe, occulto Dei judicio; ut dum Eliſabetha ſive ejus conſiliarii, publicae ſecuritati conſtituendae intenti, publicas et privatas injurias ultum eunt, inultis ad hunc diem infeliciſſimi regis manibus parentaretur: nam qui Mariam a viri morte inſontem, et ad infameis nuptias cum Bothuelio ejus interfectore contrahendas vi ab inimicis coactam, ſcribunt, ceteraque ejus crimina pietatis obtentu velant, nae illi meo judicio imprudenter faciunt, dum bonam cauſam, hoc eſt, majorum religionem, veritate ipſa ſatis validam, alienis praeſidiis, hoc eſt, tam impudentibus mendaciis, tuentur. Veritatem profeſſo ſat erit dicere, foeminam magni animi, ſummo loco natam, forma et ingenio praeſtantem, inter egregias virtutes, quas majora vitia vicerint, vixiſſe; et ad extremum, inſigni conſtantiae et intrepidi animi edito ſpecimine, honeſtius, quam vixerat, vivere deſiiſſe. Certe ſeveri adeo judicii *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] Ouercingtonum *Ed. Gen.*

INTERPR. [a] *Peterborough.* [b] *Wirkington.*

gratiam non ſemel, ſed multoties, factam: poſtea Licinium, quod minus poſt gratiam factam ei fideret Conſtantinus, Theſſalonicam relegatum ſub valida cuſtodia; itidem habitam in libera cuſtodia, poſt toties detectas conjurationes, Mariam: ad extremum, cum nullum cum proceribus ac belli ducibus conjurandi finem faceret Licinius, ſolicitata etiam exercituum et provinciarum fide, eum a Conſtantino, ut ſemel ſe periculo et moleſtiae eximeret, morti adjudicatum; ita Mariam, cum poſt toties gratiam factam minime ceſſaret, ſed cum Philippo jamdudum inchoata conſilia ac ejus miniſtris Joanne Auſtrio et Parmenſi, et in Gallia cum Guiſianis cognatis, qui nuper bello contra regem excitato pacem regni turbaverant, denuo repetiiſſet, tandem, ut finis conjurationibus in Anglia imponeretur, merito ad mortem damnatam. Tertio imperatorum, regum, ac principum juſte ad mortem damnatorum exempla proponuntur; ac inprimis, praeter Licinium illum, Maximiani paulo ante ab eodem Conſtantino optimo principe et primo religionis Chriſtianae in imperio Romano conditore, ac Maximiani ipſius genero, ob eaſdem cauſas interfecti; Raſcuporis Thraciae regis, qui, quod Cotyn regni conſortem e medio tollere conſtituiſſet, apud Tiberium accuſatus et Alexandriam Aegypti relegatus, dum fugam meditatur, juſſu ejuſdem Tiberii interfectus eſt. Aliis exemplis et probatum id juris eſſe: ſic Henricum VII Caeſarem in Robertum Neapolitanum ac Provinciae comitem, quod conjuraſſe contra ſe ac Imperium diceretur, accuſatum, cum non compareret, ſententiam mortis tuliſſe; quae licet a Clemente VI irrita pronunciata ſit, non defectu poteſtatis, ſed ſolemnium, id factum eſſe: ſic Bernardum Italiae regem, quod ab ordine ſacro incitatus jus in Galliae regno ſibi vindicaret, primum oculis orbatum, deinde, cum improbitati finem non faceret, ab optimo et mitiſſimo principe Ludovico Pio patruo interfici juſſum: ſic Conradinum a Carolo Andino; ſic Joannam a Carolo itidem Andino, de qua modo dictum eſt, jure caeſam eſſe. Idem non ſolum exemplis, ſed et pontificum ipſorum, qui errare non poſſe vulgo creduntur, auctoritate ac teſtimonio confirmari: nam Clementem IV auctorem Carolo Andino fuiſſe, ut Conradinum de medio tolleret: et, ne in ipſa apoſtolica ſede talium exemplorum ſeges deſit, ita Bonifacium VIII Coeleſtinum deceſſorem ſuum de medio tolli curaſſe, cum metueret, ne ob ſingularem pietatem ad ejeratum magiſtratum denuo revocaretur: ſic Urbanum VI, minime urbanum dictum, cum in VIII cardinaleis, qui alioqui hujus mundi principes in curia Romana cenſentur, exquiſito horrendae crudelitatis exemplo ſaeviiſſet, etiam enſem, quo ſumma perfidia Carolus Joannae interfector Budae in Pannonia a conjuratis occiſus fuerat, ut erat adhuc cruentus, cupide inſpexiſſe et factum laudaſſe, cum prius Carolum eundem ad Joannam occidendam inſtigaſſet, et factum probaſſet; ſed ob id poſtea mutaſſe, quod Carolus Capuae et [a] Dyrrachii principatum in [b] Butillium ipſius pontificis nepotem, hominem levem et tanto beneficio indignum, conferre recuſaſſet. Poſtea argumenta ex imperatorum conſtitutionibus ac juriſperitorum reſponſis petita diſcutiuntur; et in contrariam partem adducta diluuntur, ac recentium doctorum auctoritate ſententia in Mariam lata confirmatur. Et, cum inprimis objiceretur, reginae in reginam nullum jus eſſe, ex juris regula quae paris in parem nullum imperium eſſe vincit; ad hoc reſpondetur, Mariam, cum ad mortem damnata eſt, dignitate regia exutam eſſe, jure ſuo omni in Jacobum filium ſponte tranſlato. Quae omnia, ſtudioſe ab Anglis in ſententiae contra Mariam latae defenſionem collecta, non perinde accepta ſunt, pleriſque, etiam iis qui Eliſabethae alioqui favebant, miſeram ejus conditionem deplorantibus, cujus ſecuritati ac regni

INTERPR. [a] *Durazzo.* [b] *Butillo.*

regni tranquillitati aliter conſuli non potuerit, quam ſeveri adeo judicii, auctoritate pontificis contra Conradinum ſanciti, exemplo, poſt tot annos in Mariae cauſa, non ſine juſta multorum indignatione, renovato. Auxit indignationem, quod odio religionis, licet aliae juſtiores cauſae non deeſſent quae Anglos magis urgebant, non ad reginae regnique tutelam, id factum ad invidiam jactabatur. Sane in Eliſabetha cum orbitatis, ſexus infirmi, et aetatis jam inclinatae contemptus metueretur, conſiliariis ejus periculoſum videbatur, Mariam regni heredem vulgo creditam, conjurationibus detectis merito ſuſpectam, et tot principum infeſtorum opibus ſubnixam, aut liberam dimittere, aut diutius ſub cuſtodia vivam retinere. Itaque, Maria ſuperſtite, ſaepius antea interpellata Eliſabetha, ut ipſam regni Angliae heredem nominaret, ſemper ſe excuſaverat; et, ea ſublata, pro arcano deinceps habitum eſt, ne certus regni heres amplius declararetur. Praeteriri non debet, quod ab abbate Pinarolii Rogerio [a] Tritonio, vitae Vincentii [b] Laurei, de quo jam aliquoties honorifica in ſuperioribus facta mentio, ſcriptore, proditum eſt: Laureum tunc cardinalem et Scotici regni protectorem, pridie quam infelix regina in Anglia ſecuri percuſſa eſt, ſupremas tabulas Gallica lingua propriaque manu ab ea ſcriptas Romae accepiſſe, quibus ſe religionis Catholicae ſtudioſiſſimam ſemper fuiſſe profitebatur; cavebatque ne ad filium principem, niſi prius falſam haereſis, quam animo imbiberat, perſuaſionem exuiſſet, Anglicani regni ullo unquam tempore perveniret hereditas, ſed, eo excluſo, ad Philippum Hiſpaniarum regem Catholicum pertineret: cardinalem autem eas mira diligentia, comparatione literarum ab eadem regina acceptarum facta, recognoſcendas curaſſe; nec ſolum a ſe, ſed a Ludovico [c] Audoeno Anglo epiſcopo [d] Caſſanenſi, voluiſſe ſubſignari, ut ultimae reginae voluntatis certam et indubitatam fidem apud omneis facerent; ſicque firmatas, ac tanquam publica auctoritate roboratas, [e] Olivario comiti Philippico oratori ad ipſum regem fideliter tranſmittendas dediſſe. Idne bona fide ſcripſerit Tritonius, aut commentus fuerit, non dicam; nam a nemine, quod ſciam, id memoratum; et Angli tantum aiunt ejus rei ſpem Bern. Mendozae per literas feciſſe: ceterum videant prudentiores, quorſum haec aut nunc pertineant, aut in poſterum pertinere poſſint.

XVI. Postquam de morte Mariae Scotorum reginae in Galliam allatum eſt, varie ad tam inexpectatum nuncium animi affecti ſunt; accenſoque contra Proteſtanteis bello, ex ea occaſione in eos invehendi nova materia adverſae parti praebita, et pacis rationibus, quas animo rex meditabatur, via omnino praeciſa eſt. Nam Guiſiani, ſibi in arcano conſcii, ſe perniciem cognatae reginae acceleraſſe, dum res novas non ſolum in Gallia ſed in aliis regnis moliendi nullum modum faciunt, et, extra periculum poſiti, Eliſabethae patientiam toties renovatis conjurationibus [α] captivae periculo irritant; quo facti culpam a ſe removerent, ejus invidiam in religionis odium derivabant, et eo magis concionatores incitabant, ad animandam ad bellum continuandum, cujus jam taedio affici videbatur, plebem; ex damnoque alieno proprium commodum captantes, Navarri nomen ob eandem cauſam inviſum populis artificioſe reddebant, ut a quo talia, ſi rerum olim potiretur, expectanda eſſent. Itaque pacis mentio inpraeſentiarum omiſſa; et rex, ſpretas preces ſuas ab Eliſabetha, calcatumque tam indigne regium faſtigium, propalam aegre ferens, ut juſto dolori ſuo ac decori ſimul, et vulgi concitati opinioni, ſatisfaceret, magnificas exſequias Scotae parandas curavit; quae in majore urbis templo magna principum ac procerum frequentia celebratae ſunt III Eidus Martias.

VAR. LECT. [α] miſerae captivae *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Tritonio, abbé de Pignerol.* [b] *le cardinal Lauro.* [c] *Owen.* [d] *de Caſan en Tartarie ſous l'empire du Czar de Moſcovie.* [e] *le comte d'Olivarez.*

Martias. Rex ipſe, ac regina uxor, et ampliſſimus ordo interfuit. Orationem funebrem habuit jam multoties a me honorifice nominatus Reginaldus [a] Belnenſis archiepiſcopus Bituricenſis; in qua tempori ſerviens cum in Guiſianorum mentionem incidiſſet, eos, Virgiliano elogio, duo fulmina belli appellavit: quod impatienter rex tulit, et Bituricenſem per amicos increpuit, monuitque ad auctoritatem ſuam pertinere, immodicas laudes publicae quietis perturbatoribus non tribui. Itaque, cum oratio poſtea publicaretur, elogium illud in ea omiſſum eſt. Rex ipſe longe aliter eo caſu afficiebatur: nam de Scotae injuria jam ſecurus, cui nullum, niſi in ultione tunc intempeſtiva, remedium poſitum videbat, ad proprium periculum reſpicere coepit; animo reputans, quam longam malorum ſeriem renovata nuper foederatorum factio, et cenſurae ab iis a pontifice extortae, ſecum traherent: nam conjurationes illas toties contra Eliſabetham repetitas, [b] Durocortori Remorum a ſeminarii a Carolo cardinali Lotharingo inſtituti ſodalibus primum conceptas, dein Romae recoctas, rurſus in Gallia a foederatis agitatas, poſtremo in Britanniam penetraſſe; neque, poſt tot ſeveritatis in conſcios edita exempla, earum conatus hactenus coerceri potuiſſe: igitur ſerio ex eo angi animo, quorſum bellum nuper in Gallia excitatum tandem evaderet; atque adeo vereri, ne arma, ſe invito contra Navarrum ac Proteſtanteis ſumpta, in proprium caput tandem verterentur.

XVII. In ea anxietate defixum, et ſero, tarditate inſita, de idoneis adverſus peſtem domeſticam remediis cogitantem, urbana conjuratio paene oppreſſit; cujus initia altius repeti pretium videtur. Ejus fundamenta cum prius in urbe jeciſſet Petrus [c] Hennequinus ſenatus praeſes, auctor foederis ante decennium clam initio icti, et poſtea vi regi allata palam publicati, eo mortuo Stephanus [d] Nuellius, quem Hennequinus moriens fruſtra ſibi ſucceſſorem deſignaverat, factionem fovit, ac diu aluit per emiſſarios ſuos, homines lapſos facultatibus, et quibus, aut ad ſcelera tegenda, vel privatas rationes ſarciendas, bello civili opus erat. In iis facile principes erant Carolus [e] Hotmanus Rupiblundus, et Ruſſillus quidam, qui, poſt verſuram aliquoties factam, cum in publico comparere non auderet, et apud amicos, carcerem metuens, quamdiu leges per pacem viguerunt, lateret, per tumultus ſubito in publicum prodibat, et ſe factioſis ducem praebebat. Is a Nuellio et Guiſianis inſtigatus, cum paucis ejuſdem farinae hominibus re communicata, foedus renovat; religionis Catholicae, quae ignavia regis ſecure omnia et ad libidinem eorum, quos toties nominavi, regnum adminiſtrantis ſummopere periclitabatur, et reipublicae in meliorem ſtatum inſtaurandae, cauſa obtenta. Joannes [f] Prevotius theologus Pariſienſis S. Severini archipresbyter, homo doctus, imprudentia potius, cum religionis cauſam agi putaret, quam turbarum deſiderio, huic factioni princeps nomen dedit: poſt eum Joannes [g] Bucerus nobili familia Lutetiae natus, inprimis eruditus, de cetero ad feritatem et rabiem uſque obtrectator et factioſus, B. Benedicti plebanus; et Matthaeus [h] Launaeus ſacri Sueſſionum collegii ſodalis, olim ſacerdos, et poſtea ejerata majorum religione doctrinam Proteſtantium amplexus, paſtoriſque officio diu inter eos functus, uxore etiam ducta; cujus cum propter egeſtatem aetate jam inclinata [α] taederet, errore recantato ad nos redierat, ſed incerta fide; quam mox, ut ſe vere Catholicum approbaret, factioſis addixit. Ii alios in urbe, ſeu religionis ſpecie deceptos, ſive novarum

VAR. LECT. [α] taederet, homo levis, errore prius cum Henrico Paramenterio recantato, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Beaune, archevêque de Bourges.* [b] *Reims.* [c] *Hennequin preſident.* [d] *de Nully.* [e] *Hotman Sr de la Rocheblond, & le Sr du Rouſſeau.* [f] *Prevoſt archipreſtre de S. Severin.* [g] *Boucher curé de S. Benoiſt.* [h] *de Launay chanoine de Soiſſons.*

novarum rerum ſpe illectos, in ſuas partes pertrahunt, vilis fere conditionis, aut aere alieno gravatos; inter quos praecipui fuere Ludovicus [a] Aurelianus in curia patronus, [b] Acaria rationalium praepoſitus, Calmontius, Menagerius, Hennequinus Maneurius Franciae quaeſtor. Poſtea in conſcientiam aſciti Joannes [c] Peletarius S. Jacobi in macello curio, Joannes [d] Vinceſtrius concionator turbulentus, [e] Cruceus liticularum in praetoris urbani tribunali cognitor, [f] Morlerius et Hata actuarii publici, [g] Luchardus, alii: ſed omnium audaciſſimus, et praefracta temeritate inſignis, Joannes [h] Clericus Buſſius; qui, gladiatoriam olim profeſſus, poſtea litigantibus cognitoriam operam in curia navaverat. Inter eos eminebat Michael [i] Martellus Capella, Nuellii gener et Annae [k] Braiae filius, foeminae opulentiſſimae vulgo creditae; quae, redemptis maximis regni teloniis, grandem pecuniam [l] Martelli Nogentii grandioris natu filii nomine undique corraſerat, et ejuſdem, paulo ante ex rerum acciſarum deſperatione mortui, nomine decoxerat: quod cum in fraudem creditorum factum plerique quererentur, eamque in jure perſequerentur, ille ad aes alienum et ſuum et maternum tegendum turbas quaerebat, et ſe factioſis ducem in urbe praebuerat. Gilbertus [m] Cofferius Deffiatus, ſcriptis contra Proteſtanteis editis notus, in [n] Boiis loco nobili natus, initio conſiliis eorum, quae ſecreta in collegio [o] Sorbonae, et poſtea in [p] Forteretenſi ſchola, quotidie habebantur, participaverat, cauſam religionis agi ratus: ſed mox, ut res ad ſeditionem vergere, et ad regiae dignitatis ac publicae tranquillitatis perturbationem ſpectare, intellexit, mutavit, et mature ab iis abſtinuit. Omnium pertinaciſſime et ad exitium uſque factioni adhaeſit ex nobilitate Franciſcus [q] Roncerollius Menevilla, Hugovillani Abbatis-villae praefecti minor frater, multis adfinitatibus ſubnixus, qui inter Guiſium et foederatos in urbe conjuratos arcanorum diſpenſator ultro citroque commeabat; adoleſcens literis egregie cultus, et aliis ornamentis, quae hominem nobili loco natum decent, abunde inſtructus; ad haec naturali dicendi facultate praeditus, ſed, praecepta ſui opinione, ut in loquendo arrogans, ſic in agendo temerarius. Is, ut de novo aliquis arcanis initiandus in ſocietatem conſiliorum a conjuratis vocabatur, fere ſemper aderat, et magno verborum flumine coram eo foederis religionem, cauſas, potentiam, extollebat ac commendabat: id religionis conſervandae cauſa initum, quae ſeu negligentia ſeu diſſimulatione regis, Navarro et Proteſtantibus in occulto faventis, in dies labefactetur: jam in Sangermano ſuburbio plus X CIↃ, ſeu Proteſtantium, ſive, ut regis ac reipublicae ſtudioſos nomine tunc odioſo vocabat, Politicorum, domicilium habere; complures autem ſacri conſiſtorii conſiliarios Navarri partes fovere, quorum conatibus mature obviam ire publicae ſalutis interſit: ad id expeditum videri, ut vere Catholici armis clam ſumptis praevertant; non defuturos pleroſque officio principes ac proceres, ac praecipue Guiſium et Meduanium fratres, et Aumalium eorum patruelem, ac cetera illuſtriſſimae familiae Lotharingicae columina: idem facturos et pontificem et totum cardinalium collegium; praeterea in Gallia univerſum eccleſiaſticorum ordinem, inter quos merito principem locum teneat Sorbonicorum theologorum collegium: Hiſpaniarum denique regem, Sabaudiae ducem, Parmenſem, ac ceteros bene ſentienteis de religione principes. Ad haec addebat inſignis calumniae in regem commenta: Eſpernonium ſtatim poſt Franciſci regis fratris mortem in Aquitaniam ad Navarrum miſſum cum CC aureorum

CIↃ,

INTERPR. [a] *d'Orleans avocat.* [b] *Acarie maiſtre des comptes, Caumont, Menager, & Hennequin Sr de Maneuvre treſorier de France.* [c] *Pelletier curé de S. Jacques de la Boucherie.* [d] *Guinceſtre.* [e] *Crucé procureur au Chatelet.* [f] *la Morliere & la Hatte greffiers.* [g] *Louchard.* [h] *Buſſy le Clerc.* [i] *la Chappelle Marteau.* [k] *de Bray.* [l] *Martel Sr de Nogent.* [m] *Coeffier Sr d'Effiat.* [n] *le Bourbonnois.* [o] *la Sorbonne.* [p] *le college de Forteret.* [q] *de Roncherolles Sr de Meneville, cadet de Hugueville gouverneur d'Abbeville.*

CIↃ IↃLXXXVII.
HENRICUS III.

cIↃ, qui ei de regni ſucceſſione, ſi regem ſine liberis decedere contingat, ſpem certam faceret. Sed Dei gratiam in ſua praecipue cauſa minime defuturam; jamque in urbe eſſe ac toto regno permultos, qui vitam potius profundere parati ſint, quam committere, ut patientia ſua tam ſcelerata conata, cum religionis periculo conjuncta, exitum ſortiantur: igitur antevertendum, et a metropoli totius regni urbe, quae ceteris exemplo ſuo praeeat, principium faciendum: exiguas regis vires eſſe; ccc circiter [a] praetorianos, [b] Hoſpitii praefectum, qui paucos equites circa ſe habeat; Nicolaum [c] Rapinum ſuccinctum quaeſitorem, cum paucis itidem equitibus, et Nicolaum [d] Hardium peninſulae Francicae itidem latrunculatorem; ſed eum, jam aetate affecta, nihil ob ſenium per ſe, omnia per vicarium ſuum, exequi ſolere: contra, foederatos habere jam vireis collectas in propinquo, et ad quatuor armatorum millia Guiſium in Picardiae et Campaniae finibus clam conſcripſiſſe, quibus ſtipendia ex pia civium Pariſienſium collatione procedant. Haec a Menevilla ad faciendos animos iis qui factioni nomen dabant, ſeu vere ſeu falſo, jactabantur. Ubi his initiis crevit conjuratorum numerus, alio atque alio loco, ut magis fallerent, conveniebant. Dein munia inter eos didita, ac regiones urbis audaciſſimo cuique lingua et manu attributae, cum mandatis, ut, injecto de Navarri in aula et urbe conatibus metu, invidiam regi crearent, et fidem plebis ſolicitarent. Immiſſi et ex lictoribus et cognitoribus inferioris tribunalis ſceleratiſſimi quique, qui per omnia urbis tribunalia oſtiarios, lictores, ac cognitores, ad ſuas partes pertraherent. In vilem plebem, quae magis credula et a veritate rerum abeſt, ſparſa a [e] Tuſano [α] Pocardo homicidiis infami, et [f] Gilberto ſeplaſiario, plena impudentiae mendacia; Navarri emiſſarios coitione facta decreviſſe, una nocte cunctos Catholicos ad internecionem trucidare; id ſcire regem, nec abnuere, odio in Catholicos principes concepto; nec aliam rationem ſalutis expediendae ſupereſſe, quam ſi contraria peſte peſtem in viſceribus haerentem diſcutiant, et inimicorum conatibus in tempore praevertant. His artibus incenſi navicularii, bajuli, plauſtrorum vectores, lanii, ſeplaſiarii, equorum mangones, et hujuſmodi homines, ſanguini fundendo et turbis in urbe aſſueti, fidem obligant, duces, qui illis attributi ſunt, ſigno dato ſecuturos. Ad incendendos animos multum contulere concionatores, palam ex ambone in Navarrum debacchantes, haud ſine contumelioſis in regem quaſi Navarro faventem verbis: ſed maxime omnium nonnulli ſacerdotes; qui poenitenteis in ſecretis confeſſionibus cum audirent, et calumnias a concionatoribus in vulgum jactas repetebant, et quae ſuppreſſis illi nominibus poenam veriti effutierant, plenius in regis et conſiliariorum regii nominis ſtudioſorum invidiam explicabant; et tam virorum quam foeminarum credulos animos, loco conſolationis, in fideli colloquio, his falſis rumoribus [β] implebant. Itaque perplexis interrogationibus et injectis ſcrupulis miſerorum hominum conſcientias, quaſi equuleo ſubjectas, torquentes, arcana familiarum curioſe rimabantur; et in cauſa religionis, etiam inſcio principe, fidem a ſubditis obligari poſſe, locis ex Scriptura et ſcholaſtica ſcientia demonſtrantes, poſtremo miſeros confitenteis ad factionem amplectendam adigebant; interdum gratiae beneficium impertiri

recuſantes

VAR. LECT. [α] Pocardo, homine ſecundum cruciarium, de quo alias dixi, homicidiis infami, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] implebant. Jeſuitae patres inter omnes huic miniſterio inſervientes excellebant; qui, praeter ſcholam in via Jacobaea juventuti erudiendae deſtinatam, novum ludum nuper in Santantoniana via beneficio cardinalis Borbonii aperuerant; et, nova noſtriſque moribus ad hunc diem inaudita diligentius peccata examinandi ratione excogitata, effecerant, ut ſpretis curionibus concurſus ad eos fieret. Ii igitur perplexis interrogationibus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *regiment des gardes.* [b] *Prevoſt de l'hoſtel.* [c] *Rapin, prevoſt de robbe courte.* [d] *Hardy, prevoſt de l'Iſle de France.* [e] *Touſſaint Poccard.* [f] *Gilbert parfumeur.*

recuſantes iis qui factioni nomen dare detrectabant. Qua de re cum querimoniae quaedam perlatae eſſent, primum ad epiſcopum, atque poſtea tandem ad legatum pontificium, is pro tempore erat Jo. Franciſcus [a] Maurocenus cardinalis, vir, ut natalium claritate, ſic pietate et morum probitate ac ingenii candore, inſignis; increpiti illi ac moniti, ne eccleſiaſtico miniſterio ad libidinem tam licenter uterentur, non tam deſierunt, quam cautius egerunt; et, ne ſecreta hujuſmodi deinceps emanarent, hanc novam doctrinam ſanxerunt, tam peccati ſummi poenam incurrere confitentem, ſi, quae de ſacerdote intellexerit, propalet, quam ſacerdotem eorum, quae a confitente ſub ſacroſancto confeſſionis ſigillo acceperit, revelatione. Alia et inventa ad factionem fovendam incentiva; nam ſupplicationes quotidianae decretae et indictae ad ſingula urbis pulvinaria, quae gemmis et vaſculis aureis et argenteis admirandi operis, certatim a devotis ad oculos paſcendos commodatis, exornabantur: qua commoditate uſi conjurati, cum regi male ſuſpicandi ademptam occaſionem crederent, ſaepius impune conveniebant, et plebs in ſecreti jurisjurandi religione magis in dies confirmabatur. His accedebant [b] luſtrationes ambarvales, quae a ruſticis tam viris quam foeminis, ex Campaniae limite, [c] Tiracenſi agro, [d] Lotharingia et Picardia, a Guiſio de induſtria immiſſis, et crucibus aliiſque induſiis albis indutis, fiebant; qui longa ſerie urbem ingreſſi, neſcio quas confuſas preces decantantes, plebis attonitae oculos in ſe convertebant, non ſine tacito multorum melius de religione et republica ſentientium morſu, qui intempeſtivas hominum, tempore alieno quaſi advolantium, concurſationes ac cantilenas tanquam laevi ominis indicia accipiebant; perinde atque ii qui ad mare habitant, qui ex horrendis foedarum per litus diſcurſantium avium clangoribus futuras tempeſtates praeſagiunt. His ſpectaculis, quae ad defectionem ſpectabant, eo impudentius regi illudebatur, quod iis oblectari rex ipſe ſemper antea prae ſe tulerat; et, Flagellantium ſe pompis nocturnis ſponte intereſſe ſolitus, hujuſmodi exoticas religionum ſpecies, quas in perniciem ſuam vergere minime ignorabat, licet invitus, pati cogebatur.

XVIII. Rebus ita ex Guiſii voto in urbe procedentibus, reſtabat, ut exemplo Pariſienſium ceterae urbes ad ſubſcribendum factioni invitarentur. Itaque in ſecretis illis conventibus, Menevillae a Guiſio miſſi inſtigatu, [e] Amelinus inter conjuratos homo audax et impudens deligitur, qui in [f] Carnutes, Belſiam, Aurelianenſem agrum, Bloeſas, Turones, Andeis, Cenomanos, Perticenſeis, proficiſceretur: alii in alias provincias miſſi cum ampliſſimis mandatis, ut fidem populorum ſolicitarent. Ii, quos rebus acciſis motuum magis cupidos norant, conveniunt, et per eos coitiones per urbes faciunt. Ibi magnifice de Guiſii egregia erga ipſos et religionem antiquam voluntate praefati, exercitum ingentem ab eo ad XXC armatorum CIↃ conſcriptum mentiebantur, et in ejus uſum jam de copioſo commeatu abunde proviſum; iiſque opibus ſubnixum Guiſium fidem obligaſſe, fore, ut intra triennium unius, hoc eſt, Catholicae, religionis cultus ſervetur: hac fiducia Pariſienſeis CCC aureorum CIↃ in belli tam juſti ac neceſſarii ſumptus contuliſſe. Illi Lutetiam reverſi ad conſcios ſecunda omnia referunt, et per urbes amicas, ubi a Pariſienſibus principium fieret, mox paratos cunctos fore renunciant.

XIX. Inde, Bernardini Mendozae Philippi apud regem oratoris, cui foederatorum factio ſtudebat, rogatu, Guiſio annitente, de [g] Bononiae urbis maritimae in Morinis, quae a Rogerio Raimundo [h] Bernaeo, Eſpernonii nomine, tenebatur, intercipiendae

INTERPR. [a] *Moroſini.* [b] *proceſſions par la campagne.* [c] *Thieraſche.* [d] *Lorraine.* [e] *Ameline.* [f] *Pays Chartrain, Beauſſe, Orleannois, Bleſois, Touraine, Anjou, le Maine, & le Perche.* [g] *Boulogne ſur mer en Picardie.* [h] *de Bernay.*

CIƆ IƆLXXXVII. HENRICUS III.

interceipiendae ratione conſilium agitatum fuit, ut ea claſſi Hiſpanae, inſanis ſumptibus ante aliquot annos jam inſtrui coeptae, portu excipiendae inſerviret. Qua in re Mendoza conjuratis, et fortaſſe Guiſio ipſi, egregie impoſuit, ſi, quod pollicebatur, ipſis perſuadere potuit; nimirum, ſi claſſis in Bononiae portu receptum haberet, copias omneis, quae claſſe portabantur, in terram expoſitum iri, ad res, quas illi animo agitabant, conficiendas praeſto futuras. Atqui claſſis illa in [a] Britanniam deſtinabatur, ad quam tuto appelli poſſe deſperabat, anguſto adeo inter Galliam et inſulam freto, quod foedis tempeſtatibus fere infeſtum eſt. Itaque portum trajectu opportunum in terra Francia a conjuratis poſcebant ſibi Hiſpani, quod in Belgio nullum commodum haberent, in quo citra naufragii periculum ventos ſecundos ad tranſmittendam in Britanniam claſſem opperirentur. Idque Guiſium fortaſſe minime latuit, qui tunc, ſuperſtite adhuc Maria Scotorum regina, animum etiam in Britannia, ut in Francia, habebat; et ita facile a vafro Hiſpano Pariſienſibus imponi patiebatur, quod utrubi claſſis curſum intenderet, modo ſalva appelleret, id commodo ſuo cederet. Ita autem dolus ad intercipiendam Bononiam compoſitus erat, ut, niſi per indicem id rex reſciviſſet, proceſſurus fuiſſe credatur. Erat provinciae latrunculator Petrus [b] Vetus, Joannis Veteris, in familia cardinalis Lotharingi olim educati et a nobis aliquoties commemorati, frater; qui, pro ratione muneris dum illac cum equitibus ſuis excurreret, ſub veſperam ad urbem veniens portam occupaturus erat, et [c] Aumalius, qui haud hinc longe cum delectis in inſidiis latebat, mox eo ex compacto venturus: quod ſi ſuccedebat, continuo ad arcem impetum facturi erant, nobilitate vicina ad eam obſidionem e veſtigio concurſura, odio Eſpernonii, multis nominibus, ac praecipue quod cum Navarro conſpirare jactaretur, non ſolum plebi per urbes, ſed etiam nobilitati, inviſi. Verum re cognita rex ſtatim ad [d] Bernaeum mittit, qui, latrunculatoris adventum obſervans, eum cum equitibus ſuis in porta ipſa, quam occupaturus venerat, demiſſo raſtro oppreſſit, diuque captivum tenuit: et cum eodem tempore Aumalius accurriſſet, aliquot machinarum muralium ictibus ex arce diſploſis, detectas inſidias magno ſuo cum dolore ſenſit, et irrito conatu cum ſuis diſceſſit; a delectis ſcloppetariis, quos Bernaeus in inſidiis diſpoſuerat, dum recedit, paene interceptus. Quae omnia, etſi propalam in regiae auctoritatis contumeliam aperte fierent, tamen, quia publico omnium adverſus Eſpernonium odio excuſabantur, rex, a matre, et aliis qui circa eum erant, perperam perſuaſus, diſſimulabat, vetereſque injurias ferendo quotidie novas invitabat. Petrus Vetus ita captus vix poſt quatuor menſeis Guiſii interventu libertati reſtitutus eſt.

XX. CETERUM res a Nicolao [e] Polinio Nicolai Hardii, de quo modo dixi, vicario detecta fuit; qui, ante triennium a Joanne [f] Clerico Buſſio et Georgio [g] Michaelio apparitore ſolicitatus, cum factioni a conſciis addictus crederetur, conſiliis eorum ab eo tempore ſemper participaverat. Is igitur conſilium Philippo [h] Huralto Cevernio cancellario aperit; a quo rex certior factus protinus ad Bernaeum ſcribit. Eodem Polinio in armis Lutetiae citra ſuſpicionem comparandis uſi ſunt conjurati, VI CIƆ aureorum in eam rem erogatis. Et cum ſibi male conſcii, ob idque a rege tam graviter offenſo metuerent, de munitis urbis locis occupandis ac rege ipſo opprimendo conſilium poſtremo inierunt; impetumque primo cepere regem in [i] Santantoniana via invadendi, cum fere ſolum cum familiaribus in curru et paucis pediſſequis curſoribus e caſtro [k] Vicennarum, quo ad privatas religiones frequenter commeabat, reverti ſolitum eum obſervaſſent. Ita

autem

INTERPR. [a] *Angleterre.* [b] *le prevoſt Vetus.* [c] *le duc d'Aumale.* [d] *de Bernay.* [e] *Poulain, lieutenant de la prevoſté de l'Iſle de France.* [f] *Buſſy le Clerc.* [g] *Michelet.* [h] *Hurault de Chiverny.* [i] *rue S. Antoine.* [k] *Vincennes.*

autem a quibuſdam juxta improbis ac temerariis ordo compoſitus fuerat: occiſo carrucario et diſturbatis pediſſequis, continuo a conjuratis manu promptis currus circumfundi debebat, Hugonotos eum petere clamantibus, monentibuſque ut ex curru propere deſcendens ſaluti conſuleret; tum deſcendentem in ſacellum proximum B. Antonii cum deducerent, et in turrim incluſum eo uſque diſtinerent, donec ſigno dato conſcii omnes arma ſumpſiſſent. Verum hoc conſilium, ut conatu periculoſum et invidioſum, a moderatioribus rejectum eſt; inſtantibus nihilominus conſilii auctoribus, occupandum eſſe, et, antequam rex majores vireis colligeret, ſi ſe ſalvos vellent, quavis ratione, vel cum inſigni facinore, urbem ejus jugo liberandam: inter privatos periculoſum eſſe, ei, quem offenderis, parcere; in principe multo periculoſius, qui injurias ſuas, niſi cum regiae dignitatis diſcrimine, condonare non poſſit. Itaque miſſi alii ſuper alios ad Guiſium nuncii, orantes, ne diutius adventus ſui ſpe ſuſpenſos amicorum animos teneret: regi patere ſua ac foederatorum in urbe conſilia; quae niſi mature praeſentia ſua juverit, quicquid intempeſtivae opis ab eo exſpectatur, poſt periculum fruſtra futurum. Verum Guiſius, cui perſpecta eſſet et ingenii regis cunctatio et conſiliariorum ejus ignavia, quamvis Pariſienſium periculum minime negligeret, nihil praecipitandum ratus, remiſſis promiſſorum plenis nunciis, tempus ducebat; quippe qui concepti negotii magnitudinem, non unius urbis ambitu, ſed univerſorum regni ordinum voluntatibus, atque adeo vicinorum principum opinione, metiretur, et non ſolum ad decus ſed etiam ad ſecuritatem pertinere exiſtimaret, ut primos arridentis fortunae ſucceſſus ſecunda fama apud omnes comitaretur. Igitur, remiſſis ſubinde nunciis, adventus ſui ſpe Pariſienſeis lactabat, et temeraria eorum conſilia morabatur.

XXI. Dum in eo ſunt, commodum, ut ipſi rebantur, accidit, ut [a] Meduanius ex Aquitania reverteretur, debellatis Proteſtantibus longe lateque victor ac triumphator, ſicuti magnifice paſſim in vulgus a factioſis, et ex ambone a concionatoribus, jactabatur. Eum, cum ad Sandionyſianas aedeis hoſpitium ſumpſiſſet, continuo conjurati adeunt, et, periculi, in quo verſantur, magnitudine demonſtrata, rogant obſecrantque, ne ſe tam neceſſario tempore deſerat, et praeſentia ſua fraternae morae diſpendium ſarcire velit; ad extremum, ut intelligeret quam potens et numeroſa in urbe ſociorum factio eſſet, orant ut primarios inter eos alloquio ſuo dignaretur, et ſolemni ſacramento in foederis verba adigeret. Id nocturnis coetibus peractum, non ignaro rege; quippe qui de omnibus rebus certior per eundem [b] Polinium fieret. Sed erant circa regem, et in iis Renatus [c] Villoclarus urbis gubernator, qui praefracta impudentia rumores illos tanquam falſos, a levibus hominibus ad turbandum regis otium ſparſos, elevabat, palamque pro indicii praemio ſuſpendium minabatur iis qui talia ad regem deferrent. Nec foederati interea incepto abſiſtunt, ſed apud Meduanium inſtant, ne ſuorum periculum negligeret. Sub id [d] Morlerius, ob conventum in ejus aedibus ſecretum habitum, a Nicolao Hectore [e] Perruſio tunc mercatorum praefecto juſſu regis comprehenſus, et tantum in [f] aedibus publicis, ut rex, ſi ita videretur, factum negare poſſet, retentus eſt: qua ex diſſimulatione audaciores facti conjurati Meduanio facile perſuadent, ut Morlerium, privata auctoritate a Perruſio Catholicis ſuſpecto ſub cuſtodia retentum, liberandum ſuſciperet. Nam ſtatim ille, regis mandatu id factum ignorare ſe fingens, truci vultu Perruſium aggreditur; et, niſi Morlerium, quem, ut

INTERPR. [a] *le duc de Mayenne.* [b] *Poulain.* [c] *de Villequier gouverneur de Paris.* [d] *la Morliere.* [e] *de Perreuze prevoſt des marchands.* [f] *l'Hotel de ville.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

ut aiebat, nulla re alia, quam quod antiquae religionis ferventiore amore teneretur, nocentem comprehendi juſſerat, libertati reſtituat, fore dicit, ut veri Catholici tantam injuriam inultam non ſinant. Mox circumfundente aedeis publicas naviculariorum et infimae plebis incondita multitudine, vix tempus conceſſum, quo Perruſius et [a] aediles regem conſulerent; qui, ex ſententia reginae et aliorum conſiliariorum, ac Villoclari inprimis, protinus Perruſio mandat, quo ſe periculo eximat, Morlerium dimitteret; ita tamen, ut omnes intelligerent, ipſius mercatorum praefecti et aedilium mandatu, non regis juſſu, eum comprehenſum: parum prudenti ad tuendam regiam majeſtatem commento, cum omnes ſcirent, et juſſu regis Morlerium captum, et tam inſignem injuriam urbano magiſtratui a ſeditioſis factam ad regem ipſum pertinere. Is caſus, licet metus confeſſionem adjunctam haberet, non tantum animos conjuratis ad majora contra regem audenda fecit, ſed etiam ex deſperatione gratiae ad conata perficienda ſtimulos addidit. Itaque Meduanium poſtremo circumſtant, et ſuſpectam regis patientiam ſibi dicunt; petuntque, ut ipſius auſpiciis urbem a periculo liberare liceat: parum tot exantlatis longe in Aquitania contra Proteſtanteis laboribus profectum, niſi amicos a tyranno et Sectariae peſtis fautore, ſic regem vocabant, domi tutos praeſtet: tot adoreis mactae genti hoc unum deeſſe, ut, quam terribile Lotharingorum nomen inimicis hactenus fuit, tam certum praeſidium in iis ſibi collocatum amici intelligant. Meduanius, vir magni animi, ceterum nequaquam popularis aurae captator, ideoque a ſtolidis ac turbulentis conſiliis natura alienus, quanquam aegre faceret ut inſanienti plebi morem gereret, tamen, cum eo factionis neceſſitate ſe redactum videret, ut non niſi cum potentiae favore plebis ſubnixae diſpendio ab iis diſſentire poſſet, poſtremo aſſenſit, et ſe iis vel cum vitae diſcrimine praeſto futurum promiſit. Conſilium eorum erat, munita loca urbis occupare; inprimis Baſtiliam, Laurentio [b] Teſtutio vigilum praefecto, qui extra arcem haud hinc longe pernoctare conſueverat, noctu capto, et, pugione ad guttur adacto, deditionem ſuis, qui in arce erant, imperare coacto: inde cancellarii, Achillis [c] Harlaei primarii praeſidis, Jacobi [d] Faii Speſſaei patroni regii, et aliorum, qui addicti regi credebantur, ad domos itare, et iis occiſis opes ipſorum diripere; tum [e] armamentarium in poteſtate habere, cujus capiendi ſpem fecerat quidam conflandis machinis [f] operarius: praeterea [g] majus ac minus caſtellum, ope [h] lictorum et commiſſariorum, quos vocant; [i] templum itidem (ita communeis [k] Rhodienſium equitum arcis inſtar exſtructas aedeis vocant) et [l] publicas aedeis munire: quibus actis [m] Luparam corona cingere, delectis ad id IV CIↃ ſcloppetariorum; ac, ne urbs ad praedas pateret, et ſui praedando occupati confuſis ordinibus huc illuc dilaberentur, catenas per vias tendere, et ad ſingulas catenas tumultuaria munimenta exſtruere, decreverant, paratis ad id doliis terra oppletis: quod ſeditioni altero poſt anno ſecutae occaſionem praebuit. Ceterum hoc doliorum munimentum, non ſolum ad praedas arcendas, ſed etiam ad nobilitatem paſſim per urbem hoſpitia habentem, ne obſeſſo regi praeſto eſſe poſſet, coercendam, excogitatum fuerat; quam, tanquam regi addictam, ad internecionem delere conſtituerant. Quo facto minime dubitabant, quin regem citra magnum certamen in poteſtate habere poſſent: eoque capto, et quieſcere a negotiis juſſo, conſiliarios ex Pariſienſium foederatorum numero creaturi erant, et, loco cancellarii et aliorum ab iis interfectorum, novos e factione ſua ſuffecturi, qui jus dicerent, et rempublicam adminiſtrarent:

ad

INTERPR. [a] *Eſchevins.* [b] *Teſtu, chevalier du Guet.* [c] *de Harlay.* [d] *de Faye, Sr d'Eſpeſſe, avocat du Roy.* [e] *l'Arſenal.* [f] *un fondeur.* [g] *le grand & petit Chatelet.* [h] *ſergens & commiſſaires.* [i] *le Temple.* [k] *chevaliers de Malte.* [l] *Hotel de ville.* [m] *le Louvre.*

ad extremum, copias Hiſpanas, quae claſſe portabantur, in [a] Aquitaniam contra CIↃ IↃLXXXVII.
Navarrum miſſuri erant. Tanti conatus eventum in ſuis aedibus opperiturus erat HENRICUS III.
Meduanius cum delectis; ſi fortuna votis reſponderet, ducem ſe factionis oſtenſurus; ſi minus ex voto res cederent, per [b] Buſſianam portam, quam, in proximo, juxta ſcorti nobilis diverſorium, conducto hoſpitio, Chriſtophorus [c] Baſſompetra Lotharingis addictus ſervabat, cum ſuis exiturus. Quae omnia cum ex indicio [d] Polinii per cancellarium rex cognoviſſet, copias undique, quam diligentiſſime poteſt, cogit, portas ſtationibus firmat, ad [e] Sanclodoaldinum et Charentonium ad [f] Sequanam et Matronam pontes praeſidiarios mittit; [g] templum et armamentarium in urbe delectis ſibi fidis committit, et Petrum [h] Lugolium majori caſtello, minori Nicolaum [i] Rapinum, praeficit: tum ceteras copias, tam Gallicas quam Helveticas, quae longius aberant, [k] Dionyſii-fanum accedere jubet. Ita diſturbatis factionis conatibus, Meduanius, qui jam complures dies, quaſi lecto teneretur, aula abſtinuerat, animi anxius, per amicos, quos permultos circa regem habebat, ac per reginam parentem inprimis, regis animum tentat. Et antea quidem noctu ex urbe clandeſtina fuga per Buſſianam portam erumpendi cum ſuis conſilium ceperat: ſed, cum minus id honeſtum putaret, ac vereretur ne fuga crimen fateri videretur, rurſus cum regina agit, quae aliquatenus factioni in occulto favebat; conjurationis ignarum ſe fuiſſe magnis dejerationibus confirmans: et, cautione accepta, fraudi non futurum, ſi cum Baſſompetra Luparam iret, et a rege commeatum cum bona gratia ſua in provinciam proficiſcendi peteret, regem adit; et, cum licentiam abeundi petiiſſet, nullum irati animi verbum aliud a rege tulit, quam, Siccine cognate foedus ac foederatos deſeris? Ad quod cum ſummiſſa voce reſpondiſſet, neſcire ſe quid hoc rei eſſet, tandem, impetrata a rege in praefecturam ſuam proficiſcendi facultate, ex urbe diſcedit; facta ſpe conjuratis, ut praeteritorum ratione nihil inclementius in illos ſtatueretur, neque vero ſe aut Guiſium fratrem, cum quo de communibus negotiis brevi acturus erat, tam longe abeſſe, quin, ſi quid rex contra eos moliatur, paucarum horarum ſpatio ad eos uterque advolare poſſit. Cum diſcederet Meduanius, poſtquam ſuburbia praetergreſſus eſt, urbem ſaepius a tergo reſpexiſſe dicitur, ſtolidam vulgi ferociam cum Baſſompetra deteſtatus; vix dumque periculo ſe defunctum credens, fidem ſolemni ſacramento obligaſſe, nunquam ſe muris incluſurum, in quibus, ex plebis furentis arbitrio, cum vitae ac famae diſcrimine verſari cogeretur. Relicti in ſuburbiis, ex Ludovici cardinalis fratris conſilio, ac paſſim per hoſpitia ſparſi, homines manu prompti et ordinum olim ductores; quorum ope rurſus conjurati regem et iniquos partibus ſuis circa ipſum opprimere ſtatuerant, cum ad [l] nundinas Sangermanas iturus eſſet; quae in illo ſuburbio poſt Kalendas Februarias magno oppidanorum et omnium ordinum concurſu plerumque, non ſine laſcivia et jurgiis, frequentantur. Sed rex certior de re factus toto illo tempore turba abſtinuit, Eſpernonio cum delectis ex compoſito miſſo; qui periculum facturus, verane eſſent quae ad regem delata fuerant, exorta a ſubornatis ſicariis rixa, vix periculum evaſit.

XXII. POSTEA Guiſius, quem ſecreta ſeorſim a fratribus et ceteris omnibus conſilia ſemper habuiſſe ab initio diximus, ubi de iis, quae Lutetiae acciderant, cognovit, graviter Pariſienſibus ſuccenſuit; miſſoque [m] Menevilla de injuria expoſtulavit, quaſi de fide ſua et promiſſis in tempore auxiliis dubitaſſe viderentur:

ad

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *porte de Buſſy.* [c] *de Baſſompierre.* [d] *Poulain.* [e] *ponts de S. Cloud & de Charenton.* [f] *la Seine & la Marne.* [g] *le Temple & l'arſenal.* [h] *Lugoli.* [i] *Rapin.* [k] *S. Denis.* [l] *la foire de St Germain.* [m] *de Mayneville.*

CIϽ IϽLXXXVII. HENRICUS III.

ad extremum ſubjecit, ſi ſe deinceps ita erga ipſum gerere cum animo ſuo conſtituiſſent, licere illis per Guiſium res ſuas arbitrio ſuo curare; Guiſium ſuas viciſſim curaturum. Contra illi factum neceſſitate excuſare, et periculum ſuorum pro excuſatione urgere; non aliam quippe tunc repertam expediendae [a] Morlerii ſalutis rationem, quam ſeditione in urbe excitata: culpam ingenua erroris confeſſione deprecari, atque obteſtari, ne ſe propterea in communi cauſa deſerat, aut rationes ab ipſis ſeparatas in poſterum habere velit. Poſtremo exoratur Menevilla, catena IϽ aureorum ponderis accepta, ut diſſidium hoc componeret, Guiſiumque placaret; fide data, Pariſienſeis foederatos in ejus poteſtate deinceps ſemper futuros, nec a mandatis ipſius ulla ratione diſceſſuros.

INTERPR. [a] *la Morliere.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI

HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER OCTOGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

GUISIUS, *dum in limite Campaniae bellum gerit, a Bullionio paene opprimitur. Valdemontii cardinalis deceſſus.* II. *Navarrus Turenium in Petrocorios mittit; a quo Caſtellio ad Duranium nocturno conatu interceptus. Navarrus Chiſaeum, Saſaeum, Maxentii-fanum, Fontenaium et Mauleonum, eodem ſucceſſu capit.* III. *Jouſa cum exercitu in Pictones deſcendit, et Proteſtanteis ad Eligii-fanum caedit. Captum et Maxentii-fanum. Tona ad Carantonum capta. Maleacum receptum. Diſcedente ab exercitu in aulam Jouſa, Navarrus recedenteis inſequitur uſque ad Haiam in Turonibus.* IV. *Henricus Buchagii comes Jouſae frater in patrum Capucinorum coenobio cilicium ſumit.* V. *Jouſa ad exercitum revolat. Sueſſio ad Navarrum fratrem patruelem tranſit.* VI. *Pugna ad Cutracum. Loci ſitus, et utriuſque aciei ordo. Navarrus vincit. Ejus in victos humanitas. Jouſa ipſe et Sanſalvatorius frater deſiderati.* VII. *Auxiliaris exercitus,* VIII CIↃ *equitum et* XX CIↃ *peditum, in campos Argentinenſeis ad diribitorium deſcendit* VIII *Kalendas Septembreis, duce Fabiano a Donavio; cui attributus a Jo. Caſimiro Michael Huguerius. Summus imperator a Navarro nominatus Guil. Robertus Marcianus Bullionii dux.* VIII. *Lotharingiae dux ad defenſionem ſe parat. Rex cum Guiſio in Meldis collocutus, non ſine acerbitatis ſenſu ab eo diſcedit. Germani Vogeſum ſuperant, et ad Saraepontem caſtra ponunt. De itinere inter auxiliareis diſſidium.* IX. *Ad Griſellam Caſtellionaeus cum delectis copiis venit. Ligerim petendum duces decernunt.* X. *Seditio Lutetiae excitata ad opprimendum regem; qua compreſſa ad exercitum Genabum venit.* XI. *Monglaſſius, a Navarro miſſus ut vada monſtraret, fruſtra fuit. Reflexo per Belſiam itinere, inter treis exercitus infeſtos Germani magno errore incedunt. Ad Vimorium nocturna pugna utrinque minime incruenta.* XII. *Helvetii auxiliareis ad regem mittunt, et a Nivernio moniti conditiones accipiunt. Franciſcus Borbonius Contii princeps in Germanorum caſtra venit.* XIII. *Ad Alnetum Donavius inſigni clade adfectus. Hoc caſu territi Helvetii cum Eſpernonio tranſigunt. Ad Genabum recedentes Germani a regiis iterum caeſi.* XIV. *In Moruano pago cum Germanis de conditionibus agitur: et tandem tranſigitur. Bullionius aeger Genevam concedit, ubi ultimum vitae diem clauſit.* XV. *Confuſe in ea expeditione acta omnia.* XVI. *Miſera regis inter hos ſucceſſus et ſiniſtros contra ipſum a factioſis ſparſos rumores conditio, ſimul et cunctatio.*

EX AUCTORIBUS,

Petri Chuppii relationibus, Claudii Caſtrei commentariis, Fab. Donavii diario militari.

LIBER OCTOGESIMUS SEPTIMUS.

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

GUISIUS interea in Campaniae limite bellum gerebat majoribus animis quam viribus, ex occaſione [a] Rupisregiae ſuperiore anno extremo a [b] Bullionii ducibus, ſicuti jactabatur, captae, et mox ab ipſo Guiſio receptae. Ad quod bellum et incitabatur crebris Caroli cardinalis [c] Valdemontii Virodunenſis epiſcopi precibus, qui Jametianorum in agrum Virodunenſem infeſtas excurſiones ad privatam injuriam pertinere exiſtimabat: nam et ſub initium anni cum praeſidiarii arcem cujuſdam nobilis haud hinc longe occupaſſent, Joannes [d] Lenuncurius ſtatim eo advolat cum aliquot machinis; quibus pulſatum locum vi capit, et captis in eo praeſidiariis laqueo fauces eliſit. Inde Guiſii copiae, [e] Raucurio ditionis Bullioniae oppido occupato, [f] Moſam tranſmittunt, et [g] Donzium veniunt XIII Kal. Maias. Ipſe Guiſius cum delectis progreſſus, ut [h] Dagniam et Givonam caſtella in agro Sedanenſi propius contemplaretur, incumbente Bullionio, cum quo Franciſcus [i] Angeneus Monluetus vir ſtrenuus et alii e nobilitate Gallica erant, oppreſſus, vix, dum ſe recipit amiſſo pallio et aliis inſignibus, ſe periculo eripuit. Magna annonae anguſtia ubique locis vicinis laborabatur, qua tamen Jametiani interea abundabant. Itaque, cum poſt infeſtas excurſiones Guiſius in Campaniam exeunte Aprili ſe recepiſſet, copioſum commeatum inde advexit, induciis XV dierum reginae interventu pactis; quibus exeuntibus rurſus bellum recruduit. Cumque CL equites, [k] Sedano profecti, exeunte Maio [l] Jametium inſcio hoſte noctu veniſſent, forte Lotharingi haud hinc longe in armis conſederunt, praeſidiarios ad pugnam laceſſentes; quam illi novo ſubſidio firmati minime detrectarunt, et praeter ſpem, majore numero quam putabatur, impreſſionem facientes, hoſtem in fugam verterunt, pleriſque interfectis, et in iis [m] Cardonio [n] Aſſonvillae legato: capti item [o] Gargus et Guionierius ordinum ductores. Ita ſparſo ſui late terrore Robertus [p] Thinus Schelandrinus Jametii praefectus copias educit, et, adductis ſecum machinis, caſtella circum a cardinali Valdemontio exſtructa capit et incendit. Detecta ſub id conjuratione a IV ordinum ductoribus, quorum princeps erat [q] Percevallius homo pugnax et ſtrenue ingenioſus, qui a Guiſio corruptus arcis tradendae ſpem fecerat, iis mox caput truncatum. Inde ad [r] Briullam admotae copiae, locum a [s] Virodunenſibus munitum; cujus defenſores vi intentata captivos tradere juſſi, cum aſſenſi eſſent, ſi ab obſidione diſcederetur, diſcedente Schelandrio minime fidem ſervarunt. Eodem tempore Bullionius, qui adventus Germanorum tempus appetere videret, et opportunum exiſtimaret aliquem in limite noſtro locum munitum occupari ad auxiliarem exercitum recipiendum, de [t] Villafranca intercipienda conſilium cepit; ſed re protelata, cum IV Eid. Jun. CC delecti eo miſſi eſſent, praemonitis interim praeſidiariis, conatus fruſtra fuit. Rurſus exeunte Julio [v] Caronius cum delectis Jametio profectus, Fanum [w] Deſiderii, ſed irrito exitu, tentavit; paucis e ſuis captis, qui patibulo ſuſpenſi ſunt; et cum ceteris Jametium incolumis reverſus. Aliquot interjectis menſibus, Octobri exeunte, cardinalis Valdemontius, quo auctore

et

INTERPR. [a] *Roc-roy.* [b] *le duc de Bouillon.* [c] *le cardinal de Vaudemont evêque de Verdun.* [d] *de Lenoncourt.* [e] *Raucour.* [f] *la Meuſe.* [g] *Donzy.* [h] *Daigny & Givonne.* [i] *d'Angennes Sr de Montlouet.* [k] *Sedan.* [l] *Jametz.* [m] *le Sr de Chardon.* [n] *d'Aſſonville.* [o] *les capitaines Gargas & la Guioniere.* [p] *de Thin baron de Schelandre.* [q] *Perceval.* [r] *Brieulle ſur Meuſe.* [s] *ceux de Verdun.* [t] *Villefranche.* [v] *le capitaine Caron.* [w] *S. Diſier.*

et impulſore bellum contra Bullionium accenſum fuerat, paulo ante pernicioſae regno foederationis, quae ſub cardinalis [α] Borbonii nomine a Guiſio fovebatur, vicarius declaratus, [a] Tulli in Leucis obiit: corpus [b] Nanſium inde tranſlatum et ad Franciſcanorum terrae mandatum eſt.

II. DUM haec in urbe circa regem et locis vicinis gererentur, Navarrus, ſoluto cum regina colloquio, [c] Rupellam redierat, miſſo inde in [d] Petrocorios [e] Turenio: qui Bergeracum ubi venit, cognito ex fido ſibi, [f] Caſtellionem ſcalis admotis facile capi poſſe, mittit qui locum diligenter explorarent; et mox ipſe [g] Fanum Fidei venit, aſſumptiſque ſecum cc ſcloppetariis ex eo praeſidio, infra Genſacum eos navigiis imponit, cum xxx circiter ex nobilitate; et [h] Motam, a Caſtellione leucam tantum diſtantem, concubia jam nocte appulit. Tum delectos ex omni numero, [i] Alenio, qui nuper Caſtellionem tutatus fuerat, et Petro [k] Chuppio attribuit, qui ſcalas portarent. Colli praealto Caſtellio inſidet, qui praeciſus undique arduum enitentibus aſcenſum praebet, antequam ad muri pedem perveniatur; ita ut miles mutuo ſe alter alterum enitendo adjuvare cogeretur. Locum tuebatur cum cc praeſidiariis [l] Sanferreolius. Dum pertranſirent, ut fit, per pomoerium vigiles, ad ſtrepitum unus ex iis facem laterna incluſam erigit, ſi quem forte in foſſa conſpicerent; ſed, obſcuro noctis lumen adimente, cum ſociis abiit. Mox admotae ſcalae, Alenio cum primis enitente; Chuppio, qui in imo remanſerat, ne quid tumultus incideret, ordine ceteros immittente. Superato muro, primi ingreſſi ſtationem obviam trucidant; tum ceteri ſumma celeritate inſequuntur, et cum iis Turenius ipſe per ſcalam conſcendit. Defenſores ſtatim ad arma conclamant, ſed ſero, jam occupata platea. Itaque, cum in tumulum quaſi vim facturi ſe collegiſſent, inde per ruinam nuper a Meduanio factam ſe demiſerunt: atque ita tot dierum ac ſumptuum gloria in Caſtellione a Meduanio parta, brevi momento intercepta, periit. Exeunte demum Aprili Navarrus Rupella profectus, cum delectis copiis et aliquot muralibus machinis, [m] Chiſaeum deditione, [n] Saſaeum oppugnatione, capit; praedonibus aliquot, qui in arce reperti ſunt, laqueo ſtrangulatis. Inde [o] Maxentii-fanum ducit; quod, deductis in conſpectum praeſidiariorum machinis, ſtatim deditum eſt: pronunciataque aliorſum profectione, ſub veſperam in viam ſe dat, et ſummo mane ad Fontenaii conſpectum venit; et primo impetu [p] Logias, id ſuburbio ampliſſimo nomen, capit: mox urbem corona cingit, quam [q] Ruſſerius praeſidio tenebat, et [r] Epirotas equites penes ſe habebat. Dum vallum ducitur a Navarro, Rupella, et Joannis-fano, a Condaeo machinae cum apparatu bellico advehuntur: quibus admotis interventu oppidanorum fit deditio arbitrio Navarri, qui ſumma humanitate erga eos et praeſidiarios uſus eſt. Inde [s] Mauleonum verſus Condaeus cum parte copiarum tendit, oppidum exiguum; quod, antequam machinae advehi potuiſſent, admotis ſcalis captum eſt.

III. NAVARRUS interea [t] Lucionium concedit; ubi de regii exercitus, quem cum inſigni nobilitatis comitatu ducebat Annas Jouſa, adventu certior factus, miſſis qui primos in [v] Ligeris tranſitu interciperent, Rupellam revertitur, diſtributis per vicina praeſidia copiis: tantum duae legiones, quibus [w] Deborius et Gabriel [x] Prevotius Carbonarius praeerant, in [y] Pictonibus relictae; quae praedis intentae, dum ad [z] Eligii-fanum haud longe a Maxentii-fano, fide imprudenter ab arcis praefecto

VAR. LECT. [α] Borbonii, hominis ad ludibrium nati, nomine *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Toul.* [b] *Nancy.* [c] *la Rochelle.* [d] *Perigort.* [e] *le vicomte de Turenne.* [f] *Caſtillon.* [g] *Ste Foy.* [h] *la Motte Montravel.* [i] *d'Allens.* [k] *de Chouppes.* [l] *de St Ferreol.* [m] *Chiſay.* [n] *Saſay.* [o] *S. Maixant.* [p] *fauxbourg des Loges.* [q] *la Rouſſiere.* [r] *Albanois.* [s] *Mauleon.* [t] *Luçon.* [v] *la Loire.* [w] *Deſborie.* [x] *Prevoſt de Charbonieres.* [y] *Poictou.* [z] *de la Motte S. Eloy.*

praefecto accepta, ſecurius agunt, a regiis inopinato oppreſſae ſunt, et, contra fidem a pleriſque proceribus datam, ad internecionem juſſu [a] Jouſae crudeliter trucidatae; frementibus pleriſque e ſuis, qui immanem lanienam ultorem aliquando Deum habituram indignabundi praeſagiebant. Nec exitu augurium caruit, efferato ad ultionem milite; qui in pugna mox ad Cutracum commiſſa, dum in victos deſaeviret, Eligianam lanienam ſemper in ore habuit. Carbonarius aberat, Fanum Maxentii profectus; quod ſtatim a Jouſa obſeſſum ille gnaviter aliquandiu defendit: tandem, dejectis vi tormentorum muris, exoratus ab oppidanis, Joannes [b] Caballinus Tiffarderius praefectus locum dedidit; quod Jouſa, quamvis reclamantibus belli ducibus ac proceribus, et Ludovico [c] Caſtanaeo Abennio inprimis, non minus literis et probitate quam bellica virtute praeſtanti, militi diripiendum conceſſit; et Antonium [d] Hilaretum Jarrietum paſtorem forte captum, et a malevolis agnitum, quod ejus in deditionis conditionibus mentio expreſſa non eſſet, publice laqueo ſuſpendi juſſit. Capto Maxentii-fano cum Jouſa [e] Niortium rediiſſet, inde [f] Maranum verſus ducturus credebatur; quo occupato magnae ad res deinceps gerendas commoditates ex eo redundabant: ſic enim fiebat, ut ingreſſus in Pictones Navarro intercluderetur, et minoribus difficultatibus in Fontenaii obſidione, quam animo meditabatur, ipſi conflictandum eſſet. Itaque Navarrus loco metuens munitiones peninſulae circumpoſitas novis praeſidiis firmaverat, et Hectorem [g] Preolium ſtrenuum tribunum cum legione ſua eo miſerat, qui cum [h] Jarrio oppidum et arcem contra hoſteis tueretur. Verum rogatu [i] Sanlucii Jouſa alio vireis vertit; et, facto per [k] Surgeriam in Alnetenſi pago itinere, [l] Tonam ad Carantonum ducit; quam et admotis tormentis in fidem accipit: cognitoque [m] Pullii ſtrenui belli ducis, qui Rupellae tunc erat, equitum turmam, medio inter utramque urbem itinere, ad [n] Crucem-capellam hoſpitium habere, eo inopinato cum flore exercitus ſub auroram venit, et locum undique quaſi indagine cingit. Heic Pulliani poſt longum et obſtinatum certamen, cum perforatis domibus per latus, a tergo, et a fronte, etiam immiſſo per tecta igne, peterentur, ad extremum deditionem fecere. Pari immanitate in deditos ſaevitum: quidam e latebris producti et ſpoliati, a fero milite, gladiorum ictibus, quaſi aciem eorum probare vellet, inſolenti ſaevitiae ſpectaculo, confoſſi. Inde Tonam reditum, quod Navarrum ſuis auxilio advenire nunciatum eſſet, et repetitum Niortium. Unde rurſus, cum intellectum eſſet Tonam a Condaeo receptam, Jouſa continuo revolat, et eadem facilitate, qua recepta fuerat, rurſus eam capit, et majore praeſidio firmat: Niortiumque reverſus, cognito infrequenteis excubias [o] Maleaci fieri, ex improviſo cum Joanne [p] Chourſio Malicornio Pictonum praeſide locum obſidione tam arcte cingit, ut, cum auxiliares introduci non poſſent, deditio poſt quatriduum ſecuta ſit. Maleacum olim coenobium fuit, quod nomen et hodie retinet, quamvis dignitate epiſcopali ornatum ſit, quod inſtar arcis firmum, per haec bella civilia foedis ruinis deformato templo, a Proteſtantibus diligenter munitum fuerat. Rurſus cum Jouſa Maranum petiturus crederetur, [q] Talmontium deflexit: in quod cognito [r] Sanſtephanum veteranum belli ducem cum delectis ſe incluſiſſe, de exitu veritus, dilabente jam milite et peſte in caſtris graſſante, ab incepto deſtitit; monituſque ab amicis, in aula gratiam ejus apud regem fere praeſentibus intentum per longam abſentiam refrigeſcere, exercitus cura Joanni [s] Bellomanerio Lavardino caſtrorum praefecto

praefecto

INTERPR. [a] *de Joyeuſe.* [b] *Chevalleau Sr de la Tiffardiere.* [c] *de Chaſteigner Sr d'Abein.* [d] *Hilaret de la Jarriette, miniſtre.* [e] *Niort.* [f] *Marans.* [g] *de Preau.* [h] *le capitaine la Jarrie.* [i] *de St Luc.* [k] *Surgeres au pays d'Aunis.* [l] *Tonnay-Charente.* [m] *le Sr de Pueilhe.* [n] *Croix-Chapeau.* [o] *Maillezais.* [p] *de Chourſes Sr de Malicorne.* [q] *Talmont.* [r] *de St Eſtienne.* [s] *de Beaumanoir Sr de Lavardin, mareſchal de camp.*

praefecto commiſſa, per diſpoſitos equos Lutetiam venit xviii Kalendas Septembreis. Recedentem exercitum inſecutus Navarrus cum delecto equitatu treis turmas equitum ex iis cecidit, ſignis ac pleriſque ex nobilitate captis; et [a] Haiam uſque in Turonibus progreſſus, Lavardinum cum II colubrinis ſe recipientem in ea obſedit; conſertiſque aliquot levibus pugnis, in iis amiſit [b] Alenium ex Arelatenſi nobilitate virum bello ſtrenuum, qui antea Arauſionenſi in Belgio, et nuper [c] Caſtellione contra Meduanium diu praeter ſpem defenſo, ac mox poſt ejuſdem diſceſſum recepto, magnam laudem meruerat. Sed cum tormenta ſecum non adduxiſſet, quibus Haiae muros pulſaret, ab obſidione deſtitit; et ulterius progreſſus ad [d] Monſorellum in [e] Ligeris ripa ſupra [f] Salmuriam munitionem exſtruit, ponte ex navibus ſtrato ad trajiciendas copias, quas ex [g] Neuſtria, Andibus, Cenomanis, et ulterioribus provinciis, propediem venturas exſpectabat.

IV. Revertentem in aulam Jouſam multa triſtia ac mali augurii exceperunt: nam paulo ante Catharina Eſpernonii ſoror, et Henrici fratris [h] Buchagii comitis uxor, in juvenili [α] aetate, morbo ex nimiis vigiliis, jejuniis, et ſupra vires ſevera et aſtricta vitae ratione, [β] contracto, deceſſerat. Mortem Catharinae mors civilis ipſius Henrici mox ſecuta eſt; nam ille, ſeu moerore ob amiſſam conjugem, ſive ſubeunte vitae aulicae taedio, clam fratre, in proximo Capucinorum ſodalitio profeſſus, cilicium ſumpſit: qua re rex, ipſius frater, et tota aula admodum confuſa ac turbata eſt, quaſi inſigni clade accepta, nec majoris mali metus aliunde regno impenderet; continuoque ad eum adeunt rex, frater, et omni ratione apud ipſum enituntur, ut propoſitum mutaret, ſeque vitae priori redderet. Cum nihil proficerent, Jouſa, nihil ſibi in vita magis adverſum accidere potuiſſe teſtatus, triſte inde rerum ſuarum augurium cepit, ex eo auctum, quod eodem tempore Eſpernonius aemulus ipſius Margaritam [i] Foxiam Candalam, illuſtriſſimae toto Chriſtiano orbe familiae heredem, a Diana [k] Engoliſmenſi regis ſorore, poſt Magdalenae Sabaudae aviae mortem, educatam, in caſtro [l] Vicenarum uxorem Sextili menſe duxit; minore certe, quam in nuptiis Jouſae factum fuerat, pompa, ad vitandam ſcilicet invidiam, ceterum non minore ſumptu: nam quantum damnoſis illis pompis deceſſit, tantum Eſpernonii hominis providi arcae accrevit; nec populus jam bello attritus, cui haec inſania luenda erat, ex ea parſimonia propterea levatus eſt. Sic autem rex inter luctum Jouſae et gaudium Eſpernonii verſabatur, ut potius alieno ingenio, quam ſuo, regi videretur; aeque triſtibus ac laetis illorum miſer, dum aequali ob id odio apud ſuos laborat.

V. Jousa, tot adverſa et moleſta in aula expertus, et gratiam regis, quod ab amicis monitus fuerat, refrigeſcere haud obſcuris indiciis ſentiens, audax ex neceſſitate conſilium capit; impetratque facile a ſecuro principe jam ipſum faſtidiente, ut prima, quae ſe in manus daret, occaſione cum Navarro totis viribus pugnae aleam ſubire ſibi liceret; ſic apud ſe ſtatuens, ut commiſſo proelio aut citam mortem oppeteret, aut victoria tanta potitus priſtinum gratiae locum, quem favore huc uſque meruerat, virtute ac fortunae beneficio apud regem retineret; conciliatiſque ſibi per hunc ſucceſſum ſacri ordinis et plebis animis, Guiſianos, qui

VAR. LECT. [α] aetate deceſſerat, morbo *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] contracto; quibus in pietatis exercitiis ita male profecerat, ut moriens de ſalute deſperare videretur; vixque tandem, poſt irritas patrum Capucinorum, quorum templo proximas aedes habebat, conſolationes, fideli Renati Benedicti S. Euſtochii curionis, viri ſinceritate doctrinae praeſtantis, et ab omni ſuperſtitione alieni, colloquio in ſpem vitae aeternae erecta ſit. Mortem Catharinae *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *la Haye en Touraine.* [b] *d'Allens.* [c] *Caſtillon.* [d] *Monſoreau.* [e] *la Loire.* [f] *Saumur.* [g] *Normandie, Anjou, & Maine.* [h] *Bouchage.* [i] *de Foix Candale.* [k] *d'Angouleſme.* [l] *Vincennes.*

CIƆ IƆLXXXVII. HENRICUS III.

qui ſolis his opibus nitebantur, omni potentia exueret, et ereptum illis Catholicae religionis patrocinium, captata vulgi, praeſentia fere ſectantis, aura, in ſe transferret. Nam nobilitatem profuſis largitionibus et vaſta liberalitate jam ſibi devinxerat, et, ſparſa proelii propediem committendi fama, flos juventutis aulicae, et certatim ex cunctis regni provinciis nobiles, ad eam expeditionem ſe ultro offerebant: ſic enim apud nos comparatum eſt, ut nobilitas decoris ad vanitatem uſque ſit avida, idque ſummo regni bono; ſic enim fit, ut, inſtante periculo, rex nunquam, etiam ſine ullis ſtipendiis, a nobilitate [α] deſeratur. Interea Navarrus ad [a] Monſorellum copias, et Carolum Borbonium [b] Sueſſionum comitem Condaei fratrem ad ſe venturum, opperiebatur. Is magni animi juvenis, cum regis, et eorum qui circa regem erant, ſive diſſimulatione ſive patientia regiam majeſtatem ſenſim labefactari, regii ſanguinis principum nomen apud omneis ordines vileſcere, contra in dies Guiſianorum gratiam ac potentiam augeri, cerneret, quanquam majorum religioni addictus, cum regni, non religionis, cauſam in hoc bello agi crederet, facile ſibi perſuaderi paſſus fuerat, ut ad Navarri partes, pro regni ſalute et regio nomine tuendo, tranſiret; praeſertim conditionibus perhonorificis a Petro [c] Delbenio abbate oblatis, qui ſpem fecerat, ut Catharinam Navarri ſororem in uxorem pro praemio acciperet. Idem Delbenius, hujus negotii inter Navarrum et Sueſſionem pararius, curaverat, ut ex pecunia ab Eliſabetha Anglorum regina in neceſſarios belli uſus deſtinata, quam Edvardus [d] Staffordus ipſius apud regem orator penes ſe habebat, grandis ſumma in privatos Sueſſionis, ad eam expeditionem ſe parantis, uſus erogaretur: quod a Stafford imprudenter factum regina aegre ferens graviter ei poſtea ſuccenſuit. Igitur Sueſſio, communicato prius cum Franciſco Borbonio fratre Contii principe conſilio, eumque [e] Bonam-ſtabulum uſque, dotale uxoris in Cenomanis caſtellum, proſecutus, ut conſilium eo colore diſſimularet, ita cum fratre componit, ut ipſe cum delectis, qui jam convenerant, praecederet, et ſe cum Navarro quamprimum conjungeret; Contius auxiliaris Germanorum exercitus adventum domi opperiretur; cui ad Navarrum tendenti ad [f] Ligerim poſtea cum reliquis Gallorum copiis occurreret. Ad Sueſſionem excipiendum miſſus a Navarro [g] Turenius fuerat; qui, tranſmiſſo Ligeri, cum delectis per aggerem incedens, in Philippum Emmanuelem [h] Lotharingum Mercurianum ſe [i] Salmuriam propere recipientem incidit, ultimoque agmine caeſo impedimenta ejus cepit omnia: inde [k] Ludam profectus, Sueſſionem jam eo profectum ſalutavit, eumque citra certamen, quanquam jam Jouſa Salmuriam veniſſet, incolumem ad Ligerim deduxit; ubi, navigiis paratis, cum Columberii copiis ex [l] Neuſtria venientibus ac ſuis omnibus in ulteriorem partem trajecit, a Navarro ceteriſque proceribus multa cum laetitiae et gratulationis ſignificatione exceptus. Inde conjunctis viribus ſupra Salmuriam iter ingreſſi [m] Juliodunum verſus tendunt, Jouſa, qui cum Mercuriano erat, minime ſe commovente. Proximis caſtris [n] Ervallium venit Navarrus, et inde in [o] Santones perrexit; miſſo Rupellam Turenio, qui machinas bellicas adduceret. Conſilium ejus erat, aſſumptis ex [p] Vaſconia novis copiis, [q] Duranii ripam adverſo flumine legere, et, ad fontes ſuperato eo, Germanicis copiis auxilio venientibus occurrere. Sed praeceps Jouſae adventus mutare eum coegit,

qui

VAR. LECT. [α] deſeratur. Ipſe Jouſa paſſim coram principibus et aulae proceribus ſumma inſolentia jactabat, ſe brevi capita Navarri et Condaei ad regem relaturum: quas voces cardinalis Borbonius, etſi Navarro Condaeoque infeſtiſſimus, aegerrime audivit; et, hominem ſolo favore ſubnixum tam indigne de gentilibus ſuis loqui impatientiſſime ferens, ultorem inſanientis ſuperbiae Deum ei aliquando imprecatus eſt. His animis conſiliiſque inſtructus Jouſa in caſtra revolat. Interea Navarrus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Monſoreau.* [b] *Soiſſons.* [c] *l'abbé Delbene.* [d] *le chevalier Edward Stafford.* [e] *Bonne-eſtable au Maine.* [f] *la Loire.* [g] *le vicomte de Turenne.* [h] *de Lorraine duc de Mercœur.* [i] *Saumur.* [k] *le Lude.* [l] *Normandie.* [m] *Loudun.* [n] *Ervaux.* [o] *Saintonge.* [p] *Gaſcogne.* [q] *la Dordogne.*

qui Salmuria Juliodunum primum venit; ubi a licentioſis hominibus, quos ſecum trahebat, inſtigatus, eam urbem Proteſtantibus in occulto favere cauſatus, paulum abfuit, militi diripiendam conceſſit; et feciſſet, niſi a moderatioribus monitus fuiſſet, militem praeda onuſtum aut ſtatim a ſignis diſceſſurum, aut diſciplinam minime deinceps ſervaturum. Inde acceleratis itineribus per [a] Engoliſmenſem agrum in [b] Petrocorios deflexit, Navarro illac iter facturo occurſurus, et [c] Drunae tranſitum prohibiturus. Navarrus Rupella profectus Talliaburgum et inde [d] Pontium in Santonibus venerat; ubi collectis viribus ſumma celeritate in Petrocorios tendit, ut occurrentem [e] Jouſam anteverteret. CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

VI. PRIDIE quam pugnatum eſt, [f] Epirotae equites a Jouſa, qui [g] Barbezii erat, miſſi [h] Cutracum venerant; quo et Claudius [i] Tremollius Thoartii dux eodem tempore locum occupaturus venit, et pulſis Epirotis hoſpitium in eo exercitui metatus eſt. Itaque Jouſa, qui ſequebatur, cum totis copiis ad [k] Rupem-Chalaſiam retrocedere, eoque in loco pernoctare, coactus eſt. Cutracum municipium eſt ad [l] Inſulam amnem ſitum, arce ab Odeto [m] Foxio Lautreco famoſo belli duce olim ad raram illis locis magnificentiam inchoata nobile, quae poſtea a Jacobo [n] Albone Santandreano equitum tribuno, qui eam cum [o] Fronſaci marchionatu a Lautreci creditoribus emerat, ampliata, et viridariis, vivariis, et arenariis, quae ad ortum arci adjacent, ornata eſt. Summo mane, cum Jouſam cum toto exercitu veniſſe et aciem inſtruxiſſe nunciatum eſſet, Navarrus quoque copias educit et aciem inſtruit, toto equitatu in IV agmina diſtributo; quorum primum Navarrus, alterum ad dextram Condaeus, tertium ad laevam Sueſſio, ducebant: Turenius quarto praeerat, laboranti praeſto eſſe juſſus levi armaturae, quae ante Navarrum collocata ducem Tremollium, eique [p] Vivantium caſtrorum praefectum virum ſtrenuum adjunctum, habebat, cum Jacobo [q] Mongomerio comite, Jacobo Colvillo Vemio Scoto, Mignonvilla, [1] Aramburio. Cum Navarro erant Joannes [r] Pontius Plaſſacus, Carolus Eſcallarius Bollaius, Jacobus Nompar Caumontius Forcaeus, et Fridericus Foxius Candala Meulii vicecomes, ex quartana aeger, qui [s] vexillum praetorium geſtabat. Cum Condaeo Franciſcus [t] Ageollius veteranus dux, Jo. Madallanius Montatarius ſignifer, qui febre laborabat, Ludovicus [v] Sangelaſius ſummus caſtrorum praefectus, [w] Pregentius Laſinius vicedominus Carnutenſis, et vicecomes Gordonius. Cum [x] Sueſſione [y] Columberius, Sanmariani fratres, Eſſartius, Ludovicus Bloſſetus balbus, Boſco-Willelmius, et Joannes Fabatus veteranus belli dux. Cum [z] Turenio, qui equitatum Vaſconicum ducebat, [aa] Pardallanius Pangeacus, Aſtaracus Fonterallius, et Petrus Chuppius. Ante ſingula agmina delecti ex ſingulorum ſtipatoribus ſcloppetarii pugnabant: ad dextram et laevam peditum legiones collocatae ſtabant, Gaſpare [bb] Valirodo, Joanne Baudeano Parabero, Gabriele Prevotio Carbonario, Caſtelnoo, Bertrando Faiola Meleto Neovio, Danjallo, Hectore Preolio, Fautrerio, Jo. Birono Salignaco, Petro Eſcodeca Boetio, Granvilla, Cruceio, ductoribus. Georgius [cc] Claromontius Amboſianus Galerandae

marchio

INTERPR. [a] *Angoulmois.* [b] *Perigort.* [c] *Droune.* [d] *Pons.* [e] *de Joyeuſe.* [f] *Albanois.* [g] *Barbezieux.* [h] *Coutras.* [i] *de la Tremoille duc de Thouars.* [k] *de Roche-Chalais.* [l] *l'Iſle r.* [m] *de Foix Sr de Lautrec.* [n] *d'Albon mareſchal de St André.* [o] *Fronſac.* [p] *de Vivants mareſchal de camp.* [q] *de Montgomery, Jacques Colvil de Wemyſs Eſcoſſois, de Mignonville, & de Harambures.* [r] *Pons de Plaſſac, C. Eſchalard de la Boulaie, Jacques Nompar de Caumont Sr de la Force, Frederic de Foix de Candale vicomte de Meille.* [s] *la cornette blanche.* [t] *des Ageols, & Jean de Madaillan Sr de Montataire.* [v] *de St Gelais.* [w] *Pregent de la Fin vidame de Chartres, & le vicomte de Gourdon.* [x] *Charles de Bourbon comte de Soiſſons, fils de Louis prince de Condé.* [y] *les Sieurs de Colombieres, de Ste Marie, des Eſſarts, du Bloſſet le begue, de Bois-Guillaume, & de Favas.* [z] *le vicomte de Turenne.* [aa] *de Pardaillan de Pangeas, Aſtarac de Fontrailles, & P. de Chouppes.* [bb] *de Valiros, J. Baudean Sr de Parabere, G. Prevoſt de Charbonieres, de Caſtelnau, Bertrand de Melet de Fayoles Sr de Neufvy, de Courcillon Sr d'Angeau, Hector de Preaux, la Fautriere, de Biron de Salignac, d'Eſcodeca Sr de Boeſſe, de Granville, & de la Croix.* [cc] *de Clermont d'Amboiſe marquis de Galerande.*

NOT. [1] *lege* Haramburio *Put.*

CIϽ IϽLXXXVII. HENRICUS III.

marchio rei tormentariae praeerat; qui heſterna nocte, celeritate ſumma, machinas grandiores duas, vi operum ac jumentorum, ex ulteriore fluminis ripa in citeriorem tranſtulerat, et in tumulo inter Valirodi legionem et Sueſſionis agmen loco maxime idoneo diſpoſuerat, ita ut bifurcata pulſatione oppoſitas acies magnopere infeſtarent. Jouſa contra porrectis ordinibus equitatum haſtis inſtructum lata fronte objecerat, levi armatura et peditum legionibus utrinque ad latera collocatis. Stabant utrinque acies; inde regii nominis praerogativa fultae, quod qui oppugnant, perduellium numero habentur; inde juſtae defenſionis titulo armatae, quae ſubditis in ea cauſa contra principem jus aſtruere [α] videbatur. Praefeſtinatus imperator regius, cumque eo nobilitas, periculorum quidem avida, ceterum belli inexperta; nullus fere dux veteranus; nec, ſi eſſet ullus, ab ceteris audiretur. Contra Navarrus dignitate praecellens, et jam in illa aetate tot adoreis mactus, duobus patruelibus aetate ac virtute florentibus, ac pleriſque veteranis ducibus, quorum conſilia, diſciplinae a teneris innutritus, ſequebatur, ſubnixus, licet hominum numero inferior, longe ſuperior ceteris partibus cenſebatur. Tum conceptae, more inter Proteſtanteis recepto, preces ab Antonio [a] Sadeele ſive Chandeo et Ludovico [b] Amorio paſtoribus: quibus peractis, Navarrus tumulo conſcenſo medius inter proceres ita eos alloquitur; Hoſtilem exercitum in propinquo cernitis, commilitones, ex fratribus, cognatis, adfinibus, amicis communibus, conſtantem: miſeret me tot procerum ac delectae juventutis floris, qui virtutis ſuae periculum periculo ſuo hodie nobiſcum facturus eſt: ſcitis me proprio ſanguine et vita Condaei hoc periculum redimere voluiſſe, nullaſque non conditiones obtuliſſe, nullas vel iniquiſſimas ab inimicis offerendas recuſaſſe; ſed, quando ita mala Franciae fortuna tulit, ut cum iis, quos potius me imperatore, Chriſtianiſſimi regis ac fratris auſpiciis, pro regni ſalute militare decuit, pugnae aleam ſubire cogamur, cruoris effundendi piaculum in belli funeſtiſſimi hujus incentorum capita recidat, penes nos victoria maneat; quam his animis et hac florentiſſimorum virorum alacritate, praeſertim in tam juſta cauſa, nobis tanquam certam ſpondeo: vincamus ergo, Deo auſpice ac propitio, et victoria in ſuperſtites clementer utamur; tantique ſucceſſus hunc fructum rex cum tota Francia ſentiat, ut victos eos qui nos perſequuntur, nos contra, qui vim injuſtam depellimus, viciſſe, aliquando gaudeat. Quibus dictis tormenta diſplodi jubet ſub horam fere octavam matutinam; eodemque tempore machinae regiae diſploſae ſunt, equo uno tantum, cui puer nobilis ex Condaei domeſticis inſidebat, occiſo; quippe tumulus interjacebat, qui Navarrenos, quo minus peti poſſent, defendebat: cum contra regii ad ictus aperti paterent, Claromontii ſolertia ac diligentia, qui et locum aptum delegerat, et ſepties diſploſione repetita in Tiercellini legionem et Jouſae mediam aciem, antequam ad manus ventum eſſet, tanto damno eos afflixit, ut gradum ad pugnam capeſſendam accelerare cogerentur. Primi hinc inde [c] Lavardinus et Franciſcus [d] Grangeus Montinius, ſinguli cum IV levis armaturae vexillis, in levem armaturam vim faciunt, quae CXX equitibus fere conſtabat; quam et diſturbant, ac omnino caedunt, [e] Tremollii equo ſuffoſſo, et [f] Vivantio graviter vulnerato. Cum [g] Turenius, levi armaturae praeſto eſſe juſſus, pugnae ſucceſſiſſet, rurſus heic acriter certatum, equo ipſius Turenii interfecto, et latere agminis ſui paene inclinato; ita ut

VAR. LECT. [α] videbatur. Imperator regis gratia feſtinatus, paene tiro, et ſummus belli dux, antequam imperandi rationes didiciſſet; praeterea cum eo nobilitas, periculorum avida, ceterum belli inexperta, nec veteranus fere ullus dux; nec, ſi eſſet, ei imperator auſcultaret. Contra Navarrus dignitate *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Sadeel ou Chandieu miniſtre.* [b] *d'Amours.* [c] *le Sr de Lavardin.* [d] *de la Grange, Sr de Montigny.* [e] *le Sr de la Tremoille.* [f] *de Vivants.* [g] *le vicomte de Turenne.*

ut in pedes deſiliens ad peditatum proximum, cum quo poſtea pugnavit, ſe recipere ſit coactus. Inde Lavardinus, quaſi re confecta, aciem hoſtium praetervectus, in [a] Cutracum cum ſuis et [b] Epirotis, quos [c] Mercurius ducebat, ingreſſus eſt; iiſque qui impedimenta ſervabant, tanquam jam regii viciſſent, terrorem injecit; neque ultra in certamen rediit. Jamque in impedimenta involabat Mercurius, cum a tergo victoriam a Navarrenis inclamari audivit: itaque citata fuga mox in tutum ſpatio capto ſe recepit. Montinius, qui ad certamen magis obſtinaverat animum, tandem ſuffoſſo equo captus eſt. Tum Navarrus cum ſuo, Condaei, et Sueſſionis agmine, aequatis fere frontibus, ſigna infert; et, ſcloppetariis volonibus, qui praecedebant, deſtinatis ictibus in hoſtem ejaculantibus, poſt eluſum primum haſtarum impetum, tanta vi in mediam Jouſae aciem impreſſionem facit, ut poſt exiguum certamen regii omnino fuſi ſint: eodemque tempore, inde [d] Valirodus, inde [e] Salignacus, qui arenarias inſidebant, in peditatum regium itidem vim faciunt; qui, equitatu jam fuſo, cum nullam in pugna ſalutis ſpem cerneret, fuga huc illuc dilapſus eſt. Tiercellinus in conflictu occiſus, graſſante infeſtis animis inter equites paſſim disjectos Navarri peditatu, ac ſubinde has voces repetente, [f] Eligianae lanienae memores eſſent. Jouſa in veſtigio cum Claudio [g] Sanſalvatorio fratre interfectus eſt, Ludovicus [h] Campanus Suſae comes, Robertus Halvinus Roſſellus, Claudius Mallius Brezaeus, qui [i] vexillum praetorium Jouſae geſtabat; [k] Avaugurius Goelonis comes, Jacobus [l] Amboſius Albigei comes, Carolus Bellavilla Fumelius; Magdalenus Faiola Meletus Neovius, Bertrandi Neovii, qui partes Navarri ſequebatur, grandior natu frater; [m] Rupifortius Croſetus, Sanfortius, Joannes Montalambertus Vallius, Bordetus Sanlucii ſignifer, Rupifortius Pluvialius, alii e nobilitate: capti, praeter [n] Montinium, Sanlucius; qui, cum inter pugnandum haſtae ſuccuſſatione Condaeum equo dejeciſſet, ſtatim ab ipſo Condaeo captus et ſumma humanitate habitus eſt; Caeſar [o] Bellogardius Rogerii equitum tribuni filius, Santonum praefectus, graviter vulneratus, quibus ex vulneribus poſtea deceſſit; Florimundus [p] Halvinius Piennae marchio Roſſelli interfecti frater, Joachimus [q] Caſtrovius ſtipatorum regis praefectus, Franciſcus [r] Dallonius Saltraeus, Carolus [s] Cambius Monſorelli comes, [t] Prevotius Sanſacus, Imbertus [v] Marſilius Sipetra, [w] Maumontius, [x] Caſtelluſius, Joachimus [y] Ferrerius Patrerius, [z] Ville-comblinus, alii complures minoris e nobilitate nominis. Treis horas regios victor inſecutus eſt, deſideratique ex regiis bis mille et amplius; cum admodum exiguus numerus ex Navarraeis cecidiſſet, nulluſque fere magni nominis: capta omnia ſigna, tormenta, et impedimenta magni pretii. Navarrus dein in locum pugnae tanquam plena victoria potitus rediit; gratiiſque ante omnia Deo actis, mortuorum corpora terrae mandari, ſaucios a milite in hoſpitia proxima tranſlatos diligenter curari, juſſit: caſtra hoſtium incendit, captivos recenſuit, coram perductos benigne allocutus eſt; quibuſdam etiam turmarum equitum ducibus vexilla ſua reſtituit, ut Montinio, qui ſtrenue in eo proelio ſe geſſerat: tum, ut aequis

INTERPR. [a] *Coutras.* [b] *Albanois.* [c] *le capitaine Mercure.* [d] *de Valiros.* [e] *le baron de Salignac.* [f] *de la Motte S. Eloy.* [g] *le Sr de St Sauveur.* [h] *de Champagne comte de la Suze, de Hallwin Sr du Rouſſoy puiſné de Piennes, & Cl. de Maillé Brezé.* [i] *la cornette blanche.* [k] *François de Bretagne comte de Goello, fils puiſné de Odet d'Avaugour comte de Vertus.* [l] *d'Amboiſe comte d'Aubigeoux, Ch. de Belleville Sr de Fumel, Magd. de Melet de Fayoles Sr de Neufvy de Perigort l'aiſné.* [m] *de Rochefort la Croiſette le fils, le Sr de St Fort, J. de Montalambert Sr de Vaux, le Sr du Bourdet enſeigne du Sr de S. Luc, & de Rochefort Sr de Pluviaut.* [n] *le Sr de Montigny.* [o] *de Bellegarde, gouverneur de Saintonge.* [p] *de Hallwin, marquis de Piennes frere du Sr du Rouſſoy.* [q] *le Sr de Chateauvieux, capitaine des gardes du corps.* [r] *de Daillon, Sr de Sautray.* [s] *de Chambes comte de Monſoreau.* [t] *de Prevoſt, Sr de Sanſac.* [v] *de Marcilly, Sr de Cipierre.* [w] *de Maumont, capitaine des chevaux legers.* [x] *de Chaſtelus.* [y] *de Ferrieres, Sr de la Patriere.* [z] *le Sr de Ville-Comblin.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

aequis rationibus cum iis de pretio ageretur, enixe ſuis mandavit. Inde ad ſumendum cibum perrexit. Prandium illi in eodem diverſorio paratum erat, in quod corpora Jouſae ac fratris ejus jam illata fuerant, in imo coenaculo tabulae impoſita: ipſe ſpectaculum, ad quod cuncti diverſo affectu concurrebant, averſatus, in ſuperius coenaculum aſcendit, et ad menſam aſſedit; in qua dum pranderet, cum undique captivi ad ejus conſpectum ſiſterentur, et ſigna certatim a militibus afferrentur, neque propterea in Navarro quidquam de priſtina moderatione mutatum appareret, Antonius [α] [a] Sadeel ad circumſtanteis ſummiſſa voce dixiſſe fertur, Felicem et vere gratia Dei ſubnixum eum principem, qui inimicos a Deo veluti pedibus ſuis ſubjectos, menſam captivis quaſi corona cinctam, parietes ſignis hoſtilibus tanquam aulaeis velatos, cum videret, non ideo plus ſolito efferretur, ſed eundem, ut in adverſis, ſic in proſperis, vultum ac conſtantiam ſervaret. Jamque tum ex eo certum augurium animo cepit, inſuperabilis ac tandem victricis ejus adverſus omneis omnium inimicorum conatus fortunae. Corpora Jouſarum Turenius, proxima neceſſitudine cum iis conjunctus, condiri, et capſae plumbeae impoſita permiſſu Navarri honorifice in Turones deportari, curavit; unde poſtea Lutetiam tranſlata ſunt; ubi Annae magnificentiſſimis exſequiis, et quales in principum funeribus fieri ſolent, regis id priſtinae gratiae dantis juſſu, parentatum fuit. [β] Jouſae nimia debellandi cupiditate praecipitatum proelium ferunt; qui, cum ſciret Matignonum in propinquo eſſe cum delectis copiis, a quo et monitus fuerat ut Cutracum mature occuparet, gloriae ſeu potius periculi ſocium veritus, non exſpectato Matignoni adventu, cum pernicie ſua pugnam conſeruit. Re intellecta Matignonus, qui poſtridie cum eo vireis conjuncturus erat, ſtatim Burdigalam repetiit, ut, ſi quis motus ad cladis famam in provincia ſuboriretur, ad omneis caſus praeſto eſſet. Tantae victoriae, quae XIII Kal. Novembr. parta eſt, is exitus [γ] fuit, ut rex immoderatum belligeratorem ademptum non doleret, et plerique juſta Navarri arma, quae Deus tam felici ſucceſſu proſperaſſet, agnoſcerent: nam primum illud magnum XXVII ab hinc annis ſecundum Proteſtantium proelium fuit, cum toties victi, potius quam debellati, antea fuiſſent; ut non religionis cauſa, quod a pacis perturbatoribus vulgo jactabatur, ſed contra regem ad Francici nominis internecionem, bellum hoc ultimum optimus quiſque ſuſceptum judicaret. De cetero ſucceſſus hujus exiguus fructus fuit; nam pauca et debilia admodum loca recepta: [b] Marſilliacum et Mucidanum in Petrocoriis, arces et amplitudine et ſitu firmae, his conditionibus deditae, ut neutri parti ex iis incommodaretur. Inde conſultatum quid facto opus eſſet; et Condaeus cenſebat, nulla intermiſſa mora, verſus [c] Ligerim cum expedito exercitu ducendum eſſe; [d] Salmuriam, quae opportunum ad trajiciendas copias pontem habeat, neque ſitu aut arte multum munitam, facile capi, eaque capta auxiliari Germanorum exercitui citra diſcrimen occurri, poſſe. Contra alii differebant; et, onuſto praeda milite, et nobilitate bello feſſa, et a rebus, quae ad tam longinquam profectionem neceſſariae ſunt, imparata, propterea que domum ad vireis reficiendas cogitante, difficile eſſe pro tempore eam expeditionem ſuſcipi; et, ut exiguus numerus ex victore exercitu commode ſeduci poſſit, nihilominus ad famam pertinere, ne poſt tam felicem ſucceſſum, quod ſaepe accidit, in ignobilis oppidi obſidione gloriae magnis copiis partae decus cum

VAR. LECT. [α] Sadeel, elegantis doctrinae ac profundi judicii vir, ad circumſtanteis *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*
[β] Jouſae ſeu temeritate ſeu livore praecipitatum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*
[γ] fuit, ut multi ultionem de immoderata Jouſae ſuperbia ſumptam gauderent, et rex importunum belligeratorem *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Chandieu.* [b] *Marſillac & Mucidan en Perigort.* [c] *la Loire.* [d] *Saumur.*

cum paucis amittatur. Itaque diviſae copiae. Condaeus [a] Rupellam petit, inde per [b] Lemovices iter verſus Ligeris fontes repetiturus: Navarrus, [c] Pictonica et Santonica nobilitate in domos ſuas dilapſa, cum reliquo exercitu [d] Fanum Fidei tendit; unde, commiſſa ejus cura [e] Turenio, [f] Garumna tranſmiſſo, Neracum, et inde ad Catharinam ſororem viſendam [g] Pavium in Benearni pago, profectus eſt. Interea Turenius, ut copias otio dilabenteis occuparet, [h] Sarlatum in Petrocoriis oppidum dignitate epiſcopali nobile obſidione cingit; eo conſilio, ut aut illud caperet, aut ab obſeſſis pecuniam ad numerandum pediti ſtipendium acciperet. Locum cum delecta provinciae nobilitate tuendum ſuſceperat Bertrandus [i] Salignacus Mota-fenelonius, et bello et pace clarus. Ad eam partem quae [k] Benacum ſpectat admota IV tormenta; factaque ruina, [l] Angeolio, ex primaria in Carnutibus nobilitate adoleſcenti ſtrenuo, datum negotium, ut, centurione tantum duce, impetum faceret, et hoſpitium in ruina muniret. Verum homo decoris avidus cum delectis ipſe impetum fecit; et cum damno ſuorum repulſus, ob virtutem quidem laudatus, ceterum, quod imperatoris imperio ſpreto pluſquam juſſus erat feciſſet, graviter increpitus eſt. Obſeſſi, qui ſcirent Turenium haud diu ad obſidionem haerere poſſe, ut tempus ducerent, per Galeotum [m] Turrium Limelium Turenii patruelem cum ipſo agunt; et, petito colloquio, cum aliquot dies inutiliter conſumpſiſſent, Condaeus in Lemovices profecturus ad Turenium ſcribit, ut ei ad eam profectionem praeſto eſſet: quae Turenio, ſive honeſta, ſive neceſſaria, ab obſidione diſcedendi occaſio exſtitit. Jam enim de auxiliaris exercitus adventu fama percrebuerat; et antea Navarrus, cum ad [n] Haiam uſque Lavardinum recedentem perſequeretur, Ludovicum [o] Harlaeum Monglaſſium miſerat ad exercitus duces, quos jam Galliam ingreſſos putabat, ut eos de conſiliis ſuis certiores redderet, et ad ea ipſi rationes ſuas dirigerent. Conſilium autem ejus erat, ut jam dixi, Germanis in [p] Boiis occurrere propius Ligeris fontes, quo commodius flumen tranſire poſſent, nullo illis locis hoſte, et, ſi adveniſſet, tranſitum tantae multitudini fruſtra prohibituro. Cujus rei plenior narratio ut melius percipiatur, ab initio repeti eam placuit. Superiore anno, poſt Breidonis [q] Rantzovii Danici legati in Germaniam e Gallia reditum, conventus Luneburgi celebratus eſt XV Kalendas Sextileis; cui interfuere Fridericus ipſe Daniae rex, Chriſtianus Saxo, Joannes Georgius Brandeburgicus ſeptemviri, et aliquot principes. Ibi Jacobo [r] Segurio urgente, ut, cum ex regis reſponſo legatis dato ipſis conſtaret, nullam pacis in Gallia conſtituendae ſpem ſupereſſe, promiſſa auxilia quamprimum in Galliam mitterentur; aſſenſit continuo Fridericus: ceteri principes, quorum legatos de induſtria in Gallia rex remoratus fuerat, eorum adventum opperiendum, et ex ipſorum reſponſo conſilium ſibi capiendum, cenſuerunt. Itaque nihil eo anno actum.

VII. TANDEM poſt reditum ſuorum legatorum, cum nullus cunctationi locus eſſet, et contumelia ad reſponſum addita prudentiae ſpecie affectatam cunctationem omnem removeret, delectus paſſim per Germaniam habiti; et in Alſatiam copiae menſe Quintili convenire juſſae. VIII CIƆ Germanorum equitum erant, XXI vexillis diſtincta, quos ducebant Joannes [s] Buquius, Nicolaus Berneſdorfius, Franciſcus Dommartinus; legionem peditum Germanorum ducebat [t] Schrogelus. Helvetiis ex [v] Tigurino, Bernenſi, Baſileenſi, [w] Rhaeticis, ac ceteris Proteſtantium doctrinae addictis pagis, in XLII ſigna diſtributis, cum ſummo imperio praeerat

Cl. Antonius

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Limouſin.* [c] *de Poictou & de Saintonge.* [d] *Ste Foy.* [e] *le vicomte de Turenne.* [f] *la Garonne.* [g] *Pau en Bearn.* [h] *Sarlat en Perigort.* [i] *de Salignac Sr de la Mothe-Fenelon.* [k] *Beine.* [l] *de Dangeau, au Pays Chartrain.* [m] *de la Tour Sr de Limeuil.* [n] *la Haye.* [o] *de Harlay Sr de Monglas.* [p] *Bourbonnois.* [q] *de Ranzau.* [r] *de Segur.* [s] *le collonel Boucq, Nic. de Bernſdorff, & F. de Dommartin.* [t] *Skrogel.* [v] *Cantons de Zurich, Berne, & Baſle.* [w] *les Griſons.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

Cl. Antonius [a] Viennenſis Claravantius, qui XX CIↃ peditum efficiebant; quorum IV CIↃ in Delfinatum miſit, [b] Cugio duce; qui adverſam fortunam experti ſunt. Germanicis copiis cum ſummo imperio a Jo. Caſimiro Palatino, cujus arbitrio ceteri Germaniae principes id permiſerant, Fabianus [c] Donavius praeficitur, in Boruſſis nobiliſſimo loco [α] natus; eique adjunctus inter Gallos et Germanos, quibuſcum perſaepe non ita bene conventurum apparebat, interpres ac pararius Michael [d] Huguerius in Carnutibus natus, qui olim paedagogicam Lutetiae me puero fecerat, homo praefracta impudentia et obnoxius, a Carolo Lotharingiae duce, ut creditur, corruptus. In ſubjectis [e] Argentinae campis hi omnes cum conveniſſent XIII Kalendas Septembreis, Gulielmus Robertus [f] Bullionii dux, cum Joanne Roberto [g] Marciano comite fratre et II CIↃ peditum Gallorum et CCC equitibus, [h] Sedano profectus occurrit, ſummus exercitus imperator a Navarro nominatus, ſed cui ad Donavii, ſive ob aetatem, ſive quod praecipuum exercitus robur in poteſtate haberet, voluntatem et imperia conſilia ſua dirigere neceſſe eſſet. Cum Bullionio erant viri bello experti Joannes [i] Calvimontius Guitrius, Gulielmus Stuartus Vezinius, Franciſcus Angeneus Monluetus, Philippus Lafinius Noclæus, Bellijocus, Lobius, Capreolius, Digoinus. Rodolphus Caeſar, non tam a rege quam a Philippo Hiſpaniae rege, qui foederatorum partes in regno fovebat, et Lotharingis ſtimulatus, Donavio per edictum mandaverat, ut copias, non petita venia, ac ne accepto ejus diplomate, in Germania adverſus regnum Franciae conſcriptas dimitteret, et, ſingulis domum abire juſſis, hanc expeditionem omnino omitteret: ad quod Donavius, ceterorum belli ducum ac Germaniae principum nomine ſcripto edito, reſpondit, ſe non contra Imperium Imperiive edicta, nec contra Galliae regnum, ſed pro regni ſalute, expeditionem ſuſcepiſſe; quod homines externi adverſus ſereniſſimum Navarrae regem ac ceteros regii ſanguinis principes invadere moliantur, pontificii diplomatis auctoritate ſubnixi, quo Navarrum et Condaeum proximos regni heredes a legitima ſucceſſione excluſos glorientur: eam pontificis arrogantiam, regna et imperia pro libidine dandi et adimendi jus ſibi ſumentis, minime ferri debuiſſe; ac verendum eſſe, ne, exemplo graſſante, eadem deinceps poteſtate ad pacem religionis ac reipublicae in Germania convellendam et abolendam uti velit. Itaque ſuperiore anno honorificam legationem ad regem adornaſſe, ac precibus enixis ab eo contendiſſe, ut pacem in regno edictis conſtitutam et jurejurando ſolemni ſancitam ſervaret: ſed preces irritas fuiſſe, rege ſive averſo, ſive, quod veriſimilius ſit, per importunos illos belli incentores alieno potius quam ſuo arbitrio res moderante. Igitur hanc expeditionem ſuſceptam, ut pacem jam ſuis laboribus antea in eo regno partam, nunc turbulentorum hominum machinationibus religionis praetextu turbatam, rurſus conſtituant, legitimis regni heredibus jus ſuum ſervent, et innocentes homines a violentorum praedonum factioſa tyrannide oppreſſos defendant ac tueantur. Quod ad diploma a Caeſare non acceptum attinet, id quidem in Imperii comitiis aliquoties agitatum fuiſſe, ſed nihil unquam decretum; et per leges Imperii, ſalva ejus majeſtate, Germanos hac ſemper libertate uſos: et valde iniquum videri, quod Hiſpanis liceat, ut impune [k] Aquiſgranum Imperii metropolim, [l] Weſtfaliam inferiorem, Marcianum agrum, Monaſterienſem dioeceſim, Juliacenſem principatum, et Bentemienſem ditionem, intra viſcera Germaniae ſitas provincias, habitis in Germania delectibus ferre agere poſſint,

VAR. LECT. [α] natus, tantae moli vir impar, ſive dignitas ſpectaretur, ſive rerum uſus; eique *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Vienne Sr de Clervant.* [b] *de Cugy.* [c] *le baron de Dhona en Pruſſe.* [d] *de la Huguerie.* [e] *Straſbourg.* [f] *Bouillon.* [g] *de la Marck.* [h] *Sedan.* [i] *de Chaumont Guitry, Guil. Stuart Sr de Vezines, Fr. d'Angennes Sr de Monlouet, Ph. de la Fin Sr de la Nocle, de Beaujeu, la Lobbe, de Chevrolles, & de Digoines.* [k] *Aix la Chapelle.* [l] *la baſſe Weſtphalie, la Marck, Munſter, Juliers, & Bentheim.*

poſſint, id Germanis extra Imperium negari. Quae pluribus verbis eo ſcripto α explicabantur. CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

VIII. Ad famam adventus Germanorum Lotharingiae dux, foederatis gentilibus ſuis ſocietate conſiliorum conjunctus, rebus ſuis metuens, cum eam tempeſtatem in ſe incubituram provideret, de auxiliis comparandis mature cogitaverat; et praeter Guiſianorum copias IV CIↃ Germanorum equitum, CIↃ CC equites Italos haſtatos, conſcripſerat; a Parmenſi etiam ex foedere totidem equites ex delectibus Sequanicis, Philippo [a] Croio Havreci marchione duce, et VI ſigna [b] Gallo-belgarum peditum duce Marco [c] Ria Varambonis marchione, impetraverat; ſera, ut ex alieno petita, ſubſidia. Rex, quanquam a bello averſus, tamen, ut invidiam alieni ab hoc bello animi, qua per concionatores et Guiſianorum emiſſarios apud populum traducebatur, amoliretur, et ipſe copias cogit; et [d] Meldorum civitatem profectus edictum proponit IX Kalendas Quintileis, quo equitum turmis in eo deſignatis [e] Calvimontium in Baſſiniaco agro ad conveniendum condicit diem ad XIII Kalendas Sextileis, ceteris [f] Genabum et Florentini-fanum ad Ligerim ad Kalendas Sextileis; totis viribus in duos exercitus diſtributis; quorum unum Guiſio attribuebat, in quo XX turmae equitum, IV peditum legiones erant, [g] Sanpaulo, Joanne Vaſcone, Franciſco Blancardo Cluſello, et Caeſare Balſaco Gienſi, ducibus: alterum ſibi rex ſervabat, ad Ligerim ipſe cum eo hoſtibus occurſurus. Eodem loco ad regem Guiſius venit, reginae interventu, quae ab initio bello excitando operam dederat, excitatum fovebat, ac confectum arbitrio Guiſianorum exoptabat. Ibi de belli gerendi ratione inter eos palam actum: in occulto de pace mentio injecta, ut Claudius [h] Caſtreus Guiſii partibus addictus et primarius inter ſuos belli dux ſcripſit, in eo commentario quem de expeditionis adverſus Germanos ſuſceptae ſucceſſu tunc publicavit, β an ad regis invidiam incertum; additque, Guiſium ad hoc reſpondiſſe, nihil a ſe ſolo in hoc negotio decerni poſſe, inconſultis gentilibus ſuis, amicis, ac foederatis, a quorum conſiliis rationes ſuas ſeparare neque velit neque debeat. Quo reſponſo rex, cui regina et conſiliarii obnoxii ſpem fecerant, fore, ut per colloquium illud purgatis ſuſpicionibus Guiſius ad moderationem adduci poſſet, admodum perculſus fuit; auctiſque ex eo ſuſpicionibus, potius ad periculum quod ipſi ex Guiſii ambitione impendebat, quam ad Germanorum auxiliarium impetus repellendos, reſpicere coepit. Exulceratis utrinque animis cum diſceſſum eſſet, Guiſius, qui copias promiſſas in tempore ſibi minime praeſto futuras provideret, ad Parmenſem ſcribit, et CCC circiter equites, partim [i] Epirotas, partim Italos, ab eo confeſtim miſſos accipit; totidem a Joanne [k] Monlucio Balagnio Cameraci praefecto, qui et foederi ſubſcripſerat: quibus viribus fretus, cum regiae omnes nondum comparerent, Lotharingiae duce crebris nunciis urgente, [l] Tullum et inde Nancium progreſſus VI Kalendas Septembreis, ab exploratoribus cognoſcit, Germanicum exercitum in eo eſſe ut ſuperato [m] Vogeſo per [n] Phaltzeburgi anguſtias in ſubjectam Lotharingiam deſcendat. Ad eas anguſtias ſervandas delecti pedites initio miſſi fuerant, qui loco freti, et tranſverſis arboribus huc illuc diſpoſitis, equiti tranſitum prohiberent: ſed mox mutato conſilio revocati

VAR. LECT. α explicabantur; quod hujuſmodi fuit, ut nihil ſpecioſius tota illa expeditione aut fortius a Donavio geſtum fuiſſe videatur. Ad famam adventus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

β an ad regis invidiam incertum *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerpta.*

INTERPR. [a] *de Croy marquis de Havreck.* [b] *Wallons.* [c] *de Rie marquis de Varambon.* [d] *Meaux.* [e] *Chaumont en Baſſigny.* [f] *Gien & S. Florentin ſur Loire.* [g] *les capitaines de St Paul, Joannes Gaſcon, de Blanchard Sr du Cluſeau, & de Balſac Sr de Gié.* [h] *de la Chaſtre.* [i] *Albanois.* [k] *de Montluc Sr de Balagny, gouverneur de Cambray.* [l] *Toul & Nancy.* [m] *le mont de Voſge.* [n] *Phaltzbourg.*

revocati ſunt. Itaque Germani triduum incidendis arboribus et itineribus purgandis cum magna diligentia inſumpſiſſent, ſine periculo in citerius Vogeſi latus, ſalvis omnibus rebus ſuis, evaſerunt. Iis ſe adjunxerant Iſaacus [a] Valdraeus Moius, Villanovanus Cormontius, et Lurſius, qui pediti Gallico praeerant. Primam aciem ducebat [b] Marcianus comes; [c] Donavius Germanis, [d] Claravantius Helvetiis, praeerat; peditatum Gallicum cum ſummo imperio regebat Moius. Ubi primum in Lotharingiam pedem intulerunt, Chriſtianus [e] Savinius Ronaeus, [f] Rota, et Swarceburgius regulus, cum II levis armaturae equitum Germanorum, totidem ſcloppetariorum equitum turmis, in hoſpitium [g] Buquii nocte intempeſta vim faciunt; cum damno repulſi, ſive validis Buquii ſtationibus, ſive quod de hoſtium conſilio Buquius cognoviſſet. Swarceburgius equo dejectus, et XL amplius ex ſuis deſiderati: captum nihilominus in tumultu nocturno ſignum, quod ſtatim Lotharingiae dux ad regem miſit, adventum Germanorum ſignificans, et auxilia promiſſa depoſcens. Tantum in Lotharingi caſtris tunc III CIƆ equitum et XII CIƆ peditum, quorum IV CIƆ in praeſidia Nancio vicina diſtributa ſunt; VI CIƆ cum equitatu penes ſe ſervaverat, Nancio ampliato et foſſa ac novis propugnaculis munito. Pridie Kalendas Septembreis ad [h] Saraepontem Germani caſtra ponunt, quod a II ſignis defendebatur. Id, non admotis tormentis, mox a praefecto ex provinciali nobilitate deditum. Poſt aliquot dierum moram alteris caſtris Blamontium ducunt: ſed non ea, quae Saraepontis, ignavia praefecti illius fuit; nam Germanos, qui in ſuburbio cum machinis ſe munierant, crebris eruptionibus infeſtavit, pleriſque ex iis interfectis. Lotharingus cum [i] Nicolai-fano metueret, municipio tota Europa nobiliſſimo et aedificiis egregie ornato, quod apertum fere et [k] Murthae ſolius tunc fere vadoſi crebro flexu ac reflexu locum ambientis quaſi vallo defenditur, eo mature Guiſium cum robore exercitus mittit: ipſe Nancii manſit. Sub id, cum intellectum eſſet Germanos [l] Lunevillam petere, V a Nicolai-fano leucis oppidum, per ſe debile, ſed tumultuariis operibus a Chriſtophoro [m] Oſſonvilla peditatus Lotharingici praefecto munitum, Claudius [n] Caſtreus ſummus caſtrorum praefectus eo mittitur, qui videret, locum defendi, an praeſidium ex illo deduci, placeret. Cum omnia ad defenſionem optime inſtructa, et Oſſonvillam ad eam parato animo, videret, in caſtra redit, et de Lunevilla ſecurum Guiſium eſſe jubet. In auxiliari exercitu diu altercatum fuit, in Lotharingia bellum ducendum, an omiſſa Lotharingia in terram Franciam quamprimum penetrandum eſſet: et [α] Donavius, inſtigante [o] Huguerio, a Lotharingis, ut creditur, corrupto, cenſebat, ob viciniam et foederationem Lotharingicae ditioni parcendum eſſe, et quamprimum ad vireis cum Navarro, cujus cauſa conſcriptus ſit exercitus, conjungendas iter perſequendum. Contra Galli diſſerebant; et auxiliarem exercitum Navarri et Proteſtantium cauſa ad ſuppetias eis ferendas conſcriptum fatebantur: ſed hoc inſuper intelligi volebant, bellum, quod iis infertur, Guiſianorum factione in Gallia excitatum, haud meliore ratione confici aut componi poſſe, quam ſi ejus onus rejiciatur in Lotharingiae ducis familiae illorum principis caput, qui nunc primum ab iis perſuaſus et foederi ſubſcripſerit, et huic bello ſe temere immiſcuerit, cum neutrum ſuperioribus bellis ſe ſemper praeberet: nam hoc ſibi certo conſtare, regem invitum in hoc bellum conſenſiſſe, et cupere occaſionem dari, qua, ipſis Guiſianis poſcentibus,

VAR. LECT. [α] Donavius, ita a Caſimiro monitus, inſtigante Huguerio, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Vaudray Sr de Mouy, de Villeneufve Sr de Cormont, & le Sr de Lours.* [b] *le comte de la Marck.* [c] *le baron de Dhona.* [d] *le Sr de Clervant.* [e] *de Savigny Sr de Roſne.* [f] *le Sr de la Routte, & le baron de Schwartzenburg.* [g] *le colonel Boucq.* [h] *Saarbruck.* [i] *S. Nicolas.* [k] *la Meurthe.* [l] *Luneville.* [m] *le Sr d'Auſſonville.* [n] *de la Chaſtre mareſchal de camp de l'armée.* [o] *de la Huguerie.*

poſcentibus, finis tam funeſtis armis imponatur: hoc autem commodius fieri non poſſe, quam ſi bellum in ipſa Lotharingia geratur: nam Guiſianos tunc, juſtis Lotharingi querelis victos, per reginam, quae impenſe Lotharingo genero faveat, tam ſtudioſe de pace acturos, quam impotenti turbarum deſiderio bellum hoc inceperint: praeterea bellum in regione rebus omnibus ad vitam neceſſariis abundanti, et a ſuperiorum calamitatum armis intacta, commode geri poſſe; cum contra Campaniae limes et interiores regni provinciae, continuis militum excurſionibus vaſtatae, difficilem tam numeroſis copiis acceſſum praebeant: igitur in Lotharingia manendum, eo uſque ſaltem, dum per nuncios ad Navarrum miſſos aut ab eo mittendos de illis rebus certius aliquid cognoſcant, ex iiſque conſilium capiant. Vicit ea ſententia, non tam auctoritate aut numero Gallorum, nam utroque inferiores Germanis erant, quam quod fere uſu venit, ut ſolutae vitae citra periculum licentia facile inter milites gliſcat. Itaque mox ad praedas et excurſiones verſi omnes; et cum Lotharingus furnos ubique et molatrinas deſtrui ac corrumpi juſſiſſet, ita commoditate molendi et panis coquendi advenis adempta, eo irritatiores et Germani et Galli per omnem circumpoſitam regionem non ſolum rapinis, ſed etiam incendiis, graſſabantur. Cum hoſtis Nancium petiturus crederetur, ad [a] Charmam et Baionam [b] Moſellae impoſita municipia deflexit; pluviiſque exortis trium dierum moram iis locis fecit. Interea ſumpta fiducia Lotharingici, qui antea huc illuc ſparſi tantum Germanos furtivis excurſionibus laceſſere ſatis habebant, vireis jungunt, et exercitum in aciem inſtructum hoſti opponere incipiunt. Univerſis copiis praeerat ipſe Lotharingiae dux: primam aciem Guiſius ducebat; praemittiturque Caſtreus ſummus caſtrorum praefectus ad [c] S. Vincentii pontem, qui caſtris locum caperet. Municipium eſt populo frequens, quod per collem praealtum porrigitur et colli ſubjacet; et, qua muris, qua ſepibus, cinctum, inferiore parte Moſellae praeterlabentis amne alluitur. In hujus ripa arcis egregie inchoatae fundamenta extructa ſunt, quae ad Mercuriani ducis ditionem ſpectat, anguſto ad eam undique, et praeſertim qua venturi erant Germani, aditu; quippe inde Moſella, inde [d] Colono amniculo, qui IƆ ab arce paſſibus in Moſellam influit, in arctum contrahitur, ſuperſtante ad dextram colle vitibus ac ſepibus crebris conſito, cujus cacumen denſa et continua ſylva ad [e] Tullum uſque pertinente veſtitur. Solum inibi pingue, ideoque continuis pluviis facile corruptum; quae et effecerunt, ut fluvii nuſquam vadoſi crederentur. Ea fiducia Guiſius pontem S. Vincentii verſus iter intendit; quo ubi venit Nonis Septembribus cum exercitu, inde aſſumptis ſecum [f] Caſtreo, Chriſtophoro [g] Baſſompetra, Carolo [h] Balſaco Dunenſi, et quatuor aliis e nobilitate, ulterius progreditur, locum primae aciei, quam ducebat, idoneum delecturus, in quo, Colono amniculo, quem minime tunc vadoſum credebat, defenſus, propius hoſtem copias admovere poſſet. Levis armatura, quam [i] Ronaeus et Swarceburgius regulus ducebant, in Coloni ripa [k] Polinii et Acraniae hoſpitium habebat; quam jam in armis, cum eo venit, Guiſius offendit, quippe hoſte in propinquo incedente, et [l] Haroelam verſus Baſſompetrae arcem iter capiente. Nihilominus Guiſius, ut eos propius contemplaretur, quamvis nullis armis tectus, per pontem amne medio ſuperato evadit. Verum, incumbentibus Germanis equitibus, citius ſpe pontem repetit; cum eoque immiſti Germani et ipſi inſequendo pontem tranſeunt, ac loco potiti etiam impedimenta in eo relicta capiunt. Inde Guiſius collis cacumen occupat; ex quo cum pone ſe venienteis hoſteis videret, ulterius ſe provectum ſentiens quam ut celeri fuga

INTERPR. [a] *Charme & Bayone.* [b] *la Moſelle.* [c] *pont St Vincent.* [d] *Coulon r.* [e] *Toul.* [f] *de la Chaſtre.* [g] *de Baſſompierre.* [h] *de Balſac Sr de Dunes.* [i] *Savigny de Roſne, & le baron de Schwartzenburg.* [k] *Poligny & Accraigne.* [l] *Haroüe.*

CIↃ IↃLXXXVII.

HENRICUS III.

fuga ſe tuto recipere poſſet, ſuos in aciem inſtruit: ii erant circiter CCC levis armaturae equites haſtati, et C equites ſcloppetarii. Heic cum aliquandiu utrinque acies conſtitiſſent IↃ paſſuum interſtitio, tantum medio rivulo voraginoſo, Ronaeus et [a] Rota Guiſii juſſu impreſſionem in II Germanorum vexilla, quae pontem tranſierant, faciunt, et eos trans pontem impellunt; ubi ſuperveniente auxiliari exercitu, in cujus fronte CCC equites cataphracti Galli, C circiter equites ſcloppetarii, incedebant, praeterea accedentibus ad illa II Germanorum vexilla aliis, rurſus inſequentes Lotharingi retro impelluntur. Stabat in colle proximo Guiſius, ſuos recedenteis et hoſtem venientem cernens animo anxio. Suadebant amici, ut mature receptu ſibi conſuleret: procul exercitum eſſe ſine imperatore; ipſum inermem et equo vulgari inſidentem tantae moli ſuſtinendae imparem; ac verendum eſſe ne periculo ſuo rem omnem in extremum periculum adducat. Verum ille, qui receptum hunc fugae ſimilem eſſe, ac prima belli initia ad famam pertinere, judicaret, conſilium audax ex neceſſitate cepit; et, praemiſſis ad exercitum belli ducibus, ipſe ultimum agmen ducendum ſuſcepit, dato illis negotio, ut in planitie anguſta, ponti S. Vincentii inter Moſellam et Colonum ſubjecta, aciem inſtruerent, et ſe recipientem ad pugnam parati in ea exciperent. Tum confuſa inter ſuos ordinat, et ad Italos Italice, ad Germanos Germanice, ad Gallos vernacula lingua, verba faciens, ſingulosque appellans, praeſentia ſua effecit, ut cuncti ordines ſervarent, et tanti fiducia ducis ad pugnam, ſi opus eſſet, fortiter capeſſendam ſe pararent. Ita inſtructo agmine per collem incedit, ſubſequente hoſte, et in collem adeo arduum tanta cum difficultate enitente, ut equi ſuperato colle ſpiritu linquerentur: quem dum colligunt, tantundem procedendi ulterius ſpatii Guiſio conceſſum eſt; qui in vallem modicam deſcendens, conſpectu ſui inſequentibus adempto, ad laevam deflexit, et vado reperto Colonum oppoſitum, hoſte minime ſentiente, tranſmiſit, ultimum hoſtium agmen, in quo Helvetii erant, ſemper legens; ita ut hoſtes, cum Lotharingicos tam prope Helvetios incedere viderent, ſuos eſſe primo ſuſpicarentur: ſed mox, errore animadverſo, in eos ire pergunt; cumque ad vadum, qua Guiſius tranſierat, veniſſent, a ſcloppetariis aliquot in molatrina proxima a Caſtreo collocatis infeſtati, contra eos vim vertunt; qui, dum obſtinatis animis oppugnanti hoſti reſiſtunt, vitae ſuae pretio ſalutem Guiſio in tutum ſuos ſubducenti pepererunt. Is, ubi S. Vincentii pontem venit, exercitum omnem in aciem inſtructum, ſicuti mandaverat, reperit; equitatu, quem [b] Havreci marchio ducebat, per collem ad terrorem hoſtium inſequentium pulcherrimo ordine diſpoſito. Ad vadum hinc inde velitaribus pugnis certatum fuit, nec aliud praeterea operae pretium eo die factum. In auxiliari exercitu, cum [c] Clotius inſtaret ut datam pugnandi occaſionem ſibi eripi non ſinerent, et Guitrius omnem operam daret ut Germanos ad proelii neceſſitatem adigeret, Ludovicus [d] Rumfius ſummus caſtrorum praefectus unus obſtitit, et, ſi quidem Guitrius rivum tranſmitteret, non ſecuturum ſe praedixit, neque paſſurum, ut, hoſte editiorem locum tenente, ſui ad proelium deſcenderent. In Rumfii ſententiam ceteri Germanorum duces iverunt, qui in duobus vicis proximis valde commodis ea nocte hoſpitium habuerunt. Poſtridie in caſtris Lotharingicis diſputatum fuit, vadum defendi an retrocedi, imparibus contra potentiores Germanos viribus, placeret: et tutius viſum a proelii, cujus nulla neceſſitas a fortuna imponeretur, alea abſtineri. Itaque, cum Germani aliquandiu exſpectaſſent, dum Lotharingici aciem, ſicuti pridie fecerant, in planitie ſubjecta inſtruerent, fruſtra fuere. Monitos Lotharingos ab Huguerio ut ita facerent, pleriſque perſuaſum fuit: nam alioqui, ſi aciem inſtruxiſſent,

INTERPR. [a] *la Routte.* [b] *Havreck.* [c] *le colonel Clot.* [d] *Rumpf, mareſchal de camp.*

inſtruxiſſent, tormentis in colle imminenti diſpoſitis, quae pridie nondum advecta erant, infeſtati, neque vadum tueri potuiſſent, et retrocedere coacti extremum internecionis periculum adibant. Longe periculoſiſſimo errore praetermiſſam heſterno die pugnandi occaſionem ſcribit Caſtreus, inutiliterque moram velitaribus incurſibus in vado factam; quippe cum per pontes lapideos Colono impoſitos commode tranſmittere exercitus, et confuſos inopinato adortus, belli peritorum judicio, in magnum diſcrimen adducere, aut etiam ad internecionem delere, potuerit. Igitur eo die Lotharingicus equitatus, ex colle, in aciem inſtructus, hoſti ſe oſtentare ſatis habuit; peditatus parte inter vineas, ſepeis, ac vepreta, locis confragoſis et equiti inacceſſis, abdita, et vadi tuendi conſilio prorſus omiſſo. Caſtreus aliquot dein dies pontem S. Vincentii cum delectis IↃC ſcloppetariis et aliquot equitibus tenuit, ſparſis per vicina hoſpitia, commeatu et omni re abundantia, Germanis, ut ſe ex laboribus praeteritis reficerent. Guiſius cum exercitu per adverſam Moſellae ripam incedens [a] Challignium petiit; quo tempore in pabulatores utrinque vis facta. Inde Proteſtantes per [b] Valdemontanum principatum, Lotharingici [c] Tullum verſus ad dextram eorum ſemper incedentes, iter perſecuti ſunt. Tandem, pervincente Huguerii aſtu, exercitus, numeroſo peditatu et impedimentis gravis, in Franciam terram ingreſſus, primum hoſpitium ad Urbanifanum habuit, in [d] Jonvillae principatu Guiſii ditionis. Haec ad XIV Kal. Octobr. acta. Praemiſerat Jonvillam CCCC ſcloppetarios delectos, ut locum tantiſper, dum ipſe eo venire poſſet, tuerentur, vaſtitatem et incendium ab infeſto exercitu veritus; a quo non ſolum tanquam hoſtis, ſed tanquam hujus belli dux et incentor, habebatur. Ipſe [e] Monaſterium, duabus a Jonvilla leucis municipium, venit, cum CIↃ cataphractis equitibus et CIↃ CC ſcloppetariis, relicto [f] Ligniaci in Ambaris Lotharingiae duce cum reliquo exercitu: ſed, ſupervenientibus foedis imbribus, nihil hoſtile utrinquē agi potuit. Inter Proteſtanteis altercatum aliquandiu fuerat, qua iter faciendūm eſſet: nam alii recta ad Ligeris fontem, aut qua vadum reperiri poſſet, ut ſe quamprimum cum Navarro conjungerent; alii diverſo itinere verſus Picardiam ducendum cenſebant, ubi novis e Germania auxiliis et commeatu copioſo, quo provincia abundat, juvari poſſent. Bullionii dux Sedanum peti malebat, quod a Lotharingis ſibi infeſtis obſeſſum iri providebat; idque Germani expetere videbantur: ſed vicit eorum ſententia qui Ligerim verſus iter inſtituendum ſuadebant.

IX. SUB id Franciſcus [g] Colinius Caſtellionaeus Gaſparis filius [h] Griſellam venerat, C cataphractos equites, et CIↃ CC ſcloppetarios equites penes ſe habens, quos ex [i] Septimania per [k] Allobroges longo et difficili itinere ſecum duxerat. Ad eum intercipiendum Varambonus marchio miſſus cum legione ſua, CIↃ CC ſcloppetariis ex Lotharingi delectibus, CCC cataphractis equitibus Havreci marchionis, et equitum turma Franciſci [l] Chabotii Brionii. Ii Griſellam vicum facile occupant; quem Caſtellionaeus, in arcem receptu facto, ſtatim deſeruit: ſed, ſuperveniente [m] Marciano comite cum auxiliaribus copiis, Varambonus cum ſuis tormentis, quae [n] Mota ad arcem pulſandam adducta fuerant, propere [o] Novum-caſtrum ſe recepit. Ita Caſtellionaeus X Kal. Octobr. in caſtra Bullionii cum ſuis incolumis venit. Lotharingus in Ambaris ſubſtitit, IV CIↃ Germanorum equitum et CIↃ CC equites Italos opperiens, cum Havreci marchione ulterius progredi recuſans, niſi a rege juberetur. Havreci itidem marchio novum a Parmenſi mandatum exſpectabat.

INTERPR. [a] *Challigny.* [b] *le comté de Vaudemont.* [c] *Toul.* [d] *Joinville.* [e] *Mouſtier ſur Sault.* [f] *Ligny en Barrois.* [g] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [h] *Grizelle.* [i] *Languedoc.* [k] *Dauphiné.* [l] *de Chabot de Brion.* [m] *de la Marck.* [n] *la Motte.* [o] *Neuf-chaſtel.*

exſpectabat. Guiſius igitur cum CCCC equitibus et III CIↃ ſcloppetariorum [a] Barrum ad Albam venit, Caſtreo praemiſſo cum CC equitibus et Caeſaris [b] Balſaci Gienſis legione, qui Albae et Sequanae vada ad prohibendum hoſti tranſitum inſideret. Interea, feſſis utrinque diſcurſatione ad Caſtellionaei adventum copiis, aliquot dierum mora inſumpta, Germanis per [c] Baſſiniacum agrum et circa [d] Caſtrumvillanium ad pabulationem evagantibus. Ibi captus [e] Villerius, qui Roma, eo a Lotharingiae duce miſſus, revertebatur: cumque ſuper mandatis ſibi datis rogaretur, reſpondebat, ad petendam a pontifice in bellum pecuniam Romam ſe profectum, et ut regem foederis contra Sectarios initi, ad ſuſpiciones purgandas et tollendam invidiam, ſummum ducem pronunciaret: pontificem vero ad has petitiones nihil aliud reſpondiſſe, quam ut pacem cum vicinis colerent, neque regi moleſti eſſe pergerent; ſe, qui pacem cunctis denunciet ac ſuadeat, in belli uſus pecuniam non habere; neque vero decere, ut eam in bellum ſubminiſtret. Sic ille referebat, ab omnibus non utique creditus: nam literae cum eo captae a Chriſtiana Dana Lotharingi parente, quae [f] Dertonae in Italia commorabatur, notis fugientibus ſcriptae; quibus illa filium ad bellum ſuſceptum fortiter perſequendum hortabatur, cujus eum exitum laeto animo praeſagiebat, ut de ſceptro et corona Gallica ipſius capiti imponenda bene ſperaret. Itaque is ſervatus; decretumque fuit, ut ad Navarrum cum literis interceptis mitteretur. Interim admota [g] Donavii juſſu ad [h] Claravallenſe coenobium, ſtructura et amplitudine tota Gallia nobiliſſimum, tormenta: quorum vim deprecatus praeſul, XII CIↃ aureorum, C panis cocti CIↃ, L vini amphoris, L bobus, CC ovibus, XL equis ad machinas trahendas promiſſis, cum iis tranſegit, minime datis obſidibus; quo factum eſt, ut diſcedente exercitu promiſſis non ſteterit. Inde quartis caſtris [i] Caſtellionem ad Sequanam ventum, quo ſe Caſtreus cum delectis copiis incluſerat, cum III CIↃ ſcloppetariorum a Meduanio praemiſſis et CCC equitibus. Locus eſt infirmus, et magna ex parte nullis moenibus cinctus, ac ſine foſſa, ſed ſitu opportunus, eoque ad res gerendas magnum momentum afferens. Hoſtes [k] Gemellis profecti, ii montes duo ſunt a ſimilitudine ita dicti, in planitiem ſubjectam deſcendere, ad [l] Eſtrochetum vicum Sequanam tranſmiſſuri: ubi, eruptione a Caſtreo facta, acriter pugnatum fuit. Extremum agmen ducebat Caſtellionaeus, cum III levis armaturae turmis, VII Germanorum equitum vexillis, ac CCCC equitibus ſcloppetariis. [m] Berbiſtrophius ultro proceſſerat, ut Caſtellionaeo praeſto eſſet; in quem Caſtreus, ſcloppetariorum quorundam, quos in reducta valle collocaverat, fiducia fretus, impreſſionem cum equitatu fecit: verum Caſtellionaeus a Berbiſtrophio monitus antevertit, et, non expectato Germanorum ſubſequentium tardiore adventu, in ſtipatores Caſtrei cum Gallico equitatu incumbit; quibus caeſis equitatum hoſtilem retro impulit, fugienteis ſub portas uſque Caſtellionis inſecutus. XXV ex Caſtreenſibus deſiderati, totidem capti. Tranſmiſſo Sequana verſus [n] Igonnam itum: et, cum exercitus [o] Leinam veniſſet, [p] Marcianus comes, qui jam ex morbo decumbebat, ex vectationis incommoditate gravius aegrotare coepit, ac tandem deceſſit, magno ſui relicto omnibus deſiderio. Sed Bullionium maxime is caſus afflixit; qui, accedente ad hunc caſum publico ex re male geſta moerore, haud diu fratri ſuperfuit. Ibi etiam graves Germanorum exortae querelae; qui, hoſpitiorum incommodum cauſati, et de Guitrio caſtrorum praefecto expoſtulantes, jam ſe alieno ab imperiis ducum animo oſtendebant: confuſeque ab eo tempore omnia in caſtris agi coepta, contempto ſummo imperatore, et diſcordibus inter ſe aliorum minoris auctoritatis

ducum

INTERPR. [a] *Bar ſur Aube.* [b] *de Balſac Sr de Gié.* [c] *Baſſigny.* [d] *Chateau-villain.* [e] *de Villiers.* [f] *Tortona.* [g] *le baron de Dhona.* [h] *Abbaye de Clervaux.* [i] *Chaſtillon ſur Seine.* [k] *les Jumeaux.* [l] *pont des Eſtrochées.* [m] *le colonel Berbiſtroph.* [n] *Yonne.* [o] *Leynes.* [p] *le comte de la Marck.*

ducum ſententiis; ita ut de re omni certior factus per exploratores Guiſius majore fiducia in eos ferretur, nec exitu caritura conſilia contra hoſteis vel temere inita ſibi audacter perſuadêret. Igitur ex compacto, per [a] Senones itinere facto, dextrum latus, [b] Meduanius per [c] Heduos ad laevam itidem eos veluti cingebat; uterque incurſionibus aſſidue exercitum tarde incedentem laceſſens, et infeſta omnia nocte ac die faciens. [d] Ancium-francum et Tanlaeum cum Germani veniſſent, [e] Igonnam ad [f] Malliacam villam tranſmittunt: nec multum progreſſi Ludovicum [g] Harlaeum Monglaſſium habuere obvium a Navarro miſſum, in loco cui [h] Arſio nomen; ubi divortium quoddam fit itinerum, unius verſus loca Ligeris fonti propiora, alterius ad regni meditullium. Acceptis Navarri mandatis duces mediam Galliam petunt, comitante eos Monglaſſio et mandata identidem nequicquam repetente, ac, ſi tum regredi nollent, vada illis locis commodiſſima oſtendente. Igitur [i] Charitaeum verſus ad Ligerim progrediuntur; cum jam rex cum exercitu, vix tandem relicta Lutetia, [k] Genabum profectus, vada illis locis, diſpoſito peditatu ac equitatu, inſediſſet.

X. Nam interea, conjuratione in urbe his initiis adulta, ac plebis impunita faciendi et concionatorum loquendi licentia, mirum in modum animi ſeditioſis creverant: quibus coercendis cum, ignavia eorum qui circa regem erant, idonea remedia et regio faſtigio digna minime abhiberentur, poſtremo conjurati, a rege offenſo ſibi metuentes, ejus opprimendi conſilium ceperant; id ut facerent, hoc commento uſi. Concionatorem ingenio turbido ſuſcitaverant, qui in B. Severini templo in regem tanquam tyrannum, et conſiliarios ejus tanquam haereticorum fautores, inſano furore multa debaccharetur. Qua re ad regem delata, minime dubitabant, quin ſubito rex mitteret qui concionatorem comprehenderent. In eos autem plebem concitare, et hoc colore ſumptis armis regem ipſum et fidos circa regem opprimere, ſtatuerant. Quod et in parte proceſſit: nam, cum ſeditioſis concionatoris vocibus merito irritatus rex contrarias voces tantum minarum plenas reddidiſſet, illi, ſparſo inter ſuos rumore, quaſi rex eum noctu comprehendi et in profluentem mergi juſſiſſet, ad Nic. [l] Hatae actuarii publici aedeis prope fanum [m] Severini magno numero armati conveniunt, ſigno dato plebem ad ſeditionem concitaturi. Id rex cum per fidos reſciviſſet, exemploque utendum cancellarius eum identidem moneret, tamen [n] Villoclarus urbis praefectus reclamavit; et, impudentius an improbius incertum, coram rege ipſo increpita delatorum ſive audacia ſive vanitate, de his rumuſculis ipſum ſecurum eſſe juſſit: plebem Pariſienſem imbellem, et aſſidua regis in urbe mora opulentam factam, non temere aliquid in benefactorem ſuum auſuram; praeſertim cum de ejus pietate, ac praecipuo erga religionem affectu, ipſi certiſſimis pignoribus conſtet: proinde miſſas faceret hujuſmodi delationes, nec per eas quietem ſuam ſolicitari pateretur. Cum nihilominus inſtaret [o] Cevernius cancellarius, et indicium minime negligi debere oſtenderet, ille ridenti vultu ad regem converſus, nihilominus ſe quatuor cyathos ſolitos, haec enim erat bibendi menſura, depleturum dixit; et ita ad prandium perrexit. Verum, cum ſub veſperam de coetu armatorum juxta Severini-fanum conglobatorum nuncii crebreſcerent, rex, natura cunctabundus, primo cubicularium Hatae notum eo mittit; qui a conjuratis, ex regis cunctatione, quam ad metum referebant, audaciam ſumentibus, retentus eſt. Itaque eodem mox Petrus [p] Lugolius praefecti hoſpitii vicarius togatus, cum equitibus ſuis et aliquot ex ſtipatorum regiorum numero, et poſt eum Joannes Seguerius praetor Pariſienſis, miſſi:

INTERPR. [a] *Sens.* [b] *le duc de Mayenne.* [c] *Bourgogne.* [d] *Ancy le Franc, & Tanlay.* [e] *Yonne.* [f] *Mailly la ville.* [g] *de Harlay Sr de Monglas.* [h] *Ars.* [i] *la Charité.* [k] *Gien.* [l] *Hatte greffier.* [m] *S. Severin.* [n] *de Villequier.* [o] *de Chiverny.* [p] *Lugoly, lieutenant du prevoſt de l'hôtel.*

miſſi: quorum adventu tumultus crevit; et, cum regii ad Hatae aedeis vim facere vellent, ſubito ad B. Benedicti templum, Joannis [a] Buceri curionis juſſu, pulſatum tympanum, quod veluti ſeditionis in urbibus claſſicum eſt; continuoque plebs armata aedeis obſeſſas circumſtitit, confuſo clamore identidem repetens, Catholicos peti, et Eſpernonii Navarro et haereticis faventis inſtigatu id fieri: at non laturos Pariſienſeis, quibus regni ac religionis cauſa privatis regis libidinibus ſit potior. Ita crebreſcente ſeditione, cum nuncii alii ſuper alios Luparam commearent, aulici, de exitu veriti, regi auctores ſunt ut ſuos revocet, et noctis obſcuro injuriam ſibi factam tegi patiatur. Id IV Non. Septembr. actum. Poſtridie non eadem conjuratorum, quae regiorum, patientia fuit: nam illi paſſim per urbem agminatim diſcurſare, in quadriviis publice coitiones habere, multa in regem ac Eſpernonium contumelioſe jactare; concionatores vero, et in iis familiam ducens Bucerus, ex ambone in regem ac ejus conſiliarios palam debacchari. Contra rex minime turbato vultu more ſolito in publicum prodire, et, quaſi nulla injuria laceſſitus, (ita regina monebat) etiam ſuſpectos in aula et ex urbe ad eum mane venienteis benigne appellare. Amiſſa per ſocordem patientiam auctoritate, reſtabat, ut eam rex aliquo operae pretio recuperaret. Itaque, cum jam ſeditioſorum audendi licentia, et regis patiendi conſuetudine, eo res deveniſſent, ut cum conjuratis jure agere regi amplius jus non eſſet, [b] Villaregius apud regem inſtabat, ut cum copiis, quas ſibi ſervaverat, quamprimum contra auxiliarem exercitum adventantem proficiſceretur: hoc ad famam pertinere, et, quando jam aliter non liceat, ad coercendos ſiniſtros, qui paſſim in urbe ſparguntur, rumores, quaſi rex Navarro et Sectariis in occulto faveat, et Guiſii pro religione conatus, quo nomine tantam ſibi apud omneis benevolentiam conciliaverat, qua poſſit ratione remoretur. Igitur rex cum Ludovico Gonzaga [c] Nivernii duce, et Eſpernonio, aliiſque proceribus, pridie Eid. Septembr. Lutetia diſcedit, et juxta [d] Stampas ad exercitum venit. In eo erant VIII CIↃ Helvetiorum, VI CIↃ peditum Gallorum, et II CIↃ equitum cataphractorum. Cum iis copiis in [e] Biturigas Cubos pergit, et Ligeris vada a [f] Charitaeo oppido Genabum et Gergolium uſque diligenter ſervanda curat; Nivernio id ſatagente, ut locis arenoſis vallum duceretur, et aliis locis idoneis ad prohibendum hoſti tranſitum ſcloppetarii delecti diſponerentur.

XI. HEIC ſemel atque iterum vadum tentatum monſtrante [g] Monglaſſio, qui, et ita res habebat, ubique fere Ligerim tunc vado tranſiri poſſe affirmabat. Sed regii ripam cingebant, locis opportunis ducto vallo. Itaque de Charitaeo oppugnando in concilio agitatum fuit: eoque miſſi cum fruſtra fuiſſent, quippe ſerius uno die profecti, nam proxima tantum nocte praeſidium in oppidum introductum fuerat, Caſtellionaeus, qui cum ſummo Germanici exercitus caſtrorum praefecto et Joanne [h] Buquio [i] Novii ſubſtiterat, ut Charitaeo redeuntibus praeſto eſſet, Eſpernonium flumine tranſmiſſo illac excurrentem paene intercepit. Is, periculo devitato, cum hoſtium hoſpitia contemplatus eſſet, nocte inſequenti in eam partem in qua peditatus erat impetum fecit; ſed exiguo cum damno, et [k] Bonovrio ex ſuis ſtrenuo militum tribuno graviter ſauciato. Tum repetitae per [l] Huguerium Germanorum querelae, qui crebras nimis a belli ducibus exemptiones nobilium caſtellis in via occurrentibus concedi querebantur, quo fiebat, ut exercitus in ſumma rerum inopia ubique verſaretur. Sub idque, [m] Tilemano Bernatum legionis praefecto forte mortuo, [n] Bonſtetus ejus vicarius ad [o] Claravantium ſcribit; et Helvetios decreviſſe ſignificat legatos ad regem mittere, qui cauſas adventus ſui exponant.

INTERPR. [a] *Boucher curé de S. Benoiſt.* [b] *de Villeroy.* [c] *Nevers.* [d] *Eſtampes.* [e] *Berry.* [f] *la Charité, Gien, & Gergeau.* [g] *de Harlay Monglas.* [h] *le collonel Boucq.* [i] *Neufvy.* [k] *Bonouvrier.* [l] *de la Huguerie.* [m] *Tileman, collonel du régiment de Berne.* [n] *Bonſtetten.* [o] *le Sr de Clervant.*

exponant, ut in poſterum conſilium rebus ſuis ex ejus reſponſo capiant. Haec atque alia ſolicitos belli duces tenebant; quippe quibus perſuaſum erat, regem, alieno ab hoc bello animo, cupere occaſionem dari, qua honeſte ab armis poſſet diſcedere. Cum vero eam per Germanorum adventum oblatam non ſolum non ampleсti, ſed, valido oppoſito ad prohibendum [a] Ligeris tranſitum exercitu, regem contra obniti cernerent, maxime animi diſcruciabantur; vanitatem Gallorum accuſantes, qui ſpem de favore regis in tranſitu concedendo, atque adeo de Charitaeo oppido, per quod olim [b] Bipontinus copias tranſmiſerat, tradendo, fecerant; et aliquem e regia ſtirpe principem ad caſtra, ſimul ac Galliam ingreſſi eſſent, venturum, pecuniam denique promiſſam repraeſentatum iri, receperant. Itaque in exercitu, qui nullius certo imperio regebatur, tumultuante inde milite, inde diſcordantibus ducum ſententiis, cum magna confuſio eſſet, ad eum placandum a noſtris reſponſum fuit, quando nulla repraeſentandae pecuniae, quae petebatur, ratio eſſet, placere, ut ad Navarrum fidi ſumma cum diligentia mitterentur, et interim, dum reſponſum a Navarro veniret, [c] Belſia peteretur, regio patens nec inſidiis opportuna, de cetero, commeatu ac ceteris rebus ad victum neceſſariis abundans: inde per [d] Vindocinum agrum rurſus Ligerim repeti poſſe; et ad [e] Monſorellum, quo Navarrus pontem ex navigiis ſtruxerat, ipſum Navarrum aut venturum, aut, miſſis qui auxiliarem exercitum excipiant, illac traductis copiis ad eum iter intendi: ultroque Caſtellionaeus omnem ditionem ſuam circa [f] Caſtellionem et Caſtrum Reinardi, quo communis ſalutis quam privatarum rerum ſuarum potiorem ſibi curam eſſe approbaret, in exercitus uſus obtulit. Hic primus poſt diſceſſum e Lotharingia Germanorum exitialis error fuit, qui [α] poſtea eos in longe pejores induit: nam primam aciem, tam vicino rege, validam habere cogebantur, eoque debilior poſtrema relinquebatur; quam inde [g] Meduanius ex [h] Heduis deſcendens, inde Guiſius, qui novas copias nuper [i] Juniaci a Carolo Aumalio et Carolo Ellebovio patruelibus, ac Carolo [k] Coſſaeo Briſſaci comite, egregie inſtructas acceperat, ultimum agmen continuis aſſultibus laceſſebat; ita ut veluti inter treis exercitus infeſtos Germani incedere cogerentur. Per [l] Conam et Bonium facto itinere, [m] Blenaeum, quod in via occurrebat, cum oppidani temere reſiſtere auſi eſſent, vi captum ac direptum fuit. Inde cum poſt tridui moram Caſtellionem ad Lupam, a quo Franciſco Colinio nomen, veniſſent, Guiſius ad [n] Curtinaeum caſtra metatur trans [o] Lupam, inter Lutetiam et Germanos Belſiam petenteis medium ſe interpoſiturus, ne urbem populoſam, ceterum praeſidio deſtitutam, excurſionibus ex propinquo laceſſerent: ſiquidem vir ſagaciſſimus et inter factiones educatus ſuſpectam plebis levitatem habebat, et metuebat ne Pariſienſeis, quos exemplo ſuo ad conſtantiam univerſae per regnum plebi praeire cupiebat, ſi belli, cujus auctor ac ſuaſor extiterat, incommoda ſentirent, poenitentia ſubiret. Interea, dum per planitiem [p] Genabo et Montargirio interpoſitam hoſtes incederent, in ultimum agmen impreſſionem facere cum Meduanio fratre et ducibus ſibi addictis ſtatuit. Eo conſilio [q] Caſtreum praecipuum belli ducem, profunda jam nocte, Curtinaeo Montargirium praemittit; qui ſtatim inde Franciſcum [r] Blancardum Cluſellum mittit, ut de hoſtis inceſſu et hoſpitiorum ratione cognoſceret. Is reverſus VII equitum vexilla [s] Vimorii haud hinc longe hoſpitium ſumpſiſſe refert; et vera quidem in parte erant quae retulerat,

VAR. LECT. [α] poſtea miſeros homines in longe *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *la Loire.* [b] *le duc de Deux Ponts.* [c] *Beauſſe.* [d] *Vendoſmois.* [e] *Monſoreau.* [f] *Chaſtillon & Chaſteau-Regnard.* [g] *le duc de Mayenne.* [h] *Bourgogne.* [i] *Joigny.* [k] *de Coſſé comte de Briſſac.* [l] *Coſne & Bony.* [m] *Bleneau.* [n] *Courtenay.* [o] *le Loing.* [p] *Gien & Montargis.* [q] *de la Chaſtre.* [r] *Blanchard Sr du Cluſeau.* [s] *Vimory.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III. retulerat, ſed feſtinandi ſtudio cetera didiciſſe contempſerat: reliquum equitatum, Gallos item equites, poſtea ſuperveniſſe, et Vimorii itidem hoſpitium ſumpſiſſe: peditatum vero Gallicum leucae ſpatio ad [a] Nantonis caſtrum, Helvetios denique et Germanos pedites haud hinc longius per duo municipia, divertiſſe; ita confertis hoſpitiis, ob regiorum et Guiſianorum viciniam, ut alteri alteris ad ſubita praeſto eſſe poſſent. Nihilominus Guiſius, qui interea cum totis copiis ac Meduanio Montargirium venerat, impotenti operae pretii alicujus faciendi ardore raptus, Cluſello plenam fidem habuit; et ita rem componit, ut Meduanius cum CCC cataphractis equitibus haſtatis, quem Ellebovius cum CC ſubſequeretur, praeiret; ipſe cum CCC ſecundum agmen duceret, cumque Aumalius ad dextram cum CC ſequeretur. Peditatus in III agmina diſtributus erat: primum ducebat Sanpaulus, et cum eo erant [b] Joannes Vaſco, Gienſis, et Burgus, qui cum CIↃ ſcloppetariis ad dextram incedebat: Cluſellus ad laevam cum IↃCCC, et [c] Cevrerius, ac Ponſenacus, qui parem numerum ſecum habebant. Ii cum nocte admodum obſcura per planitiem incedentes Vimorio propinquarent, Meduanius aliquot equites praemittit, qui in ſpeculatores vim facerent: cum nullos illi in vici ingreſſu offendiſſent, protinus ad Meduanium redeunt. Meduanius vero, occaſioni inſiſtendum ratus, protinus tribunos peditum compellat, et ut rem fortiter gerant hortatur: ipſe in ora municipii juxta ſepeis ſubſiſtit, immiſſo in vicum peditatu. Locus eſt vaſtus, ſemileucae amplius ſpatio porrectus: quod commode Germanis accidit, ne ſimul, antequam arma ſumerent, opprimi poſſent. Impetu a peditatu facto obvii quique trucidati; inde pergente milite, et in domos, quo latenteis elicerent, ignem immittente, multi ferro et incendio abſumpti; quidam etiam capti. Interea ad arma conclamari jubet Donavius, et, cum aliquot vexilla circa ſe contraxiſſet, graſſanti paſſim pediti occurrit; qui, ſe imparem equitatui ſuſtinendo ſentiens, equitatus ſui opem ſublato clamore implorat; ſtatimque Meduanius, non monito fratre, cum paucis, nam ceteri ob noctis obſcurum deerraverant, vim facit; et, cum candido equo [α] inſidens flammis collucentibus agnitus eſſet, ſubito fit concurſus, et ipſi duces quaſi committuntur. Meduanius cum C circiter equitibus Germanorum numeroſiorem longe globum perrumpit, et a Donavio [d] ſcloppeti minoris ictum in galeae ima buccula accepit; ſed viciſſim Donavius, qui capite minime armato pugnabat, gladii a Meduanio diſtricti ictu petitus eſt, qui frontis cutem tantum ſtrinxit. [e] Roboreus Meduanii vexillifer, amiſſo vexillo, et Annas [f] Viennenſis Belloſremontius, Antonii [g] Liſtenaei reguli in Ambaris unicus filius, eo conflictu deſideratus; et circiter XX nobiles, ex juventutis flore, qui in foſſam propter tenebras non praeviſam praecipitavere. Ex Germanis deſiderati circiter C equites, et totidem lixae, cum CCC equis qui impedimentis trahendis inſerviebant, et II camelis: amiſſa item aenea tympana, quae Donavio, tanquam ſummo belli duci, de more praeferebantur. Id actum V Kalendas Novembreis. Poſtridie Guiſius miſit qui corpora occiſorum ad ſepulturam, vexillorum item utrinque captorum et captivorum fieri permutationem, peterent. De corporibus occiſorum aſſenſit Donavius; de captivis ſpatium ad deliberandum ſumpſit; de vexillis omnino negavit: nam tantum a ſe amiſſa II lixarum ſigna; quae ſtellam, ſtrigilem, ſpongiam, et pectinem, pro inſigni haberent: capta vero a ſe praecipuorum ducum eſſe, quae ad regem mittere in animo habeat. Cruentum id certamen fuit, et tam Meduanio quam alteri parti poenitendum.

VAR. LECT. [α] inſidens, ab interprete, quem Donavius penes ſe habebat, collucentibus flammis agnitus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Chaſteau-Landon.* [b] *le capitaine Joannes Gaſcon, de Gié, & Bourg.* [c] *de Chevrieres & Ponſenac.* [d] *un coup de piſtolet dans le menton de ſon habillement de teſte.* [e] *Rouvray.* [f] *de Vienne Sr de Beaufremont.* [g] *le baron de Liſtenois en Barrois.*

poenitendum. Inde [a] Caſtrum Nantonis itum. Cum oppidani deditionem facere recuſarent, admota a Donavio tormenta; et triduo poſt [b] Amorius, qui loco cum paucis praeerat, vitam ſalvam pactus tranſegit. Interim ad [c] Montargirium paene oppreſſus eſt [d] Caſtellionaeus, dum arcem, [e] Spalii cujuſdam, e [f] Neuſtriae nobilitate, ope, in poteſtatem accipere tentaret. Is, ob concuſſiones, dum pedites per regnum licentioſe duceret, et homicidia capitis poſtulatus, ad Navarrum olim confugerat; ab eoque ſumma humanitate exceptus, homo duplex et varius in Guiſii poſtea familiaritatem ſe inſinuaverat, utri vellet, inſigni flagitio incommodaturus: nam et eum obnoxium habebat Guiſius, gratia ei criminum a rege impetrata; et cum Navarrus eum beneficio obſtrinxiſſet, in ejus gratiam quidvis moliturus facile credebatur. Igitur a Guiſio perſuaſus cum [g] Guitrio clam agit, et Montargirianam arcem, quam, [h] Burro illius praefecto ob privatas injurias ac ſimultates capto, occupaverat, ſe ei nomine Navarri tradere paratum oſtendit. Re inter Caſtellionaeum et Guitrium agitata, miſſi qui vera necne diceret Spalius coram inſpicerent. Ii, eum in arce cum LX circiter praeſidiariis cum reperiſſent, quae viderunt ad ſuos referunt. Condicitur dies; et Guiſius a Spalio monitus locum novo praeſidio firmat, et Joannem [i] Gardam Vincium eo mittit. Claudius [k] Lotharingus Hieroſolymitanus eques, Aumalii frater, a Pariſienſibus evocatus, ob eas, quas mox dicam, cauſas, eodem cum Urbano [l] Lavallo Boſcodelfino venit. [m] Cluſellus ſe Spalii vicarium fingebat; qui, cum raſtrum ad intercipiendos eos, qui introducendi erant, pro tempore non haberet, cuneum loco idoneo parat, ac pulvere nitrato implet; quo ignem concipiente, hoſtes per poſticum venturi dato ſigno opprimerentur. Caſtellionaeus pridie Kalendas Novembreis, cum III Germanorum equitum vexillis, CC cataphractis equitibus et CIↃ circiter ſcloppetariis, die et hora condictis arci propinquat. Inde miſſi qui Spalium convenirent, et locum denuo inſpicerent: qui admiſſi, cum nihil aliud, quam quod antea, vidiſſent, ad ſuos redeunt. Miſſus mox Fabianus [n] Reburſius cum LX delectis; cui petenti claves portarum in oppidum ſpectantium conſignatae ſunt, et ſtatio amota, ut liberior pateret ingreſſus: colubrinae, quae in portam directae fuerant, averſae tranſlataeque ſunt. Inde alii ſuper alios admiſſi. Reſtabat ut Caſtellionaeus veniret: verum is, antequam ingrederetur, cum Spalio colloquium petiit; quem egreſſum praeter ſpem ejus retinuit. Tum Burrum, quem captivum attineri affirmaverat Cluſellus, dedi juſſit. Cum non traderetur, et a quibuſdam jam ingreſſis cum armis latere deprehenſus eſſet, machinatione detecta, multi, qui ingreſſi fuerant, ſenſim egreſſi ſunt. Quo conſpecto Burrus, veritus ne alii omnes elaberentur, ignem in cuneum immittit, cujus violentia ad XL partim diſcerpti, partim ambuſti ſunt. Spalius doli fabricator in vinculis habitus, cum diriſſimo ſupplicio reſervari crederetur, raro fortunae beneficio tandem periculum evaſit. Inde Proteſtantes [o] Belſiam ingreſſi, et [p] Malas-herbas Franciſci [q] Balſaci Intraguii arcem petunt. Guiſius, [r] Lupae ripam legens, Montargirio [s] Nemoroſium, et inde [t] Montem-Rigoli, ubi [v] Igonna in [w] Matronam influit, venit. Unde orta regi ſuſpicio, quaſi Guiſius, caſtris regiis relictis, Lutetiam, aut in Campaniam, ire cogitaret. Itaque Joachimus [x] Dintevilla, ipſius Guiſii in Campaniae praefectura vicarius, ad eum mittitur, qui de cauſis ſubiti diſceſſus ejus tam alieno tempore cognoſceret. Ille vero ſumma fiducia reſpondit, ſibi potius mori certum, quam regem tam neceſſario tempore deſerere; cui pugnaturo ſemper

praeſto

INTERPR. [a] *Chaſteau-Landon.* [b] *le capitaine d'Amours.* [c] *Montargis.* [d] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [e] *d'Eſpau.* [f] *Normandie.* [g] *le Sr de Guitry.* [h] *de Bourron.* [i] *la Garde Sr de Vins.* [k] *le chevalier d'Aumale.* [l] *de Laval de Bois-Dauphin.* [m] *des Cluſeaux.* [n] *Rebours.* [o] *Beauſſe.* [p] *Maleſherbes.* [q] *de Balſac Sr d'Entragues.* [r] *le Loing.* [s] *Nemours.* [t] *Monterreau.* [v] *Yonne r.* [w] *la Marne.* [x] *de Dinteville lieutenant de roy en Champagne.*

CIƆ IƆLXXXVII. HENRICUS III.

praeſto eſſe cupiat, et vero honorificum ducat: ceterum ſe Montem-Rigoli ad reficiendas ex praeteritis laboribus copias ad tempus ſeceſſiſſe, et Belſiam apertam devitaſſe, quod intellexerit, id conſilii hoſtibus eſſe, ipſum, ſicubi loco infirmo nacti fuerint, indagine protinus cingere: Meduanium vero, quod reſciverit Burgundiae in praefectura ſua ſeditioſos res novas moliri, neceſſario ſibi eo proficiſcendum duxiſſe: quantum ad Aumalium, ſcire regem cur in caſtris regiis manere non poſſit. Cum hoc reſponſo Dintevilla ad regem rediit; quod non tam ſpem manſuri in caſtris Guiſii fecit, quam ſuſpiciones veteres ex diſceſſus Meduanii et Aumalii abſentiae occaſione renovavit. Monte-Rigoli Guiſius [a] Stampas venit XIV Kalendas Decembreis, diviſis a fratre et patrueli copiis; ex quibus circa ſe circiter CIƆ CC haſtatos equites, et III CIƆ ſcloppetariorum, retinuit. Dum Stampis eſſet, conjurati Pariſienſes conſcientia territi, et a rege tam graviter offenſo, et victore, ut apparebat, brevi reverſuro, ſibi metuentes, ad Guiſium mittunt [b] Lucharium, cum aliquot equorum mangonibus; ac per eos inſtant, ut ipſe regem tanquam cauſae religionis adverſantem ex occaſione in poteſtatem redigeret, eodemque tempore, captis ex regis conſiſtorio et ex ſenatu ſuſpectis, urbs ejus nomine a conſciis, qui jam multi erant, occuparetur: jam in urbe eſſe Claudium Lotharingum, qui, ubi redierint, ſe ducem tam laudabili conatui ultro ſit praebiturus. Verum Guiſius, qui [α] turbidum patruelis ingenium ſuſpectum haberet, intempeſtivam eorum temeritatem dilatione potius quam aperta conſilii refutatione eluſit, laudata interim eorum pietate, et egregia erga ſe voluntate; quam ut in opportunius tempus reſervarent, et maximum quam poſſent hominum numerum in foedus ſacramento adigerent, rogavit.

XII. INTEREA rex, tranſmiſſo ad [c] Bogentiacum [d] Ligeri, [e] Bonnavallium in Carnutibus venerat, oppidum coenobio nobile, in [f] Vindocinum agrum tendentibus Germanis iter impediturus. Ibi ad eum veniunt Helvetiorum legati, cauſas adventus in Galliam ſui coram expoſituri; quos rex auditos ſevero primum vultu excepit, dein eos ad Ludovicum Gonzagam [g] Nivernium remiſit. Is vero, multa de fide majorum et mutua regis erga ipſos benevolentia praefatus, quam graviter in utroque peccarent, oſtendit, fide regi juxta foedera minime ſervata, et pro benevolentia concitato ejus odio: proinde eos rogabat, potius regem amicum in Gallia, quam gravem de injuria apud civitatem Helvetiorum expoſtulatorem, habere mallent, et accepta pecunia de reditu in patriam quamprimum cogitarent. Deinde ad regem rurſus a Nivernio introducti ſunt, qui eos denuo graviter increpuit; et cum ſe excuſarent, quaſi, opera pro Navarro addicta, auſpiciis regis ipſius militarent, ille ſubiratus, Atqui me vivum videntemque aſpicitis, inquit, in meo exercitu; nec excuſationi locus eſſe poteſt, ſi in exercitu, qui contra me ſtat, militatis: quapropter conditiones a Nivernio propoſitas accipite, alioqui a me et ab Helvetiorum civitate, cui factum hoc veſtrum minime probatum iri confido, aut nunc aut propediem male mulctandi. Hoc reſponſo accepto, cum ad ſuos rediiſſent, magnus in caſtris tumultus exortus, Germanis ac Gallis dividi imprudenter vireis et deſeri ſe ac prodi clamitantibus. Itaque Donavius ad Helvetios mittere, prenſare, hortari, conſilia communia ne ſepararent; una veniſſe, una reverti in patriam debere: vincere poſſe conjunctos, ſeparati quin vincantur minime ambigi. Bullionius quoque et Claravantius nihil non agebant, ut procedentia cum rege conſilia interturbarent, facta ſpe de ſtipendio propediem a Navarro numerando. Cum aliud non poſſent, tandem impetratum, ut ad Navarrum mittendi tempus a rege peterent, intra quod initae cum

VAR. LECT. [α] turbidum *deeſt* Ed. Gen. 1620, *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeritur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerptum.*

INTERPR. [a] *Eſtampes.* [b] *Louchard.* [c] *Baugency.* [d] *la Loire.* [e] *Bonneval au pays Chartrain.* [f] *Vendoſmois.* [g] *le duc de Nevers.*

cum rege pactiones ſuſpenderentur. Quo reſponſo etſi belli duces verba ſibi dari intelligebant, tamen ſic judicabant, ad famam pertinere, ne Helvetii, inconſulto Navarro, in regis partes tranſire viderentur; et magnum ea dilatione operae pretium feciſſe ſe exiſtimabant. Interea Eſpernonius, ut deditionem Helvetiorum magis urgeret, cum delectis in eorum et Gallorum Helvetiis junctorum hoſpitia impreſſionem fecit, ſed levi damno, Caſtellionaeo, qui ad omneis caſus ſemper praeſto erat, ſuperveniente: tantum [a] Villanovanus Cormontius captus; cujus interventu poſtea Eſpernonius cum Germanis tranſegit. At Guiſius, qui [b] Stampis erat, et, ut vireis, ſic rei gerendae rationes, a rege ſeparatas habebat, totum belli confecti decus ad ſe trahens, et ejus procraſtinati invidiam in regem injiciens, inſignis alicujus facinoris idoneam occaſionem captabat. Igitur inde [c] Caſtreum, inde [d] Sanpaulum, diverſos mittit: et ille quidem [e] Othonium, hic [f] Guillervallium, petit; captiſque aliquot ex pabulatoribus, cum de hoſtium conſiliis cognoviſſent, ea nocte Germanos Othonii hoſpitium habenteis aggredi ſtatuunt. Sed, re in craſtinum dilata, diſcedentibus interea Germanis et in [g] Carnutes tendentibus, conſilium fruſtra fuit; quod mox, ſumma Guiſii felicitate et magno Germanorum malo, repetitum eſt: nam cum Guiſius id maxime cuperet, ut hoſteis aut in hoſpitio opprimeret, aut caſtra ipſa Germanorum oppugnaret, Caſtreum cum CCC equitibus haſtatis et IↃ C ſcloppetariis equitibus Stampis [h] Dordingam praemittit, locum per ſe debilem, ſed arce firmum, et ſylva caedua proxima ac rivulo, qui incumbenti hoſti medius opponi poterat, ad receptum tutum. Ibi cum haud procul hinc Germanos hoſpitium habere [i] Alneti comperiſſet, protinus [k] Vincium, qui levi armaturae praeerat, cum ſcloppetariis equitibus hoſpitium juxta ſumere jubet: cumque Vinçius pabulatores hoſtium in eo reperiſſet, impetum fecit, pleriſque occiſis. Rumore in caſtra perlato protinus Germani arma capiunt; ſed, cum utrique in aciem inſtructi aliquandiu conſtitiſſent, medio rivo, nihil eo die actum eſt: tantum Vincius de hoſpitiis Germanorum Caſtreum diligenter edocuit. Donavius Alneti erat, quod eſt municipium arci firmiſſimae ſubjectum, quae ab una parte ſtagnum habet; cujus agger ad unam ex municipii portis pertingit, de cetero infirmis muris cincti, ſine foſſa, ac ſublicio ponte: ex eo ſtagno rivulus fluit, hinc inde arboribus omnis generis conſitus, madorem ſolo circumpoſito inducens; qui non ubique vadoſus eſt, et, ubi vado tranſitur, vicos et molatrinas habet, ab hoſte tunc inſeſſas: in imo ſtagni agger exſurgit, qui paludoſum ſolum ſecat, ad lucum uſque porrectus, ubi arcis arenariae ſunt, et portam ipſius arcis tangit. Donavius ubi primum Alnetum venit, aliquot e ſuis in arcis infimam curtem, ubi ruſtici gregibus et armentis receptum habebant, impetum fecere: quibus a praeſidiariis dejectis, Donavius, miſſo tubicine, cum obſidionem minaretur, cum [l] Scholario ab Henrico Jouſa [m] Buchagii comite olim arci impoſito tranſigit, fide accepta nihil ipſum contra Germanos hoſtile auſurum. Hoc cognito, Caſtreus per Vincium cum Scholario agit; miſſoque [n] Sanſtephano ipſi noto petit, ut per arcem Guiſio ac ſuis in municipium ſubjectum ingreſſus pateat. Eodem tempore ad Guiſium ſcribit, et, ut propere cum expedito peditatu et equitatu, relictis ſignis et impedimentis, Dordingam advolet, rogat. Condicta hora ad meridiem diei inſequentis, qui in XII Kalendas Novembreis incidebat, qua eadem hora Sanſtephanus ad Scholarium miſſus cum reſponſo reverſurus erat, venit Guiſius cum bis mille IↃ ſcloppetariis, IↃ loricatis, CIↃ CC equitibus, et Dordingae diu Sanſtephanum expectavit; qui profunda jam nocte ſub horam tantum octavam

INTERPR. [a] *de Villeneufve de Cormont.* [b] *Eſtampes.* [c] *de la Chaſtre.* [d] *de St Paul.* [e] *Othon.* [f] *Guillerval.* [g] *Pays Chartrain.* [h] *Dourdan.* [i] *Auneau.* [k] *la Garde Sr de Vins.* [l] *le capitaine Chollart Gaſcon.* [m] *Bouchage.* [n] *de St Eſtienne.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III. octavam veſpertinam rediit, ab hoſte circum diſcurrente remoratum ſe dicens. Id vero reſponſi a Scholario retulit; illum per infimam curtem ingreſſum Guiſio daturum, ceterum de arce ruſticorum bonis referta, ob ſecuritatem ipſis promiſſam, et ſuſpectam militum licentiam, non poſſe aſſentiri. Id ſuſpenſum diu Guiſium tenuit, qui, niſi arcis potens, rem tentare inconſultum putabat. Itaque, diſpoſitis poſtridie in itinere inſidiis, cum viciſſim Germani ſuas ſtruxiſſent, Vincius hoſtem ad proelium laceſſendo pellexit; et, cum ſe propere quaſi fugiens reciperet, hoſtem ardentius inſequentem in inſidias traxit: et, incumbente Caſtreo cum CL delectis, circumfuſi Germani in fugam verſi ſunt, C circiter ex ſuis deſideratis; in quibus plerique erant e primaria nobilitate et majoris auctoritatis duces. Sub id Franciſcus Borbonius [a] Contii princeps, ſicuti convenerat, in caſtra Germanorum [b] Prunaeum venit, exiguo admodum comitatu, quippe jam ſiniſtro ab omnibus, etiam iis qui infenſiores Guiſio videbantur, de ſucceſſu augurio capto; nihilominus, feſtis tormentorum diſploſionibus conſumpto die, nocte conviviis extracta, ſumma ducum hilaritate exceptus.

XIII. INTERIM Guiſius minime ceſſabat, habitoque cum Scholario colloquio, magna pecuniae vi pervicerat, ut liberum per arcem ingreſſum ſuis permitteret. In noctem proximam re dilata, ita ordo compoſitus: Guiſius ſub ſeptimam veſpertinam horam cum CIↃ CC equitibus et III CIↃ peditum, poſt conceptas Deo preces, procuratis corporibus, Dordinga proficiſcitur: Vincius cum CCC equitibus levis armaturae praecedebat; Caſtreus cum CC cataphractis ſubſequebatur; reliquus equitatus [c] Guiſio et Ellebovio ducibus incedebat, peditatu dextrum latus, qua parte hoſtes venturi erant, tegente: ita incedentes per illunem noctem ſub horam quartam matutinam valli ſucceſſerunt, CIↃ ab [d] Alnetenſi arce circiter paſſibus, in ſtagni ſubjecti margine, qui ad arenarias et portam exteriorem arcis pertinet. Peditatus accelerare juſſus aggerem occupat, jam clangentibus ad profectionem Germanorum tubis. Biduo ante, poſt Contii, cui ſummum imperium ultro a [e] Bullionio delatum fuerat, adventum, in concilio agitatum fuerat, quo iter dirigendum eſſet. Interclſo ſiquidem a regiis copiis in [f] Vindocinum agrum itinere, cum Guiſium a tergo inſequentem haberent, reſtabat, ut eodem, quo venerant, itinere Ligerim repeterent; inde aut expeditius in Germaniam reverſuri, aut tranſmiſſo Ligeri ad Navarrum perrecturi: et ita decretum fuerat. De Helvetiorum quoque diſceſſu a caſtris impediendo in concilio actum fuerat: nam mali exempli rem eſſe, et complures etiam ex Germanis exemplum pernicioſum ſecuturos, brevique cunctos alio atque alio praetextu a ſignis diſceſſuros; et de Navarri adventu minime deſperandum, qui poſt inſignem victoriam ad [g] Cutracum nuper partam, nam de ea jam in caſtra nuncius venerat, intra paucos dies ad Ligerim ſit occurſurus: interea ejus conſilium ſequendum, et Guiſium alicubi obſidione cingendum. Alii contra ſic diſſerebant: quando eo res redacta eſſet, ut iter, quo venerant, verſus Ligerim neceſſario repetendum eſſet, id cum ſolo equitatu expeditius confici poſſe, quam ſi lentum peditem exſpectare, et ad ſubita ei praeſto eſſe, cogantur. In eamque ſententiam itum eſt. Sed rurſus aliae difficultates ſupervenerunt, cum Helvetii, juxta pactiones cum rege initas diſceſſuri, ſtipendiorum ſuorum rationes diſpungi peterent, fide data, propediem cum III recentibus legionibus, niſi interim pax fieret, ad Navarrum venturos: nam Donavius contra pugnabat, et, confuſo bonorum ac malorum diſcrimine, Germanos, Vimorienſi conflictu amiſſa magna impedimentorum parte, jam tumultuantes, proculdubio in apertam ſeditionem erupturos aiebat. Interque has contentiones

INTERPR. [a] *Conti.* [b] *Prunay.* [c] *les ducs de Guiſe & d'Elbœuf.* [d] *Château d'Auneau.* [e] *le duc de Bouillon.* [f] *le Vendoſmois.* [g] *Coutras.*

contentiones minime concordi exercitu, in hunc diem, hoc eſt, in VIII Kalendas Decembreis, profectio dilata fuerat. Igitur ex ſtrepitu et tubarum clangore cum conjectaret Caſtreus, Germanos aut de Guiſii conſilio cognoviſſe, aut in eo eſſe ut ſe in viam darent, peditatum propere in arcem penetrare jubet, quanto fieri potuit ſilentio. Guiſius, tribunis blande appellatis, ad rem fortiter gerendam ſpe ingentis praedae propoſita exhortatus, in planitiem ſubjectam cum equitatu eventum opperiturus conceſſit. Sanpaulus, cui multis verbis a Guiſio perſuaſo rei conficiendae negotium datum fuerat, cum [a] Joanne Vaſcone, [b] Ponſenaco, Gienſi, Burgo tribunis, ſic ſuos inſtruit: in arce L ſcloppetarios relinquit, qui eam ad receptum, ſi caſus ferret, ſervarent: tum in ima curte reliquos in aciem inſtruit; et ipſe quidem majorem municipii vicum, in quo [c] Donavius erat, invadendum ſuſcepit, praemiſſis CCC ſcloppetariis, qui primam impreſſionem facerent, ſervatis circa ſe IƆ circiter, qui recentes feſſis ſuccederent, et repulſos exciperent: Ponſenacus ad dextram in alterum vicum cum IƆ eodem tempore impetum facturus erat. Inter municipii domos et imam curtem planities jacet, L circiter paſſuum ſpatio, in vicorum bivio, quam carris objectis ac doliis Germani vallaverant; addita peditum manu, qui cum ſcloppetis ingreſſum ab ea parte arcebant. Ibi acriter, dubio primum exitu, pugnatum fuit; cum equites quidam audacter in primos incubuiſſent, et, jam retro pedem ferentibus ſuis, Sanpaulus accurrens, omni ratione, precibus, minis, anniteretur, ut fugam ſiſterent, receptumque, ni pugnam capeſſerent, ad arcem negatum iri oſtenderet, mandato dato iis qui imam curtem ſervabant, ut in recedenteis tanquam in hoſteis ejacularentur. Tandem proelio reſtituto, et majore quam antea vi oppugnatum vallum, ac poſtremo magna cum obviorum caede expugnatum. Eodemque tempore miſſi a Sanpaulo, qui, ambitu capto, a tergo portas, per quas Germani exituri erant, inſeſſas clauderent. Itaque, cum equites vallo amiſſo propere ſe ad portas reciperent, eas clauſas praeter ſpem reperientes, alii relictis equis ſe per moenia non ita alta praecipitabant, alii, obverſa in perſequenteis fronte, fortiter pugnando occumbebant, ſed iniquiſſimo longe certamine; cum Galli palantes Germanos in equis ex domibus et inter carros diſcurrenteis impune caederent, et ſingulos fere ſemper carperent; in domibus vero oppreſſos nullo negotio aut caperent aut trucidarent. Ad primum ſtrepitum Donavius, antequam portae occuparentur, exiverat, cum XII tantum, ut locum excipiendis ſuis caperet. Mox porta obſerata intercluſi qui ſequebantur; qui, huc illuc per pomoerium curſitantes et fruſtra exitum quaerentes, ex equorum ſellis recti in muros humileis inſiliebant, et ex iis ſe in foſſam praecipites demittebant: reliqui omnes fere caeſi aut capti. In ea ſtrage oppreſſi [d] Clotius et Wernerus primarii turmarum duces: numerum interfectorum, comprehenſis in eo lixis, bis mille faciunt qui rem vero majorem non fingunt: capti circiter CCCC, cum omnibus equis et impedimentis et VII vexillis. Cum auxilio e locis vicinis quidam Germani albeſcente jam die accurrerent, incumbente [e] Swarceburgio in fugam conjecti ſunt, etiam vexillo amiſſo. Biduum carris depraedandis, et cuneis domorum, ad Germanos, qui latebant, veſtigandos, ſcrutandis, a milite inſumptum; qui inde, ex peditibus equites repente facti, in equis cum pileis, armis, ac reliquo apparatu Germanico, ad Guiſium [f] Stampas, pompa ad riſum ac laſciviam militarem compoſita, redierunt. Miſſus ſtatim a Guiſio ad regem Caſtreus, qui eum de ſucceſſu, cujus pars ipſe magna fuerat, plenius edoceret. Rex tunc [g] Artenaei erat; ubi paulo ante [h] Nivernius cum ad eum veniret, ex equo in via ſilicata lapſus, crus, vulnere ante XX fere annos accepto debilitatum, fregit,

ex

INTERPR. [a] *le capitaine Joannes Gaſcon.* [b] *les ſieurs de Ponſenac, de Gié, & de Bourg.* [c] *le baron de Dhona.* [d] *les colonels Clot & Werner.* [e] *le baron de Schwartzenburg.* [f] *Eſtampes.* [g] *Artenay.* [h] *le duc de Nevers.*

CIↄ IↄLXXXVII. HENRICUS III.

ex eoque periculoſe ac diu decubuit. Rex venientem ad ſe Caſtreum et IX vexilla afferentem perbenigne accepit, et ſingula rei momenta diligenter enarrantem in ſpeciem libenter audire viſus eſt; ceterum nullo munere, quod ille ſibi perſuaſerat, donavit, quamvis alioqui in donando natura profuſus, haud occulta livoris ſignificatione; quippe cum provideret, Guiſium populorum favore ſubnixum, eaque re jam ſibi gravem, accedente tanti ſucceſſus fama, inter privatum modum minime ſe contenturum, quantumque ille decoris ſibi ex eo arrogaret, tantum e regiae majeſtatis faſtigio deceſſurum. Poſt ſtragem Donavius cum paucis egreſſus, accurrentibus undique ſuis et Helvetiis, qui nondum e caſtris diſceſſerant, ſuperveniente etiam [a] Guitrio et Caſtellionaeo, aciem e veſtigio inſtruxerat; et plerique e Gallis cenſebant, ſi mox vim in municipium facerent, milite praedae intento ac ſoluto, et victores oppreſſum iri, et decus amiſſum magna ex parte recuperari poſſe. Sed, ſemel terrore correptis animis, vix ullis ducum precibus adduci potuerunt Germani et Helvetii, ut certamen repeterent; tantumque de receptu ſoliciti omnem decoris et famae curam saluti poſthabuerunt. Itaque ſtatim Helvetii juxta pacta cum Eſpernonio poſtremum inita cum rege tranſegerunt: Germani cum Gallis, quam citiſſime poſſunt, in viam ſe dant, defoſſis in terram duobus majoribus tormentis; et alteris caſtris [b] Caſtrum-Nantonis, IV a Montargirio leucis, venerunt. Hic in pontis tranſitu exortus tumultus. Inde, tentato fruſtra [c] Genabo, a Caſtellionaeo, incumbentibus regiis, in Germanos pedites impetus factus; et CIↄ CC amplius armis exuti, multi ſauciati, plures capti. Heic relicta minora tormenta, et carri complures. Tum inſequentibus regiis aliquoties pugnatum, ſed levi utriuſque partis damno: et cum Carolus [d] Sabaudus Nemoroſii dux et [e] Mercurianus ardentius in hoſtem invecti eſſent, Caſtellionaeo et Franciſco [f] Angenneo Monlueto frontem vertentibus, periculum vitae adierunt, amiſſis aliquot e ſuis. Interea rex Genabum venerat; ad quem ſalutandum Guiſius venit, et inde in [g] Heduos deflexit, ut ſe cum Henrico [h] Lotharingo Muſſipontis marchione conjungeret. Is CIↄ CC circiter equites Italos haſtatos, et IV CIↄ Germanorum equitum nuper conſcripta, ſecum adduxerat, ut recedentibus hoſtibus inſtaret.

XIV. UBI in Moruanum pagum ventum eſt, ſylvis et confragoſis itineribus impeditum, ut vix ſinguli equites per ea incedere poſſent, jam feſſis et qui fugiebant et qui inſequebantur, cum rex merito vereretur, ne de debellatis omnino hoſtibus Lotharingici triumpharent, praevertendum ratus, per [i] Cormontium captivum ab Eſpernonio ad Germanos miſſum agit, et Germanis ſecurum in patriam reditum pollicetur; Gallis, qui majorum religioni addicti erant, ut eam deinceps amplecterentur, vita ſalva et bonorum libera poſſeſſione reſtituta: iis qui Proteſtantium doctrinam amplecterentur e Gallia migrare juſſis, uſu fructuque bonorum ac plena vendendi ac ea obligandi facultate conceſſa, tantum petebat, ut, quando regis regnique cauſa ſe veniſſe in armis dicerent, vexilla ac ſigna omnia in regis manus conſignarent. Conditiones a rege oblatas minime negligi placuit, quod pavefacto milite nulla ſpes pugnae capeſſendae eſſet, omni rei militaris et inter Germanos ac Gallos cura abjecta, ac dilapſis jam compluribus e nobilitate, et reliquis in dies dilabentibus. His accedebat, quod fatigatis et excalceatis equis ſoleae fere deeſſent; non duces viae eſſent qui ad hoſpitium iter monſtrarent, et, cum vix ſera nocte ad hoſpitium ventum eſſet, non pabulum in equos, aut panis in victum hominibus, ſuppeteret, armis et impedimentis paſſim relictis per vias occurrentibus: jamque pedites nulli

INTERPR. [a] *les Sieurs de Guitry & de Chaſtillon.* [b] *Château-Landon.* [c] *Gien.* [d] *de Savoie duc de Nemours.* [e] *le duc de Mercœur.* [f] *d'Angennes Sr de Monlouet.* [g] *Bourgogne.* [h] *de Lorraine marquis de Pont-à-Mouſſon.* [i] *de Villeneufve de Cormont.*

nulli in caſtris comparebant, aut per ſylvas deerrantes, aut morbis in itinere deficientes, aut denique morte abſumpti: Cormontiana legio, captivo tribuno, ad ſolitudinem redacta erat: nulli circa [a] Moium amplius conſpiciebantur; a Caſtellionaeo e [b] Septimania adducti aut equis deſtituti ſequi non poterant ceteros magnis itineribus properanteis, aut, ſi ſequerentur, ut expeditiores eſſent, arma abjicere cogebantur: tum pulvere deficiebantur, et ſcloppeti ipſi corrupti ad belli munia inutiles erant; ita ut tantum CC ſcloppetarii Galli bene inſtructi in exercitu reliqui eſſent, et bis mille Germani pedites, ſed fere nudi et inermes. His rationibus plerique inducti Cormontium ad regem remittunt, Eſpernonio ſemper inſequente cum IↃCCC cataphractis equitibus et totidem ſcloppetariis: et, cum poſt ſtragem [c] Alnetenſem octo dies ita ſemper incedendo exiiſſent, quinque dierum itinere continuato, Germani cum Gallis [d] Lencium in Matiſconenſi agro pervenerunt VIII Eidus Decembreis: quo die Cormontius, et poſt eum Claudius [e] Inſulanus Marivallius, ab Eſpernonio venit, terribilia cuncta a rege afferens; inde Lotharingicos in [f] Heduis et Sequanis imminere, inde novas copias in [g] Forenſi agro occurſuras; Mandelotum vero Lugdunenſis provinciae praefectum, qui et ipſe alias copias habeat, ad regem ſcripſiſſe, ob nivium altitudinem omnia montanis illis regionibus inacceſſa eſſe. Sed contra Caſtellionaeus diſſerebat: jam exercitum ſylvas et impedita loca evaſiſſe; vix quatuor dierum iter reſtare ad [h] Vivarienſem pagum, in quo [i] Campobaldus bello dux ſtrenuus cum CIↃ IↃ ſcloppetariis recentibus occurſurus ſit: debileis Mandeloti, quae ad terrorem jactantur, vireis eſſe: ſic autem cenſere, omnem exercitum in duo agmina dividendum eſſe; et in primo, quod ducendum ipſe ſuſcepturus ſit, partem copiarum cum impedimentis, quibus carere non poſſint, collocandam, rejectis ſtrigoſis equis et omni alia re ſuperflua; tum ultimum agmen ſecuturum: hoc vero inter eundum conſtanter ſervandum, ut in obvios quoſque ſine mora ferrum ſtringatur; hoc ſi faciant, in tutum, perruptis omnibus obicibus, evaſuros: nam et Eſpernonium diei unius, Guiſium III, itinere abeſſe; et, ſi gradum accelerent, cum paucis et de via feſſis acceſſuros. In hanc ſententiam cum plerique inclinarent, tamen, montana Vivarienſis pagi, nivium altitudinem, ſterilitatem ſoli, veritis Germanis, de conditionibus cum Marivallio agi placuit. Is vero e duobus alterum propoſuit, ut cuncta vexilla complicata ſecum auferrent, fide data nunquam contra regem et Caeſarem militaturos; aut, ſi militandi libertatem ſervare vellent, ſigna regi traderent; utroque autem conditionis eventu iis de vitae incolumitate caveretur. Alterutrum cum ſe accepturos Germani reſpondiſſent, ceterum intra veſperam, quod optare velint, edicturos; Caſtellionaeus, qui conditionibus ut minus honeſtis comprehendi nollet, ut erat decoris avidus, protinus ad profectionem ſe parat, monito prius Bullionio de periculo, in quod ſe ſuoſque conditionibus acceptis praecipitaret: nam [k] Ararim in Germaniam redeuntibus tranſmittendum, qui, minime vadoſus, non niſi per pontes aut pontones, qui fere a Meduanio occupati aut ſubducti erant, tranſiri poſſit: quod ſi in conjuratorum manus incidant, quis ſpondere auſit, ut quae a rege promiſſa ſint praeſtentur? aut praeſtare poſſit, ut Lotharingi in eos, quibus rex ſcripto cavet, facto non ſaeviant? et vero nulla Marivallium habere a rege expreſſa mandata. Idque cum conſtanter aſſeveraret Caſtellionaeus, ingens tumultus exortus eſt, reſque paulum a ſeditione abfuit. Itaque mox, venia a [l] Contio petita, qui et ipſe ſub id cum vexillo praetorio ex Caſtellionaei conſilio in proximam arcem ſe recepit, et a Bullionio, ad profectionem cum

INTERPR. [a] *le Sr de Mouy.* [b] *Languedoc.* [c] *d'Auneau.* [d] *Lency en Maſconnois.* [e] *de l'Iſle Marivaux.* [f] *la Bourgogne & la Franche-Comté.* [g] *Forez.* [h] *le Vivarais.* [i] *Chambaud.* [k] *la Saone.* [l] *le prince de Conti.*

CIϽ IϽLXXXVII. HENRICUS III.

cum ſuis, qui jam equos conſcenderant, ſe parat. Sed cum eum revocarent Germani, ſuſpicatus id quod erat, eos nimirum ſtatuiſſe, ipſum penes ſe retinere, donec eis de ſtipendiis promiſſis idonee caveretur, ultro ad eos venit; et aequa petere illos dicit, paratumque ſe et alios belli duces ipſis cavere oſtendit; et ea de cauſa ad Bullionium ſe tendere. Tum converſus ad ſuos, ſtricto gladio, quod ſignum diſceſſionis erat, gradum accelerat; illique ſtrictis pariter gladiis abeuntem inſequuntur. Eo diſcedente perſcriptae ſtatim conditiones; et conventum, ut Galli, qui beneficiis edictorum ac gratia regis frui vellent, ſigna ad regem deferenda traderent; Germani ſua ſecum auferrent, ſed complicata, et ad limitem uſque incolumes deducerentur, ſide data, nunquam injuſſu ejus in Francia militaturos. Poſtea Germanorum duces et ipſe Donavius ad Eſpernonium venerunt; qui eos lautiſſimo convivio [α] excepit. Accepta a rege ſecuritatis ſide, duces copias dividunt; et pars per Sebuſianos et Sabaudam ditionem, quam citiſſime poſſunt, domum tendunt; alii per Sequanos iter ceperunt; quos [a] Muſſiponti marchio cum recentibus copiis, et Guiſius, qui tranſactum cum iis indignabatur, et exciſarum copiarum laudem ſibi ereptam dolebat, cum ſuis inſecuti ſunt uſque in [b] Monpelicardi comitatum; ubi nullo non genere libidinis, ſaevitiae, et avaritiae, in miſeros ruſticos graſſati ſunt, ccc circiter vicis incendio abſumptis, et virginibus ac mulieribus, nec non pueris, paſſim ab Italis ſtupratis; et, ut pecuniam a captivis extorquerent, ad lentos igneis toſtis hominibus, quos ſemiambuſtos aut filii aut proximi, undique conquiſitis praeter vireis ac facultates nummis, redimere cogebantur: quod mihi a fide dignis hominibus, cum illac triennio poſt iter facerem, confirmatum fuit. Hujus rei invidiam Guiſius in Muſſipontanum rejiciebat, qui ſimileis Germanorum paulo ante in Lotharingia graſſationes ultum ibat; idque merito ſe in Friderici Wirtembergici, ad quem ea ditio pertinebat, terris facere [β] aiebat, quod is, princeps cum Iſemburgico comite miſſae ſuperiore anno ad regem legationis, etiam Germanorum in Galliam expeditionis auctor fuiſſet: quo nomine graviter in Imperii comitiis de injuria ſibi a Lotharingiae duce facta expoſtulavit Fridericus, parumque res ab armis abfuit. Cum Lotharingus factum excuſaret, ille ſibi de damno ſatisfieri, aut injuriam armis perſequi licere, peteret; tandem a Caeſare delecti arbitri, quorum ſententiae uterque ſtaret. Tunc vero diverſi duces hinc inde abierunt: [c] Claravantius cum Helvetiis in [d] Sebuſianos deflexit, et [e] Dommartinus cum aliquot Germanis; quibus a Sabaudiae duce nomen Germanicum verito ſecuritas data, et ſine injuria libere tranſire permiſſum eſt. [f] Bullionius Genevam aeger conceſſit; nec diu poſt ex morbo, et ad morbum animi moerore accedente, [γ] ſuperſtes fuit. Donavius in Germaniam cum [g] Jo. Buquio re infeliciter geſta abiit. [h] Caſtellionaeus interea ſuos

VAR. LECT. [α] excepit; ubi Cicoti facetiis notiſſimi ſcurrae dicterium inſigne fuit Donavio exprobrantis, nullas illi in Belſia comeſtas alaudas, (hoc genere avicularum per hyemem pinguiſſimarum ea regio maxime abundat) quae non ei totidem armatis equitibus conſtitiſſent. Accepta a rege *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] aiebat, quod is Lutheri ſectae addictus eſſet, et princeps *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.* niſi quod *MS. Samm.* pro *Lutheri* ponit *Calvini.*

[γ] ſuperſtes fuit. Donavius, male de noſtris meritus, nec de iis melius ſatisfactus, retro in Germaniam cum Joanne Buquio abiit, magno in deſpectu, ob rem infeliciter geſtam, poſtea apud ſuos habitus. Antequam Gallorum duces et Donavius iter dividerent, inter eos convenerat, ut ſilentio praeterita ſepelirentur, et fato adverſaeque fortunae, non cujuſquam culpae, adverſi ſucceſſus imputarentur: nihilominus Donavius anno inſequenti, cum videret ſiniſtra ſe fama propterea inter Germanos laborare, fidei datae immemor, librum Germanica lingua edit, quo facti invidiam omnem a ſe amoliebatur, eamque in Navarri tarditatem, Bullionii imperitiam, et Gallorum ducum imprudentiam ſive in diſtribuendis manſionibus malignitatem, quae Germanis tumultuandi occaſionem dediſſet, retorquebat; idque captato tempore fecerat Donavius, cum Francofurtenſes propediem nundinae exiturae eſſent, ne ad ſcriptum reſponderi poſſet;

INTERPR. [a] *Pont à Mouſſon.* [b] *Montbeliard.* [c] *le Sr de Clervant.* [d] *Breſſe.* [e] *de Dommartin.* [f] *le duc de Bouillon.* [g] *le colonel Boucq.* [h] *le Sr de Chaſtillon.*

ſuos et aliquot e nobilitate, qui florentem ipſius fortunam ſequi quam adverſae cedere maluerant, ad [a] Laurentii-fanum, qui locus ad conveniendum condictus erat, colligit, et per [b] Seguſianos iter in montana proxima intendit: ubi ſemel atque iterum cum Mandelotum, Juſtum Ludovicum [c] Turnonium, et Sanvitalium, inſequenteis, et interdum obvios, aut ſumma diligentia iter perſequendo eluſiſſet, aut fortiter pugnando ſuperaſſet, Fabiano [d] Reburſio et Dompetra Lieramontio in certamine captis; tandem, quinto, poſtquam a Germanico exercitu diſceſſit, die, longis ac difficillimis itineribus in [e] Vivarienſem pagum pervenit, et ad [f] Retortovam arcem a tot exantlatis inter ſumma pericula laboribus primum reſpiravit; ob receptum aeque generoſum ac felicem ſummopere ab omnibus commendatus, magnaque ſui ex eo excitata fama; quam multis egregie factis poſtea, licet in flore aetatis ereptus, longe clariorem reddidit.

XV. Rex poſt diſſipatum hoſtilem exercitum Lutetiam modicis itineribus contendit, eamque in armis et de hoſte devicto triumphanti ſimilis ingreditur, biduo ante Domini natalem; a regina parente, quae obviam proceſſerat, uxore, ac magiſtratu urbis, ſumma magnificentia et gratulatione in ſpeciem exceptus. Sed, exortis ſtatim conjuratorum factione ſiniſtris contra Eſpernonium rumoribus, quaſi Navarro favens tota ea expeditione ignavia ſive perfidia praevaricatus eſſet, et regi poſtremo auctor fuiſſet, ut Germanos, quos perdere poterat, incolumeis dimitteret, optimoque principi bene de religione merito, ita Guiſium vocabant, debitam deletorum omnium hoſtium gloriam, feſtinata maligne tranſactione, invidiſſet; in eam rem ſtatim editi libelli contra Eſpernonium contumelioſi, et inter alios unus a propolis per urbem diſcurſantibus ſtudioſe praeconia voce publicatus, cum magnifico rerum ab Eſpernonio contra haereticorum exercitum geſtarum titulo, in cujus ſingulis paginis Nihil majuſculis literis aſcriptum erat: qua loquendi ac ſcribendi licentia fiebat, ut, invidia, qua Eſpernonius apud plebem flagrabat, in regem derivata, totum belli confecti decus, quod regi, Germanis in inſidias a Guiſio ſtructas veluti praecipitatis, debebatur, ei per calumniam ereptum artificioſe in Guiſium conferretur, et odium plebis, ſub nomine Eſpernonii conceptum, magis ac magis in dies adverſus regem inflammaretur.

XVI. Itaque optimi quique ac prudentiores miſeram regis conditionem deplorabant, qui belli regno exitioſi contra animi ſententiam ſuſcipiendi neceſſitatem ab ambitioſis hominibus ſibi imponi initio paſſus eſſet, et, cum ejus finem quaereret, nihilominus id inepta patientia diſſimulare, bellum interim alieno arbitrio adminiſtrare, regni opes in illud prodigere, regnumque ipſum in particulas laceratum, regiae majeſtatis culmen humi proſtratum, aſpicere, denique cum certo publicae quietis ac proprio ſuo diſcrimine inimicis hominibus opes, amicos, decus ac potentiam, conciliare, cogeretur. Sic enim diſſerebant: Bello ſemel accenſo, qui

primus

poſſet; interea volitaret illud per manus Germanorum, et nemine contradicente imponeret ea mentibus, quae haud facile poſtea eximi poſſent. Verum aſtu cognito Jacobus Bongarſius, juvenis ingenio et eruditione praeſtans, et Gallici decoris perquam ſtudioſus, qui Navarri res iſtic procurabat, ſcripti exemplo ab amicis accepto, extemporaneo ſed aculeato ſcripto contrario, quod et eadem feſtinatione typis mandari curavit, antequam nundinae exirent, reſpondit; et omnem rei male geſtae culpam primum in Donavii ambitionem rejicit, qui tanti exercitus ductu tirocinium artis, cujus omnino imperitus erat, facere voluerit; deinde in Michaelis Huguerii, ei a Joanne Caſimiro attributi, et auro Lotharingico corrupti, perfidiam: tum ignominioſam cum rege factam, inconſulto Navarro et reclamantibus Gallorum ducibus, conventionem objicit, quam miſerabilis ſuorum diſſipatio ac ſtrages ſecuta ſit; ita ut, majore parte a ruſticis caeſa, vix ex tanto exercitu quarta pars in Germaniam ſalva redierit: contra, fortem et aeternum praedicandam Caſtellionaei per medios hoſtes perruptionem laudat, quae non parum ipſum oneret, et oſtendat quam illi facile fuiſſet, modo libuiſſet, aut per Huguerium ipſius oraculum licuiſſet, ad regem Navarrae contendere. Caſtellionaeus interea *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *S. Laurent.* [b] *Forez.* [c] *de Tournon, & de S. Vidal.* [d] *de Rebours, & Dompierre de Liermont.* [e] *le Vivarais.* [f] *Retourtou.*

primus error fuerat, cum, inde a Lotharingis, inde a Navarro, regnum externis militibus impleri neceſſe eſſet, optandum fuiſſe regi, ut Navarrus, qui pro ſalute pugnans et extrema neceſſitate victus ad extremas opes confugerat, auxiliaribus copiis firmaretur, ut Lotharingis ipſis, quorum ambitione belli faces per totum regnum accenſae fuerant, vice verſa pacis petendae neceſſitas imponeretur, et incendium ab iis excitatum reſtingueretur: atqui, prohibito Ligeris a rege tranſitu, id actum eſſe, ut, amiſſa Navarro ſubveniendi ratione, eo magis Guiſii jam ſuſpecti vires firmarentur, quas, religionis colore quaeſito contra Navarrum ſumptas, poſtea in regem ipſum, quod mox evenit, ex occaſione verteret. Itaque reginae, Eſpernonio et ceteris regis ingenio abutentibus infenſae, aequitatem, et conſiliariorum prudentiam majorem ea in re deſiderabant. Sed rex, cunctatione inſita et odio in Proteſtanteis caecus, periculum, quod ei a ſeditioſis impendebat, eo uſque neglexit, donec, intempeſtivis omnibus remediis, cum peſtis, quae prudentia vitari poterat, non aliter quam peſte contraria diſcuti poſſet, extremis malis conſilium a deſperatione capiendum fuit.

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTOGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

DIGUIERII in Allobrogibus res geſtae. II. *Helvetii auxiliares, qui in Allobroges venerant, a Bernardo Valeta Eſpernonii fratre caeſi. Monaſterienſis arx a Brigantionis praeſidiariis capta; et tandem Queracenſis arx.* III. *Gotardi Ketleri Curlandiae ducis, Gulielmi Gonzagae ducis Mantuae, Franciſci magni Etruriae ducis, deceſſus.* IV. *Literis clarorum virorum, Eliae Vineti, Jacobi Skekii, Joannis Wigandi, Germani Valentis Guelii Aureliani epiſcopi, Jacobi Pamelii, Jacobi Mangoti filii fiſci in ſenatu patroni, obitus.* V. *In Belgio res inter Leiceſtrium et Hohenloum comitem et Ordines agitur. Parmenſis Wouam, Marcantio prodente, capit. Geldria item civitas a Cl. Barlemontio Altapennio recipitur.* VI. *Willelmus Stanleius ad partes Philippi tranſit. Rolandi Eboracenſis itidem defectio. Willelmus Ruſſellus Bedfordiae comitis filius, a Walacriae praefectura ab Ordinibus repulſus, omnia ex illa occaſione in Zelandia turbat.* VII. *Delegati ab Eliſabetha res in Batavia ordinant. Per Leiceſtrii abſentiam ſumma rerum Mauritio Naſſovio commiſſa.* VIII. *Scriptum Ordinum ad Leiceſtrium expoſtulationis plenum.* IX. *Magna in Belgio, ac Flandria praecipue, inedia, caritas, et vaſtitas. Parmenſis Brugas cum exercitu venit.* X. *Poſita ad Sluſas caſtra.* XI. *Leiceſtrius in Belgium venit. Altapennius ad Engelemum cum ſuis caeſus. Sluſae Parmenſi deditae.* XII. *Leiceſtrius Dordracum venit. Simultates inter eum et Ordines in aperta odia evadunt. Plebs Leiceſtrio favet.* XIII. *Scripta ultro citroque inter ipſos commutata.* XIV. *De pace cum Hiſpano Friderici regis Daniae interventu, ex conſilio Eliſabethae, ſed inſciis Ordinibus, actum; a qua illi ſe excuſant.* XV. *Paſtores plebem contra magiſtratus incitant. Coitionis principium Ultrajecti factum; ubi captum conſilium de Lugduno intercipiendo et Anglis tradendo. Re detecta conjurati comprehenſi capite luerunt. Eliſabetha rem palam diſſimulavit, et conſtantiam in foedere cum Ordinibus ſervavit, revocato mature e provincia Leiceſtrio. Scriptum ea de re exeunte anno publicatum.* XVI. *Franc. Dracus hoc anno, ad inſpiciendam claſſem Hiſpanam, quae contra Eliſabetham parabatur, miſſus, ad Luciferi-fanum in Baetis aeſtuario multas naveis deprimit.* XVII. *In Pannonia a noſtris proſpere contra Turcos geſta. Copanum cum magna praeda captum. Turci a Georgio Serinio magna clade adfecti.* XVIII. *In Polonia Stephano mortuo ſciſſa ſtudiis comitia: ſed praecipuus fuit Sigiſmundi, Joannis* III *Suecorum regis et Catharinae Jagellonicae filii, favor; qui, Samoſcio annitente, rex Poloniae renunciatur* V *Eidus Sextileis. Dein pridie Eidus Sextileis Sborovianorum factione in regem Maximilianus Auſtrius Caeſaris frater eligitur. Leges Maximiliano dictae; quas ille Olomuciae ratas habuit. Leges itidem Sueco datae.* XIX. *Tandem Sigiſmundus repetitis literis evocatus Gedanum venit, et ad Olivenſe coenobium ſolemni ſacramento adigitur.*

XX. Maximilianus, cum ſe in viam cum Sborovianis dediſſet, V *a Cracovia milliaribus ſubſtitit. Occurrente Samoſcio pugnatum, et victi Auſtriaci.* XXI. *Sigiſmundus Cracoviam regia pompa ingreditur, et inaugurationis ritus ſolita ceremonia peracti.* XXII. *Novus rex copias inſtruit, quibus Samoſcius praeficitur. Ad Bitſinum acriter pugnatum, et ter mille Auſtriaci occiſi. Bitſinum eodem ſucceſſu a Samoſcio captum, et in eo Maximilianus ipſe. Victoris Samoſcii moderatio et humanitas.* XXIII. *Pontifex per Hippolytum Aldobrandinum cardinalem in Poloniam miſſum de Maximiliano libertati reſtituendo agit.*

Ex auctoribus,

Diguierii diario, Imm. Meterano, Joanne Parvo, Caeſare Campana, Jo. Leunclavio, Davide Chytraeo, Actis utrinque publicatis.

LIBER OCTOGESIMUS OCTAVUS.

CIƆ IƆLXXXVII.
HENRICUS III.

NEC interea eodem anno in aliis regni partibus ceſſabatur. Nam Franciſcus [a] Bona Diguierius, prorogatis in [b] Venaſcinenſi comitatu induciis, interventu Henrici Momorantii, qui hoc a Navarro impetraverat, poſt habitum [c] Ebroduni cum Caſtellionaeo colloquium, [d] Argenteriam proficiſcitur, et alteris caſtris [e] Villarium venit VI Eidus Martias. Ibi ad radices [f] Genebrae montis levi certamine pugnatum; et [g] Sanjoannius et Claverius, cum munitionem perrumpere vellent, interfecti ſunt; [h] Riverius, Abelus, et alii ordinum ductores, ſauciati. Inde [i] Monaſterium juxta Brigantionem itum; ac poſtremo menſe exeunte [k] Diguieriam reditum eſt: ubi conſilio capto de [l] Campis caſtello munito intercipiendo, Kalendis Aprilibus concubia nocte crepitacula admota, et, una atque altera diſploſione facta, locus captus eſt. Biduo poſt de induciis inter utriuſque partis duces actum, ſed irrito exitu, cum Maugironus et [m] ſenatus Gratianopolitanus conditiones propoſitas minime probarent. Poſtea Diguierius [n] Serris [o] Venas venit, et XV Kalendas Maias ſub [p] Vapinci uſque portas excurrit. Ibi eruptione facta utrinque aliquot cecidere. Biduo poſt [q] Ventrolium, cum tormenta eo deduci nunciatum eſſet, deditum eſt per abſentiam Diguierii iis legibus, ut locus minime diriperetur, arx non deſtrueretur, de moenibus arbitratu ſuo Diguierius ſtatueret. [r] Saltum tenebant infeſti admodum Proteſtantibus praeſidiarii, qui late omnia circum vaſtabant. In eos ſtructae inſidiae, [s] Polignio Diguierii vicario, Monterondo, et Ruſſeto, ducibus. Tum miſſi qui greges abigerent: in quos cum praeſidiarii numero CXX egregie armis inſtructi erupiſſent, in inſidias praecipitarunt. Acriter utrinque certatum: tandem undique cincti praeſidiarii, cum receptus non eſſet, ad unum omnes fortiter pugnando trucidati ſunt: ex Diguierianis tantum [t] Blancus junior Vapincenſis deſideratus. Demum VII Kalendas Junias ad [v] Monaſterium Murae et [w] Pontem Conietum admotae eodem tempore copiae, et vigeſimo die poſt ad Monaſterium vallum ductum; quo tectus miles jam ad muri ſuffoſſionem ſe parabat. Tandem pridie Kalendas Junias deditus arbitrio Diguierii Pons Conietus, territis praeſidiariis, poſtquam crepitaculo ſemel diſploſo muri pulſati

INTERPR. [a] *de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [b] *le Comtat Venaiſſin.* [c] *Embrun.* [d] *l'Argentiere.* [e] *Villars.* [f] *Mont Genevre.* [g] *le Sr de S. Jean, & le capitaine Clavery.* [h] *les capitaines Riviere & Abel.* [i] *la Moneſtier de Briançon.* [k] *aux Diguieres.* [l] *chateau de Champs.* [m] *parlement de Grenoble.* [n] *Serres.* [o] *Veines.* [p] *Gap.* [q] *Venterol.* [r] *Sault.* [s] *de Poulligny, de Montrond, & de Rouſſet.* [t] *le cadet de Blanc de Gap.* [v] *Chateau du Sr de Moneſtier ſitué prés de la Mure.* [w] *le fort du pont de Coignet.*

pulſati ſunt. Diguierius erga deditos ſumma humanitate uſus eſt; quos vita ſalva ac libertate dimiſit, nullis durioribus legibus impoſitis. Poſtridie qui Monaſterium tenebant, vitam et res ſalvas pacti, deditionem fecere, ea lege, ut arx deſtrueretur. Eodem die [a] Bricomotius, Maſius, et Sofredus Caligno [b] Fanum-Georgii, et inde [c] Gratianopolim, profecti ſunt, accepto commeatu, ut de [d] Camporum et Murae arcium demolitione agerent: quae, acceptis a Diguierio VI aureorum CIↃ, tandem deſtructae ſunt, ea lege, ut neutri eas inſtaurare aut iis ad bellum uti poſſent. Inde ad [e] Merindolium verſae vires, praemiſſo [f] Turrio Guberneto, qui locum corona militari cingeret. Eo deducta [g] Nionio tormenta III; quae cum in oppidum directa eſſent XVII Kalendas Quintileis, poſtridie mane fit deditio, ea lege ne locus diriperetur: et eodem die poſt prandium arbitrio Diguierii arx quoque deditur a praeſidiariis; quibus vita ſalva a Diguierio conceditur, exceptis duobus qui proditionis in [h] Benivaco hoſti tradendo accuſati capite luerunt. Inde [i] Molanum ducitur, ſi forte ſucceſſu territi praeſidiarii locum dederent; quod cum facere recuſaſſent, protinus motis caſtris [k] Scalerium itur; quod, neutris partibus hactenus addictum, tunc praeſidium a Diguierio impoſitum accepit. [l] Petra-longa et tunc ad tormentorum conſpectum deditionem fecit: quam altero poſt menſe Bernardus [m] Nogaretus Valeta, admotis duobus mediocribus tormentis, poſt CXX ictus diſploſos honeſtis conditionibus recepit. [n] Juncarium etiam, Arauſionenſis principatus caſtellum, poſt aliquot tormentorum Mauritii-fano advectorum ictus diſploſos deditum eſt XI Kalendas Quintileis; locoque Hector [o] Foreſtus Blaconus impoſitus, qui ceteram ditionem jam tenebat. Biduo poſt [p] Poëtum Lavalli vulgo dictum obſidione cinctum eſt; quo mox cum equitatu Diguierius venit. Advecta [q] Montelio Adaemari tormenta: quae dum adducuntur, itinere per [r] Rolandi caſtellum facto, [s] Onufrius ab Hiſpania Rameſortius et natalibus et virtute nobilis cum [t] Carpeio eruptionem faciunt; et poſt acre certamen, cum numero vincerentur, in caſtellum poſtremo compelluntur. Quinto poſtquam obſeſſum fuerat Poëtum die admota tormenta; editaque ruina, cum impetus factus eſſet, Diguieriani repulſi ſunt, ſed exiguo cum damno. Poſtridie cum in eo eſſent, ut, quando ruina idonea non videbatur, verberationem denuo inſtaurarent, praeſidiarii deditionem faciunt, vitam et res ſalvas pacti; explicatiſque ſignis, ceterum tympanis minime pulſantibus, in tutum deducti ſunt. Inde [v] Auguſtae muniendae cura impenſa: unde cum copiis, quas penes ſe habebat, profectus Diguierius [w] Derberiam venit, ut venienti Caſtellionaeo praeſto eſſet. Is [x] Septimania profectus cum CIↃ IↃC circiter ſcloppetariis et aliquot cataphractis equitibus Rhodanum trajecerat Kalendis Sextilibus, juxta Derberiam caſtra metatus. Poſtridie ad [y] Vaccam, Montalegrium, Bellomontium, hoſpitia habuere, ac [z] Vivum poſt aliquot dies venere; ubi de Montelio Adaemari, ab iis qui regis nomen praetexentes foederi novo ſeſe obligaverant, intercepto nuncius ad eos venit. Id actum XVII Kalendas Septembreis. Captata occaſione adventus Caſtellionaei, cui obviam Proteſtantium duces proceſſerant, et praeſidia fere milite vacua reliquerant, carnifex urbis cum fabro ferrario, qui malleos et vecteis ad id paraverat, ruſticis item quibuſdam, re compoſita, de ea primum cum [aa] Anconio agit: qui cum eam negligere videretur, cum [bb] Bulatio idem negotium retractatur; qui Anconii, cui conſilium poſtea probaverat, et [cc] Sanferreoli ope conatum executus eſt. Die condicta, clathris

INTERPR. [a] *de Briquemaut, du Mas, & Sofred de Calignon.* [b] *S. George.* [c] *Grenoble.* [d] *de Champs & de la Mure.* [e] *Merindol.* [f] *de la Tour Gouvernet.* [g] *Nions.* [h] *Benivey.* [i] *Moulans.* [k] *Eſgalieres.* [l] *Pierre-longue.* [m] *Nogaret de la Valette.* [n] *Junquieres.* [o] *de la Foreſt de Blacons.* [p] *Poet Laval.* [q] *Montelimart.* [r] *la Baſtie Roland.* [s] *Onuphre d'Eſpagne de Ramefort.* [t] *Charpey.* [v] *Aoſte.* [w] *Derbieres.* [x] *Languedoc.* [y] *la Vache, Monteleger, & Beaumont.* [z] *Viſ.* [aa] *le Sr d'Ançone.* [bb] *Boulati.* [cc] *de S. Ferreol.*

CIϽ IϽLXXXVII. HENRICUS III.

clathris ac peſſulis trium [a] portarum Pylonis Sanmartiniani a fabro, quem dixi, revulſis, conſcii cum IϽCC oppidum hoſtiliter ingrediuntur; et poſt longum et obſtinatum certamen cum paene repulſi eſſent, [b] Leodegarius centurio major, qui egregiam admodum operam in defenſione navaverat, ſcloppeti forte ictu occiſus eſt; quo cadente et pariter defenſoribus animi cecidere. Praeſidiarii interim per longi certaminis moram pulverem omnem nitratum in arcem principem recipiunt, oppidanis, qui ad eam confugiebant, excluſis, et in proximam [c] Narbonam dictam rejectis. Tum ab Anconio et Sanferreolo evocati e nobilitate vicina praecipui, ac ii maxime qui non tam regi quam Guiſii partibus ſtudebant; et cum iis praedae ſpe bis mille amplius advolavere. Franciſcus [d] Balma Suſae comes facile inter eos principem locum tenebat: qui cum ſummam ad ſe traheret, alii diſſiderent, cuncta interim confuſe agi, munia militaria negligi, tormentis, quae inde deducenda prudentiores cenſebant, relictis; ita ut biduum ſine teſſera, dum a quo ſumi deberet ambigebatur, ſtationes obitae ſint. Nuncio rei ſub horam nonam matutinam Vivi, qui XX leucis hinc abeſt, accepto, eo [1] mox Ludovicus [e] Blanius Poëtus oppidi et arcis praefectus, [f] Blaconus, Vacarius, Sala, Subrupius, Sangenius, a [g] Diguierio miſſi cum CCCC delectis, qui obſeſſis in arce ſuppetias ferrent. Jam [h] Celuſius ex [i] Vivarienſi pago advenerat cum IϽCCC auxiliaribus. Ii triduo poſt captum oppidum in munitiones ad arcem erectas vim faciunt, eo ordine: Sangenius praecedebat, cui Vacarius ſucceſſurus erat; tum Poëtus et Blaconus ſubſequebantur. Hic acriter certatum, munitionibus tanta firmitudine et altitudine exſtructis, ut tecta junctarum domorum aequarent: quas cum vi perrumpere non poſſent arcis praeſidiarii, domos perfodiunt; ita ut, qui modo arcem obſidebant, a fronte et per latus ipſi cingerentur; et undique petiti primo cedentes, poſtremo in fugam conjiciuntur: ex qua cum collectis animis ad plateam ſubjectam non ita ſpatioſam ſe recepiſſent, ibi rurſus pugnatum fortiter a ducibus ac delecta nobilitate; ſed, diffugiente paſſim milite, ingens ſtrages edita. A platea vicus repagulo clathrali tantum clauſus ad portam oppidi pertinebat, in quem adducto repagulo ſe plerique e nobilitate ferro ſaevientis militis iram fugientes ſe receperant. Ii Blaconum, qui inter primos pugnabat, evocant; et aperto repagulo admiſſum, ac mox adducto quaſi cinctum circumſidentes, cum ille ſibi interceptus videretur, primo obſtupuit: mox ut ad jubas et caudam equi, ad ſtapedem haerenteis eos vidit, vitam ſalvam petenteis, bono animo eſſe juſſit, et in proximam domum ſe recipere; quibus et, ne vis fieret, ex fidis cuſtodes appoſuit. Interea ad [k] portam S. Gaucherii fit fugientium concurſus; quam cum clauſam nacti eſſent, rurſus ingens ſtrages editur, ita ut numerus occiſorum bis mille exceſſerit: multi ſe ex praealtis moenibus, cum aliter non poſſent, in ſubjectos campos praecipitarunt. Pauci e tanto numero elapſi; in quos huc illuc palantes cum lixae, qui cum equis herorum in foſſa arcis remanſerant, impetum facerent, occiſis jam pleriſque, a turma equitum Ramefortii, qui ſub id in oppidum ingreſſus eſt, ſuperveniente repreſſi ſunt. Deſiderati Suſae comes pater, qui receptum faciendum ſuſceperat, [l] Anconius, [m] Logerius, [n] Tilii filius, Podius Sanmartinus junior Porta dictus: capti Suſae comes filius, [o] Garda regulus, [p] Strangius, [q] Chenillacus Vivarienſis pagi praeſes, [r] Tilius pater, [s] Precontatus, [t] Coſſanus junior, Ventarolus item

INTERPR. [a] *les 3 portes du portail St Martin.* [b] *Leger ſergent major.* [c] *Chateau de Narbone.* [d] *la Baume comte de la Suze.* [e] *de Blain Sr du Poet.* [f] *de Blacons, de Vacheres, de Salles, de Soubſroche, & de S. Geniſe.* [g] *le Sr de Leſdiguieres.* [h] *le Sr de Chelus.* [i] *le Vivarais.* [k] *porte de S. Gaucher.* [l] *Antoine de Pracontal, Sr d'Ancone chateau du Dauphiné prés de Montelimart.* [m] *François de Borne Sr de l'Augere, chateau du dioceſe de Viviers.* [n] *Laurens de Veſe fils du Sr du Theil bourg du Vivarais ſur le Rhone, & du Puy St Martin le jeune dit des Portes.* [o] *Jean Baptiſte Eſcalin des Aimars, baron de la Garde chateau de Dauphiné prés de Pierrelate.* [p] *René d'Hautefort Sr de l'Eſtrange en Vivarais.* [q] *Guillaume de Balazuc Sr de Senillac gouverneur du Vivarais.* [r] *Guillaume de Veze Sr du Theil.* [s] *Jean de Pracontal.* [t] *le jeune Coſſans, le jeune Venterol, & Boulati.*

NOT. [1] *lege* mox e Delfinatu Ludovicus *Put.*

item junior, et Bolatius, qui oppidi intercipiendi auctor ac ſuaſor fuerat: [a] Rameſortius, cum in turrim ſe recepiſſet, triduo poſt cum ceteris captus eſt. Ex Proteſtantibus pauci interfecti: Celuſius, qui e Vivarienſi pago auxiliareis adduxerat, [b] Alardus et Mirabellus vulnerati, qui ſtrenuam admodum operam in eo certamine navarunt.

II. INGENS gaudium ex recepto [c] Montelio conceptum ſtrages Helvetiorum eodem die, qui in XIV Kal. Septembreis incidebat, ſecuta turbavit. Ex iis quos [d] Claravantius, ſicuti ſupra dixi, conſcripſerat, X ſigna, quorum VIII habebant CCC, reliqua duo ſingula IↃ milites efficiebant, Gulielmo Stuarto [e] Vezinio et Cugio ducibus, in Delfinatum miſſa fuerant, cum II Gallorum ſignis, quae CCCC circiter conficiebant. Hos Valeta, qui IↃ C equites CIↃ CC ſcloppetarios penes ſe habebat, in [f] Draci et Iſarae ripa adortus, loco pediti aequiſſimo, nihilominus magna ac ſupra ſpem clade affecit: nam in fugam conjecti a IↃ haud amplius ſcloppetariis, ſuperveniente equitatu univerſi caeſi ac diſſipati ſunt, ita ut ex tanto numero vix C ſuperfuerint; qui cum Caſtellionaeo poſtea ſe junxerunt. Vezinius ad [g] S. Vigilii pontem, [h] Montricherius ejus vicarius et [i] Albonus regulus ad [k] Ocellos receptum habuerunt; ubi cum LX circiter Helvetiis poſtea capti ſunt. Capta et IX ſigna, quae Valeta per [l] Grotium ad regem miſit. Certamini interfuit Alfonſus [m] Ornanus Corſorum in Gallia tribunus; qui cum egregiam admodum operam in eo navaſſet, totum rei confectae decus ad ſe Valetam trahere indignatus, protinus per diſpoſitos equos in aulam tendit, atque a rege, qui hominem ſtrenuum et ſibi fidum alienare nollet, benigniſſime exceptus, magnaque largitate ob rem bene geſtam remuneratus. Quinto poſt Helvetiorum ſtragem die Caſtellionaeus, petita a Diguierio venia, in viam ſe dat; et, per Sabaudiam facto itinere, ad exercitum Germanicum contendit. Pridie Kalendas Septembreis Giraldus [n] Aemarius Griniani comitis filius [o] [1] Clauſeram et Monſegurium, paternae ditionis in Provincia caſtella, quae praeſidio a Valeta nuper impoſito tenebantur, occupat, et Diguierio, nuptias filiae ipſius affectans, operam ſuam addicit. Quo eodem die [p] Blaconus Suſae oppidum invadit ac diripit, et, cum arcem habere in poteſtate non poſſet, ſtatim deſerit. Die inſequenti a praeſidio [q] Ebroduni [r] Gilleſtrium cingitur, et advectis quatuor tormentis mediocribus et II campeſtribus pulſatur; diſploſiſque CC ictibus tertio poſt die deſeritur oppidum, ac die [2] inſequenti arx deditur. Paulo poſt Fanum quod a [s] Belmontio, Gaſſano ejus vicario, et Miranda Delfinate tenebatur, corona cingitur; unde Miranda [t] Caſſardonum, partibus Guiſianorum addictum, paulo ante Valetae inſtigatu ejecerat: dedito loco V ex praeſidiariis infames latrociniis juſſu Diguierii patibulo affiguntur. Mox et a [v] Brigantionis praeſidiariis [w] Monaſterienſis munitio expugnatur, enitente per [x] ſcalas et latomorum cochleas in templi fornicem milite, duabus ante lucem horis, et perforato fornice ignem paleae et ligno miſtum in pulverem nitratum injiciente; cujus vi turris dejecta eſt, ac L circiter ex praeſidiariis diſcerpti ſunt: praefectus munitionis cum XII militibus captus. Demum nocte VIII et VII Kalend. Octobr. intercedente [y] Queracenſis arx a Diguierio obſeſſa fuit; ſed, ſuperveniente foediſſimo imbre, qualis hominum memoria nunquam iis locis fuerat, et juxta Ebrodunum exundante [z] Druentia, obſidioni aliqua mora allata eſt.

Tandem

INTERPR. [a] *de Ramefort.* [b] *d'Allart & de Mirebel gentils-hommes du Vivarais.* [c] *Montelimart.* [d] *le Sr de Clervant.* [e] *Stuart de Vezins, & le Sr de Cugy.* [f] *le Drac & l'Iſere.* [g] *pont de Vigiles.* [h] *Montricher.* [i] *le baron d'Aubone.* [k] *aux Oyſans.* [l] *des Crottes.* [m] *Ornano colonel des Corſes.* [n] *Adhemar de Monteil fils du comte de Grignan.* [o] *Clauſeres & Monſegur.* [p] *de Blacons.* [q] *Embrun.* [r] *Guilleſtre.* [s] *Belmont, Gaſſans, & la Mirande Dauphinois.* [t] *Chaſſardon.* [v] *Briançon.* [w] *le fort de Moneſtier.* [x] *par es eſchelles & poulies des Maçons.* [y] *chateau de Queyras.* [z] *la Durance.*

NOT. [1] Clauſeram, *al.* Colonſelam *Put.* [2] *lege* inſequenti arx deditur, quae a Belmontio, Gaſſano ejus vicario, et Miranda Delfinate tenebatur, qui inde Caſſardonum, partibus *Put.*

Tandem operum vi per aſpera et inacceſſa montium deducta [a] Sillaci induſtria tormenta, et novem dierum ſpatio vix IV leucae confectae ab ulteriore Druentiae ripa ad [b] Clementis-fanum in citeriore ripa: quibus conſpectis [c] Lunius loci praefectus, quod id praeter ſpem accidiſſet, territis ſuis colloquium poſcit, et VI Eid. Octobr. cum Diguierio convenit, ut vita ſalva, relictis armis, tantumque gladiis milites accincti dimitterentur. Cum ita conveniſſet, precibus Lunii, a ruſticis periculum inermi militi imminere cauſantis, exoratus Diguierius ſcloppetos et cetera arma deditis reſtitui juſſit. Quibus actis [d] Bricomotius [e] templum S. Petri in valle [f] Caſtri-Delfini munitum vi expugnat, trucidatis praeſidiariis et loci praefecto capto. Id actum tertio poſt arcem Queracenſem deditam die, XIII Kalendas Novembreis. Diguierius [g] Avanſono [h] Fanum Boneti venit: quo eodem die [i] Rameſortius cum LX cataphractis equitibus et CL ſcloppetariis in [k] Fanum Stephani, ubi aliquot turmae Diguierianae equites hoſpitium habebant, impetum fecit ante auroram; inde cum damno repulſus, et capto a Diguierianis [l] Paſquerio juniore, qui pedites ducebat, et ab equitatu deſertus fuerat. Haud multo poſt, VI Eidus Novembreis, Rameſortius, [m] Montaltus, [n] Eſcaravacus, et [o] Signacus, primarii Valetae duces, cum CCCC ſcloppetariis et CXX cataphractis equitibus, albeſcente jam die, cum ſtationes mutantur, [p] Juncarium furtivo conatu intercipiunt, excepta turre oppidi primaria; cujus ope Blaconus poſt quatuor circiter horas cum XXX tantum equitibus auxilio advolans, Rameſortianis peditibus [q] Monteliani caſus adhuc recentis exemplum veritis ac diffugientibus, oppidum amiſſum recepit. Varios alternantis fortunae ſucceſſus triſtitia domeſtica cumulavit, a Diguierio in morte Henrici ſeptennis filii magnae indolis pueri accepta, quem ille unicum in ſpem nominis clari tot egregie factis ad poſteros tranſmittendi heredem habebat: cui tam juſto dolori vir fortis, et nulla re quam moderatione et conſtantia major, ſolatium e publico et a negotiis petivit, nunquam intermiſſa rei bellicae cura; quam, quo major rerum moles incubuit, eo majore cum famae propriae tum Gallici nominis gloria ſemper poſtea adminiſtravit.

III. HIC annus et principibus viris et literarum laude inſignibus funeſtus fuit: nam Gotardus Ketlerus e Weſtfaliae nobilitate, qui olim Livonicae militiae princeps electus fuerat, et poſtea cum Sigiſmundo Auguſto Poloniae rege, [r] Curlandiae et Semigalliae accepto certis legibus beneficiario principatu, tranſegerat, jam ſenex placido fine ultimum vitae diem clauſit XVI Kalendas Junias, ac in principatu Fridericus filius ei ſucceſſit. Gotardum ſecutus eſt Gulielmus Gonzaga Mantuae dux, XIX Kal. Septembr. ſub veſperam defunctus, corpore deformi, ingenio acer; cum diu magna prudentiae ac ſolertiae laude, amplificatis magna rerum acceſſione opibus, principatum rexiſſet, et ex ſe et Helionora Auſtria genitum Vincentium, XXV tunc annos natum, heredem reliquiſſet. At Franciſcus Medices magnus Etruriae dux II, qui Joannam Auſtriam primam uxorem duxerat, et, amiſſo ante quinquennium Philippo ex ea ſuſcepto, ſuperſtitibus tantum duabus filiis, [s] Blancam Capellam a ſenatu Veneto adoptatam ſecundis nuptiis ſibi junxerat, cum nullum heredem maſculum haberet, ampliſſimarum tota Italia ditionum Ferdinandum fratrem cardinalem moriens heredem reliquit. Cum autem VII Eid. Octobr. repentino obitu ſublatus eſſet, Blanca uxor quinque poſt horis, ſive fato ſive ex moerore praecipitata morte, virum ſecuta eſt; cum ex ea ante nuptias Antonium nothum filium ſuſcepiſſet. Filiarum Franciſci grandior natu Helionora jam Vincentio Mantuae principi

INTERPR. [a] *de Sillac.* [b] *St Clement.* [c] *Luny.* [d] *de Briquemaut.* [e] *l'egliſe au bourg de S. Pierre.* [f] *Chateau-Dauphin.* [g] *Avanſon.* [h] *S. Bonet.* [i] *de Ramefort.* [k] *S. Eſteve.* [l] *Paſquier le jeune.* [m] *Aimeri de Voiſins Sr de Montaut.* [n] *Jacques de Ste Colombe Sr d'Eſcaravaques.* [o] *de Signac.* [p] *Jonquieres.* [q] *de Montelimart.* [r] *Courlande & Semigalle.* [s] *Blanca Capella.*

principi nupſerat; Maria e duabus altera diu innupta manſit, tantae exſpectationis mora illuſtriſſimo longe conjugio poſtea penſata, cum Henricus IV, diſſoluto prius cum Margarita Henrici III ſorore olim contracto matrimonio, de ſecundis votis cogitans eam ſibi junxit, et, felicibus auſpiciis ex [a] Allobrogibus victor rediens, nuptias per fiduciam contractas Lugduni conſummavit.

IV. LITERIS et inſignes hoc anno obierunt: Elias [b] Vinetus, Barbezio Rupifulcaudiorum caſtello in Santonibus natus; qui non ſolum juventuti erudiendae in [c] Aquitanica ſchola, in qua Joanni [d] Gelidae ſucceſſit, ſicuti ſuo loco diximus, operam ſedulam navaverat, ſed etiam ſcriptis doctiſſimis antiquorum monumenta plurimum illuſtravit, ac demum, ſeptuageſimum octavum annum ſupergreſſus, [e] Burdigalae in eadem ſchola animam optime de republica literaria meritam Deo reddidit pridie Eidus Maias. Eum quinque diebus praeceſſit, aut potius ſecutus eſt, nam calculum priſtinum Germani Proteſtantes retinent, Jacobus Skekius, aetate triennio minor, profeſſione medicus; qui Ariſtotelem et ſcriptis illuſtravit, et viva voce magno auditorum plauſu ac coetu [f] Tubingae in Suevia interpretatus [α] eſt; et ambobus oculis ad extremum orbatus, de cetero integris animi ſenſibus, in ſuo munere defecit. Aliquanto poſt III Kal. Novembr. deceſſit Joannes [g] Wigandus magnae doctrinae inter Proteſtanteis theologus, qui Matthiae Flacio in concinnandis eccleſiaſticae hiſtoriae centuriis operam olim navavit, et poſtea [h] [1] Pomeſanenſis in Boruſſia epiſcopus a Stephano rege, juxta pacta cum Boruſſiae principibus et ordinibus inita, dictus eſt. Eodemque fere tempore apud nos [i] Germanus Valens Guelius, [k] Aureliani, quae illi patria erat, epiſcopus, [l] Magduni ad Ligerim epiſcopatus caſtello, major ſeptuagenario placide ad Deum migravit; olim in familia Coliniorum educatus, et poſtea ampliſſimi ordinis ſenator; ut linguae Graecae exacta cognitione et omni humaniori literatura ac poetica inprimis, ſic morum candore ac comitate, praeſtans. Paulo ante epiſcopus [m] Fani Adaemari deſignatus fuerat Jacobus [n] Pamelius, Brugis natus, et praenobili ſtirpe Pameliorum apud [o] Aldenardam in Pleumoſiis oriundus; vir et ſacrae antiquitatis peritiſſimus, et cum multis ſcriptis, quibus eam illuſtravit, tum una et altera Tertulliani et B. Cypriani editione, magnam gratiam a doctis et piis omnibus conſecutus: qui, Bruxellas negotiorum cauſa cogitans, in itinere ad [p] Montes Hannoniae febri violenta corripitur; ex qua praecipitato fato, vix quippe LI annum exceſſerat, ibidem deceſſit XIII Kalendas Octobreis; ad [q] B. Valdetrudis modicis exſequiis, ſic enim ultimis tabulis mandaverat, funeratus. Sed maxime omnium triſtis, et non ſolum ampliſſimo ordini, cujus magnum ornamentum erat, ſed etiam cunctis regni ordinibus, cujus bono natus videbatur, luctuoſus, Jacobi [r] Mangoti [s] Julioduno in Pictonibus oriundi obitus fuit; qui, vere in Deum et patriam pius, ad eximium Gallici nominis ſtudium, cum regii fiſci in ſenatu patronus eſſet, generoſos atque adeo regios ſpiritus attulerat; profunda eruditione an facundia major, incertum, ab omni ambitu et fuco alienus,

VAR. LECT. [α] eſt. Poſt Skekium commemorandus venit Michael Bentherus, Caroloſtadio in Franconia haud tertio ab Herbipoli milliari natus. Prima ſtudiorum tirocinia in Gallia et Italia fecit; deinde in ſuam Germaniam reverſus, repudiatis pleriſque perhonorificis principum conditionibus, Argentinae tandem fixit: ubi et, ob plura editis edenda ingenii ſui monumenta relicto ingenti ſui deſiderio, cum 65 aetatis annum ageret, XV Kal. Novembr. extinctus eſt. Aliquanto poſt III Kal. Novembr. *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *Savoye.* [b] *Vinet natif de Barbezieux chateau de la Maiſon de la Rochefoucaud en Saintonge.* [c] *college de Guienne.* [d] *Gelida.* [e] *Bourdeaux.* [f] *Tubinge en Souabe.* [g] *Wigand.* [h] *de Pomeſanie en Pruſſe.* [i] *Germain Vaillant de Guelis abbé de Pimpont.* [k] *Orleans.* [l] *Meun ſur Loire.* [m] *S. Omer.* [n] *Pamele natif de Bruges.* [o] *Oudenarde en Flandre.* [p] *Mons en Hainaut.* [q] *S. Vautrude.* [r] *Mangot.* [s] *Loudun en Poictou.*

NOT. [1] Pomeſanie eſt une province de la Pruſſe, & l'evêque de Pomeſanie faiſoit ſa demeure à Marienwerder ville de cette province: depuis cet Eveſché a eſté ſupprimé & reuni à celui de Culm. *Put.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

alienus, et ſupra omnem opum, quas ampliſſimas poſſidebat, amorem poſitus. Nec erat in tanto viro, tot raris ingenii dotibus a Deo cumulato, quod merito deſiderares, niſi firmiorem valetudinem; quae, per ſe debilis, aſſiduis pro communi ſalute ac regni dignitate ſeriis cogitationibus ac ſtudiis multum debilitabatur, eo minore ſenſu, quo majore animo ad ea ferebatur. Igitur, cum ex auxiliaris exercitus adventu ſpem concepiſſet, ut, vel invitis publicae quietis perturbatoribus, pax confici poſſet, ubi vidit regem male conſultum tam male occaſione uti, ad infirmam valetudinem publico moerore accedente, ſub autumnum in graviſſimum morbum incidit, qui poſtremo illi lethalis fuit: et cum tantum XXXVI annos exegiſſet, vir longiore vita digniſſimus, patriae ac ſuis immatura, ac mihi, quem ob ſtudiorum et conſiliorum conjunctionem plurimum diligebat, ſemper deploranda, morte ereptus eſt.

V. IN Belgio plus in contentionibus agitandis, querelis mutuis, et diſſidio inter Leiceſtrium novum gubernatorem cum Philippo Hohenloo comite et provinciarum Ordinibus componendo, quam adverſus Parmenſem hoſtilia per occaſionem molientem, hoc anno laboratum eſt. Hohenloo cum Leiceſtrio occultae ſimultates intercedebant, inde ortae, quod provincialis miles, ſub illo militare aſſuetus, Leiceſtrii imperiis minus audiens eſſet, neque ſacramento ſe obligare vellet; quae ſimultates poſtmodo in apertas inimicitias ex ea occaſione eruperunt. Edvardus [a] Norriſius, Joannis, qui jamdiu in Belgio ſecunda virtutis fama militaverat, frater, in convivio rixa inter Hohenloum et ipſum orta ob epiſtolam ad Leiceſtrium ſcriptam, qua Belgas poſt amiſſam [b] Graviam ſive ignaviae ſive perfidiae inſimulatos contumelioſe appellabat, cum Hohenlous ſummae apud provincialem militem auctoritatis injuriam Belgico nomini factam contraria injuria reviciſſet, programmate publico Hohenloum ad certamen provocaverat, tunc forte ex vulnere ad Zutfanienſe propugnaculum accepto decumbentem: quod vir generoſus indigne admodum tulit, cum diceret, capitale id belli legibus eſſe, ſi gregarius et privatus miles, ſic Norriſium vocabat, inſcio imperatore provocatorios hujuſmodi libellos auſus eſſet mittere. Contra [c] Leiceſtrius id licere aſſerebat; et, quia diſparitas conditionis arguebatur, Norriſium equitem creaverat. Ordines quoque ea in re a Leiceſtrio diſſentiebant, et primariae nobilitatis virum Germanum bene de ſe meritum, qui ſponte, neque ullo praeterquam benevolentiae vinculo obſtrictus, jampridem egregiam operam Belgio navarat, temere ad certamen provocari, ad injuriam ſuam pertinere exiſtimabant. Multa alia et tunc temporis inciderunt, quae Leiceſtrii, quamvis pro tempore abſentis, praefecturam non ſolum ſuſpectam ſed inviſam Belgis reddiderunt. Nam initio anni Parmenſis, rebus in [d] Atrebatibus et Hannonia conſtitutis, et imperata grandi pecunia, aſſumptis ſecum Hiſpanis et Italis recens conſcriptis, [e] Wouam arcem munitiſſimam marchionis Bergenſis haud procul a [f] Bergis ad Somam ſitam, prodente [g] Marcantio praeſidii praefecto, cepit. Marcantius is natione Gallus poſt captam Graviam, in qua ſtrenuam admodum operam navaverat, [h] Firminum, quaſi ejus culpa Gravia amiſſa eſſet, [i] Hagae in curia accuſaverat: dumque is purgandi ſe cauſa abeſſet, acceptis XX florenorum CIↃ cum Parmenſi clam convenerat, et Wouam temporis commoditate uſus hoſti tradiderat. Januario item menſe [k] Geldria civitas a Claudio [l] Barlemontio Altapennio recepta eſt, tradente [m] Paitono Scoto; cui licentioſe per Martini Schenkii abſentiam agenti cum Leiceſtrius interminatus eſſet, eo amoto Guil. Stuartum in ejus locum ſuffecturum, eam injuriam ille ulciſci cupiens cum Altapennio agit, et ſic dolum componit: militem armari jubet, id ſibi a Schenkio, qui cum equitatu ea nocte venturus erat, et

contra

INTERPR. [a] *Norris.* [b] *Grave.* [c] *le comte de Leiceſter.* [d] *Artois & Hainaut.* [e] *Chateau de Wouwe.* [f] *Bergen-op-zoom.* [g] *le capitaine Marchant provençal.* [h] *le capitaine Fremin.* [i] *la Haye.* [k] *Gueldre.* [l] *de Berlaymont Sr de Hautepenne.* [m] *Paiton.*

contra hoſtem pro more ſuo aſſumptis praeſidiariis aliquid conaturus, imperatum ſingens. Cum praeſidiarii Schenkium cum equitatu adveniſſe putarent, Paitonus Altapennium cum ſuis introduxit; ſeroque cognito dolo praeſidiarii aliquandiu reſtiterunt, ac tandem in arcem confugientes pretio dato vitam redemerunt. Schenkius hoc in loco magnam equorum bellatorum, armorum, et aliarum rerum pretioſarum, jacturam fecit.

VI. EODEM tempore Willelmus [a] Stanleius illuſtri loco natus, qui uxorem et charitates in Anglia habebat, [b] Daventriae, contra Ordinum, qui ſuſpectam ejus fidem habebant, ſententiam, a Leiceſtrio cum CIↃ CC Anglis et Hibernis peditibus et CC equitibus impoſitus, primum cum Rolando [c] Eboracenſi, de quo jam dixi, Zutfanienſis munitionis praefecto, dein et cum Jo. Baptiſta Taxi Franciſci Verdugi vicario, agit: cumque urbem amplam ac populoſam, inſuper egregie munitam, multoſque ex praeſidiariis aegre huic conſilio aſſenſuros provideret, de ſolutione ſtipendii conqueritur; gratum ſe militi facturum ratus, cum tamen debitum exiguum ſupereſſet. Aſtum ſenſit urbis conſul, et occaſionem quaeri videns, id mox Status concilio ſignificat, et Stanleium cum ſuis mature amandandum conſulit: verum, reſtricta Ordinum in praefectos poteſtate, et ſummo in Leiceſtrium tranſlato imperio, neque ab Ordinibus, neque a [d] Mauritio Naſſovio provinciali gubernatore, quidquam impetrare potuit: tantum miſſus Joannes [e] Norriſius, qui oppidanorum auxilio Daventriam in poteſtatem, ſi poſſet, redigeret. Stanleius vero, ut Norriſium venire intellexit, militi perſuadet, eo quod ſtipendii ſolutionem flagitaſſent, oppidanos conſtituiſſe eos invadere ac opprimere: itaque conſultum videri, ut novo ſubſidio firmet ſe, quo et ſuos ſecuros a Daventrienſium inſidiis praeſtet, et eos ad ſtipendii ſolutionem cogat. Eo conſilio ſub veſperam v Kal. Febr. exit, et, ut facilius conatum exſequeretur, ex fidis ſibi duplices excubias ante urbis portas diſponit: quorum ope, cum mane hora quinta cum Taxi IↃC ſcloppetarios et CCC equites delectos ſecum adducente veniſſet, in mediis tenebris admiſſus, urbem nullo negotio in poteſtatem redactam Taxi conſignavit; magna ſpe a Taxi impletus, ob idque paulo poſt in Hiſpaniam profectus, edito prius ſcripto, quo ſe apud oppidanos purgabat, neque ob Daventriam Philippo legitimo et hereditario ejus domino reſtitutam proditionis ſibi ignominioſum nomen inuri debere contendebat: id jampridem conſcientia urgente apud animum ſuum conſtituiſſe: proinde quod fecerit, cum jure fecerit, reprehenſionem non mereri. A direptione temperatum, tantum civibus adempta arma, ſpe ut humanitatis exemplum in ceteris urbibus jam inter diſſenſiones Ordinum nutantibus prodeſſet. Eodem die quo Daventria amiſſa eſt, Rolandus Eboracenſis, qui IↃ CCC pedites et C equites a Leiceſtrio attributos penes ſe habebat, ex compacto de ſtipendio non repraeſentato inter ſuos querelam inſtituit, idque quando Ordines exſolvere nequeant, a Philippo accipiendum ſuis perſuadet: unde ſeditione veluti exorta milites ſigna rapiunt, et haſtilibus diſtracta ignominioſe lacerant: tum diverſi huc illuc abeunt; ipſe Daventriam ad Taxim et Stanleium venit, accepto Philippi nomine ſtipendio. Is antea Joannis [f] Imbiſii, de quo ſupra demonſtravimus, [g] Gandavi factione praepotentis, et poſtea ob perduellionis crimen ſecuri percuſſi, vicarius, cum Bruxellas ſub cuſtodia ductus eſſet, urbe poſtea a Parmenſi capta Hiſpanis operam ſuam addixerat, et in Antuerpiana obſidione ad Scaldis ſepimenta ſtrenue ſe admodum geſſerat: poſtea Eliſabethae reconciliatus, magnoque in honore ob virtutem bellicam in Anglia habitus, inde cum Leiceſtrio

et

INTERPR. [a] *Stanley.* [b] *Deventer.* [c] *York, gouverneur du fort de Zutphen.* [d] *le comte Maurice de Naſſau.* [e] *Norris.* [f] *d'Imbyſe.* [g] *Gand.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

et Philippo Sidneio in Belgium redierat; et, quantumvis ob praeteritas ſuſpiciones reclamantibus Ordinibus, a Leiceſtrio Zutfanienſis propugnaculi cuſtodiae praepoſitus fuerat. Aliud et tunc incidit quod non mediocriter Ordinum animos conturbavit. [a] Ultrajecti, quae eſt Bataviae primaria et diſtincta a provinciae juriſdictione civitas, quidam, ortu [b] Atuaticus nomine Gerardus, Daventrienſis, cum aliis quibuſdam a Leiceſtrio, ſicuti credebatur, clam ſubornatus, ſummam auctoritatem arripit, et, contra concordiae nuper ſancitae pacta, ſeparatas ab Ordinibus rationes in imperiis accipiendis habere coepit. Sub id miſſi ab Ordinibus legati in Angliam; qui tamen, ob motus tunc in regno exortos, et ſecutam paulo poſt Mariae Scotorum reginae mortem, diu retenti, vixque poſt alias atque alias excuſationes admiſſi ſunt: ac tandem decretum, ut [c] Buckhurſtus regulus praecipuae auctoritatis vir, et [d] Clericus juriſconſultus, cum [e] Norriſio et Roberto Wilkeſio in Belgio, cum Ordinum legatis redirent, et, provinciarum ſtatu coram inſpecto, juxta reginae mandata res confuſas diſſidiis ſopitis conſtituerent. Ii exeunte Martio in Bataviam appulerunt; et, nomine reginae gratiis actis, quod inter tot tantaſque diſſenſionum procellas, hoſte tam potenti vicino, rempublicam ſumma prudentia adminiſtraſſent, ex Ordinum conſilio nonnihil actis a Leiceſtrio aut improbatis aut etiam reſciſſis, res pro tempore in meliorem formam, conſentiente votis provincialium ratione, ordinarunt. Paulo ante Willelmus [f] Ruſſellus [g] Bedfordiae comitis filius, vir natalium ſplendore et probitate inſignis, ſed rei bellicae fere inexpertus, [h] Vliſſingam appulerat, poſt [i] Sidneii mortem loci cuſtodiae a regina deſignatus. Cum eo et venit [k] Trelonius, olim ſummus Zelandici maris praefectus; qui diu in cuſtodia habitus, ac poſt purgatas ſuſpiciones reginae interventu libertati reſtitutus, in Angliam, ut ei gratias ageret, profectus erat. Vliſſingae praefecturam adeptus Ruſſellus, alteram militiae Zelandicae ſive legionis [l] Walacriae, quam deceſſor ejus Sidneius obtinuerat, meritis ſuorum ſive familiae dignitati deberi exiſtimans etiam ambiebat; in eaque cogitatione haerenti nunciatur ab emiſſariis, quos homo credulus circa ſe plurimos habebat, Ordines conveniſſe, ut de alio in locum Sidneii deligendo deliberarent, ac jam ſermonem non de ipſo Ruſſello, ſed de Georgio Everardo comite Solmenſi, injectum. Igitur per Petrum [m] Heidam Belgam, qui Leiceſtrio a Navarro multum commendatus, tumque a Leiceſtrio miſſus, in ipſius comitatu erat, probe inſtructum Ordines rogat, ita de ea praefectura ſtatuant, ut ſciant in ejus repulſa ipſius decus verſari; neque enim eam, in ejus deceſſorem Vliſſingae praefectum collatam, in alium ſe contempto transferri poſſe, niſi cum manifeſta ipſius injuria; quam a ſe, quantum enixe poterat, deprecabatur. Ad haec Ordines nihil ea de re cogitatum reſpondent, ac Ruſſellum ſecurum eſſe jubent. Cum hoc reſponſo Heida Mildeburgo rediens Santaldegondium in itinere convenit; et candido ingenio virum Ruſſelli nomine obteſtatur, quid de hoc negotio ſentiat, amice aperiat. Ille eadem ſinceritate ſtatim reſpondet, Ruſſellum fruſtra eam praefecturam ambire; nam rationes ſubeſſe cur eam in ipſum minime collaturos Ordines putet, ac eam inprimis, ne in conſuetudinem ſeu legem hoc exemplum abiret, et praefecti Vliſſingenſes in poſterum praefecturam militiae illius quodam praeſcriptionis jure ſibi vindicarent; neque ſepultam recentis facti memoriam, cum ea, ſpretis Belgis bene de patria meritis, in exterum hominem, hoc eſt, Anglum, magno populorum murmure collata eſt. Poſtea cum ad eam Ordinum ſuffragiis Solmenſem provectum intellexit Ruſſellus, adeo exacerbatus eſt, ut, accedente Leiceſtrii, in cujus verba veluti juraverat, contra Ordines indignatione, nihil non diceret aut faceret, quo ſe alienum

INTERPR. [a] *Utrecht.* [b] *Brabançon.* [c] *Sackvil baron de Buckhurſt.* [d] *Clerk.* [e] *Norris & Wilkes.* [f] *Ruſſel.* [g] *Bedford.* [h] *Fleſſingue.* [i] *Sidney.* [k] *de Treſlon.* [l] *de Walcheren.* [m] *Heide.*

alienum ab Ordinibus oſtenderet: ad idque hominem alioqui minime malum incendebant turbulenti emiſſarii, multum renitente eo, quem dixi, Heida, nullam occaſionem irritandi ejus animum praetermittentes. Itaque cum aliqua navis cum licentia Ordinum ad hoſtem tendebat, ei auctores erant, ut eam tanquam belli jure captam Vliſſingam adduci juberet, et bona omnia ſibi adjudicaret; nam ad ipſius officium pertinere, ut navigationem cum hoſte impediret: rurſus ſi qui milites hinc inde, ut in bello fit, commearent, ab hominibus illis perſuaſus illico eos ad Vliſſingam intercipiendam ab Ordinibus miſſos interpretabatur. Itaque ab his diſſenſionum flabellis inflammatus ita ſe gerebat cum Ordinibus, ac ſi bellum aperta denunciatione cum iis gereret. Hinc crebrae domorum per civitatem, ac navium in portu Vliſſingenſi ſtantium, ſcrutationes ac inſpectiones. Et cum moneretur ab Ordinibus, ne iſtis rumoribus fidem temere adhiberet, moleſtiamque inde conceptam animo deponeret, neque auſcultare eis voluit: et cum ad convivia ſolemnia honoris cauſa ab iis invitaretur, nunquam ire voluit, cum perſuaſum haberet eo ſe vocari ut captus ibi detineretur, et capto eo Angli praeſidiarii urbe ejicerentur. Quae ſuſpiciones multum auctae ſunt poſt irrita ad [a] Sluſarum obſidionem ſolvendam miſſa ſubſidia; qua de re poſtea ordine dicemus.

VII. ANTE delegatorum Anglorum adventum, Ordines, qui omnia pervicacia [b] Leiceſtrii in praeceps ruere viderent, neque, propter reſtrictam praefectorum atque penes ſe contractam poteſtatem, malis in dies ingruentibus remedium auctoritate publica imminuta afferre poſſent, veriti ne quod Galli nuper ſub Franciſco Andino, idem Angli in Belgio, ut majore aſtu, ſic certiore eventu, molirentur, conventum [c] Hagae celebrant Nonis Februariis: et, reſumpta priſtina poteſtate, quam illis ademiſſe ſibi videbatur Leiceſtrius, [d] Mauritio Naſſovio tanquam Batavorum et Zelandiae vicario mandant, ut ſummum imperium, quod illi juxta pacta per Leiceſtrii abſentiam competebat, ſuſcipiat, videatque ne quid damni reſpublica capiat; inſuper edicunt, ut omnes tribuni ac militum praefecti ei tanquam ſummo imperatori pareant, et fidei ſacramentum praeſtent; praefati id ſe extrema neceſſitate urgente facere, non ut Leiceſtrii dignitatem et auctoritatem ulla ex parte imminuant, verum ut provincialeis praefectos, quorum contra provinciarum conſuetudinem jus imminutum erat, priſtinae dignitati reſtituerent, et rempublicam incerto belli ducum ac praefectorum imperio fluctuantem firmarent.

VIII. HOC decretum cum ingens populi adverſus Anglos frementis murmur ſecutum eſſet, et paſſim multa contumelioſa in Anglicum nomen jactarentur, Ordines, veriti ne Eliſabetha, quam placatam habere publicae ſalutis intererat, exacerbata ad neceſſaria ſubſidia mittenda tardior efficeretur, edictum proponunt, quo gravi poena indicta hujuſmodi calumnioſi rumores prohibebantur; hoc addito, in omni natione bonos ac fideleis eſſe, contra etiam improbos ac perfidos; proinde ex natione de probitate ac fide cujuſquam judicium non eſſe temere faciendum. Atque, ut demandati Mauritio per Leiceſtrii abſentiam ſummi imperii factum tuerentur, aut ſaltem excuſarent, epiſtolam expoſtulatoriam pridie Nonas Februarias in Angliam mittunt; qua de propenſa ſua erga Leiceſtrium voluntate, et demiſſo, tam in eo perhonorifice excipiendo, quam communibus negotiis tractandis et exequendis, [1] obſequio, non ſuo ſed avarorum quorundam hominum ac ambitioſorum aſtu ac machinis factum dicunt, ut, ſpreta Ordinum tam erga Eliſabetham bene animatorum auctoritate, clancularium concilium inſtitutum ſit, exortis mox propter rem monetariam contentionibus, et decreto contra evectiones mercium reclamantibus Ordinibus facto: harum contentionum exitum eum fuiſſe, ut nihi

praeterita

INTERPR. [a] *l'Eſcluſe.* [b] *le comte de Leiceſter.* [c] *la Haye.* [d] *le comte Maurice de Naſſau.*

NOT. [1] obſequio, *ſupplendum forſan* praefati.

praeterita aeſtate contra hoſtem in rem communem geſtum ſit; luſtratio exercitus, quamvis numerato ab Ordinibus ſtipendio, facta non fuerit; rari ad ſigna milites externi convenerint; et, cum omnis pecunia in militis externi, hoc eſt, Anglorum ſtipendium ex aerario provinciali exhauſta ſit, nihil ad domeſticum alendum, in quem omne belli onus recumbebat, reliqui fuiſſe. Tum de publicorum munerum et praefecturarum diſtributione conqueruntur: eas videlicet hypocritis et hominibus Hiſpano in occulto faventibus contra provinciarum leges, libertates, conſuetudines ac privilegia, commiſſas, provinciarum proceribus et magiſtratibus ſpretis, ac injurioſe ab earum petitione tanquam indignis rejectis: praeterea legitimis magiſtratibus ac locorum praefectis omnem auctoritatem ademptam, eamque non ad Ordines, ſed penes Eliſabetham, contractam: eo factum eſſe, ut qui Ordinibus merito ſuſpecti eſſent, in eorum deſpectum ad ſummas dignitates evecti ſint, et cum plerique ex iis perduellionis convicti eſſent, tamen impunitum tantum crimen remanſerit: itaque et [a] Stanleium et Rolandum diu antea ab Ordinibus delatos, cum nihilominus ferrentur, eo majore audacia conſilia ſua pernicioſa executos; ac merito verendum, ne exemplum, quo nullum toto hujus belli tempore inhoneſtius, damnoſius, ac perfidioſius, auditum eſt, in Bergo-ſomenſium, Oſtendenſium, ac aliorum in limite locorum, praeſidiis graſſetur. Ad extremum Leiceſtrium rogant obteſtanturque, ſtatum provinciarum apud reginam commendatum habeat, pecuniam in militis ſtipendium ab ea impetret: petunt inſuper, ne literae tuti itineris ac commeatus vulgo dictae, tanquam communi ſaluti et provinciarum legibus adverſantes, deinceps ab ipſo concedantur; ſtipendiarii milites Ordinum delegatis obediant; ipſe Leiceſtrius ratum habeat, quod Paulum [b] Buſium in Status concilium ab ipſo admiſſum, ſed poſtea, qua de cauſa incertum, in cuſtodiam traditum, et contra provinciarum jura nullo accuſatore legitimo detentum, liberaverint; cautione data, judicio, cum in jus vocabitur, ſiſti, ac inſuper XV CIƆ florenorum, niſi comparcat, exſolvendorum. Hanc epiſtolam, ut nimia acerbitate ſcriptam, non ſolum Leiceſtrius, ſed etiam Eliſabetha haud aequo animo accepit, cum in primarii miniſtri ſui exagitatione auctoritatem ac dignitatem propriam ſugillari putaret. Etſi enim quaedam ſecus a Leiceſtrio acta caſtigatione egere minime dubitaret, id tamen non ab intempeſtivis Ordinum querelis, ſed a prudentia ac aequitate ſua, proficiſci volebat. Sed nulli magis ea epiſtola exaſperati ſunt, quam Belgae ipſi Leiceſtrii factioni addicti; qui ſe illo ſcripto peti cum viderent, protinus literis ad conſiſtoria ſecreta civitatum miſſis, ac [c] Ultrajectum praecipue, ubi prima factionis ſuae fundamenta jecerant, graviter expoſtularunt, et epiſtolam communi omnium conſenſu ſcriptam negant, verum a paucis legitimae Leiceſtrii potentiae iniquis hominibus; quos proinde ut ſibi accuſare liceat, in generali Ordinum conventu, audacter poſtulant. Quod ubi intellexere Ordines, contrario ſcripto de audacia illorum accuſatorum conqueruntur, qui ſciſſuram inter provincias ſtruant; quod vero acerbius in ea epiſtola ſcriptum videatur, id non ſimultati occultae, ſed extremae neceſſitati, quae poſt [d] Daventriam et Zutfaniam amiſſas vel ab invitis has voces expreſſerit, imputandum eſſe.

IX. Ex his inteſtinis diſſenſionibus ac minime hoſti incognitis occaſionem captans Parmenſis, cum de expeditione aliqua cogitaret, tamen anguſtia annonae diu retardatus; quae tanta fuit, agris diu in Flandria, Brabantia, ac vicinis provinciis, incultis, et prohibita per naveis praeſidiarias, ab Ordinibus in [e] Albis, Amaſi, Iſalae tractu collocatas, frumenti per flumina ſubvectione, ut pleraeque urbes ad ſolitudinem paene redactae fuerint, et lupis pueros ac mulieres paſſim per agros prae egeſtate deerranteis

INTERPR. [a] *Stanley & York.* [b] *Buys.* [c] *Utrecht.* [d] *Deventer & Zutphen.* [e] *l'Elbe, l'Ems & l'Yſſel.*

decrranteis devorantibus patuerint. Ferunt in agro Gandavo ad duo milliaria proximo centum amplius homines numeratos a lupis aut voratos aut laniatos: quin et canes fame efferatos, cum in pecora et homines per agros ubique ſaeviiſſent, nec ſuo generi pepercisse. Tanta certe vaſtitas in agris erat, ut ſpinetis ac ſenticetis obducti campi nullo diſcrimine a ſylvis, foſſae et aggeres a viis altioribus, vix diſtingui poſſent. Antuerpiae vero, Bruxellis, [a] Gandavi, Curtraci, Brugis, Hipris, cives probi et integrae exiſtimationis ac honeſte veſtiti ſub veſperam panem incogniti emendicare, inter ſordium acervos in plateis oſſa ſemeſa, raporum putamina, aliaque veſca conquirere quotidie viſebantur; ac Brugis canis mortui cadaver in plateam projectum famelicis pro eſca fuit: eoque excrevit caritas, ut laſta ſiliginis, haec eſt menſura III modios noſtrateis continens, ad IↃ CCC uſque florenos excreverit. Eam famem ac caritatem poſtea contagioſi morbi ſecuti ſunt, qui, ut diſcordiae civiles foederatas provincias alioqui rerum omnium copia abundanteis, ſic Philippo ſubjectas miſerandum in modum afflixerunt. A quibus calamitatibus ubi paulum reſpiravit Parmenſis, laxata jam annona, exercitum cogit, et fama primum ſparſa, quaſi in [b] Veluam, ea eſt Bataviae regio, ducturus eſſet, in Brugenſium viciniam copias praemittit: quo ubi venere, ne quam Sluſenſibus ſuſpicionem facerent, rurſus famam ſpargi curat, [c] Aldenburgum mitti delectos, qui Sluſenſium et Oſtendenſium excurſiones a reliqua Flandria prohiberent. Cum jam exercitus in procinctu eſſet, et novae copiae in Germania conſcriptae adveniſſent, ipſe VII Eid. Jun. Bruxellis proficiſcitur, ac poſtridie Brugas venit cum IX equitum turmis, quas reliquae ſequebantur: ſed minime res tam recte geri potuit, quin Sluſenſes et Oſtendenſes ſibi metuentes protinus ad vicinos praefectos ſcripſerint, annonam et militem petentes.

X. [d] SLUSIS praeerat [e] Arnoldus Gruneveldius: is anguſtia annonae cum valde premeretur, a Gul. [f] Ruſſello Vliſſingae praefecto, qui ſummam diligentiam eo in negotio adhibuit, nave frumento onuſta, et III cohortibus ex [g] Bergo-ſomenſi praeſidio accitis, ſuiſque aliquot additis, in tempore adjutus eſt. Sub id et in Zelandiam appulit Rogerius [h] Willelmius cum delecta Anglica nobilitate, qui operam ſuam ultro Sluſenſibus obtulit. Auxiliaribus intra oppidum acceptis numerati ſunt CIↃ IↃC omnino praeſidiarii; quibus praeerant ex nobilitate Belgica Nicolaus [i] Merkerkius et ejus frater Adolfus, Carolus [k] Heraugerius, Nicolaus [l] Maudius; ex Anglica is, quem dixi, Rogerius Willelmius, Nicolaus [m] Baskervillus, Franciſcus [n] Verus equites, et [o] Huntleius tribunus. Parmenſis primo caſtra ad [p] Caſantum trans canalem poſuit, majore exercitus parte, quae [q] Breſquini erat, et cui Lalanium Rentii marchionem praefecerat, ad [r] Blankenbergenſe propugnaculum miſſa: quod et expugnavit, ut ab ea parte miles ab Oſtendenſium excurſionibus tutus eſſet. Blankenberga municipium eſt ſtatione maritima et piſcatione copioſa nobile, pari fere inter Oſtendam Sluſaſque intervallo; cujus olim parochus fuit Jacobus [s] Meierus [t] Uleternis in agro [1] Balliolano natus; eoque in munere conſenuit, et patriam hiſtoriam magna diligentia ſcripſit, ab Antonio Henrici fratris filio auctam, et poſt patrui mortem publicatam: Jacobus autem, ſexageſimum annum ſupergreſſus, anno hujus ſaeculi LII Brugis Flandrorum deceſſit, ad S. Donatiani ſepultus. Heic initio crebris eruptionibus ab obſeſſis pugnatum; in quibus cum multos ex ſuis deſideraſſent, tandem ab iis, melius conſulti, abſtinuerunt. Ubi vero de obſidione Sluſarum

INTERPR. [a] *Gand, Courtray, Bruges, & Ypres.* [b] *la Veluwe.* [c] *Audenbourg.* [d] *l'Eſcluſe.* [e] *Arnaud de Groeneveldt.* [f] *Ruſſel gouverneur de Fleſſingue.* [g] *de Bergen-op-zoom.* [h] *Williams.* [i] *de Meetkercke.* [k] *de Heraugieres.* [l] *de Maude.* [m] *Baskerville.* [n] *Vere.* [o] *le colonel Huntley.* [p] *Cadſant.* [q] *Breſquin.* [r] *fort de Blanckenberghe.* [s] *Meier.* [t] *Uleteren au territoire de Bailleul en Flandre.*

NOT. [1] Bailleul en Flamand ſe nomme Belle, & eſt ainſi ſur les Cartes. *Put.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

Sluſarum cognovit Mauritius, protinus in [a] Atuaticos cum delecta manu deſcendit, unaque cum eo Hohenlous; et infeſta excurſione XXII pagos, oppidula duo, diripuit aut incendit. Inde, ut Parmenſem a Sluſarum obſidione averteret, ad [b] Silvam-ducis caſtra ponit, opportunitate temporis, tunc campis inundatione reſtagnantibus, et fame ubique graſſante, uſus. Verum Parmenſis, cui haec imprudenti minime acciderant, nihilominus ad Sluſas haeſit, nec interim ſociorum periculum neglexit, miſſo [c] Altapennio cum XLII peditum ſignis, et XV equitum turmis quibus [d] Vaſtii marchio praeerat; quae Boxtellae haud longe a Silva-ducis hoſpitium habuerunt.

XI. Diversa parte, ubi de Sluſarum obſidione in Angliam allatum eſt, Leiceſtrius, inſtantibus Ordinibus ut in provinciam rediret, eam optimam occaſionem nactus, qua aliquo operae pretio facto praeteritas offenſiones ex popularium animis deleret, protinus ex inſula cum delecto recentium militum numero ſolvit, et magno omnium applauſu Vliſſingam appulit pridie Non. Quintil. ad ſuppetias obſeſſis ferendas. Eo mox ad eum ſalutandum Mauritius, relicto in caſtris Hohenloo, et adducto ſecum M. Schenkio et Jo. Norriſio cum aliquot Belgarum et Anglorum cohortibus, officioſe venit. Nec ceſſabat interim Hohenlous; qui cum iis, quas penes ſe habebat, copiis, alias ex Geldria, Friſia et Ultrajecto, novas fruſtra opperiens, [e] Engelemum corona cingit: cumque Altapennius auxilio obſeſſis veniret, ipſe cum equitatu incumbens majorem partem copiarum ejus ad internecionem delevit, Altapennio in conflictu lethaliter ſauciato, quo ex vulnere III Eid. ejuſdem menſis deceſſit, magno ſui relicto deſiderio; ab eoque caſu Engelemum [f] Crepacordii nomine ad perpetuam facti memoriam indigitatum fuit. Jamque acriter oppugnabantur Sluſae, directis contra oppidum XXX muralibus machinis et VIII colubrinis; quarum continua verberatione ad IX Kal. Sextil. continuata, diſploſi circiter XVII CIↃ quadringenti ictus, et ruina moenium edita CCL paſſus lata. Ad eam ſepties repetitis certaminibus, et inflammatis pro vario ſucceſſu utrinque animis, pugnatum; et uno ex iis [g] Philibertus Emmanuel Lalanius Rentiaci marchio graviter ſauciatus: [h] Stroppenus Sequanicae legionis tribunus cum circiter IↃCC interfectus eſt; cum ex obſeſſis tantum CL deſiderati ſint. Rentiano in munere ſuffectus Valentinus [i] Pardeus Mota; quo mox graviter vulnerato Octavius Mansfeldius ei ſubſtituitur, qui et ipſe paene lethaliter in brachio ictus eſt. Cum per XVIII dies obſeſſi haſtis bipennibus, gladiis, ſcloppetis, cominus rem gerentes locum tutati eſſent, cuniculis res agi coepta: ad quos contrariis cuniculis intus actis rurſus pugnatum; quippe hypogeis celliſque ſubterraneis oppido excavato, quod vinorum in Flandriam per mare advectorum olim, cum portus nondum arena obſtructus eſſet, emporium toto eo tractu commodiſſimum erat. Tandem externum vallum a CCC Hiſpanis, tranſcenſo canali, noctu occupatum: cujus commoditate uſi, munitiones in aggere, qui Brugas ducit, excitant, ex quibus defenſores ſingulis horis crebra glandium grandine infeſtabantur, ita ut a vallo nunquam diſcederent, et continuis vigiliis mirum in modum divexarentur, morbis ac vulneribus primo illo numero in tantum imminuto, ut vix IↃCC valentes et defenſioni idonei ſupereſſent. Interea in Leiceſtrii caſtris conſultatum, qua ratione ſuppetiae jam XL amplius dies obſeſſis ferrentur. Et rem mari geri quibuſdam initio placebat, magna ad id parata claſſe; quippe hinc Carolus [k] Howardus, ſummus maris in Anglia praefectus, cum [l] Cumberlandiae comite et delecta nobilitate venerat; hinc Juſtinus [m] Naſſovius, ſummus maris vicarius, in anchoris ſtabat: ſed naucleri et rei maritimae periti repugnabant,

et

INTERPR. [a] *Brabant.* [b] *Bois-le-duc.* [c] *le Sr de Hautepenne.* [d] *del Guaſto.* [e] *le fort d'Engelem.* [f] *Crevecœur.* [g] *Philibert Emanuel de Lalain Sr de Montigny, & marquis de Renty du chef de ſa femme Anne de Croy, fille unique de Guillaume de Croy marquis de Renty.* [h] *le colonel Stroppene Bourguignon.* [i] *de Pardieu Sr de la Motte.* [k] *Howard.* [l] *Cumberland.* [m] *de Naſſau.*

et rem periculi plenam oſtendebant. Variis heic ſententiis certatum, non ſine acerbitate, exulceratis ob praeterita animis. Tandem, cum per terram ſuppetias ferri tutius videretur, Leiceſtrius cum XXV peditum ſignis et VI equitum turmis Oſtendam venit III Kalendas Sextileis; et inde quinto poſt die Blankenbergenſe propugnaculum aggreditur, Parmenſi ad militem ſuum ab Oſtendae parte protegendum commodiſſimum. Verum poſt aliquot campeſtrium machinarum contra illud diſploſos ictus, cum CCCC ſcloppetarii in aciem quaſi ad oppugnationem inſtructi in conſpectu aliquandiu conſtitiſſent, neque propterea praeſidiarii, quod ſibi Leiceſtrius perſuaſerat, terrerentur; Leiceſtrius inferior viribus, veritus ne Parmenſis cum toto exercitu obſeſſis ſubveniret, non ſine damno noctu vaſa colligit, et Oſtendam revertitur, Belgis reclamantibus; qui, ſi in veſtigio manſiſſet, protinus Parmenſem obſidionem ſoluturum fuiſſe certo ſibi compertum affirmabant: quod et futurum poſtea Carolus Arembergii comes, cum in Angliam veniſſet, coram multis fide dignis confirmavit: nam majorem ea in obſidione militum, quam aut [a] Noveſii, Graviae, Berkae, aut Venloae jacturam factam, et XLV ordinum ductores deſideratos. Igitur cum defenſores omni ſe auxilii ſpe deſtitutos cernerent, extrema neceſſitate victi de deditione conſilium ineunt, ſed his conditionibus, quae deditionem poſt tot oppugnationes gnaviter depulſas honorificam apud omneis rerum aequos aeſtimatores redderent; quas ſi Parmenſis concedere recuſaret, ordine ſe cuncti jurejurando obligaverunt, potius quam aliis conditionibus paciſcerentur, omneis ad unum fortiter pugnando mortem oppetituros, aut, incenſa cum oppido arce, per agros circumjacenteis et paſſim inundatos, qua poſſent, evaſuros. Hujus deſperatae deliberationis exemplum cum ad Leiceſtrium et Ordines miſiſſent obſeſſi per tabellarium, eo forte inter natandum cum literis capto, de conſilio Parmenſi innotuit. Itaque cum de conditionibus agi coepiſſet, ille, qua erat prudentia, haud multum de iis pugnavit, de eventu veritus, nec cum deſperata ſalute certaturis negotium ſibi eſſe cupiens. Igitur pridie Nonas Sextileis perſcriptae perhonorificae conditiones, et virtute, quam in defenſione obſeſſi demonſtraverant, dignae; Ut armati cum ſarcinis omnibus ac monilibus, explicatis ſignis, tympanis pulſantibus, funibus incenſis, [b] globulis, quot ore continere poterant, exirent, et ad Zelandicas naveis deducerentur. Leiceſtrius, re cognita, cum Oſtenda in Zelandiam rediiſſet, culpam eventus in pecuniae et militum penuriam rejicit, praefecti maris Zelandici ſocios accuſans; et inter eos Martinum [c] Drogam [d] Vliſſingae capi, et [e] Mildeburgum in carcerem trudi, juſſit, multum frementibus Belgis; qui, auctore Mauritio, eum, poſt Leiceſtrii e provincia diſceſſum, cum nemo accuſator compareret, ſervata juris, quae in tali re ſolet, ſolemnitate, ſexto poſtquam captus eſt menſe libertati priſtinae et famae reſtituerunt.

XII. LEICESTRIUS XVI Kal. Septembr. ex Zelandia ſolvens [f] Bergas ad Scaldim venit, et milite in terram expoſito Hocſtratam tentat, ſed irrito conatu. Inde VII poſt die [g] Dordracum profectus eſt; quo mox Ordinum delegati venerunt, ut cum eo de re publica capita conferrent. [h] Sluſis captis occultae aut diſſimulatae inter Leiceſtrium et Ordines ac Ordinibus militanteis proceres ſimultates in apertum odium ac publicas contentiones eruperunt, jam vileſcente ob minus proſperos ſucceſſus Leiceſtrii apud plebem, quae impenſe ei initio etiam adverſus Ordines ipſos favebat, fama et gratia; quam tamen ejus clientes ac familiares, quantum in ipſis erat, erigere ac inſtaurare ſatagebant, culpam rei male geſtae in Ordines rejicientes, qui auctoritatem Leiceſtrio traditam ipſi adimere vellent, ut ſoli in Belgio regnarent, ipſe nomine

INTERPR. [a] *Nuys, Grave, Rheinbergen, & Venlo.* [b] *balle en bouche.* [c] *Drooghe.* [d] *Fleſſingue.* [e] *Middelbourg.* [f] *Bergen-op-zoom.* [g] *Dort.* [h] *l'Eſcluſe.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

nomine tenus ſummus Belgii gubernator eſſet. Cauſae odiorum erant, praeter ea quae ſupra memoravimus, quod cum, ſive diſſimulatione, ſive ad invidiae onus ac neceſſitatem vitandam, Eliſabetha plenum et abſolutum in Belgas imperium initio recuſaſſet, tantumque eorum patrocinium certis legibus ſuſcepiſſet, nihilominus Leiceſtrius per factioſos ſupremam auctoritatem occultis machinationibus ad ſe traheret, et Ultrajectenſibus clam auctor fuiſſet, ut res ſuas a communi Belgicarum provinciarum concilio ſepararent. Suſpiciones inde conceptae ex literis Leiceſtrii ad Joannem Junium Junii juriſconſulti filium, qui ipſi ab epiſtolis erat, ante ſuum hoc anno in Belgium adventum datis et ab Ordinibus interceptis, ſummopere auctae ſunt. His fido ſibi mandabat, quandoquidem brevi in provinciam venturus erat, ut praeter literas a ſe ad diverſos hac de re ſcriptas, in civitates partibus ſuis addictas proficiſceretur, et ſui ſtudioſos, quos noſſet, de enixa reginae auxilia provinciis ferendi voluntate, et ſuo quavis ratione ad ea acceleranda ſtudio, certiores redderet; ſic vero illis perſuaderet, injectam de pace cum Hiſpanis a [a] Buckhurſto et aliis delegatis mentionem ſine ſpeciali reginae mandato ab iis factam, neque Eliſabetham de pace quidquam hactenus egiſſe, ſed tantummodo expiſcari per Daniae regem ad id interpoſitum et alios voluiſſe, quid Philippus pacificandi Belgii cauſa provinciis largiturus aut conceſſurus eſſet: interim Franciſcum [b] Dracum ad litora Hiſpaniae infeſtanda cum valida claſſe miſiſſe, nihilque praetermiſiſſe, quo vireis communis hoſtis diſtraheret, claſſis praepotentis tanto temporis ſpatio tantiſque ſumptibus paratae conatus diſturbaret, et provinciarum defenſioni ac tranquillitati conſuleret: praeterea mandabat, ut proceribus, praefectis, et aliis ipſi notis, quorum id ſcire intererat, ſignificaret, ea mente, conſilio ac conditione, ſe reverti decreviſſe, ut amotis omnibus difficultatibus in poſterum a turbis abſtineatur, *legitima* gubernandi poteſtas et ſummum imperium ſibi tradatur, reſervata tantum Ordinibus auctoritate, quam ſub Carolo V et Philippo obtinuerant, ſaltem magiſtratus ſui tempore; ceterum nullum magni momenti negotium niſi ex concilio ſtatus, quod ex provincialibus conſtituturus eſſet, tranſactum iri: quod niſi ab Ordinibus impetretur, ſtare reginae ſententiam, ut quamprimum e Belgio excedat.

XIII. His literis [c] Grenwicae datis XII Kalendas Julias, ſed Anglorum calculo IV Eidus Junias, immane quantum commoti ſunt optimatum animi; qui Junium ſtatim comprehendi, literas et mandata ſequeſtrari, ipſumque ſuper iis diligenter examinari, juſſerunt. Cum vero Ordines Dordracum ad Leiceſtrium veniſſent, ſcripto ſupplici, quid ſuae voluntatis ac conſilii eſſet, citra diſſimulationem aperiunt; et, poſt gratias reginae ob religionem et libertatem provinciarum defenſam ipſique actas, hanc eſſe et fuiſſe ſemper Ordinum ſententiam demonſtrant, ut deficiente principe ſummum imperium ſit penes ordinis equeſtris proceres, nobiles, ac civitates: itaque poſt abdicationem Philippi, olim provinciarum ſupremi domini, omnia ſummi imperii jura legitime ab Ordinibus uſurpata et exercita fuiſſe: ea poteſtate ac jure fretos Ordines cum diverſis principibus, ac nuper cum Eliſabetha, tranſegiſſe, et ſupremi gubernatoris dignitatem in ipſum contuliſſe: et, quia malevoli harum turbarum incentores ambiguum controverſumque faciunt, an in Leiceſtrium talis auctoritas collata ſit, qualem Carolus V habuit in provinciis, an qualis Belgii praeſidibus ab eo conſtitutis attributa fuit, id ſcire Leiceſtrium cupere, quicquid juris Carolo V in Belgii provincias fuit, id, abdicato a Philippo jure, in Ordines tranſlatum eſſe, et ad eos pertinere; praeſertim de conſtituendo ſummo gubernatore, ſicut Carolus Caeſar et Philippus ejus filius Mariam reginam ſororem, Sabaudiae ducem, Margaritam Parmenſem, et alios, conſtituerunt; quibus ſupremam poteſtatem

INTERPR. [a] *le baron de Buckhurſt.* [b] *Drake.* [c] *Greenwich.*

poteſtatem minime commiſerunt, ſed eam ſibi ſervarunt: idem nunc ut teneat, velle et intelligere, exceptis tantum iis quae foedere cum Anglorum regina inito ſunt mutata: itaque quae Caroli nomine conſtitui ac decerni ſolita erant, ea in poſterum, nomine, ſigno, ac ſigillo Ordinum ut conſtituantur, aequum eſſe, et juramenta principi praeſtari ſolita deinceps provinciarum Ordinibus et earum gubernatori praeſtentur; libera ac plena in omneis, qui militiam terra marique exercent, quantum ad diſciplinam et ſuſcipiendas expeditiones ac militum delectus, poteſtate Leiceſtrio permiſſa, modo ne plures milites conſcribat, quam quot ex ſubſidiaria reginae pecunia et provinciarum collationibus ex Ordinum ſententia et decreto ali queant. Ordinum vero auctoritatem cum obtendunt, non intelligere, ut per privatos, ſed per equeſtris ordinis viros, nobileis, et civitates, quibus Ordines repraeſentantur, reſpublica adminiſtretur; ex quibus ſi qui deliquerint, licere ut in eos juxta provinciarum jura ac conſuetudines legibus agatur: proinde, ſi quos Leiceſtrius nominare queat qui criminis aut delicti alicujus arguantur, cunctos operam daturos ut ii pro culpae gravitate caſtigentur. Inſuper petunt, ut Leiceſtrius belli negotia mari a ſummo maris praefecto, et praeſidiorum mutationem a provinciarum praefectis, adminiſtrari jubeat; turbarum item auctores procul amandet, neque hujuſmodi ſeditionis buccinis fidem habeat, quae id agunt, ut, ſparſis inter Ordines et ipſum diſcordiarum ſeminibus, auctoritatem, quam rebus bene conſtitutis habere deſperant, per turbarum occaſionem arripiant, et, ipſius Leiceſtrii exiſtimationis diſpendio ac publicae quietis damno, res arbitrio ſuo moderentur. Ut vero propenſam ſuam erga ipſum voluntatem magis approbarent, eodem tempore quo haec Dordraci propoſita ſunt, Ordines cum Hohenloo comite agunt, propter operam ſumma fide Ordinibus navatam maximae apud militem auctoritatis, qui tunc [a] Verae in Walacria degebat; et eum cum Leiceſtrio conciliare ſtudent, miſſis ob id [b] Capella, Joanne [c] Douza Nordovico, [d] Coopero ac Caminga, nec non Gulielmo [e] Bardeſio, Jacobo Valkio, concilii Status aſſeſſoribus; ac per eos petunt, ut tam neceſſario tempore privatas offenſas et inimicitias reipublicae condonare velit: igitur veniat, conſilio et opera ſua rem communem juvet, et, quod Mauritius fecerit, cujus ipſe ſit vicarius, fidei ſacramentum Leiceſtrio dicat. Ad haec Hohenlous; Se Germanum ac liberum eſſe comitem, voluntate et affectu, nullo praeterea officio, obnoxium aut devinctum: itaque et Matthiae archiduci, et Franciſco [f] Andino Brabantiae duci, cum maxime peterent, operam ſuam addicere ſemper recuſaſſe; neque nunc conſtituiſſe, ullo modo ſe clientelae aut militiae Leiceſtrii obligare: nam multa interceſſiſſe, propter quae minus ei fidat, cum ob natam inter ipſos diſcordiam, tum ob provocatorium Edvardi Norriſii libellum, juſſu, ut putat, Leiceſtrii injurioſe miſſum: nam, ſi ejus injuſſu miſſus eſt, cur audaciam hominis contra militareis leges peccantis impunitam ſinit? cur eum poſtea equitem creavit? cur praeſidia ſibi commiſſa ſe inſcio mutavit, promiſſa non ſervavit? His de cauſis nolle ſe dignitatemque ſuam Leiceſtrii fidei committere, ſed petere honeſtam ab Ordinibus miſſionem, ac rogare, memores ſint officii Mauritio Naſſovio et Leiceſtrio praeſtiti: ceterum ſe paratum, quae in poteſtate habeat, oppida, caſtella, arces, Mauritio tradere, ea conditione, ut jura ac privilegia iis propria ſerventur, et qualia Arauſionenſis beatae memoriae principis tempore habuerunt: idque ea de cauſa poſtulare, quod magno ſuo cum dolore videat, provincias dolis et pernicioſis quorundam molitionibus ad peſſimam conditionem redactas, ſeditioſos ex popello atque adeo plebis faece,

INTERPR. [a] *Campvere en Walcheren.* [b] *de Capelle.* [c] *de Does Sr de Nortwick.* [d] *les conſeillers Cooper, & Caminga.* [e] *Bardeſius & Jacob Valcke.* [f] *d'Anjou.*

CIↃ IↃ LXXXVII. faece, nonnullis aperte nominatis, Ordinibus ac magiſtratui intoleranda audacia
HENRICUS III. reſiſtere, et apertè conari auctoritatem Ordinum infringere; eos inſigni ſeveritatis exemplo puniendos, et omni publicorum negotiorum tractatione arcendos: quando vero a ſe petant, rempublicam ut conſilio juvet, ſuadere, ut nullo modo a pactis cum regina initis et ab imperiis Leiceſtrii diſcedant: cui ut ſe fidei ſacramento obliget, non urgeri debere exemplo Mauritii; illum quippe ſubditum ac clientem Ordinum, ſe liberum comitem eſſe ac Germanum, ſicuti praedixerit: nihilominus in fide et amicitia Ordinibus promiſſa conſtanter permanſurum, quibus jam totos XIV annos militaverit, praeter ſtipendium acceptum, CL talerorum CIↃ e ſuo patrimonio in belli ſumptus expenſis. Cum aliud ab eo Ordines reſponſum ferre non poſſent, quid egerant Leiceſtrio ſignificant, qui ad eorum ſcriptum VII Eid. Septembr. reſpondet; et, poſt exprobratoriam beneficiorum a regina in Belgium collatorum, nec non ſuorum officiorum, commemorationem, qui inclinata jam aetate, cum privatae quietis quam alienae ſalutis rationem potiorem habere deberet, id oneris ſuſceperit, praeterito anno operam omnem in provinciarum commodum impendiſſe dicit; dein extrema neceſſitate urgente domum reverſum: interea Zutfaniam et Daventriam, non culpa ſua, ſed praefectorum proditione, quae nulla prudentia vitari poterat, amiſſas: nihilominus magna exiſtimationis ſuae jactura ſiniſtros ſermones in vulgus ſparſos, et literas pridie Nonas Februarias in Angliam, non unanimi omnium provinciarum conſenſu, quod probe ſciat, ſcriptas, quibus multum honori ſuo detrahebatur; neque tamen propterea officio defuiſſe, et juſſu reginae in provinciam rediiſſe. Tum de [a] Sluſis amiſſis ſe excuſat, culpamque omnem in ſummi maris praefecti miniſtros ac navarchos rejicit, multis inſuper de diſcordia cum Hohenloo comite, de belli gerendi ratione, additis: praeterea, de negligentia ac procraſtinationibus multa queſtus, de incommodis Geldriae impendentibus, niſi melior rerum in poſterum gerendarum ratio inſtituatur, ac calamitatibus futuris proteſtatur; nam ſe occurrere paratum, dum modo pecunia et milites promiſſi repraeſententur. Poſtremo addit, cum videret quoſdam ſumptuum pertaeſos, quibus ſuſtinendis provinciae pares non eſſent, bellum gravari, alios de pacificatione inter reginam ac Parmenſem injectam mentionem in excuſationem afferre, ut certiora omnia in poſterum conſilia eſſent, Hagae in comitiis proponi mandaſſe, viderent an provinciarum facultates bello ſuſtinendo ſufficerent, idque exacte putatis rationibus diſpicerent: quod ſi vires ſuppeterent, reginam ſubſidia continuaturam; ſin minus, minime aequum videri, ut regina, dum pactis ſatisfacere vult, ſumptibus inutilibus in bello, cujus exitus incertus ſit, ſe diutius vexet; praeſertim cum ab Hiſpania, Francia, Scotia, ſibi metuat, et ad Hiberniae motus ſedandos diſtractas vireis habere cogatur: Belgarum cauſa bellum reginae cum Philippo eſſe, cujus ratione Angli multa damna non ſolum ab Hiſpanis, ſed etiam ab aliis nationibus inde occaſionem capientibus, patiuntur; proinde, ſi bello gerendo impares ſunt, pacis viam cum Parmenſi, etiam poſt amiſſas Sluſas, minime interclusam: jam ſedulam ea in re operam Daniae regem per legatos navaſſe; omnia adhuc integra ipſis eſſe, ut cum Hiſpanis agere poſſint: attamen nihil ea de re ſtatuere, aut de ipſorum negotiis, niſi conſultis ipſis, decernere voluiſſe: ceterum hoc ſcire ipſos velle, CC florenorum CIↃ in ſingulos menſeis ad bellum non ſufficere; nam praeſidia magni, ſtativa caſtra pluris, conſtare: et, niſi plura conferre poſſint, mature de pacis rationibus ut cogitent ſuadere. Rurſus ad ea equeſtris ordinis viri, nobiles, et civitates Bataviae et [b] citerioris Friſiae, ſcripto Harlemi typis mandato XVII Kalend. Novembr. replicant: Bellum ante XV annos auſpice Arauſionenſi legitime contra Hiſpanos

INTERPR. [a] *l'Eſcluſe.* [b] *Weſt-Friſe, ou Friſe occidentale.*

Hiſpanos ſuſceptum pro religione et jurium ac privilegiorum libertate; de cujus exitu veritos Ordines, cum opes ſuas minime ſuffecturas proſpicerent, ad reginam confugiſſe religionis tutricem, legatis ad eam anno et triennio poſt miſſis: poſtea cum Andino, regina ipſamet ſuadente, egiſſe: eoque vivis exempto regem Chriſtianiſſimum oraſſe, ut afflictarum Belgii provinciarum non tantum patrocinium, ſed etiam ſupremum dominium, ſuſciperet: poſtea, bello in Gallia a ſeditioſis atque adeo Hiſpanorum emiſſariis excitato, cum ſe rex excuſaſſet, et Ordinum cauſam reginae multum commendaſſet, facta a Davidſono ſpe ut regina benigne preces ipſorum acciperet, cum ipſa egiſſe et foedus iniiſſe; cujus conditionibus, quantum in ſe fuerit, ſatisfecerint, cum Leiceſtrius in Belgium venit, omni honore et obſequio exhibito: ſed, qua de cauſa incertum, adeo reſtrictam ab ipſo et concilii ſtatus et praefectorum auctoritatem, ut per ejus abſentiam malis ingruentibus in tempore occurri non potuerit: itaque Daventriam et Zutfaniam, proditione eorum qui eis praepoſiti fuerant, amiſſas, cum nemo eſſet, abſente Leiceſtrio, qui alios in ſuſpectorum locum ſufficiendi poteſtatem haberet: ceterum eo caſu adeo conſternatas ac commotas provincias fuiſſe, ut eas ad reginam, de quibus Leiceſtrius conqueratur, literas ſcripſerint, ſed occulte, et ut ſoli reginae ac Leiceſtrio innoteſcerent: verum malevolorum, qui cauſas diſſidiorum quaerunt, calliditate factum, ut exemplum earum Ultrajectum afferretur, et per manus factioſorum volitaret, inſciis, nec conſentientibus, Ordinum proceribus: dolere ſibi, quod eae in Anglia malam in partem acceptae ſint, atque ab ipſo Leiceſtrio; cui cum ſe devinctos ſentiant, tantum abeſt ut iis quidquam ejus honore detrahere voluerint, ut ejus virtutem ac conſtantiam omni laude ac praeconio dignam cenſeant: ceterum juſtum dolorem ac metum haud facile diſſimulari; itaque petere, ut id tempori et vehementi animorum commotioni condonet: interim laudare ipſius contra populareis factiones ac ſeditiones decretum, ac rogare ut illud executioni demandetur: viciſſim dediſſe operam, quod ipſe ſciat, ut Hohenlous cum Leiceſtrio reconciliaretur: cauſam diſſidiorum ex controverſia de provincialium praefectorum officio proveniſſe, quam componi brevi poſſe minime deſperent. Quod ad Batavorum de belli oneribus querelas attinet, id minime mirum eſſe ei, qui ſciat eam ſolam provinciam in belli terra marique geſti ſumptus plus ceteris omnibus contuliſſe; et his duobus proximis annis, quod omnem fidem ſuperet, praeter alios innumeros ſumptus, trigeſies novies centena CIↃ florenorum expendiſſe; et, ſi quidem ratio bene ineatur, CC florenorum CIↃ in ſingulos menſes ad V CIↃ peditum et CIↃ equitum ſtipendia ſuffectura; nam minoribus ſumptibus bellum tempore Arauſionenſis feliciter ac diu adminiſtratum fuiſſe: proinde minime opus eſſe ut amplius declarent, an facultates ſuas bello gerendo ſuffecturas putent: de pacificatione confidere, nihil a regina aut ipſo Leiceſtrio contra foederis leges actum iri ſine Ordinum conſenſu: intellexiſſe quidem quod Daniae rex proponi curaverit, quid praeterea reginae voluntatis ſit ex Buckhurſti ore accepiſſe; idque ſobrie ac prudenter cum provinciarum Ordinibus communicatum fuiſſe, ut omnium his de rebus ſententia cognoſceretur. Multis inſuper de ſumptuum ratione additis, ad extremum rogant Leiceſtrium, reſponſionem hanc in bonam partem accipiat, divino Numini rem committat, et in priſtina conſtantia perſeveret; certoque ſibi perſuadeat, Dei omnipotentis aſpirante auxilio, reginae copiis minime ceſſantibus, non defuturas ad communem hoſtem propulſandum vireis, et in ſtipendium tam praeſidiorum quam caſtrorum ſtativorum idoneam pecuniam. Huic ſcripto et ampliorem declarationem addunt, ut ſummi gubernatoris et Ordinum poteſtatem, quam ſeditioſi confuſam malebant, diſtinguerent: ut nimirum, quae Caroli V olim poteſtas fuerat, ea penes Ordines eſſet; quae gubernatorum ab ipſo

ipſo conſtitutorum, ea penes Leiceſtrium maneret: atqui gubernatores a Carolo ordinatos, quanquam viros principes et proxima cognatione conjunctos, nunquam poteſtatem ſibi arrogaſſe, pacem aut inducias faciendi, nova bella aggrediendi, foedera cum externis principibus aut provinciis ineundi, decreta ſive placita ad provinciarum ſtatum pertinentia conſtituendi, de re monetaria, de commercio cum exteris et neutri parti addictis, aut aliis negotiis, quibus vicini principes aut civitates offendi poſſent, de novis legibus ſanciendis, de belli denique oneribus ultra quam provinciae aut vellent aut ferre poſſent, inconſulto principe aut provinciarum Ordinibus decernendi: itaque ea ſibi ſervaret Leiceſtrius quae gubernatoribus illis a Carolo attributa fuerant; penes Ordines manente, quam ſibi Carolus ſervaverat, ſuprema his de rebus ſupra commemoratis ſtatuendi poteſtate. Eodem ſcripto petebant Ordines, ut jusjurandum a militibus juxta foederis leges praeſtaretur, auctoritas priſtina provincialibus praefectis reſtitueretur: quod additum, ut Ultrajectenſium, res ſuas a communi Ordinum cauſa ſeparatas habere cupientium, qui praefectura Mauritii continebantur, temeritas coerceretur. Eadem die, qua haec publicata ſunt, proceres, nobiles, et civitates Bataviae, Zelandiae, et [a] citerioris Friſiae, deliberatione habita, optimum factu duxerunt, ſcripto explicare, quis legitimus harum provinciarum ſtatus eſſet. Sic autem diſſerebant: Has provincias IↃ CCC abhinc annis, a principibus, comitum titulo, tam viris quam foeminis, adminiſtratas, in quos harum imperium a proceribus, nobilibus, ac civitatibus, quae Ordines referebant, tranſlatum fuerat: comites autem aequum ſervaſſe, et imperio ita accepto moderate uſos, indeque magnam laudem non ſolum inter ſuos ſed exteros principes meruiſſe, et ſummis regum adfinitatibus ornatos fuiſſe: ex ea gente etiam ob virtutis famam Gulielmum II in Caeſarem electum anno ſalutis CIↃ CC XLVII: ita Batavos vicinis formidabileis, cunctis in ſumma veneratione etiam longe poſitis, diu fuiſſe; ac, ſi Venetam rempublicam excipias, ex fide annalium conſtare, nullum imperium non interrupta ſucceſſione aut adminiſtrandi ratione diutius duraſſe; idque a concordia et mutua principum in republica adminiſtranda conſenſione, atque in publicum bonum conſpiratione, profectum eſſe: eam autem, ex eorundem annalium fide, fuiſſe Ordinum auctoritatem, ut principes ſecus in adminiſtratione verſantes non ſolum officii admonerent, ſed animum contra monita obſirmanteis ad officium cogerent, et pravos eorum conſiliarios plecterent; iiſque, ſi per aetatem rebus ſuis ſupereſſe non poſſent, tutores darent, ſicuti Gulielmo V mentis parum compoti olim Ordinum decreto curatores dati ſunt: eandem auctoritatem ſemper retinuiſſe, quoties ob aetatem, dementiam, aut alium caſum, provinciae principibus ſuis legitime rem adminiſtrantibus carerent: Maximilianum Auſtrium nuper, qui illuſtriſſimae Burgundicae familiae ſucceſſit, cum has libertates infringere vellet, fruſtra fuiſſe: et recentem adhuc memoriam vigere, cum Carolo Maximiliani nepoti minori annis ex Ordinum decreto tutores dati ſunt; et ipſum Carolum poſtea Philippum filium prudenter monuiſſe, ne in republica Batavorum, Zelandorum, ac Friſiorum citeriorum, quidquam temere mutaret: Ordines autem ex duobus membris praecipue conſtare; ex nobilitate, quae illis locis antiquiſſima et opulentiſſima eſt, et de omnibus negotiis rem publicam ſpectantibus in conventu publico ac comitiis cum civitatum delegatis conſultat; civitates alterum membrum conſtituere: ipſas vero per collegia ſenatorum ex praeſtantiſſimis civibus delectorum adminiſtrari, qui liberis ſuffragiis electi perpetua dignitate funguntur: ab iis magiſtratus, hoc eſt, [b] conſuleis et [1] aedileis, quotannis deligi, nonnunquam interveniente vicarii principis

INTERPR. [a] *Weſt-Friſe.* [b] *Bourgmaiſtres & Eſchevins.*

NOT. [1] *dele* aedileis, *lege* ſcabinos, *Put.*

principis auctoritate; ceterum conſulibus attributam eſſe [1] ordinariam juriſdictionem: collegiatos in jure dicundo tam in cauſis criminalibus quam civilibus aſſiduos eſſe, et ſummas, medias, et infimas habere ac exercere juriſdictiones: principem his minime ſe immiſcere; tantum vicarium habere, qui peculiarem juriſdictionem exerceat, et certis cauſis [2] interveniat, libera et abſoluta manente penes collegia et Ordines ex nobilitate et civitatibus conſtanteis poteſtate: per delegatos ex eo numero, quibus id juris eſt, cum opus eſt, comitia convocari, ad quae nobiles et civitates ſuos delegatos cum mandatis mittunt, qui poſtea ad coetum nobilium et collegia referunt; et quod ſuffragiis ſingulorum obtinet, poſtea ad comitia relatum, quaſi Ordinum decreto ſancitum, pro rato habetur: ita contra unius voluntatem, quae nimia licentia facile corrumpi poteſt, populos his in regionibus libertatem ſuam muniviſſe, et fraenum ſimul rempublicam adminiſtrantibus, ne Ordinum nomine abutentes ambitioſe omnia pro arbitrio faciant, injeciſſe: eam normam inviolabiliter ſervatam per tot annos rempublicam ſalvam praeſtitiſſe; quam contra ſapientiſſimi patris monita labefactare conantem Philippum calamitates innumerae ſecutae ſunt, hiſque ad extremum victos populos imperium juxta jura antiqua ac libertates ei abrogaſſe.

XIV. Haec in Ordinum defenſionem et eorum auctoritatem tunc publicata ſcripta. Quantum ad pacificationem cum Hiſpanis ineundam attinet, de qua ſuperius aliquoties facta mentio eſt, ita res habet: Eliſabetha ingentis animi ac juxta providi foemina, quae aegre ac extrema neceſſitate victa Belgii patrocinium ſuſceperat, cum belli damnoſi nullum finem videret, ſumptuum pertaeſa ac parſimonia inſita metuens, ne, aerario exhauſto, illud cum ſummo populorum ſuorum, quorum levamento tota vita ſtuduit, onere aliquando ſuppleri neceſſe haberet, pacis rationes iniri peroptaverat; et, cum id per ſe non poſſet, per Fridericum Daniae regem ſermones de ea injici curaverat. In eam rem Caius Rantzovius a Friderico ad Philippum miſſus: qui cum haec capita propoſuiſſet, ut rex religionis libertatem, et jura, libertates, ac privilegia antiqua, Belgis permitteret, Anglorum reginam indemnem cautione ac fidejuſſoribus datis praeſtaret; a Philippo reſponſum tulerat, quantum ad religionem prorſus recuſare, de ceteris velle ac permittere ut Daniae regis ac Parmenſis arbitrio decerneretur. Itaque legatus cum ad Parmenſem veniſſet in comitatu Hiſpanorum, a [a] Bergo-ſomenſibus praeſidiariis, qui militarem modum ſupergreſſi omnia circum infeſta excurſionibus ac latrociniis in quoſvis obvios nullo diſcrimine faciebant, inter Namurcum ac Bruxellas capitur, ac, omni re injurioſe ſpoliatus, cum literis ac mandatis [b] Hagam ad Ordinum delegatos mittitur. Ibi de injuria graviter conqueſtus, quae ſibi de pace legato facta eſſet, quid cum Philippo et poſtea cum Parmenſi Friderici regis ſui juſſu feciſſet, exponit; jamque de loco, tempore, et delegatis conveniſſe, et denunciatum Anglorum reginae fuiſſe, ut ſuos quoque delegatos mittat. Ad haec Ordines rei ignari, quaſi attoniti, ſe excuſare; nunquam a Friderico foederato rege, et cui multis nominibus alioqui devincti eſſent, id officii requiſiviſſe, neque de pacis rationibus cum Hiſpano ineundis cogitaſſe; idque ſaepius reginae Anglorum ſignificaſſe; et ſubeſſe graviſſimas cauſas, ob quas de pace agere non ſolum intempeſtivum, ſed etiam ſumme ſibi detrimentoſum, exiſtiment. Ita dimiſſus, utcunque reſarcito damno, Rantzovius fuerat: qui ubi domum rediit, regi, quid ſibi eveniſſet, renunciat. Is vero, pro officio maleficium rependi indignatus, rem impatienter tulit, atque a fortuna oblatam occaſionem ulciſcendae

INTERPR. [a] *de Bergen-op-zoom.* [b] *la Haye.*

NOT. [1] *dele* ordinariam juriſdictionem, *lege* curam rerum urbanarum: collegia ſcabinorum in jure dicundo *Put.*

[2] *lege* interveniat, qui jus prehendendi accuſandique, non et judicandi, habeat; libera et abſoluta *Put.*

CIƆ IƆLXXXVII. ulciſcendae injuriae minime praetermiſit. Ineunte vere hujus anni in Batavis et
HENRICUS III. Zelandia, magno harum provinciarum opulentiae documento, amplius IƆCCC naves omnis generis, quaſi in alta pace, negotiationis cauſa, ex [a] Vlia, Briela, et Vliſſinga ſolverant; et cum [b] Oreſontam trajicerent, eae ſunt fauces inter [c] Scaniam et Selandiam anguſtae, quae a rege Daniae caſtellis firmiſſimis et navibus armatis inſidentur, retentae ſunt, nec niſi exſolutis amplius XXX talerorum CIƆ poſtea dimiſſae. Cumque Ordines ad eum legatos miſiſſent, ut legati retentionem excuſarent, iis rex minime ad colloquium admiſſis ſignificari juſſit, damnum a legato ſuo acceptum ante omnia reſarciri oportere, idque ei negari non potuiſſe: dein de injuria ſibi ſatisfieri; quippe Rantzovio, violata literarum aſſertoriarum fide, epiſtolas, quas in ſcriniis habebat, ereptas ac reſignatas, neque in facinoris auctores ab Ordinibus animadverſum fuiſſe. Cum hoc reſponſo valere juſſi Ordinum legati, quod admiſſi non eſſent excuſantibus Danis, quaſi regi, excipiendis Scotorum legatis intento, audire Belgas minime vacaret. Ordines, etſi id aegerrime tulerunt, tamen, injuria injuriam revictam reputantes, hoc ſtatu rerum id prudenter diſſimulaverunt. Poſtea regina Hagae in conventu per Jacobum [d] Valkium et Meninum menſe proximo Septembri, et XIII Kal. Novembr. per Herbertum libellorum magiſtrum et Joachimum [e] Ortelium, ſignificari curaverat, viderent, ecquid conſultius videretur, rationes pacis mature iniri, quam nimia procraſtinatione committere, ut, oppidis et arcibus ante oculos quotidie ab hoſte captis, res ad eas anguſtias redigeretur, ut de pace amplius niſi iniquiſſimis conditionibus agi non poſſet: ſe quidem, ſi pacem petant, ſuumque officium ea in re requirant, partes ſuas libenter interpoſituram; ſi vero ſoli, quod nequaquam ſuadeat, paciſci cupiant, id quoque per ſe licere. Ad haec Ordines conſtanter recuſaverunt, et ſibi nunquam in mentem veniſſe dicebant, vivo videnteque Arauſionenſi, de pace agere; quin potius firmum ratumque habuiſſe, bellum pro religione ac patriae libertate ad extremum uſque finem perſequi: multum ſe contuliſſe in belli ſumptus; plura collaturos, modo ne a regina deſerantur; non defore vireis, modo ne voluntas deſit: proximo trimeſtri elapſo quinquies centena millia florenorum depenſa: hoc unum a ſua majeſtate rogare, ne animi frangatur, et quam in protegenda religione ac Belgii libertate generoſitatem ac promptam voluntatem ab initio prae ſe tulit, eam ne mora temporis aut difficultatibus imminui patiatur. His et aliis rationibus, quas in annum ſequentem plenius commemorandas rejicimus, cum actionis de pace neceſſitatem deprecarentur Ordines, nihilominus cum Parmenſi legatos mitti petenti honeſte negare Eliſabetha non poſſet, et invidioſum ſibi alioqui fore provideret, negotium proximo anno, ſed irrito fine, retractatum fuit.

XV. INTEREA, ex occaſione praeteritarum inter Ordines et Leiceſtrium diſcordiarum, novi motus exorti ſunt, qui rem Belgicam paene everterunt. Per contentiones illas cum res in pejus ruere moererent viri boni, mali fremerent, cuncti ne a regina Angliae hoc rerum ſtatu deſererentur merito metuerent, prudentiſſimi quique male de exitu ominantes adminiſtrationem publicam detrectarent, homines inexperti, neſcio quo inconſiderato religionis calore et intempeſtiva in patriam charitate, negotiis immiſcere ſe voluerunt, inſtigantibus iis qui Ultrajecti in Leiceſtrii gratiam magiſtratus ſupremos invaſerant; qui omnia ſumma faciebant, ſcriptis etiam contumeliae plenis contra Ordines evulgatis, ut eos populis inviſos redderent, et, everſa Ordinum auctoritate, rem confectam Leiceſtrio traderent. Ab iis igitur paſtores incitati ſynodo coacta decernunt, ut eccleſiarum nomine ſalus provinciarum, religionis

INTERPR. [a] *Vlie, la Brille, & Fleſſingue.* [b] *Deſtroit du Sond.* [c] *Schonen & Zelande.* [d] *Valke & Menin.* [e] *Ortel.*

religionis cauſa, concordia ac foedus cum Anglorum règina ac comite Leiceſtrio, Ordinibus commendaretur; idque ſcripto peragunt. Ad quod Ordines XVII Kalen. Novembr. modeſte ac ſummo temperamento reſpondent; Ea quae peterentur, ſerio ab ipſis curari; ſed diligenter cavendum eſſe, ne homines turbulenti aut paſtorum auctoritate aut nomine in eccleſiam irrepant, qui pietatis colore proceres et provinciarum praefectos calumniis traducere, et in contemptum et odium apud populum adducere, ſtudent: religionis cultum qui magis in ſpeciem affectant, minore plerumque ejus ſtudio duci, et in contrariam omnino partem ſequaces ſuos tranſverſos rapere: ab hujuſmodi hominibus Flandriam nuper in exitium praecipitatam; nam, fruſtra praemonente Arauſionenſi, Gandavi quoſdam exortos, qui prae aliis puriorem pietatis cultum prae ſe ferentes, Andino ab ea alieno parere ſibi religioni eſſe dicerent, eoque praetextu in commune nihil conferrent, ſeparatas rationes ſuas a communi provinciarum cauſa haberent: horum conſiliorum eum exitum fuiſſe, ut qui legitimam et ab Ordinibus Andino delatam potentiam detrectabant, primi omnium diriſſimam ſub Hiſpanis ſervitutem ſervierint: Belgas tam recenti exemplo ſapere debere, ac magiſtratus et concordiae praecipuum ſtudium habere; ſicque ſibi perſuadere, nihil Ordinibus antiquius ab initio fuiſſe, aut nunc eſſe, quam ut foedus cum Anglis initum religioſe ſervetur, auctoritas quae ex foedere Leiceſtrio competit, ſalva ea quae Ordinibus debetur, conſtet: in hoc ſe laborare, et pro religionis cauſa ac ſalute publica dies noctesque excubare: proinde orare paſtores ac verbi divini miniſtros, in ſincerae concordiae per charitatem ſarciendae et eccleſiae conſtituendae curam totis animis incumbant; exemploque a Flandriae eccleſiis capto, magiſtratum apud populum commendatum habeant, Deumque aſſiduis precibus rogent, ut procerum ac praefectorum mentes, conſilia, voluntates dirigat, et Sancti Spiritus ſui luce illuſtret. Nutante inter has contentiones Ordinum auctoritate, caſus incidit, qui eam, cum everſurus crederetur, rurſus erexit, conjuratione ab Ultrajectenſibus imprudenter feſtinata et irrito conatu detecta. Qui rebus novis in Belgio ſtudebant, ii praeſentis ſtatus pertaeſi futura ſectabantur, et auctoritatem Ordinum in Anglos tranſlatam cupiebant; uberiora praemia, quae ab Ordinibus conſequi non poterant, a novis dominis ſperantes. Id velle eos apparebat; ſed quomodo confici poſſet, inter illos ipſos ambigebatur. Vi externa quo minus rem aggrederentur, infelicis conatus Antuerpiani exemplo deterrebantur: in domeſtica conjuratione fides et ſilentium requirebatur; quae potius optari quam ſperari poterat. Ambigentibus media via placuit; ut, adductis in odium plebis per concionatores et famoſos libellos Ordinibus, excitata in civitatibus ſeditione, Angli in eas introducerentur. Nam ſic felicius et minore cum invidia ſucceſſurum putabant, quod per Belgas ipſos fieret: et ſi quidem id in una et altera civitate ex voto ſuccederet, minime dubitabant quin ceterae exemplum ſequerentur. Sed rurſus, unde inciperent, ambigebatur. Tandem placuit a [a] Lugduno Batavorum initium duci, quod ea urbs exteris hominibus abundaret, qui e [b] Pleumoſiis et Atuaticis, ſolum ob religionem vertere coacti, in eam migraverant. Praeterea juventus in ea frequens erat, ob novam academiam ante XII annos ab Arauſionenſi inſtitutam; quae, propter inexpertam aetatem audacior in periculis et novarum rerum cupidior, ad partes Anglorum ſubito tranſitura credebatur. Conficiendam rem ſuſcipit Nicolaus [c] Maudius, juvenis et opibus et virtute praeſtans, qui ſtrenuam admodum operam in Sluſarum defenſione navaverat; et ſuppetias in tempore ab Ordinibus minime ſummiſſas conqueſtus, cum ob id in eorum offenſionem incurriſſe ſe ſentiret, rerum novandarum occaſionem quaerebat. Sic autem rem componit: cohortem unam

militum

INTERPR. [a] *Leyde.* [b] *Flandre & Brabant.* [c] *de Maude.*

CIↃ IↃLXXXVII.

HENRICUS III.

militum in urbe habebat; cui cum minus bene ſatisfactum cauſaretur, veniam a ſenatu diſcedendi petere debebat; et cum abiturus putaretur, inſtructa armis cohorte, [a] baſilicam et unam portarum, [1] per quam antea cohors intratura eſſet, occupare; tum, inclamato reginae et Leiceſtrii nomine, conſcios quaſi ſigno dato ad arma concitare. Verum facinus non ita ſecreto concipi potuit, quin, dum Leiceſtrius nimis cunctatur, ejus fama emanaret. Andreas [b] Schottus doli index fuit; reque ad magiſtratum delata, mox Jacobus [c] Wolmarus, et Coſmus Piſcarengius militum ductor, comprehenduntur: Maudius confeſtim urbe exire cogitur; qui ſimul ac facti conſcius, imo dux, compertus eſt, juſſu Ordinum prope [d] Wordam comprehenditur, et [e] Lugdunum ſub cuſtodia ducitur: ubi interrogatus, cum, etiam nullis adhibitis tormentis, rem, ſicuti habebat, confeſſus eſſet, in eaque confeſſione cum Wolmaro et Piſcarengio commiſſus poſtea conſtanter perſeveraſſet, praeſente Mauritio Naſſovio comite, in eos tanquam laeſae majeſtatis reos in urbis ſenatu fertur ſententia VII Kalendas Novembreis; eodemque die in urbis platea ſecuri percutiuntur. Capita Wolmari et Piſcarengii palis in urbis propugnaculis loco edito affixa: Maudii caput ſuis redditum eſt, ut terrae cum corpore mandaretur; vicem illius ob aetatem ac virtutem militarem pleriſque dolentibus, ut meliore fortuna digni, niſi eam, ſive ira ſive ambitione caecus, intempeſtivo facinore praecipitaſſet. Hugo [f] Donellus juris ſcientia clarus, eamque diu [g] Avarici Biturigum profeſſus, qui ob religionem Lugdunum conceſſerat, quod conſilio participaſſe crederetur, a ſenatu monitus ut alio migraret, Altorfium ſe contulit, ubi Norimbergenſis reipublicae ſtipendiis ad mortem uſque docuit. Ob eandem ſuſpicionem Lambertus [h] Danaeus, magnae eruditionis inter Proteſtanteis theologus, qui in ea academia docebat, in patriam, hoc eſt, in Galliam, redire coactus eſt, [i] Orteſiaeque in Benearni pago domicilium fixit. Adolfus [k] Metkerkius mature fuga ſibi conſuluit, conjurationi et ipſe participaſſe creditus; et cum eo Hadrianus Saravia, prudens et eruditus inter eos theologus, qui in Angliam migravit. Sumpto de conſciis adeo ſevero, ad terrorem, ut apparebat, Anglorum, ſupplicio, varii ſermones in Anglia ſparſi; cum alii prudentiam Ordinum deſiderarent, qui tam alieno tempore, cum auxiliis externis opus haberent, tam graviter Eliſabetham reginam irritaſſent: alii contra periculo praeſenti praevertendum, et inſigni exemplo ad coercendos in poſterum ſeditioſorum conatus opus fuiſſe, pluſque in periculo ipſo quam in reginae offenſione momenti eſſe, dicebant; ſicque judicabant, ea prudentia reginam eſſe, ut propterea a foedere minime diſceſſura eſſet: Belgii patrocinium eam extrema neceſſitate victam ſuſcepiſſe, quod ad res ſuas tuendas id neceſſarium exiſtimaret; idem minime ob levem offenſam nunc dimiſſuram: nam ſi ex deſperatione auxiliorum Ordines cum Philippo reconcilientur, quid non ei metuendum, infeſto tanto principe, nec Gallis ſatis aequis? aut quid rurſus ei metuendum eſſe, manente inter Anglos et Belgas foedere? impune quippe licere Anglis, et injurias Gallorum repellere, atque ultro, ſi ibeat, inferre; Hiſpanorum contra inaneis conatus quaſi ex tuto ridere: nam detur, illos cum praepotenti claſſe, quae jampridem apparatur, in [l] anguſtias inter Gallicanum et Anglicanum litus ingreſſos, ſi tamen Zelandiae et Hollandiae portus obductos reperiant, quis dubitat quin, quo majore numero venerint, eo majus ventis ludibrium debeant? id probe ſcire ac videre Anglos, ob idque a foedere minime diſceſſuros: igitur prudenter feciſſe Ordines, qui levem reginae offenſam periculo tanto poſthabuerint, et neceſſario ſeveritatis exemplo non ſolum Anglis, ſed quibuſcunque aliis, eadem, quae male conſulti antea Galli auſi erant, in poſterum audendi ſpem omnem praeciderint.

INTERPR. [a] *Maiſon de ville.* [b] *Schott.* [c] *Wolmar & le capitaine Coſmo de Peſcarengis.* [d] *Woerden.* [e] *Leyde.* [f] *Doneau.* [g] *Bourges.* [h] *Daneau.* [i] *Ortez en Bearn.* [k] *de Meetkercke.* [l] *la Manche d'Angleterre.*

NOT. [1] *lege* per quam alia cohors introducenda eſſet,

praeciderint. Sane regina, etſi facto, ut par erat, indoluit, tamen pro prudentia et aequitate ſua ejus ſenſum preſſit, et, ut invidiam amoliretur, in priſtina recuſati ſummi imperii diſſimulatione perſeveravit: et cum provideret Leiceſtrium, antea cum Ordinibus male convenientem, deinceps iiſdem magis ſuſpectum fore, mature eum e provincia revocavit; et, quo honeſtius miſſus videretur, id hominis ſibi perchari dignitati permiſſu ſuo datum, ut ſe praefectura ab Ordinibus delata ſponte abdicaret: quod et ille fecit, ſcripto Londini menſe Decembri publicato, quo, ut urgentibus regni negotiis praeſens inſerviat, ſe a regina domum revocatum praefatus, quando propter abſentiam ſuam Belgii provinciae adminiſtrandae vacare non poſſit, eam, ut ab Ordinibus acceperit, in manus Ordinum reſignare ac dimittere dicit, cum plena auctoritate ac poteſtate rempublicam adminiſtrandi, adhibito ſimul reginae conſilio, prout saluti provinciarum expedire videbitur. Inter has turbas diſtractis viribus ac conſiliis, haud mirum ſi nihil memorabile hoc anno ab Ordinibus geſtum fuerit. Adolfus [a] Meurſiae comes Septembri proximo cum ſuis ex Friſia obviam Germanis in Bremenſi territorio Ordinum juſſu conſcriptis iturus, cum eos militiam detrectare intellexiſſet, [b] Meppelam ad Amaſum ſitam haud longe a [c] Linga invaſit, porta a ferentariis aliquot pabulatum miſſis occupata. Verum cum [d] Swolam inde rediiſſet, praeſidiariis Meppelae relictis, illi, ſive accepta pecunia corrupti, ſive metu Jo. Baptiſtae Taxis, qui Heſſela capta adventare dicebatur, turpiter locum deſeruerunt. Martinus Schenkius etiam homo impiger et fortis audaciae, cum nihil ob eaſdem cauſas domi poſſet, foris aliquid audendum ratus, quo damnum in Geldriae amiſſione acceptum ſarciret, in proxima Germania [e] Bonnam, pro qua tam animoſe utrinque nuper pugnatum erat, dolo militari intercepit, mortario, crepitaculum vulgo vocant, pulveris nitrati pleno ſub porta deſtituto, et, ne molientium ſtrepitus a ſtationariis exaudiretur, caute in hara proxima irritatis porcis, qui grunnitibus horridis ſtrepitus exaudiendi facultatem excubitoribus adimebant. Igitur hora III matutina biduo ante [f] Dominicum Natalem, cum pulvis ignem concepiſſet, porta effracta ac diſſiliente, ingreſſus inſidiatoribus patuit; qui portam proximam mox ſecuribus ac malleis confringunt, et obvios excubitores trucidant. Neque tamen in tanto pavore oppidani ſibi initio defuerunt; verum accurrentes tormentum aeneum in venienteis diſplodunt, cujus ictu Joannes [g] Wigmanus militum praefectus, ac magnae inter ſuos exiſtimationis, diſcerptus eſt, cum aliquot aliis: ſed, porta [h] Stochemenſi a Schenkianis, qui jam ingreſſi erant, ſub id refracta, et equitatu, quem Gerardus [i] Baleus ducebat, irrumpente, oppidani in fugam verſi ſunt. Schenkius, qui cum primis ingreſſus fuerat, ab equo duri oris in hoſtem non ſine periculo raptus, cum plateam occupaſſet, diſpoſitis ſtationibus urbem ad certum tempus militi diripiendam permittit. Pauci ex civibus occiſi; praeſidiarii partim interfecti, partim fuga ſervati. Urbis praefectus [k] Billeus Bruxellenſis juriſconſultus per moenia in foſſam ſe demiſit, et ſeminudus evaſit. Mox annonam ex vicinis agris ſumma diligentia in oppidum convehendam curat Schenkius, locum munit, excitato trans Rhenum propugnaculo. Inde ad Jo. Caſimirum et cum eo ad Imperii conventus tendit, eiſque Bonnam Imperii clientelarem urbem, quam tanquam ſummus militiae Gebbardi epiſcopi praefectus ceperat, offert, ut eam Hiſpanis ereptam contra Hiſpanos Imperii hoſteis tueantur. Verum, inſtante contra Erneſto Colonienſi ſeptemviro, reſponſum a principibus, haudquaquam opportunum videri, Hiſpanorum regi bellum inferre, qui et ipſe Imperii portio ſit, ac nobiliſſimum membrum;

INTERPR. [a] *Meurs.* [b] *Meppel ſur Ems.* [c] *Lingen.* [d] *Swol.* [e] *Bonn.* [f] *le jour de Noel.* [g] *Wighman.* [h] *de Stochem.* [i] *de Balen.* [k] *Billeus gouverneur de la ville, docteur és loix, natif de Brabant.*

membrum; et auxiliatorum ſuſceptos contra eum conatus male hactenus ſucceſſiſſe, ut regi Galliae et reginae Angliae, quam miſſis in Flandriam legatis pacis ineundae rationes quaerere certo compertum habeant. Deſertus ab Imperii principibus Schenkius non ſe tamen deſeruit, ſed omnia ad defenſionem paravit, magnamque ac diutinam obſidionem anno inſequenti ſuſtinuit.

XVI. Jam in Angliam redierat Franciſcus [a] Dracus, cum expedita claſſe ad inſpiciendam illam formidandam in Belgium ſeu Britanniam deſtinatam claſſem a regina miſſus: qui in itinere ab aliquot Mildeburgenſibus navibus e [b] ſinu Gaditano venientibus de ſtatu claſſis hoſtilis edoctus, ad [c] litus Baeticum Aprili menſe appulit, et in obvias quaſdam naveis perrumpens, ex iis VI actuarias intra [d] Baetim compulit, et ad [e] Luciferi-fanum ac vicina propugnacula recipere ſe coegit; alias majores ac minores numero C, tam vacuas quam onuſtas, in fugam vertit; quaſdam incendit, ac [f] praetoriam inprimis [g] Alvari Baſſani S. Crucis marchionis, CIƆ CCCC amphorarum capacem; plurimas item circulis ligneis, remis, materia, tignis, et aliis rebus ad claſſem parandam neceſſariis; multas quoque vino, oleo, tritico, ficubus, uvis paſſis, ac hujuſmodi annona claſſiaria, onuſtas: ingens [h] Epidaurica navis mercibus onuſta, CIƆ amphorarum capax ac XXXIII machinis inſtructa, fuit depreſſa; innumera retia, plagae, ac piſcatorum alia inſtrumenta direpta, et ora maritima ferro et incendio foede vaſtata. Inde Dracus [i] Caſcaletum Luſitaniae portum praeternavigavit, ubi Santacrucius cum claſſe inſtructa excubabat; nihilque praeter diſploſos aliquot eminus tormentorum ictus inter eos actum. Dracus domum reverſus et quae viderat expoſuit, et ipſe ſe ad defenſionem in annum inſequentem cum ceteris paravit.

XVII. Hoc anno in Pannonia ſemel atque iterum a Chriſtianis contra Turcos res feliciter geſta fuit. Februario menſe noſtri [k] Copanum, quo [l] tres Turcorum praefecti convenerant, arcem non procul a [m] Balatone lacu ſitam, tunc congelato, commoditate temporis utentes, inopinato adorti ceperunt. Erant in arce plus minuſve CIƆ capita; ex quibus, praeter alios vilioris fortunae, CXC nobiliores cum LXX foeminis in poteſtatem noſtrorum venerunt; reliqui fuga dilapſi, aut ſemet ſub terra intra ſpecus abdiderunt. Equi generoſiores abacti C; atque omnis praeda XL CIƆ aureorum aeſtimata eſt. [n] Alis Niger Copanenſis praefectus, unus ex tribus illis quos dixi, ibi captus, et Viennam prius, deinde Pragam ad Rodolfum Caeſarem miſſus fuit: alter in loco ſubterraneo concamerato, quo ſe defendebat, igne vi tormentarii pulveris accenſo ſuffocatus periit: tertius fugae tum beneficio ſervatus, captivitatem, quam hoc in loco fugiendo vitaverat, poſtea in poteſtatem fatali quodam caſu redactus, effugere non potuit; ſiquidem Sextili inſequenti, octavo menſis die, ſecundum faſtos veteres, quos Hungari retinent, [o] Zigethanus purpuratus, Mohazienſis et Quinqueeccleſienſis praetores, et novus captivi loco ſuffectus Copanenſis praefectus, V CIƆ ſuorum collectis verſus [p] Nemphtim vim fecerunt; et, pagis circiter VII cis et ultra [q] Limpacum fluvium repentino impetu oppreſſis, omnique ſexu capto, omnia populabundi rapuerunt. Quo cognito Georgius Serinius comes, Nicolai in expugnatione Zigethi fortiter pugnando occiſi filius, [r] Caniſani caſtri tribunus, quanta celeritate poteſt, e proximis caſtellis ac praeſidiis aliquam manum, cum ſuis ſubditis ex inſula [s] Murakeoza, quae inter [t] Muram et Dravum ſita eſt, cogit: vicinos praeterea proceres in Ciſdanubiano limite aſſidue excubanteis, Franciſcum

Nadaſdium

INTERPR. [a] *Drake.* [b] *le deſtroit de Gibraltar.* [c] *la coſte de l'Andalouſie.* [d] *Guadalquivir.* [e] *S. Lucar de Barrameda.* [f] *la capitane.* [g] *Alvaro de Baçan marquis de Santa Cruz.* [h] *le grand Galion appellé la Raguſe.* [i] *Caſcaes qui eſt à l'embouchure du Taje.* [k] *Koppan.* [l] *trois Begs des Turcs.* [m] *Balaton que les Allemands appellent Ulatze.* [n] *Alis Cara* al. *Niger, Sungiac de Koppan.* [o] *le Baſſa de Zighet, & les Sangiacs de Mohatz, & de Petſcheu* al. *des Cinq Egliſes.* [p] *Nemphti.* [q] *Limpach.* [r] *de Caniſa.* [s] *Murakeoſa.* [t] *le Muer & la Drave r.*

[a] Nadaſdium comitem, Baltazarem Bathianium Guſſingenſem regulum, Joannem [b] Globitzium Copreinitzae praefectum, Joannem Fridericum [c] Trautemanſdorfianum equitum provincialium praefectum, per ſuos et diſploſarum machinarum teſſeras irruptionis certiores facit, atque ut ſuas ſine mora ſecum copias jungant hortatur, data diligenter opera, ut reditum Turcorum anticiparent, eoſque loco maxime idoneo inter paludum anguſtias, quae ipſis tranſeundae erant, invaderent. Nec defuit conſilio exitus: nam onuſtos praeda barbaros, ingentem omnis ſexus Chriſtianorum numerum ſecum trahenteis, ſupra [d] Catzerolacum uno a Caniſa milliari ſub primum diei crepuſculum adorti, manus conſerunt, omni armorum genere petunt, cedentibus inſtant, adverſos caedunt; eoque trepidationis adigunt, ut acinaces noſtris ſuos ultro porrigerent, alii depoſitis armis vitam lamentabili voce depoſcerent, alii, quacunque via poterant, in ſylvas ſaltuſque aufugerent: multi paludibus merſi; ubi cum moribundi opem noſtrorum implorarent, ab iis miſeratione tantae cladis commotis periculo erepti ac ſervati ſunt. In conflictu Machumetes praetor Quinqueecleſienſis, filius Alis purpurati in pugna ad [e] Echinadas ante XVI annos interfecti, qui captivus a morte patris Romam ductus fuerat, ubi eum tunc temporis vidimus, et ad Copanum paulo ante periculum evaſerat, in Chriſtianorum poteſtatem venit. Sinan [f] Mohazienſis praetor, uliginoſo in loco cum equo haerens, ictu ſcloppeti per frontem adacto occubuit. Zigethanus purpuratus cum Haſane [g] Copanenſi praefecto, cum res ſuas deſperatas videret, fuga ſe proelio ſubduxit; ſed Copanenſis proxima nocte in quoſdam ſaltus oberrans cum aliis captus fuit. [h] Zigethanus, ſeptima a pugna die, fame atque animi moerore confectus, tandem [i] Breſenzam pervenit. Capti ex hoſtibus CIϽ CCC; ex quibus plerique ex vulneribus in pugna acceptis poſtea perierunt. Ad bis mille ſive in ipſo proelio occiſi, ſive paludibus hauſti, aut alia peſte exſtincti. Capita caeſorum CCCC, pro more in limitibus illis uſurpato, cum IϽ vivis Caniſam tantummodo relata. Capti equi CIϽ IϽ, et omnis praeda cum Chriſtianis captivis recepta; multi et a ruſticis quaſi indagine diſperſos venantibus capti aut occiſi ſunt. Ex noſtris, qui omnino erant pedites CIϽ IϽ, equites IϽ, tantum XI deſiderati; nonnulli, et ii pauci, vulnerati.

XVIII. MAJOR rerum moles proximae Poloniae incubuit, ſciſſis partium in eligendo rege ſtudiis, ortiſque ex ea cauſa graviſſimis diſſidiis; quae tamen uno et altero proelio fere intra anni ſpatium conſederunt. Exempto rebus humanis Stephano, Staniſlaus [k] Carncovius Gneſnenſis archiepiſcopus ac regni primas, pro muneris ratione, ordinibus Warſaviam diem condicit, ubi de loco, tempore, et novi regis eligendi ratione, pace ac tranquillitate publica per interregnum ſervanda, decerneretur. Inter cetera capita propoſitum, ut rex non niſi concordibus omnium ordinum ſuffragiis electus ac comprobatus renuncietur: qui factiones alere, et electionis cauſa munera et dona accepiſſe, aut ambitioſe quid in ea cauſa egiſſe, deprehenderetur, pro patriae hoſte haberetur: religionis pax in electione Henrici regis ſancita ſervaretur, et, antequam ad electionem procederetur, vulnera reipublicae inflicta, quae exorbitantia invidioſe appellabantur, tam publica quam privata, ſanarentur: amota ex aerario Sigiſmundi, Stephani regum, ac alia reipublicae bona per externos occupata, quaeſtori regni reſtituerentur: rex electus, antequam inauguraretur, decretum de proſcriptione Chriſtophori Sborovii abolere, eumque dignitati priſtinae reſtituere, rogaretur. Praeterea in eo conventu ſummi ducis exercituum imperium, a Stephano Jo. Sario Samoſcio magno regni cancellario attributum, abrogatur; et Nicol. [l] Herbordo id muneris in finibus regni in Volhinia, Podolia, ac

reliqua

INTERPR. [a] *Nadaſdi, & Bathiani baron de Guſſingen.* [b] *Goblitz gouverneur de Copranitz.* [c] *le comte de Trautmanſdorf.* [d] *Catzerolak.* [e] *Curzolari.* [f] *Beg de Mohatz.* [g] *Sangiac de Keppan.* [h] *Baſſa de Zighet.* [i] *Breſenche.* [k] *Karkowski archevêque de Gneſne.* [l] *Herbort.*

CIƆ IƆLXXXVII. HENRICUS III.

reliqua Ruſſia excubandi cum III CIƆ equitum committitur. Haec, inſtantibus Staniſlao [a] Gorcano comite Poſnaniae Palatino, Sboroviis fratribus, ac eorum factioni addictis, decreta per [b] Samoſcii abſentiam, et contradicentibus epiſcopis, qui in religionis pacem conſentire recuſabant, et majorem partem minime tenuerunt. Samoſcius et alii, renovato ultionum per interregni commoditatem ſenſu, ut ſe ab injuria tuerentur, comitatu veluti militari ad comitia venerunt pridie Kalendas Julias; et ad ſeptum procerum conventibus, in campo cis Viſtulam, dimidio a Warſavia milliari, loco [c 1] Rotae nomen, deſtinatum caſtra metati ſunt. Capitales Samoſcio cum Sboroviis ob Samuelem ſupplicio affectum inimicitiae intercedebant; quibus dirimendis, et capitibus illis de quibus dixi retractandis, quod ad Samoſcii abſentis injuriam quaedam eorum pertinerent, et Lithuanorum legatis Viſtula a Polono ſenatu diviſis audiendis, aliquot dies, non ſine magna animorum contentione et verborum utrinque aſperitate, tranſacti ſunt; cum Lithuani dicerent, ſe non ad bellum, ſed ad legitima novo regi creando indicta comitia, profectos, ac proinde in ſenatum Polonum venire recuſarent, niſi prius arma deponerentur, controverſiae ſopirentur, querelis de juribus ac libertatibus ſuis plene ſatisfactum eſſet, Livonia, Volhinia, ac Podolia provinciis, quae magni Lithuaniae principatus portio eſſet, nomini Lithuanico reſtitutis. Addebant a Polonis juriſdictionem publicam ſuam turbari; ipſis minime conſentientibus Henricum et Stephanum nuper electos et inauguratos, Georgium Fridericum Brandeburgicum Boruſſiae marchionem in fidem acceptum: denique, ſe ſpretis, legatos regni nomine Romam miſſos. Boruſſi et ſuas querimonias detulerant: nobilibus ac bene meritis pleriſque bona ſua eripi; varia tributa ac nova vectigalia terra marique inſtitui; dignitates et munera publica, ſpretis indigenis, in externos conferri; majores cauſas extra provinciam in regni comitiis, non adhibito Boruſſorum conſilio, ſaepe decidi; jura antiqua in dubium revocari; monetam non probam cudi; collegio Warmienſi liberum jus electionis adimi; naveis Dantiſcanas ob Polonorum debita a rege Daniae retineri, neque Boruſſis jusjurandum ſolemne, ad quod Caſimirus et Sigiſmundus ſe pro ſucceſſoribus ſuis obligaſſent, a regibus praeſtari. Rigenſes etiam auditi, confeſſionem Auguſtanam, introductis contra cautionem a Stephano datam Jeſuitis, labefactatam reſtitui, ac ſolam in urbe ſervari, poſtulabant; inſuper privilegia reipublicae perſpicuis verbis expreſſa, ſublatis ambiguis clauſulis, quarum occaſione fraus illis fit, conſignari; munitionem ad Dunae oſtium excitatam amoveri. Verum haec et alia negotia ad tempus ſuſpenſa: pro tempore publica pax imperata ac promulgata, decretumque, ut poſtridie, hoc eſt, pridie Nonas Sextileis, exterorum principum legati audirentur. Legatum eo miſerat Sixtus V Hannibalem Capuanum archiepiſcopum Neapolitanum, qui omnem operam daret, ne in comitiis regi creando indictis, alius, quam qui majorum religioni et ſanctae ſedis obſequio addictus eſſet, ratio haberetur. Igitur is ante alios auditus: et cum oratione ſua tantum id egiſſet, ut in rege eligendo praecipue commendatam religionis cauſam haberent, tamen minime dubitabatur, quin, inter ceteros regnum ambienteis, promovendis Auſtriorum partibus enixe ſtuderet. Ex ea familia Erneſtum, Matthiam, et Maximilianum archiduces fratres Rodolfi Caeſaris, Philippi Hiſpaniarum regis gentiles, Imperii ſeptemvirorum principum legati reipublicae Poloniae commendabant; iique partibus ſuis addictos habebant Gorcanum comitem, magnum nobilitatis numerum ſecum trahentem, et univerſam Sboroviorum familiam, quae a Stephano rege exagitata ad Auſtrios ſuperſtite illo receptum habuerat. Ambiebat et regnum Sigiſmundus, Joannis III Suecorum regis et Catharinae Jagellonicae filius; cui, praeter Annae materterae Stephani

INTERPR. [a] *le comte de Gorka.* [b] *Zamoyski.* [c] *Colo.*

NOT. [1] *Rotae.* Poloni *Colo* nominant, *i. e.* Rotam. *Put.*

CIↃ IↃLXXXVII.

HENRICUS III.

Stephani ultimi regis viduae preces, antiqua Jagellonicae familiae in rempublicam Polonicam merita ſuffragabantur, et gratiam apud omnes regni ordines conciliabant. Tertius regni competitor erat Theodorus magnus Moſcorum princeps; qui univerſam ditionem ſuam a Livoniae finibus ad mare Caſpium uſque pertinentem adjuncturum ſe regno Poloniae, ſi rex eligeretur, promittebat: eamque conditionem Lithuana nobilitas, quae Moſcorum finitima bellis Moſcicis maxime vexatur, obviis ulnis amplectendam cenſebat; quamvis plerique prudentiores ſerio haec a *Moſco* dici vix ſibi perſuaderent. Quarto loco in regni petitione habebantur, qui [a] *Piaſtum*, hoc eſt, qui procerum aliquem virtutibus regio faſtigio dignis egregie inſtructum in regno ipſo eligendum cenſebant: in quorum ſententiam multi non poſtremae auctoritatis ſenatores ibant; quippe regno expedire, ut is rex deſignaretur, qui linguam, mores, ac jura gentis perſpecta haberet: enimvero exteros regnum appetere, non ut regni commoda ac fineis ejus amplificent, ſed potius ut privatum emolumentum captent, ſuoſque ex provinciarum proventibus magno provincialium detrimento locupletent, et cum externis viribus exteros mores et externam diſciplinam in regnum invehant: praeterea id graviſſimum eſſe, ac vix indigenis tolerabile, ut exteros homines ſibi praeferri in dignitatibus ac publicis muneribus pati cogantur: id temporibus Stephani nuper expertos Polonos; cujus graſſante potentia Hungari ſui ceteris terrori erant, ipſique ſoli, ſpretis Polonis ac Lithuanis, omnia in regno poterant et obtinebant. His et aliis rationibus ad invidiam et inteſtinas procerum aemulationes tollendas permulti expedire evincebant, ut indigena aliquis rex crearetur. Etiam Turcorum imperator partes ſuas interpoſuerat, et per ſupremum purpuratum ad Portam Polonis legatis ſignificari mandarat, cupere ſe, ut is rex deſignaretur, qui amicitiam, foederationem, ac cultum Turcico nomini exhiberi ſolitum, tueretur; ac multis verbis Stephani fratris filios, aut ipſum Daciae principem, Polonis commendabat. Poſt legatum pontificium auditi eodem die Caeſaris legati, Staniſlaus [b] Paulovius epiſcopus Olomucenſis et Carolus dux [c] Monſterbergenſis; tum Willelmus [d] a S. Clemente regis Hiſpani orator: qui, honorifice deducente eos in curiam Joanne [e] Sborovio, pro Caeſaris fratribus, Moſcici pro Theodoro, Wolfangus [f] Covaſocius pro Sigiſmundo Tranſylvaniae principe, perorarunt. Die inſequenti pro Sigiſmundo Sueciae principe Erricus [g] Sparre regni cancellarius et Erricus [h] Brahe comes, proteſtatione prius de perverſo in admittendis legatis ordine interpoſita, in Moſcum multa dixerunt. Poſtremi auditi ſeptemvirorum Imperii legati, qui Auſtriis, ex quorum familia tot imperatores Germania a tot annis habuerat, operam navabant. Admiſſus fuit et Friderici Curlandiae ducis nuncius, ita orator beneficiarii principis in Polonia vocatur, viduam et defuncti Gotardi heredes ſenatui commendans, et ſibi de quibuſdam rebus, in quibus gravari ſe cauſabatur, ſatisfieri petens; qui in aliud tempus remiſſus eſt. Poſt auditos exterorum principum legatos, exacerbatis inter proceres animis, verbis contumelioſis utrinque certatum fuit; contumeliiſque victi Gneſnenſis archiepiſcopus, et Staniſlaus [i] Kriſchius Maſoviae Palatinus, in vicinum locum eodem in campo ſeceſſerunt, et peculiarem conventum cum aliquot ſenatoribus inſtituerunt: quibus ſe adjunxerunt Andreas [k] Tenſchinus Cracoviae, Georgius [l] Zilenſkius [m] Polociae, Conſtantinus dux [n] Oſtrovius [o] Kioviae, qui ſub id deceſſit, palatini, Andreas [p] Opalinſcius regni tribunus, Joannes [q] Dolſcius quaeſtor, Albertus [r] Sbaranovius vicecancellarius, et Samoſcius ſummus regni cancellarius. Lithuani XL amplius dies peculiaria caſtra trans Viſtulam, et ſenatum

INTERPR. [a] *Piaſte.* [b] *Pawlow evêque d'Olmutz en Moravie.* [c] *le duc de Monſterberg.* [d] *de St Clement.* [e] *Zborowski.* [f] *Covaſocie.* [g] *Sparre.* [h] *Brahe.* [i] *Kriski.* [k] *le comte de Tenczin.* [l] *Zilenski.* [m] *Ploczko.* [n] *le duc d'Oſtrow.* [o] *Kiow.* [p] *Opalinski mareſchal du Royaume.* [q] *Dolski grand Treſorier.* [r] *Baranowski.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III.

ſenatum ab utriſque ſeparatum, habuerunt. Qui cum regni ſummo cancellario ac tribuno conveniebant, rogatis ordine ſuffragiis, partim in Piaſtum, plures in Sigiſmundum Sueciae principem, ut maxime idoneum, voto propendebant, quod Jagellonicae familiae bene de regno meritae proxima cognatione conjunctus eſſet, et indoles in eo praeclara eluceret, accedente etiam linguae Polonicae peritia; inſuper vicini regni foedere et amicitia Poloniam muniturus, et non exiguas controverſias, quae Sueciae regi cum Poloniae regno intercedebant, compoſiturus, videbatur; nec potentior quiſquam vicinus ea deſignatione merito offendi poterat. Hanc nominationem ſuam ceteris ſenatoribus apud Gorcanum comitem et Sborovios congregatis ſignificant, eorumque ſententiam ſuper ea flagitant. Illi, cum reſponſionem diu diſtuliſſent, tandem dari non poſſe, niſi in communem ſenatum omnes convenirent, reſponderunt. Igitur Gneſnenſis in loco ordinario IV candidatos proponit, Piaſtum, Moſcum, Auſtrium, et Suecum; addens, nolle ſe cum Germano ex comitiis domum redire. Sciſcitanti autem Gorcano, an non Suecum etiam pro Germano haberet? reſpondit, hunc ex ſanguine Polono ortum videri. Tandem v Eidus Sextileis, accenſis odio et aemulatione partium ſtudiis, Gneſnenſis, et ceteri epiſcopi, excepto Kiovienſi, ac proceres a Maximiliano Auſtrio alieni, relictis Gorcano ac Sborovianis, in alterum conventum tranſierunt; ubi, annitente Samoſcio, miſſis iterum in ſuffragia epiſcopis ac proceribus, circa meridiem Sigiſmundum Suecum Poloniae regem renunciant. Quo intellecto, Gorcanus et Sboroviani contra proteſtari, et de novo rege eligendo inter ſe conſultare, abrogato ante omnia de Chriſtophori Sborovii proſcriptione Stephani regis decreto: contra quam abrogationem Gneſnenſis et alii rurſus ſcripto proteſtantur. Inter has contentiones Lithuani medios ſe interponunt, et repudiato Maximiliano Moſcum nominant; ac poſtridie, Joanne [a] Lebovitio palatino Trocenſi et Leone [b] Saphia e ſuo ſenatu ad Sborovianos miſſis, eos ut ab electione abſtineant hortantur; ſe viciſſim apud alteram partem laboraturos, ne ulterius progrediatur, ſed electionem in opportunum magis tempus differant: cumque tres reges propoſiti ſint, Suecus, Maximilianus, et Moſcus, ſi de iis amice conveniri non poſſit, prius ope divini Numinis implorata, expeditum videri, ut juxta ſacrae ſcripturae exemplum ſorte res dirimatur. Demum inſequenti die Georgium [c] Radevillium ac ejus fratres, qui Auſtrio faventibus ſe adjunxerant, ex ſenatu evocatos rogant, ut novae electioni intercedant. Sboroviani nihilominus in incepto perſtant, et, ineunte jam nocte, per Jacobum [d] Worcnieciium epiſcopum Kiovienſem praecipitata electione Maximilianum regem pridie Eidus Sextileis pronunciant; ac poſtridie ad Franciſcanorum ob id congregati publicas gratiarum actiones agunt: ubi Andreas [e] Sborovius aulae tribunus, cardinali Radevillio ſacra peragente, ad aram denuo Maximilianum regem renunciat. Ad haec Lithuana nobilitas univerſa fere praeter Radevillios fratres, cum utriuſque regis nominationem minime probaret, palam fremere, duos reges, non legitime et libera electione, ſed, vi et armis principum familiarium oppreſſa ſuffragiorum libertate, vitio creatos dicere, ideoque ſe ad Lithuaniae ordines de injuria ſibi libertatique regni illata relaturos, et novam electionem inſtituturos. Electis duobus regibus ab utraque parte dictae leges: qui Maximilianum creaverant, electionis decreto cum Rodolfi Caeſaris et Hiſpanorum regis oratoribus communicato, per Kiovienſem epiſcopum, Jo. Sborovium, et Alexandrum ducem [f] Prunſcenſem, id Maximiliano ſignificandum mandant. In has autem leges conventum: Ut domus Auſtria IↃ CCC aureorum CIↃ in fiſcum Poloniae, ſi quid Turcus ea electione offenſus moliatur, expendenda certis penſionibus, inferat: pacta ac foedera cum Turcis prius inita rex novus ſervet ac renovet: ſi Turcus contra ea bellum moveat, Romani pontificis,

univerſae

INTERPR. [a] *Lebowitz Palatin de Trocki.* [b] *Sapieha.* [c] *de Radzivil.* [d] *Woroniecie evêque de Kiow.* [e] *Zborowski mareſchal de la Cour.* [f] *le duc de Prunski.*

univerſae domus Auſtriae, et amicorum ac clientum auxilia Polonis praeſto ſint: Caeſar cum imperii Romani principibus ac civitatibus, pontifex, Hiſpanus, ceterique orbis Chriſtiani principes, annitentibus Auſtriis, qui et Theodorum Moſcum foedere comprehendi curabunt, ad majorem terrorem Turcorum, foedus pro Poloniae ac Lithuaniae contra Turcos defenſione ineant; in limite, ac Podolia praecipue, domus Auſtriae ſumptibus munitiones intra triennium exſtruantur: rex novus pacem publicam ac privatam tueatur, oneribus, quibus ſe gravari provinciae queruntur, ſublatis; libertates, jura, privilegia ordinum, ac foederationem inter diſſidenteis de religione ſervet; dignitates ac munera publica Polonis ac Lithuanis, nullis praeterea exteris, attribuat: controverſias de Boruſſia et Livonia, quae Romano imperio cum Polonis intercedunt, Caeſar intra quinquennium terminandas curet: Narvica negotiatio et maritimarum civitatum ſocietas inſtauretur: rex novus [a] academiam Cracovienſem praecipuo favore complectatur; L nobileis Polonos ſtudiis literarum et armorum exercitiis operam danteis, ad externas nationes degenteis, ſuis ſumptibus alat; Poloni, qui in Caeſaris aula et apud Philippum in Hiſpania inſerviunt, ut dignitates et opima ſacerdotia principum horum liberalitate promereri poſſint, curet: de [b] Barenſi et Roſanenſi principatu, ceteriſque Bonae Sfortiae reginae bonis in regno Neapolitano ſitis, ut juſtis conditionibus cum Poloniae regno tranſigatur, cum rege Hiſpaniae agat; aes omne alienum Sigiſmundi Auguſti ſine fiſci detrimento diſſolvat, et fidem regis liberet. Haec capita poſtea Maximilianus rata habuit, et [c] Olomuciae in majore urbis templo VIII Kalendas Octobreis, qui S. Lamberto ſacer eſt, coram Polonis legatis ſuae factioni addictis et magno procerum coetu ſolemni jurejurando confirmavit. Ab altera parte cum Sueco conventum, ut perpetuum foedus ſit inter Poloniae et Sueciae regna adverſus utrique finitimos hoſteis: mortuo Joanne parente, filius Sigiſmundus Sueciae regnum retineat, et ad primo natos tranſmittat; ac de conſenſu ordinum Poloniae et Lithuaniae, ſi res ita feret, in Sueciam ſe conferre poſſit: Livoniae partem, Sueciae regi hoc tempore ſubjectam, ceterae Livoniae, atque adeo Poloniae coronae, reſtituat ac uniat: claſſem armatam in Poloniae et Lithuaniae uſus ſuo ſumptu inſtruat; machinas bellicas certo numero Polonis, adverſus [d] Novogardiam, Pleſcoviam, vel Smolenskam aliquid tentantibus, ſuppeditet; ad [e] Wendam captas relinquat: ſummam CXXIV Joachimicorum CIↃ Sigiſmundo Auguſto olim a Joanne Sueciae rege mutuo datam, praeterea dotem et hereditatem paternam ac maternam, et quaecunque alia ſibi a regno Poloniae etiam ratione principatus Barenſis deberi contendit, regno donet. Inſuper de religione, de munitionibus in regni finibus exſtruendis, ſtipendiis exſolvendis a Stephano militi in limite excubanti debitis, de dignitatibus in exteros non conferendis, et alia fere prioribus conſentanea capita addita; cum clauſula generali, ut ad omnia, ad quae Henricus in regni inauguratione ſe obligaſſet, fidem jurejurando obligaret. De capite ad Livoniam ſpectante cum ambigeretur, et Sueci legati nulla ſe regis Sueciae ea de re mandata habere oſtenderent, Anna Poloniae regina matertera illico fidem interpoſuit, pignori datis omnibus bonis ſuis, et publico documento petentibus regni proceribus tradito. His actis, ad Sueciae principem accerſendum ac per mare deducendum miſſus Martinus [f] Liſnovolskius Podlaſſienſis praefectus; qui vero [g] Gedani eum exciperent, et jusjurandum acciperent, deſignati Hieronymus [h] Roſdrazovius Uladiſlavienſis praeſul, cum [i] Poſnanienſi et Preſmilienſi itidem epiſcopis, Albertus [k] Sbaranovius vicecancellarius, palatinus [l] Caliſſienſis, alii praefecti ac proceres. At Joannes Sueciae rex, intellecto de electione filii nuncio, cum ſciſſa Poloniae ſtudia videret, animo angi coepit, exitum circumſpiciens,

INTERPR. [a] *l'univerſité de Cracau.* [b] *de Bari & Roſſano.* [c] *Olmutz.* [d] *Novogrod, Pleskow & Smolensko.* [e] *Wenden.* [f] *Liſnowolski Palatin de Podlachie.* [g] *Dantzick.* [h] *Roſdrazowski evêque de Wladiſlau* ou *Cujavie.* [i] *de Poſen & Preſmilie.* [k] *Baranowski.* [l] *Kaliski.*

CIↃ IↃLXXXVII.
HENRICUS III.

circumſpiciens, neque tam delato regno laetus, quam de unici ac chariſſimi filii ſalute ſolicitus; quem ſi a ſe dimitteret, diſſidiis et periculoſis belli eventibus ad regnum incertum cernendum objecturus erat, cum certum domi ac pacatum jam poſſideret. Sed praecipue offendebatur inverecunda petitione ejus Livoniae partis, quam a Narva ad [a] Revaliam et Hapſelam per XL Germanica milliaria porrectam tenebat; et iniquiſſimum reputabat, ſi, cum filium unicum Polonis petentibus regem daret, et creditum ingens una cum dote et hereditate conjugis paterna ac materna ſibi debitum regno remitteret, etiam Livoniae, tantis a ſe laboribus curis et ſumptibus, ac tot hominum ſanguine, partae, et veluti e Moſcorum faucibus ereptae, jacturam facere cogeretur. Itaque hac ſe conditione, ut proprium regnum imminueret, filium in externum regnum miſſurum conſtanter initio pernegabat. Sigiſmundus conſimiliter externo ſe et electitio regno carere malle oſtendebat, quam ut avito et hereditario partem, quantumvis exiguam, detrahi pateretur. Sub id Erricus Sparre procancellarius, qui electionis negotio induſtriam admodum operam navaverat, Dantiſco trajiciens opportune advenit; qui fluctuanteis in ancipiti patrem ac filium de Polonicis rebus plenius inſtructos confirmavit, facta in occulto ſpe, ut conditio de Livoniae parte, quae dura adeo videretur, remitteretur: nam neque ad eam legatos ſe obligaſſe; tantum reginam Annam vadimonium conſtituiſſe; tamen, ne negaretur, adeo obſtinate pugnare noluiſſe, quod ab initio reſciviſſent, ſpem de ea Livoniae parte Poloniae unienda ab ordinibus conceptam, magnum ad electionem momentum allaturam. Attulerat Erricus et Samoſcii literas vehementiae plenas, quibus jam Cracoviam regni metropolim una cum corona ac regni inſignibus a ſe teneri, et in Sigiſmundi poteſtate eſſe, ſignificabat; tantum veniret, nec metu aut inertia frangi ſe in tanto regno cernendo ſineret, neque committeret, ut qui ad regnum armis quaerendum natus eſſet, ultro oblatum per ſocordiam amiſiſſe diceretur. Tandem paternum regis affectum filii decus et multorum vota, ac futura familiae per illam acceſſionem amplificatio, vicerunt; et Sigiſmundus, adjuncto eodem Errico Sparre fido ac prudenti conſiliorum moderatore, cum claſſe XXIV navium et comitatu magno procerum a patre dimiſſus, [b] Gedanum petere jubetur; addita lege, ne ante e navi deſcenderet, ſed in Sueciam converſis velis protinus rediret, niſi caput de Livonia in juramento praeteriri, aut de eo proteſtari, proceres regni Poloni permitterent.

XIX. SECUNDUM haec claſſis novi regis ad oſtium Viſtulae appulit XIII Kalendas Octobreis, et totos octo dies in navi manſit, donec, negotio cum regni legatis tranſacto, tandem ad [c] Olivenſe coenobium ſacramentum ſolemne regibus proponi ſolitum, proteſtatione addita de Livoniae parte, quam Sueci tenent, non cedenda, praeſtitit. Poſtridie navi ad [d] Moltavae pontem vectus ſub veſperam urbem ingreditur, ac biduo poſt pacta conventa cum legatis ſuis in comitiis Warſavienſibus, ac jusjurandum jam praeſtitum, addita denuo de Livonia proteſtatione, diplomate ſolemni confirmavit: quibus actis Kalendis Octobribus decretum electionis in Dominicanorum templo publice recitatum Sigiſmundo traditur. Inde poſt aliquot dierum in urbe moram, quanquam de Maximiliani in armis adventantis expeditione certior factus, Gedano VI Eidus ejuſdem menſis proficiſcitur, occaſione capta, ut cum Anna ſorore, quae ipſum comitata erat, ad Annam reginam materteram inviſendam diverteret. Interea Samoſcius, et aemulatione partium et privato periculo ſtimulatus, Cracoviam mature cum Andrea comite [e] Tenſchino, et Nicolao [f] Zebridovio urbis praefecto, aliis ſuae factioni addictis, occupaverat: ubi dum copiae militares in dies conveniunt, literis ad pontificem, Rodolfum Caeſarem, et Imperii ſeptemviros

INTERPR. [a] *Revel & Hapſel.* [b] *Dantzick.* [c] *le monaſtere d'Oliva.* [d] *Motlaw.* [e] *de Tenczin.* [f] *Zebridovie.*

ſeptemviros datis, Sigiſmundum a majore procerum parte regem electum, Maximilianum a paucis, iiſque fere proſcriptis, et qui, cum decoxiſſent, incommodis privatis ex publica ruina remedium quaerebant, nominatum, ſignificat; oratque ut publicae quieti, ac regni, quod pro totius Chriſtiani orbis ſalute excubaret, paci, quiſque pro virili ſua conſulat. Etiam ad [a] Wratiſlavienſem epiſcopum et provinciae, hoc eſt, Sileſiae, quae olim Quadorum nomine celebrata eſt, praefectum ſcribunt; monentque, foederis, quod inter utramque gentem ſemper ſacroſanctum fuit, memores, a vi et maleficio abſtineant; et, ſi quidem contra amica monita quis manu armata in Poloniam irrumpat, ſe communi gentium jure uſuros et vim vi repulſuros oſtendunt.

XX. Nihilominus Maximilianus a Sborovianis incitatus ineunte Octobri, poſt jusjurandum jam [b] Olomuciae praeſtitum, ad Poloniae fineis venerat, ejuſque exemplum, quo privilegiorum confirmatio ſanciebatur, cum literis ad conventum [c] Wiſlicenſem, quo Cracovienſis, Sandomirienſis, et Lublinenſis palatini venerant, miſerat; ac praeterea ad ſacrum ordinem Cracovienſem, academiam, et ſenatum urbis, a quibus admitti petebat. Ad quas in hanc ſententiam ab omnibus concorditer reſponſum; habere ſe regem Sigiſmundum, qui jam in regno ſit, cui fidem ſemel datam violare neque poſſint neque debeant. Cum [d] Petricoviam veniſſet Sigiſmundus, literas Maximiliani obvias habuit, quibus monebatur, ut ex regno ſibi legitime delato, quod poſſeſſum ibat, decederet. Ad quas Sigiſmundus contraria admonitione reſpondit VII Eidus Novembreis; addito, conſultius facturum Maximilianum, ſi hominibus, qui ad res ſuas conſtituendas nomine ac opibus pontificis abutantur, non auſcultet, majoremque publicae ſalutis, quam inauſpicatae dignitatis, cujus inani ſpecie deludatur, rationem habeat. Jamque Auſtrius locum argenti et plumbi fodinis nobilem venerat, V a Cracovia milliaribus; in eoque vallo et foſſa caſtra muniverat, in conſpectum urbis ſaepius adductis ac inſtructis in aciem copiis, inuſitato Cracovienſibus ſpectaculo; qui, ut in meditullio regni ſiti, longe ab hoſtium incurſionibus ſemper fuerant. Cum ita aliquot dies ſuos continuiſſet, novas Polonorum ad ſuas partes tranſiturorum copias a Sborovianis promiſſas in dies opperiens, aliquoties velitaribus pugnis certatum eſt, vaſtato circum agro, quaſi de obſidione cogitaret Auſtrius. Tandem a Poſnanienſi palatino et [e] Snatinienſi praefecto adductis copiis, quae CIƆ CC circiter armatos tantum efficiebant, et aliquot tormentis confirmatior, Cracoviam verſus iter intendit, quaſi urbem arctiore obſidione cincturus, aut, quod magis vero ſimile fiebat, ſpe occupandae citra certamen urbis, ope quorundam in ea ſerio vel ſimulate conſpirantium. Verum praeter ſpem accidit, ut Samoſcium, antequam Cracoviae propinquaret, obvium habuerit, majore militum numero ſubnixum; a quo conſerto proelio magna clade affectus eſt. Deſiderati ex Auſtriacis ſive Germani ſive Poloni CIƆ CC, C amplius capti; amiſſa tormenta et ſigna aliquot militaria. Auſtrius cum reſiduis copiis ad [f] Quadorum fineis, unde venerat, ſe recepit, fama ſparſa, quaſi ſubito poſt acceptas novas copias denuo bellum redintegraturus et Cracoviam oppugnaturus eſſet.

XXI. Haec exeunte Novembri acta. Interea Sigiſmundus, a victore Samoſcio invitatus, in viam ſe dat, praemiſſo [g] Opalinſcio regni tribuno; qui cum paucis, quos penes ſe habebat, a Sborovianis inopinato incumbentibus oppreſſi ſunt, ſed exiguo damno; qui inde ſe ad Auſtrium receperunt, quaſi re magna geſta glorianteſ, majoribus ſtatim cum viribus reverſuri. Sigiſmundus, majus periculum veritus, a recta via paulum deflexit Sandomiriam verſus, et inde, majore palatinorum ac praefectorum

INTERPR. [a] *Eveſque de Breſlau en Sileſie.* [b] *Olmutz.* [c] *Wiſlicie.* [d] *Petricow.* [e] *de Snatinie.* [f] *Sileſie.* [g] *Opalinski mareſchal du Royaume.*

CIƆ IƆLXXXVII. HENRICUS III.

praefectorum confluente numero, auctis viribus ad urbem [α] acceſſit; feſtiſque ad novum regem excipiendum apparatibus jam [β] inſtructis, Welicia oppido ſalinis foſſilibus inſigni proficiſcitur, et ab Opalinſcio ſummo regni tribuno ac ceteris proceribus deductus ad urbem accedit III Kalendas Decembreis. In campo primum excipitur, habita Polonica a Laurentio [a] Goſlicio epiſcopo Podoliae, viro prudentiſſimo et eruditiſſimo, oratione; ad quam novus rex Polonice reſpondit: quod Polonis gratiſſimum accidit, ut regem foris petitum, patria lingua loquentem haberent. Inde urbem a meridionali parte per Caſimiriam, Viſtula ab reliqua urbe ſejunctam, ingreditur, arcu in ponte erecto, in quo Viſtula antiquo more depictus regem venientem alloquens ſpectabatur, appoſita inſcriptione. Dein per ſuburbium Stradomianum arci ſubjectum pergens, non recta in arcem, ſed ad dextram per foſſas urbis deflexit, partim ut militi in aciem inſtructo ſe oſtentaret, partim ut frequentiſſimas Cracoviae regiones emenſus, et ipſe ſe ampliſſimae urbis ſpectaculo, et urbem univerſam optatiſſimo ſui conſpectu, expleret. Igitur ambitu capto, dum exſpatiatur, ab academia primum, poſtea et Cracovienſi magiſtratu obviam prodeunte, honorifice ſalutatur; atque inde per ſubjectum urbi campum, ubi militares copiae explicatae in armis ſtabant, Samoſcio ſingulas turmas ac cohortes et ordinum ductores illi commendante, ad [b] Clepariam pervenit. In ingreſſu acervus armorum Maximiliani militibus in oppugnatione urbis nuper ademptorum viſebatur, cum inſcriptione, quae teſtabatur, haec ſpolia ducem et milites, ut de Chriſtianis parta, moeſtos, repulſa quae ſibi contra jus inferebatur injuria, Deo victoriae auctori gratias agenteis poſuiſſe. Portae ſuperſtabat Stephani regis effigies a Samoſcio poſita, defuncti memoriae obnoxio, et affectata ejus commendatione decretis ipſius, quae ab adverſa parte in dubium revocata ubique exagitabantur, robur et auctoritatem conciliante, et, dum novum regem ad virtutem Stephani imitatione invitabat, rebus ſuis, qui res maximas ſub ipſo adminiſtraverat, ſecuritatem quaerente. Poſtea ſequebantur ceterorum regum ab Jagellone deſcendentium, ſive verae, ſive ex ingenio effictae, imagines, cum ſuis quaeque inſcriptionibus. Arcem ingredientem feſto plauſu diſploſa paſſim tormenta exceperunt; ad eumque ſub id honorifice ſalutandum Baltaſar Bathorius Andreae Stephani regis fratris filius, cum Bornemiſſa, et bis mille Hungaris egregie inſtructis, venit. Primi conſultationibus de republica dies tranſacti; et inprimis caput de pace inter diſſidenteis de religione magnis contentionibus agitatum fuit, cum epiſcopi inaugurationis ritus adhibere recuſarent, niſi rex de una religione Catholica Romana in regno conſtituenda fidem interponeret: verum ab interceſſione tandem procerum precibus victi deſtiterunt, magnoque aſſenſu religionis pax

ſancita

VAR. LECT. [α] acceſſit. Ea regni metropolis et regum ſedes, ſplendore et frequentia aedificiorum, oppidanorum multitudine, omnium rerum ad vitam neceſſariarum ac mercium exoticarum copia, prae ceteris toto regno floret: a Poſnania aemula milliaribus Polonicis L abeſt, totidem a Leopoli Ruſſiae; a Lublino XXXVI, Wratiſlavia Quadorum totidem; a Warſavia XL, a Gedano XXC; a Vilna C, a Sandomiria XXII: ubi Sanus fluvius, a quo Sandomiriae nomen, ex Carpatho monte ortus a Viſtula abſorbetur. Cracovia autem veluti Pentapolis eſt; nam a meridie Caſimiriam oppidum peculiari muro cinctum, ponte ligneo, interlabente Viſtula, conjunctum, habet. Inter pontem et urbem Stradomium oppidulum jacet, inſulae ſpecie, Viſtula tribus lateribus, et Rudava in Viſtulam delabente, qui reliquas partes alluit, circumdatum. Ad ſeptentrionem ſuburbium eſt Cleparia: ad africum Vanelo monti ſeu rupi inſidet arx ampla, Viſtulae et Stradomio imminens, palatio magnificentia regia extructo, Baſilica B. Staniſlai, ac praeterea duobus templis et aliis aedificiis, inſignis, moenibus ac turribus egregie cincta. Feſtis *Ed. Gen.* 1620.

N. B. Haec Cracoviae deſcriptio deeſt *Ed. Gen.* 1626, e Puteani qui delendam cenſuit fortaſſe monitis. Ille certe et Rigaltius, in ceteris fere concordes, de hoc loco ſententiis variarunt; et in *MS. Rig.* quae ſequitur annotatio curioſis legenda extat. *Poſt verbum* acceſſit, *tota Cracoviae deſcriptio incipiens* Ea regni metropolis, *uſque ad verbum* cincta, *in emendationibus P. Puteani deleta eſt*; *et ita ejus manu ſcriptum habetur in margine*, Cracoviae deſcriptio videnda eſt ſupra, Lib. LVI. *Sed non video cur delenda ſit*; *illa enim quae legitur lib.* LVI. *diverſa eſt omnino ab iſta.*

[β] inſtructis, Sigiſmundus *Ed. Gen.* 1620.

INTERPR. [a] *Gozlicki.* [b] *Clepariz.*

ſancita eſt. Proxima fuit de [a] Eſtonia, ea eſt Livoniae pars, quae a Suecis tenebatur, cedenda, quaeſtio; in qua multum aeſtuatum eſt ab iis ipſis qui adeo Sigiſmundo ſtuduerant, cum magna ſe apud ſuos invidia laboraturos intelligerent, niſi id ipſum ab eo impetrarent. Itaque et Opalinſcius regni tribunus et ceteri proceres, tam ex ſacro quam equeſtri ordine, nihil non fecerunt ut Sigiſmundi animum ad preces ſuas inflecterent. Cum ille conſtanter pernegaret, et Eſtoniae ceſſionem a legatis ſuis minime promiſſam, ſed annexam tantum cautionem, diceret, ut, ſi Eſtonia non cederetur, regina vadimonii ac pignoris nomine bona ſua regno addiceret; Samoſcius, oratione, ſive ex animo, ſive ut ſcenae ſerviret, ad acerbitatem compoſita, in eadem cauſa peroravit; e regis dignitate et gentis Sueciae fide non eſſe affirmans, ſi pacta conventa, quae divino Numinis auxilio implorato a legatis jurejurando firmata eſſent, non ſervarentur; quod ni fieret, merito ejuſdem Numinis vindictam regi pertimeſcendam eſſe; neque dubium eſſe, quin inter principes aemulos atque adeo inimicos ex ea occaſione minime belli de ipſo ſermones ſpargantur, eoque magis, quod Suecis in Livoniam jus nullum, ſed Polonis tantum, competat: Romanos a vera religione alienos ea aſtutia fuiſſe, ut ſi quam gentem fallere vellent, eam per legatos primum deciperent, quos poſtea adverſariis de perjurio querentibus, ut ſpecie tenus iis ſatisfieret, dedebant; quod ut minus Chriſtianum, ita nec exiſtimare regem unquam conſenſurum, ut legati Polonis dedantur, potiuſque ad eorum fidem liberandam Eſtonia omni ceſſurum. Ad haec Sigiſmundi nomine reſponſum; nihil eum a regia majeſtate alienum, aut gentis fide indignum, in ea cauſa, aut minus candide, factum: nam et [b] Calmarniae antequam e regno paterno diſcederet, dein in portu Gedanenſi antequam navi egrederetur, poſtea in Olivenſi coenobio, nondum praeſtito juramento, demum [c] Gedani ante publicam renunciationem, aperte ac ſincere declaraſſe, quod in poteſtate ſua non eſſet, quodque ne faceret jurejurando Suecis antea interpoſito cautum eſſet, id praeſtare non poſſe: idem reſponſum aliquoties iteratum Cracoviae, non ſolum verbis, ſed ſcripto epiſcopo [d] Camenecenſi ac ceteris delegatis tradito, repetiiſſe; ac proinde in hac cauſa divinam ultionem minime extimeſcere, intus ſecura conſcientia: ut vero legatos vinctos dedat, nullam cauſam ſubeſſe, cum illi Eſtoniam non abſolute, ſed addita conditione, Polonis promiſerint; quae ſi non impleatur, teneri ſe ad vadimonium conditioni annexum confirmandum. Quantum attinet ad jus quod Polonis in Livoniam competat, non veniſſe ut de illo controverſiam moveat; ſed hoc certo ſcire, quicquid juris Poloni in eam provinciam ſibi arrogant, id jure magni magiſtri ceſſo competere, cui nullo pacto, nulloque jure, invito et non conſentiente ſupremo beneficiariae Livoniae domino, hoc eſt, imperio Romano, id facere licuerit: atqui nullum Polonos oſtendere documentum poſſe conſenſus a Caeſare aut Imperii ordinibus interpoſiti; cum Sueci demonſtrare poſſint ex literis Caroli V, Ferdinandi, Maximiliani II, diverſis temporibus ad Guſtavum, Erricum, et Joannem reges ſcriptis, tutelam ejus provinciae ipſis commendatam fuiſſe. Id cum ultro citroque inter delegatos agitatum fuiſſet, nec Sigiſmundus adduci poſſet ut de priore ſententia decederet, Samoſcius acerbius quam antea, Quandoquidem, inquit, viderent ordines regem pactis conventis ſtare nolle, non debere in malam partem accipere, ſi obedientiam ei renuncient, et ad aliam electionem tranſeant. Cui ſtatim reſponſum, Quandoquidem videret rex, ordines regni Poloniae ab iniqua poſtulatione nolle deſiſtere, neque vadimonii confirmatione contentos eſſe, regem haec omnia Deo ac tempori committere, et quod antea facturum ſe ſcripto ipſis exhibito teſtatus ſit, id denuo repetere; videlicet, paratum

INTERPR. [a] *Eſthen en Livonie.* [b] *Calmar.* [c] *Dantzick.* [d] *de Kaminieck.*

CIↃ IↃLXXXVII. HENRICUS III. paratum eſſe, regnum delatum potius relinquere, quam quidquam contra fidem Suecis datam facere. Inſtantique Opalinſcio ut mitius reſponſum daret, alioqui ignominioſum fore apud exteras gentes, ſi rebus infectis in patriam remearet; Imo, inquit Sigiſmundus, ſumma cum mea gloria conjunctum erit, ſi cunctis innoteſcat, majorem me conſcientiae ac fidei datae, quam regni quantumvis opulenti, rationem habuiſſe. Hoc praefracto reſponſo territi Poloni mediam viam inveniunt, qua nec Sigiſmundus inpraeſentiarum adigeretur quidquam contra animi ſententiam facere, nec Poloni Eſtoniae aliquando conſequendae ſpe omnino exciderent: tandemque conventum et pactis additum, ut negotium de Livoniae parte, quam Joannes Sigiſmundi parens teneret, integrum in id tempus differretur, cum regnum Sueciae legitima ſucceſſione ad Sigiſmundum devolutum eſſet. His ita tranſactis, poſtridie, hoc eſt, Dominica III Adventus, ac die Joanni evangeliſtae feſto, Sigiſmundus ſolemni ritu a Gneſnenſi archiepiſcopo coronam accepit; ac die inſequenti ſenatus ac cives Cracovienſes obedientiae jusjurandum novo regi dixerunt. Cuſi in eam rem unciales nummi argentei, et in vulgus miſſi.

XXII. Paulo poſt, rebus ad bellum ſtrenue gerendum inſtructis, ex Samoſcii conſilio ad Caeſarem dat literas, quibus eum de inauguratione ſua et inſignibus regni acceptis certiorem faciebat, et Maximilianum, quem in finibus regni in armis eſſe cognoverat, ab eo revocari, et neque conſilio neque opibus ſuis ſuorumve juvari, et de damnis contra foedera, quae Imperio cum Polonis intercedunt, ab eo datis ſatisfieri, petebat: nam et privatis injuriis et publicis regni incommodis incitatum diutius Polonis deeſſe non poſſe; jamque ex hoc tempore, nullo etiam exſpectato reſponſo, id ſuſcepturum, quod a dignitate ſua et officio commiſſorum ſibi populorum injuriae exigunt. Hac belli denunciatione praemiſſa, Samoſcius ſummus belli dux cum Polonis, Germanis, et Pannoniis copiis nuper a Baltaſare Bathorio et Bor-
CIↃIↃLXXXVIII nemiſſa adductis, Eidibus Januariis Cracovia movens, [a] Wielunum majoris Poloniae oppidum in [b] Quadorum finibus, ubi Maximilianus cum ſuis novas copias opperiens ſedebat, recta tendit. At Maximilianus, qui vix IↃ equites et paucos Germanos pedites penes ſe haberet, praefecto [c] Snatinienſi et Joan. Sborovio miſſis, qui novas copias, ſicuti magnifice promiſerant, adducerent, inde, ut loco haud ſatis tuto, diſcedit, et [d] Bitſinum vicinae Sileſiae oppidum extra regni Polonici fineis proficiſcitur. Eo ad illum venit [e] Praepoſvarus Pannonius cum recentibus copiis, ſed itinere longo fatigatis; quibus freti Poloni qui cum Maximiliano erant, et inprimis Staniſlaus [f] Stadnicius, qui per Joan. Sborovii abſentiam Polonis cum ſummo imperio praeerat, et antea ſemper, ſive ſuperbia innata ſive odio, Samoſcium ejuſque copias contempſerat, proelio protinus cum hoſte confligendum ſuadebat. Haud longe a Bitſino longus et anguſtus agger inter paluſtria et uliginoſa loca porrigebatur, per quem vix bini aut terni equites ſimul commode incedere poterant. Has anguſtias ſervari, et vallo praeſidioque ac tormentis aliquot impoſitis muniri, Melchior [g] Rederus Quadorum regulus literis et armis clarus, qui Stephano regi ante VIII annos ad Pleſcoviam ſponte militaverat, et nuper Auſtrii nomine legationes ad [h] Boruſſiae et alios Poloniae ordines obierat, prudenter conſulebat. Verum Stadnicius et alii Poloni conſilium, quod ab ipſis profectum non erat, improbabant; et, cum ſub id Samoſcius partem copiarum trans aggerem miſiſſet, rurſus Redero diviſos adoriri ſuadente, recuſarunt: et ita, inter diſſidenteis ſententiis duces praeclara hoſtem delendi occaſione jam elapſa, Samoſcius univerſas copias citra certamen trajecit, et ſuos in aciem inſtruxit, Pannoniis et Coſacis, qui alias Huſſari, Uſcocci, et Martoloſſi dicuntur,

INTERPR. [a] *Wielun.* [b] *Sileſie.* [c] *le gouverneur de Snatinie & J. Zborowski.* [d] *Witzen.* [e] *Prepoſwar Hongrois.* [f] *Stadnicki.* [g] *Reder ſeigneur de Sileſie.* [h] *Pruſſe.*

dicuntur, in ſumma fronte collocatis; qui a Polonis, Auſtriacis, et Germanis equitibus initio male accepti ac repulſi ſunt; ſed Samoſcio ſuperveniente cum robore exercitus, certamen ſtatim reſtitutum eſt, et Auſtriaci, cum aliquandiu impreſſionem ſumma virtute ſuſtinuiſſent, poſtremo impares numero ceſſerunt, et in fugam verſi ſunt, III CIↃ in ea ſtrage occiſis. Maximilianus cum praecipuis ducibus ad [a]Bitſinum, tormentis ac impedimentis omnibus amiſſis, receptum habuit: quo mox Samoſcius ſucceſſum urgens duxit, et locum per ſe debilem, in tanta trepidatione, antequam auxilia advenire poſſent, arctiſſima obſidione cinxit; admotiſque tormentis, et incendii metu intentato, obſeſſos ad deditionem compulit. Captus Maximilianus reverenter et perhonorifice a Samoſcio habitus eſt. Ex Polonis proceribus Staniſlaus comes [b]Goreanus, Poſnanienſis Palatinus, epiſcopus Kiovienſis, Andreas Sborovius aulae tribunus, Alexander dux [c]Prunſcenſis, alii itidem capti; in quos ſumma moderatione ac clementia, ſine ulla inſultatione aut verborum aſperitate, victor Samoſcius uſus eſt, raram fortiſſimi ac ſapientiſſimi ducis laudem eo facto, vel inimicorum confeſſione, promeritus; quippe qui non ſolum vincere et victoriae inſtare, ſed ea bene uti, hoc eſt, ab inſolentia, quae proſpera fere comitari ſolet, temperare, ſciret. Tantae victoriae nuncio accepto, Sigiſmundus eandem moderationem ſervavit, conſtantiam in vultu retinens, nullaque laetitiae geſtientis ſignificatione edita; ſtatimque datis ad Samoſcium literis, ne Maximilianum Cracoviam adduceret, vetuit, ne potius in triumphum quam in cuſtodiam tantae dignationis captivus duci videretur; qui inde in arcem Ruſſiae [d]Craſniſtavam, haud longe a [e]Lublino extremo majoris Poloniae oppido, cum valido praeſidio ablegatus eſt. Pugnatum fuit XI Kalendas Februarias, ac poſtridie captus Maximilianus. Sub id Anna regina matertera et Anna regis ſoror Sandomiria Cracoviam magno comitatu venerunt, Sigiſmundo inaugurationem et proſperos ſucceſſus gratulantes: unde capta occaſione, Cracoviae inſtituta publicae laetitiae ſpectacula; quae Sigiſmundus, in eadem ſeu moderatione ſeu diſſimulatione perſeverans, potius ob earum adventum, quam ob victoriam, edita credi volebat.

XXIII. DUM conviviis, haſtiludiis, pompis, Cracovia operaretur, Caeſaris ac Imperii principum animi in Germania longe aliter affecti erant; qui familiae imperialis in petitione regni Poloni repulſam non ſolum ad injuriam ſuam ſpectare, ſed etiam in Maximiliani captivitate Germanici nominis decus ac periculum verti, exiſtimabant. Caeſar tamen, natura in audendo piger, qui ſe imparem bello adverſus Polonos videret, et ſeris principum ac civitatum Imperii auxiliis non ſatis fideret, praeterea vereretur ne Turcorum imperator, exacerbatis in [f]Pannonia rebus, pacem cum Perſis, quod paſſim jactabatur, maturaret, et arma ab Aſia in Europam verteret, alias cladis in fratris clade acceptae ſarciendae rationes inivit, et, ne miſeris et indignis precibus apud Polonum regem defungi cogeretur, per Philippum avunculum Romae clientelis praepotentem apud pontificem agit, ut ſuas partes interponat: qui et Philippi preces et Auſtriae domus cauſam cum toto orbe Chriſtiano periclitantem minime neglexit; praeſertim cum de Turcis, Aſia omiſſa, Europam atque adeo Pannoniam repetentibus, fama jam in Italia percrebuiſſet. Itaque confeſtim eo cum ampliſſimis mandatis Hippolytum Aldobrandinum cardinalem mittit, virum et dignitate praecellentem, et longo uſu rerum tanto negotio parem creditum; qui, quando is rex, quem Sixtus ab initio voluerat, creatus non eſſet, interea, dum regios titulos hinc Maximilianus captivus ſumeret, hinc Sigiſmundus poſſeſſionem teneret, prudentia ſua ſaltem id efficeret, ne potentiſſimi regni poſſeſſio in incerto maneret,

INTERPR. [a] *Witzen.* [b] *le comte de Gorka, le Palatin de Poſen, l'evêque de Kiow, & Zborowski mareſchal de la cour.* [c] *le duc de Prunski.* [d] *Kraſſuniſtow.* [e] *Lublin.* [f] *Hongrie.*

CIϽIϽLXXXVIII
HENRICUS III.

maneret, et ſciſſis procerum ſtudiis ad factiones, et Turcorum ſeu Tatarorum, qui Turcis ſubſunt, invaſionem, pateret. Igitur id inprimis ei negotii datum, ut Maximilianum libertati reſtituendum curaret; cum ceteris proceribus concordiam in regno ſarciret, et novum regem in antiqua majorum religione, cui ſtudebat, in regno conſtituenda magis confirmaret. Toto hoc anno in eo ab utraque parte laboratum eſt; cum Sigiſmundus, ut moderatum in victoria, ſic in conditionibus aequum animum prae ſe ferret, et ſe, modo Maximilianus jure omni in Poloniae regno cederet, captivos dimittere paratum oſtenderet: contra Maximilianus, a Joanne Sborovio et Staniſlao [a] Staniſcio, qui tunc, cum ultimo pugnatum eſt, aberant, et belli denuo in Polonia, majore ſucceſſu, pro ejus libertate et jure in regno competenti inſtaurandi ſpem faciebant, male perſuaſus, nulla ratione adduci poſſet ut in has conditiones conſentiret. Interea Sigiſmundus proximis Bacchanalibus officioſe cum regina matertera ad eum inviſendum venit, et bona ſpe de libertate brevi recuperanda eſſe juſſit. Obfirmato tamen Maximiliani animo nihil eo anno agi potuit; vixque tandem anno inſequenti, Sborovii promiſſorum vanitate detecta, cuſtodiae pertaeſus Maximilianus de conditionibus cum Sigiſmundo convenit; quibus poſtea libertate recuperata ſubſcribere noluit.

INTERPR. [a] *Staniski.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER OCTOGESIMUS NONUS.

EPITOME.

MISSUS contra Bonnam anno ſuperiore a Schenkio interceptam cum exercitu Carolus Croius Cimaci princeps, et obſidio Martio menſe coepta; et poſt VII *menſes* III *Kalend. Octobr. deditio ab Othone Potiliſo facta.* II. *Negotium de pace cum Eliſabetha a Parmenſi urgetur, dum interim immanis illa claſſis apparatur. Reluctantur Ordines, et oblatas conditiones minime admittendas decernunt; et per legatos reginam ad bellum fortiter capeſſendum hortantur.* III. *Tandem Borborgi inſtitutum colloquium inter Anglae et a Parmenſi miſſos delegatos, nullo exitu.* IV. *Theodori Sonoii cum Mauritio altercationes, et Medenblikenſium praeſidiariorum aliorumque factionis Anglicanae intemperies.* V. *Gertrudbergenſes deſperata gratia poſt ſeditionem Parmenſi locum tradunt.* VI. *Bedfordiae comitis filii Vliſſingae praepoſiti cum Ordinibus et Mauritio diſſidium.* VII. *Eliſabetha, de claſſis Hiſpanae exitu anxia, praefectis ſuis, ut ſe erga Ordines et Mauritium moderatius gerant, enixe mandat.* VIII. *Catalogus navium, ducum nomina, armorum genera, commeatus copia, et ordo claſſis; cui Lud. Peres Guſmanus Medinae Sidoniae dux delectus ſummus imperator.* IX. *Edictum fulminatorium ſub id a pontifice conditum, quo Eliſabetham, ut indignam regno quod uſurpabat, ob crimina fuſe in eo enumerata proſcribebat, et cuivis capiendam ad ſupplicium de ipſa ſumendum objiciebat, regni Anglicani omni jure in Philippum tranſlato.* X. *Parmenſis, qui, claſſe in Angliam expoſita, ſummus armorum dux deſtinabatur, apparatus bellicus, qui fere navigiis planis conſtabat: cui oppoſita Ordinum claſſis duce Juſtino Naſſovio.* XI. *Bellici in Anglia apparatus. Carolus Howardus ſummae rerum praeerat, eique ſuffectus Franc. Dracus.* XII. *Primus conflictus pridie Kalendas Sextiles.* IV *Non. Sextil. et acriter certatum, ſed Hiſpanorum ſemper deteriore conditione. Dein levibus excurſionibus, poſt et majore vi, certatum.* XIII. *Naves* VIII, *ut in obſidione Antuerpiana, materia ad ignem concipiendum et ejaculationem refertae, in mediam Hiſpanorum claſſem immiſſae. Praetoria triremis, qua Hugo Moncata vehebatur, oppugnata ab Anglis; et, cum ad Caletenſe litus illiſiſſet, capta ac direpta, ipſo Moncata interfecto. Mancipia Turcica et Africana a Gordano Caleti praefecto defenſa in terra Francia perfugium habuerunt, et libertatem receperunt. Ad Dunkerkam et ultra ab Anglis pugnatum, et* IV *magnae naves Hiſpanae amiſſae, et una minor ad Blancebergam. Claſſis de cetero vento diſſipata.* XIV. *Circumnavigata Britannia Sidonius, in freto* [1] *Britannico aliquandiu jactatus, in Cantabriam perrexit. In Hiſpaniam reverſus a Philippi conſpectu juſſus abſtinet. Parmenſis et ob id culpatus.* XV. *Thomae Candiſhi triennalis navigatio. Juxta S. Sebaſtiani inſulam, atque adeo Deſiderii portum, canum marinorum ingens multitudo: eorum natura. Freti Magellanici enavigatio. Paitam et Aquatulicam civitates capit, et incendio delet. S. Annae praetoria navis rebus pretioſis onuſta poſt longum certamen capta et direpta. Ad Latronum et Philippinas inſulas venit* Candiſhus;

NOT. [1] potius *Hibernico.*

Candiſbus; inde ad Javam majorem accedit. Regis in ea potentia, et uxorum ingens numerus. Promontorio Bonae Spei ſuperato ad S. Helenae inſulam ventum; et inde in Angliam incolumis eo anno pervenit. XVI. *Parmenſis, de ſucceſſu claſſis, et quid de ſe Philippus ſentiret, anxius, revocatis copiis Tolenſem inſulam irrito conatu tentat,* CCCC *ex ſuis amiſſis. Damnoſus item ad Bergas ad Somam conatus. Wactendonka in Sicambris a P. Erneſto Mansfeldio oppugnata, et deditione recepta. Mauritius Naſſovius Verae in Walacria marchio ob rem bene geſtam inauguratur.* XVII. *Ultrajecti factio renovatur. Nuenarius ab Ordinibus eo miſſus occaſione captata civitatem in poteſtatem redigit, et ſeditioſos pellit.* XVIII. *Cum Jo. Monlucio Balagnio Cameraci praefecto prorogatae a Parmenſi induciae. Telarum in ea urbe ingentis pretii opificium.* XIX. *R. Dudleii Leiceſtrii in Anglia obitus. Ejus genus, ingenium, fortuna, ſucceſſio.* XX. *Friderici* II *Daniae regis mors. Legatio Ordinum ad Chriſtianum* IV *heredem.* XXI. *Viri doctrina clari obierunt Joannes Wierus, Theodorus Zuingerus, Bernardinus Teleſius, Spero Speronius, Augerius Ferrerius, Joannes Auratus.*

Ex auctoribus,

Imman. Meterano, Jo. Parvo, Caeſare Campana, Antonio Errera, Franciſco Brettio.

LIBER OCTOGESIMUS NONUS.

CIƆIƆLXXXVIII

HENRICUS III.

IN Germania ob Bonnam extremo anno ſuperiore a Martino Schenkio interceptam aliquantum motus fuit. Tandem, inſtante Erneſto novo archiepiſcopo Colonienſi, in cujus ditione oppidum erat, et opem Philippi contra sectariorum in Germania rebellionem implorante, miſſus eo a Parmenſi Carolus [a] Croius Cimaci princeps cum ſua turma [b] Wincloio ductore: attributae etiam equitum alae Philippi [c] Araſcotani patris cui [d] Deſquameſus, Caroli [e] Havreci marchionis patrui cui [f] Conroius, Joannis Croii [g] Reuxii comitis cui [h] Rollantius, [i] Henninii reguli cui [k] Baldecius, comitis [l] Boſſuvii cui [m] Plumaſſonus, praeerant. His accedebant ferentariorum turmae, quibus praepoſiti erant Georgius [n] Cariſea Epirota, Joannes [o] Cordubenſis, Philippus [p] Robles, [q] Bentivolius Venterolii marchio, Jo. [r] Contrera Padillia, Joannes [s] Morellus, Franciſcus Montanus, Georgius Baſta, et ipſe veteranus Epirotarum dux. Additi et levis armaturae equites, quibus olim Rolandus [t] Eboracenſis praefuerat; praeterea Neapolitana legio quam Carolus [v] Spinellus ducebat, peditum Lotharingorum duce [w] Bellomontio, [x] Eburonum, Germanorum, et Gallo-belgarum complura ſigna. Primarii duces penes Parmenſem in [y] Pleumoſiis manſerant, claſſis Hiſpanae hoc anno appulſurae adventum opperientes, ut ei ad Anglicanam expeditionem praeſto eſſent. Igitur a Parmenſi negotium datum Franciſco Verdugo Friſiae praefecto, ut cum vicario ſuo Jo. Baptiſta Taxi ſubſidiarium militem ad Bonnam duceret. Manricus Lara praefecti caſtrorum munere in eo exercitu fungebatur; qui tamen, cum ad obſidionem aliquandiu haeſiſſet, a Parmenſi ſub claſſis Hiſpanae adventum in Flandriam revocatus fuit. Germani ad portam Colonienſem caſtra habebant; a laeva Neapolitani ad coenobium quoddam ſibi hoſpitium ſumpſerant.

Inter

INTERPR. [a] *de Croy prince de Chimay.* [b] *le Sr de Wincly.* [c] *le duc d'Arſchot.* [d] *le Sr d'Eſquames.* [e] *d'Havreck.* [f] *le Sr de Couroy.* [g] *Reux.* [h] *le Sr Rollant.* [i] *le comte de Hennin.* [k] *le Sr de Baldec.* [l] *de Boſſut.* [m] *le Sr de Plumaſſon.* [n] *Cariſea* (Meteren l'appelle *Garſia) Albanois.* [o] *de Cordoue.* [p] *de Robles.* [q] *de Bentivoglio marquis de Venterol*: les Hiſtoriens le nomment par tout *le marquis de Bentivoglio.* [r] *de Contreras de Padilla.* [s] *Moreo, & Fran. di Monte.* [t] *York.* [v] *Spinelli.* [w] *de Beaumont.* [x] *Liegeois, Allemands, & Wallons.* [y] *Flandre.*

Inter meridiem et occaſum Bellomontius ſuos locaverat: paulo longius Verdugus, et poſt eum Jo. Cordubenſis meridiem verſus tentoria fixerant, levi armatura ad [a] Ceſſenicam haud procul excubante. Inter Neapolitanorum hoſpitium et oppidum tres munitiones exſtructae erant, et rurſus ab ea parte quae auſtrum ſpectat, ad Rheni ripam alia IX propugnacula, ita diſpoſita ut ſe invicem per latera defenderent; ex quibus duo majora ad Rheni ripam pertingebant, quibus Alexander [b] Montius et Pompeius [c] Frapetrus praeerant. Magnam in ea obſidione non ſolum ſtrenui ſed peritiſſimi belli ducis laudem meruit Germanicus [d] Savornianus comes, qui opera [e] Lencani ordinum ductoris in exſtruendis illis munitionibus uſus fuerat. Martio menſe obſeſſa fuit Bonna: cujus ſitum dum Taxis obequitans attentius contemplaretur, glande ictus eſt, et ex vulnere obiit, relicto ob eximiam militaris rei ſcientiam ingenti ſui deſiderio; Coloniaeque perhonorifice, funus deducente urbis ſenatu, ſepultus. Bonnam tuebatur Otho [f] Potiliſus regulus a Schenkio cum praeſidio impoſitus; cujus et Chriſtophori [g] Wolfii vicarii magna in loci defenſione virtus ac diligentia exſtitit. Tandem, cum obſeſſi nihil reliqui ad ſummam gloriam feciſſent, poſt ſeptimeſtrem obſidionem, omni auxiliorum ſpe praeciſa, et Cimaco novis a Petro Erneſto Mansfeldii comite copiis adductis firmato, cum hoſte pacti deditionem fecere III Kal. Octobr. honorificis admodum conditionibus; quippe conventum, ut cum armis et ſarcinis omnibus exirent, et incolumes in tutum deducerentur.

II. ITA res in Germanico limite pro tempore compoſitae ſunt, omnium animis in Belgium intentis: ubi interim negotium de pace cum Eliſabetha Anglorum regina, anno ſuperiore ab Hiſpanis coeptum, a Parmenſi urgebatur, eo conſilio ut regina, ob colloquium pacis de defenſione ſecura, facilius opprimeretur; quam tamen illa minime neglexit. Interim ad invidiam, qua gravari ſe ſentiebat, vitandam, ſi pacis oblatas conditiones reſpuiſſet, atque adeo, ſi poſſet, impendentem ab hoſtili claſſe tempeſtatem declinandam, ad pacem animum adjecit: et Octobri quidem proximo Herbertum libellorum ſupplicum magiſtrum et Joannem [h] Ortelium Ordinum actorem in Bataviam miſerat, ut Ordinum ſententiam ſuper pacis negotio exquirerent, ac reginae nomine oſtenderent, niſi belli ſtrenue gerendi ac conficiendi ratio ex communi conſilio iniretur, non poſſe eam damnoſos adeo ſumptus diutius ſuſtinere: etenim bello, quod hactenus factum ſit, ab iis qui ad privatam ambitionem bellum habere quam gerere malunt, aerarium ſuum exhauſtum, mercatores ſibi ſubditos prope extenuatos et ad ſummam inopiam redactos: proinde conſultum videri, ut quas pacis conditiones Hiſpani ferant, qua ratione utriſque tam Anglis quam Belgis de ſecuritate cavere parati ſint, per colloquium intelligatur. Ad haec Ordines foederatarum provinciarum, convocatis equeſtris ordinis proceribus, nobilibus ac civitatibus, in commune deliberant, nec domeſticis difficultatibus, defectionibus, militum rebellionibus infracti, aut adventu claſſis Hiſpanae territi, concordi conſilio decernunt, oblatas de pace ab hoſte conditiones nullo modo admittendas. Tum, decreto facto, e ſuo numero Lozeum et Caſenbrotum ad Eliſabetham mittunt Februario menſe, qui coeptum pacis cum Philippo negotium his maxime rationibus diſſuaderent: nihil magis rebus ſuis damnoſum aut periculoſum, quam ſi de pace mentio injiciatur: his artibus Philippum graſſari, ut, cum videat Ordines neque belli diuturnitate nec damnis inde acceptis fractos quidquam de priſtina conſtantia remittere, ipſe interim, fame et inedia Hiſpaniam premente, negotiationis lucro deficiente, aerario exhauſto, ad extremam deſperationem redactus ſit, per pacis mentionem Belgas

INTERPR. [a] *Ceſſenich.* [b] *di Monte.* [c] *Frapiero.* [d] *Savorgnano.* [e] *el capitan Lencano.* [f] *le baron de Potlitz.* [g] *Wolff.* [h] *Ortels agent des Eſtats.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III. Belgas armis invictos decipiat ac circumſcribat: notas eſſe adverſariorum technas ac fallacias, quibus in Mauros, quorum loco Belgas in Hiſpania haberi minime dubium ſit, nuper uſi ſunt; plus c millibus ſumma perfidia, per pacis ſimulatae colorem, gladio, fame, et ſervitute immani interemptis: id ſe jam in Belgio expertos eſſe, Colonienſis pacis praetextu, [a] Atrebatibus, Hannonia, Inſula, Mechlinia, Silva-ducis, in hoſtium partes pertractis: et vero reipublicae prudentum ſcitum eſſe, cum de pace inter belli duces agitur, partem imbecilliorem cum potentiore ſemper jacturam, nunquam lucrum, facere. Notos Eſcovedi et ejus emiſſariorum dolos, qui paciſcendi ſpecie provincias, civitates, privatos, excitatis ſuſpicionibus ac contentionibus, inter ſe commiſerit; ita ut cum quiſque non reipublicae ſed privatim ſuo commodo ſtuderet, alii in tempore reconciliari, alii, qui de ſalute publica deſperabant, mature ſarcinas componere ac diſcedere, properarent. Idem [b] Gandavi et Brugis actum; pluſque damni per hujuſcemodi pacta, quam aperta vi, ab hoſtibus acceptum fuiſſe: nam inde diſcordiae, negligentiae, ac incuriae apertam feneſtram; et per eam majore vi, quam per ruinas urbium violenta machinarum bellicarum diſploſione factas, in penetralia Belgii Hiſpanos ingreſſos. Exemplum recens eſſe in tractatu cum [c] Joanne Auſtrio et [d] Selleo regulo habito: nam ejus occaſione ſtatim pecuniarum collationes Gandavi et aliis locis ceſſaſſe, ſuſpenſo prorſus belli negotio; ita quippe comparatum eſſe, ut quiſque quod valde cupit, id ſibi perſuaderi facile patiatur. Pacis, modo ſincera ſit, nihilque inſidiarum habeat, ſpecioſum nomen eſſe: id vero minime ipſos ignorare; quin id ſcire, paucas nationes tamdiu tam atrocia et gravia bello paſſas; ut jure miraturi ſint poſteri, quibus viribus ſubnixi, quove animi propoſito, Belgae tam acre tamque longum bellum cum potentiſſimo orbis principe tam ſtrenue conſtanterque geſſerint. Sed quo minus de pace agatur, multa obſtare: nam quis de religione, cujus ante omnia ratio haberi debet, idonee cavebit? an is, qui per Margaritam Parmenſem, dein per Joannem Auſtrium, fidem de ea interpoſitam toties violavit? nam id malignitati Albani imputandum qui dicunt, minime audiendos eſſe; quippe cum conſtet, Albanum nihil abſque expreſſo regis mandato in eo negotio egiſſe: illum igitur eundem eſſe qui fuerit principem, neque perſonam, quam ſemper ab initio habuerit, nunc depoſuiſſe: illum eſſe, qui ſemper ſui ſimilis, dum omnia adhuc ipſi cum Eliſabetha integra amicitiae jura conſtarent, ipſam deteſtanda machinatione per inſidias a Bernardino Mendoza ſtructas interfici mandaverit; qui perſuaſum habeat, pontificem Romanum fidem violatam et omnia condonare poſſe: itaque Hiſpanos id agere, ut canes ovilium cuſtodes removeantur, iiſque amotis lupus in oves indefenſas impune ſaeviat: et ut religio libera permittatur, attamen hoc inde incommodum ſequi, ut pace facta Romanae religioni addictos ſecum habere cogantur. Mox Ecmondanum comitem, comitem [e] Ligneum, alios Hiſpanis addictos in Bataviam venturos, qui ſive gratia ſive auctoritate ſua pleroſque in partes ſuas pertracturi ſint; ita ut ob eam cauſam majoribus praeſidiis, et ad ea alenda majoribus ſumptibus, opus ſit; quippe intuta pace, et verſante quotidie ſub oculos atque in viſceribus haerente hoſte. Quantum ad privilegia ac provinciarum immunitates attinet, nihil firmi aut ſinceri ab Hiſpano ſperandum: nam per quam fidem juraturum hoſtem? an per eam quam jam toties pejeraverit? Si vero de iis contentio aut lis oriatur, cui dubium relinqui, quin, leonis inſtar in venatione contra equum et canem ſaevientis, in miſeros Belgas ſit ſaeviturus? Itaque etiam atque etiam videre debere reginam, et pro ſua prudentia conſiderare, conſultius ſit, pacis tractatum abrumpere, an colloquium inſtitutum perſequi. Ipſi quidem ſe patrocinii

tam

INTERPR. [a] *Artois, Hainault, Lille, Malines, & Bois-le-duc.* [b] *Gand.* [c] *don Juan d'Auſtriche.* [d] *le baron de Selles.* [e] *de Ligne.*

tam neceſſario tempore ſuſcepti ratione ſummopere devinctos profiteri, ac proinde cupere ei omnia fauſta ac proſpera: ſed merito vereri, ne, pace cum Hiſpano facta, non tam ſuam quam alienam potentiam ſtabiliat, et ad Belgas atque adeo vicinos invadendos hominibus avidis expeditam viam ſternat: nam, amica et pacata Anglia, quid non contra Belgas, quid non contra ipſum Galliarum regem, Hiſpanos auſuros? Igitur jam ab initio ſemper cum regina enixis precibus contendiſſe, ut pacis tractatio a Daniae rege cum Philippo inſtituta omnino omitteretur; et nunc petere, ut ſibi liceat cum bona ipſius gratia, omiſſis dolis et inſidiis, quibus praecipue Hiſpani valent, praeclara virtute, atque adeo iiſdem armis quibus olim Romani Carthaginienſeis ſuperarunt, cum Hiſpanis de ſumma rerum decernere: neque enim Belgium ita exhauſtum, aut vireis provinciarum foederatarum attritas, ut non bello non ſolum ſuſtinendo ſed etiam inferendo pares ſint. Dum Leiceſtrius nuper provinciis cum ſummo imperio praeeſſet, biennii ſpatio octuagies centena florenorum millia in belli ſumptus a provinciis depenſa: eoſdem animos ac ſpiritus ſupereſſe; nec proinde minores vireis futuras, quippe cum de religione ac libertate agatur. Praeterea magnam in oppidis et arcibus firmitatem eſſe: nam nullibi loca munitiora toto orbe conſpici, et LX amplius hujuſmodi ſuperare, quae juſti exercitus vim ſuſtinere poſſint. Diſſenſiones nuper exortas facile ſedari poſſe, ſi a pacis tractatione deſiſtatur, et reginae ad bellum fortiter pro provinciarum defenſione perſequendum conſtans ac certa voluntas aperte declaretur, virque praeſtanti virtute ſummae rerum ab ipſa praeponatur, qui foedus cum regina initum religioſe ſervet, ſeduloque curet ut omnia pari conſenſu ac concordia adminiſtrentur, unicuique jus ſuum integrum ac ſalva auctoritas maneat: quod cum antea ſervatum non fuerit, haud mirum videri, ſi diſſidia ex ea occaſione nata fuerint. Praeterea belli continuatione regis Galliae, cujus incolumitas ad Belgii ſecuritatem pertineat, res firmari: contra, ſi de pace agatur, ſecuturam proculdubio paſſim animorum conſternationem, provinciarum deſolationem, optimorum civium primo, dein etiam plebis, diſceſſionem; qui omnes de republica deſperantes, cum inutileis ſumptus in bellum fieri videbunt, collationem recuſaturi ſint; poſtremo multorum minus in religione conſtantium defectionem: mox et centuriones, tribunos, ceteroſque ordinum ductores, deficientibus ſtipendiis a caſtris diſceſſuros, et mature aut reconciliatione cum hoſte properata ſibi conſulturos, aut alio deſertis Ordinibus migraturos: inde et alia mala ſecutura; proditiones, ſeditiones, civitatum privatas contentiones ex aemulatione olim ortas par eam occaſionem revicturas; nullam interim reipublicae curam futuram, rupto obedientiae vinculo et diſciplina ſoluta, quam regina ne quidem ſi velit poſtea inſtaurare valeat. His et aliis rationibus Ordines reginam a pacis conſiliis dehortabantur, publicato etiam tunc libello, cui praefixus erat inſignis ille Maronianus verſus, *Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.* Exempla in eo adducebantur Proteſtantium, Jo. Friderico Saxone ſeptemviro et Philippo Heſſo ducibus, ad libertatem pro religione ac patria proclamantium, qui nimia fiducia freti, dum hoſti credulos ſe ac morigeros praebent, magnas calamitates ſenſerint; Proteſtantium item in Gallia: contra eos, qui ſe clauſis ad colloquia et inſidioſos tractatus auribus conſtanter defenderint, et in Dei, cujus cauſa agebatur, miſericordia, et in cauſae ſuae aequitate, ſpem locaverint, quales in Germania Magdeburgici, in Francia [a] Rupellani, Nemauſenſes, Montalbanenſes fuerunt, non ſolum religionem ac libertatem ſuam ſervaſſe, ſed ut in Germania et Francia univerſa ea ſervaretur, ac in poſterum conſtitueretur, exemplo ſuo ac virtute effeciſſe. Ad haec exempla et alia argumenta addebant: reges ac principes ſubditis contra ſe arma ſumentibus nunquam culpam condonare;

INTERPR. [a] *ceux de la Rochelle, Niſmes, & Montauban.*

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

condonare; atqui provincias non tantum contra Philippum arma ſumpſiſſe, ſed et omne obſequium publica ejeratione exuiſſe, religionem mutaſſe, et cum externis principibus foedera junxiſſe: quid igitur facturum Philippum, principem, quod experimento didicerint, imperioſum, aſperum, inclementem? qui et callide diſſimulare ſciat, et hanc regnandi regulam a pontifice edoctus teneat, regni cauſa fidem violari poſſe, atque ut matribus filiolos pyris ac pomis ineſcare, ſic principibus ſubditos verborum blanditiis ac promiſſis fallere jus eſſe: eam diſſimulandi artem optime Parmenſem primarium ipſius ducem callere, et Italos in ea contra alias omneis nationes excellere: peculiare et inſititium id Parmenſi eſſe, quippe ex pontificum Romanorum proſapia ſato: vitandas proinde de pace actiones ac colloquia, et recenti Colonienſis exemplo ac aliorum privatorum in Flandria initorum foederum eventu ſapere omneis debere, ſibique ſic perſuadere, quod vulgari diverbio tritum ſit, et foeminam, ſi aures pudorem ſolicitanti praebeat, mox in ſtuprum conſenſuram, et civitatem obſeſſam, ſi ad colloquium veniat, ſtatim deditionem facturam: itaque ſummam fidem in eo nunc verſari, ut nulli nimis fidatur; ſed in eo negotio, quod ad Dei unius gloriam ſpectat, ejus quoque praecipue gratiae et auxilio cuncti innitantur, et, quod penes ſe habent, id ab aliis minime mutuandum cenſeant. Recuſi et ſub id Ordinum juſſu nummi jam ante octennium cuſi, cum effigie leonis columnae, in qua Albani ſtatua erecta erat, alligati, cujus collare Inquiſitionis nomine inſignitum muſculus rodendo rumpebat, addita inſcriptione, ROSIS LEONEM LORIS MUS LIBERAT. In poſtica dein parte pontifex et Philippus, cruces, caducea, ceteraque pacis inſignia offerentes, leonem, ut ſibi rurſus collare indui pateretur, invitare videbantur; ſed leo renuebat, cum inſcriptione, LIBER REVINCIRI LEO PERNEGAT.

III. HAEC etſi in conſeſſibus publicis et inter plebem ad abrumpendum pacis colloquium jactarentur, nihilominus Anglorum regina, Parmenſi inſtante, et inſtituto pacis colloquio negligentiores reddi Anglos et imparatos a potenti claſſe opprimi poſſe fruſtra ſperante, legatos miſit Oſtendam XI Kalendas Martias, oppidum in Flandria, quod valido Anglorum praeſidio Joanne [a] Conwaio duce tenebatur. Ii fuerunt Henricus [b] Derbiae comes ex Angliae proceribus vir primarius periſcelidis eques, Guil. Brookus [c] Cobhamus regulus V Cantii portuum praefectus, qui et tunc periſcelidis eques creatus eſt, Jac. [d] Croftus eques, omnes ſummi concilii aſſeſſores; quibus additi Valentinus [e] Dalus et Joannes [f] Rogerſius libellorum ſupplicum magiſtri. A Parmenſi ad colloquium deſtinati Maximilianus [g] Arembergii comitis frater aurei velleris eques, Fridericus [h] Perrenotus Campaniacus ſummae inter ſuos exiſtimationis, et Auſtriae familiae, utcunque ſe in his turbis geſſerit, multis nominibus addictiſſimus, Joannes Ricardotus, et cum iis Joannes [i] Maſius et Flaminius Grenierus juriſconſultus: qui cum Brugas veniſſent, diu per internuncios inter utramque partem actum fuit de loco conventus, et an pro illis, qui ſe hoſti in poteſtatem traderent, obſides dandi eſſent. Tandem poſt trimeſtrem concertationem Angli ſe facileis praebuerunt, et ultro non datis obſidibus [k] Borborgum Flandriae oppidulum Parmenſis fide freti venerunt. Itaque initum colloquium fuit VIII Eidus Junii; ac poſt varias de conditionibus diſceptationes, Croftus, inſciis collegis, qua fiducia incertum, certa capita perſcripſit, maximo, ſi in ea conventum fuiſſet, rei Belgicae praejudicio ac detrimento. Id quidem in bonam partem interpretabantur, quaſi a Crofto factum, ut Hiſpanorum animos, an ſerio de pace acturi veniſſent, periclitaretur: tamen, querentibus de ea re poſtea apud Eliſabetham Ordinibus, Croftus in

INTERPR. [a] *Conway.* [b] *Derby.* [c] *le baron de Cobham guardien des cinq ports.* [d] *Crofts.* [e] *Dale.* [f] *Rogers.* [g] *le chevalier d'Aremberg.* [h] *Perrenot Sr de Champigny.* [i] *Maes, & Grenier ſecretaire du conſeil d'Eſtat.* [k] *Bourbourg.*

Angliam reverſus juſſu reginae in cuſtodiam conjectus fuit, quaſi mandatum egreſſus; et cum paulo poſt, ſive ex fato ſive ex moerore, deceſſiſſet, literae ejus, tanquam ſuſpecti, ac reliqua ſcripta diligenter in aedibus ipſius conquiſita, atque ad reginam perlata ſunt. Tunc vero, inter novas ſubinde altercationes, de pacificatione coeptum negotium eo uſque productum eſt, dum tormentorum ex navibus utriuſque claſſis Hiſpanae et Anglicanae diſploſorum tonitrua ex ipſo conventus loco exaudirentur. Quorum fragore irritatis animis, re infecta conventus diſſolutus fuit, Parmenſi fidem, quam de delegatorum adverſae partis incolumitate interpoſuerat, religioſe exſolvente; ceterum exitu comprobante, non eo conſilio veniſſe ab eo delegatos, ut ſincera fide de pace cum Anglis agerent.

IV. Interea factiones Leiceſtrio res adminiſtrante exortae, de quibus ſupra diximus, quamvis is adminiſtrationem publicam publica denunciatione a ſe abdicaſſet, in Belgio recrudueſcere; primum per militum ſeditiones, qui eo tempore ad [a] Gertrudis montem, Medenblikam, Nardam, Workomium, Heuſdam, tumultuantes, tandem trimeſtris ſtipendii ſolutione aegre placati ſunt. Medenblikae et reliquae ſeptentrionali Bataviae diu, ſecunda fidei et publicae laudis fama, praefuerat Theodorus [b] Sonoius, ſuperſtite Arauſionenſi, et poſtea ſub Leiceſtrio fidem Anglis addixerat: cumque poſt [c] Daventriae et Zutfaniae proditionem, ab eo, ſicut et a ceteris praeſidiariorum praefectis, jusjurandum Mauritio Naſſovio, tanquam ſupremo Ordinum vicario, praeſtandum exigeretur, ille primo recuſavit, cauſatus Leiceſtrium nondum ita ſummum imperium depoſuiſſe, ut de eo publice conſtet; ac ſpatium ad deliberandum poſtulavit. Poſtea cum [d] Arnoldi Dunevordi cohors a Mauritio Medenblikam miſſa a Sonoio admiſſa non eſſet, et Mauritius ipſe ac Hohenlous comes eo profecti ingreſſu oppidi excluſi fuiſſent, rurſus diſſidium, quod interventu [e] Buckhurſti reginae legati utcunque compoſitum fuerat, majore acerbitate renovatum fuit; ita ut Sonoius, qui cum Mauritio reconciliari jam ſibi minime tutum exiſtimaret, mandatum olim ſibi ab Arauſionenſi conceſſum, et poſtea a Leiceſtrio confirmatum, ſeptentrionalem Bataviam cum ſummo imperio adminiſtrandi protulerit, et diplomatis hujus vi auctoritatem priſtinam retinere voluerit. At Ordines, qui viderent Mauritii injuriam vergere in ſuam contumeliam ac contemptum, et Sonoium de ſe alioqui bene meritum a partibus ſuis alienare nollent, mediam viam ſe inveniſſe rati, ſpe ſua falſi ſunt: nam, imminuto ſtipendiariorum Sonoii numero, cum ſe ejus potentiam labefactaturos putarent, eumque ad obſequium ſenſim citra vim adducturos, ille, qui tantum IϽC praeſidiarios circa ſe haberet, paucitatem cauſatus ſe excuſavit, et ad loci defenſionem et ſecuritatem privatam haud minore numero opus eſſe reſpondit. Ordines nihilominus inſtare, et libellos, manu Leiceſtrii ipſius, cujus auctoritatem praetexebat Sonoius, notatos oſtendere, quibus ei praecipiebatur, ut Ordinum decreto ac voluntati pareret. Itaque, cum aliud non poſſet, milites ſeditioſe concitat; qui, niſi LXXII menſium repraeſentato ſtipendio, diſceſſuros ſe negant, arma oppidanis adempta in Sonoii aedeis comportant, et miſeros Medenblikenſeis ad ſtipendii ſolutionem ſingulis hebdomadis militari ſeveritate adigunt. Horum mox exemplum ſecuti praeſidiarii in Geldria, Friſia, Tranſiſelana, tumultuare, et jusjurandum Angliae reginae praeſtitum cauſari. Itaque ab Ordinibus ad eos mittuntur [f] Famarſius regulus, Petrus Kieſius Harlemi et Hadrianus Antonius Alkmariae conſules, et poſt eos Nicolaus [1] Bruinincus; qui quantumvis, inita cum iis

exacta

INTERPR. [a] *Gertruydenberg, Medenblick, Naerden, Worcum, & Heuſden.* [b] *de Sonoy.* [c] *Deventer & Zutphen.* [d] *Arent de Duyveuvoorde.* [e] *le baron de Buckhurſt.* [f] *le Sr de Famars, P. Kies bourgmaiſtre de Haerlem, & Adrian Anthonis bourgmaiſtre d'Alckmar.*

NOT. [1] au lieu de Bruinincus, Meteren dit le Sr de Swevenſeel. *Put.*

CIↃIↃLXXXVIII exacta calculi ratione, ſolutionis praeſentis ſpem facerent, nihil a ſeditioſis impetrare potuerunt. Itaque, cum nullum licentiae et in agricolas tanquam hoſteis ſaevitiae modum facerent, cum iis hoſtiliter agi placuit; et Ordinum decreto negotium Mauritio datum fuit, ut collecto exercitu Medenblikae praeſidiarios, qui ſeditioni paſſim graſſanti exemplo initium fecerant, in ordinem cogeret. Is Villerſium, qui paulo ante vix ſe e moleſto carcere redemerat, eo miſit; qui poſt longam et arctam obſidionem, tandem Aprili menſe cum ſeditioſis tranſegit, Anglis ultro ſe ſummittentibus, et reginae juſſu Ordinum decreto audienteis ſe praebentibus. Sonoius purgandarum ſuſpicionum cauſa Alkmariam venit, Medenblikenſeis, utpote a ſe dum locum teneret male mulctatos, poſtquam Mauritius oppidum cum ſuis intravit, admodum rebus ſuis infeſtos expertus. Praeſidiarii quoque, qui [a] Brakelae, Heuſdae, et ad Gertrudis-montem erant, Februario proximo ac Martio rebellarunt. Brakelenſes mox ab Hohenloo comite obſeſſi in poteſtatem Ordinum venerunt: Heuſdani accepta pecunia quieverunt.

HENRICUS III.

V. DESPERATIOR Gertrudbergenſium ſeditio fuit; quippe qui nec Hohenloum nec Mauritium aut ullum alium magiſtratum agnoſcerent, in ſolius reginae ſe poteſtate eſſe dicerent: itaque rem nullam habere, aut cum alio, quam cum [b] Willoughbeio regulo, Anglicanarum copiarum ſummo in Belgio moderatore, contrahere velle; ſigna militaria petulanter lacerare, nihilque ad ſummam violentiam reliqui facere; naves ex Batavis et Zelandia alio cum licentia Ordinum naviganteis hoſtiliter intercipere. Tandem damnoſiſſima tranſactione H. Willoughbeii interventu cum iis Ordines pacti ſunt, exſolutis CCXVI florenorum CIↃ pro XXIV menſium ſtipendio. Verum eo accepto nequaquam quieverunt; nam, cum rurſus ſeditio inter eos orta eſſet, deſperata reconciliationis cum Ordinibus ſpe, cum hoſte tranſegerunt, et oppidum Parmenſi tradiderunt.

VI. MOTUS internos cumulavit Willelmi [c] Ruſſelli Bedfordiae comitis filii, Vliſſingae poſt Philippi [d] Sidneii mortem a regina praepoſiti, contumacia. Is, ob eas quas ſuperiore anno retulimus cauſas, Ordinibus ſuccenſens, utcunque pro tempore placatus, rurſus ex ea occaſione magis quam antea exacerbatus eſt. Parmenſis magnum ſcapharum in [e] Pleumoſiis apparatum faciebat, quibus Zelandis praecipue minabatur; cum non contra Belgium, ſed ad Anglicanam expeditionem, eae inſtruerentur. Igitur Ruſſellus, quo hoſtem [f] Walacriae ingreſſu arceret, ad Ordines Zelandiae et concilium ſtatus ſcribit, et, ut ſibi ſuam equitum turmam Bergis ad Somam arceſſere liceret, petit, fide data eam ſe inter ſuos ſervaturum diſciplinam, ut nihil inſulani habeant unde merito queri poſſint. Ad has literas cum tardius reſponderetur, interea Ruſſellus intelligit, non ſuam ſed [g] Villerſii equitum turmam adventare: quo cognito immane quantum animo commotus eſt; nam, ſuſpicatus eos miſſos ut aliquid contra ſe machinarentur, mox ad circumpoſitos pagos ſubito tympaniſtam mittit, edicto propoſito, quo vetabat, ne ullum equitem aut peditem reciperent, niſi ſtatim a praeſidio Vliſſingenſi eos periculo ſuo pelli vellent. Inde expoſtulatorias ad Ordines literas ſcribit XVI Kalendas Martias, quibus injuriam ſibi factam exaggerat, addens, paſſurum ſe non eſſe, ut ulli milites in Walacriam aut ad caſtrum [h] Ramekenſe veniant; quippe juſtas diffidentiae cauſas ſibi cum iis intercedere, qui ſibi non fiderent. Ad eas reſponſum quinto poſt die, oſtenſumque multis verbis, non a concilio ſtatus, ſed a Mauritio, cujus id muneris ſit, tanquam Zelandiae praeſide, Villerſianam turmam, quae tantum LX equitibus conſtaret, in Walacriam miſſam, eo conſilio, ut inſulanis ad excubias locis idoneis agendas praeſint; alioqui inutilem iis locis equitatum,

INTERPR. [a] *Brackele, Heuſden, & Gertruydenberg.* [b] *le baron Willoughby de Eresby.* [c] *Ruſſel fils du comte de Bedford gouverneur de Fleſſingue.* [d] *Sidney.* [e] *Flandre.* [f] *Walcheren.* [g] *la compagnie de cavalerie de Villiers.* [h] *Ramekens.*

equitatum, et peditatus longe majorem uſum eſſe: itaque, ubi primum Mauritius redierit, cum eo acturos, ut Villerſianos ex [a] Walacria revocet: ſed male ipſos habere, quod ſcribat, minime ſe paſſurum ut ulli milites in Walacriam aut circa caſtrum Ramekenſe veniant; quodque intellexerint, edicto eum vetuiſſe, ne ulli Ordinum milites in inſula recipiantur: id vero contra foedus cum regina initum fieri, magnaque auctoritatis Ordinum imminutione; ac proinde orare, leges foederis in poſterum religioſe ſervet: viciſſim Ordines reginae multis nominibus obſtrictos curaturos, ut nullum ſibi ad omnia propenſae erga ipſos voluntatis officium Angli merito ſint requiſituri. His literis acceptis [b] Ruſſellus, quamvis ulterius querendi ſublato colore, non tamen iram adverſus Ordines conceptam depoſuit. Ultionis ſecretae occaſionem quaerenti commodum accidit, ut ſenatus Zelandicus Villerſianos equites per inſulam diſtribueret, XXX ex iis [c] Mildeburgum, XVIII [d] Campoveram, XII [e] [1] Armuidam, miſſis. Campoverenſes, in quorum poteſtate ſunt Armuidenſes, [2] Anglicis partibus addicti, in ea voluntate crebris officiis poſt Leiceſtrii diſceſſum a Ruſſello confirmati fuerant. Itaque ipſo inſtigante miſſos a ſenatu equites recipere recuſarunt, et ut idem facerent Armuidenſeis coegerunt, cum Mildeburgenſes decreto ſenatus paruiſſent. Quo facto, Campoverenſes cum Armuidenſibus ad id coactis foedus ineunt, quo nullum, niſi a regina, cum diplomate Leiceſtrii, cui fidem ſemel obſtrinxerint, militem admiſſuros ſe adhibito jurejurando firmant, mutuaque auxilia pollicentur. Id V Eidus Mart. publicatum, cum jam Leiceſtrius exeunte anno ſuperiore magiſtratum ejeraſſet: quod de induſtria Angli inſulanos celaverant, ut factionem a Leiceſtrio inchoatam ſub eiſdem inſulanis gratioſo nomine facilius foverent. Eo irritati Ordines, Mildeburgenſibus inſtantibus, qui Ruſſellum ſibi nimis vicinum et jam cervicibus ſuis imminentem dolebant, quo malis a factioni Anglicae addictis reipublicae impendentibus mature occurrerent, Mauritium eo mittunt; qui non prius Mildeburgum appulit, et de negotio cum ſenatu capita conferre coepit, quam de Caroli Howardi ſummi maris praefecti adventu in inſulam allatum eſt. Is ab Eliſabetha miſſus cum X circiter egregie armatis navibus venerat, CCXX florenorum millia ad exſolvendum militi ſtipendium ſecum portans. Ob inopinatum ejus adventum cum varia jactarentur, inter alia hoc quoque in vulgus ſparſum, eo conſilio Howardum veniſſe, ut Mauritium captum in Angliam adduceret: de quo cum ſuboluiſſet Mauritio, ſubito ſe juvenis ſagaciſſimus cum ſuis inde ſubduxit, et Mildeburgo [f] Lilloam, ubi claſſis in [3] Scaldi inſtructa ſtabat, perrexit. Cum Howardus, qui literas et mandata ad Mauritium habebat, eum in Walacria convenire non potuiſſet, Edvardum [g] Hobeium equitem affinem ſuum ſtatim ad ipſum mittit, adjuncto Petro [h] Heido, amicitiae inter eum et Ruſſellum anno ſuperiore farciendae parario, cui proinde uterque plurimum tribuebat; ac enixe orat, ut Ordinibus, pro auctoritate qua apud eos valet, perſuadeat, ab obſidione Medenblikae, quae tunc adhuc durabat, deſiſtant, Sonoium ac loci praeſidiarios miſſos faciant: viciſſim Ruſſellum illi omnia amicitiae officia deferre renunciat. Legatos perhumaniter excepit Mauritius, et de Medenblika ſe excuſavit, quaſi id non a ſua voluntate, ſed ab Ordinum auctoritate omnino dependeret. Igitur, reverſis legatis, Howardus mox in Angliam transfretavit, et Campoverenſeis et Armuidenſeis, qui ad Medenblikae obſidionem ſolvendam et factionem Anglicanam in Belgio conſtituendam ipſum veniſſe ſibi perſuaſerant, ſpe concepta fruſtratus eſt. Poſt ejus diſceſſum e veſtigio Mauritius Mildeburgum

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Walcheren.* [b] *Ruſſel.* [c] *Middelburg.* [d] *Campveer.* [e] *Arnemuyden.* [f] *Lillo.* [g] *Hobey.* [h] *Heyde.*

NOT. [1] Arnemuida olim ſub Middelburgenſibus, poſtea libera et ſui juris. *Put.*

[2] *dele* Anglicis partibus addicti; *lege* Anglorum praeſidio inſeſſi, ejectis qui Ordinum partes tuebantur, in ea voluntate *Put.*

[3] *lege* Scaldis aeſtuario *Put.*

CIƆIƆLXXXVIII HENRICUS III. Mildeburgum revolavit, et inde Jacobum [a] Valkium ſtatus conſiliarium cum literis ad Ruſſellum mittit, ut de motu a Campoverenſibus nuper excitato cum eo ageret, et quid ſuae voluntatis eſſet plenius ac certius ex ipſo cognoſceret. Cum nihil praeter verba benevolentiae et honeſtatis plena a Ruſſello retuliſſet Valkius, ſicuti a Mauritio juſſus erat, [b] Vliſſinga Campoveram contendit. Rurſus hic cum oppidani factum, praetexta reginae, cui fidem obſtrinxiſſent, auctoritate, excuſarent, et, niſi jurejurando ab ea ſolverentur, aut aliud mandatum ab ipſa haberent, aliud reſpondere ſe non poſſe oſtenderent, Mauritius denuo ad Ruſſellum ſcribit IV Eidus Martias, et de Campoverenſium contumacia, qui ſe nomine reginae tueantur, graviter expoſtulat, eaque in re Ordinibus ac ſibi ſatisfieri petit; alioqui fore, ut, graſſante ubique ſeditionum exemplo, tum maxime, cum neceſſaria ſit vicino hoſte concordia, utrique ſtudiis ſciſſi inextricabileis ſe in calamitates induant. Eodem tempore regina literas expoſtulatorias ad Ordines dederat, quibus querebatur de [c] Ultrajectenſibus male habitis, de nimia in Lugdunenſeis ſeveritate, et intempeſtiva Medenblikae obſidione. Ad quas ſedulo Ordines reſpondent; et quantum ad Ultrajectenſeis attinet, eos tantum officii ſui monitos aiunt, qui civeis ſuos ejeciſſent, homines novos ad ſummos magiſtratus provexiſſent, qui nullum patrimonium, nulla bona, quae pro certo fidei pignore eſſent, in civitate habeant. De Lugdunenſi motu librum nuper editum aiebant, quo probationes in conſcios ac convictos plenius continebantur. De Medenblikae obſidione ſic loquebantur, ut extrema neceſſitate victos eam ſe decreviſſe oſtenderent; quod niſi feciſſent, omnem obedientiam ac diſciplinam amiſſuros fuiſſe. Quoque magis concordia omnium non ſolum animis, ſed etiam oculis, tam neceſſario tempore inſinuaretur, cuſi ſub id tempus in Batavia nummi; in quorum antica parte boves duae arabant inſignitae regni Angliae et foederatarum provinciarum inſignibus, cum inſcriptione, *Trahite aequo jugo:* in poſtica duae urnulae mari innatantes erant, additis his verbis, *Frangimur, ſi collidimur.* Inter has reginae expoſtulationes et ſuas admiſcuerat Mauritius; datiſque ad reginam literis X Kal. Jun. graviter queſtus eſt, patrimonialeis civitates, quae ad XL CIƆ florenorum annua accedebant, et quarum vectigalibus ſe cum tota familia Naſſovia per has turbas aegre ſuſtentabat, Campoveram videlicet et [d] Gertrudis-montem, Anglicano nomine praetexto, in ſummum diſcrimen adductas, ac in eo eſſe ut ob ſeditionem contra ſe excitatam, quod alias plerumque acciderit, in hoſtis poteſtatem deveniant. Querebatur inſuper de Ruſſello, quod ab eo eſſet accuſatus, quaſi malis artibus Vliſſingam occupare ipſique eam eripere molitus eſſet. His de injuriis honeſta ſibi ratione ſatisfieri petebat, abſque dilatione, urgeri quippe neceſſitate; et reſponſum ſuae majeſtatis ad literas expoſcebat.

VII. REGINA vero de claſſe Hiſpana anxia, quae pro ſua prudentia videret, per has diſſenſiones praepotenti hoſti expeditam viam ſive ad Angliam invadendam ſive ad Belgium domandum ſterni, et ad communem hoſtem propulſandum pro tempore maxime opus eſſe concordia, peramanter ad Mauritium reſcribit Kalendis Junii, pleneque de querelis ei ſatisfecit: eodemque tempore ad Willoughbeium dat literas, quibus mandabat, ut ſe ad Ordinum voluntatem accommodaret, operamque diligentem daret, ut [e] Narda, Medenblika, Campovera et Armuida, ad officium reducerentur, morigeraſque ſe deinceps magiſtratui et Ordinum decretis praeberent. Ejuſdem argumenti literae a regina ad [f] Killegraeum, Ruſſellum, et alios miſſae, cum verborum quadam acerbitate; additiſque minis moniti illi, ne deinceps in aequitate juxta foedus cum Ordinibus ſervanda peccarent, aut ſibi non praedictum dicerent; ut

INTERPR. [a] *le conſeiller Valcke.* [b] *Fleſſingue.* [c] *ceux d'Utrecht.* [d] *Gertruydenberg.* [e] *Naerden, Medenblick, Campveer, & Arnemuyden.* [f] *Killegrew & Ruſſel.*

ut eam, ſuorum miniſtrorum inſolentia ac contumacia offenſam, Ordinibus de injuriis praeteritis ſatisfieri, et ab illis in poſterum abſtineri, cupere appareret. Secundum haec Willoughbeius Campoveram venit XII Kalendas Quintileis, et exſoluta praeſidiariis grandi pecunia oppidanos cum Ordinibus reconciliavit, dimiſſo [a] Mandemacero Ordinum quaeſtore, qui paulo ante ad ipſos miſſus injurioſe in carcerem conjectus fuerat. Ordines, oppido poteſtatis ſuae facto, mox praeſidiarios dimittunt, et ducibus eorum imperium abrogant. Ita turbae internae utcunque pro tempore compoſitae; ac ne poſtea, Leiceſtrii mandatorum, quae paſſim praeſidiarii ac ſeditioſi cauſabantur, praetextu, novi motus exorirentur, Ordines inſtrumentum a Leiceſtrio ante aliquot menſeis confectum, quo delatam Belgicarum provinciarum adminiſtrationem a ſe abdicabat, ubique publice promulgari curarunt. Diverſa parte antea, IV Kalendas Martias, Daventriae et vicinorum locorum praeſidiarii tempeſtatis beneficio uſi, cum aquae paſſim gelu ſtarent, aſſeribus per glaciem ſtratis et ſcalis admotis noctu [b] Hattemum oppidum in Friſia tentaverunt. Jamque primi in moenia enixi ac oppidum ingreſſi victoriam inclamabant; cum ceteri, qui ſequebantur, globo tam conferto incubuerunt, ut glaciem nimio ſuo pondere fregerint; quo caſu plerique, conatu irrito, aquis hauſti perierunt. Nec felicior ſucceſſus fuit claſſis a Verdugo Friſiae praefecto [c] Delfezielae, ad Amaſanum aeſtuarium, juxta [d] Groeningam inſtructae, ut naves praetereunteis ſpoliaret, et in omnem eventum advenienti Hiſpanae claſſi hunc portum ſervaret: nam naves ad id paratae, cum principe claſſe, ſive adverſis ventis quaſſatae, ſive ab hoſtili impreſſione itidem diſſipatae ſunt.

CIƆIƆLXXXVIII

HENRICUS III.

VIII. JAMQUE ingens illa tot annorum ac ſumptuum claſſis Hiſpana in itinere, atque adeo in Belgii et Angliae conſpectu, erat; quae IV Kalend. Jun. portu [e] Oliſſiponenſi ſolvens, [f] Coronae portum in Galecia primum tenuit, moxque foeda tempeſtate ita jactata eſt ac diſperſa, ut, ſedata ea, vix ex omni numero XXC circa [g] praetoriam comparerent; ad quas paulatim ceterae ſe applicarunt, VIII exceptis, quae malos amiſerant. In claſſe numeratae ſunt omnis generis naves CL egregie inſtructae; X [h] magnae onerariae naves a Luſitania ſuppeditatae, et II minores, quas vulgo [i] Aſſabras vocant; in quibus erant CIƆ CCC nautae, III CIƆ et CCC bellatores, CCCL majora tormenta, cum reliquo apparatu. Ex Cantabriae duabus provinciis XX item magnae onerariae naves ſuppeditatae ſunt; ex Biſcaia, quae vulgo dicitur, X, quibus praeerat Jo. Martines [k] Ricaldus; IV celeres, quae [l] Pataſſae dicuntur, et in iis IƆ CC nautae, II CIƆ bellatores, CCL tormenta bellica; totidem duce Michaele Oquendo ex Vipuſcoa: quae nomina Biſcaiae et Vipuſcoae a priſcis Vaſconibus profecta ſunt. His acceſſerunt ex Baetica itidem X majores onerariae, I minor, duce Petro Valdeſio; quibus IƆ CCC nautae, bis mille CCCC bellatores, CCXXC machinae bellicae vehebantur: totidem ab Italia et inſulis Italiae profectae duce Martino Bartendona. Ex Caſtella venerunt XIV onerariae magnae naves, II minores, cum CIƆ IƆ CC nautis, III CIƆ et CC armatis, et CCCXXC machinis, quibus praeerat Didacus Flores Valdeſius. Pataſſae et Aſſabrae vulgo dictae XXII fuerunt, cum IƆ LXXIV militibus, CCCCXXCVIII nautis, et CXCIII tormentis, quas ducebat Antonius Hurtadus Mendoza: [m] Olcades praeterea Germanicae majores XXV, duce Joanne Lupo Medina, cum IƆCC nautis, III CIƆ et CC militibus, et CCCCX machinis; ac praeter eas XX minores, quas Caravellas vocant, quae remis aguntur, et aliis majoribus ad omnia inſerviunt. Inſuper ad tantam claſſem acceſſerunt et [n] triremes majores ex regno Neapolitano IV, duce Hugone Moncada, quarum remigium CIƆ CC ſervis revinctis conſtabat;

INTERPR. [a] *Mandemaker treſorier.* [b] *Hattem.* [c] *Delfziel à l'embouchure de la riviere d'Ems.* [d] *Groningue.* [e] *de Lisbone.* [f] *Coruña en Gallice.* [g] *l'Amirale.* [h] *Galions.* [i] *Zabras.* [k] *Recalde.* [l] *Pataches.* [m] *Hourques.* [n] *Galeaſſes.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III. conſtabat; iiſque CCCCLX nautae, IↃCCC bellatores, CC tormenta bellica portabantur: ex Luſitania totidem, duce Didaco Mendrana, quarum remigium IↃCCCXXCVIII erat, cum CCCLX nautis, IↃ militibus, XX machinis. Ex iis una, foeda illa tempeſtate diu conflictata, vix in portum evaſit: tres reliquae in [a] Boiatum promontorium disjectae, ſoluto forte mancipio Anglo, cui Davidi [b] Gwino nomen, qui Turcica aliquot et Gallica, ut ſibi praeſto eſſent, mox catenis exuit, non jam cum hoſte externo, quem quaerebant, ſed ſibi cum ſuis rem eſſe ſenſerunt; principio ab una ex tribus pugnae facto, quae reliquas duas tandem ſuperavit, occiſis praefectis ac militibus et ipſo Didaco Mendrana ſummo duce. Quo facto victores in Galliam cum triremibus appellentes, terrae Franciae praerogativa ſe in libertatem vindicarunt. In ſumma numerus nautarum fuit VIII CIↃ, militum XX CIↃ, praeter nobileis ac ſpontaneos: nam vix ulla alicujus nominis familia in Hiſpania extitit, quae in ea claſſe filium, fratrem, aut conſanguineum, non haberet. Machinae ex aere fuſili CIↃIↃC, ex ferro CIↃ L, numeratae ſunt. Naves autem illae onerariae tantae erant magnitudinis, ut CIↃCC amphorarum capaces eſſent, ſpeciem arcis praeferentes, ſumma craſſitudine ac firmitate, ita ut [c] labra ſuperiora, ex quibus pugnatur, ictibus duplicis ſcloppeti ferendis ſufficerent; potius ad defenſionem quam ad oppugnationem habiles, quippe quae, propter molis immanitatem, non in quamvis partem, ut Anglicae ac Belgicae, facile circumagi ac converti poſſent. Inferiores vero partes ſpiſſo tabulamento tectae erant, ut tutae adverſus tormentorum eminus diſploſorum ictus eſſent: quod poſtea apparuit, cum bona pars globorum compactis illis trabibus adhuc haerere deprehenſa eſt. Mali item navium veſtiri erant craſſis et pice induratis rudentibus adverſus tormentorum ictus. Conſimiliter [d] majores triremes tanta mole erant, ut cameras, ſacella, turriculas, ſuggeſta, aliaſque lautiorum domorum commoditates, in ſe continerent, et CCC fere vinctorum mancipiorum remigio agebantur. Nec minor in apparatu bellico et commeatu copia erat; globorum ad tormenta pertinentium CIↃCC millia, pulveris nitroſi V CIↃIↃC centena pondo, plumbi ad neceſſarios uſus CIↃ centena pondo, funiculi igniarii ad incendendas machinas CIↃCC centena pondo, ſcloppetorum duplicium ac ſimplicium VII CIↃ, bipennium, ſariſſarum, haſtarum, et hujuſmodi ſtatariae pugnae armorum, X CIↃ; item ligonum, marrarum, corbium, rotarum vehiculorum, curruum, ac ſimilium inſtrumentorum, ad onera terra comportanda, equorum item et mulorum, infinitus numerus. Commeatus denique ingens copia portabatur: nam praeter piſceis, oryzam, fabas, piſa, uvas paſſas, oleum, acetum, et ejuſmodi, panis biſcocti ſeu buccellati centies millies centena pondo, caſei III CIↃ, lardi VI CIↃ IↃ centena pondo erant; vini CXLVII CIↃ, aquae dulcis XII CIↃ ſeriae: et, ratione diligenter putata, in ſingulos menſeis ſingulis hominibus buccellati L pondo attributis, commeatus in VI menſeis ſuperabat. Legionum V, quae claſſe vehebantur, et ſingulae XXXII cohortibus conſtabant, tribuni erant [e] Didacus Pimentellus, Franciſcus Toletus, Alfonſus Luſo, Nicolaus Inſulanus, Auguſtinus Mexia; ad quas accedebant multae Caſtellenſium et Luſitanorum cohortes, IV ſpontaneae, ducibus Joanne Luna, Vaſco Mendoza, Antonio Silva, [f] Dominico Chumazero; III, quibus praeerat Joannes Guſmanus, ducibus Roderico Alvaro Benavida, Lupo [g] Vaſque, et Baltaſare Salto. Cumque nulli mulieres ſeu meretrices claſſe vehere liceret, foeminae quaſdam naveis conduxerant, quibus claſſem ſequebantur; ex iiſque quaedam tempeſtate ad litora Galliae disjectae ſunt. Tantae claſſis delectus ſummus imperator, nam [h] Alvarus Baſſanus *S.* Crucis marchio

INTERPR. [a] *Cap de Buch en coſte de Medoc.* [b] *Gwin.* [c] *les deffenſes ſur le haut des navires.* [d] *les galeaſſes.* [e] *les meſtres de camp Diego Pimentel, Fr. de Tolede, Alonſo de Luçon, Nic. de Iſla.* [f] *Domingo Sanchez Chumazero.* [g] *Vaſquez, & Beltran de Salto.* [h] *Alvaro de Baçan marquis de Santa Cruz.*

marchio ſub id obierat, Ludovicus Peres Guſmanus Medinae Sidoniae dux, ſplendore natalium et amplitudine opum, quam uſu rerum aut ſcientia militari, major; huicque vicarius attributus Jo. Martines [a] Ricaldus, et ſummus caſtrorum praefectus Franciſcus Bovadilla. Ne quid et ad opinionem religionis, cujus ſolius cauſa ſuſceptam expeditionem credi volebant Hiſpani, deeſſet, ſacroſancti officii, ſic illi vocant, quod vulgus inquiſitionem, vicarius generalis claſſe vehebatur; eoque fungebatur munere Martinus Alarco, qui plus C ex Capucinorum et Jeſuitarum patrum ſodalitiis, et quatuor ordinum mendicantium collegiis, circa ſe ſacerdotes habebat. Conditum et a pontifice diploma, quod, ſimul ac claſſiarii milites in terram Angliam exſcenſionem feciſſent, promulgari debebat: ob idque Gulielmus Alanus Lancaſtrenſis theologus, qui [b] Duaci et poſtea Durocortori Remorum in ſeminario diu profeſſus fuerat, proximo menſe Sextili in collegium cardinalium cooptatus, in Belgium procedere juſſus fuerat, ut inde poſt Hiſpanorum appulſum in inſulam trajiceret, et legati pontificii vice in religionis rebus inſtaurandis cum plena poteſtate fungeretur.

IX. DIPLOMATE autem illo pontifex, pro poteſtate a Deo ſibi legitima eccleſiae Catholicae ſucceſſione in omneis delata, ob defectionem Henrici VIII, qui ſe ſuoſque a communione Chriſtianorum vi ſequeſtravit, ab Edvardo longius promotam, et ab Eliſabetha, quae in eadem rebellione et uſurpatione pertinacem et minime poenitentem ſe praebens, magna vicinorum principum ac populorum offenſione ac periculo, perſeveret, continuatam, aſſiduis plurimorum hortatibus et Anglorum ipſorum ſupplicibus precibus incitatus, apud diverſos principes, ac praecipue praepotentem Hiſpanorum regem, diligenter egiſſe dicit, auxiliumque imploraſſe, ut vireis omneis ab omnipotente Deo datas in id conferret, quo foemina illa de gradu dejiceretur, eique in regno faventes homines pernicioſi pro ſcelerum gravitate punirentur, et regnum, cujus ſalus ad univerſam rem Chriſtianam pertineret, inſtaurata religione, priſtinae quieti reſtitueretur. Tum cauſae additae, ob quas denuo cum foemina hac tam ſevere actum eſſet: quod videlicet ſciſſurae cauſam ſectaria pravitate dederit, ob id a deceſſoribus papis eccleſiae communione ſummota: quod contra omnia jura divina et humana auctoritatem ac juriſdictionem in rebus ſacris ſibi ſumpſerit: quod regnum contra jus omne uſurpet, abolita veteris contractus inter ſanctam ſedem et regnum Angliae initi temporibus Henrici II ob caedem S. Thomae Cantuarienſis religione: item ob crebras injurias, vexationes violentas, ab ipſa et aliis ejus permiſſu in homines innocenteis perpetratas; ob ſeditiones ac rebelliones inter vicinarum provinciarum populos contra legitimum magiſtratum ac principem excitatas; ob hoſpitium datum transfugis, ſectariis, rebellibus, facinoroſis, aliiſque publicis maleficis, eorumque patrocinium magno Chriſtianorum opprobrio ac detrimento ſuſceptum: ob accerſitum ac concitatum praepotentem Chriſtiani nominis hoſtem Turcum: ob indeſinentem contra ſanctos Dei epiſcopos crudelitatem, et male habitos, ſpoliatos, carceri mancipatos, variiſque tormentis ſubjectos ſacerdotes: ob inhumanam et iniquam captivitatem, et inſolenti more captum de Maria Scotorum regina, quae ſupplex accepta fide in Angliam confugerat, ſupplicium: ob exturbatam antiquam religionem. Et, ut etiam quantum ad civilem adminiſtrationem in regna ac ditiones alienas jus coercitionis ſanctae ſedi competere oſtenderetur, crimini Eliſabethae datum, quod, rejecta antiqua nobilitate, homines novos, obſcuros, et indignos, ad dignitates tam ſacras quam civileis provexiſſet, et, confuſo omni divino et humano jure, foediſſimam munerum publicorum nundinationem hac ratione inſtituiſſet. Ob quas et alias cauſas, plenius in Pii V et Gregorii XIII diplomatis

INTERPR. [a] *de Recalde.* [b] *Douay & Reims.*

CIƆ IƆ LXXXVIII

HENRICUS III.

diplomatis expreſſas, Sixtus eam denuo proſcribebat, omnemque regiam dignitatem, titulos, ac jura in Angliae et Hiberniae regna competentia, proſcriptae adimebat, illegitimam ipſam et regnorum horum vere uſurpatricem declarans, ſubditis ejus a fidei et obſequii jurejurando abſolutis. Tum omneis, cujuſque conditionis eſſent, iram omnipotentis Dei, ni parerent, aliter incurſuris interminatus, obteſtabatur, ne, ubi mandati hujus notitiam habuerint, ulla ope, favore, auxilio, gratia, proſcriptam reginam juvent, ſed in id omneis vireis ſuas ultra conferant, ut dignum ſupplicium de illa ſumi poſſit. Mandabat inſuper omnibus horum regnorum incolis, ut mandata haec diligenter exequerentur, et, ſimul ac de claſſis adventu certiores fierent, Hiſpanorum exercitui vireis ſuas jungant, et Parmenſi, qui ſummo cum imperio a Philippo, cujus auſpiciis expeditio ſuſcipitur, ei praepoſitus ſit, ad omnia obediant; fide data, ut nihil de regnorum antiquis legibus, conſuetudinibus, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, niſi ex ſuae majeſtatis et Ordinum concordi decreto, immutetur aut detrahatur: ſed quae ad inſtaurationem antiquae religionis et foeminae hujus abdicationem, controverſiaſque ex ea orituras, pertinent, amice componantur, et juxta leges ac Chriſtianam aequitatem ſine ullius damno et injuria decidantur, Catholicis ab omni injuria ac direptione tutis, et aliis praeterea, qui poenitentia facta ad Parmenſis partes ultro ſe applicabunt. Propoſita praeterea praemia luculenta iis qui in foeminam proſcriptam manum injicerent, eam caperent, et Catholicae parti ad ſumendum de ea ſupplicium traderent. Pro clauſula ſolemni pontifex ex eccleſiae promptuario, fidei ſuae ac diſpenſationi credito, opes depromit, et plenam delictorum omnium iis qui huic expeditioni nomen darent gratiam facit. Conventum in arcano, ut Philippus regnum ad eccleſiae obedientiam redactum, tanquam ſanctae ſedis beneficiarium, juxta contractus ab Ina, Henrico II, et Joanne initi et renovati leges, a pontifice cum titulo defenſoris fidei acciperet.

X. NEC ceſſabat interim Parmenſis, rebus in Belgio ad claſſem excipiendam neceſſariis magna diligentia comparatis. Nam in rivulo [a] Watenenſi LXX [b] planas carinas conſtrui juſſerat, quarum ſingulae XXX equos veherent, aptatis ad eas pontibus, quibus equi commode in naveis ingredi et ex iis educi poſſent. Pleraeque ex iis duas continebant fornaces ad pinſendum panem, magnamque ſellarum, fraenorum, et apparatus equeſtris copiam habebant; equis etiam magno numero in eas impoſitis, qui, ubi in terram exſcendiſſent, machinis trahendis ac ceteris ad rem tormentariam neceſſariis oneribus convehendis inſervirent. Ejuſmodi formae aliae CC naves [c] Neoporti collectae, ſed minores: [d] Dunkerkae item XVIII naveis collegerat, nautaſque Hamburgo, [e] Brema, Emda, ſtudioſe conduci curaverat; magna trabium copia in eas impoſita, quae inferiori parte acuminatae, ferrea cuſpide in imo munitae, a latere falcatae et aduncae erant, ut connecti poſſent. Poſtremo Gravelingae XX CIↃ vaſorum paraverat, quae brevi tempore clavis compingi et funibus colligari ad pontis uſum poſſent. Tum quicquid ad ſtruendos pontes, portuumque aditus ſtipitibus palis aliiſque rebus obturandos, requiruntur, parari juſſerat, magna faſciculorum ligneorum congerie ad Neoportum ad vallum exſtruendum comportata. Navibus ita inſtructis foſſas in [f] Pleumoſiis excavari curaverat, interque alias [g] Hiprenſem canalem, magna foſſorum diligentia feſtinato opere, ut illac naveis [h] Antuerpia et Gandavo [i] Brugas traduceret; plus C minoribus navibus paratis, quas commeatu oneratas via Sluſenſi vel per Hiprenſem canalem in mare perducere ſtatuerat. Praeterea circa Neoportum copias diſtribuerat, quibus Camillum [k] Montanum ſummum caſtrorum praefectum praepoſuerat: eae erant XXX cohortes Italorum, X [l] Gallobelgarum,

VIII

INTERPR. [a] *riviere de Watenes.* [b] *batteaux à fonds plat.* [c] *Nieuport.* [d] *Dunquerque.* [e] *Breme & Embden.* [f] *Flandre.* [g] *le canal d'Ypres.* [h] *Anvers & Gand.* [i] *Bruges.* [k] *del Monte.* [l] *Wallons.*

VIII Scotorum, totidem [a] Sequanorum; quarum ſingulae C armatis conſtabant. Prope [b] Dixmundam et recenſitae XXC Belgicae, LX Hiſpanicae, VI Germanicae, et VII Anglicae cohortes. Anglis praeerat Willelmus [c] Stanleius, qui nuper, [d] Daventria hoſti prodita, ad Hiſpanos transfugerat.

XI. ELISABETHA etſi, ſaepius a rege monita ut ſibi caveret, tantam belli molem a Philippo parari contra ſe minime ignoraret, tamen, ſpe de colloquio, quod Hiſpani, ut magis fallerent, cum Anglis inſtituerant, concepta, in apparatibus ſuis ſegnior fuerat. Majores naves, quae numero C erant, ad occidentalem regni partem deſtinatae, [e] Plimoutham ire juſſae, praepoſito eis Carolo Howardo ſummo maris praefecto, Thomae Norfolciae ducis triumpho de Scotis olim parto clari, et e priſcis Plantagenetis, qui per CCCC annos in Anglia feliciter rerum potiti ſunt, oriundi, nepote: huic adjunctus vicarius, diſpar longe natalibus, ob rei maritimae peritiam Franciſcus Dracus. Minores naves, numero circiter L, fretum ob anguſtiam procellis infame, quod [f] Doveram et Iccium in Caletis portum interjacet, inſidere juſſae, duce Henrico [g] Seimoro, [h] Somerſeti ducis nefaria olim [i] Northumbriae ducis fraude ſupplicio affecti filio. Tum delectus tota inſula habiti; et, quia rumor erat, Hiſpanos, ubi ſe Parmenſi junxiſſent, per Tameſis aeſtuarium iter capturos, ad [k] Tilburiam in Eſſexienſi provincia, e regione [l] Graveſendae, caſtra locata ſunt, et, ex conſilio Friderici [m] Junebellii Mantuani architecti harum rerum peritiſſimi, exſtructae ab utraque fluminis ripa locis idoneis munitiones, navibus aliquot ad pontem exſtruendum eo ſubductis: quibus ſero inchoatis, quo amiſſi temporis jactura diligentia ſarciretur, regina praeſens intererat, quaſi Thomyris altera, militari paludamento plerumque inſignis; quae non ſolum militi, ſed etiam operis, animos ad munitiones feſtinandas faciebat. Alii aliis locis per inſulam exercitus imperati. Suſpecti ex proceribus [1] et aliis in [n] Elienſem et Wisbichienſem provincias magis paluſtreis et inacceſſas ſepoſiti. Ii vulgo Recuſantes vocati, quod confeſſioni in regno receptae ſubſcribere recuſent: quibus tamen ad plebis offenſionem vitandam ex comitiali ſtatuto injungitur, ut ſtatis anni temporibus rei divinae ſecundum ritus receptos peragendae interſint; quod ni faciant, mulcta XX librarum Anglicarum recuſantibus irrogatur; et ita liberi dimittuntur, modo ne ſacrificio aut aliis ritibus a Romana eccleſia receptis participent. Foederatarum quoque provinciarum Ordines periculum ſive proprium, ſive reginae, quod cum ipſis conjunctum erat, minime neglexerunt. Cumque intelligerent naveis Hiſpanas vaſtae magnitudinis, vadoſo fere ubique illo freto, inutileis fore, multoque magis a navibus planis a Parmenſi paratis ſibi metuerent, naveis ejuſdem formae undique colligunt, et ſummam claſſem, quae erat XC navium, inſtruunt; eamque ita diſtribuunt, ut omneis portus, ducto a [o] Scaldis aeſtuario ſive [p] Lilloa initio, ad [q] Gravelingam uſque, atque adeo Iccium portum in Caletis, inſiderent, et quo minus Parmenſis claſſem in mare perduceret prohiberent. Eodem tempore maritimas omneis urbeis, quas tenebant, firmo praeſidio muniunt. In adventum claſſis hoſtilis XXV naves egregie armatae et expeditae miſſae duce [r] Lonkio, additis mandatis, ut Henrico Seimoro Anglicae claſſis propraefecto inter Iccium portum et Doveram ſtationem habenti ſe conjungeret. Zelandiae inſulas cum XXXV navibus tuendas ſuſceperat Juſtinus Naſſovius maris praefectus. His navibus omni re inſtructiſſimis impoſiti CIↃ CC milites duplicibus ſcloppetis armati; quorum opera ac diligentia Scaldis oſtium obſeſſum tenuit Naſſovius, ut ab ea parte Parmenſis nihil moliri potuerit.

XII. INTEREA

INTERPR. [a] *Franc-comtois.* [b] *Dixmuyden.* [c] *Stanley.* [d] *Deventer.* [e] *Plimouth.* [f] *Douvres & Calais.* [g] *Seimour.* [h] *Somerſet.* [i] *Northumberland.* [k] *Tilbury en Eſſex.* [l] *Graveſend.* [m] *Jenibelli, Mantouan.* [n] *l'Iſle d'Ely & la ville de Wisbich.* [o] *l'Eſcault.* [p] *Lillo.* [q] *Gravelines.* [r] *Lonçk.*

NOT. [1] *lege* et aliis ad Wisbecham in paluſtri regione ſepoſiti. *Camd.*

CIƆIƆLXXXVIII

HENRICUS III.

XII. INTEREA claſſis Hiſpana, foedae tempeſtatis incommodis defuncta, poſt aliquot dierum ad [a] Coronam Galiciae portum quietem, cum ſe rurſus mari commiſiſſet, fretum [b] Anglicanum ingreſſa eſt IV Kalendas Sextileis: quo eodem die Carolus Howardus hora quarta pomeridiana [c] Plimoutha ſolvit, cum diu in incerto fuiſſet, quod iter claſſis hoſtilis captura eſſet. Poſtridie ſub meridiem eam obviam habuit, [d] Auſtro-africo recta Plimoutham tendentem. Peritorum judicio conſtat, longe pernicioſiſſimo errore in eo peccatum ab Hiſpanis eſſe, quod iter inceptum minime perſecuti ſint; contraria mandata cauſante [e] Sidonio, qui ſibi in mandatis a Philippo datum dicebat, ut, omni alio conſilio omiſſo, ſe cum tota claſſe cum Parmenſi quamprimum conjungeret; melius utique facturus, ſi Plimoutham portum commodiſſimum tenuiſſet, ex quo facilius Anglorum potentiam explorare, voluntates vulgi rimari, diſcordiae inter Anglos excitandae ſignum dare, potuiſſet; ita ut omnem belli vim eo converti neceſſe fuiſſet, patefacta interim ad commodiorem egreſſum Parmenſi via, imparatis tunc primum Anglis, et propriarum virium fiducia de claſſis Hiſpanae conditione ſecuris. Severa illa adeo ac reſtricta mandata rei navalis peritiores maxime improbabant, et inprimis Jo. Martines [f] Ricaldus et Didacus Flores Valdeſius; et imprudenter factum dicebant, ut ſicut in expeditionibus terreſtribus, ubi tamen ob belli incerta liberum ſummo imperatori relinqui debet, ut conſilia ad ſubita et pro variis eventibus flectat et accommodet, ſic in maritimis tam reſtricte itineris et rei peragendae ratio praeſcriberetur, quam imperator nullo pacto, vel extrema neceſſitate urgente, tranſilire poſſet: nam maxime eſſe fortuitorum capax mare, et multa in eo concurrere debere, opportunitatem venti, coeli, temporis, fluxus ac refluxus; ſaepe etiam tenebrarum, lucis, et locorum profunditatis, ut intendendi curſus et appellendae claſſis commoditas ac ſecuritas quaeratur, rationem habendam eſſe. Hiſpani, [1] anchoris ad Vectim primum jactis, ſtatim Plimoutham praeternavigarunt; quos inſecutae naves Anglicae, ut minores ſic expeditiores, antevertunt, et magna vi adortae crebris tormentorum ictibus petierunt. Mirati agilitatem navium hoſtilium Hiſpani, quae ad pugnandi occaſiones contra Hiſpanas ob vaſtitatem immobileis ſuarum celeritate circumagebantur, vela majora demittunt, et minoribus uti ſtatuerunt, aciemque forma ſemilunae inſtruunt. Ibi acriter pugnatum pridie Kalendas Sextileis; et in arctum coacta claſſe, major navis [g] Hiſpalenſis, qua Petrus Valdeſius cum Vaſco Silva et Alfonſo [h] Saia vehebatur, malum ex violenta proximae navis colliſione fregit; eoque tardior facta reliquam claſſem recedentem aſſequi non potuit. Eam cum milite ac nautis vacuam putaret Howardus, contemptim praetervectus eſt, aſſumptiſque quas potuit ſecum navibus alacriter in hoſtem curſum intendit, ne ea nocte recedentis claſſis conſpectum amitteret; nam [i] Dracus alio curſum intenderat, cui funalis accendendi ac praeferendi ea nocte cura commiſſa erat: quod cum nuſquam conſpiceret Howardus, Hiſpanorum lucernam tota ea nocte pro Anglica ſecutus eſt, ac mane ſe inter medios hoſteis verſari videns, vix ſe celeritate navium ſuarum fretus periculo tanto extricavit, Hugone Moncata fruſtra precibus a Sidonio contendente, ut ſibi cum Howardo manus conſerere liceret; quod ille contraria imperia cauſatus nunquam concedere voluit. Poſtridie Dracus, qui ea nocte ad inſequendas quaſdam Germanicas naveis, quae ſe ab Hiſpana claſſe ſeparaverant, profectus deerraverat, ad claſſem rediens obviam Valdeſianam navem habuit: intellectoque Valdeſium adhuc cum CCCCL armatis in ea eſſe, deditionem imperavit. Valdeſius initio decoris cauſa conditiones petebat: ſed Draco reſpondente, ſibi contrahendi otium non eſſe; ſi ſe dederet, humanum et clementem

INTERPR. [a] *la Coruña port de Gallice.* [b] *la Manche d'Angleterre.* [c] *Plimouth.* [d] *vent de Sud-Oueſt.* [e] *le duc de Medina-Sidonia.* [f] *de Recalde & Diego Florez de Valdez.* [g] *le galion de Seville.* [h] *de Zayas.* [i] *Drake.*

NOT. [1] anchoris ad Vectim primum jactis *delenda cenſemus.*

clementem victorem experturum, ſin ſecus, animum ad extrema pugnae obſtinaret; eo reſponſo accepto Valdeſius, cognitoquè ſibi cum Draco rem eſſe, deditionem fecit, et cum L circiter e nobilitate navi ſua egreſſus in Dracianam tranſiit, ſupra ſpem perhumaniter ab Anglo exceptus. Pars gazae regiae Valdeſiana nave vehebatur, et L ducatorum CIↃ in ea reperta ſunt, mox inter milites victores diſtributa. Valdeſius cum ſuis in Angliam ſub cuſtodia captivus amandatur. Eodem die et aliud grave damnum claſſi Hiſpanae illatum eſt ab incendio, quo praetoria [a] Michaelis Oquendi correpta eſt, ſuperiore omni parte ambuſta, ſed inferiori, in quo nitratus pulvis ſervabatur, ſalva. Navis, pleriſque militibus ac nautis igni conſumptis, in poteſtatem Anglorum citra certamen venit, in Angliam cum ſemiuſtis captivis abducta. Demum IV Non. Sextil. ventus ab aquilone flare coepit; quo ſecundo uſi Hiſpani impreſſionem faciunt: verum Angli, levioribus navibus expeditiores, venti praerogativam, converſis proris, rurſus Hiſpanis eripuerunt. Primo res tormentis acta, quae crebriora ab Anglis explodebantur. Mox Hiſpani claſſem in arctum contrahunt, ad defenſionem, ut apparebat, potius quam ad oppugnationem ſe parantes; eoque conſilio, ſicuti poſtea intellectum eſt, ut Dunkerkam peterent, ibique ſe cum Parmenſi, quem crebris nunciis antea, ut eo veniret, monuerant, integros adhuc conjungerent. In eo conflictu obſtinate pugnatum fuit, magnaque Georgii [b] Fenneri viri proeliis maritimis ſpectati virtus exſtitit, qui magnam [c] navem Venetam cum aliquot minoribus tandem expugnavit. Interea ad rei famam plerique e proceribus Angliae ad claſſem venerant, [d] Oxoniae, Northumbriae, et Cumberlandiae comites, Thomas et Robertus [e] Cecilii, Willelmus [f] Hattonus, Walterus [g] Raleighus, [h] Henricus Brookus, Robertus Carius, Carolus Bluntus, Ambroſius Willoughbeius, Henricus Noelus, Thomas Gerardus, Henricus Dudleius, Edvardus Darcius Angli; Horatius [i] Pallavicinus Genuenſis patricius, qui, ob religionem patria exulans, ad Eliſabetham perfugium habuerat. Horum adventu aucta claſſis magno navium numero, ſed minorum quam ut Hiſpanas vaſtae magnitudinis oppugnare poſſent, exceptis XXII, quae reginae erant, quibus XI CIↃ ſeu militum ſeu nautarum circiter portabantur; quae ſolae ſpecie ſua de reliqua claſſe Anglica magnam opinionem Hiſpanis reliquerunt. Poſtridie placido mari inter triremeis majores et Anglos eminus velitaribus pugnis certatum: quo eodem die deliberatum eſt de claſſe Anglica dividenda, ita ut pars major penes [k] Howardum maneret, parti ſecundae Dracus, tertiae Joan. [l] Hawkinſus, quartae Martinus [m] Frobiſherus, ſpectati belli duces, praeeſſent. Verum id exitu caruit: nam cum die inſequenti Hiſpani jam in [n] Vectis inſulae conſpectu eſſent, et inter navigandum ordines accurate ſervarent, ternis quaterniſve navibus ſemper propemodum incedentibus et ſe mutuo inſequentibus, quarum latera majores naves claudebant, utendum occaſione ratus Howardus cum [o] Leone cui praeerat Thomas Howardus gentilis, Eliſabetha quam Robertus [p] Southwellus eques, Urſo quam Edmondus [q] Sheffeildius regulus, Victoria quam Joannes Darcius, [r] Leiceſtria quam Georgius Fennerus, ducebant, magna vi Jo. Martinem [s] Ricaldum in media ſua claſſe adoritur. Inde totis navibus concurritur, horrenda utrinque tormentorum ejaculatione facta, quippe CL paſſuum tantum interſtitio, tormentis in mutuam perniciem diſploſis: tandem Hiſpani cedentes vela ſuſtulerunt. Frobiſherus magnam fortis et prudentis ducis ea die laudem meruit, cum, in medios hoſteis non ſine ingenti periculo provectus, ſe in tempore pugnae ſubduxiſſet; ob id poſtridie balteo equeſtri ab Howardo

CIↃIↃLXXXVIII

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *don Miguel de Oquendo.* [b] *Fenner.* [c] *galeaſſe.* [d] *d'Oxford, Northumberland & Cumberland.* [e] *Cecil, fils de Milord Burghley.* [f] *Hatton.* [g] *Raleigh.* [h] *H. Brooke, R. Cary, Ch. Blunt, Amb. Willoughby, Hen. Noel, T. Gerard, H. Dudley, Edw. Darcy.* [i] *Pallavicino de Genes.* [k] *Charles Howard amiral.* [l] *Hawkins.* [m] *Frobiſher.* [n] *Wight.* [o] *le vaiſſeau nommé le Lion d'Or.* [p] *Southwell.* [q] *le baron de Sheffield.* [r] *le Leiceſter.* [s] *de Recalde.*

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

Howardo donatus: quo eodem honore Thomas Howardus, Sheffeildius, et Hawkinſus ob rem bene geſtam affecti ſunt. Inde Hiſpani [a] Doveram praetervecti retro [b] Caletum deflexerunt, et Dunkerkam verſus iter intenderunt, cum Parmenſi ſe conjuncturi; quos Angli inſequentes intra tormenti jactum anchoras jecerunt: atque ibi Henricus [c] Seimorus, qui ad promontorium Tameſis hactenus ſtationem habuerat, cum claſſe ſua XX navium ſe cum Howardo conjunxit. Interea Parmenſis a [d] Sidonio miſſis aliis ſuper alios nunciis monitus, votis in itinere [e] B. Mariae Hallenſi nuncupatis, cum Brugas VII Eid. Sextil. praefeſtinans veniſſet, biduo poſt Dunkerkam ſub meridiem ingreſſus eſt, cum jam omnis claſſis Hiſpana praetervecta eſſet; nulla ex Parmenſis navibus obviam progredi auſa, quippe infeſto a Zelandica claſſe, cui Juſtinus [f] Naſſovius cum delectis praeerat, ubique exitu. Sed, quantacunque uſus fuiſſet diligentia Parmenſis, nondum copiae militares omnes ad naveis conſcendendas convenerant, et rari nautae comparebant, ita ut multi in dies a ſignis diffugerent: tantum IↃCC Angli transfugae duce Willelmo [g] Stanleio naveis paratas conſcenderunt, ſive decus ſive commodum ex prima in inſulam exſcenſione aucupantes. Sic autem ſibi perſuaſerant Hiſpani, ad ingentis claſſis conſpectum territos Anglos eam minime adoriri auſuros, quippe qui longe minorem et infirmiorem claſſem haberent, ſed ſatis habituros ſi hoſtem eminus circumnavigando obſervarent: interea, in hoſte obſervando occupatis Anglis, Parmenſem cum ſua planorum navigiorum claſſe, et cum impoſito in eam recenti milite, citra negotium ad Tameſis aeſtuarium perrupturum, et expoſitas copias Londino admoturum, urbem magnam ac frequentem, ſed ubique apertam; in qua plebs, otio mollis et belli deſuetudine fere effoeminata, ad primum ſtrepitum ac denunciationem deditionem factura eſſet, annitentibus pleriſque, qui, majorum religioni addicti et recenti in Mariam Scotorum reginam crudelitate efferati, ultionem quaerebant.

XIII. SED biduo illo ſolo, quo Parmenſis Brugis Dunkerkam venit, res admodum mutavere. Nam cum Hiſpana claſſis in Gallici litoris conſpectu in anchoris ſtaret, nuncios ad Parmenſem miſſos opperiens, Howardus ex Draci conſilio VIII naveis jam quaſſatas et alioqui inutileis ex omni numero ſeligit; ſublatiſque quae alicujus pretii in iis erant, pulvere nitrato, pice ſulfurata, et omni ad incendium alendum et excitandum materia, implet, et machinas jam corruptas pulvere nitroſo, ſaxis, clavis, ac catenis ferreis onuſtas in eas imponit. Ita naveis vento et aeſtu ſecundo in mediam claſſem hoſtilem ope hominum ad id delectorum impellunt, qui mox in tempore eas deſerunt, excitato in iis prius incendio: quod conſpicati Hiſpani, veritique ne quid ſimile illis, quod in obſidione Antuerpiana evenerat, imprudentibus accideret, ſumma trepidatione ſtatim rudentes anchorarum ac funeis amputant, confuſiſque ordinibus, nec exſpectato imperatoris aut ſingulorum praefectorum imperio, expanſis velis aperto ſe mari committunt. In eo tumultu ingens triremis praetoria, quae CCC mancipiorum remigio agebatur, et CCCC bellatores delectos portabat, duce Hugone [h] Moncata, alterius conjunctae navis rudentibus adeo implicata fuit, ut, dum ſe invicem extricare conantur, clavus ejus luxatus et amiſſus fuerit. Triremis amiſſo gubernaculo cum jam regi non poſſet, ad Gallicum litus, atque adeo in Caletenſis portus conſpectu, fluxu maris raptata loco vadoſo illiſit; quam minores primo Anglorum naves invadunt, Pinaſſas vulgo vocant: contra quam cum Hiſpani ſtrenue ſe defenderent, Howardus confeſtim ſcapham ſuam majorem cum C delectis, duce [i] Preſtono, eo mittit. Hujus adventu Angli ceteri audaciores pugnam omiſſam repetunt: nec Moncata ſe deſerit, ſed inter pugnandum, dum

INTERPR. [a] *Douvres.* [b] *Calais.* [c] *Seimour.* [d] *le duc de Medina-Sidonia.* [e] *Noſtre Dame de Halle.* [f] *de Naſſau.* [g] *Stanley.* [h] *de Moncada.* [i] *Preſton.*

dum inter medios verſatur, forte in capite vulnus lethale accipit; quo caſu conſternati milites, partim in mare deſilientes, partim, dum aliud effugium quaerunt, ferro caeſi, aut aquis hauſti ſunt. Antonius [a] Manrices claſſis curator cum paucis evaſit, cladiſque nuncium primus in Hiſpaniam pertulit. Direpta a victore triremis, et LCIↃ ducatorum pars gazae regiae in ea reperta. Cum Angli et mancipia ſoluta eam incendere vellent, Giraldus [b] Mauleonus Gordanus Caleti praefectus miſſo lembo prohibuit, et diſploſis aliquot tormentorum ictibus Anglos arcuit. Mancipia fere Turcica aut Africana in terra Francia receptum habuerunt, et loci praerogativa mox libertatem recuperarunt. Id VII Eid. Sextil. actum, qui dies in Dominicam incidebat. Pridie opportuna magis, multorum judicio, ad ſalutem, quam honorifica ad decus, exſcenſio ex [c] Sidonii praetoria ad [d] Iccium portum fuit Jo. [e] Levae Aſculani principis ex mari nauſeantis, (is vulgo Philippi filius putabatur) qui ita periculum evaſit, et, cum claſſem adverſis ventis repetere non poſſet, terreſtri itinere ſe ad Parmenſem contulit. Poſtridie ſucceſſum urgentes Angli ad Gravelingam, quo diſſipata claſſis ſe receperat, Hiſpanos aggrediuntur; et, crebra tormentorum diſploſione ex humilioribus navigiis facta, altiores naveis ſummopere infeſtant, raro aberrantibus ictibus; ita ut duae ingentes naves quaſſatae ac perforatae ictibus deſertae ſint, una [f] Cantabrica IↃ amphorarum, altera Caſtellenſis CCCC capax; nec non et S. Philippi navis, qua Franciſcus [g] Toletanus legionis unius e V tribunus vehebatur, malo amiſſo ad Flandriae litus delata eſt. Ipſe Toletanus, cum aliis e nobilitate, Oſtendam appulit, nave a ceteris mox deſerta, quae ab Vliſſingenſibus capta eſt. Altera ingens navis S. Matthaei nomine inſignita, qua Didacus Pimentellus Siculae legionis tribunus vehebatur, cum diu ſe ſtrenue defendiſſet, et Pimentellus, ultro ad eum miſſo a Sidonio navigio ut ſe reciperet, generoſe id recuſaſſet, tandem ad litus Flandricum impulſus, et poſt obſtinatum certamen XL ex ſuis amiſſis ſe dedidit [h] Petro Douzae nobili ordinum ductori, qui vexillum in navi captum poſtea [i] Lugduni Batavorum in majore urbis templo ſuſpendit; quod tanta magnitudine erat, ut ex ſummo tholo pendens pavimentum contingeret. Alia quaedam navis minor ad [k] Blanceberɡam haud longe a [l] Sluſarum portu illiſit, et contra tumulos arenoſos effracta ſalvos vectores emiſit. Sub id Parmenſis Dunkerkam venit, cum jam claſſis Hiſpana, minoribus velis erectis ob vehementiorem flantem Africum, oppidum praetervecta eſſet: quo a tergo relicto mox majora vela explicavit, non jam ad pugnam ſed ad fugam ſe parantis ſpecie. Quo animadverſo Howardus Seimorum cum minoribus ſuis navibus litus Flandricum legere juſſit, ut ope Belgicarum navium, quae in eo excubabant, Parmenſem, [α] ſi forte cum ſuis egredi conaretur, intercluderet. Ipſe fugienteis Hiſpanos ad treis uſque dies inſecutus, cum primo Scotiam illos petituros, mox vento incumbente ad Germanicum litus et extremae Daniae ſeu Jutiae et Norvegiae fineis deflectere videret, curſum inhibuit, et in exitium, in quod ruere eos providebat, ardentiore pugnae ſtudio claſſem praecipitare noluit. Itaque re bene geſta, poſtquam triduum foeda tempeſtate jactatus eſt, qua et hoſtem vero ſimile fiebat graviſſime adflictatum fuiſſe, [m] Harewicum claſſem ſubduxit XIX Kalendas Septembreis; ac recenſione facta comperit ex ſuis circiter C tantum proeliis illis amiſſos, cum jam plus V CIↃ ex Hiſpanis cum X navibus periiſſent.

XIV. HISPANI, poſt Anglorum et Batavorum inſequentium diſceſſum, foeda illa tempeſtate ſaeviente, duas magnas naveis [n] Venetas ambas IↃCCC amphorarum amiſerunt,

VAR. LECT. [α] ſi forte cum ſuis egredi conaretur *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur*, *e* MSS. Reg. Put. et Rig. *excerpta.*

INTERPR. [a] *Manrique veedor ou pourvoyeur.* [b] *de Mauleon de Gourdan.* [c] *le duc de Medina-Sidonia.* [d] *Calais.* [e] *de Leyva prince d'Aſcoli.* [f] *de Biſcaye.* [g] *de Tolede.* [h] *Pieter Vander-Does.* [i] *Leyde.* [k] *Blanckenberg.* [l] *l'Eſcluſe.* [m] *Harwich.* [n] *galeaſſes de Veniſe,*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III.

amiſerunt, ex XIV quas in belli uſum Philippus in Hiſpaniae portubus retineri mandaverat; unaque bellatorum ſive nautarum, qui illis portabantur, circiter IↃC capita. Tandem ad inſulam deſertam in ora Scotiae, paulum remittente vento, Sidonius claſſis reliquias recenſet, et ex omni numero tantum CXX numeratae ſunt: concilioque habito decretum fuit, ut, quando res coelo ac mari inimicis eo redactae eſſent, ut nulla vi aut virtute humana ac conſilio reſtitui poſſent, et contra ventos infeſtos pugnare, jam inclinata anni tempeſtate, temerarium videretur, claſſem dividerent, et quiſque in Hiſpaniam, qua poſſet, curſum intenderet, ad [a] Cantabricum litus condicto loco quo univerſae convenirent. Inde cum Orcadas praetervectus canalem inter Scotiam et Hiberniam poſitum ingreſſus eſſet [b] Sidonius, rurſus ſexto poſt die Libonoto incumbente ſub noctem jactatus, qui vix ſub meridiem poſuit, cum parte claſſis in altum provectus, feliciore deinde curſu in Hiſpaniam delatus eſt. Reliquae naves, quae cum [c] Ricaldo ſummo vicario remanſerunt numero XXVII, ad Hiberniae litus vadoſum illiſerunt: rurſuſque cum ſe mari, decimo poſt die, commiſiſſent, majore quam antea vi procellarum infeſtatae, in Hibernicum litus rejectae ſunt, amiſſis circiter CCC capitibus. Ipſe Ricaldus cum LX circiter bellatoribus morbis et nauſea languentibus in poteſtatem inſulanorum devenit. Navis Florentina, quae ad Scotiae litus disjecta fuerat, accenſo ab indigenis incendio tota conſumpta eſt, vi pulveris nitrati, qui in ea erat, tabulamento ſuperiore amplius ſemimilliaris ſpatio in aërem rotato et in terram disjecto. Demum IV Eid. Septembr. praetoria Cantabrica CIↃ amphorarum, qua Michael [d] Oquendus, bellis maritimis ac Luſitano inprimis expertus dux, cum delectis aliis ordinum ductoribus portabatur, reciprocantis maris illis locis vehementiore aeſtu quaſſata, cum omnibus vectoribus periit. Captus fuit in Hibernia et inde advectus Alfonſus [e] Luſo legionis Neapolitanae tribunus, cum Roderico [f] Laſſo, et aliis duobus e familia [g] Cordubenſi, qui cuſtodiae Horatii Pallavicini commiſſi ſunt, ut pro iis Odetus [h] Lanovius Telignius, qui jam quadriennium in arce [i] Tornacenſi aſſervabatur, et cujus ſororis nuptias Pallavicinus ambiebat, facta permutatione redimeretur. Ratione inita Hiſpani ſcribunt, toto illo tempore ex quo claſſis Hiſpana [k] Vectim primum appulit, uſque ad praeternavigatam Hiberniam, XXXII naveis omnis generis amiſſas, et X CIↃ hominum capita deſiderata, CIↃ amplius capta et in Angliam abducta. Aliter numerum ineunt Angli ac Belgae: nam ſcribunt, ex IV majoribus triremibus unam ſalvam reverſam; ex XCI majoribus navibus et olcadibus deſideratas LVIII, tantum XXIII reverſas; ita ut numerus amiſſarum XXC exceſſerit: hominum, qui univerſa claſſe ab initio vehebantur, XXXII CIↃ numerum faciunt, qui vero majora non fingunt; in eorumque ſumptus quotidianos expenſa XXX CIↃ ducatorum. Memini ſane ex ore ipſius Bernardini Mendozae, tunc Philippi in Francia oratoris, me audiviſſe, cum ſub id [l] Autricum Carnutum ad regem veniſſet, et de claſſe illa cum ipſo rege palam ſermonem haberet, inita diligenter ratione omnis expenſae in claſſem, a quo tempore primum incepta eſt, antequam [m] Uliſſipona ſolveret, a rationalibus compertum eſſe, ſumptus in eam factos centies vicies centena millia aureorum exceſſiſſe. Sidonius in Hiſpaniam reverſus, quanquam nulla ipſius culpa eſſet, tamen imputato ei fati ſeu mortalitatis damno, a Philippi conſpectu abſtinere juſſus, domum ſeceſſit. Parmenſi etiam ob id graviter ſuccenſuit Philippus, quod ejus ſeu tarditate ſeu culpa factum putaret, ut claſſis auxiliaris recens ab ipſo parata in tempore in mare immiſſa non eſſet, et venienti Hiſpanae jam feſſae praeſto non fuiſſet: nam hoc ſi feciſſet, proculdubio futurum erat, ut aut conatus exitu non caruiſſet, aut ſaltem Angli portubus ſuis ſe

tenentes

INTERPR. [a] *Biſcaye.* [b] *le duc de Medina-Sidonia.* [c] *de Recalde.* [d] *de Oquendo.* [e] *de Luçon.* [f] *de Laſſo.* [g] *de Cordouë.* [h] *de la Nouë Sr de Teligny.* [i] *Tournay.* [k] *l'Iſle de Wight.* [l] *Chartres.* [m] *Lisbone.*

tenentes claſſem jactatione quaſſatam non infeſtaſſent: interea vero illa, dum tempeſtas deſaeviiſſet, in portus Flandriae ſe tuto per otium ſubduxiſſet, rei tentandae commoditatem opperiens. Certe conſtat, ſpem in arcano a Guiſianis Philippo factam, portus alicujus regii in illo tractu occupandi, et hoſti ad uſum claſſis tradendi; eaque conſilii ſuperiore anno Lutetiae de [a] Bononia capienda agitati ratio fuerat: quod hoc anno [b] Aumalius denuo, ſed infelici ſucceſſu, repetiit, ut ſuo loco dicemus. Ut publicus in Hiſpania moeror, ita contra inter Zelandos et foederatas provincias cuncta laetitia ſtrepebant: ubi et cuſi more gentis ad rei memoriam argentei nummi, quorum in antica parte inſignia Zelandiae conſpiciebantur, cum his verbis, SOLI DEO GLORIA; in poſtica claſſis Hiſpanienſis coelata erat, cum inſcriptione VENIT, IVIT, FUIT. Sed maxima omnium Eliſabethae ac regni totius ordinum laetitia fuerat, cunctis tantam tamque inſperatam victoriam non humanis viribus, quae per ſe debiles erant, ſed inenarrabili praepotentis Dei, qui immodicis principum conſiliis illudere amat, providentiae tribuentibus. Ob id indictum publice jejunium, tam a regina in Anglia, quam a foederatis in Belgio provinciis; dieſque feſtus celebratus XXIX Novembris, qui continuis ad Deum precibus et gratiarum pro tanto beneficio actionibus conſumptus eſt. Ipſa regina Londini curru triumphali, ex quo vexilla et inſignia devictorum Hiſpanorum dependebant, vecta, et veſtibus triumphalibus amicta, celeberrimo omnium ordinum et procerum munia aulica obeuntium comitatu, e palatio regio ad majus urbis templum B. Paulo ſacrum venit, plateis panno coeruleo ubique magnifice velatis, et civibus in armis cum ſignis ac collegiorum et ſodalitatum vexillis vicos, quacunque regina incedebat, cingentibus. Templum ingreſſa gratias Deo egit, publicamque concionem in coemeterio coram ſe haberi juſſit: populum etiam verbis ſuis, ut idem faceret, ſolita comitate adhortata eſt; qui viciſſim longiſſimam ac feliciſſimam vitam bene meritae de ſe reginae cum laetis acclamationibus comprecatus eſt.

XV. UT ante octennium proſperos Anglorum in Hibernia ſucceſſus non minus glorioſus quam felix Fran. Draci, circumnavigato toto terrarum orbe, in Angliam reditus magna laetitia [1] reginam cumulavit; ita hoc anno majorem ex devicta ac diſſipata immani Hiſpanorum claſſe laetitiam auxit Thomae [c] Candiſhi nobilis Angli proſpera itidem navigatio confecta. Is anno XXCVI pridie Kal. Sextil. [d] Plimoutha ſolvit cum tribus navibus, quibus CXXIII armati portabantur; decimoque poſt die [e] Fortunatas inſulas praetervectus ad litus Libycum pervenit, ubi Fluvius aureus vulgo dictus in oceanum exoneratur. VIII Kalend. Septembr. promontorium [f] Viride, et quarto poſt die promontorium [g] Album et mons [h] Leoninus apparuit; ita ut exeunte menſe tantum VI et dimidio gradibus a linea aequinoctiali abeſſet. Heic ſtationem aliquam ingreſſa claſſis aliquantum quievit, a die profectionis ad Nonas Septembreis emenſa circiter IↃCCCL milliaria. Monti Leonino X milliarium ſpatio objacenti [i] inſulae Madrabumbae vulgo dictae, quae continuam eminus navigantibus ſylvae ſpeciem praebent, arboribus crebris, quas Vannanas vocant, conſitae, ſimiis omnis generis frequentes. Coelum, quia aequatori eo loco proximum, fulguribus, pluviis, ac perpetuis tonitruis eo menſe infeſtum habuit Candiſhus. Inde XII Kalend. Octobr. itinere verſus Americam inſtituto ſolvit, et exeunte Octobri ad promontorium [k] Frigidum appulit, cujus vertex formam rotundi oppidi praefert, duabus inſulis praetenſis. Tum inter inſulam S. Sebaſtiani et continentem aliquandiu navigavit, ibique naveis inſtauravit, et celocem ex materia comportata per otium aedificavit. III Nonas Decembreis ex inſula S. Sebaſtiani ſolvens, exeunte fere menſe ad

oram

INTERPR. [a] *Boulogne en Picardie.* [b] *le duc d'Aumale.* [c] *Candiſh de Trimley en Suffolk.* [d] *Plimouth.* [e] *les Canaries.* [f] *Cap Verd.* [g] *Cap Blanc.* [h] *Sierra Leona.* [i] *les Iſles de Madrabumba.* [k] *Cabo Frio en Breſil.*

NOT. [1] *Si* reginam *deleatur, clarior haec ſententia reddetur.*

CIↃ IↃLXXXVIII
HENRICUS III.

oram Americae venit ad XLVIII gradum ſitam; portum nomine [a] Deſiderii ab Anglis indigitatum ingreſſus, valde capacem et a procellis tutum, una atque altera inſula diſtinctum, circa quas canum maritimorum copia ingens ac formidabilis conſpicitur. Ii anteriore corporis parte, hoc eſt, capite, collo, et juba denſiſſimis pilis armata, leonem referunt, pedes formam manuum humanarum habent; tantaque ſunt foecunditate, ut catulos ſingulis menſibus gignant, quos lacte nutriunt, victum ex piſcibus marinis omnis generis natando tolerantes. Catulis indigenae vulgo veſcuntur, quorum caro, quantum ad ſaporem, ſive elixa ſive aſſa proponatur, parum ab ovilla diſtat. Tanto robore adeoque vivaces ſunt illi canes marini, ut quamvis gladio et haſta transfixi ad mare erepant, nec prius moriantur quam maſſarum ictibus capita ipſorum plane conterantur. [b] Avium praeterea certarum ibi magnus proventus eſt, quae, quod alis careant, terram cuniculorum inſtar fodiunt, atque in foveis ova excludunt, et piſcibus itidem marinis veſcuntur. Harum avium quantam potuerunt copiam captam Angli in futuram neceſſitatem condierunt, et Auſtrum verſus progreſſi ad promontorium appulerunt, quod LII gradibus et XLV minutis a linea abeſt, et ad fretum uſque Magellanicum excurrit, periculoſiſſimum ingreſſu; in quo XXIV Hiſpanos repererunt ex CCCC, qui ad has anguſtias ſervandas ante triennium miſſi fuerant, tantum ſuperſtites, qui [c] Philippopolim munitionem in eo exſtructam quadrangularem totidem tormentis firmatam ad conſpectum Anglorum deſeruerunt. Exploratum a Candiſho eſt, ab utroque oſtio, quod in eadem altitudine LII graduum eſt, quo ingrediuntur et quo egrediuntur naves e freto Magellanico, circiter XC milliaria intercedere. Duos menſeis in eo fere commoratus Candiſhus, procellis, quae frequentes in eo tractu ſunt, penuria, ac ceteris incommoditatibus tolerandis, pridie Nonas Martias inſequentis anni, qui fuit XXCVII, Oceanum Auſtralem ingreſſus eſt; et VIII Kalend. April. inter inſulam S. Mariae et continentem curſum tenuit: ubi naveis tempeſtate disjectas collegit, haud longe a regione Arecca ab Hiſpanis dicta, auri argentique ditiſſima, pro qua cum Indicis populis vicinis perpetuum illis bellum eſt. Poſtridie exſcenſionem ad plagam occidentalem fecit, cum XXC circiter armatis. Inſula gallinis, ſuibus, et pomis abundat: in ea templum eſt pulcherrimum ab Hiſpanis exſtructum, imaginibus ornatum, et circa templum horrea hordeo triticoque referta tantae praeſtantiae, quantae apud nos vix poteſt; manipulis item radicum, Potatas vulgo vocant, quae ad cibum optimae. Inſulani Chriſtianos ritus ſuſceperunt: de cetero tam gravi Hiſpanorum ſervitio premuntur, ut miſeris porco gallinave veſci non liceat. Ibi de commeatu proſpectum, magna copia frumenti, ſuillarum carnium, gallinarum, radicum illarum quas dixi, canibus etiam marinis, et copioſo ex Guinea tritico, quod vulgo [d] Maiſam vocant, in naveis impoſito. Inde poſt triduum diſceſſum; progreſſique Angli circiter X milliaria ſeptentrionem verſus, poſtridie ad ortum curſum intendentes, ad Conceptionis inſulam appulerunt, ac decimo poſt die rivum quendam [e] Quintanum nomine fere arenoſum ingreſſi ſunt, qui locus ad XXXIII gradus et L minuta aſſurgit. In terram exſcenſione facta, boves, vaccae ſylveſtres, equorum et equarum indomitarum magna multitudo obvia facta eſt; canes item ſylveſtres, lepores, cuniculi, perdices, et hujuſmodi volucres eo loco frequentes. IV Eid. April. poſt pugnam cum equitibus ex montanis deſcendentibus conſertam, amiſſis quibuſdam ex ſuis, et aliquot ex hoſtibus interfectis, ex ſinu Quintano Candiſhus ſolvit, navigatione occaſum verſus inſtituta; ac VII Kalendas Maias ad regionem Maramorenam, quae ad XXIII gradus aſſurgit, et portum optimum propter vicinam inſulam [1] habet. Homines in eo tractu maxime ab omni cultu alieni per tuguria habitant, piſcatu vitam tolerant, naviculis ex corio affabre ſtructis

INTERPR. [a] *le Port Deſiré.* [b] *Pinguyns.* [c] *Philippeville.* [d] *Mayz.* [e] *Rio de Quintero.*

NOT. [1] habet, *ſupple* appulit.

ſtructis utentes, utribus ſeu veſicis ad eas aptatis. VI Nonas Maias portum Areccae civitati, quae Limae proregi ſubeſt, ſubjectum ingreſſus eſt Candiſhus. Inde aliquot tormentorum ictibus petitus ulterius pergit, oram verſus auſtrum legens: captiſque aliquot navibus commeatu et pretioſis mercibus onuſtis exeunte Maio Paitam civitatem expugnat, eamque poſtmodo cum omni re, quae copioſa in ea erat, incendio delet; pridie Nonas Jun. curſu [a] Punam inſulam verſus directo, funium opificio nobilem, [b] Vectis Britannae magnitudine parem, quae a dynaſta quodam indigena tenebatur, qui ex Hiſpania uxorem habebat, lautoque ac magnifico cultu dignitatem tuebatur; pulcherrimis aedibus, hortis, pomariis, et templo Chriſtiano ritu juxta exſtructo; quod ab Anglis igne conſumptum eſt. Is ad famam adventus cum uxore et pretioſis omnibus ſuis rebus in continentem aufugerat. Angli, dum praedam affectantur, cum Hiſpanis et indigenis ex montana regione irruentibus congreſſi, IX ex ſuis amiſſis, VIII captis, ut jacturam ulciſcerentur, aedeis principis et alias ſubjectas incenderunt, pomaria arboribus reciſis vaſtarunt. Inde poſt XI dierum moram ad fluminis dulcis portum tendunt; ex quo XI Kalend. Quintil. ſolventes lineam aequinoctialem ſupra verticem habuerunt, et ſeptentrionem verſus curſum intenderunt. Demum ulterius navigantibus IV Eid. Quintil. apparere coepit nova Hiſpania; obviaque nave capta CXX laſtarum, qua Michael [c] Sanctius Maſſilia oriundus vehebatur, cognitoque ex illo quid Hiſpanorum illis locis eſſet, anchoras in fluvio quodam haud procul a [d] Quita promontorio jaciunt; et recenti aqua ſumpta Candiſhus cum XXX delectis ad civitatem [e] Aquatulicam, duobus a fluvio milliaribus diſtantem, ab aequinoctiali linea XV gradibus et XL minutis, pergit. Civitas dilapſis oppidanis igne conſumpta eſt, cum telonio: cujus redemptor Michael [f] Truxillus hybrida, quippe ex Hiſpano et Inda muliere natus, cum aufugiſſet, ex indicio captus cum omni ſua pretioſa ſupellectile, ac poſtea dimiſſus eſt. Facto dein per Nativitatis portum itinere, Nonis Septembribus in portum civitati [g] S. Jacobi vulgo dictae ſubjectum delati ſunt Angli, locum a linea XIX gradibus et XVIII minutis diſtantem, piſcibus abundantem, et margaritarum piſcatione frequentem. Poſtea Malacam et [h] Caracallam portus claſſis tenuit, et X Kalend. Octobr. in S. Andreae inſulam delata eſt; ubi Angli plurimum ſalis nacti volucreis in ea repertas, canes marinos, et ſerpentes quatuor pedes longos et acutam caudam habenteis, quorum caro eſu dulciſſima eſt, in futuros uſus condierunt. IV Nonas Octobr. progreſſi ad [i] Maſatlanam civitatem ſub tropico Cancri ſitam, vix aquam, cujus ſumma penuria laborabant, arena effoſſa invenerunt; ac XIV Kalend. Novembr. [k] S. Luciferi promontorium ſub veſperam acceſſerunt, aquatione commodum; ac poſt aliquot dies XVIII Kalend. Decembr. Californiae promontorium circumnavigarunt. Ibi conſpecta navi Philippica, cui S. Annae nomen, totius auſtralis tractus [l] praetoria, eam crebra tormentorum fulminatione quaſſatam poſt ſex horarum obſtinatum certamen tandem capiunt: multae pretioſae merces ea vehebantur, et auri infecti pondus in ea repertum, quod quadringenties octuagies quater millibus florenorum Belgicorum aeſtimabatur. Praeda inter milites diviſa. Inaugurationis regiae publica laetitia more gentis feſta tormentorum diſploſione biduo poſt celebrata eſt. Navi Hiſpana igne conſumpta, et aſſumptis ſecum aliquot adoleſcentibus captivis Indis, qui Chriſtianae religioni nomen dederant, III Kalend. Decembr. ſolvit Candiſhus, relicta in eo loco altera navi, quae nunquam poſtea comparuit; et, continuato per XLV dies itinere, CIϽIϽCCC milliaria emenſus, ineunte Januario hujus anni principe menſe ad [m] Latronum inſulas pervenit.

INTERPR. [a] *Puna.* [b] *l'Iſle de Wight.* [c] *Sancho natif de Marſeille.* [d] *le cap de Quita.* [e] *Aguatulco.* [f] *de Truxillo un meſtizo.* [g] *Puerto de Santiago.* [h] *Cracalla.* [i] *Maſſatlan.* [k] *le cap de San Lucar.* [l] *l'admirale de la Mer Auſtrale.* [m] *de los Ladrones.*

CIↄIↄLXXXVIII HENRICUS III.

pervenit. Prima [a] Guiana nomine, ad XXX gradus ſita cum duabus tertiis, ſeptentrionem verſus occurrit. Homines in ea moribus ferinis, colore fuſco, capillis oblongis, quos in nodum colligunt, ſtatura noſtris grandiores, natare peritiſſimi; veſtibus nullis utuntur, ex piſcatu vitam tolerantes; ad quem naviculas, Canoas vulgo vocant, duos pedes latas, et plerumque XX vel XXX longas, adhibent, artificioſe admodum fabricatas ſine cultro aliove quovis ſecante inſtrumento, velis quadratis vel triangularibus ad ventum excipiendum paratis. Hi tanta multitudine Candiſhi navigium circumfuderunt, ut tormentorum diſploſione vix abigi potuerint; quorum ictus illi ſe in mare ſumma celeritate demittentes et ſub aquis natantes vitabant. Demum IX Kalend. Februar. ex Philippinis inſulis una, quae S. Spiritus nomine indigitatur, apparere coepit; cujus promontorium longo tractu occaſum verſus in mare porrigitur, ſylvis perpetuis horrida: abeſt a Guiana CCCX milliaribus, a linea XIII; populo frequens, ſed a cultu humano alieno. Diſtat ab ea Manilla LX milliaribus Philippinarum princeps, quae Iↄ fere Hiſpanis habitatur, qui una et altera triremi et munitione more noſtro exſtructa locum tuentur. Mercaturam cum [b] Agapulcis inſtitoribus, qui in nova Hiſpania ſunt, cum Chinenſibus et [c] Sanguelis, qui fere Aethiopes et peſtiferae Mahumetis ſectae addicti ſunt, exercent. Opificiis Sangueli admodum excellunt, et ſubtilitate inveniendi et res inventas elaborandi dexteritate praeſtantes; Chriſtianos ipſos nendi et acu pingendi artificio ſuperant: quod ex ſericis pannis auro et coloribus varia animalia referentibus veluti opere vermiculato diſtinctis, qui ex iis locis advehuntur, videre licet. Eodem die jam inclinato ſole fretum inter [d] Luconam et Camlaiam inſulas praetervecti ſunt Angli, ac poſtridie ad [e] Capulam inſulam appulerunt, ubi ſe aliquot dierum mora recrearunt. Incolae in ea nudi degunt, ſupparo tantum partem mediam corporis tegentes; quod ex foliis Vannanae arboris contextum inſtar ſubligaculi per pedes tranſmittunt, et circa umbilicum ad pudenda velanda nectunt. Mirum id et ſcitu dignum ab Anglis aſpectu ipſo obſervatum illis locis, quod pueri clavum ex plumbo candido per virilis membri glandem trajectum geſtant: foramen vero illud, cicatrice in pueritia ſanata, ſine doloris ſenſu cum aetate excreſcit, et hunc clavum inſerere in foramen et exſerere vel deponere cum volunt et pro naturae neceſſitate poſſunt: quod invaluit, importunis mulierum ac foeminarum apud magiſtratum expoſtulationibus, quae virorum in praepoſteram venerem effuſorum libidinem refraenari per hanc legem ſeu conſuetudinem poſſe exiſtimarunt. Inde crebrum inſulis et ſyrtibus mare emenſi, inſulam [f] Aethiopum vulgo dictam praetervecti, Hiſpanis minime ſubjectam, quam Franciſcus [g] Prettius, is qui eam navigationem deſcripſit, Anglia majorem facit, et ad IX gradus collocat, ad exiguas inſulas X vel XII numero appulerunt exeunte Februario, quae III gradibus et X minutis a linea auſtrum verſus abſunt. Eo coeli tractu a morbis graviter infeſtati ſunt Angli, pleriſque ex iis abſumptis, quos linteo involutos in mare abjecerunt. Tandem VI Eid. Mart. Javam majorem attigerunt: ubi cum Luſitanis de Antonio rege ſuo, quem Hiſpani jampridem mortuum jactabant, et Angli contra in Anglia degere et ab Eliſabetha ſummo in honore haberi religioſe affirmabant, percontantibus diu collocuti, multa de more gentis, ingenio loci, ipſiuſque regis potentia didicerunt; virum magnae ac abſolutae inter ſuos auctoritatis, adeo ut, niſi ejus permiſſu, capitale ſit ſubditis, venditiones, permutationes, ac mercimonia cum peregrinis et advenis exercere: ipſum multum jam ſenem C habere uxores, filium ejus L: moris apud eos eſſe, ut regis mortui corpus igni exurant, et cineres collectos religioſe aſſervent: quinto autem a morte die cunctas uxores ex regionis conſuetudine

INTERPR. [a] *Guana.* [b] *Aguapulco.* [c] *les Sanguelos.* [d] *Luçon & Camlaia.* [e] *Capul.* [f] *l'Iſle des Negres.* [g] *Pretty.*

conſuetudine in locum quendam convenire; primariam inter eas globum, quem manu tenet, quam longiſſime poteſt projicere; tum a reliquis obſervari quo uſque globus ille volvendo perveniat, ac ipſam cum omnibus aliis ore ad ortum verſo illuc procedere, atque inter eundum pugione novaculae inſtar acutiſſimo pectus ſibi perfodere, donec omnes cernuae in pectus procumbant: magnam de cetero erga regem ſubditorum obedientiam ac venerationem eſſe, adeo ut ipſum pro numine colant, et imperia ejus detrectare capitale exiſtiment: itaque Javenſeis inſulanorum illius tractus fortiſſimos eſſe et omnium maxime pericula contemnere, eaque appetere, ut citius moriantur. Viciſſim Candiſhus, ut gratior eſſet Luſitanis, quae contra Hiſpanos toto itinere ſuo geſſiſſet, quomodo munitiones, caſtella, naveis captas incendiſſet, multos ex iis interemiſſet, enarrabat: atque ita, mutua fide inter ſe data et accepta, diſceſſum eſt. Inde navigantibus XXVII dierum ſpatio promontorium Falſum apparuit, quod famoſum illud adeoque nautis exoptatum Bonae Spei vulgo dictum eſſe credentibus Anglis impoſuit: nam inter utrumque L milliaria numerantur. Vento deſinente diu placido mari haeſere otioſi Angli, donec VII Kalend. Jun. vehementior ab ortu ventus flare coepit: quo impellente terra paulo eminentior aſſurgere, et occaſum verſus non procul a continenti apparere duo colles alter alteri impoſitus, ac praeterea tres in mari, coepere; terra depreſſiori interjecta, quae ad litus uſque maris excurrebat. Promontorium, exacta ad Luſitanorum ſupputationem ratione, IICIƆ milliarium ab Java abeſt; quod minus CL milliaribus eſſe ex velocitate curſus deprehendit Candiſhus: nam novies ſepties dies navigando tantum inſumpti. Tandem III Kalendas Quintileis ad S. Helenae inſulam, CIƆ IƆC milliaribus a promontorio Bonae Spei diſſitam, appulit, ſitu et commoditatibus opportunam, ad feſſorum longa navigatione uſus ſepoſitam, adeoque incolis vacuam, ut ſupra in Draci navigatione pluribus diximus. Inde, Euro-Auſtro flante, exeunte Junio ſolvit Candiſhus; et, nunc Zephyro nunc Euro ſecundo, Septembri ineunte ad [a] Floridam et Corvinam inſulas, quae duae e [b] Caſſiteridum numero ſunt, acceſſit: moxque ex navé Belgica obvia cum de Hiſpanae claſſis clade cognoviſſet, eo majori alacritate curſum Angliam verſus intendit; et XIII Kalend. Octobr. Plimoutham, unde ante XXVI menſeis ſolverat, incolumis reverſus eſt, magna gratulatione a regina ob majorem ſucceſſum laeta exceptus. Is poſt aliquot annos aliud iter ingreſſus, non parem felicitatem in eo expertus eſt, adverſa fortuna in navigatione conflictatus, et gravi morbo oppreſſus; ex quo, cum domum repetere in animo haberet, in ipſo mari obiit.

XVI. IN Belgio Parmenſis, et caſu moeſtus, et quid de ſe Philippus ſentiret anxius, quanquam ſedulo per ſuos apud eum ageret ut culpae invidiam a ſe amoliretur, aliquo operae pretio jacturam tandem ſarciendam ratus copias ad ſigna revocat, et, parte in praeſidiis collocata, partem potiorem ſecum in [c] Atuaticos duxit; et, contumelioſis, qui de ſe vulgo jactabantur, ſermonibus exaſperatus, contra [d] Tolenſem ditionem et [e] Bergas ad Somam expeditionem ſuſcipit, praemiſſo [f] Emmanuele Lalanio Rentiaci marchione et Octavio Mansfeldio cum IƆCCC; qui partiti copias per canalem [g] Voſmarinum in inſulam impreſſionem fecere, conſtitutis in aggeribus bis mille ſcloppetariis, qui reſiſtere auſos inſulanos globulorum grandine infeſtarent. Verum illi ſpe ſua falſi ſunt; quippe ſcloppetariorum ictibus, ut ex ſuperiore loco, defenſores in humili poſitos ſupervolantibus et illaeſos relinquentibus. Locum tuebatur Georgius [h] Eberardus comes Solmenſis Mauritii vicarius cum CL delectis, qui, munitione ad pectus tegendum exſtructa, aggerum commoditate uſi ſe defendebant.

Semel

INTERPR. [a] *Iſlas de Flores, y del Cuervo.* [b] *les Açores.* [c] *Brabant.* [d] *Ter Tolen.* [e] *Bergen-op-zoom.* [f] *Philibert Emanuel de Lalain marquis de Renty.* [g] *le canal de Voſmer.* [h] *Ebrard comte de Solms.*

CIƆIƆLXXXVIII Semel atque iterum regiorum impetum fortiter ſuſtinuerunt; quos et poſtremo in HENRICUS III. fugam verterunt, occiſis ex iis plus CCCC, cum ex ſuis vix unum aut alterum deſideraſſent: vulnera fere in capite omnia accepta, quod ex loco ſuperiore pugnarent. Mansfeldius et Rentiacus ipſe diu in luto haeſerunt, vixque binarum haſtarum ope inde extricari potuere. Inde Bergas ad Somam tranſlatus impetus. Joannes loci dominus marchionis titulo, poſtremus e familia, in Hiſpaniam cum [a] Florente Momorantio Montinio ante complures annos profectus, ibidem poſt annalem carcerem veneno, ut creditur, exſtinctus, ſine liberis periit: cujus morte res omnis ad ſororis ſuae filium rediit natum ex Joanne [b] Merodio Petroſemio, qui [c] Leodii in Eburonibus habitabat, et Philippi partes cum filiis ſecutus eſt. Oppidum ſitu validum et arte munitum ad Scaldim ſe extendens pro tempore tenebat, cum firmo partim Anglorum partim Belgarum licentioſe ad praedas diſcurrentium praeſidio, Thomas Morganus, qui Willelmo [d] Drurio equiti Anglo in ea praefectura ſucceſſerat. Eo Parmenſis, in cujus comitatu erant Paſtranae dux et [e] Aſculi princeps, comportato omni ad oppugnationem apparatu, ducit, et oppidum corona cingit VIII Kalendas Octobreis; inſtitutaque verberatione [f] munitionem promontorii Bergenſis, quod ad Scaldim pertinet, machinis in aggere collocatis pulſat: idque ut magis falleret, ſiquidem non tam vi quam aſtu rem gerere decreverat, clam cum duobus Anglis, quos aliquando captivos detinuerat, [g] Grimſtono et Redheado, conſilium de tradendo praecipuo propugnaculo, quod ad aquilonem ſpectat, iniit: verum ii rem omnem praefectis ſuis aperuerant, ipſorumque juſſu cum hoſte egerant, et torqueis aureos ac magnam pecuniam jam a Parmenſi acceperant. Condicta dies ad IX Kalendas Novembreis; quo ad majorem ſecuritatem Grimſtonus ſe vinciendum Parmenſi permiſit. Jamque XXX et amplius intromiſſi erant, cum [h] Willoughbeius regulus Anglorum praefectus raſtrum ſive cratem ligneam penſilem demitti juſſit. Sequebatur ordine Willelmus [i] Stanleius, is qui [k] Daventriam Hiſpanis tradiderat; qui, ſe a tergo oppreſſum anguſto loco cernens, cum IƆ Hiſpanis audax conſilium capit, et, quod dolo nequiverat, vi locum expugnare conatur; re eo faciliore viſa, quod jam recedente aeſtu humile vadum ſuberat. Itaque qui cum eo erant ſumma vi ligneum ſeptum abrumpunt, et in moenia enixi acriter cum praeſidiariis dimicant, ſed irrito ſucceſſu, quippe paratis illis. Itaque mature Parmenſis jam refluente aeſtu receptui cani juſſit, multis ex ſuis partim caeſis, partim ſubmerſis; ex quibus ad XX Hiſpani alicujus nominis fuere. Cum aſtus non ſucceſſiſſet, de Bergis potiundis deſperans Parmenſis, jam inclinata anni tempeſtate, et inundata fere omni circumpoſita regione, ad haec praeſidiariis ex [l] Tolenſi inſula continuo excurrentibus, quod annonam admodum caram reddebat, caſtra movet, miſſo in hyberna milite, et [m] Tornohuti, Roſendalae, et per [n] Campenſem regionem diſtributis praeſidiis: partem ſibi ſervavit, quam cum iis, quae Petro Erneſto Mansfeldio in Bonnae obſidione militaverant, copiis ad [o] Wactendoncam obſidendam miſit, oppidum Sicambrorum ad [p] Neram fluvium ſitum, haud longe a [q] Geldria civitate. Id factum inſtigatu Ruremondenſium, qui ab intolerandis praedonum, ſic illius loci praeſidiarios vocabant, excurſionibus liberari petebant. Octobri exeunte caſtra ad oppidum poſita, duce eodem Mansfeldio, magnaque tormentorum vi ex tumulis e ceſpite vivo opera foſſorum erectis pulſatus locus, ſic ut faſtigia domorum et prominentes turres paſſim disjicerentur. Globi item ignea materia referti in oppidum per machinas diſploſas immiſſi; a quibus ut ſe defenſores tuerentur, in locis ſubterraneis degere

INTERPR. [a] *Floris de Montmorency baron de Montigny.* [b] *de Merode Sr de Pieterſem.* [c] *Liege.* [d] *Drury.* [e] *Aſcoli.* [f] *le coſté ſeptentrional de la teſte.* [g] *Grimſton & Redhead.* [h] *le baron Willoughby de Eresby.* [i] *Stanley.* [k] *Deventer.* [l] *l'Iſle de Tolen.* [m] *Tournhout, & Roſendal.* [n] *Kempen.* [o] *Wachtendonck.* [p] *Neers r.* [q] *Gueldre.*

degere cogebantur. Fabricati illi in [a] Venloa urbe vicina fuerant: quorum repertor cum periculum facere vellet, occaſione convivii, quod Willelmo juniori [b] Clivenſium principi ibi tum parabatur, incendio per ludum excitato medium paene oppidum conſumpſit. Obſeſſi cum diu ſe fortiter defendiſſent, multique ex Mansfeldianis in oppugnatione cecidiſſent, et in iis [c] Kimbergus vir e nobilitate primaria, praeſidiarii, ſauciato forte loci praefecto a Schenkio impoſito, milite admodum ſtrenuo, tandem bimeſtri obſidione attriti animos deſponderunt, et exeunte Decembri deditionem honeſtis conditionibus fecerunt. Inde per Juliacenſem agrum magno popularium detrimento effuſae Mansfeldii copiae: de quibus cum crebrae querelae vicinorum principum eſſent, ne nihil agere viderentur, [d] Berkam propius admotae locum eminus obſidere coeperunt. Diverſa parte poſt ſolutam [e] Bergarum obſidionem [f] Mauritius Naſſovius ob rem bene geſtam [g] Verae in Walacria marchio [1] creatur XII Kalendas Decembreis, cuſo ad rei memoriam argenteo nummo, in cujus antica parte inſignia Naſſoviae et Verenſis familiarum coelata erant inter ſe colligata, cum inſcriptione, NODUS INDISSOLUBILIS: in poſtica manus cernebatur evaginatum gladium ſtringens, cum his verbis, lingua Gallica expreſſis, TUEBOR.

CIϽIϽLXXXVIII

HENRICUS III.

XVII. EODEM tempore renovati Ultrajectenſium, de quibus jam ſupra dixi, tumultus; quorum exitus Ordinibus Belgii in bonum vertit. Factionis princeps erat in civitate Gerardus Daventrienſis, qui cum aliis extra ditionem Ultrajectenſem natis ſummum magiſtratum et civilem adminiſtrationem invaſerat, pulſis pleriſque civibus; qui fruſtra apud Ordines in Batavia ſupplices inſtabant, ut patriae, dignitati, ac bonis reſtituerentur. Gandenſium exemplo territi Ordines huc uſque multa diſſimulaverant, et juſtas exulum preces eluſerant. Tandem, cum vererentur ne hoſtis ex diſcordiis domeſticis urbem obſidendi occaſionem caperet, Adolfum [h] Nuenarae et Meurſiae comitem eo mittunt, cum Aſevino [i] Braceloae regulo. Is, commodum tempus rei gerendae opperiens, ad urbem venit ineunte Octobri, cum mandatis, ut data occaſione eam in poteſtatem redigeret, et exactis factioſis civeis injuria pulſos patriae reſtitueret: nam metus inceſſerat Ordines, ſi hoſtis ad urbem duceret, ut ea citra negotium potiretur; quippe qui providerent Daventrienſes et Anglicanae factioni addictos ob praeteritas offenſiones vix in animum inducturos, ut auxilia ab Ordinibus aut petere vellent aut accipere. Adolfo in urbe occaſionem praeſtolanti commodum accidit, ut comitiorum novis magiſtratibus creandis tempus appeteret: de quorum exitu veriti factioſi, tepentibus jam partium ſtudiis, ſedulo in Angliam miſerant, et opem a regina implorabant, enixe obſecrantes ut hominum ſibi addictorum patrocinium ſuſcipere dignaretur. Illa vero poſt Leiceſtrii obitum, de quo mox dicemus, cum minus factioni ab eo inchoatae et ſecum multa mala et incommoda trahenti faveret, vagis reſponſis eorum poſtulata eluſerat. Itaque cum illi ſe eo adductos viderent, ut quod erat praeſidii reliquum in ſe ſuiſque viribus repoſitum eſſet, conſilio habito arma capiunt, et baſilicam urbis conferti obſident; civibus quibuſdam ſibi ſuſpectis in cuſtodiam datis, et inter eos ordinum ductore nomine [k] Piperio, quem paulo ante exauctoraverant, donec magiſtratus pro arbitrio ſuo creaſſent. Adolfum etiam urbe ejicere conati ſunt; qui occaſionem, quam opperiebatur, tunc ſibi fortunae beneficio datam minime elabi paſſus eſt: nam ſumptis armis oppidanos auxilio advocat, et benevolentiae, qua ipſum cives proſequebantur, fiducia per urbem ſpargi curat, ſeditioſos in ſuum caput haec moliri. Quo audito, quaſi claſſicum ceciniſſet, cives ad eum cum armis advolant, et ſeditioſis ſuperiores urbem

in

INTERPR. [a] *Venlo.* [b] *Cleves.* [c] *Kimberg.* Meteren le nomme *le Sr de Remberg.* [d] *Rheinbergen.* [e] *Bergen-op-zoom.* [f] *le comte Maurice de Naſſau.* [g] *la Vere en Walcheren.* [h] *de Newenar & Meurs.* [i] *le Sr de Brackeloe.* [k] *Piper.*

NOT. [1] *dele* creatur, *lege* inauguratur. *Erat enim marchio ex paterno teſtamento.* Put.

CIƆIƆLXXXVIII in ipſius poteſtatem redigunt. In eo tumultu Julianus [a] Claragius, qui, [b] Gorcomii
HENRICUS III. praefectura nuper a ſe abdicata, eo cum cohorte ſua fuerat miſſus, quid ageretur ignarus, dum ad ſtrepitum accurrit, multis vulneribus confoſſus ſternitur, et tandem innocens cum nocentibus carcere includitur. Carolus [c] Trello, qui praetorem urbis egerat, itidem captus. [d] Daventrienſis cum factionis ſuae ducibus e veſtigio captus in vincula truditur. Anglorum equitum turma, quae ad motum in armis apparuerat, nec non Claragii et [e] Villerſii cohortes vim abſtinuerunt. Ita ſedato tumultu, Adolfo annitente, ex Ordinum ſententia novi magiſtratus creantur, eorumque decreto revocati e Batavia exules reſtituuntur. Ultrajectenſi ditione cum Ordinibus reconciliata, et ut prius exemplo ceterarum unita, reliquum anni levibus utrinque in [f] Atuaticis, Sicambris, ac per Friſiam, proeliis exactum eſt. Praeſidiarii Ordinum ad [g] Montem-Gertrudis, Heuſdae, et locis vicinis diſtributi, agmine facto, pedite in equis collocato, [h] Tileborgum juxta [i] Silvam-ducis veniunt, numero IƆCCC, praeſidiumque a Parmenſi impoſitum obtruncant, paucis exceptis, qui in templa confugerunt. Bergenſes, ducibus [k] Baxiis fratribus Silva-ducenſibus, cum aſtu res tentata non ſucceſſiſſet, ferro ſibi viam per medios hoſteis ſumma audacia fecerunt, et [l] Thiennam tranſcurrerunt V Hiſpanorum ſignis firmatam, ſed vaſtam; ingreſſique oppidum Hiſpanos praeſidiarios III vexillis captis inde pellunt, et locum diripiunt. Tum Thienna digreſſi, et in CCCC recenteis ex hoſtibus forte incidentes, ut erant praeda onuſti, manus pari audacia conſerunt; perruptoque hoſtium cuneo domum cum ſpoliis incolumes revertuntur. Ex Zelandia quoque praeſidiarii in [m] Pleumoſios numero circiter LXX excurrentes [n] Curtracenſem commeatum intercepere, occiſis militibus qui aderant. Nec Schenkius ceſſabat, homo impiger, continuo circa [o] Monmedium in Lucemburgenſi agro excurrens: qui cum vallum [p] in Rheno ad Havardam, ad ſumptus, quos ingenteis in illud bellum fecerat, ſarciendos exſtructum, Mauritii et [q] Willoughbeii reguli hortatu demolitus eſſet, ne nihil ageret, anno exeunte [r] Neomagum in Sicambris tentavit, exiſtimans ſe, vadoſa ubique foſſa, commode cuniculis actis vi pulveris nitrati moenia poſſe dejicere. Verum ſuperveniente imbri cum foſſa aquis repleretur, aliaque hyemis incommoda accederent, re infecta ab incepto deſtitit. Interea ab utraque parte in praeſidiis crebrae ſeditiones exortae, quod ſtipendium in tempore minime repraeſentaretur.

XVIII. PARMENSIS, cum ob pecuniae defectum et anni tempus nihil moliri poſſet, inducias cum Joanne [s] Monlucio Balagnio Cameraci gubernatore renovavit, urbe multoties aſtu etiam per induciarum tempus antea tentata, Ludovici [t] Barlemontii epiſcopi et ſacri illius collegii ſodalium inſtigatu, qui in cauſa religionis fidem datam impune violari poſſe affirmabant. Quam injuriam per praedas, magno vicinorum [v] Atrebatum et Hannonum detrimento, ultus eſt Balagnius; qui et bello per excurſiones et per inducias libera negotiatione multum lucrabatur, ex telarum, quarum opificium nobiliſſimum in ea civitate eſt, vectigali pecunia grandi contracta: nam ratione diligenter inita compertum eſt a rerum harum peritis, quotannis LX CIƆ telas in ea confici, quae, aequato pretio ſingulae XL florenis aeſtimatae, ad vicieſies quater centena millia florenorum excurrunt. Verum homo ambitioſus, dum, fluctuans et neutris partibus addictus, urbem, quam alienis auſpiciis magno ſuo cum emolumento citra invidiam ſervare poterat, ab uxore imperioſa et vaſti animi foemina perſuaſus, juris proprii efficere ſtudet, concitato in ſe omnium odio, ſumma cum nominis et ſuarum rerum jactura poſtea amiſit; ſicuti loco ſuo dicemus.

XIX. QUIESCENTIBUS

INTERPR. [a] *le capitaine Julian Cleerhaghe.* [b] *Gorcum.* [c] *de Trillo l'eſcoutete de la ville.* [d] *le bourgmaiſtre Geraert de Prouvinck autrement appellé de Deventer.* [e] *de Villiers.* [f] *Brabant & Gueldre.* [g] *Gertruydenberg & Heuſden.* [h] *Tilebourg.* [i] *Bois-le-duc.* [k] *les deux Baex.* [l] *Tillemont.* [m] *Flandre.* [n] *de Courtray.* [o] *Montmedy.* [p] *un fort ſur le Rhin prés de Herwerden.* [q] *le baron Willoughby de Eresby.* [r] *Nimegue en Gueldre.* [s] *de Montluç de Balagny gouverneur de Cambray.* [t] *de Berlaymont.* [v] *Artois & Hainaut.*

XIX. Quiescentibus in Belgio per hyemem rebus, praecipua Ordinum conſultatio fuit de novo belli duce ex Anglia arceſſendo: nam pauló ante Robertus [a] Dudleius Leiceſtrii comes [b] [1] Ulſtochii juxta Langleum domo ſatis humili ſaltu ſita in Oxonienſi comitatu obierat XVIII Kalendas Octobreis, [c] Warwici menſe inſequenti ſepultus, cum tantum LV annos vixiſſet. Is Joannem patrem habuit Warwici primo comitem, qui magnas res ſub Henrico VIII geſſit, et poſtea ad ſummos honores ſub Edvardo VI evectus crevit, magna invidia ob ignominioſam [d] Somerſeti ducis mortem conflictatus: dein [e] Northumbriae dux creatus aucta dignitate majores animos ſumpſit, et de regno in ſuos transferendo cogitare coepit. Cúmque filios V haberet, Joannem Warwici comitem qui jam uxorem duxerat, [f] Guilfordium ſecundum Janae [g] Greiae deſpondit, Maria et Eliſabetha Edvardi ſororibus et heredibus a regno capeſſendo excluſis. Verum poſt Edvardi mortem praevalente Mariae fortuna captus et capite plexus eſt, cunctis ejus filiis ob eandem cauſam damnatis; ex quibus tantum Guilfordius cum Jana uxore capite luit; ceteri in carcere aſſervati ſunt. Robertus et Henricus poſtea liberati, et ſub [h] Penbrochiae comite Philippo egregiam operam ad [i] Quintini-fanum navarunt; ubi et Henricus interfectus eſt. Cum vero Eliſabetha a Maria ſorore in Turrem Londinenſem ſub cuſtodia miſſa eſſet, Robertus, quod fortunae ejus ſeu conſiliis participaſſet, ipſa dein ad regnum evecta, maximos ad honores ac dignitates conſtanti ad mortem uſque gratia evectus eſt; Catholicis in regno, qui ſive ob religionem ſive ob conjurationes ex ea cauſa natas ubique exagitabantur, ſumme inviſus, et exquiſitis maledictis per libellos paſſim publicatos laceratus, ac inſidiis irrito ſucceſſu petitus. Sed qui fortunam ſemper ſere proſperam foris expertus eſt, domi ſummis adverſitatibus conflictatus fuit, ob contrarios regiae voluntati in contrahendo matrimonio affectus. Nam poſt fidem datam [k] Duglaſſiae Willelmi Howardi maris praefecti filiae, et filium ex ea furtim ſuſceptum, impotenti amore viduae comitis Eſſexiae poſtea inflammatus, quamvis ei ſucceſſere graveis ob cauſas reginam ſciret, tamen Duglaſſia rejecta alteri nupſit, ac nihilominus priſtinam reginae gratiam retinuit: uxorem vero efflictim adeo dilexit, ut ſine illa diutius in Hollandia vivere non poſſe ſibi videretur, magnaque ac potior cauſa accelerati ſui in Angliam reditus fuiſſe credatur: nam ut eam ſecum duceret, a regina impetrare non potuerat; quae noverat ſuperbum et impotentem mulieris animum, et nolle ſe reginam in Hollandiam mittere aiebat. Sed ingenteis illos, quos praecellenti dignitate viro ſuperſtite prae ſe tulerat, ſpiritus mortuo eo minime ſervavit, et indignam gratiam bene meriti de ſe mariti manibus rependit: nam Chriſtophoro [l] Blunto ex domeſticis mariti, juveni formoſo ceterum tenuis fortunae homini, infra dignitatem nupſit, filiolo, quem ex Leiceſtrio ſuſceperat, ante mortem patris exſtincto. Immenſum amorem ſuum Leiceſtrius erga uxorem extremis etiam tabulis declaravit, cum filium ex Duglaſſia ſuſceptum, quem unicum habebat tantae familiae ac fortunarum heredem, in gratiam ejus illegitimum pronunciavit, meliore tamen bonorum parte ei teſtamento relicta, qui nunc unus Dudleianae familiae decus in Anglia tuetur.

XX. Ante Leiceſtrium Fridericus II Daniae rex pridie Nonas Aprileis [m] Anderſoae in Selandia, princeps magni animi ac ſinceri judicii, deceſſit, LV aetatis anno, XXX incunte regni ſui, relictis compluribus liberis ex Sophia Ulrici [n] Megalopolitani ducis filia ſuſceptis, ex quibus Chriſtianus IV patri in regnum ſucceſſit undecennis; cui ob minorem aetatem ſive tutores ſive primarii conſiliarii a patre teſtamento

attributi

INTERPR. [a] *Dudley comte de Leiceſter.* [b] *Maiſon de Cornbury prés de Woodſtock.* [c] *Warwick.* [d] *Somerſet.* [e] *Northumberland.* [f] *le lord Guilford Dudley.* [g] *Grey.* [h] *Pembroke.* [i] *St Quintin.* [k] *Douglaſſe veufve du baron de Sheffield, & fille de Guillaume Howard baron d'Effingham.* [l] *Blunt.* [m] *Anderſchou en Zelande.* [n] *le duc de Mecklenburg.*

NOT. [1] *forſan* Udſtochii

CIↃIↃLXXXVIII attributi ſunt Nicolaus [a] Kaas cancellarius, Georgius Roſencrantius, Petrus Munkius HENRICUS III. maris praefectus, Chriſtophorus [b] Valcendorfius; iiſque ſumma regni cura, donec filius adoleviſſet, a ſapientiſſimo patre commendata eſt. Ejus funus poſtea [c] Roſchildiam deductum, et corpus defuncti in ſacello ad latus Chriſtiani III patris et Chriſtiani I abavi, uſurpatis apud gentem ceremoniis, Nonis Junii conditum eſt. Mox ad condolendum novo regi de parentis morte miſſi a Germaniae principibus legati. Angliae regina menſe Junio Danielem [d] Rogerſium eo miſit, cui Leiceſtrius Petrum [e] Heilium comitem junxit; qui inde ad Joannem Sueciae regem reginae nomine profectus eſt. Paulo poſt Sextili menſe magnificam in Daniam legationem adornarunt Ordines foederatarum Belgii provinciarum, ad foedus antiquum cum Danis renovandum, et telonii, quod Belgis [f] Oreſundae fretum tranſeuntibus nuper impoſitum erat, levamentum impetrandum; cui obeundae deſtinati Philippus Hohenlous comes, adjunctis Florentio Brederodio, et Nicaſio [g] Sylla Amſterodami ſyndico, et Conrado juriſconſulto. Octobri ineunte N. Stuartus Jacobi Scotorum regis nomine eodem officio defunctus eſt, et fiduciarias nuptias cum defuncti regis Anna filia contraxit, quae anno ſequenti celebratae ſunt.

XXI. ET, ut viros doctrina excellenteis commemorem, fuit hic annus fatalis Joan. [h] Wiero, nobili Zelandiae inundatae familia orto; qui, philoſophicis ſtudiis egregie a pueritia inſtructus, Henrico Cornelio Agrippae, homini cumprimis erudito et magicis ſuperſtitionibus infami, ante L annos [i] Gratianopoli apud nos defuncto, operam in pueritia navavit; adeo erga praeceptorem optime de ſe meritum gratus, ut opus illud, quod diu poſt Agrippae mortem de hujus praeſtigioſae ſcientiae vanitate luculentum edidit, ex ea occaſione publicaſſe credatur. Medicinam magna cum laude fecit in aulis Caroli V, Ferdinandi, Maximiliani II, Rodolphi II Caeſarum, ac Willelmi Cliviae ducis archiatros fuit; in cujus comitatu per totam Germaniam, tum in Boruſſia, eandem artem pari felicitate exercuit, et Teklenburgi, cum ad Arnoldum [k] Benthemii comitem officioſe inviſendum divertiſſet, morbo ſubito correptus deceſſit pridie Kalendas Martias, ſeptuageſimum ſecundum aetatis annum paulum ſupergreſſus. Wierum ſecutus eſt Theodorus Zuingerus [l] Baſileae natus et in patria mortuus VI Eidus Martias, longe eo junior, quippe tantum quinquageſimum quartum annum egreſſus, eadem profeſſione clarus, quam et editis compluribus monumentis illuſtravit: ſed majorem illi famam conciliavit ingens opus, cui *Vitae humanae theatro* titulum fecit: cujus dulci convictu et colloquio cum mihi poſtea Baſileae magna cum animi voluptate frui contigiſſet, animadverti virum ſumma doctrina et rara ingenii elegantia ac candore praeditum in digniore ſe opere induſtriam exercere potuiſſe, ſi non majorem nominis [1] ſoceri et popularium ſuorum, qui ſpiſſae molis librorum congerie fere gaudent, quam propriae laudis rationem habuiſſet. Octobri ineunte [m] Conſentiae, quae illi patria erat, in Calabria ultimum diem clauſit Bernardinus [n] Tileſius, qui Antonium patruum habuit philoſophicis ſtudiis celeberrimum, ab eoque [o] Mediolani inſtitutus, poſtea [p] Patavii majores progreſſus fecit, et Romam ſub id tempus venit quo urbs ab Hiſpanis direpta, parumque a periculo abfuit, re omni ſpoliatus. Heic philoſophiae ab ipſo deinceps traditae principium fecit, quam cum viris doctiſſimis, ubicunque eos nanciſci poterat, ingenue communicatam ſemper in dies locupletavit, et amicitiam multorum illius aulae procerum ob morum candorem cum ſumma eruditione conjunctum promeruit; a Paulo IV etiam

INTERPR. [a] *Kaas chancelier, G. Roſenkrantz, & P. Munck.* [b] *Walckendorff.* [c] *Roſchild.* [d] *Rogers.* [e] *Heyle.* [f] *le deſtroit du Sond.* [g] *Sylle penſionaire d'Amſterdam.* [h] *Wier.* [i] *Grenoble.* [k] *Bentheim.* [l] *Baſle.* [m] *Coſenza.* [n] *Tileſia.* [o] *Milan.* [p] *Padouë.*

NOT. [1] *dele* ſoceri, *lege* vitrici, *Put.* c'eſt Conradus Lycoſthenes Rubeaquenſis.

etiam epiſcopatu patrio donatus, a quo ille ſe excuſavit, et eam militiam fratri tranſcripſit. Ipſe Conſentiam reverſus uxorem duxit, liberoſque ex ea ſuſcepit; qui patrem grandaevum, quippe annorum LXXIX, hoc anno extulerunt. Ante Tileſium matura morte obiit Patavii in patria, Junio ineunte, [a] Spero Speronius, qui ante LXIV annos philoſophiam vernacula lingua publice in ampliſſimo illo gymnaſio profeſſus fuerat; vir multis ſimul naturae ac fortunae dotibus, quae ſingulae in ſingulis valde commendantur, a Deo cumulatus; ab Antonio [b] Ricobono, celeberrimo eloquentiae profeſſore, in funere laudatus, a nobilitate patriae, ſplendore familiae, fortunarum amplitudine, equeſtri dignitate, corporis firmitate, ac proſpera valetudine, ingenii praeſtantia, diſſerendi ratione, poetica, rhetorica, ſcribendi peritia, philoſophiae ac mathematicarum rerum ſcientia, ſacrae ſcripturae omniſque antiquitatis cognitione, rerum futurarum prudenti praedictione, quae eum multis principibus, quorum conſuetudine frui ei longiſſima in vita ſaepius licuit, chariſſimum reddidit. Haud multo aetate Speronio minor Augerius [c] Ferrerius Octobri exeunte debitum naturae perſolvit [d] Toloſae, ubi natus erat, medicinam profeſſus; quam et feliciſſime ac ſummo judicio fecit, non ſolum in patria, atque adeo in aula, ſed etiam in Italia, cum Joannem [e] Bertrandum, Galliae procancellarium et in collegium cardinalium cooptatum, Romam uſque ſecutus eſt, ſecunda ſemper artis ſuae fama, ad quam exquiſitam aſtrologiae et aliarum vulgo minus notarum artium cognitionem adjecerat; tanti a Julio Caeſare Scaligero, quo nullum majus huic ſaeculo lumen affulſit, aeſtimatus, ut nihil fere aliqua meditatione dignum, ſive in aegrotorum perplexis curationibus, quae moram patiebantur, ſive in privatis ſtudiis, inconſulto illo moliretur. Fuit illi cum Jo. Bodino librorum de republica ſcriptore acrior, quam inter literatos decet, concertatio: in qua dum ſtylum exerceret, atrociſſimis inteſtinorum torminibus correptus, qui firma valetudine huc uſque vixerat, tandem defecit. Joannes [f] Auratus morte ſua hunc annum clauſit, [g] Ratiaſti Lemovicum, quae eadem Jo. [h] Maludano, M. Antonio [i] Mureto, Simoni [k] Boſio, literarum laude viris clariſſimis, patria fuit, natus; primum pueris regiis erudiendis admotus, dein et ob ingenii praeſtantiam et exactam linguae utriuſque cognitionem in regio gymnaſio diu profeſſor, poſtremo emeritus vitam regio honorario ad extremam ſenectutem toleravit. Poetica facultate inprimis excelluit, in qua, ut alii ipſo docente multum proficerent, ſedula felicitate effecit; ſiquidem ex ejus ſchola prodierunt cum multa praeclara fere hujus ſaeculi lumina, tum rarum illud ornamentum Petrus Ronſardus, qui Aurato, quicquid in ipſo ingenii, quicquid poetici ſpiritus erat, fuit autem in eo tantum quantum in ullo poſt felicia illa Auguſti tempora, tanquam praeceptori ſuo gratus diſcipulus acceptum referebat. Talis tantuſque vir paene octogenarius Lutetiae Novembri exeunte deceſſit; eo minore ſui relicto deſiderio, quod ob ſenium et dilapſa jam ob turbas exortas juventute inutilis ejus opera eſſe coepiſſet, et vir ad aliorum ſtudia ac commoda promovenda natus, qui rem familiarem tota vita neglexerat, deploranda jampridem egeſtate premeretur. Extant ejus carmina, non ab ipſo auctore, etſi id titulus prae ſe fert, ſed a librariis praepoſtera diligentia, cum alieni nominis plerumque diſpendio lucrum captantibus, edita; quibus partim aliena, partim quaedam etiam ipſius, quae tamen ille nunquam pro ſuis agnoviſſet, inſerta ſunt: quae omnia recenſeri, non ſolum tanti viri famae ſed etiam literariae rei intereſt. Quod brevi facturum Scaevolam [l] Sammarthanum ſperamus, virum cum ob morum candorem

INTERPR. [a] *Speron Speroni.* [b] *Riccobon.* [c] *du Ferrier.* [d] *Toulouſe.* [e] *Bertrand garde des Sceaux.* [f] *Dorat.* [g] *Limoges.* [h] *Maludan.* [i] *Muret.* [k] *Du-Bois.* [l] *de Ste Marthe.*

candorem ac ſummam integritatem, tum ob raram eruditionem et excellentem ingenii in hoc genere felicitatem, mihi chariſſimum; qui et ſumma ſtudiorum conſenſione ac neceſſitudine cum Aurato, dum vixit, conjunctus fuit, et intimos animi ejus ſenſus plane perſpectos habuit; ut minime verendum ſit, ne quicquid in ea re fecerit, propterea in alieno opere ingenioſus fuiſſe [a] videatur.

VAR. LECT. [a] videatur. In imo libro Joannes Bene-natus, Guil. Morellii a nobis alias honorifice commemorati gener, recenſebitur; qui ſoceri quamdiu vixit ſtudiorum ſocius, poſt ejus obitum heres, typographicam ſumma cum laude exercuit, et ſua induſtria homo Graece Hebraiceque doctiſſimus in rem literariam, quantum per rem familiarem licuit, plurimum contulit; ac tandem, arthritidis doloribus potius quam ſenio confectus, XV Kal. Mart. ad meliorem vitam migravit; relicta unica filia, quae magiſtro parente ita in literis Hebraicis Graeciſque profecerat, ut typographicis operis praeeſſe poſſet. *MSS. Reg. et Samm.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS.

EPITOME.

DE anno octogeſimo octavo hujus ſaeculi, Joannis Regiomontani, Gaſparis Bruſchii Egrani, Joannis Stofleri praedictiones. Prodigia diverſis orbis partibus. II. *Gul. Roberti Bullionii ducis Carlota ſorore ſuperſtite deceſſus Genevae, et teſtamentum. Nuncio mortis allato Carolus Lotharingiae dux ad invadendam eam ditionem Franc. Lanovii curae commendatam vireis vertit.* III. *Jametii obſidio, et ad eam a Lotharingicis geſta. Ab Arembergia de matrimonio Carlotae et comitis Valdemontii agitur.* IV. *Scriptum a Lanovio evulgatum, quo facti ſui rationem reddit.* V. *Conventus Nancii foederatorum, et ejus capita ad regem allata et eluſa.* VI. *Cumulati in Eſpernonium poſt Jouſae mortem invidioſi honores, et cum Petro Eſpinaco archiepiſcopo Lugdunenſi cum verborum acerbitate contumelioſum coram rege diverbium; cujus is exitus fuit, ut Lugdunenſis aperte ad Guiſii partes ultionem quaerens defecerit. Libelli in Eſpernonium ſparſi ad regem invidia apud plebem onerandum. Funebris pompa Jouſae cum effigie.* VII. *Henrici Borbonii Condaei ſub id mors, non ſine veneni ſuſpicione. Jo. Ancellinus quatuor equis diſcerpitur. In Carlotam Catharinam Tremolliam anquiritur. Condaei ingenium, mores, fortuna ſemper adverſa.* VIII. *Hoc caſu erectis plebis animis, factioſi, ſibi a rege tam graviter offenſo metuentes, Guiſii adventum ad urbem urgent. Nova de rege et Eſpernonio opprimendis conſilia a Polinio detecta. Regis ad ea revincenda ſegnities et tarditas.* IX. *Pomp. Bellevreus Auguſtam Sueſſionum ad Guiſium miſſus, ut ejus ad urbem adventum miſeris precibus redimeret. Eſpernonius Rotomagum ad praefecturae novae poſſeſſionem capiendam profectus. Ultima conjuratio de rege capiendo, itidem a Polinio detecta.* X. *Tandem Guiſius conjuratorum precibus perſuaſus ad urbem contra regis imperia venit, et ad regem a regina matre introductus ſumma fiducia regem cunctatorem alloquitur. Auctis ſuſpicionibus duplicatae in urbe excubiae, et Helvetii a Birono introducti; ſed tanta lentitudine adminiſtrata omnia, ut factioſi, Guiſio auctore, ſatis temporis habuerint munitiones doliareis paſſim per vicos exſtruendi, et copias regias locis in quibus diſpoſitae erant poſtremo expellendi.* XI. *Guiſius ſub veſperam urbis potens cum ſuis excubias ordinavit.* XII. *Anglicani oratoris inter has turbas ad Briſſaci comitem generoſum reſponſum.* XIII. *Metu regi injecto neceſſitudinem urbis deſerendae poſtridie Guiſius impoſuit. Regifugium.* XIV. *Regina in urbe remanet rerum componendarum ſpe. Baſtilia in Guiſii manus a Laurentio Teſto traditur. Magiſtratus urbani abrogati et novi a Guiſio ſuffecti.* XV. *Rex Autricum Carnutum ſe confert. Inde miſſae ad provinciarum praefectos literae, quibus Lutetiae ſucceſſus ita narrabatur, ut in ignaviam regiorum res recideret.* XVI. *Contra has exultationis et victricis fortunae plenas publicat Guiſius.* XVII. *Et quatriduo poſt ebrii fortuna animi ad Baſſompetram dat literas.* XVIII. *Perſonatae Flagellantium ſe ſupplicationes Lutetia Autricum veniunt, ut religionis ſpecie foedus Pariſienſe in ipſa urbe ad quam rex perfugium habuerat per ſeditioſos ſubſcriberetur; et tamen a rege admiſſae.*

EX AUCTORIBUS,

Jo. Regiomontano, Gaſpare Bruſchio, Er. Reinholdo, Actis publicatis, Caeſare Campana, Franc. Lanovii apologia, Thoma Walſinghamo, Nic. Polinii relationibus.

LIBER

LIBER NONAGESIMUS.

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

HIC annus, non furibundis vatum vocibus, ſed certis mathematicorum praedictionibus ubique mirabilis, praecipue apud nos funeſtus fuit, regno florentiſſimo, eorum qui circa regem erant ſive ſegnitia ſive imprudentia, ipſiuſque adeo regis inſita in conſiliis capiendis tarditate ac fatali caecitate, paene everſo. Joannes Mullerus, a cognomine in Franconia [a] oppido Regiomontanus dictus, ſecundum Ptolemaeum omnium, qui nobiliſſimas has artes tractarunt, doctiſſimus, diu ante id praemonuerat, quatuor verſibus ſeu rhythmis vernacula lingua exaratis, qui in [b] Caſtellenſi ſuperioris Norici coenobio hodie leguntur, ante XXXV annos a Gaſpare [c] Bruſchio Egrano, cum Engelberti abbatis [d] Admontenſis, qui ſub Rodulfo Habſpurgio floruit, libello de ortu et fine Romani Imperii, publicati: quos cum ille interpretaretur, quod mihi mirari ſaepius ſubiit, quanquam minime linguae ſuae ignarus, tamen, dum verba Germanica aliter quam ſcripta erant Latine reddit, vaticinium Regiomontani longe alio majore cumulavit; ſiquidem id, quod ab illo praedictum erat, ſub Sexto quodam eventurum tradit. Atqui diu eſt ex quo Bruſchius fatis conceſſit; anno videlicet hujus ſaeculi LIX a ſicariis juxta [e] Rotenburgum ad Duberam interfectus, multo antequam Sixtus V ſummum magiſtratum in eccleſia iniret; et verba Regiomontani, ſicuti dixi, id minime ſignificant. Regiomontanus autem, ut de tanto viro obiter aliquid dicam, anno ſalutis CIƆ CCCCLXX Romae deceſſit, cum vix quadrageſimum aetatis annum egreſſus eſſet. Is antequam Graece ſciret, quam linguam poſtea ſumma felicitate Ferrariae ſub Theodoro Gaza et [f] Guarino Veronenſi didicit, Georgio [g] Purbrachio, qui primus aſtrorum ſcientiam, poſt priſca ſaecula, in Germania atque adeo Chriſtiano orbe renovavit, tunc Viennae Auſtriacae docenti operam dedit; ſummaque ſtudiorum conſenſione cum eo conjunctus, ad extremum uſque Purbrachii diem, qui et immatura morte praereptus eſt, cum ipſo vixit, et opera illius morte interrupta, ſicuti teſtamento ipſius rogatus erat, abſolvit. Dein a Beſſarione cardinali, qui ſub id legatus ad Fridericum III Caeſarem fuerat, invitatus, cum eo in Italiam primum contendit; et, bibliothecis Romae et aliis locis perluſtratis, magnam Graecorum ſcriptorum copiam comparavit. Joannem [h] Blanchinum etiam Ferrariae audivit, et poſtea Venetiis opus de triangulis conſcripſit. Inde Viennam cum rediiſſet, a Matthia Pannoniae rege evocatus, egregiam ipſi non ſolum in his artibus, ſed etiam fidam in valetudine ejus conſervanda operam navavit: nam cum gravi morbo rex premeretur, medicis incognito, quippe qui nullam ejus in humoribus depravatis cauſam deprehenderent, tantum mirificum languorem cordis in aegroto, ex qua cauſa incertum, animadverterent, Regiomontanus propter eclipſim, quae vitae regis perniciem interminabatur, hanc vitalis facultatis imbecillitatem contingere affirmavit, fruſtraque in humoribus morbi cauſam quaeri, tantum cordis vireis rebus ſuavibus fovendas. Nec multo poſt rex, haud aliis remediis curatus, convaluit, et Joannem honorario CC ducatorum annuo muneravit. Poſtea [i] Norimbergam ſe contulit, ut commodum ſuorum ſtudiorum domicilium in ea civitate collocaret, Bernardi Walteri humanitate invitatus; qui et ipſius bibliothecam inſtructiſſimam poſt obitum ejus redemit: quo mortuo rurſus ſenatus eam publici juris fecit,

INTERPR. [a] *Kunsberg ou Konigsberg.* [b] *Abbaye de Caſtel dans le haut Palatinat de Baviere,* al. *Nortgow.* [c] *Bruſchius d'Eger ou Egra en Boheme.* [d] *d'Edmonte.* [e] *Rotenburg ſur Tauber.* [f] *Guarini de Verone.* [g] *Purbrach.* [h] *Bianchino.* [i] *Nuremberg.*

fecit, et Joannes *Schonerus* multa ex ea poſtea juſſu ſenatus promulgavit. Ceterum tunc viro optimo diu frui illa quiete nequaquam licuit: nam mox a Sixto IV evocatus, ut Kalendarii emendationi, quae jam tum agitabatur, operam impenderet, quanquam invitus faceret ut otium ſuum tamdiu expetitum deſereret, tamen juſtis ejus, qui jubere poterat, precibus deeſſe noluit, et, prius editis Directionum tabulis, Romam ſecundum profectus eſt; ubi paulo poſt deceſſit, a Georgii Trapezuntii filiis, ut putatur, ob livorem, quod ille parenti ipſorum gloriam in magna Ptolemaei ſyntaxi illuſtrata praeripuiſſe diceretur, veneno petitus. Hujus talis tantique viri de hoc anno praedictiones poſtea Joannes [a] Stoflerus Juſtingenſis confirmavit, et poſt eum alii. Multa et prodigia terribilem hunc annum fecerunt. Menſe Februario foemina in [b] Holſatia geminos ſuperfoetatione quadam, V dierum interſtitio, peperit. Quinque parhelii eodem menſe in proxima [c] Dithmarſia viſi. [d] Gripſwaldiae in Pomerania menſe Maio captus piſcis xiphias, variis literis ſeu figuris, videlicet, crucibus, gladiis, vexillis, ligonibus, pugionibus, equorum capitibus, navigiis in belli ſignum inſignitus. [e] Vinariae in Saxonia VI Kalend. Quintil. ſol aëre ſereno repente obſcuratus eſt, totoque eo die cum gladii ſtricti forma in ore conſpectus. In [f] Armorica apud nos circa [g] Namnetes, et in [h] Andibus, ingens terrae motus fuit, totoque illo [i] Ligeris tractu a [k] Condivicino [l] Salmuriam uſque; ita ut tecta domorum et templa ipſa nutare, Liger ipſe concuſſa terra ſubſilire, et quaſi ebullire, videretur. Id accidit VIII Kalendas Aprileis, qui dies Annunciationi B. Mariae feſtus eſt, paulo ante meridiem. Sed nullum majus quam in univerſa Gallia portentum fuit, cum, pernicioſa [m] foederatorum, qui et Zelotae dici gaudebant, factione alienatis ubique plebis animis, civitates toto regno a rege et legitimo magiſtratu defecerunt, et, per ſeditiones maturata regis morte, externis atque adeo infeſtis Gallici nominis hoſtibus ad invadendam Franciam portam patefecere, immiſſis in regnum Hiſpanis: adeo ut vir doctus non infacete dixerit, Oſtento, quod Neronis principatu factum narratur, cum in agro Marrucino Vectii Marcelli univerſum olivetum viam publicam tranſgreſſum eſt, et in locum oliveti e veſtigio arva ſucceſſerunt, magis ſtupendum apud nos prodigium fuiſſe; quippe cum Hiſpania in Galliam migraverit, et Galli in media Pariſiorum civitate ſuperbe inambulantem [n] Celtiberiam aſpexerint.

II. PRINCIPIUM anni inſigne fuit morte Gul. Roberti [o] Marciani Bullionii ducis, qui, ſuperioris anni infauſta militia moeſtus, ex eoque moerore ſeu militiae incommodis contracto morbo, Genevae, quo ſe poſt diſſipatum exercitum receperat, ultimum diem clauſit III Eidus Januarias, anno aetatis XXV, eodem quo natus erat die: biduo ante teſtamentum condiderat, quo heredem inſtituebat in omnibus bonis ac ditionibus Carlotam ſororem, ea lege, quantum ad bona tantum quae ſummo cum imperio poſſidebat, ne quid in religione mutaret; eique, ſi ſine liberis decederet, Franciſcum Borbonium Monpenſerii ducem avunculum et Henricum filium [p] Dumbarum principem ſubſtituebat, eadem lege, ne quid in religione juxta Gallicarum eccleſiarum confeſſionem recepta mutaretur: quod ſi facerent, ſorori Navarrum ejuſque heredes, et rurſus Navarro ac ejus heredibus Henricum Borbonium Condaeum, ſubſtituebat; quos et rogabat, ut de collocanda in matrimonium ſorore ſua viro dignitate convenienti, et qui religionem [q] Sedani, Jametii, Raucuriae, et aliis ſupremi imperii locis receptam ſervaret, curam ſuſcipere vellent. Tum Franciſco [r] Lanovio amico ſuo ſororem multum commendavit, et ditionum ſuarum ei ſummam praefecturam demandavit, cum CIↃ aureorum annuorum honorario,

rogavitque

INTERPR. [a] *Stoffler de Juſting en Souabe.* [b] *Holſtein.* [c] *Ditmarſen.* [d] *Gripſwalde.* [e] *Weimar.* [f] *Bretagne.* [g] *pays Nantois.* [h] *Anjou.* [i] *la Loire.* [k] *Nantes.* [l] *Saumur.* [m] *les Ligueurs, & les Zelés.* [n] *l'Eſpagne.* [o] *de la Marck duc de Bouillon.* [p] *Dombes.* [q] *Sedan, Jametz, & Raucour.* [r] *de la Noue.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III.

rogavitque ut Sedani cum ſorore manere vellet, peculiari loci ei cura attributa; Jametii praefectura penes Robertum [a] Thinum Schelandrium, virtutis et fidei perſpectae virum, manente. Nuncio mortis Bullionii accepto Lotharingiae dux, inſtigante Guiſio, commoditatem ſibi alienae ditionis invadendae oblatam ratus, copias tam ſuas quam a Parmenſi auxilio ſummiſſas Jametio propius admovet, duce Oſſonvilla regulo, cui adjunctus Joannes [b] Lenoncurius Michaelis-fani praefectus, et [c] Lupiaci, Armovillae, viciniſque locis eas diſtribuit, capta inſuper molatrina ſubventanea XIV Kalendas Februarias; quae, ex ſolido lapide mira craſſitudine conſtructa, haud procul ab oppidi moenibus, multum oppidanis toto obſidionis tempore incommodavit. In caſtris Lotharingi erant III CIↃ peditum Germanorum, bis mille partim Galli partim Hiſpani et Itali, et in his VII [d] Epirotarum equitum turmae. Omnia contra a Schelandrio, qui loco cum fratre praeerat, ſumma diligentia adminiſtrabantur; et, quia oppidum vaſtum erat et pleriſque locis debile, ita ut a paucis praeſidiariis defendi commode non poſſet, et pluribus introductis metus inceſſerat ne commeatus ad alendum militem ſufficeret, ductae intus duae foſſae, prior juxta arcem, quae X circiter jugerum ſpatium complectebatur, altera ad [e] ſalas oppidi, quae illud in duas partes aequaleis dividebat. Tum tribus propugnaculis olim a Roberto Marciano inchoatis denuo muniendis, ex conſilio Joannis [f] Erardi muniendorum locorum peritiſſimi, opera impenſa: et cum exeunte Januario fruſtra crepitaculis ad molatrinam admotis cum damno praeſidiarii repulſi eſſent, eductis ex arce tormentis et contra turrem illam haud majore ſucceſſu exploſis, ſe poſtea continuerunt, nuncio mortis Bullionii, de qua ſub id ad eos perlatum erat, haud mediocriter moeſti et attoniti. De qua ubi in aulam allatum eſt, rex continuo ex conſilio matris Franciſcum [g] Tugium Riuſium Narbonae praefectum Sedanum mittit, qui et Sedanum et Jametium, Franciae regni patrocinio hactenus defenſa, fidei ſuae committi, militemque regis nomine introduci, peteret; ſaltem eo uſque, donec de ſucceſſionis jure, quod controvertebatur, inter partes conveniret. Nam Carolus Robertus [h] Marcianus Maulevriae comes, Roberti nuper Genevae defuncti patruus, tacito ac familiari gentis Marcianae fideicommiſſo ſupremi dominii terras, hoc eſt, [i] Sedanum, Jametium, Raucuriam, etiam excluſa Carlota, ad ſe pertinere contendebat: contra [k] Monpenſerius Carlotae avunculus ac tutor pupillae ſuae eas potenter aſſerebat. Maulevrius interim Sedanum miſerat, qui juris ſui rationem haberi peterent: verum res a tutoribus ad concilium relata, ac poſtremo petitio ejus omnino eluſa eſt. Cum Monpenſerius [l] Perronum eodem miſiſſet, et arcem tradi praeſidiumque ad ſe introducendum admitti peteret, itidem fruſtra fuit, honeſte excuſantibus ſe [m] Nuelio arcis praefecto ac ceteris urbis moderatoribus, qui de religione ante omnia ſibi caveri, conditionibus, quas praeſtare Monpenſerius tunc minime poterat, juxta ſupremas principis ſui nuper mortui tabulas, petebant. Neutri favebat regina, et ex controverſiae occaſione eorum locorum ſequeſtrem regem fieri cupiebat, ea ſpe ut Carlotam in poteſtate haberet, et ea uni ex Lotharingiae ducis generi, cujus amplificationi mire ſtudebat, filiis aliquando ad componenda inter eos nuper exorta bella elocaretur: quod commodum Lotharingo accidit, contrarium regis imperium verito; qui aegre ab ea obſidione divelli patiebatur, et excurſiones atque damna per Lotharingiam ſuperiore anno a Bullionio data ultum ire ſe dicebat, eoque colore bellum contra Carlotam ſuſceptum, tam apud regem quam in Germania apud Imperii principes Proteſtanteis, excuſabat. Miſſus et Antonius [n] Moretus Realius a Navarro Sedanum,

INTERPR. [a] *de Thin baron de Schelandre.* [b] *de Lenoncourt bailli de S. Mihel.* [c] *Loupy & Armoiville.* [d] *Albanois.* [e] *la Halle.* [f] *Erard, ingenieur.* [g] *de Tugie Sr de Rieux.* [h] *de la Marck comte de Maulevrier.* [i] *Sedan, Jametz, & Raucour.* [k] *le duc de Monpenſier.* [l] *du Perron.* Campana le nomme *Petron.* [m] *de Nueil.* [n] *de Moret Sr des Reaux.*

Sedanum, qui Carlotae de Bullionii ducis morte condoleret, et benevolentiam ſuam ac officium omne ei prolixe deferret.

III. INTERIM Sedano ſummiſſi Jametium auxiliares [a] Balaio duce, qui XIV Kal. Mart. incolumes pervenerunt: ab eoque tempore levibus proeliis per eruptiones certatum fuit, haud magno utriuſque partis damno. Pridie Nonas Martias, qui in primam Quadrageſimae Dominicam incurrebat, hoc aſtu [b] molatrinae ſeu turris lapideae praeſidiarii ingenti damno affecti ſunt a Jametianis. Ii militem ad id inſtructum, ruſtici habitu, ſummo mane cum [c] ſporta emittunt, fructibus omnis generis plena; in cujus imo erat ſaccus nitrato pulvere refertus cum [d] rota ſcloppetaria, quae ſimul ac ſaccus extraheretur diſploſa ignem pulveri immitteret. Nec aſtus exitu caruit: nam cum pertranſeuntem ruſticum milites circumveniſſent et in ſportam involaſſent, et ille precibus ac lachrimis, ut magis falleret, ſportam ſibi reddi enixe flagitaret, tandem aſportata a praeſidiariis in turrem ſporta eſt, et ruſticus dimiſſus; qui celeri fuga ſe periculo ſubduxit. At illi praeda potiti ſubito direptis fructibus, dum ſaccum extrahunt, diſploſa rotula pulvis ignem concipit; quo disjecta turris tabulata, et milites partim diſcerpti, ſerpente in [e] capſulas pulvere plenas, quas quiſque eorum geſtabat, igne, partim ambuſti ſunt. Ad ſtrepitum, qui [f] Lupiaci et Armovillae erant, concurſu facto ſtatim advolarunt: cumque ad turris portam veniſſent, ac edita teſſera nequicquam pulſaſſent, nihil reſponſum eſt, quippe exanimato ac ſopito milite. Tandem foribus refractis non ſine multorum admiratione aſtus patuit: qui XV Kal. April. diverſa ratione, ſed pari exitu, repetitus eſt. [g] Trabs utrinque ambuſta, ſed intus eo artificio excavata ut [h] granata mala ignibus artificioſis plena in eam conjecta extrorſum non apparerent, ad locum, in quo noctu excubiae ignem accendere conſueverant, a ruſticis defertur: ſtationarii, heſternae noctis titionem reliquum rati, illum in ignem conjiciunt; qui ubi ad mala granata pervaſit, magno cum fragore ingentem ſtragem edidit. Sequentibus diebus pugnatum acribus ac crebris eruptionibus. Demum inſtituta ad eam partem quae ortum ſpectat verberatione, CIƆ CC amplius tormentorum ictus diſploſi uſque ad XVII Kalendas Apnileis, qui in pervigilium Dominicae reſurrectionis incidebat: quo die cum vis ad ruinam non ſatis exploratam ſcalis admotis facta eſſet, ex Lotharingicis CC amplius deſiderati ſunt. [i] Angelius Marius Criſpinus nobilis tribunus in eo conflictu in brachio vulneratus, ſed gravius Hieronymus [k] Rambotius Florentinus ejus centurio major, qui ex vulnere poſtea obiit. [l] Hieronymus Bonzolatus Vicentinus graviter multis corporis partibus ſauciatus eſt, ſed periculum mortis evaſit. Poſtridie triduanae induciae pactae, quibus cadavera ſuorum in foſſa relictorum Lotharingici ſepelire, obſeſſi ruinas ſuas ſarcire, poſſent. Inde deductis tormentis et copiis per longiora hoſpitia diſtributis, ab arctiore obſidione diſceſſum eſt, Lotharingicis brevem reditum interminantibus. Gratiae in urbe a Catholicis et Proteſtantibus Deo magna concordia actae, quippe cum oppugnationis eventus univerſos nullo religionis diſcrimine amplecteretur. Eodem tempore Lotharingici, qui Sedanum circumſederant, cum ab erumpentibus quotidie praeſidiariis infeſtarentur, conſilio inter duces inito copias contrahunt: et, cum antea laxioribus hoſpitiis uterentur, ſic inter ſe componunt, ut pars equitatus et peditatus, cui Chriſtianus [m] Savinius Ronaeus praeerat, [n] Moſa ad [o] Remillium tranſmiſſo, ab illa parte excurſiones impediret; Schwarceburgio regulo, cum ſua, Antonii [p] Vizii e Gallica nobilitate Guiſio addicti, [q] Tillii e Lotharingia viri item nobilis, et [r] Caroli Itali equitum turmis, in adverſa Moſae ripa remanente: qui

INTERPR. [a] *le capitaine Balay.* [b] *Moulin à vent.* [c] *hotte.* [d] *rouet d'arquebuſe bandé.* [e] *fourniments.* [f] *Loupy & Armoiville.* [g] *piece de bois bruſlée par les deux bouts.* [h] *grenades.* [i] *il capitan Angel Mario Creſpo.* [k] *Rambotti Fiorentino Alfiere ou ſergent major.* [l] *Girolamo Bonzolato Vicentino.* [m] *Savigny Sr de Roſne.* [n] *la Meuſe.* [o] *Remilly.* [p] *Vize.* [q] *de Tilly.* [r] *le capitaine Carlo.*

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

qui omnes [a] Donzio, ubi hoſpitium habebant, muniendo ſtrenue incumbebant, loco opportuno, quippe ad [b] Carum amnem hyeme nullibi vadoſum ſito, qui [c] Ivodium praeterlabens in Moſam paulo infra Donzium exoneratur; ita ut cum Sedano Jametium tendentibus tranſire neceſſe ſit, et eo occupato auxiliaribus via intercluderetur. Inſuper juxta Donzium II levis armaturae equitum turmae, ducibus Joanne et Thoma Epirotis, excubabant, medio amne; quae ad primum ſtrepitum per pontem tranſire et Donzii praeſidiariis praeſto eſſe poterant. Ronaeus interea ad Raucuriam caſtra admoverat, Bullioniae ditionis municipium. Quo [d] Nuelius, quod locum commeatus penuria laborare intellexiſſet, profectus cum XXC equitibus et CCCC ſcloppetariis, annona illata, neque alia re praeterea geſta, ſupervenientibus foedis imbribus ſe recepit, et ad Donzium ab hoſte muniri coeptum vireis vertit. Nam ad ſecuritatem Sedani et Jametii pertinere inter belli duces convenerat, ut operae interturbarentur; et cum [e] Haraucuriam tentari pleriſque minus periculoſum videretur, eo potius adduci placuit. Itaque Nuelius pridie Eidus Aprilis ſub noctem eo profectus cum [f] Arſonio et Falaſio, XC equitibus et CCCC ſcloppetariis, copias tripartito inſtruit, eo ordine, ut C delecti pedites, [g] Dorio et Parmenterio ducibus, pontem Caro impoſitum occuparent, ne Epirotae ſuis auxilio eſſe poſſent; [h] Caverderius [i] Calmontii legatus recta ad [k] Schwarceburgii hoſpitium impetum faceret cum L ſcloppetariis; [l] Framundus et Maſſarius cum ſuis munitionem exdoliis ſtructam oppugnarent; [m] Villepoſius centurio major cum reliquo peditatu et equitatu eventum opperiretur, ad omneis caſus praeſto futurus. Poſtridie ante diluculum vis ad Donzium facta, ponte citra certamen occupato. Majus ad munitionem negotium fuit, quo Schwarceburgius ipſe cum Antonio Vizio et Joanne Romero accurrerunt. Ibi pugnatum acriter horae fere ſpatio: tandem obſeſſi ceſſere, Vizio et ejus legato in conflictu interfectis. Dum certatur, ceteri equis tumultuoſe conſcenſis ad pontem tendebant; quem occupatum cum offendiſſent, qua quiſque poterat, effugium quaerebat: multi in amnem ſubjectum praecipitati, multi capti et interfecti. Schwarceburgius cum paucis equorum virtute ac pernicitate periculum evaſit. C amplius deſiderati, praeter eos qui amne hauſti ſunt. Qui Donzii remanſerunt, [n] Carolus Italus, Romerus, et Marvilla, cum circiter CC, ad munitionem in municipio ſtructam ſe receperunt; ſed mox, admotis a Nuelio tormentis, perculſis metu ſuis, duces vitam ſalvam pacti deditionem fecere; qui inde ad Carlotam Sedanum deducti ſummam ejus humanitatem experti ſunt. Strage ſuorum intellecta, qui [o] Lamecuriae erant a [p] Ronaeo impoſiti, tranſmiſſo [q] Moſa locum confeſtim deſeruerunt. Exinde rurſus ad Jametium levibus proeliis certatum cum [r] Epirotis et Italis equitibus fere haſtatis: quo genere armorum parum obſeſſi infeſtabantur; contra plerique ex hoſtibus interfecti et capti. Obſervatum fuit, captivis eam religionem eſſe, ut ſe tutos characteribus et ſcripturis quibuſdam adverſus ſcloppetorum ictus crederent; compertumque eos intra tunicam primum caput evangelii S. Joannis deſcriptum, Epirotas quidem Graece, Italos Latine, geſtare ſolitos, cum quibuſdam precibus ac crucibus. Interea Sedano ſummiſſi CXX auxiliares, qui incolumes Jametium pervenerunt VII Eidus Maias. Suppleta et [s] Balaei cohors XL delectis ſcloppetariis. Rurſus ineunte Junio aliquot eruptionibus certatum; et obſeſſi, facta ad [t] Stenaeum et vicinos pagos excurſione, magnum boum numerum uſque ad CCCC abegerunt. Sub id miſſus a [v] Schelandrio [w] Stivallius, qui ab initio obſidionis Jametii

INTERPR. [a] *Donzy.* [b] *riviere de Chis.* [c] *Ivoy.* [d] *de Nueil.* [e] *Haraucourt.* [f] *les ſieurs d'Arſon & de Falaiſe.* [g] *les capitaines Doris & Parmentier.* [h] *Cheverdiere.* [i] *Caumont.* [k] *le baron de Schwartzenburg.* [l] *les capitaines Framond & Maſſart.* [m] *Villepois ſergent major.* [n] *les capitaines Carlo, Romero, & Marville.* [o] *Lamecourt.* [p] *Savigny de Roſne.* [q] *la Meuſe.* [r] *Albanois.* [s] *le capitaine Balay.* [t] *Stenay.* [v] *de Thin baron de Schelandre.* [w] *d'Eſtivaux.*

[a] Jametii fuerat, ad Joannem [b] Caſimirum et Franciſcum Lanovium, cujus curae Bullionii dux res ſuas teſtamento commiſerat, qui eos de rerum ſucceſſu plenius edoceret, et adverſus novas Lotharingicorum vireis, quae jam inſtruebantur, auxilium peteret. Is XV Kal. Quintil. Heidelbergam venit, ubi cum Caſimiro erat Lanovius; reque cum iis communicata, ac facta ab iis auxiliorum ſpe, remiſſus eſt. Conſcripti a Caſimiro Germani pedites ac equites idoneo numero; ſed, Lanovio Genevam profecto, et mora majore quam putabatur interjecta, tardius eo advenere. Interea CIↃ IↃCC pedites Germani in caſtra Lotharingicorum advenere; adventuſque eorum occaſione a praeſidiariis erumpentibus certatum fuit ad [c] Lupiacum, pejore Lotharingicorum conditione. Demum VII Eid. Quintil. [d] Oſſonvilla et Schelandrius loco ad colloquium conſtituto conveniunt. Ibi de pacis rationibus inter eos actum; iſque exitus colloquii fuit, ut Schelandrius ad Monpenſerium, Oſſonvilla ad Lotharingiae ducem, ſe relaturos reciperent, et intra XV dies alter alterum, quid egiſſet, certiorem faceret. Quo tempore pabulo avehendo utrinque certatum fuit poſt foeniſecium, et maturis jam meſſibus, et exacerbatis ob vaſtatum circa Sedanum agrum animis, ſumma inhumanitate ubique ſaevitum a Maii principio uſque ad Quintilem exeuntem: quo tempore detecta quaedam occulta conſilia, quae Oſſonvilla cum praeſidiariis aliquot Jametii agitaverat, indicio ipſius cum quo egerat Oſſonvilla; qui, Schelandrio permittente, IV CIↃ aureorum, et ſyngrapham XIV CIↃ, quae ex promiſſis XX CIↃ ſupererant, ab eo accepit: quoque magis falleret, ejuſdem Schelandrii permiſſu IV milites ex Lotharingicis intra Jametium accepti ſunt; quorum duo clam aliis ſecreto a Schelandrio ſub cuſtodia retenti, alii duo ab indice decepti accepta ab eo teſſera ad Oſſonvillam pergunt, et omnia inſtructa eſſe renunciant. Igitur cum IV Kal. Sextil. conſcii ad foſſam oppidi nocte intempeſta veniſſent, producti qui retenti fuerant, et a Schelandrio, mortis intentato metu, ita facere juſſi, ultro ſocios ex moenibus ad rem fortiter tentandam invitant: qui fraudem abeſſe rati in foſſam deſcendunt; ſed ob noctis obſcuritatem, non exſpectato dum majore numero deſcendiſſent, praecipitatum fuit ab obſeſſis negotium, et ante tempus artificioſi ignes ad id parati ſunt incenſi; quorum vi tantum XL interfecti ſunt, et in iis [e] Rognacus et Gargas ille, qui a rege deficiens in [f] Viroduno capiendo ante triennium Guiſio operam addixerat. Poſtea ad praedas agendas ab obſeſſis excurſiones crebrae factae, Lotharingicis omnia circum vaſtantibus. Tres munitiones interim ab iis excitatae quaſi arctiore obſidione oppidum cincturis; et Septembri ineunte quarta inchoata, et duobus pontibus flumen ſtratum, quibus hinc inde ad munitiones in utraque fluminis ripa exſtructas commode commearent. Rurſus, ut eruptiones obſeſſorum impedirent, ad IV jam erectas aliae V adjunctae. Ad ortum III directae; prima arcem verſus juxta hortum oppido ſubjectum; ſecunda, cui Jo. Bapt. [g] Rinaldinus Vicentinus praeerat, paulum ad ſeptentrionem deflectebat; tertia paulo infra a Germanis peditibus ſervabatur: tres aliae ad ſeptentrionem et amniculum ſubjectum a Gallis tenebantur. Inſuper alia major ad occaſum imminebat, inter [h] Ollianam villam et ſylvam oppoſitam, quae a [i] Nervaſio Hiſpanorum ductore defendebatur, cum aliis duabus quae meridiem ſpectabant, quas [k] Selinus centurio major tuebatur. Ibi crebro certatum fuit, donec, cognito Lanovium Geneva Sedanum veniſſe, induciae VIII dierum factae ſunt, quibus Schelandrius ad Lanovium iret, et de pacis rationibus cum eo ageret. Mentio etiam de Carlota alteri ex Lotharingi filiis elocanda a Margarita Arembergii comitis vidua, quae ex eadem Marciana gente erat, injecta:

verum

INTERPR. [a] *Jametz.* [b] *le duc Caſimir, & François de la Noue.* [c] *Louppy.* [d] *le baron d'Auſſonville.* [e] *le Sr de Rongnac, & le capitaine Gargas.* [f] *Verdun.* [g] *Rinaldini.* [h] *la cenſe d'Olia.* [i] *de Nervaiſe.* [k] *Selin ſergent major.*

CIƆIƆLXXXVIII HENRICUS III. verum ut in illud matrimonium conſentirent moderatores Sedani adduci non potuerunt; et quanquam, quantum ad religionem, Lotharingus eandem libertatem, quae hactenus fuiſſet, oppidanis permiſſurum ſe promitteret, tamen verebantur ne fidem ſervaret; quippe cum a foederatis nuper jactatum eſſet, multiſque argumentis confirmatum, principes Chriſtianos ad ſervandam fidem ſectariis datam minime obligari, et ſalva conſcientia poſſe, occaſione data, illis contra fidem bellum inferre. Itaque re infecta [a] Schelandrius cum Sedano [b] Jametium rediiſſet, rurſus bellum redintegratum: et cum Epirotae ad armenta oppidanorum abigenda, ducibus [c] Urbano Tilone et Verdellio, ſub moenia veniſſent, acriter certatum fuit; vixque Urbanus, ſuffoſſis duobus equis et vulnere gravi accepto, periculum evaſit. Poſtea, cum ad alia incommoda jam graſſantis inter praeſidiarios ſanguinolenti profluvii lues acceſſiſſet, rurſus annitente Arembergia, quae ſub id Sedanum venerat, ad colloquium reditum eſt, et perſcriptae conditiones, quae ab Oſſonvilla ad Lotharingiae ducem miſſae ſunt XV Kalendas Novembreis: ſeriuſque ad ea reſponſum, cum Oſſonvilla amplius in obſidione non eſſet; quippe in aegritudinem incidens, ac ſubito tremore membrorum correptus, ad curandam valetudinem a Lotharingo miſſionem impetraverat, et in ejus locum Joannes [d] Lenoncurius magnus Lotharingiae ſeneſcallus miſſus fuerat; qui exeunte Octobri in caſtra venit, et, tradente Oſſonvilla, exercitum regendum accepit. Magna ligni penuria in oppido laborabatur: unde occaſione capta, cum obſeſſi ſcirent, inciſis arboribus hoſtem aditus undique clauſiſſe, manu armata erumpunt, ſi nihil aliud, ſaltem lignationem aſportatis illis in oppidum arboribus facturi. Nec exitus omnino defuit: nam dum obſtinatis animis utrinque certatur, magna lignorum vis in oppidum illata fuit. Rurſus cum ex [e] Stenaeo fragor diſploſorum tormentorum exaudiretur, et Schelandrius ſciret a Sedani praeſidiariis de eo intercipiendo conſilium agitatum eſſe, ut de eventu cognoſceret eruptionem facit: verum, cognito conatum admotis ad portam crepitaculis fruſtra fuiſſe, ſe recepit; et cum reſponſum ad conditiones perſcriptas a Lotharingo non veniret, ad extrema ſe comparare coepit. Dum in eo res eſſent, [f] Firmitanus ad Schelandrium ſcribit, et ſibi publica fide caveri petit; qua accepta cum reſponſo Lotharingi Jametium venit XV Kalendas Decembreis, et inde cum [g] Marolio Sedanum profectus eſt, ut cum Lanovio de conditionibus plenius ageret. Ibi res paulum turbatas offendit, equitatu pridie ad Stenaeum male mulctato, et partim caeſo, partim in fugam conjecto, multis etiam ex iis captis. Tandem Schelandrius, qui diu oppidum et arcem jam anguſta annona ſimul tueri non poſſe cerneret, de oppido mature paciſcendi auctor Lanovio fuit; alioqui fore, ut, omni commeatu conſumpto, arcem cum oppido ſimul amiſſuri ſint. Tandem conventum et traditum oppidum Lenoncurio exeunte Decembri, arce penes Schelandrium manente: induciae item in VI ſeptimanas pactae, quo tempore ab hoſtili vi abſtineretur, de matrimonio inter Carlotam et comitem [h] Valdemontium ab Arembergia propoſito ageretur; cujus contrahendi ratione ad regem, in cujus patrocinio Jametium et Sedanum ſunt, et ad Monpenſerium Carlotae avunculum ac tutorem mitteretur, ut ex eorum conſenſu, nec aliter, res tranſigeretur. Perſcriptae et pro oppidanis eorumve libertate ac bonis inter Lenoncurium et Schelandrium leges; quarum tamen poſt traditum oppidum nulla ratio habita fuit. [i] Nervaſius Hiſpanus cum praeſidio impoſitus, cum praeter moenia et domorum macerias vacuas, omnia quippe Schelandrius in arcem comportari curaverat, nihil reperiret, magnis incommoditatibus initio conflictatus eſt. Poſtea pacta inter Schelandrium et Lenoncurium conventa Carolus Lotharingiae dux et Carlota rata habuerunt.

IV. UBI

INTERPR. [a] *le baron de Schelandre.* [b] *Jametz.* [c] *Urbano Tione, & Verdelli.* [d] *de Lenoncourt.* [e] *Stenay.* [f] *le Sr de la Ferté.* [g] *de Maroles.* [h] *le comte de Vaudemont.* [i] *de Nervaiſe.*

IV. Ubi primum Lanovius Sedanum venit, antequam Stenaeum tentaret, ſcriptum evulgavit, quo belli a ſe pro Carlota et ditionis Bullioniae ad regni Francici patrocinium pertinentis defenſione ſuſcepti rationes reddebat. Enimvero vir antiquae probitatis et veri decoris, ſi quis alius, perſtudioſus, aliquot ante annis ab Hiſpanis in Belgio captus, cum poſt quinquennalis carceris taedium vix ſe duriſſimis conditionibus redemiſſet, haud ignorabat conſilium ſuum in malevolorum reprehenſiones incurſurum; ſiquidem is promiſerat in Belgio contra Philippum, et in aliis ipſius ditionis regnis ac provinciis, minime militaturum, cautione a Navarro c aureorum CIↃ interpoſita, pro quibus ille ampliſſimas, quas in Belgio habet, poſſeſſiones oppigneraverat: inſuper promiſerat Lanovius Carolo Lotharingiae duci, qui fidem pro eo Hiſpanis obligaverat, contra ipſum ipſiuſve imperium non militaturum; et [a] Telinium filium obſidem dederat, qui perhumane [b] Nancei in ejus aula primum habitus eſt: quas omneis ac ſingulas conditiones, quae regis arbitrio permiſſae erant, ita ratas habuit Lanovius, ut ad eas obligatus intelligeretur, niſi rex aliter vellet, et pro patria ac defenſione regni ipſum arma ſumere juberet. Igitur eo ſcripto Lanovius, multa de innocentiae ſuae conſcientia et decoris honorifici ſtudio, quod quiſque nobili natus loco habere debet, praefatus, multa et de conditionum ab Hiſpanis ſibi impoſitarum gravitate conqueſtus, quaſi ex infimi militis libertate praepotentis principis fortunae penderent, id ſe ab eo tempore ſumma cura ſervaſſe dicit, ut nihil contra datam fidem, quod merito reprehendi poſſet, feciſſe videretur. Itaque ante annum cum auxiliaris Germanorum exercitus per Lotharingiam iter facturus et in Franciam penetraturus eſſet, quamvis importunis amicorum et quorundam Germaniae principum precibus invitaretur, noluiſſe huic militiae nomen dare, ne quam Lotharingiae duci ac regi Chriſtianiſſimo cauſam offenſionis aut juſtae contra ſe querimoniae occaſionem praeberet. Dein ſecutam Bullionii ducis mortem, qui extremis tabulis ditionum ſupremi dominii patrocinium, ut antea ſemper factum eſt, regi commendavit, et Carlotae ſororis et heredis tutelam illuſtriſſimo principi Monpenſerio avunculo detulit, ac locorum munitorum cuſtodiam ſibi ſuaeque fidei commiſit. Multorum opinionem fuiſſe, inimicitias occaſione belli ſuperioris inter [c] Lotharingum et Bullionium natas, Bullionio extincto una extinctum iri: ſed aliter eveniſſe, et inſigni exemplo patuiſſe, non ut rixis inter privatos, ſic bellis inter principes, ultionem et odium cauſam praebere; ſolam aliena invadendi, et cum vicinorum injuria fineis propagandi, cupiditatem eos inter ſe committere. Nam Lotharingos, ſublato Bullionio, ſtatim in Carlotam pupillam ejuſque ditionis fineis impetum feciſſe: ſe vero, qui ſalva fide et conſcientia vim vi repellere potuerit, quippe commiſſo pupillae regni veluti beneficiariae patrocinio obligatus, tamen antequam ad arma deveniretur, miſſo e domeſticis Carlotae nobili regem rogaſſe, ne pupillae regni veluti beneficiariae et opem ſuam implorantis periculum negligeret: regem autem ad ea reſcripſiſſe, ſcripturum ſe ad Lotharingum ſororium, ac moniturum ut ab armis abſtineat; Monpenſerium vero Sedanum propediem venturum Carlotae avunculum et tutorem, qui coram res inſpiciat, et ſecuritati locorum pro prudentia ſua conſulat. His literis acceptis aliquandiu quieviſſe, et, habito cum Jo. Caſimiro Heidelbergae colloquio, inde Genevam contendiſſe, ac propterea ſerius Sedanum veniſſe: ubi cum omnia armis et infeſtis excurſionibus perſtrepere, nullo regiae majeſtatis reſpectu, Jametium vero arctius in dies cingi, comperiſſet, tamen antequam arma reſumeret cum Lotharingi miniſtris ſaepius egiſſe, ac inprimis cum Arembergia Carlotae gentili; inducias etiam pepigiſſe, per quas de conditionibus ab ea propoſitis melius per otium deliberaretur. Sed nihil ea via profectum: itaque rurſus cum

INTERPR. [a] *de Teligny.* [b] *Nancy.* [c] *le duc de Lorraine.*

CIƆIƆLXXXVIII cum Firmitano diligenter egiſſe, quo Lotharingus a juxta damnoſo ac pudendo conſilio deterreretur: nam neque honorificum illi, neque utile futurum, ſi virginem in ea aetate conſtitutam, nulla ab ea injuria provocatus, injuſte peteret; et jam tanti perniciosum hoc conſilium illi conſtitiſſe, ut quid in futurum ſperari poſſet, ex eo conjectare facillimum ei eſſet. Haec omnia et dixiſſe ac feciſſe, antequam via armorum tentaretur; minus ut mirum videri debeat, cum tam juſtae belli cauſae ſubſint, ſi, defenſione pupillae et locorum regis patrocinio commendatorum ſuſcepta, ipſe adverſus Lotharingum, cui alioqui multum ob fidem pro libertate ſua interpoſitam debere ingenue fateatur, arma ſumpſerit: nam plura patriae debere ac principi ſuo, quorum nomina adverſus omnia cujuſquam privati merita certant. Nam filios etiam in patriae cauſa adverſus parentes excuſari: et ita Lotharingo fidem obſtrinxiſſe, modo contra regnum Lotharingus bellum minime gerat, aut rex aliter non jubeat. Atqui, oppugnata Carlotae ditione, bellum regi regnoque indici: nam foederatorum et regni eandem cauſam eſſe; et ſapientiſſime legatum a ſenatu Romano ad Hannibalem miſſum dixiſſe, Carthaginenſeis, dum Saguntum oppugnarent, Romae moenia pulſare. Itaque, ſumptis pro Carlotae et ejus ditionis defenſione armis, fidem Lotharingo datam minime violari. Quin et ad patriae charitatem etiam tutelae cauſam accedere, cujus ratione praeterea ad hoc bellum obligetur; praeſertim cum non ad vim inferendam ſed propulſandam ſuſceptum ſit, nec juſtam ejus cauſam obtendat Lotharingus. An enim ob jus aliquod in Carlotae ditione olim a ſuis praetenſum? atqui hoc minime dici. An ob damnum ſuperiore anno ab exercitu auxiliari per Lotharingiam datum? At cur non potius in Bullionium, dum viveret, aut in Germanos, Helvetios, Gallos denique, quam in pupillam, injuria vindicata? Verum enimvero jam cunctis conſtare, foederatos hoc bello non jus ſuum perſequi, non privatas injurias ultum ire, imo Franciam ac regem ipſum peti. Quorſum enim alio pertinere arma contra Carlotam ſumpta, niſi quo et pertinet nuper tentata a foederatis [a] Bononia, motus interni ab ipſis ſuſcitati, et extra regnum in Subalpina regione [b] Saluciarum principatus vi aſtuve oppugnatus? Igitur ſibi ſumendorum contra Lotharingum armorum in juſta cauſa neceſſitatem impoſitam, rege injurias tantas aut prudenter diſſimulante, aut aliis gravioribus negotiis occupato; interim regii faſtigii majeſtate ubique viloſcente, et, violata edictorum religione, innocentibus per totum regnum ad caedeis, ſpoliationes, ac morte ipſa graviores injurias, expoſitis. Neque ignorare ſe, ſeditioſos, qui turbas aeternas quam pacem hodiernam malunt, mox objecturos, haec ab homine ſectariae labis veneno infecto dici: atqui profiteri ſe, vivere et mori ea in fide paratum, quae in eccleſia Romana tanquam nobili Catholicae eccleſiae membro a Paulo promulgata eſt, ut ex ejus ſacroſanctis monumentis patet: verum hodie ſic eſſe tempora, ut is Catholicus habeatur qui a pace et concordia alienus eſt; qui pietatem et aequitatem in ore habet, injuſtitiam et diſſimulationem in corde celat; qui mutationem in republica cupit, cum regni hoſtibus ſecretam foederationem colit, regni diſſipationem exoptat, ut ex reliquiis ejus privatum emolumentum captet, et quaſi tabulas ex tanto naufragio colligat. His opinione diſſidentem apud animum ſuum contra conſtituiſſe, ſe adverſus pernicioſos factioſorum conatus opponere, pro patria, pro principe, pro aris, focis, et denique pro libertate, ac pupilla ſibi commendata, vitam profundere; neque exſpectaturum, ut ignavia ſua ac longiore patientia majores animos regni hoſtibus faciat, et, quod hoſpes olim Praeneſtinus a Corn. Sylla tulit, idem ab iis pro praemio accipiat. Ad extremum addit, ſatis verbis datum, jam facto opus eſſe, dummodo quod faciendum eſt, juſte fiat.

HENRICUS III.

V. DUM

INTERPR. [a] *Boulogne ſur mer.* [b] *le marquiſat de Saluces en Piedmont.*

V. Dum Lotharingicae copiae ad Jametium ſederent, Carolus Lotharingiae dux cum Guiſio ac ceteris foederatis ineunte anno Nancei convenerant: et, ex communi conſenſu perſcriptis certis capitibus, regem rogandum decreverant, ut ſe apertius ſine tergiverſatione foederatorum partibus jungeret, et a negotiorum circa ſe adminiſtratione, a locorum praefecturis, muneribus publicis, ac magiſtratibus, ſuſpectos, qui a foederatis nominarentur, ſine mora removeret; concilium Tridentinum in regno promulgandum curaret, ejus executione ad aliquod tempus ſuſpenſa, in iis quae collegiorum, coenobiorum, et aliarum eccleſiarum ab epiſcopis exemptionem ſpectant; ſacroſanctae Inquiſitionis officium in primariis civitatibus conſtitueret, optimum et unicum ad exſtirpandum ſectarium virus remedium; externoſque tantum, aut ſaltem ſuſpectis nulla neceſſitudine conjunctos, ei praeficeret: ſacro ordini, ut bona ſua ſuperioribus temporibus alienata, aut poſthac quacunque de cauſa diſtrahenda, luere poſſit, et ipſi eccleſiaſtici ad ea luenda cogerentur, facultatem faceret: loca munita quaedam in foederatorum ducum manus conſignaret, quae ipſi munire denuo et novas arces in iis exſtruere poſſent, cum idoneo praeſidio, civitatum ſumptibus, ſi ducibus ita videbitur, aut imperata vicinae regioni pecunia, alendo; quod idem in locis munitis, quae jam tenent, facere poſſe intelligantur: in Lotharingiae limite, ad prohibendum externorum tranſitum, idoneum militum numerum ſuo ſumptu rex aleret, ob idque in bonis ſectariorum diſtrahendis omnis diligentia adhiberetur: inſuper ſuſpecti ab anno CIƆ IƆ LX pravitati haereticae participaſſe, cujuſcunque conditionis ſint, tertiam aut ſaltem quartam bonorum partem, Catholici decimam, conferre in id bellum tenerentur: ſectariis cognatione conjuncti ipſorum bona haſtae ſubjecta emere cogerentur, quintae partis pretii eis facta gratia; ſi ſe excuſaverint, aliis vendita jure retractus, aut alia quavis de cauſa, olim redhiberi non poſſint: ſic autem pecunia ex iis proveniens diſpenſetur, ut ante omnia aes alienum belli hujus cauſa a foederatorum ducibus contractum diſſolvatur: bello captis vitae gratia non fiat, niſi cautione prius accepta, ſecundum majorum religionem victuros; inſuper omnium bonorum, ſi nondum vendita eſſent, pretium exſolvant, et triennium ſuis ſumptibus huic bello militent. Has foederatorum petitiones rex ad ſe allatas, non tam aſpernatus, quam domeſticis atque adeo urbanis motibus revocatus, diſtulit, ac poſtremo eluſit. Is tunc poſt reditum ab exercitu ſuum in urbe erat, ubi omnia, factione jam adulta, aperte turbata offenderat, plebe faſcinata, et concionatoribus nihil non in regiae majeſtatis invidiam dicentibus ac facientibus: nam et regem, quaſi male conſultus ad ſectariorum conatus conniveret, occulte ſugillabant, et omnia ejus conſilia in malam partem interpretabantur: contra, principum Catholicorum, ſic Guiſianos appellabant, virtutem immodicis laudibus tollebant, eoſque tanquam regni atque adeo religionis columina populis oſtentabant, et belli ſuperiore anno contra Germanos geſti decus eis ſolis tribuebant; culpa, quod non omnino debellatum eſſet, in feſtinatam invidioſe cum hoſte pacificationem et in regem maligne derivata. His accedebat ingens in Jo. Ludovicum [a] Nogaretum Eſpernonium, quem rex honoribus invidioſis in dies ornabat, odium; quod rurſus in regem artificioſe retorquebant.

VI. Is poſt mortem Annae [b] Jouſae praefectus maris creatus fuerat, et in ſenatu III Eid. Jan. ſacramentum dixerat, cum jam ante peditatus Gallici [c] praefectura, titulo officii coronae, quod vocant, a rege ornatus eſſet; inſuper et [d] Neuſtriae, quae eſt ampliſſima toto regno provincia, et quam Jouſa tanquam potentiae ſuae arcem tenebat,

INTERPR. [a] *Nogaret de la Valette, duc d'Eſpernon.* [b] *de Joyeuſe.* [c] *colonel de l'infanterie Françoiſe.* [d] *le gouvernement de Normandie.*

CIↃIↃLXXXVIII

HENRICUS III.

tenebat, praefectura donatus eſt. Magnam is in invidiam, quod Navarro in occulto faveret, ob eas, quas diximus, cauſas apud plebem venerat; et cum Petrus [a] Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis, et gentis ſuae nobilitate fretus, et ingenio ac facundia vehementi praeditus, olim Proteſtantium doctrinae addictus, eoque ipſis ad oſtentationem infeſtior, multa in Navarrum acerbe, tanquam regni ſucceſſione indignum, coram rege diceret; ille, hominis inſolentiam non ferens, viciſſim ab eo quaeſiverat, coram procerum coetu, an qui cum ſorore conſueſceret, qui ſacra venalia cuncta haberet, ſua non ſolum ſed et ſuorum bona foedo nepotatu abliguriſſet, dignus eſſet qui primaria praeſulis dignitate in eccleſia fungeretur? Quibus verbis, nam haec vulgo de ſe jactari minime ignorabat, acriter pungi ſe ſentiens Eſpinacus, ultra modum commotus eſt. Cumque de tanta injuria ſibi fruſtra a rege ſatisfieri petiiſſet, qui medium ſe huc uſque, nondum plane renudato animo, geſſerat, aperte ad Guiſii partes defecit; eique, ut erat praefracto et impotenti ad ultionem odio, pernicioſa conſilia maturandi auctor fuiſſe, ac poſtremo praefeſtinata conjuratione exitium attuliſſe, creditur. Inde famoſis libellis inter infeſtos certatum, renovata ab archiepiſcopo Petri [b][1] Gaverſtoni ex hiſtoria Anglicana invidioſe memoria, vulgoque Eſpernonius inter foederatos Gaverſtonus vocabatur; eaedem quippe in Gaverſtoni et Noguareſti nominibus literae, ſed tranſpoſitae, reperiuntur. Gaverſtonus, ut ſcribit Thomas Walſinghamus, in [c] Albanenſi coenobio olim monaſticam profeſſus, cujuſdam generoſi, ſed alienigenae e [d] Vaſconia, qui Edvardo I magna fidei et virtutis opinione militaverat, filius, paternorum meritorum commendatione in aula educatus, neſcio quibus officiis ſe gratiae Edvardi filii inſinuaverat; magnaque ob id invidia cum apud proceres laboraret princeps, patris juſſu coactus eſt eum a ſe dimittere, fide a Gaverſtono data, in Angliam poſthac non rediturum. Verum mortuo patre Edvardus II monitorum immemor mox Gaverſtonum ab exilio revocavit, inconſultis regni proceribus; ſpretiſque prae illo magnatum filiis, praecipuo honoris ac gratiae loco, quamdiu per Anglorum patientiam licuit, apud ſe habuit; lapſuque temporis amor, quo eum proſequebatur, in tantum crevit, ut non niſi morte ejus dividi potuerit. Erant in Gaverſtono praeter ſuperbiam immanis rapacitas et avaritia, quae eum non ſolum proceribus ſed etiam tenuioribus in regno inviſum reddebant: itaque rurſus inſtantibus magnatibus, rex quarto regni ſui anno eum a ſe dimittere cogitur. Eodem anno ducta Gilberti [e] Gloceſtriae comitis ſorore in uxorem, ſemel atque iterum pellitur ac revocatur, proceribus expoſtulantibus, ac ſe, niſi Gaverſtonus e regno pelleretur, rebellaturos interminantibus; tandemque anno inſequenti conjuratione a regni proceribus facta, duce Thoma [f] Lancaſtrenſi regis agnato, rex vi armata opprimitur; quam dum cum Gaverſtono fugiens declinare conatur, Gaverſtonus in fuga capitur, et judicio procerum damnatus capite plectitur. Haec ad annum CIↃCCCXII acciderunt. Neque tamen, tam inſigni publicae invidiae exemplo, miſerabilis princeps, cui fatale erat alieno potius arbitrio et affectu quam proprio regi, ſapere potuit, quin mox Hugonis [g] Diſpenſatoris et cognominis ejus filii arbitrio ſe ſuaſque res eadem imprudentia permitteret. Is Hugo alteram Gloceſtriae comitis in pugna inter Anglos et Scotos ſequenti anno commiſſa interfecti ſororem, ac regi proxima cognatione conjunctam, in uxorem duxerat: et cum cuncta ad libidinem ambo moderarentur, rex eodem, quo prius, odio apud proceres flagrare coepit; et octavo poſt anno, conjuratione itidem facta, eodem Thoma Lancaſtrenſi duce, eo deventum, ut rex votis ſuorum ſatisfacere coactus ſit. Hugone ſeniore relegato, junior diverſis locis latitans in regno remanſit. Altero poſt anno conciliatis ſibi

proceribus

INTERPR. [a] *d'Eſpinac.* [b] *Gaveſton.* [c] *l'abbaye de S. Albans.* [d] *Gaſcogne.* [e] *de Glouceſter.* [f] *le comte de Lancaſter.* [g] *le Deſpenſer.*

NOT. [1] *lege* Gaveſtoni.

proceribus rex Lancaſtrenſem ab ipſis deſtitutum ex conſilio Hugonis ſolum opprimit, et ira victus ſupplicio affecit; quod magnam ipſi invidiam apud omneis regni ordines concitavit. Tandem, quarto poſt anno, accenſis ex nova cauſa inter regem reginamque odiis, Hugo ſenior a rege revocatus concurſu procerum facto capitur et laqueo publice ſtrangulatur. Filius ejus ad reginam ductus, et alienati regis ab uxore animi reus peractus, diverſo multum ad exemplum ſupplicio affectus eſt. Rex miſer ſpoliatus regno, eoque in filium, ipſo vivente ac vidente, tranſlato, poſt biennium immani juxta ac pudendo mortis genere periit. Haec ab Eſpinaco in Eſpernonii et regis invidiam, triſti jam de regis fortuna augurio, licentioſe ſcriptis editis, jactabantur. Ad quae Eſpernonius pro ſe contrario [a] ſcripto typis edito, et ad Henricum Valdemontanum, alias Lotharingum dictum, ſic Guiſium contemptim appellabat, directo; quo et inceſtuoſos [b] Griſoliae ſororis amores, et haereſis ac praepoſterae libidinis crimen, Eſpinaco exprobrabat, et Gaverſtoni hiſtoriam in dubium revocatam melius ipſi Guiſio quam ſibi convenire demonſtrabat: nam alienigenam Franciſco I in Franciam primum veniſſe; et cum ejus ac filiorum ambitionem ſuſpectam haberet prudentiſſimus rex, Henricum filium monuiſſe, ſicuti Edvardum I de Gaverſtono feciſſe memorant, ne eos penes ſe retineret: Henricum vero, ſicuti Edvardum II, monitis paternis minime obtemperaſſe, ſed Guiſios in aulam revocaſſe, et magno regni detrimento ſummae rerum praefeciſſe: illos vero haud ſecus ac Gaverſtonum tradita potentia ſuperbe abuſos, regii ſanguinis principibus ac aliis regni proceribus contumelioſe habitis, ac pleriſque ex iis periculo vitae creato: necdum memoria excidiſſe, quid illi Franciſco II in Navarri parentem et Ludovicum Condaeum regiae familiae principes moliti ſint; eoque iniquiorem Gallorum ſub Guiſianis, quam Anglorum ſub Gaverſtono, conditionem eſſe, quod hoc ſublato ſtatim Anglia quievit, at Gallorum calamitates ſub his tyrannis jam per IV regum tempora durare, nec porro deſituras, niſi cum regni aut Guiſianorum pernicie. Auxit odium plebis in regem conceptum apparatus funebris ad obſequias A. Jouſae deſtinatus, qui bello accenſo, cum pecunia non niſi cum acri omnium ſenſu exigi poſſet, tamen, ut in media copia profuſus, haud minus aerario quam nuptiae ipſius conſtitit; quaſi parum regi eſſet, odio ſuperſtitis Eſpernonii gravari, niſi et mortui amici invidia per immodicas pompas renovata oneraretur. Nam, praeter alia inania, etiam ejus effigies per urbem circumgeſtata eſt; qui honos niſi regibus, eorumque uxoribus, filiis ac fratribus, et magiſtris equitum, qui ſummus in Gallia magiſtratus eſt, ex veteri inſtituto haberi non ſolet.

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

VII. SUB id allatum eſt de morte Henrici Borbonii Condaei, quae in III Non. Mart. incidit; qui triduo ante, hoc eſt die Jovis, poſt coenam acutiſſimo dolore, quem cholicum dolorem ei familiarem exiſtimabant eſſe medici, correptus, biduo poſt, hoc eſt Saturni die, ſub veſperam inter diriſſimos et nuſquam intermittentes cruciatus, ſumma mentis conſtantia ac tranquillitate, exſpiravit in oppido Santonum, cui [c] Joannis Engeriaci fano nomen. Repentinus adeo caſus ſuſpicionem violenti ac praeſentis veneni fecit; quod mox a morte ſpumantis oris indicio patuit, et poſtridie ſecto a medicis cadavere: nam totum corpus extrorſum lividum et plumbeum, interiores partes omnes ac inteſtina liventia et ſiderata apparuerunt, humore ſubnigro et acri turgentia; ventriculus vero pariter lividus, et in ſuperiore ejus dextra parte paulo infra oeſophagum perforatus craſſitudine digiti, ita ut per illud foramen humores illi corrupti, qui inferiorum partium capacitatem diſtendebant, percolati eſſe crederentur; ac, diligenter intus et extra inſpecto et ſecto ventriculo, dextrum ejus latus omnino eroſum et gangraena uſtulatum repertum eſt; ab eaque parte jecur

INTERPR. [a] *l'Anti-Gaverſton.* [b] *Griſole.* [c] *S. Jean d'Angely en Saintonge.*

jecur et pulmones male affecti: idque a violento et cauſtico veneno profectum eſſe affirmarunt medici ac chirurgi qui interfuerunt, reique fidem publico teſtimonio fecere. α Secundum haec Joannes [a] Ancelinus Brillaudius, olim in ſenatu Burdigalenſi cauſarum actor, tunc praecipuae in familia auctoritatis, domeſticis duobus, in quos ſuſpicio recidebat, equos et alia neceſſaria ut fugerent ſubminiſtraſſe dicebatur. Itaque captus, atque tandem ad mortem damnatus, non ſanae mentis multa indicia dedit: nam licet ſe maxime ob alia crimina nocentem non diffiteretur, et ſententiam a delegatis judicibus latam ut juſtam agnoſceret, convitia in Deum evomere coepit; vixque tandem ab iis qui aſtabant monitus, ac priſtinae mentis ſanitati redditus, a quatuor equis in diverſa tendentibus diſcerptus eſt. Quae omnia effecerunt, ut non ſolum parum ſibi conſtare videretur, ſed etiam ob id ejus verbis ac confeſſionibus fides derogaretur. Id actum v Eidus Quintileis. De re initio cognoverat Renatus [b] Cumontius propraetor Fani Joannis: dein cum provocaret Brillaudius, a Joanne [c] Valeta magno cauſarum criminalium ſuccincto per Galliam praefecto, ex Navarri mandato, plenius cauſa inſtructa eſt, delegatis itidem a Navarro judicibus. Biduo poſt Brillaudium ſupplicio affectum ab iiſdem judicibus β decretum eſt, ut in Carlotam Catharinam [d] Tremolliam defuncti uxorem anquireretur, addito ut, quia praegnans erat, in quadrageſimum a partu diem executio differretur: interea in arcta cuſtodia eſſet; nobileis item matronas, et in iis [e] Briſamburgam Bironi ſororem et Joannis Rupibellocuriani Sanmaximi uxorem, poſſet admittere, quae cum partus tempus inſtaret ad fidem faciendam intereſſent. Poſtea Kalendis Septembribus filium fauſtis auſpiciis peperit: nam obſervatum a curioſis, eo die coelo ſereno intonuiſſe, et coruſcationes laeti γ ominis viſas. Itaque pueri regio ſanguine prognati ortu, ſententiae executio atque adeo cauſa omnino omiſſa eſt; tantum ea ſub diligenti cuſtodia per ſexennium aſſervata. Antequam ſententia ferretur, ſupplice libello Tremolliae nomine curiae Pariſienſi oblato, decretum a ſenatu fuerat pridie Nonas Maii, ut acta ac teſtimonia omnia de Condaei morte facta ad curiam adferrentur, ut cauſa in ea agitaretur, interdicta ejus delegatis illis et aliis quibuſcunque judicibus cognitione: nam id juris eſt regii ſanguinis principibus, ſicuti et Franciae paribus, eorumque uxoribus, quae maritorum radiis coruſcant, ut, accuſatione contra eos inſtituta, tantum a ſenatu Pariſienſi, quae curia parium dicitur, de ipſorum cauſa quaeri et cognoſci poſſit. Cum nihilominus in ea cauſa inſtruenda pergeret Valeta, altero libello Tremolliae nomine porrecto, rei cognitio denuo delegatis a Navarro judicibus interdicta eſt; et inſuper decretum, ut delegati judices ad procuratoris

regii

VAR. LECT. α Secundum haec ſtatim comprehenſi domeſtici: quorum dum numerus recenſetur, duo omnino deeſſe animadverſi ſunt, Leo Bellocaſtellus, natione Petrocorius, unus ex nobilibus pueris, qui XVI circiter annum attigerat, et Antonius Corbaſius cubicularius Foro Veromanduorum natus; qui ambo Carlotae Catharinae Tremolliae uxori inſerviebant. Inde ſuſpicio orta, ex eo aucta, quod Joannes Ancelinus Brillaudius olim in ſenatu Burdigalenſi cauſarum actor, tunc in familia Condaei, commodata ei pecunia, quae ſumma egentium principum illecebra eſt, praecipuae auctoritatis, Bellocaſtello et Corbaſio fugituris equos et alia neceſſaria juſſu Tremolliae ſubminiſtraſſe dicebatur. Itaque captus, cum initio ſibi metuens veritatem ſuppreſſiſſet, mox ſponte ſua nulla vi adhibita plura petitis confeſſus eſt; quae poſtea in tormentis magna ex parte retractavit: quamvis et tunc multa adderet, quae tormentis exemptus ſtatim revocavit. Tandem ad mortem *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

β decretum eſt, ut Tremollia ipſa defuncti uxor violentae quaeſtioni ſubjiceretur, addito ut, quia praegnans *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

γ ominis viſas. Sane ejus ortu, ſive relangueſcentibus poſt tam ſeveram rei perquiſitionem animis, ſive quod pueri regio ſanguine prognati ſtatum ex matris ſeu calamitate ſeu culpa in dubium vocari minime aequum judicaretur, ſententiae de Tremollia poſt partum torquenda executio, atque adeo cauſa, omnino omiſſa eſt: tantum ea ſub diligenti cuſtodia per ſexennium aſſervata, ita ut, praeterquam certo numero domeſticis, nemini ad ipſam toto illo tempore aditus patuerit. Dum cauſa inſtauratur, antequam ſententia ferretur, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Ancelin Brillaud.* [b] *de Cumont lieutenant particulier de S. Jean.* [c] *de la Valette grand prevoſt de France.* [d] *de la Tremoille.* [e] *Jeanne de Gontaud ſœur du mareſchal de Biron, femme du ſieur de la Rochebeaucour de St Meſme. Elle avoit épouſé en premieres noces le ſieur Pierre Pouſſard baron de Briſambourg.*

regii poſtulata reſponſuri ſe judicio in Pariſienſi curia ſiſterent. Quibus tamen denunciationibus, ut tunc tempora erant, parere illi neglexerunt: et in Navarri conſiſtorio, rejectis Tremolliae exceptionibus, decretum fuit, ut in cauſa eo quo coeptum erat ordine procederetur. Quod judiciorum, ut a non judicibus et non ſervato juris ordine redditorum, quae proinde nullius momenti eſſent, poſtea reſcindendorum cauſam praebuit, ſicuti ſuo loco plenius dicemus. Hic exitus Condaei fuit, viri fortiſſimo patre nati et virtute patri minime inferioris; in quo humanitas cum fortitudine, conſtantia cum comitate, prudentia cum liberalitate, facundia cum gravitate certabant; in quo denique nihil merito deſiderares, niſi fortunam, quam importune adverſam a prima infantia ad ultimum vitae brevis, nam tantum XXXV annos exegit, ſpiritum expertus eſt. Tumultu [a] Amboſiano paene cum patre oppreſſus, dein cum eodem patre aſſiduis bellorum civilium periculis conflictatus, antequam arma ferre poſſet. Poſt patris caedem iiſdem bellis civilibus jactatus, Pariſienſi laniena, paulum abfuit, interceptus; qua vitata, vitam captivitate, libertatem exilio, redemit. Dein rurſus bellorum civilium reſorbente aeſtu abreptus, e Germania in Galliam cum exercitu rediit: quo Alençonio tradito, Fanum Joannis miſerum tot errorum ac laborum receptum habuit, fruſtra praefecturae Picardiae ſpe ludificatus; quam dum ingredi conatur, [b] Fara Veromanduorum occupata, ſe in novas calamitates induit. Variis rurſus erroribus jactatus, in Angliam et Belgium cum vitae periculo ac Germaniam ad ſolicitanda auxilia fruſtra profectus; cum inde reverteretur, in [c] Allobrogibus obſoleto habitu captus, nec agnitus, indignum primarii viri fortuna periculum evaſit. Poſtea renovato, pernicioſa foederatorum factione, apud nos bello, cum [d] Jacopolim obſideret, [e] Andegavenſis arcis potiundae vana ſpe revocatus, cum lectiſſimis copiis Ligerim tranſmiſit; et mox re infecta oppreſſus, miſerabili lectiſſimarum copiarum diſſipatione et fuga ſibi conſulere coactus eſt, ad inſulas Anglicanae ditionis vix perfugio reperto; et ope ſereniſſimae Anglorum reginae ex ea calamitate ac veluti rerum ſuarum infelici naufragio enatavit. Rupellam cum ſuis incolumis reverſus, poſtremo etiam [f] Cutraceno proelio interfuit; in quo rurſus diſcrimen vitae adivit, ac tandem hunc vitae aerumnoſae triſtem, quem dixi, finem habuit. Ex Maria Clivia priore uxore Catharinam, ex Tremollia Helionoram, filias ſuperſtites reliquit. Filius ei poſthumus agnatus eſt; in quo cum virtutum igniculos cum aetate adoleſcere quotidie videamus, bona ſpes nos fovet, eum aliquando patris avique memoriam virtutibus et exantlatis pro republica laboribus aequiore etiam fortuna renovaturum. Navarrus patruelis atque adeo amore fratris mortem impatientiſſime tulit, miſſis uberibus ad inopinatum rei nuncium lachrimis, ac dextro ſe brachio orbatum ſubinde dicens; confeſtimque [g] Fanum Joannis venit, et magna ſeveritate de tanti ſceleris conſciis anquiri juſſit. Nec amicos ſolum, ſed etiam inimicos, ipſius morte illachrimaſſe conſtat; et Guiſium inprimis, qui maximas in Condaeo virtutes admiratus fuerat [α] et reformidabat, humana caſibus obnoxia in praecellentis dignitatis viro reputans. Plebs inſana Lutetiae, quae tum forte, allato a pontifice plenioris gratiae diplomate, indictis ab epiſcopo ſupplicationibus operabatur, ultra modum gaviſa eſt, precibus ſuis tribuens, quod verae religionis hoſtis, ſic vulgo a concionatoribus jactabatur, inopinato caſu ac veluti coelitus immiſſa morte ereptus eſſet; cum alii, qui non religionis ſed regni cauſam in hoc bello verti judicabant, longe aliter ſentirent, nec mediocriter indolerent, quod tantum virum talemque,

VAR. LECT. [α] et reformidabat *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerpta* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur.*

INTERPR. [a] *d'Amboiſe.* [b] *la Fere en Vermandois.* [c] *Dauphiné.* [d] *Brouage.* [e] *chateau d'Angers.* [f] *de Coutras.* [g] *S. Jean d'Angely.*

CIƆ IƆ LXXXVIII talemque, ac temporibus, quae mox inciderunt, ad tuendam regni cauſam adeo neceſſarium defenſorem, amiſiſſent.

HENRICUS III.

VIII. Rex inter proſpera an adverſa tulerit incertum, inter urbanos motus et privatos affectus otio ſuo ſemper intentus: quo ut diutius frueretur, ſeditioſorum factio minime paſſa eſt; quae ſibi a rege tam graviter offenſo metuens, quem ſubinde contemnebat et timebat, aſſiduis literis Guiſii ad urbem adventum urgebat. Is magnitudinem facinoris veritus, neque tamen ſuorum periculum negligere aequum ducens, antequam veniret, certius de urbis ſtatu cognoſcere voluit: et cum intelligeret, per ſingulas urbis regiones, [a] eae XVI ſunt, homines diſpoſitos, qui die et hora condictis cum armis parati eſſent, numerum regionum ad V contrahi mandavit, ne tot locis vireis diſtractas habere cogeretur, et paucioribus ducibus rem conficeret. Miſſi interim rei militaris periti, nam urbanis ducibus haud ſatis fidebat, et in iis Urbanus [b] Lavallus Boſcodelfinus, Carolus Coſſaeus Briſſacus, is, quem toties nominavi, [c] Menevilla, Gomeronus et Ricoburgus Moii fratres, [d] Sclavolius Chamoſius, dignitate ac nobilitate praeſtantes; inferioris ordinis Antonius [e] Sanpaulus, Joannes Vaſco, Phorianus, alii. Inſuper IƆ equites prope a Guiſio deſtinati, qui duce Aumalio per loca urbi vicina [f] Aubervilleriae, Villetae, ad Audoëni et Dionyſii fana, hoſpitium caperent. Michael [g] Martellus Capella et Joannes Clericus, ſeditioſorum anteſignani, conſilium inierunt de rege et Eſpernonio opprimendis: idque ipſis haud difficile videbatur, ſi per Quadrageſimales ferias perſonatis pompis, ut aſſueverat, ſe immiſceret. Hujus conſilii monitus rex per cancellarium, indicio Nicolai [h] Polinii, de quo jam dixi, omnium conſcii, ſpectaculis et diſcurſationibus illis abſtinuit. Neque tamen tam praeſentis periculi metu a ſegnitie innata revocari potuit, aut diligentius ſibi cavere; Renato [i] Villoclaro ad aures ejus aſſidue excubante, qui ingenio ejus abutens ſecura omnia quietis amanti principi promittebat, et vana eſſe, quae jactabantur, impudenter aſſeverabat; etiam interminatus Polinio perniciem, ſi delationibus, de quibus reſciverat, regi moleſtus eſſe pergeret. Capella jam claveis Sandionyſianae portae, corruptis cuſtodibus, in poteſtate habebat; et cum a Joanne [k] Contio unius urbis regionis curatore [l] Sammartinianae portae claveis peteret, ac repulſam tuliſſet, quo metum rem revelaturo injiceret et in omnem eventum indici fidem derogaret, eum tanquam ſectarii veneni ſuſpectum detulit: quae terrendorum bonorum, et eorum quos in partes ſuas pertrahere non poterant, tunc ſolemnis erat ratio. Multa et ſuperbe et violenter eadem fiducia tunc a Capella acta. Cum Boſcodelfinus ob aes grande alienum in carcerem raperetur, ille, inſolita in hunc diem audacia, quamvis privatus interceſſit, et vadem ſe pro ipſo conſtituit, et ita ducem ſeditionis futurae primarium e [m] lictorum manibus eripuit. Multa quoque contumelioſe ab eo in viros bonos impune patrata, rege ſuorum injurias negligente, et regis exemplo conniventibus ad eas judicibus. His regis tentandae patientiae experimentis audentiores factioſi, qui ad XX CIƆ armatorum in urbe habere ſe putabant, [n] Luparam ipſam aggredi, et trucidatis praetorianis regem capere, Eſpernonium et ſibi ſuſpectos interficere, decreverunt. Id regi per ejuſdem Polinii indicium, interventu [o][1] Petri Pauli Toſingi, cujus fidei multum rex tribuebat, renunciatum. Polinius ad regem coram Franciſco [p] Doo tunc primum introductus, et quae retulerat juſſus

INTERPR. [a] *les ſeize quartiers.* [b] *de Laval de Bois-Dauphin, C. de Coſſé comte de Briſſac.* [c] *de Mayneville, de Gomeron & de Richebourg de Mouy.* [d] *Guedon Sr d'Eſclavoles & de Chamois.* [e] *de St Paul, le capitaine Joannes Gaſcon, & de Foiran.* [f] *Aubervilliers, la Villette, St Ouyn, & St Denis.* [g] *la Chappelle Marteau, & J. le Clerc.* [h] *Poulain.* [i] *de Villequier.* [k] *le Conte.* [l] *porte St Martin.* [m] *Archers.* [n] *le Louvre.* [o] *Pietro Paolo Toſinghi.* [p] *d'O.*

NOT. [1] le procés verbal de Poulain le nomme le Sr de *Petremol*; peut-être que c'eſt le nom Italien corrompu pour Petre-Pol. *Put.*

juſſus ſcripto comprehendere, facta ſpe remunerationis regiae, dimittitur. Id incidit in x Kalendas Maias. Poſtridie rex ſpectante populo magnum loricarum numerum in arcem comportari jubet; quod magnum terrorem conſciis injecit, quaſi detectis eorum conſiliis, et rege ad ultionem ſe parante. Sed relangueſcente mox regis ira, aſtu matris et Villoclari res apud regem artificioſe extenuantis, conſcii ſumptis a crimine animis conſilia repetunt, in Capellae domo congregati: ubi cum rex eos comprehendere poſſet nullo negotio, tamen, a matre et aliis revocatus, vindicandae regiae auctoritatis et diſturbandi conjuratorum conſilii commodiſſimam occaſionem omiſit; quae omnia a [a] Polinio regi detegebantur, qui Clerico et Capellae notus conventibus eorum plerumque intererat; nemine ejus ſuſpectam fidem arguente, et conſciis detectorum conſiliorum cauſam in Contium, cujus fidem ſollicitaverant, potius rejicientibus. Guiſius [b] Goneſſam uſque clam venerat, ad [c] B. Laurentii ſuburbium hoſpitium ſumpturus, ut ſuis praeſto eſſet: ſed, cognito regem IV CIↃ Helvetiorum, quae [d] Latiniaci ad Matronam erant, evocaſſe, eadem celeritate, qua venerat, in [e] Sueſſiones rediit, prius compellato Capella, et conſciis bono animo eſſe juſſis; nam propediem ipſum adfuturum. Haec etſi a Polinio in horas delata certiſſima erant, tamen rex, inſita tarditate ſeu fatali neceſſitate, addubitare coepit, et Polinium coram Eſpernonio, Doo, et Philiberto [f] Guichio rogavit, an quae diceret vera eſſent, et an ipſe doctrinae Proteſtantium addictus eſſet, aut ab aliquo e numero Proteſtantium haec didiciſſet. Qua interrogatione perculſus Polinius viciſſim regem oravit, ſe ſub cuſtodia retineret, eodemque tempore conſcios coram ſiſti juberet; vitam ſe deponere paratum oſtendens, ni illi convicti objecta crimina faterentur. Hoc fiduciae plenum reſponſum rex clementi voce excepit, et minime dubitare ſe dixit, quin vera eſſent quae ab eo referrentur; ſed cupere tam deteſtandae conjurationis probationes habere luce clariores, quibus conſcii in jure convinci poſſent: pergeret interim; nam fore, ut fidei ac diligentiae ſuae ipſum minime olim poeniteret; [g] Doo ſummo aerarii praefecto innuens, ut promiſſum praemium, id erat XX CIↃ aureorum, ei aliquando numerari curaret.

IX. CREBRESCENTE interim fama Guiſii ad urbem adventus, miſſus Pomponius [h] Bellevreus Auguſtam Sueſſionum, ubi et cardinalis Borbonius aliique foederati principes erant, qui cum Guiſio regis nomine ageret, et miſeris precibus ab eo contenderet, ne ad urbem veniret: integra ei omnia officia cum rege conſtare, neque regem delatis ad ſe rumoribus hactenus fidem habuiſſe; reſtare, ut viciſſim nihil aperte contra regis voluntatem moliatur: proinde adventum in aulam ſuum ſuſtineat, neque committat, ut ſpretis regis imperiis extremae ejus patientiae periculum feciſſe videatur. Ad haec Guiſius, paulum alienato vultu, querelas artificioſe miſcere, fidem ſuam jactare, merita extollere, pro quibus indigna gratia rependatur: tum praefracte addere, ſibi decoris et famae quam vitae potiorem curam eſſe; et impatientiſſime ferre, ut in odium ſuum viris innocentibus, atque adeo bonis Catholicis, ſic conſcios in urbe appellabat, quorum ſalutem propria propiorem habeat, calumnioſe periculum creetur: petere igitur, quo male ſuſpicandi occaſio omnis utrinque praecidatur, de ſecuritate eorum ſibi idonee caveatur: hoc metu dempto, ſe in regis poteſtate futurum; ſin malevoli et in occulto Proteſtantibus faventes ſibi moleſti eſſe pergant, ea in re facturum quod virum generoſum et patriae ac religionis amantem facere oporteat. Id incidit in tempus quo Eſpernonius ampliſſima [i] Neuſtriae praefectura donatus [k] Rothomagum cogitabat, ut in matrice urbe, ubi et ſenatus provinciae habetur, ſolemni pompa exciperetur. Eum rex ad Germani uſque

INTERPR. [a] *Poulain.* [b] *Goneſſe.* [c] *fauxbourg S. Laurent.* [d] *Lagny ſur Marne.* [e] *Soiſſons.* [f] *de la Guiche.* [g] *d'O ſurintendant des finances.* [h] *de Bellievre.* [i] *Normandie.* [k] *Rouen.*

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

uſque fanum proſecutus eſt, ac mox Lutetiam revertitur; ubi Catharina Monpenſeria Guiſii ſoror, ad reginae parentis aures aſſidua, importunis precibus flagitabat, ut fratri cum bona regis gratia ad urbem liceret venire, et coram ſe de criminibus objectis purgare: quod nemini vel infimae conditionis juſte negari poſſit, id fratri dignitate praecellenti viro, ultro ſe ad cauſam dicendam ſiſtenti, non concedi iniquiſſimum videri. Quas voces dum praefracta audacia ſubinde ingerit, metum aut poenitentiam fingens, quo juſtam regis indignationem ludificaret, cum conſciis in urbe extremae audaciae conſilium init; et, diſpoſitis extra urbem juxta [a] Santantonianam portam in horto prope [b] Rochettam, id voluptuario praedio nomen, inſidiis, regem Caſtrum [c] Vicennarum parvo comitatu in carruca ire ac redire ſolitum in reditu aggredi conſtituit, et occiſis comitibus regem in carruca retro Sueſſiones per diſpoſitos equos ſumma celeritate abducere; hoc ei a conjuratis praedicto, niſi ſe ſequeretur, exitium ipſi a Proteſtantibus imminere: Lutetiae interim convenerat, ut fama per emiſſarios ſpargeretur, quaſi rex a Proteſtantibus captus et abductus eſſet; ad cujus rei nuncium furiata plebs mox arma ſumptura erat, et in ſuſpectos, quos vulgo Politicos invidioſo nomine appellabant, promiſcue direptis eorum bonis, ſaevitura. Id cum rex per eundem Polinium reſciviſſet, delectos equites ex urbe evocat, quibus ſtipatus ad urbem venit, irrito Monpenſeriae conatu: quod rurſus conjuratos ad extremam deſperationem adegit, ratos poſt deteſtanda conſilia ſua detecta amplius veniae apud regem locum non eſſe. Itaque [d] Brigardum hominem notae impudentiae ad Guiſium legant, qui adventum ejus, quem ille diverſis protelationibus ac ludificationibus huc uſque diſtulerat, urgeret, in eoque ſolo amicorum ſpem omnem repoſitam oſtenderet: alioqui fore, ut multi ex iis, qui de regis clementia omnino non deſperant, relictis partibus ad regis genua provoluti benignitatis ipſius experimentum faciant, confeſſionibus ſuis procul dubio ordinem conſiliorum bene procedentium everſuri: proinde deſperationem eorum feſtinato adventu ſuo antevertat, ac praeſentia ſua amicos confirmet.

X. MISSUS fuerat ad Guiſium poſt Bellevreum a rege [e] Guichius, ut adventum ejus, de quo fama ſparſa erat, remoraretur; qui pariter ambigui ſermonis reſponſum ab eo tulit. Neque tamen rex, repetitis toties indiciis admonitus, et alioqui tot injuriis provocatus, ex fatali veterno excitari, aut omnino adduci potuit, ut tempeſtivum malis impendentibus remedium adhiberet; regina ac [f] Villoclaro ad aures ei inſuſurrantibus, ut vanos rumores contemneret, et quicquid malevoli dicerent, modo bellum ſtrenue adverſus Proteſtanteis ſuſceptum continuaretur, Guiſium in poteſtate ejus futurum ſibi perſuaderet. Itaque de Guiſii pervicacia, niſi poſt ejus ad urbem adventum, credi non potuit. Is, ut plenam ſui fiduciam eoque majorem regis contemptum teſtaretur, parvo comitatu urbem ingreſſus eſt, et ad [g] reginae aedeis improviſus ex equo deſcendit; mirantique ſimilis ac ſuccenſenti, quod contra regis imperium veniſſet, cum eum nihilominus perhumane excepiſſet, poſt paucorum verborum colloquium, monito prius rege, ad [h] Luparam eum pedibus incedentem ipſa ſella vecta deduxit, circumfuſa paſſim per vicos plebe, et mulieribus Guiſii veſteis ac pallii fimbrias veneratione inſolita contingentibus: quibus ille gratulationibus quanquam aſpernanti ſimilis multum in arcano gaudebat, et infauſtum majora audendi ex obvio plebis favore augurium capiebat. Ubi ad arcem venit, praetorianos ſolito frequentiores in armis cernens, et per medios incedens, ore renidenti, ad ſingulos converſus, caput popularitate affectata aperiebat. Tandem ad regem a regina introductus, cum veniam ſibi a rege initio, ut apparebat, commotiore concedi petiiſſet,

INTERPR. [a] *la porte S. Antoine.* [b] *la Roquette.* [c] *de Vincennes.* [d] *Brigard.* [e] *de la Guiche.* [f] *de Villequier.* [g] *logis de la Reine aux filles repenties.* [h] *le Louvre.*

petiiſſet, quod calumnias, quas diutius ferre non potuerit, capitis periculo coram refutaturus injuſſu ipſius veniſſet; ubi paulum ſedatam regis iram vidit, de ſua ſuorumque innocentia longam et compoſitam orationem habuit: quam ut ei magis approbaret, et ſuſpiciones aſtu, ut aiebat, inimicorum ſubortas ac in ejus animo conceptas purgaret, paratum ſe dixit, arbitrio ipſius et bene erga religionem animatorum procerum ſtare; tantum de re, affectu omni ſepoſito, mature cognoſceret. Hac candida animi in ſpeciem ac demiſſa declaratione cum ſibi aliquo modo ſatisfactum rex exiſtimaret, Guiſium a ſe dimiſit, hoc addito, ſi ſuſpiciones purgatas cuperet, daret operam ut facta verbis reſponderent. Exſpectabat in atrio [a] Polinius a [b] Toſingo regis juſſu evocatus; qui poſt Guiſii a conſpectu regis diſceſſum ad eum introducitur, et quid de conjuratis poſt Guiſii adventum reſciverit interrogatur. Ille attonitos antea, nunc ejus adventu confirmatos, eos ad extrema tentanda tanto duce ſe parare refert: et quoniam intellexerat Guiſium jactare, praeſentia ſua ſe effecturum, ut quae de ſe et amicis ad regem delata eſſent, falſa et calumnioſa eſſe regi conſtaret, denuo vitae periculo ſpondet, ſi quos nominaturus ſit juſſu regis capiantur et ſecum committantur, fore, ut vel ex ipſorum confeſſionibus regi de conjuratione conſtet; idque ut rex juberet, maximopere ab ipſo contendit. Verum ille inſita tarditate a regina ac Villoclaro deluſus, cum ſe patientia conjuratorum conſilia diſſipaturum ſperaret, ut prius indicia, ſic tunc ſalutaria Polinii monita contempſit, et, injuriis ferendis ignavia eorum qui circa ipſum erant aſſuetus, non tam de iis regia auctoritate ulciſcendis, quam ſilentio et conſiliorum flexu eludendis, cogitare coepit. Neque tamen id ipſi per ſeditioſorum in urbe improbitatem licuit; qui adventu Guiſii inflati cum inſolentia ſua novum metum regi injeciſſent, primum conſilium mutare coëgerunt. VI et V Eid. Maias ſtationibus diligenter habendis per urbem inſumpti; duplicatae ad Luparam excubiae, edictoque propoſito, qui larem et domicilium in urbe non habebant, neque negotii neceſſarii cauſa ad eam venerant, excedere juſſi. Rex pridie hujus diei quo tumultus excitatus eſt, in aedibus reginae, quas illa a Lupara ſeparatas incolebat, diu cum Guiſio collocutus eſt. Tandem crebreſcente rumore, cum metus utriuſque partis animos praeoccupaſſet ne alteri alteris praeverterent, rex nocte inſequenti per fidos ac primarios urbis magiſtratus, quos initio hujus belli ſe invito ſuſcepti, jam de eventu anxius, urbanae militiae praefecerat, excubias frequenteis haberi voluit; et praecipuas ex ſingulis urbis regionibus cohorteis ad [c] S. Innocentii coemeterium, quod in [d] S. Honorati et Palearium vicum quatuor portis patet, pernoctare juſſit, praepoſito iis Auguſtino Thuano ſenatus praeſide, cujus fidei multum tribuebat; cui et per [e] Contium aedilem ſignificari curavit, ut ſe cum ſuis clauſum eo in loco teneret, donec ad eum Nicolaus [f] Brichantellus Bellovaſius Nangius veniret, et cohorteis quo rex vellet ducendas ab ipſo acciperet. Quo cognito IV cohortes a ſeditioſis concitatae ſe portis, reclamante Thuano, ejiciunt; et II ex iis in S. Honorati vico, alterae in Paleario extra coemeterium, contra quam imperatum fuerat, armatae conſtiterunt. Media jam nocte praecipitata, Franciſcus [g] Dous cum delectis ſcloppetariis [h] Lupara ad coemeterium ſub horam tertiam matutinam venit; et ad cohorteis illas foris excubanteis ſuperbe more ſuo converſus, centuriones interrogat, ecquid coemeterio egreſſi juſſum locum deſeruiſſent? Ad quas voces illi confuſe non minore ſuperbia reſponderunt, id ſe feciſſe, ne uxores, liberos, domos, quas ſcirent ab exteris ad praedam peti, deſererent. Quo audito Dous, qui videret rem ad ſeditionem ſpectare, nihil aliud retulit, quam

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Poulain.* [b] *Toſinghi.* [c] *Cimetiere des Innocens.* [d] *rue St Honoré, & rue au Fouarre.* [e] *le Comte eſchevin.* [f] *de Brichanteau Sr de Beauvais Nangis.* [g] *d'O.* [h] *le Louvre.*

CIↃIↃLXXXVIII quam recte et e re ſua illos facere: ſtatimque tumultuanteis praetervectus ad coemeterium vadit; iiſque qui in ſtatione remanſerant gratiis regis nomine actis, laudataque illorum fide, Thuano in aurem inſuſurrat, ſuos bono animo eſſe juberet; nam mox adfore copias majores, quibus fretus rex ſe ſuamque auctoritatem ac bonos omneis, urbi ſecuritate parta, a ſeditioſorum injuria in poſterum tueretur. Inde ad [a] Canaii viri probi aedeis itum; is regionis illius curator erat: habitoque a ducibus, qui cum Doo erant, conſilio, quid regis voluntatis ſit aperitur; ſtatimque acceptis a Canaio portae [b] S. Honorati, quas pro ratione officii penes ſe habebat, clavibus, Dous cum [c] Contio et Petro Lugolio, qui ſupervenerat, aedilibus eo tendit, portaque patefacta praetorianam legionem et Helvetios a rege venire juſſos introducit; qui initio ſine ſtrepitu incedentes ad coemeterium venerunt, acceptiſque a rege imperiis inde ſingulae cohortes ad locum deſtinatum tendunt cum tympanis ac tibiis, ut fragor jam tota urbe exaudiretur. III Helvetiorum ſigna ab Armanno [d] Guntaldo Birono equitum tribuno ad forum novum deducta; quo occupato, unum ex iis, cui praeerat Joachimus [e] Dintevilla, ad parvum pontem haud hinc longe conſedit. Ex II Gallorum ſignis, quae cum Helvetiis venerant, alterum, cui Claudius [f] Inſulanus Marivallius praeerat, S. Michaelis pontem inſedit; alterum, quod a [g] Gaſto ducebatur, ſub [h] Caſtelli minoris fornice conſedit. Ludovicus [i] Bertonus Grillonius legionis praetorianae praefectus, qui cum Birono erat, ad [k] Mauberti plateam trans parvum pontem procedere juſſus, cum obvios ſeditioſos illius regionis habuiſſet, qui reſiſtere parabant, ut erat imperterrito et ad pugnam ſemper parato animo, vim facere voluit: ſed contrario regis imperio revocatus, cum vim facere non poſſet, numero impar loco ceſſit; multum fremens, et regis regnique cauſam per eos, qui hujuſmodi imperia afferrent, prodi alta voce inclamans. Sane id magno errore factum conſtat: nam cum regi decretum eſſet, ut urbem in poteſtate haberet, omneis plateas armatis occupare, Maubertinam ante alias vel cum civium pernicie, quanquam id minime rex volebat, occupari maxime intererat, quod ea ad regionem urbis pertineret, ad quam conjuratorum robur, utpote longe a Lupara diſſitam, et ex ignotorum ac vilium hominum numero fere conſtantem, ſe contraxerat. Ea autem non ſolum non occupata ſed per ignaviam amiſſa, ſequebatur, ut conjurati loco opportuno potiti non ſolum ex ea commode in ceteras regiones ſe effunderent, verum, elatiores ſucceſſu facti, civibus inſolito armorum apparatu territis animos ad vim opponendam exemplo ſuo facerent. Quod et accidit: nam ab ea regione, quaſi ſigno dato, factum rebellioni principium fuit; quae mox ignave cedentibus regiis, ſic enim juſſi erant, totam civitatem pervaſit. Eodem tempore Dous, cum IV Helvetiorum, II Gallorum ſignis, [l] plateam ad Portum et publicas urbis aedeis inſedit; in quibus Nicolaus Hector [m] Perruſius mercatorum praefectus cum Chriſtophoro [n] Marlaeo Verſinio viro generoſo et regis patriaeque amantiſſimo, Nicolai fratre, Laurentio [o] Teſto vigilum praefecto, et P. [p] Lugolio pernoctaverat. Reliquae copiae externae in coemeterio remanſerunt, ad omneis caſus praeſto futurae, quibus [q] Bonovrerius Santo praeerat. Diſtributis per urbem externis copiis ingens terror animis cunctorum injectus, ita ut tabernae paſſim clauderentur: quem ut minueret, et factioſis animos adderet, Renatus [r] Villoclarus urbis praefectus auctor regi fuit, aſſentiente regina parente, ut obequitando per vias ſine armis ipſe regis nomine omneis bono animo eſſe et tabernas clauſas aperiri juberet; tum ſtationariis enixe imperaret, ne ſe

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Canaye.* [b] *porte S. Honoré.* [c] *le Conte & Lugoli.* [d] *de Gontaud mareſchal de Biron.* [e] *de Dinteville.* [f] *de l'Iſle Marivaux.* [g] *le Guaſt.* [h] *petit Chatelet.* [i] *Berton de Grillon, meſtre de camp du regiment des gardes.* [k] *place Maubert.* [l] *place de S. Jean en Greve, & l'Hotel de Ville.* [m] *de Perreuſe.* [n] *de Marle Verſigny.* [o] *Teſtu chevalier du Guet.* [p] *Lugoly.* [q] *Bonouvrier de Saintonge.* [r] *de Villequier.*

ſe moverent, et ſine maleficio regis imperia exſpectarent. Quod ita fecit, ut militares viri illi, quorum opera ſi ſtatim rex uti voluiſſet, vigente adhuc primo illo terrore, urbem in poteſtate habere poterat, mora interpoſita, cum nihil molirentur, quaſi tot ferreae ſtatuae immobiles plebi contemptui eſſe, et ſerpente ſeditione, cujus principium a [a] Maubertina platea factum, mox catenae per vias tendi, [b] dolia et plutei ad obſtruendos platearum aditus promoveri, lapides et ſaxa in feneſtras domorum in plateas deſpicientium comportari, denique omnia protinus ad regios opprimendos parari, coeperint. Cum ad forum novum et S. Michaelis pontem rumor crebreſceret, miſſus eo primum Franciſcus [c] Cugnacus Dampetra, et poſt eum Alfonſus [d] Ornanus Corſus; quibus enixe a regina mandatum, ut militem continerent, injuriam civibus non inferrent; tantum, ſi vim facerent, eam repellerent. His languidis et mollibus imperiis infracti militum animi, creſcente interim ſeditioſorum licentia, qui perditiſſimo quoque duce, et convenientibus a Guiſio jam ante immiſſis belli ducibus, mox in armis minaci vultu regios nihil molienteis intra plateas, promotis ſemper doliis, concluſerunt, ita ut elabi non poſſent. Interea a Franciſco Doo ac ceteris regiis ducibus ad [e] Luparam in horas ac momenta mittebantur nuncii, qui quid ageretur per urbem regi ſignificarent, et imperia ab ipſo acciperent: quae ſemper, parente inſtante, eadem erant; militem a vi abſtinerent, injuriam, ſi inferretur, repellerent. Parte alia, regina et Bellevreo ad [f] Guiſianas aedeis crebro commeantibus, rex apud Guiſium inſtabat ut urbe excederet, fide data, nemini ſuorum ac civium qui ejus partes ſequerentur, quod actum erat, fraudi tunc futurum, aut deinceps periculum ob eam cauſam ipſis creatum iri. Et Guiſius quidem initio de exitu anxius conditionem non abnuebat, tantum ſibi idonee caveri petebat; tempus interim terens, ut certius ex eventu conſilium caperet. Verum, ut mora langueſcere regiis animos, ſuis creſcere ſenſit, querelas acriores miſcuit, et jam aperte de injuria ſibi a rege facta expoſtulare coepit, de ea ſibi ſatisfieri petens; et ita repetitas ſaepius Bellevrei itationes ludificavit. Tandem poſt prandium, et jam incaleſcentibus poſt acreis compotationes per aeſtum diei animis, ad extrema deventum eſt; cum ſerum erat regiis, clauſis undique aditibus et domibus a civibus munitis, vim, quam initio facile poterant, inferre, et diutius citra manifeſtam perniciem in ſtatione conſiſtere amplius non licebat. Guiſius primo ſe domi continuerat, cum amicis et paucis armatis, qui latebant; quos opprimi initio imparatos perfacile regi fuerat. Poſtea ſub meridiem in vicum proximum, cui [g] Momorantianae aedes imminent, prodiit, campeſtri penula amictus, magnam conſtantiam et imperterriti animi ſpeciem ore praeferens; et ita longo tempore medius inter binos hominum, inter metum, odium, et amorem aſpicientium, ordines deambulavit cum archiepiſcopo Lugdunenſi, ſubinde miſſis ad ſe a conjuratis nunciis dans reſponſa. Ac memini ſane, cum paulo ante meridiem, nondum viarum aditibus clauſis, ut animum tanti eventus exſpectatione ſuſpenſum explerem, contempto periculo Luparam pedes acceſſiſſem, et vaſta omnia ac triſti ſilentio pavida reperiſſem, inde concepto ingenti moerore me ad Guiſianas aedeis ſubito contuliſſe; ibique Guiſio deambulante conſpecto, protinus ad amicum, quem comitem mecum duxeram, in aurem dixiſſe, illo die de rege et regia dignitate actum eſſe: nam mihi videri in vultu Guiſii ac ſuorum eam oris ſerenitatem ac fiduciam cernere, quae ipſum famae ſtudentem, potius de facinore excuſando, et injuria a regiis, ut innocentiae et humanitatis opinionem ſibi conciliaret, prohibenda, cogitare, quam de ſalute ſua angi, evinceret. Nec eventus verbis defuit: nam illo ictu funditus everſum regiae majeſtatis faſtigium concidit, et

INTERPR. [a] *place Maubert.* [b] *les barricades.* [c] *de Cugnac Sr de Dampierre.* [d] *Ornano Corſo.* [e] *le Louvre.* [f] *l'hôtel de Guiſe.* [g] *l'hôtel de Montmorency.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III. et rex amiſſas ſemel legitimae potentiae vireis nunquam poſtea recuperare potuit; jacuitque ab eo tempore regium nomen, donec invicta Henrici IV ad monſtra rebellionum debellanda nati virtute, compoſitis ad legitimum obſequium omnium animis, priſtinum vigorem et antiquum decus recepit, et intermortua florentiſſimi toto Chriſtiano orbe regni laus et gloria, inſperato Dei favore, fauſtis a coelo immiſſi principis auſpiciis, revixit. Tunc igitur verſa vice mutatae conditiones, et impoſitae a Guiſio, qui accipere debuerat, leges; ſummique beneficii loco ab ipſo impetratum, ut qui modo urbe excedere jubebatur, regias copias, quae in plateis ſtationem habebant, incolumeis excedere pateretur. Quod ille ſtrenue admodum fecit; humanitatis ſimul ac potentiae oſtentandae occaſione non ſegniter captata. Et ipſe ad aedeis publicas urbis venit cum Sanpaulo, et per mediam plebem praeſentia ſua placatam incedens, regios benigne appellando, et interim de injuria ſibi facta ſummo verborum temperamento expoſtulando, cunctos incolumeis in tutum deduxit; Antonio Sanpaulo cum ſcipione, quaſi captivos in triumphum duceret, praeeunte, et poſtea Guiſii juſſu reſtitutis armis. Qua re duo ſimul conſecutus eſt, ut et famam potentiae ſuae ac benevolentiam apud plebem triumphali pompa illa gaudentem augeret, et, rara generoſitatis opinione in regiorum animis alte impreſſa, ſummam gratiam ab ipſis pro tanto beneficio iniret. Majus in foro novo negotium fuit; quo cum [a] Bironus et Joannes Aumontius tribuni equitum a rege veniſſent, ut copias regias, ſicuti antea tumultuantibus civibus ſignificatum fuerat, ex plateis deducerent, cum nemo auctoritate pollens inter eos adeſſet, qui plebis furentis impetum aut reverentia aut metu refraenaret, vis a ſeditioſis in Helvetios, cum diſcederent, facta, et ſcloppetorum ictibus et demiſſis per feneſtras ſaxis LX circiter aut occiſi aut ſauciati; de cetero, ſanguine temperatum. Sparſum mox ad ciendam plebem, ſuggeſtione [b] Monpenſeriae, quae commentitiorum rumorum inſignis artifex erat, id regi conſilii fuiſſe, in poteſtatem redacta urbe, bonos Catholicos, qui pernicioſis Politicorum conatibus adverſarentur, ante aedeis publicas patibulis ad id paratis ſtrangulatos ſuſpendere, in eamque rem multa patibula et carnifices undique conquiſitos aedibus publicis ea nocte incluſos tenuiſſe: quod, ſumma impudentia confictum, majore imprudentia a multis creditum eſt; adeo accenſis odiis omnia in pejus interpretantur homines, et abſurda, quae alio tempore riſu exploderentur, pro veris accipiuntur.

XI. Sub veſperam crebrae ſtationes per compita et plateas diſpoſitae: et cum a mercatorum praefecto regis nomine teſſera, ſicuti fieri conſuevit, mitteretur, a ſeditioſis rejecta eſt, et miſſa a Guiſio accepta: quae prima apertae defectionis nota fuit; nam cetera ſpecioſe neceſſitatis excuſatione defendi poterant. Nox inquies inter curas et motus tranſacta; urbanis ducibus et aliis a Guiſio immiſſis per ſtationes ac domos privatas volitantibus, et inde praepotenti Dei dextra ereptos periculo bonos efficaci ad invidiam oratione depraedicantibus, inde virtutem Guiſii ac victoriam tantam immodicis laudibus ad coelum tollentibus, ac multa in regis odium miſcentibus.

XII. Re ex voto, ſed ſupra ſpem, confecta, Guiſius, jam de fama ſolicitus, et quam in partem haec ab exteris principibus acciperentur anxius, Briſſacum ad aedeis Anglicani oratoris mittit, (Edvardus [c] Staffordiae comes eo munere pro tempore fungebatur) infra Maubertinam plateam ad [d] Bernardinorum caium ſitas, eique ſecuritatis literas offert; clam datis Briſſaco mandatis, ut, dum ſalutis ejus curam habere videretur, etiam ipſius aedeis ex occaſione ſcrutaretur: nam homines armati apud eum latitare dicebantur, idque a ſeditioſis hominibus paſſim jactabatur, ut inde occaſione capta, ob odium Eliſabethae a concionatoribus jam a multo tempore induſtrioſe

INTERPR. [a] *les mareſchaux de Biron & d'Aumont.* [b] *madame de Monpenſier.* [c] *le lord Stafford.* [d] *Quay des Bernardins.*

induſtrioſe diſſeminatum, in oratorem ejus vim facerent, et domum ipſius injurioſe diriperent. Id importunis hominis inſulſi, qui tamen opinionem prudentiae apud plebem contraxerat, Nic. [a] Pigneroni pannorum inſtitoris delationibus a Guiſio datum; qui hoc agebat, ut eo officio ſuam potentiam apud primarium infeſtae ſibi multis nominibus reginae miniſtrum oſtentaret, eademque opera ipſius gratiam, ſi qua poſſet, demereretur. Anglus, mentione a [b] Briſſaco de ſecuritate injecta, graviter reſpondit: Siquidem privatus in Galliam veniſſet, ſe tam honorificas conditiones temporibus adeo turbulentis minime recuſaturum, et ultro ad Guiſium acceſſurum, ut pro iis gratias tanta humanitate dignas ipſi ageret: ſed quando reginae cum rege foederatae nomine veniſſet, ut oratoris munere apud ipſum defungeretur, nolle ſe neque poſſe ab alio quam a rege ſecuritatem accipere. Cum Briſſacus adderet, Guiſium non ad urbem veniſſe ut quidquam contra regem moliretur, tantum ut ſe ſuoſque tueretur; magnam contra ſe et urbem conjurationem initam, aedeis publicas patibulis et carnificibus plenas eſſe, in exitium bonorum civium et aliorum paratis; id ut Anglus ad reginam perſcriberet, orare Guiſium, ut de rei veritate univerſis conſtet: reſpondit Anglus, Haec ut dicerentur ita credere; magnos quippe et arduos conatus in pectoribus eorum qui eos ſuſcipiunt abſconditos premi, neque aliis facile communicari, qui poſtea eo colore velati, quo auctoribus expedire viſum fuerit, in vulgus emanant: ceterum ita judicare, quod in hoc tumultu urbano accidiſſet, id procul dubio univerſos orbis principes, ad quos exemplum pertineret, in malam partem interpretaturos; et, quicquid ad rem velandam et excuſandam afferatur, aequo animo minime laturos, ut principi ſubditus, cujus officium eſt intra obſequii limites omnia ſtudia ſua coercere, tantum ſibi tribuat: quod de patibulis invidioſe jactetur, id productis in publicum ipſis patibulis manifeſtari poſſe; et ut id detur, intolerabile et valde odioſum eſſe, ut ſubditus vi armata impediat, ne princeps ſupremam juriſdictionem vel vi armata, ſi neceſſitas id exigat, inter ſuos exercere poſſit: ceterum quae ſibi dicerentur, ad reginam diligenter perſcripturum: ſed hoc Guiſium ſcire velle, ſe non conſiliorum ipſius aut ſuorum interpretis officio apud reginam defungi inſtituiſſe; id enim ad munus ſuum minime pertinere, et reginam plus ſe ſapere, ut ex iis, quae ad ipſam ſcripturus ſit, pro prudentia ſua decernat. Cum nihil precibus neque honorificis adeo conditionibus proficere ſe videret Briſſacus, minas addit, et periculum a plebe Pariſienſi impendere oratori denunciat, ob crudelitatem in Scotiae reginam nuper exercitam admodum contra Anglos exaſperata. Heic nomine crudelitatis audito Briſſacum ſiſtit et interfatur orator, et quod juris via in jure actum eſſet, crudelitatis invidioſum nomen recipere non poſſe oſtendit: neque vero ſe videre, cur tantopere inviſus plebi eſſe debeat: nam quorſum id, cum perſonae publicae officio fungatur, et neminem injuria affecerit? Cum rurſus interrogaretur, an arma domi occultata haberet, orator renidenti vultu, Si ut amicus id a me tanquam amico familiariter peteres, qualis mihi fuit olim Arturus Coſſaeus patruus tuus, fortaſſe id quod eſſet reſponderem; nunc, cum is ſim quem vides, aliud a me reſponſum non exſpecta. Briſſaco rurſus amici perſonam induente, et turbulentos, quos prohibere non poſſit, mox venturos, qui ejus aedeis violenter ſcrutentur, ac proinde ut portas aedium claudi juberet minaciter admonente, Anglus jam in rem inſurgens, Aedes hae, quas vides, duabus portis, quas claudi ſuades, intrantur; quas, ſi vis fiat, certum eſt mihi, quantum ope humana eniti potero, defendere, ut omnibus in exemplum ſim juris gentium in me praeter jus violati: cum vero tanquam amicus me percontaris, an arma habeam, ut amicus reſpondebo; me, ſi privatus veniſſem,

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *Pigneron marchand de drap.* [b] *le comte de Briſſac.*

ↀↄↄLXXXVIII HENRICUS III.

veniſſem, arma fortaſſe mihi ad defenſionem paraturum fuiſſe; ſed cum legati perſonam ſuſtineam, ſatis me juris et fidei publicae religione tutum exiſtimo; neque proinde, ut mones, januas claudi jubebo, antequam infeſti, quos dicis, vim adhibeant: nam legati aedes cunctis intrantibus et exeuntibus patere debent; et non huc veni, ut Lutetiae tantum, ſed in regis, ubicunque ſit, comitatu morer. Cum ultimo Angli reſponſo Briſſacus ad Guiſium revertitur; qui, licet gloriae ſive gratiae ob ſervatum legatum ab Angliae regina conſequendae ſpe excidiſſet, tamen ad famam pertinere exiſtimans, ut legati in urbe, in qua ſupremam poteſtatem uſurpaſſet, tuti ab injuria eſſent, enixe cum urbanis illius regionis ducibus egit, ut neque facto neque dicto Anglis moleſti eſſent. Hic exitus diei, cui a doliaribus munimentis memorabile apud poſteros nomen, fuit; quo, calcata nominis regii majeſtate, Guiſii potentia ſancita et felici ſucceſſu temeritas ejus pro tempore approbata eſt. Sane ferunt Sixtum V, virum magni animi, et, ut injuriae impatientiſſimum, ita dignitatis ſuae retinentiſſimum, cum apud eum de adventu ad urbem Guiſii referretur, interfatum ſtatim exclamaſſe, O temerarium hominem, qui ſe tam imprudenter in manus irritati principis conſignaverit! deinde, ubi eum a rege nihilominus benigne exceptum et illaeſum dimiſſum intellexit, poſtremo altiore voce inclamaſſe, O ignavum et fatuum principem, qui inimicum hominem exitio ſuo natum data occaſione e manibus ſibi eripi paſſus ſit!

XIII. Hesterni diei ignava patientia cautiore quam honeſtiore conſilio poſtridie cumulata eſt. Nam cum crebro nunciis allatum eſſet, tota nocte coitiones factas, arma in Franciſcanorum coenobium comportata, et juventutem, quae magno numero operam in urbe literis dat, ad arma capienda, armis etiam traditis, concitatam, ac poſtremo ſeditioſis ſtare ſententiam, regem omni ratione in poteſtate habere, eoque conſilio decreviſſe ad VIII CIↃ ex omni numero urbe emittere, qui a tergo Luparam cingant, et exitum regi abituro prohibeant, intereaque omni vi a parte urbis arcem oppugnare: rex, his intellectis et facile ob vehementem metum creditis, haud rebus melius paratis quam cum ante XIV annos poſt Caroli fratris mortem e Polonia diſceſſit, fugam parat; et cum ſub meridiem fingeret ſe ad [a] Lateranos hortos extra urbem pro more deambulaturum pergere, re matri et paucis communicata, urbe per portam-novam, cujus claveis penes ſe habebat, exit; et, ubi ad Lateranos hortos venit, ſumptis confeſtim ocreis in viam ſe dat, praemiſſis Helvetiis et praetorianis, ac parte aulicorum miniſtrorum; miſerabili utique ſpectaculo, cum rex ampliſſimae et toto orbe maxime populoſae urbis nuper dominus, cujus ſingulos inquilinos mora longa et immodicis profuſionibus tantopere locupletaverat, nunc eam vitae metuens relinqueret, identidem a tergo reſpiciens et ingratam inclamans, et fidiſſimi quique, pedibus plerumque, alii in equis commodatis, ſed ſine ocreis et campeſtribus penulis, trepida fuga palantes ſequi cogerentur. Ea nocte ad [b] Trapas hoſpitium habuit rex, diſpoſitis ad municipii acceſſus paſſim vigilibus, qui an copiae urbanae a Guiſio miſſae venirent diligenter ſervarent. Poſtridie Autricum Carnutum venit, a Nicolao [c] Thuano urbis epiſcopo, regii nominis cultore eximio, quam potuit perhonorifice, ſacro omni ordine obviam prodeunte, exceptus, et plebe laetis acclamationibus eum proſequente, etiam renovatis illis fauſti ominis, quae jampridem obſoleverant, vocibus, quibus [d] vitam regi precabantur. Quod ſatagente epiſcopo fiebat: nam alioqui totus fere ſacer ordo et plebs, a foederatae factionis emiſſariis faſcinata ſeu corrupta, jam alieno a rege animo erat. Diverſa parte Guiſius, eodem quo rex diſceſſit die, ſub veſperam, multum ſibi dolere ſubitum regis et ſine cauſa juſta praecipitatum diſceſſum apud reginam teſtatus, urbem pedes luſtrat, et quaſi

ejus

INTERPR. [a] *jardin des Tuilleries.* [b] *Trapes.* [c] *de Thou evêque de Chartres.* [d] *vive le roy.*

ejus potens ſtationes, quae frequenteis habebantur, diſponit, et cum turbulentis ſeditionis ducibus crebro ejus aures pulſantibus, qui fere e plebis faece erant, comitate ſumma colloquitur; ita ſe omnibus obvium praebens, aliis arridendo, aliis annuendo, alios propius humero tacto demulcens, ut ſemper decus ſervaret, et nihil infra gravitatem et dignitatem ſuam faceret: praecipuos e ſenatu etiam tunc inviſit, metum a commota plebe verbis compoſitis injiciens, ſi quidquam contra civeis decerneretur. Cum Achillem [a] Harlaeum ſenatus principem, incorruptae conſtantiae ac integritatis virum, artificioſa ad terrendum eum oratione compellaret, nullum aliud reſponſum tulit, quam facturum eum quod ſui officii eſſet. Cumque Guiſius, periculi praeſentis metu ante oculos propoſito, rurſus inſtaret ut ſe reſpiceret, ille, nihil turbato vultu, mori ſe certum dixit potius quam quidquam fide ac obſequio, quod regi deberetur, atque adeo anteacta vita indignum admitteret.

XIV. Regina parens cum regina nuru in urbe remanſerat, ut poſſeſſionem veluti precariam urbis nomine regis retineret; quae quanquam non omnino aegre initio primos hos motus vidiſſet, quod ex eorum occaſione priſtinam ſe potentiam recuperaturam ſperaſſet, tamen longius provectum Guiſium cernens quam ut pedem retro referre poſſet, fruſtra viri ambitioſi ad perniciem regii nominis ruentem fortunam ſufflaminato ejus impetu ſiſtere conabatur, hinc metum a plebe effraeni, cujus favore praecipue nitebatur, et levi intentans, hinc promiſſa ingentia a rege ingerens. Verum ille pertinax in incepto ſucceſſus interim urgebat; et ut res ſuas in urbe firmaret, Saturni die, qui ſecundus a tumultu erat, Laurentius [b] Teſtus, [c] Baſtiliam, quam tenebat, dedere juſſus, eam ſumma ignavia dedidit. Alfonſus [d] Ornanus, vir fidei et virtutis perſpectae, ad eam defendendam vel cum capitis periculo ſe obtulerat; ſed rex male conſultus abnuit, periculum cauſatus, cui tantum virum ac ſibi neceſſarium ducem nollet objicere. Poſtridie invaleſcente ſeditioſorum audacia [e] Perruſius mercatorum praefectus, qui ſummus urbanus magiſtratus eſt, capitur, et in Baſtiliam nuper a Guiſio receptam injurioſe truditur, quaſi patriae ac regni proditor: nam hoc rerum ſtatu a partibus regis ſtare, pro crimine perduellionis habebatur. Biduo poſt caſtrum [f] Vicennarum urbi proximum Guiſio inſtante deditur; ac ſequenti, qui in Mercurii diem incidebat, praefecto mercatorum, antequam cauſam dixiſſet, a magiſtratu depoſito, cum [g] Contius et Lugolius aediles regem ſecuti abeſſent, magiſtratibus urbanis creandis comitia more inſolito indicta ſunt, et [α] Michael [h] Martellus Capella rationum regiarum magiſter praefectus mercatorum ex voluntate Guiſii dictus. [β] Ludovicus [i] Santionius et [γ] Franciſcus Bonardus cum ſe purgaſſent, et ſuam fidem ſeditioſis adprobaſſent, retenti; alii duo [k] Joannes Companus et [δ] Nic. Rolandus in locum abſentium creati ſunt. Santionius is, honeſta familia in urbe natus et in praetoris urbani tribunali non vulgari facundia [l] patronus, magnam modeſtiae laudem meruerat, ob id regis commendatione aedilis creatus, et ipſo tumultus die cum Jacobo [m] Belangero ſenatore regionis Maubertinae praefecto ſaepius ad [n] Luparam ultro citroque commeaverat, ut plebis regi conciliandae rationes explicaret: ſed, ſeu deſperatione rerum ſive ſpe opimioris fortunae, ſtatim mutavit, et a ſeditioſis perſuaſus, an quod ita expedire crederet, incertum, regi altero a tumultu die auctor fuit,

VAR. LECT. [α] Michael Martellus rationum regiarum magiſter *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur e* MSS. Put. et Rig. *excerpta*.
[β] Ludovicus *deeſt* Ed. Gen. 1620.
[γ] Franciſcus *deeſt* Ed. Gen. 1620.
[δ] Nic. *deeſt* Ed. Gen. 1620.

INTERPR. [a] *de Harlay premier preſident.* [b] *Teſtu.* [c] *la Baſtille.* [d] *le colonel d'Ornano.* [e] *de Perreuſe, prevoſt des Marchands.* [f] *Vincennes.* [g] *le Conte & Lugoly eſchevins.* [h] *la Chappelle Marteau.* [i] *Sainction & Fr. Bonard.* [k] *J. Compan & Nic. Roland.* [l] *Avocat au Chatelet.* [m] *Bellanger conſeiller, colonel du quartier de la place Maubert.* [n] *le Louvre.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III. fuit, poſt excuſatum heſternae lucis furorem, ut Guiſio mandaret, ipſe cum [a] Villoclaro et Ludovico Sangelaſio Lanſaco urbem in equis luſtrarent, et allocutione plebem placarent, ac dolia amoveri juberent; eos mox rex cum aulico comitatu in equis ſequeretur, et ad [b] S. Sacellum, quo regina ſingulis Veneris diebus religionis cauſa itare aſſueverat, quaſi ad ſolemneis preces faciendas ſe conferret: quod conſilium, ut periculi tempore ſuſpecto plenum, rex minime probavit. Mutati in urbe magiſtratus injuriam rex graviſſime ſecundum fugam ſuam tulit, quod ea re id agere Guiſium videret, ut urbem in poteſtate haberet, et plebis reconciliationem cum rege impediret. Tum, ex praeteritis cum praeſentibus facta comparatione, ultra modum de futuro animi angebatur. Quem enim modum audaciae Guiſium facturum, qui cum ſe in ſermonibus ac ſcriptis fidum regi et obſequentem ad omnia dicat, dum de pace et conciliatione agitur, magiſtratus a rege ordinatos removere, alios in eorum locum, non exſpectata regis auctoritate, ſubſtituere, non erubeſceret? His initiis quid non deinceps metuendum? Privatum modum jampridem ſupergreſſum Guiſium, nunc eo veniſſe ut conſiſtere non poſſit: nam in modicis cogitationibus ſive conatibus progreſſum eſſe, et, prout quiſque velit, plus minuſve ex fortuna ſumi; imperium affectantibus nihil medium inter ſumma et praecipitia a fortuna relinqui. Haec prudenter apud ſe volutanti regi haud perinde generoſa ab iis qui circa ipſum erant conſilia ſuggerebantur: nam mollia fere et languida erant quae adverſus valeſcentem in dies rebellionem remedia adhibebantur.

XV. Ad praefectos provinciarum quatriduo poſt tumultum ſcriptae epiſtolae ignaviae confeſſionem habentes, quarum haec ſumma erat: Dum rex Lutetiae eſſet, ſuſpicionibus ob motus in Picardia proxima ortos purgandis intentus, neque aliud praeterea cogitaret, quam ut iis compoſitis quamprimum in [c] Pictones ad bellum contra ſectarios perſequendum proficiſceretur, rege inſcio ad urbem veniſſe Guiſium VII Eid. Maias: auctas ejus adventu ſuſpiciones, quod antea, cum fama percrebuiſſet ipſum eo venturum, rex ſemel atque iterum miſſis dignitate praecellentibus viris ipſi praedixiſſet, ne eo tempore ad urbem veniret; tamen, quia exiguo admodum comitatu veniſſet, non propterea deſtitiſſe regem cum eo agere, ſi qua ratione ſuſpiciones illae per colloquia coram purgari et motus Picardiae componi poſſent: cum nihil ea ratione proficeretur, regem, cognito multos homines vagos et ſibi multis nominibus ſuſpectos in urbe eſſe et quotidie confluere, qui ſe Guiſii nomine tuerentur, id Guiſio ſignificaſſe, et ut eos faceſſere juberet imperaſſe; illum vero conſtanter ullos ſe in urbe habere pernegaſſe: inde ſumpta occaſione regem urbem per praefectum mercatorum, aedileis, et alios delectos luſtrari et aedeis ſcrutari juſſiſſe; quod cum ſegniter fieret, et ad id delecti metum a plebe ſeditioſa obtenderent, regem, penes quem ſummum imperium eſſe debet, ut ad obedientiam juſta imperia detrectanteis adduceret, praetorianos et Helvetios in urbem introduxiſſe, ut eorum et equitum utriuſque ordinis opera citra violentiam ſua imperia exequi poſſet: et civeis quidem initio ad obſequium animos inclinaſſe, ſed mox ſparſis malevolorum vocibus, quaſi copiae illae introductae eſſent ad praeſidium atque adeo jugum civitati liberae et regni metropoli imponendum, ope eorum qui a Guiſio immiſſi fuerant, et ſe ſeditioſis duces praebebant, plebem arma ſumpſiſſe, et doliis promotis copias in plateis diſpoſitas in anguſtum coegiſſe, ac poſtremo aditus ſepſiſſe: regem vero, qui, ſi vim principio adhibere voluiſſet, in poteſtate urbem habere potuiſſet, injuriam propriam vitae civium poſthabuiſſe, ac maluiſſe furori plebis cedere, quam, ut poteſtatem retineret, eam effuſo civium quamvis id audacia ſua promeritorum ſanguine ſancire. Hoc inſigni clementiae ac benignitatis exemplo cum plebem placari, et ad meliorem

INTERPR. [a] *de Villequier, & L. de S. Gelais Sr de Lanſac.* [b] *la Sainte Chapelle.* [c] *Poictou.*

meliorem mentem redire poſſe ſibi perſuaſiſſet, totam eam noctem ſe in arce continuiſſe, ac poſtridie mane copias externas omneis a ſe dimiſiſſe: ſed praeter ſpem eveniſſe, ut plebs, quae tractabilior ea ratione reddi poſſe ſperabatur, patientia regis audacior effecta, non ſolum nullas conditiones audiverit, ſed promotis doliis et altius erectis munitionibus arcem propius cingere, ac contumelioſis verbis regios ſtipatores petere, aggreſſa ſit: quam injuriam cum diutius ferre rex non poſſet, quamvis accurrentibus undique copiis ſeditioſorum pertinaciam vi facta expugnare poſſet, tamen, ut vitam ſuorum ſibi propria vita chariorem oſtenderet, maluiſſe ſibi obſequium perire, quam committere ut, dum in eo conſtituendo laborat, ſalutem ſuorum neglexiſſe videretur: itaque urbem reliquiſſe, et ad [a] Carnutum civitatem veniſſe, regina matre Lutetiae relicta, ſi forte, quod ſe praeſente fruſtra tentaverat, per abſentiam ſuam perficere poſſet, ut civeis ad ſaniorem mentem reduceret. Id ſcire praefectos voluiſſe, ut civitates ſuae curae commiſſas de re tota certius edoceant, neque Pariſienſis tumultus exemplum ad eas ſerpere patiantur, et falſos rumores, qui de induſtria ad conturbandam publicam quietem paſſim a malevolis diſſeminantur, pro prudentia et auctoritate ſua coerceant. Literis ad praefectos datis additae aliae ad civitates, quibus ad praefectorum literas, et quae ab iis regis nomine dicerentur, remittebantur. Multa inſuper rex de egregia erga ipſas voluntate ac ſtudio ad religionem Catholicam apoſtolicam Romanam, exſtirpato per bellum ſectario veneno, aſſerendam praefatus, eas ad obſequium hortabatur, orabatque, ne ſe falſis rumoribus praeoccupari ſinerent, ſpe facta, ut deinceps a praeteritis malis, quae belli neceſſitas adfert, bello confecto, majus, quam huc uſque feciſſent, levamentum ſuo beneficio ſentirent.

XVI. CONTRA has triſteis meticuloſae tantoque principe indignae deprecationis voces, Guiſius exultationis et victricis fortunae fiducia plenas literas opponebat, quas eodem die ad regem, amicos, ac civitates ſcripſit. Ad regem magnificis verbis, Dolere ſibi, quod mala ſua fortuna ita tulerit, ut malevoli, clauſis ejus ad obſecrationes ſuas per calumnias artificioſe excogitatas auribus, nullum gratiae apud majeſtatem ſuam locum ſibi reliquum fecerint: id adeo impatienter tuliſſe, ut ſpreto vitae periculo injuſſu regis ad urbem venerit, exiguo adeo comitatu, ut vel ex eo facto ſatis innocentiam et conſiliorum ſuorum ſinceritatem regi ac ceteris omnibus approbare potuerit: inde biduo ad latus regium haeſiſſe, et de Picardiae motibus componendis eodem animi candore quo venerat egiſſe; nihilque praetermiſiſſe, quo promptum ad omnia erga majeſtatem ſuam obſequium ac fidem intemeratam teſtaretur: nihilominus malevolorum pertinacitate effectum, ut ſua majeſtas per ea ſibi ſatisfieri minime pateretur, et, auctis per falſas criminationes ſuſpicionibus, ſe et urbem in ſummum periculum adduxerit, introductis in eam externis copiis, quarum terrore ad extremam deſperationem adacti cives arma pro juſta defenſione ſua ſumpſerint: ita inſperato Dei innocentum cauſae aſpirantis beneficio pernicioſa conſilia diſſipata, et urbem regi incolumem ſervatam fuiſſe; exituque illius diei ſatis conſtitiſſe, quam animus ejus abhorreat a conſiliis quae contra majeſtatem ſuam a calumniatoribus agitare falſo inſimulatus eſt: quod ut magis ſibi perſuadeat, orare majeſtatem ſuam in animum revocet, ipſum conſcientia ſua tutum et ſola clementiae regiae fiducia fretum in ipſius manus ultro ſe conſignaſſe, et, cum primum ad eum de introductis in urbem Helvetiis ac [b] praetorianis nuncius perlatus eſt, ſolum et inermem repertum in privatis aedibus, ac fortaſſe minore cum comitatu, quam pro tempore et dignitate ſua debuerit; ut ex eo cunctis manifeſtum ſit, laedi laedendive metum

INTERPR. [a] *Chartres.* [b] *le regiment des gardes.*

metum aut conſilium non habuiſſe: quod vero intra terminos juſtae defenſionis tali in periculo ſe continuerit, et omne ſtudium ac curam in refraenanda plebe, et aſſerendis ab injuria pleriſque ex regis miniſtris, quos minime ignorabat multa apud regem in perniciem ſuam machinatos eſſe, tum in ſervandis Helvetiis et praetorianis juſtae plebis irae expoſitis, poſuerit, fidem apud omnes facere, qua reverentia majeſtatem regiam colat, quam alienum a turbanda urbis quiete animum habeat, quam nullo ultionis ſenſu tangatur, nihilque potius aut antiquius habeat, quam ut gratiam regi faciat, nihilque quod ei merito diſplicere poſſit admittat: haec ſi mature ac diſcuſſo omni ſiniſtro ſuſpicionum nubilo apud ſe perpendat, confidere, ut de innocentia ſua ipſi abunde conſtet: interea longe maximum dolorem ſenſiſſe ob repentinum regis diſceſſum, quo effectum ſit, ut fidem ſuam et innocentiam, ſicuti optaverit, et reginae, cum ad ipſam ſub id tempus veniſſet, confirmaverit, regi approbare non potuerit, rebus jam eo prudentia et moderatione ſua adductis, ut regis dignitate ſalva ex voto ejus componi potuerint: id quoniam ſibi per inimicorum malevolentiam, qui regi diſcedendi auctores fuerunt, non licuit, reſtare, ut ita ſe in his tumultibus gerat, iiſdem moderationis veſtigiis, quibus huc uſque fecerit, inſiſtens, ut eum rex ipſe et cuncti boni eſſe agnoſcant, cui nihil ſit antiquius quam benefaciendo regis gratiam et omnium bonorum benevolentiam mereri. Haec tanquam ab illudente ſcripta. Ad amicos apertius, et quaſi jam rerum regni arbiter conſtitutus: Vix, inquit, nos ſatis validis praeſidiis muniebamus contra improborum aſtus, id agentium, ut bellum contra ſectarios decretum ab [a] Aquitania averteretur; in eoque eramus, ut regi de motibus Picardiae ſatisfaceremus, amicis id ultro petitioni noſtrae dantibus, ut Picardicae legionis, quae ad Aquitanicum bellum deſtinata, verſis veſtigiis, immittente Eſpernonio, Belgium petebat, graſſationes patienter tolerarent; cum ecce idem Eſpernonius, quaſi Picardiae quietem ſolicitare ei non ſatis eſſet, in [b] Neuſtriam proficiſcitur, novas contentionum ac diſſidiorum occaſiones quaerens; quas et reperiſſet, niſi, praevalente belli in Aquitaniam vertendi apud nos deſiderio, cum amicis in ea provincia egiſſemus, ut nullum ei impedimentum afferretur. Sed parum ei fuit, ſuperfluis praeſidiis vireis, quae adverſus ſectarios deſtinatae fuerant, exhaurire, et inutilibus diſcurſationibus tempus bello opportunius conterere, niſi nobis, hoc eſt, pudori noſtro ac decori, quod vita nobis charius eſt, bellum intuliſſet, ſparſis rumoribus et rege calumnioſe perſuaſo, nos de laniena Lutetiae excitanda, de ipſo rege capiendo, et urbe diripienda cogitare; nos id moliri, ut, corraſa undecunque per direptiones pecunia, bellum, quo liberet, pro arbitrio transferremus. Auxit dolorem, quod ſub id pontifex ad me ſcripſit, et ut regi ſupremo domino fidem et obſequium ſervarem paterne monuit. Id me ad extremam deſperationem adegit, perpendentem, regem, his ſuaſionibus male animatum, plus deinceps de ſe adverſus ſuſpecta muniendo, quam bello contra ſectarios ſtrenue gerendo, laboraturum. In ea perplexa ac deſperationis plena cogitatione haerenti affertur, regem IV ſigna Gallorum, III Helvetiorum, Lutetiam evocaſſe: quo cognito ex amicis, impatientiſſime fidem meam in dubium revocari, ut decuit, tuli, et, ut omnem male de me ſuſpicandi occaſionem regi adimerem, mora nulla interpoſita Lutetiam advolavi, ſola meritorum ac conſcientiae fiducia fretus, nec alia praeterea ſecuritate accepta; ratus candore ac ſinceritate illa, et renudatione pectoris, abunde purgatas apud regem ſuſpicione. Poſt manuum regiarum deoſculationem et redditam adventus tam ſubiti mei rationem, biduum cum rege fui, de belli in Aquitania gerendi ratione multoties cum ipſo collocutus: quo tempore rex, ut vero ſimile fuit, de me meiſque rebus plane cognovit, et me fere ſolum veniſſe, et in aedibus meis privati ſpecie

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Normandie.*

ſpecie degere, reſcivit. *Nihilominus* IV Eid. Maias ante auroram copias militareis in urbem per *S. Honorati* portam immiſit, et ipſe eas obvius in equo factus cum comitatu aulico excepit, ac legionis praetorianae [a] praefecto ac Helvetiorum [b] ductoribus imperavit, ut cunctas urbis plateas occuparent: confuſae et urbanarum copiarum ſtationes, *ita ut*, procul a regione quiſque ſua, mutua auxilia invicem praeſtare ac praeſto ad occaſiones eſſe non poſſent. Heic me in lecto jacentem, ac nihil tale cogitantem, amici, qui negotiorum forte cauſa ad urbem venerant, expergefaciunt, et quid agatur oſtendunt: plebs ſuo periculo excitata, nullo prius conſilio habito, mea tantum praeſentia et diſtributis inter eorum duces imperiis confirmata, ad arma conclamat, et ſumptis armis momento doliareis munitiones X paſſibus a regiorum ſtationibus promovet, ſtatimque iis denunciat, ut urbe et ſuburbiis excederent, alioqui fore, ni ſponte faciant, ut cum damno ſuo ac pudore faceſſere cogantur. At tum forte accidit, ut ex civibus unus ab Helvetio quodam ictum acciperet: qua re exacerbati cives in Helvetios impetum faciunt, quoſdam occidunt, multos vulneribus conficiunt, ac poſtremo armis exuunt. Eodem tempore Gallicae copiae diſſipantur, et confuſae in aedeis proximas includuntur. Ipſe ad ſtrepitum aedibus meis egreſſus, cum per urbem incederem, IↃCCCC Helvetiis de ſalute periclitantibus vitam ſervavi, Gallos in tutum ad Luparam deducendos curavi. Ita die, quae omnium maxime, quae mihi fulſerunt, praeſenti divinae opis luce coruſcavit, jam inclinata, totam noctem in luſtranda urbe, obeundis ſtationibus, plebe compellanda, et precibus, monitis, hortatibus, ac poſtremo minis tractanda, conſumpſi; ita ut nihil omnino e bonis ſuis cuiquam perierit, et ne gutta quidem ſanguinis effuſa ſit, quamvis concitata et fremente plebe, ut quae XX patibula et complures carnifices paratos, et CXX amplius ex civibus ad ſupplicium deſignatos fuiſſe, certo ſibi compertum diceret. Quod magno cum laetitiae ſenſu dico, quippe cum ita me a tot falſis lanienae in urbe faciendae et civium expilandorum criminibus abſolutum videam: nam cum potuerim quod malevoli me animo deſtinaſſe regi perſuaſerant, neque fecerim, os obſtructum illis eſſe non poſſum non maxime gaudere; praeſertim cum eadem opera reverentiam, qua regem colo, cunctis manifeſtam fecerim, reſtitutis armis, ſignis, tympanis, et captivis in tutum deductis; ac denique omnibus in rebus eam moderationem ac cultum, quod in tali occaſione conſtantiſſimo cuique difficile fuiſſet, regi debitum ſervaverim. Sed ne ſincerum id ac ſolidum gaudium eſſet, regis ab urbe repentinus diſceſſus fecit; qui iiſdem illis turbarum auctoribus ſibi perſuaſerat, me de ipſo capiendo cogitaſſe: quod abſit, ut, quanquam facere citra negotium poſſem, unquam mihi in mentem venerit. Poſtea armamentarium regium et Baſtiliam recepi, ac loca praeterea circa urbem munita. Arcas aerarii obſignari juſſi, in regis placati, cujus ſunt, manus olim conſignandas; quod, precibus ad Deum fuſis, et pontificis ac ceterorum principum Chriſtianorum interventu, et inſigni illo de fide mea ſpecimine edito, fretus, brevi fore confido: quod ſi aliter eveniat, iiſdem opibus, quibus hactenus feci, deinceps ſpero me religionem et Catholicos ſervaturum, et a pernicie, quam ſectariorum foederati, qui circa regem ſunt, illis parabant, defenſurum. Dedit et ad civitates literas eodem argumento, ſed diverſis verbis, quibus contemptim et quaſi ludibrio laudata regis clementia ac benignitate, vereri tamen ſe dicebat, ne pravis a conſultoribus, qui eum jam multoties magno religionis malo in eaſdem difficultates et anguſtias praecipitem dederant, impulſus, laudabile de bello contra ſectarios perſequendo conſilium intermittat: ad quod cum videat Pariſienſeis egregie animatos, non potuiſſe non hortari ipſos, ut, ſalva per omnia regis auctoritate, vireis et conſilia cum iis conjungant, nec obſequii, quod regi debetur, praetextu

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *meſtre de camp du regiment des gardes.* [b] *les colonels des Suiſſes.*

CIↃIↃLXXXVIII Henricus III. praetextu mutationem ullam in civitatibus ſuis fieri, armamentaria excitari, arces erigi, aut denique praeſidia ad infeſtorum religionis hoſtium libidinem imponi, patiantur. His adjunctae erant Pariſienſium ad civitates literae, quibus Navarri et Eſpernonii nomina a Guiſio de induſtria ſuppreſſa diſerte exprimebantur; eorum quippe conſilio factum, cum de Lutetia regni metropoli ad abolendam religionem in poteſtatem redigenda cogitarent, ut rex, falſis de Guiſio rumoribus praeoccupato animo, praeſidiarias Helvetiorum et Gallorum copias in urbem venire juſſerit: quo intellecto Guiſium, qui ad decus ſuum pertinere exiſtimaret, ut pravas de ſe in regis animo impreſſas ſuſpiciones purgaret, protinus e Sueſſionibus advolaſſe, et media in luce urbem ingreſſum cum ſeptem equis, ſe coram rege quaſi ad cauſam dicendam ſtitiſſe: nihilominus praevaluiſſe malorum apud regem ſuaſiones, vano periculi impendentis metu incuſſo, cujus praecavendi rex ſumma imprudentia copias externas in urbem noctu immiſerit; contrarioque metu perculſos civeis, ſibi, uxoribus, ac liberis, atque ante omnia religioni, cui per hunc aſtum inſidiae a Navarrenis ſtruebantur, metuenteis, arma ſumpſiſſe, et brevi eos, qui oppugnatum venerant, oppugnatos fere citra ſanguinem expugnaſſe, et urbi ſecuritate parta religionem in tuto collocaſſe: quo facto cum omnia pacata in urbe eſſent, et a fideli atque adeo religioni ac regi devoto populo nihil metui deberet, tamen eoſdem illos regi, qui priorum conſiliorum auctores fuerant, perſuaſiſſe, ut, exiſtimatione quaſi de culmine praecipitata, quo ſaluti conſuleret, turpi fuga urbem relinqueret; et ita eum [1] veluti caecum Lupara abripuiſſe, et ad Danvillae primum Eſpernonio cognatione conjuncti, mox Momorantii, quem Navarro foederatum omnes ſciunt, aedeis deduxiſſe: haec voluiſſe illos ſcire, ut cum videant religionem, vitam, res ipſorum his artibus peti, moniti ſuae ſaluti proſpiciant, et tanquam membra capiti, hoc eſt Pariſienſium civitati, ſe majore et ardentiore, quam antea, ſtudiorum et voluntatum conſenſione conjungant, negotiationis commercium ſecum continuent, et ſi quas habeant pro religione et populi levamento ad regem perferendas preces, ſeu querimonias, eas per homines fidos et rerum intelligenteis communicent, fructus, qui ex iis redundabit, participes futuri: nam tempus veniſſe, ut aut ſimul moriantur, aut religionem Catholicam contra Navarri conatus tueantur, ſeque ab Eſpernonii jugo vindicent.

XVII. Non exultantis ſed jam fortuna ebrii Guiſii animum produnt literae, quas ille quatriduo poſt ad Chriſtophorum [a] Baſſompetram corculi nomine, ſic penitiſſimum [b] amicum vocabat, dedit. Iis ſignificabat, eo die libellum oblatum iri, in perniciem Eſpernonii diſerte compoſitum; in quo nihil omiſſum eſſet, quod ad eum omnibus coloribus ſuis delineandum pertineret: pridie ad aedeis publicas itaſſe, ut a [c] Capella in mercatorum praefectum electo jusjurandum exigeret, item a [d] Rolando monetario, Compano, aliiſque bonis civibus Catholicis tanquam [e] aedilibus; nam [f] Perruſium praefectum mercatorum Baſtilia incluſum eſſe, reliquos aedileis patriae proditores in fugam ſe conjeciſſe: nuſquam majorem poſt tantum motum quietem in urbe viſam, nunquam civium animos magis ad obſequium compoſitos; nihil in tumultu amiſſum, omnia arma, fariſſas, galeas, ſcloppetos, gladios, Helvetiis et Gallis reſtituta: indignis ſe modis habitum, et pernicioſiſſimis conſiliis, quaeque ſectarium aſtum nimis redoleant, petitum eſſe; ſed Dei praeſenti auxilio factum eſſe, ut, annitente Pariſienſium conſtantia, obedientia, ac fortitudine, periculum tantum evaſerit; qui in eadem conſtantia et animi elatione ad ſervandum obſequium etiam nunc

INTERPR. [a] *Baſſompierre, petit cœur.* [b] *ami du cœur.* [c] *la Chappelle Marteau.* [d] *Roland general des Monnoies.* [e] *Eſchevins.* [f] *de Perreuſe.*

NOT. [1] Il y a dans la lettre, "l'auroient enlevé "du Louvre & conduit en la maiſon de Damville "allié du Sr d'Eſpernon, & frere de Montmorency "aſſocié du roy de Navarre. *Put.*

nunc perſeverent, ceterum obfirmato ad religionem conſtituendam et firmandam urbis ſecuritatem animo. His addebat, Rex militem conſcribit, et nos copias cogimus; ille Autrici Carnutum, nos Lutetiae ſumus: haec rerum facies: veni ad nos quamprimum ſine mora, quos opibus, amicis, omnique alia re, ſed inprimis egregie animis ad obſequium regi inviolabiliter praeſtandum, prout viros probos et optimos Catholicos decet, inſtructos reperies. Hae literae, quanquam ad privatos aut in arcano ſcriptae, tamen de induſtria ab emiſſariis vulgabantur, ut ex earum cum regis ſive literis ſive mandatis comparatione, quid utrique, regi Guiſioque, animi eſſet, a cunctis noſceretur, ex eoque quid quiſque ſalutaris conſilii hoc rerum ſtatu capere poſſet admoneretur. Inter haec Guiſius, qui urbi populoſae et erga ſe inſano amore affectae de commeatu proſpectum cuperet, loca vicina, ex quibus copioſa annona infertur, in poteſtate habere ſtatuit; ob idque ad [a] Meldorum civitatem et Theodorici caſtrum, loca Matronae impoſita, excurſionem cum Ludovico cardinali fratre fecit, relicto in urbe cardinali Borbonio, quem ille, ut populis illuderet, tanquam larvam ad ludibrium ſemper ſecum circumgeſtabat. Is poſt tumultum Pariſienſem ex Sueſſionibus ad urbem venerat, cum Carolo [b] Vindocino cardinali Ludovici Condaei fratris filio, ab hac factione tunc maxime alieno, ſed cui rex ſignificari curaverat ut cum patruo maneret, ejus praeſentia ratus aliquantum et Guiſii et Borbonii conatus reprimi poſſe. [c] Melodunum et eodem tempore a Guiſio, ſed fruſtra, tentatum; in quod ſe incluſerat [d] Triſtanus Roſtinius utriuſque ordinis eques jam ſenex, qui vicina praedia oppido habebat, et arcis praefectus erat. Cum deditionem facere recuſaret, intentatae a Guiſio minae: ad quas a Roſtinio generoſe reſponſum, ſenectutem ſuam ſe ſecurum facere, et honorificum ducere, quod brevis vitae ſupererat, id pro patria et regio nomine tuendo, cui tot beneficiis acceptis obſtrictus eſſet, impendere. Summiſſus mox ei auxilio [e] Carolus Borbonius Rubempratus, et poſtea [f] Miromontius; qui [g] Sanpauli eo a Guiſio miſſi conatus irritos reddidere. [h] Corbolium infra Melodunum ad Sequanam tuendum ſuſceperat juſſu reginae Joannes [i] Hemerius e Neuſtriae inferioris nobilitate ſtrenuus belli dux, et ducta in uxorem Cypria virgine e reginae gynaeceo ipſi percharus; quod et aliquandiu tenuit: ſed cum ob viciniam urbis rex totam belli tempeſtatem in municipium per ſe debile incubituram provideret, et ad famam pertinere exiſtimaret, ne ex primis ſucceſſibus conjurati majores animos ſumerent, Hemerio mandavit ut locum deſereret.

XVIII. Sub id res intervenit ſpecie ridicula, quae luctum publicum auxit, ac regi maxime detrimentoſa fuit. Ei fatale erat, ut quicquid ardentius dilexerat, id illi poſtremo perniciem adferret. Ante quinquennium verſicolores Flagellantium ordines in urbe ſtudioſe inſtituerat; quibus et ſe ipſe, dum ſupplicationes haberentur, velata facie frequenter immiſcebat, eaque re poſſe ſe Deo placere et hominibus putabat. Huic religioſae militiae ſeditioſi quique in urbe nomen dederant; qui, ſupplicationum celebrandarum occaſione ſumpta, ut de regis rebus certius cognoſcerent, et urbem hactenus regi fidam ad defectionem ſolicitarent, eo perſonati magno numero tendunt: veriti tamen, ne, tempore ſuſpecto ab urbe ob recentem injuriam merito ſuſpecta egreſſi, non admitterentur, Henricum [k] Jouſam, qui poſtquam in Capucinorum coenobium tranſierat [l] Frater Angelus vocabatur, ſpecie religionis incitant, agmen ducere vellet, et rem religioſam religioſiſſimo principi gratam proculdubio futuram, his nominibus vulgo ei illudebant, ſuſcipere. Ille, qui regem hujuſmodi

INTERPR. [a] *Meaux, & Chateau-Thierry ſur Marne.* [b] *le cardinal de Vendoſme.* [c] *Melun.* [d] *Triſtan de Roſteing.* [e] *Charles de Bourbon Vendoſme, Sr de Rubempré.* [f] *Miraumont.* [g] *de St Paul.* [h] *Corbeil ſur Seine.* [i] *d'Hemery Sr de Villers de la baſſe Normandie.* [k] *de Joyeuſe.* [l] *Frere Ange.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III.

hujuſmodi devotis ſpectaculis capi ſciret, non gravate [α] aſſentitur. Inter perſonatos venerat Stephanus [a] Nuellius; qui ſpecie religionis conſcios in ea civitate, nam peſtiferae confoederationis contagio jam cunctas regni urbes pervaſerat, novo ſacramento in Guiſii verba [β] adigeret: quod et [γ] ille cum ſequacibus, ſciente et patiente rege, impune [δ] fecit; quanquam Bironus, a quodam e ſacri collegii ſodalibus de loco in quo convenerant certior factus, regem monuiſſet, et comprehendendi eos auctor fuiſſet.

VAR. LECT. [α] aſſentitur; et, ut ad lorariam pompam de ingenio ſuo aliquid adderet, novam ſcenam, in re omnium maxime ſeria ac tremenda, prorſus ridiculam, cum decem circiter e ſuo ſodalitio inſtruit. Praecedebat homo barbatus, toto corpore ſqualidus, cilicio tectus, ceterum gladio adunco ex balteo militari dependente accinctus, tuba aeruginoſa per vices inconcinnum quid canens, circulatorum inſtar qui vulgo per compita urſos circumducunt, aut theriacam vendunt, aut alveolis ludunt: ſequebantur tres alii compoſito ad truculentiam vultu, ollas ferreas pro galeis in capitibus geſtantes, et ſupra cilicium loricis et manicis annulatis tecti, cum haſtis et venabulis rubigine eroſis, ut ſqualori vitae et amictus arma reſponderent, qui fratrem Angelum funibus alligatum turbam obviam pulſantes poſt ſe trahebant. Is ſtola candida, quales ſacra facturi induunt ſacerdotes, amictus, et corona ſpinea falſo capillitio impoſita caput tectus, ex quo guttae cruentae veluti ex vibicibus ſpinarum in faciem ſtillabant, crucem oblongam chartaceam bajulabat; et quaſi ſub pondere gemens, et ſubinde in terram, ac ſi deficeret, procidens, dolorificis anhelitibus pectus pulſabat. Adſtabant hinc inde ad latera juvenes duo, ex eodem ſodalitio, candida et ipſi ſtola velati virginum ſpecie, B. Mariam virginem Dei matrem et Mariam Magdalenam referentes, qui cancellatis brachiis lumina in coelum rotantes, ac artificioſis lachrimis flentes, ſubinde quaſi ad modum, ut ille in terram procidebat, ita humi procumbebant. A tergo quatuor item truculenti eodem armorum apparatu inſtructi milites, funibus alligatum fratrem Angelum tenentes, ſequebantur, et flagris ſupra ſtolam cum horrido murmure caedebant. Hac pompa praeeunte Flagellantium ſe ordines longa ſerie incedebant: qui in urbem ſub horam tertiam pomeridianam a ſtationariis juſſu regis admiſſi, concurſu plebis et puerorum quaſi ad ludorum ſpectaculum properantium facto, ad majus templum veniunt, cum poſt veſpertinas preces peractas ſtatio quam vocant in templi nave celebraretur. Rex cum omni aulico procerum comitatu aderat; qui, ad inſolens tubae claſſicum repente converſus, improviſo hominis ſibi dilecti conſpectu admodum perculſus eſt, miſeram ejus vicem dolere ſe dictitans, qui partim a collegis perſuaſus, partim a *factioſis deceptus, alieno* ſe negotio *imprudenter miſcuiſſet*, et abſurda religionis oſtentatione omnibus deridendum propinaret. Auxit riſum, quod cum *artificialis cruor ad ciendam* miſericordiam inſperſus, ſudore ob aeſtum diei manante, deterſus eſſet, *Jouſa a ſuis monitus in ſacellum* proximum ſeceſſit, ut rurſus artificiali ſanguine faciem oblineret: quod cum circumfluente turba obſeratis valvis facere non potuiſſet, totam paene tragoediam evertere periclitatus eſt. Cum rege erat Ludovicus Bertonus Grillonius legionis praetorianae tribunus, homo praefracta loquendi et faciendi libertate in aula notus, cujus grandior natu frater Jouſae amitam olim Avenione uxorem duxerat. Is, dum pompa illa per porticus interioris templi ante regis oculos praeterveheretur, ubi cucullatos ſatellites Jouſam flagris caedentes vidit, ut porro caedere non deſinerent, et ſerio caederent, alta voce, ut ab omnibus audiretur, monuit; nam pavore ignavo eum aulam deſeruiſſe, et ne arma indueret cilicium ſumpſiſſe. Haec verba a Jouſa ipſo intellecta alte in pectus ejus deſcenderunt; qui poſtridie ad regem admiſſus nunquam ſe acriorem injuriae morſum ſenſiſſe teſtatus eſt; et quanquam poſt votum conceptum, omni rerum humanarum abjecta cura, probra et contumelias contemnere cum animo ſuo ſtatuiſſet, non potuit imperare ſibi, quin ad haec verba excandeſceret, et imis ſenſibus commoveretur: petere igitur, ut ſi non ſibi jam extra mundum poſito, ſaltem decori familiae tot egregie pace et bello factis clarae, quae nunquam militiam detrectaſſet, de tanta injuria ſatisfiat, et Grillonius ab hujuſmodi verborum procacitate abſtinere in poſterum jubeatur. Rex expoſtulantem benigne ſolatus viciſſim increpuit, quod inconſiderato pietatis ardore abreptus in re tam ſeria alieno tempore luderet, et ſeditioſis hominibus, quales in illa pompa complures eſſe compertum habebat, ſe veluti ducem praebuiſſet. Id propter Stephanum Nuellium et alios dictum, qui perſonati cum Jouſa venerant, ut ſpecie *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] adigerent: *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[γ] illi *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[δ] fecerunt; *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *le preſident de Nully.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS PRIMUS.

EPITOME.

MISSI a ſenatu ad regem inſtigante regina delegati, et edictum de revocandis aliis pleriſque promulgatum. Claudii Dorroni a rege in ſenatum miſſi oratio. II. *Libellus contra Eſpernonium et Valetam fratrem in regis invidiam. Libellus Borbonii cardinalis, Guiſii, et aliorum nomine ſubſcriptus.* III. *Ad eum regis languidum reſponſum.* IV. *Sub id et evulgatum pro Eſpernonio et Valeta ſcriptum, quo Guiſianorum ambitio acerbe perſtringebatur.* V. *Eſpernonius in aulam e Neuſtria reverſus ultro praefectura nuper donata cedit, quae ſtatim in Monpenſerium collata eſt. Inde, ut invidiae cederet, in Santones et Engoliſmenſem agrum cum ſummo imperio proficiſcitur.* VI. *Delegati in provincias a rege miſſi, qui tumultus Pariſienſis eventum elevarent, et de comitiis regni ſpem facerent. Jac. Aug. Thuanus in Neuſtriam, quo rex concedere conſtituerat, praecedere jubetur. Franciſcopolis ad Guiſium inclinat.* VII. *Auguſtobona Tricaſſium in Campania a Guiſio ſolicitata; ac tandem, Ludovico Guiſiano cardinali iterum accedente, plebis et factioſorum opera in poteſtatem redacta.* VIII. *Villaregius ad reginam matrem cum pleniſſimis de pace mandatis mittitur. Conditiones eaedem quae in Nanciano conventu propoſitae, ac inter alias de Tridentino concilio promulgando. Actum et de Aureliano ſecuritatis cauſa foederatis attribuendo.* IX. *Miſſus interim in Picardiam Thuanus a rege cum literis ipſius manu propria ſcriptis, ut Abbatis-villam, Samarobrigam et Corbiam, quae nutabant, in fide confirmaret.* X. *Villaregius in aulam redit, dum rex ſpectaculis Rotomagi occuparetur: et, quoniam ſumma armorum praefectura in arcano promiſſa Guiſio fuerat, diplomatis exemplum etiam regi attulit.* XI. *Tandem conditum edictum Quintili menſe, quod Rotomagi mox promulgatum eſt, et ab Honorato Laurentio Henotici titulo ſingulari libro laudatum.* XII. *Nivernii in edicto ſubſcribendo difficultas, quod eo Navarrus proximus regni heres a ſucceſſione excludi videretur. Tandem a rege juſſus, nec niſi repetitis juſſionibus, fidem cum aliis proceribus interpoſuit.* XIII. *Miſſi a Guiſio archiepiſcopus Lugdunenſis et Cl. Caſtreus, qui pro edicto gratias agerent, ceterum de dignitate aucta ipſum affectata modeſtia excuſarent. Suſpicionis regis contra Villaregium ex eo et Aurelianenſi negotio origo nata.* XIV. *In Pictonibus Navarri et Lavardini res geſtae.* XV. *Arauſio in Provincia irrito conatu a Suſae comite tentatus. Diguierii et irritus ad Gratianopolim conatus. Giera haud hinc procul munitione ab eo expugnata cum ſuis Mauripodium Vapinco vicinum inſidet, et ſumma celeritate munit. Jargium a Diguierio captum. Fanum-Spiritus fruſtra tentatum.* XVI. *Valeta, ubi de edicto Juliano cognovit, et de Meduanio cum exercitu brevi in Allobroges venturo, ab Eſpernonio fratre monitus Eid. Sextil. defenſionis et offenſionis foedus cum Diguierio icit. Interamnium in Venaſcinenſi comitatu a Blacono captum. Delphini caſtrum a Bricomotio item captum. Oſceni tandem poſt arctam obſidionem dedente Bellomontio recepti. Viciſſim Ancona a Diguierio capta.* XVII. *Rex Rotomago*

in

in Carnutes deſcendit, et, auditis in itinere a ſenatu miſſis delegatis, Autricum tendit; quo ſtatim cum regina matre Guiſius ad eum venit. XVIII. *Diploma de amplificata Guiſii dignitate a Villaregio factum.* XIX. *Novae ſuſpiciones ortae ex literis pontificiis ad cardinalem Borbonium et Guiſium, quem Machabaeis comparabat, ſcriptis, et Nivernii prudentibus monitis; qui, exercitui in Pictones mittendo ſummus dux deſtinatus, ſe a munere injuncto excuſavit.* XX. *Jura proximi regis agnati Borbonio cardinali ad turbandum legitimae ſucceſſionis ordinem Henoticis annitentibus attributa, et in ſenatu, cum diploma promulgaretur, in majus aucta.*

EX AUCTORIBUS,

Actis publicis, libellis tunc publicatis, Honorato Laurentio, Nivernii relationibus, Diguierii militari diario, actis curiae Pariſienſis, Antonio Hotomano.

LIBER NONAGESIMUS PRIMUS.

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

INTEREA regina parens, quae Lutetiae remanſerat, quam tanti motus ab initio ſe conſcia excitati ſero poenitebat, ut aliqua obſequii ſpecie regiae potentiae umbram filio conſervaret, Achillem [a] Harlaeum ſenatus principem et Joannem [b] Gueſlaeum curiae praeſidem in arcano monet, e ſuo ordine delegatos ad regem mittant, qui motum recentem excuſarent, et ſenatum in poteſtate ejus futurum publica actione teſtarentur. Senatusconſultum ea de re factum, praeeunte Jacobo Gueſlaeo cognitore regio, in ſpeciem, quaſi ſenatus ſponte pro officii ratione ac nemine inſtigante id faceret. Delegati Jo. Gueſlaeus praeſes, Jacobus [c] Briſardus, Joannes [d] Curtinus, Proſper [e] Boinus, Jacobus [f] Gillotus ſenatores, Jacobus Gueſlaeus cognitor regius: qui [g] Autricum Carnutum profecti et admiſſi orationem ſumma demiſſione, et qualis temporibus pacatis deſiderari poterat, habuerunt. Ad quam rex reſpondit, ſe jam a regina certiorem factum de ſenatus decreto et delegatorum adventu, eaque re non mediocriter laetari, quippe qui ſemper ſibi perſuaſerit, ipſos, qui ex ampliſſimo totius regni ordine ſunt, nequaquam officio defuturos, neque de eorum fide et obſequio unquam dubitaverit, ſed eandem obedientiam quam majoribus ſuis praeſtiterunt, tanquam rex ipſorum legitimus, ſemper ab iis expectaverit: ſcire ſe, quod Lutetiae nuper acciderit ipſis dolere, et, ſi in poteſtate ipſorum fuiſſet, id omni ope impedituros fuiſſe: id et ſibi dolere; verum eadem ſibi quae aliis pleriſque eveniſſe: ceterum ſibi eo gravius id accidiſſe, quod XIV totos annos in ea urbe continuo moratus, eam aſſiduo quaſi domicilio in ea mora contracto honeſtarit, omnique benignitatis et gratiae genere erga Pariſienſeis uſus ſit, ipſique ipſum ſemper bonum et erga ipſos bene affectum principem experti ſunt: ſcire ſe ut in tam populoſa urbe non poſſe non et plureis malos eſſe, ſed et pleroſque bonos exiſtere; ceterum, ſi ſe demiſerint et errorem confeſſi agnoverint, eos in gratiam recipere ſe paratum, et tanquam parentem filios, aut regem bonum ſubditos, eos amplexurum: in hoc ipſis laborandum eſſe, nam urbis et univerſorum civium, uxorum denique et liberorum, ſalutem in eo verti: interea ipſi in fide et munere ſuo, ſicuti ante feciſſent, perſeverarent, ex regina parente, quid ſuae voluntatis ſit, cum opus erit, plenius intellecturi; cui non tantum, quod ex ipſius utero prodierit, multum debeat, ſed quia peculiarem rerum

ſuarum

INTERPR. [a] *de Harlay premier preſident.* [b] *de la Gueſle preſident.* [c] *Briſard.* [d] *Courtin.* [e] *Bauin.* [f] *Gillot.* [g] *Chartres.*

ſuarum curam atque adeo totius regni ſemper habuerit. Id mane actum. Poſt prandium rurſus vocati delegati; ad quos rex languido ſermone infit, eos e via revocaſſe, quod intellexerit, Lutetiae a ſeditioſis jactari, id ſibi conſilii fuiſſe ut urbem praeſidiariis impleret: atqui ſi id voluiſſet, aut ad deſolandam urbem facturum fuiſſe, aut quod civibus parum fideret; ſed neutrum de ſe exiſtimari poſſe, quippe qui tanta benevolentiae ſuae documenta dederit, tot beneficiis univerſos et ſingulos cumulaverit, ut nec ipſe de hominum tot nominibus ſibi devinctorum fide, nec illi de egregia ſua erga ipſos voluntate dubitare debuerint: longa ſua et aſſidua mora adeo locupletatam urbem, ut opifices plus ſe rege, quam ſub X proximis regibus, lucrati ſint: fidem facere, minime conſtituiſſe ſe praeſidium urbi imponere, quod nemo ex iis qui juſſu ſuo introducti ſunt militibus in cujuſquam civium domum pedem intulit, nec vel buccellam panis aut quidquam aliud ab ipſis exegit; quinimo de ſuo neceſſaria iis ſubminiſtrata: nec, ſi paſſi eſſent cives, plus XXIV horarum ſpatio in urbe manſuros fuiſſe; quo tempore aedeis exacte ſcrutari decreverat, abſque maleficio, ut externi et ſuſpecti, qui ad XV CIↃ amplius eſſe dicebantur, urbe faceſſerent, et ita ſaluti urbis et ſuae conſuleretur: proinde velle, ut cum dolore et poenitentia culpam agnoſcant: non ignorare ſe, quid illis a malevolis perſuaſum ſit, rem ex gravitate offenſionis metientibus, nempe ſe implacabilem adverſus ipſos fore; at hoc illis ut per ſenatum ſignificetur jubere, ſe mortem delinquentium nolle, hoc eſt, minime ipſorum perniciem optare, imo ſibi conſtitutum eſſe viam manſuetudinis inſiſtere, modo culpae agnitione et vera ac ſincera poenitentiae demonſtratione ſatisfaciant; nam ſe ea lege eos in gratiam recepturum, et paterno affectu tanquam filios, omni odio depoſito, complexurum: ceterum velle, ut ſe tanquam regem ac dominum agnoſcant; ni faciant, et ſe longioribus protelationibus ludificent, apertam ſe ad beneficia manum compreſſurum, ita ut tantae injuriae ad animum revocati ſenſus veſtigia et notas aeternum impreſſas relinquat: populoſam urbem regni metropolim ſenatui, ceteris curiis, privilegiis, immunitatibus, praerogativis ſcholae, regum beneficio conceſſis, ſuam magnitudinem debere: haec ſi revocentur, mox commercio ceſſante, urbem ad ſolitudinem redactum iri: id exemplo recenti patuiſſe, cum peſte graſſante ante VIII annos per regis abſentiam adeo deſolata urbs, ut plebs per vicos alias frequenteis trocho luderet: non ignorare ſe multos in urbe eſſe qui factum doleant, et bonorum numerum multis partibus malos vincere: proinde velle, ut ſibi ſatisfiat, neque potentia ſua contra contumaces, quod magno ſuo cum dolore futurum ſit, uti cogatur: nam patientiam regis laeſam in furorem verti; et quid juſta regis poſſit indignatio, minime ipſos latere: ſe quoque, quanquam natura ab ultione abhorreat, nullam ulciſcendi injuriam acceptam rationem praetermiſſurum; nam ſibi minime deeſſe animum, neque minores ſpiritus quam ulli deceſſorum ſuorum: ex quo regnum poſt Caroli fratris mortem delatum inivit, et e Polonia revertit, mite hactenus imperium fuiſſe: hoc ſcire omneis, ſed neque propterea velle ut ſeditioſi clementia ſua ac benignitate abutantur: ſe non uſurpatorem, ſed regem legitima ſucceſſione ad imperium vocatum, ex eaque gente prognatum quae ſemper ſumma aequitate et manſuetudine regnum adminiſtraverit: quod de religione obtendatur, meras nugas eſſe; aliam viam inſiſtendam: non alium ſe magis Catholicum principem, et qui magis ſectarium venenum exſtirpatum cupiat, toto orbe exiſtere: id anteacta vita ſua ſatis populo teſtatum eſſe, ac nunc vel cum jactura alterius brachii optare, ut ultimi ſectariorum quaſi jam defuncti, in hoc, in quo tunc erat, coenaculo imago depicta proſtaret: redirent ad ſua, et munere ſuo, ut antea, defungerentur, bonoque animo eſſent, nihilque ſua potentia freti metuerent: velle ac jubere, ut quae dixerat ipſis referentibus a cunctis urbis ordinibus noſcerentur. Ita dimiſſi delegati. Id actum XVII Kalendas Junias. Poſt aliquot dies

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

CIↃIↃLXXXVIII miſſus a rege ad ſenatum Claudius [a] Dorronus libellorum ſupplicum magiſter; qui,
HENRICUS III. longa oratione habita, hanc regis voluntatem ultimam eſſe declaravit, ut, dum cives ad officium redirent, praeterita omnia oblivioni traderentur, emendationis publicae ratio iniretur, ob idque regni comitia in exitum anni indicerentur, proteſtatione facta, ut quae in iis decreta fuerint religioſe et inviolabiliter ſerventur; inſuper de legitimo regni ſucceſſore Catholico et e regio ſanguine prognato conſultetur: ſed ut comitia legitima ſint, cupere et velle, ut ante omnia cuncti ab armis diſcedant, poena perduellionis in non parenteis ſancita.

II. DORRONUS auditus, dum Guiſius [b] Caſtrum Theodorici profectus ab urbe abeſſet. Ubi rediit, novo decurionum collegio perſuaſit, ad amoliendam invidiam, ut et ipſi delegatos ad regem mitterent, libello prius, cujus ſupra in Guiſii ad [c] Baſſompetram literis facta mentio eſt, Borbonii cardinalis et aliorum principum, procerum, ac urbis et ceterarum regni civitatum Catholicarum nomine perſcripto. Eo proteſtati non aliam ſibi mentem in ſumendis armis fuiſſe, aut nunc eſſe, quam ut ſectarium virus, a quo cetera mala in regnum derivari conſtet, ſtirpitus evelleretur, eoque exſtirpato et pace regno parta regi obſequium conſervaretur, regem ad bellum ſtrenue perſequendum hortantur, in eoque ut Guiſii opera uti velit rogant. Poſtea omnem querimoniarum vim in Eſpernonium et Valetam fratres conjiciunt, ut merito Catholicis ſuſpectos et apertos ſectariorum fautores, multis et magnis criminationibus in eos cumulatis; et primo in Eſpernonium, quod poſt [d] Andini mortem in [e] Aquitaniam profectus pernicioſa cum ſectariis conſilia agitaverit, favore eorum amicos, odio bonos Catholicos, proſecutus ſit; quod negotio a [f] Clarevantio pro ſectariis [g] Metenſibus ſuſcepto participaverit, [h] Cameracum regiae ditionis civitatem nuper intercipere conatus fuerit; manifeſte in tractatu cum Germanis equitibus inito, quo incolumes in patriam redirent, praevaricatus ſit; conſilii de militaribus copiis in urbem introducendis, quae hunc tumultum nuper excitarunt, auctor fuerit; ſecreta cum Caſtellionaeo colloquia habuerit. Deinde Valetae haec objecta, quod [i] Valentiam, Tallarium, Guilleſtrium, et alia loca in Delfinatu Catholicis adempta in poteſtatem redegerit, impoſitis ſuſpectis praefectis; res ſectariorum conniventia et diſſimulatione juverit, omnique ope nuper enixus ſit, ne [k] Axonae munitiſſimum in Burgundiae principatu oppidum, quod contra [l] Meduanium provinciae praeſidem rebellaverat, ad officium cogi poſſet. His de cauſis fratres merito Catholicis ſuſpectos, metumque ingentem iis injectum eſſe, ne illi tot locorum potentes, ſi gratia regis prudentiſſimi, quem diutius ſuperbam eorum inſolentiam minime toleraturum appareat, excidant, ea in ſectariorum, cum quibus aperte fortunas conjunctas habeant, manus ac poteſtatem tradant. His accedere publicum odium: nam vulgo ab omnibus exiſtimari, ab iis, tanquam a fonte, omnium, quae florentiſſimum hoc regnum infeſtant, malorum ſcatebras profluxiſſe: ab iis ſiquidem inſtitutam foedam praefecturarum ac publicorum munerum nundinationem; nova commenta ac inauditas hactenus rationalibus ad exhauriendum aerarium et inexplebilem eorum avaritiam ſatiandam repertas fraudes; procerum offenſiones, calumnioſe his auctoribus apud regem traductorum et a publica adminiſtratione remotorum, inſuper miſerae plebis per nova vectigalia ac tributa vexationes, iiſdem merito tribui: quae ne forte odio aut aemulatione dici videantur, enixe obſecrare ſuam majeſtatem, optimam parentem ac de ſe et regno tam bene meritam roget, libere ac ſincere ſenſum ſuper ea re ſuum aperiat; proceres item ac primarii regni magiſtratus data libertate ac ſacramento adacti rogentur; neque enim dubitare quin idem reſponſuri ſint. Eo fieri, ut

INTERPR. [a] *Dorron.* [b] *Chateau-Thierry.* [c] *de Baſſompierre.* [d] *le duc d'Anjou.* [e] *Guienne.* [f] *de Clervant.* [g] *de Mets.* [h] *Cambray.* [i] *Valence, Tallard, & Guilleſtre.* [k] *Auſſonne.* [l] *le duc de Mayenne.*

ut majore fiducia et minore indignationis regiae metu majeſtatem ſuam obteſtentur, quo populum formidine ob ſupra memoratas cauſas concepta ſolvat, procerum offenſiones componat, plebem a vexationibus liberet, regno ſecuritatem, ſibi omnium ordinum benevolentiam conciliet, ut ambos fratres a latere ſuo removeat, et, omni publica adminiſtratione et dignitatibus ac praefecturis muneribuſque publicis ejeratis, privatos quamprimum in domos ſuas concedere jubeat: neque rurſus id urgere, ut ex ſpoliis eorum diteſcant; abunde ſibi fore, ſi rex juſtis ſuis poſtulatis acquieſcens homines tam pernicioſos a ſe removeat, et eorum dignitates ac praefecturas inter proceres bene de republica meritos, neque Catholicis ſuſpectos, prout eum facturum ſperent et ſibi perſuadeant, pro ſua prudentia diſtribuat: id regi non ſolum honorificum, ſed utile ac ſalutare futurum; nam ita ſuſpiciones, quae ex amplificatione potentiae hominum ſibi inviſorum ortae fuerunt, plane exſtinctum iri, et, aerario expilatorum hujuſmodi rapinis levato, plebem quoque tributis levari poſſe, expeditiuſque regem bellum contra ſectarios ſuſceptum, omni alia cura depoſita, perſecuturum: ſic autem bellum illud adminiſtrandum, ut rex exercitum in Aquitaniam deſtinatum ducat, in Delfinatum Meduanius provincialibus acceptus, ut quos eadem peſte prius liberaverit, cum alio exercitu mittatur; regina Lutetiae maneat, quae publica regni negotia, ſicuti prudentiſſime et feliciſſime antea ſemper fecerit, interim per regis abſentiam adminiſtret: petere inſuper Catholicos, ut rex pro ſua prudentia provideat, ne ipſi olim ſub jugum ſectariorum, et eorum qui ipſis favent, deveniant; nam exemplo vicinorum terreri, et eorum tyrannidem ipſis horrendam et formidabilem eſſe. Haec in genere pro cauſa Catholicorum totius regni propoſita. Pro Pariſienſibus additum, laudata prius eorum fide et conſtanti erga reges obſequio, et excuſata recentis tumultus intemperie, cauſaque in juſtum metum, ob introductos nec opinato in urbem praeſidiarios, rejecta, ut, ſi propterea rex aliquam adverſus ipſos indignationem concepiſſet, quanquam nulli culpae ipſi ſibi bene conſcii ſe affineis ſentirent, eam pro innata ſibi manſuetudine deponeret, et demiſſis ipſorum precibus condonaret; nam id magno ſuo cum dolore accidiſſe, ac multo aegrius diſceſſum ſubitum regis tuliſſe, iiſdem illis auctoribus, quibus praeſidiarios in urbem immiſerit, intempeſtive deliberatum ac decretum, cum in eo eſſent cives, ut, facto non verbis, reſtituta publica auctoritate, regi fidem et egregiam ſuam voluntatem approbarent: verum ob calumnioſas delationes regi antea toties de ipſis factas, et juſtas diffidentiae cauſas ob recentem motum auctas, a ſua majeſtate poſtulare, ut ipſorum ſecuritati in poſterum conſulatur: id autem commode fieri, ſi Dous urbis gubernator a praefectura et negotiorum urbis adminiſtratione ſe abdicet, ob cauſas, quas ſileri quam propalari, niſi aliter rex jubeat, malint: et, quia in confeſſo ſit, et rex ipſe ſatis intelligat, praefectum mercatorum et aedileis antea creatos urbis quieti conſervandae impares eſſe, petere, ut rex ejerationem urbanae procurationis ab ipſis factam in bonam partem accipiat, et ratam habeat; alios in eorum locum ſuffectos in biennium proximum admittat, et libera creandis magiſtratibus urbanis comitia in poſterum permittat; publicorum urbis munerum nundinationem prohibeat, et, cum aliquos ex urbis conſiliariis, [a] regionum curatoribus, quinquagenariis, decanis, et hujuſmodi decedere contigerit, liceat alios in demortuorum locum, publicis civium ſuffragiis, more inter eos recepto, ſufficere: caveatur poſtremo, quo principis urbis amplitudini de copioſa annona proſpiciatur, ut nullos milites praeter ſtipatores Helvetios et [b] praetorianos rex ſecum adducat, et militares copiae, cum iter facient, procul ab ea divertere jubeantur. Libellus, cardinalis Borbonii et Henrici

INTERPR. [a] *quarteniers, cinquanteniers, dixeniers.* [b] *les gardes.*

 Henrici Lotharingi manu ſubſcriptus, factioſis e faece plebis, nuper a Guiſio urbi praepoſitis, ad regem perferendus datur.

III. Ad quem rex IV Kal. Jun. ſcripto reſpondit, Borbonium cardinalem, alioſque, quorum nomine inſcriptus eſſet libellus, egregiam regis in religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae cauſa, univerſorum regni ordinum ſaluti ac populi levamento, voluntatem ac praecipuum ſtudium ſatis perſpectum retro temporibus habuiſſe, ut de eo nemo dubitare poſſit, aut ipſum facto dictove antevertere: bellis ſuperioribus nullis laboribus, vigiliis, ac ne vitae quidem propriae, pepercisse, pluresque de ſectariis victorias quam ullum Chriſtianum principem reportaſſe: etiam pacis viam cum ipſis tentaſſe, nihilque praetermiſiſſe ſeu bello ſeu pace, *Carolo fratre rege*, et poſtquam ad regnum vocatus eſt, ut ſectariorum vireis labefactaret, aut eos omnino deleret: poſtea, pacis via omiſſa, edictum ſeverum ad conſervandam Catholicorum unionem ante triennium condidiſſe, bellumque adverſus eos conſtanter geſſiſſe, ac porro perſequi decreviſſe: ultro etiam contra Germanos auxiliareis et Helvetios profectum, eos tranſitu prohibuiſſe, et ut debellari poſſent praeſentia ſua effeciſſe: poſtea magno cum ſuo dolore, ſparſis a malevolis diſſenſionum ac ſuſpicionum ſeminibus, curſum victoriarum aliquandiu retardatum; quibus evellendis cum ſedulam operam impenderit, fruſtra hactenus fuiſſe, et malum diſſimulatione creviſſe: ſe nihilominus praeterita, ac motum per Lutetiam excitatum, cujus acerrimum ſenſum ſervet, oblivioni tradere paratum, et Pariſienſeis paterna clementia libenter complexurum, modo ſe illi in praeſens et in poſterum, prout debent, morigeros ac obſequenteis praebeant, ſalvis, quae a majoribus et ſe obtinent, privilegiis, immunitatibus ac libertatibus: interea valde exoptare, ut univerſi Catholici in unionem ſecum coeant, et conjunctas copias contra ſectarios vertant. Quantum ad querelas de perverſo rerum ſtatu et populi vexationibus, id ſibi, ad quem propius res pertinet, plus quam alii cuiquam dolere; verum, diſſidentibus animis et contentionibus exortis, factum, ut pax ultima turbaretur, et pace turbata ad licentiam et confuſiones porta aperta ſit: nam conſilia de cunctis regni ordinibus ad antiquam diſciplinam revocandis, et populo tributis levando, per pacem bene procedentia bello exorto interrupta; et, per bellum exhauſto aerario, neceſſe fuiſſe, ad illud ſupplendum, non ſolum vetera tributa per ſe gravia continuare, ſed etiam nova, magno populi detrimento, excogitare: nam alendis exercitibus plerumque in diverſis provinciis eodem tempore immenſam auri vim vix ſatis eſſe, et neceſſitatem belli exactionum neceſſitatem impoſuiſſe: ſed quoniam malis publicis, cujuſmodi haec ſunt, publicis remediis opus eſt, decreviſſe regem generalia regni comitia ad XVIII Kal. Septemb. Bloeſis indicere, in quibus de inſtaurando reipublicae ſtatu, iis corrigendis quae prave irrepſerunt, libere more majorum, ſalva ſemper regis dignitate et auctoritate, ad populi levamentum decernatur; quaeque in iis decreta fuerint, religioſe et inviolabiliter deinceps ſerventur, et executioni demandentur, ita ut nulla gratia aut alio reſpectu iis derogari poſſit; inſuper rationes ineantur, quibus ſaluti Catholicorum et ſecuritati, ne a ſectariis olim opprimantur, ex trium ordinum ſententia conſulatur: interim, dum ſuper populi levamento deliberetur, regem, ut inter tot incommoda et calamitates, quas temporum malignitas invexit, quaſi inter nubeis aliquod paternae benevolentiae ſuae lumen proferat, fiſcalia aliquot ſcripta, quae belli neceſſitas a ſe extorſit, revocare ſtatuiſſe. Quantum ad querelam de Eſpernonio et Valeta propoſitam, regem, qui jus aequabile ſemper inter ſuos dixerit, in hac cauſa quod juſtum et aequum erit facturum. Non de nihilo eſt, quod de populi levamento jam proſpectum dicit: nam biduo ante uno edicto XXXVI edicta ſive reſcripta fiſcalia populo remiſit, intempeſtivo ac ſero nimis remedio, quam ut ex eo gratiam

gratiam ſperare potuerit; quippe cum id potius pro metus confeſſione, plebe ad defectionem ubique ſpectante, quam beneficentiae teſtimonio acceptum ſit, revocatis eo tempore edictis, quo amplius executioni demandari non poterant, et interim ſuperiorum temporum acerbitate, quam potius ſepultam oportuit, per intempeſtivam illam gratiam renovata.

IV. Cum hoc reſponſo Pariſienſes abire juſſi, ubi Lutetiam redierunt, mox libellum typis evulgandum curant; ad quem pro Eſpernonio et Valeta a quodam, qui vere Catholici Romani titulum praefert, ſcripto itidem evulgato reſponſum eſt. Scripti auctor, initio deplorata ſaeculi iniquitate, qua fiat ut fidiſſimi quique et erga regem maxime obſequentes in crimen impune vocentur, inſuper proteſtatus ſe nulla de cauſa privatim obnoxium, ſed regiae dignitatis tuendae et innocentiae a calumniis aſſerendae tantum ſtudio ſtimulatum, hanc reſpondendi provinciam ſuſcepiſſe, bene actum cum Eſpernonio et Valeta dicit, quod illi teſtem atque adeo conſcium omnium, quae dixerint, fecerint, ac conati fuerint, regem habeant; ſed nemini debere mirum videri, ſi libellis calumnioſis petantur, quando regia majeſtas non ſolum libellis ſed effraeni loquentium licentia ubique proſciſſa fuerit. Nunc, cum aperte regem verbis, quem facto oppugnant, petere erubeſcant, in ipſos directa infeſtae voluntatis ſpicula jacere: idem antea egregios accuſatores iſtos feciſſe, cum initio excitati ante triennium tumultus eoſdem fratres, et Jouſam poſtea hoc bello extinctum, libello nominatim tanquam harum turbarum auctores detulerunt; nam hoc conſtare ex prioribus libelli exemplaribus: ſed poſtea ex cujuſdam primariae inter ipſos auctoritatis viri conſilio nomina eorum ſuppreſſa, eorundem deinceps ſpecioſe nominandorum in commodius tempus occaſione reſervata: non ita tecte rem geri, quin veritas inter mendacia et impoſturas, religionis et boni publici velo obſcuratas, pelluceat: hac vice per latus amborum fratrum regem peti, eique litem intentari, ut qui Lutetiae nuper capi et opprimi non potuit, is, amotis fidis conſiliariis ac miniſtris, regia dignitate ſimul ac libertate ſpolietur: nam quorſum conjurationibus atque adeo aperta vi Lutetiae graſſari adverſus Eſpernonium, qui Rotomagi erat, aut munitiones ad [a] Luparam uſque a ſeditioſis promoveri, clavibus urbis violenter captis, ut Valeta, qui in Delfinatu erat, Valentia expelleretur? Hos eſſe confeſſionum Salſedae, nequaquam, ſicuti debuit, crediti, conatus, qui non in Eſpernonium et Valetam diriguntur, ſed contra regem ipſum; nam illos, ex quo primariis regni muneribus ac praefecturis donati ſunt, magna fidei et integritatis laude iis defunctos, optimi parentis, cujus egregia exſtant erga rempublicam Gallicam merita, veſtigiis generoſe inſiſtenteis: nam intra ſex menſium ſpatium ſectarios tota [b] Provincia expulſos, paſtoribus et primariis eorum ducibus in furcam actis; [c] Caturiges aſpera hyeme in Delfinatu conjunctis fratrum copiis captos; et poſtea Helvetios, auxilio Proteſtantibus venienteis, a Valeta profligatos, ſatis amplum teſtimonium dare, quid ſecretorum conſiliorum inter alterutrum fratrem cum ſectariis eſſe poſſit. Tantum Valetae objici, quod Valentia pernicioſae foederationi addictos praeſidiarios exegit, ut regi fidum militem in primariam provinciae urbem introduceret; quod excuſationem necne mereatur, aequis et prudentibus rerum aeſtimatoribus judicandum relinqui: non id Valetae, ut ſecus quam debuit factum, dolere, qui ex animo cupiat, et plurimi mercetur, ut idem [d] Divione, Cathalauni, Monſtrolii in Morinis, ac hujuſmodi urbibus, quae in regni meditullio regi non parent, fecerit. Quantum ad [e] Eſpernonium, cui in [f] Aquitaniam ad Navarrum profectio, conatus adverſus Cameracum,

INTERPR. [a] *le Louvre.* [b] *Provence.* [c] *Chorges.* [d] *Dijon, Chaalons ſur Marne, Monſtreuil en Picardie.* [e] *le duc d'Eſpernon.* [f] *Guienne.*

[a] Cameracum, occulta cum [b] Claraventio et Caſtellionaeo conſilia, ac occultus erga Germanos favor, tanquam certiſſima propenſae in ſectarios voluntatis argumenta, improperantur, optare ipſum ut regi auctoritas ſua et libertas de cujuſque meritis pronunciandi conſtet: quod ſi fiat, nolle alium ſuae innocentiae teſtem, quam regem ipſum, allegare; qui ſciat in Germanis profligandis plus Eſpernonium quam quenquam alium laboraſſe: nam, Helvetiis ab iis diviſis, facile fuiſſe Guiſio, illos ad [c] Alnetum quaſi ad internecionem traditos debellare; et tamen haec ubique tanquam de Cimbris victis tropaea parta ab emiſſariis magnifice depraedicari, cum tantae victoriae decus ſoli regi debeatur: iter in Aquitaniam tantum abeſſe ut in Navarri gratiam ſuſceptum ſit, ut contra rex optime ſciat, ab eo tempore Navarrum ſemper alieno ab Eſpernonio animo fuiſſe. Cetera quae objiciuntur, chimaeris propiora, a malevolis conficta eſſe, quorum et vanitatem capitis periculo Eſpernonius redarguere ſit paratus: verum haec hujuſmodi eſſe, ut a vacui cerebri hominibus tantum credantur, qui impoſturis et falſis rumoribus a bonis illis viris, qui Franciam contra legitimum principem cient, et ipſum nuper e principe regni urbe expulerunt, quotidie paſcuntur, et proinde ab illis ſpecioſo bonorum Catholicorum nomine indigitantur. Apud eos perinde haberi, regi obſequentem, ac ſectarium aut Hugonotum eſſe: primumque caput religionis ab illis conſtitui et mordicus defendi, turbas ac ſeditiones in regno contra regem excitare. Atqui rogandos Sorbonici collegii theologos, et ipſum denique ſummum pontificem, ſi forte hoc ſcriptum ad ejus aures pervenire poterit, ecquid religio Catholica apoſtolica Romana doceat, homines contra principem ſuum rebellare, populum ad defectionem ſolicitare, aerarium ejus ac vectigalia invadere, oppida ac civitates occupare, et ipſi regi inſidias ſtruere? et utri caſtigationem mereantur, qui patre vere Catholico Romano, qui magnum ſectariorum flagellum fuit, nati, Catholice tota vita inſtituti, qui nihil antiquius divini Numinis metu ac regis obſequio habent, qui nullo diſcrimine contra ſectarios et alios rebellanteis pro rege certant, an qui falſo ſe religionis nomine munientes, ſpecioſo belli contra ſectarios ſuſcepti praetextu aſſumpto, regem aperte oppugnant, turbas ubique cient, ipſum urbibus ſuis ſpoliant, et imperium manifeſte affectantes regno regique ipſi exitium machinantur? Eos eſſe, qui ſe bonos Catholicos vocant, qui foederati in communem perniciem paſſim tumultus excitant; et vereri ſe impudenter blaterant, ſi rex Eſpernonium et Valetam gratia deſtituat, fore, ut illi loca munita, quae tenent, in Proteſtantium, quibus in occulto favent, manus conſignent: et nihilominus, cum hoc urgent, id agunt, ut per impoſturas et importunas calumnias eos ad id faciendum praecipitent, quod vereri ſe dicunt. Inde liquido conſtare, bonos iſtos Catholicos, non de regni ſalute ſed de ejuſdem diſſipatione ſolicitos eſſe; quod cum integrum habere ſe poſſe deſperent, de eo in partes ſcindendo cogitare, eo conſilio ut meliorem ejus partem ſibi ſervent. Neque vero plus de corrigendis quae prave irrepſerunt, aut ſectariis exſtirpandis, angi; quippe qui querelarum et motuum occaſionem ſibi ereptam aegerrime ferrent: nam quo caſu magis retardatum victoriarum contra ſectarios curſum, quod illi tantopere in ſpeciem queruntur, quam ſeditione nuper Lutetiae excitata, rege in ipſa [d] Lupara arce a bonis iſtis Catholicis obſeſſo, et poſtremo, ut vitae conſuleret, urbe regia excedere coacto? Et ſane id generoſis et vere Francis nunquam in mentem venire potuiſſe, quorum fides et obſequium erga ſuos principes annalium teſtimoniis conſignatum ſemper a rebellionibus et diſſidiis civilibus abhorruit. Id ſatis arguere harum turbarum auctores nequaquam nativos Francos, ſed exteros et advenas et in exitium regni adoptatos, quaſi inſitione creviſſe; quippe qui ejus ſciſſuram cum nobilitatis ac plebis diſpendio quaerunt,

INTERPR. [a] *Cambray.* [b] *de Clervant & de Chaſtillon.* [c] *Auneau.* [d] *le Louvre.*

quaerunt, qui nulla Franciae charitate, quae ipſis patria non eſt, tanguntur. Veram matrem nomen parentis amittere maluiſſe, quam committere ut, dum ſuum jus pertinaciter perſequitur, vitam filio adimeret; contra meretricem et falſam matrem, ut ultionis deſiderium expleret, Salomonis gladio puerum, de quo diſceptabatur, diſſecandum permiſiſſe. Idem facere nunc iſtos Catholicos, qui ſolemneis de aerario expilato querimonias cum inſtituunt, criminis proprii invidiam in alios rejiciunt: nam, qua de cauſa tot tributis populum gravatum, niſi ad belli temeraria iſtorum ambitione contra regis voluntatem ſuſcepti et regi neceſſario gerendi onera ſuſtinenda? itaque, ſi rationalium rationes evolvantur, procul dubio conſtiturum, horum libidine et arbitrio rem pecuniariam Henrico II et Franciſco II adminiſtratam eſſe. Si vero ad hiſtoriam patriam retro reſpiciamus, quam familiam repertum iri, quae minoribus initiis in tantam ac cunctis formidabilem magnitudinem excreverit? eam nimirum eſſe, quae, capite inter nubila condito, pedibus Francicam coronam veluti calcat et provolvit: nam e duobus alterum neceſſario ſequi, ut aut peſtiferae familiae hirudines immenſis concuſſionibus, et omnem modum ſupergreſſa regum liberalitate, tantas opes, tot factionibus intra et extra regnum alendis et jaciendis futurae tyrannidis fundamentis pares, quaeſierint, aut ab Hiſpanienſi pecunia tantum incrementum acceperint: quod ultimum facile illis concedetur, praeſertim eo animo et voluntate erga Franciam affectis; nam neminem vere Francum Hiſpani affectus induiſſe. Quod vero rerum in regno inſtaurationem petant, idem et Eſpernonium et Valetam, quantum per obſequium regi debitum licet, expetere; ac regem benefactorem ſuum ac benigniſſimum patronum appellare, ſi, ut gratiam aliquam ab eo impetrarent, unquam illi importunis efflagitationibus moleſti fuerint. Merito igitur gratias Deo agere, quod, cum tot calumnioſis criminationibus petantur, nunquam illis objici potuit, quod ab Hiſpano ſtipendium accipiant, quod accepta ab eo pecunia bellum principi ſuo faciant, ſumptiſque initio armis impedimento fuerint ne rex Belgii ſupremum imperium recuperaret; quod nequaquam pecuniam regiam in provincialibus teloneis vi ceperint, et violentia ſua non effecerint, ut media in pace, ad pecuniam e [a] Neuſtria Lutetiam in tutum deducendam, manu armata opus fuerit. Eos vero minime reipublicae inſtaurationem quaerere, ex eo cunctis liquere, quod abſente Eſpernonio, quem conatibus ſuis ſemper adverſatum fuiſſe aiunt, nihil in hoc negotio promotum ſit. An propterea ambitioni immoderatae modum factum? an a ſecretis contra regem conſiliis ceſſatum? an Lutetiam priſtinae libertati aut regi reſtitutam? imo interim [b] Melodunum hoſtiliter tentatum, et [c] Corbolium ante regis oculos occupatum, et potiorum regni civitatum fidem paſſim ſolicitatam. Errare igitur qui melius his initiis de iſtorum moderatione in poſterum ſperant: colloquium crebro petituros eos, nunquam deditionem facturos, niſi forte aliquas inducias interpolent, ſi eas utiliter magis quam bellum fieri ſentiant: ceterum nunquam in ſinceram ac regno ſalutarem pacem conſenſuros, quae eos ad officium cogat, vulnera reipublicae ſanet, pernicioſa eorum conſilia vel tantillum retardet: nec aliud regi ab his quam ovibus a lupis exſpectandum, qui, traditis canibus qui latratibus eos terrebant, in caulas promiſcua laniena impune ſunt ſaevituri. Quod vero non ſatis eſſe dicunt, ut Eſpernonius et Valeta aula exigantur, niſi et dignitatibus, honoribus, praefecturis a rege conceſſis cedant, et loca munita ipſorum fidei a rege commiſſa tradant, id valde durum et acerbum videri; nam homines ad inimicorum delationem innocenteis et inauditos damnari ſummae iniquitatis eſſe: neque tamen dubitare, quin ambo fratres, quo ſint erga regiam majeſtatem tot beneficiis de ipſis bene meritam animo affecti, omneis honeſtas conditiones ſint

INTERPR. [a] *Normandie.* [b] *Melun.* [c] *Corbeil.*

ſint accepturi, quo reipublicae tranquillitati conſulatur, ultroque iis omnibus quae ab adverſariis petuntur ceſſuri, modo et illi idem faciant. Nec cauſari eos debere, quod horum et illorum non eadem ſit ratio, ob conditionis inaequalitatem; nam non ad perſonas, ſed ad res, de quibus agitur, reſpiciendum: id regis, quod petitur, non ipſorum proprium eſſe, qui honores, munera, dignitates, praefecturas inter ſuos pro cujuſque meritis et gratia, qua eos proſequitur, ut vult, diſpenſat. Hanc optimam et unicam eſſe reipublicae poſt tot calamitates publicas, quibus illi cauſam dederunt, ordinandae, et juſtitiae, quae regum alumna eſt, inſtaurandae, rationem: ſic curiis regni antiquam in jure dicundo libertatem, ſic regi dignitatem et auctoritatem priſtinam, reſtitutum iri; qua conſtituta facile fore, ut rex, mali domeſtici metu ſolutus, integrum potentiae robur contra ſectarios in [a] Aquitaniam vertat; quod ni fiat, vere Catholicos merito vereri, ut rex in difficultates exitiabileis ſe induat, niſi mature ſeveritate majore, quam ante fecit, utatur, ad revincendas conjurationes eorum, qui, cum primo anno ad urbem ſe muniverint, altero, paulum abfuit, urbem ceperunt, ac tertio demum ea occupata regem inde, paulum abfuit captum, expulerunt, et, ſi diutius ferantur, quod tamen Deus avertat, regem auctoritate, potentia et libertate, et ad extremum ipſa ſunt vita ſpoliaturi.

V. Hoc ſcriptum aliquot poſt diebus publicatum quam Eſpernonius in aulam venerat et inde diſceſſerat. Is ante tumultum Pariſienſem [b] Rotomagum profectus v Non. Maias, perhonorifice in ſpeciem, ceterum ordinum urbis, qui obviam ei, ut fit, proceſſerant, aculeatis verbis, exceptus eſt. Ibi dum eſſet, per internuncios cum Andrea [c] Brancatio Villario [d] Portus-gratiae ſeu Franciſcopolis, et Gaſpare [e] Peleto Veruna [f] arcis Cadomenſis, quae duo loca provincia tota munitiſſima ſunt, praefectis agit: et hic quidem miti animo ac moderato vir omnia prolixe pollicebatur; ille contra ſuperbe ad poſtulata ejus reſponderat. Dein, cognito quid Lutetiae accidiſſet, ac regis mox ſecuto diſceſſu, propere [g] Autricum Carnutum venerat XII Kalendas Junias, aegerrime id ferente rege; qui, tutius quam honeſtius conſilium ſecutus, cum urbe relicta tempeſtati cedendum exiſtimaret, Eſpernonium, ob quem illi tanta invidia apud populum a conjuratis creabatur, ſuccedentibus novis affectibus jam faſtidire coeperat. Quod ſagax et magni animi adoleſcens facile ſubodoratus ex neceſſitate conſilium capit, et, cum [h] Neuſtriam retinere ſe non poſſe cerneret, frementibus non ſolum conjuratis ſed pleriſque ex aulae proceribus, invidiae et ipſe cedere decrevit, et ultro eam praefecturam ejeravit, ea lege, ne in quenquam ex inimicis ipſius conferretur. Itaque ſtatim ea Franc. Borbonius [i] Monpenſerius donatus eſt. At Eſpernonius dimiſſa provincia qui videret ſe ſuumque nomen in aula quotidie magis vileſcere, neque vero ſibi tutum in ea diutius manere, petito a rege commeatu ampliſſima ab eo mandata accepit copias conſcribendi, ſi quidem res ad bellum ſpectarent, regi ſibique praeſidio futuras, et in [k] Engoliſmenſeis et Santones optimo milite abundanteis Aquitaniae provincias concedit. Earum praefecturam a morte Bellogardii proelio Cutracenſi ante annum interfecti tenebat, et ut arces in iis pro arbitrio munire poſſet, in eamque rem provincialibus pecuniam, quam vellet, imperaret, a rege impetraverat.

VI. Post ejus diſceſſum quanquam ſe magna invidia levatum putaret rex, tamen, de exitu et conjuratorum voluntate anxius, per provincias, a quibus ſibi magis metuebat, delegatos mittendos cenſuit. Ii fere ex magiſtris libellorum ſupplicum et ſenatoribus Pariſienſibus ac magno concilio, quod vocant, fuere. Jac. Aug. Thuanus in Neuſtriam, Carolus [l] Turquantius in Lemovices, ubi Edmondum [m] Altafortium

Guiſio

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Rouen.* [c] *de Brancas de Villars.* [d] *Havre-de-Grace.* [e] *Pelet de la Verune.* [f] *Chateau de Caen.* [g] *Chartres.* [h] *Normandie.* [i] *le duc de Montpenſier.* [k] *Angoulmois & Saintonge.* [l] *Turquant en Limouſin.* [m] *de Hautefort.*

Guiſio obnoxium turbas ciere allatum erat; in Campaniam, ubi cardinalis Guiſius [a] Auguſtobonae Tricaſſium imminebat, Petrus [b] Lubertus; [c] Prevotius Sancirius in [d] Turones, Hadrianus [e] Dracus in Picardiam, alii alio deſtinati. Alios praecedere juſſus Thuanus, quod in eam provinciam, ut ampliſſimam et rebus gerendis e propinquo maxime opportunam, rex per has turbas concedere ſtatuiſſet. Is igitur acceptis mandatis [f] Ebroicum primo tendit ex conſilio Nic. [g] Moii Petrocurii utriuſque ordinis equitis, cum quo mandata ſua communicare a rege juſſus erat, quod, Claudio [h] Sanctio loci epiſcopo a rege alienato, monitis et hortatibus oppidanos in officio contineri neceſſarium duceret. Ibi in epiſcopi aedibus coram ipſo convocatis magiſtratibus et urbis decurionibus, multa de ardenti ac praecipuo in promovendo religionis negotio regis affectu praefatus, quot periculis ob id ſe objecerit, quot victorias de ſectariis Carolo rege reportarit, teſtem ipſum epiſcopum appellat, qui tunc in militari comitatu erat, et concionatoris munere apud [i] Andinum, ſic antequam regnum adeptus eſſet vocabatur, pro tempore fungebatur. Et ita confeſſione publica ab epiſcopo coram univerſo coetu extorta pergit; et in eodem affectu laudabili, poſtquam regno inauguratus eſt, ipſum perſeveraſſe cum multis documentis oſtendiſſet, omnem gratiae et favoris in Navarrum, quod a ſeditioſis objectabatur, ſuſpicionem amolitur, et ad nudam ac ſimplicem motus ultimi Pariſienſis narrationem deſcendit; cujus cauſam in praeteritas Guiſii machinationes ac praefractam ejus audaciam rejicit, qui contra expreſſum regis imperium ad urbem venerit, et adventu ſuo occaſionem turbis praebuerit. Maxime autem a ſanguinario omni conſilio, quod in ejus invidiam a factioſis jactabatur, regem abhorruiſſe demonſtrat, quod introductis in urbem praeſidiariis, cum Guiſium ſolum et inermem in poteſtate haberet, et de ſuſpectis ad arbitrium poſſet decernere, tamen ad meridiem uſque atque adeo plus VIII horas continuas ſuos ſine maleficio ullo continuerit, cum poſſet, ſi voluiſſet, in quos voluiſſet ſaevire: ita ſua patientia animos conjuratis creviſſe, qua abuſi illi ipſum oppugnaverint, et poſtremo urbe excedere compulerint: id vero quo pertineat videre omneis, et abunde facere fidem de prioribus conjurationibus; quas cum conſcii ante audacter negaverint, poſt ſeditionem negare praefractae impudentiae eſſe: regi id ſummopere, praeter injuriam privatam, quae ad univerſos atque ad publicam ſecuritatem ſpectat, dolere, quod his motibus reſpublica et totius regni robur convellatur, et convulſa republica, quae religionem, tanquam nobiliſſimum membrum atque adeo caput, ipſa veluti corpus complectitur, religionem periclitari neceſſe ſit: nam ſcitum eſſe illud ab antiquis quondam theologis, quod Sanctius ipſe ſciat, pronunciatum, religionem in republica, non rempublicam in religione eſſe. His rationibus omneis hortabatur, ut motu Pariſienſi minime commoverentur, aut eum in exemplum traherent, ſed in officio et obſequio regi debito perſtarent, qui in propoſito de bello contra ſectarios perſequendo perſeveraret, et, quia variae querimoniae de corrupto rerum ſtatu, republica inſtauranda, et religionis ſecuritate firmanda propoſitae eſſent, comitia regni in proximum Septembrem [k] Bloeſis indicere conſtituiſſet, in quibus et religionis ſecuritati et reipublicae inſtaurationi ex ordinum ſententia conſuleretur. Inde Thuanus [l] Rotomagum tendit, provinciae metropolim: ubi in ſenatu auditus copioſiore oratione rem omnem expoſuit, documentoque, quam in retinenda majorum religione conſtans fuiſſet, ſubjecit, regem, cum in Polonia eſſet, et inter capita ab ordinibus regni propoſita foederationi inter diſſidentes de religione ſubſcribere rogaretur, pertinaciter recuſaſſe; vixque tandem interventu ipſorum Catholicorum

INTERPR. [a] *Troyes.* [b] *Lubert.* [c] *Prevoſt St Cyr.* [d] *Touraine.* [e] *du Drac.* [f] *Evreux.* [g] *de Mouy Sr de Pierrecour.* [h] *de Sainctes.* [i] *le duc d'Anjou.* [k] *Blois.* [l] *Rouen.*

CIↃIↃLXXXVIII Catholicorum mediam viam inventam, qua non tam ei ſubſcribere, quam votis ac

HENRICUS III. deſideriis illorum id condonare, videretur. Additi et hortatus ad obedientiam ac concordiam. Idem in [a] rationalium et vectigalium curiis actum. Poſt meridiem cum decurionibus urbis in aedibus publicis eadem repetita actio; et cum iis etiam conventum de conditionibus, quibus rex in urbem admitti deberet: quod infra ipſius dignitatem, tamen in praeſens tutum, exemplo in poſterum pernicioſum fuit: ſed jampridem invaluerat, eorum qui circa regem erant ignavia, ut vileſcente regia auctoritate conſilia tuta in praeſens honeſtis praeferrentur. Aderat Martinus [b] Ruzaeus Bellilocus annonae praefectus, vir probus et regi apprime fidus, ab eo poſt Thuanum miſſus, qui quod Thuanus egiſſet ad ipſum referret: nam Thuanus inde ad alias provinciae urbes ire, eodemque officio defungi, juſſus erat. Igitur [c] Dieppam profectus, inde per [d] Valerici fanum et Montem-villerium, quibus locis decuriones regis nomine allocutus eos in obſequio confirmavit, [e] Franciſcopolim perrexit; ubi [f] Villarium loci praefectum convenit, hominem ſuperbum et omnem privatum modum ſupergreſſos ſpiritus gerentem, qui Guiſianis jam fidem addixerat, acceptis a Pariſienſis factionis hominibus XXX CIↃ aureorum, ut poſtea conſtitit, quae a Carthuſianorum coenobii ſodalibus mutuo ſumpta fuerant. Obligationi Hennequinorum familia opibus in urbe praepotens [α] intervenerat, cauſam religionis agi rata. Cum vero aliquot poſt annis contra eas obligationes, civitate in libertatem vindicata, Carthuſiani reſtitui peterent, et ſublata principali obligatione Hennequini liberationem ſperarent, rei cognitio ad magnum concilium remiſſa eſt, ſenatu ſuſpecto, quod plerique ex ampliſſimo ordine cum creditoribus arcta cognatione conjuncti eſſent. Tandem pro creditoribus contra Carthuſianos pronunciatum, pleriſque judicum cenſentibus etiam contra Hennequinos extraordinariam cognitionem inſtituendam, quod gratia Pariſienſibus a rege facta a tumultu Pariſienſi tantum inciperet, et obligationes illae ad ſolicitandam praefectorum regiorum fidem diu ante tumultum contractae eſſent. Sed mitior ſententia vicit, civili condemnatione [β] contenta. Thuano cum Villario vagi et ſuſpecti ſermones fuere, cum ille praecipuam ſibi ſemper religionis cauſam fore, regem, niſi cum Catholicis principibus conveniret, in magnas anguſtias praecipitaturum diceret; ad haec vireis illorum, hujus infirmitatem argueret; ad extremum adderet, ſe locum fidei ſuae commiſſum diligenter ſervaturum et a ſectariorum vi defenſurum: quod erat factioni foederatae addictorum veluti ſolemne carmen: nam quorſum ſectariorum facta mentio, cum Franciſcopolis tam procul a Navarri et ejus ſequacium metu abeſſet? Igitur inde [g] Lexovium itum, cui praeerat [h] Loncampius e vicina nobilitate juvenis, itidem Guiſio addictus. Cum eo ſigillatim egit Thuanus, et poſtea cum urbis decurionibus, monito prius Loncampio. Ab utriſque ita reſponſum eſt, ut praefectus pro religionis cauſa ſtare, oppidani ſe aliarum urbium exemplum ſecuturos oſtenderent. [i] Cadomi longe alii animorum motus erant, ubi Gaſpar [k] Peletus Veruna regi fidus arci praeerat, et praecipuae oppidanorum familiae Proteſtantium doctrinae olim addictae eo iniquiores Guiſianorum conatibus erant. Itaque, cum ſe praefectus in poteſtate regis futurum oſtenderet, tanto majore fiducia oppidani ſenſus intimos renudare,

Guiſianos

VAR. LECT. [α] intervenerat, quae cauſam religionis agi rata, innumeris a rege acceptis beneficiis oblivioni traditis, ultro contra ipſum conſilia agitaverat. Cum vero *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] contenta, quae propria inſania fatis punitos eos exiſtimavit, qui alienae obligationi fidejuſſores tam imprudenter interveniſſent, cui luendae impares miſeri homines ex ea cauſa paene bonis everſi ſunt. Thuano cum Villario *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Chambre des Comptes & Cour des Aydes.* [b] *Ruzé Sr de Beaulieu.* [c] *Dieppe.* [d] *S. Valery & Montivilliers.* [e] *Havre-de-Grace.* [f] *de Villars gouverneur.* [g] *Liſieux.* [h] *de Longchamp.* [i] *Caen.* [k] *Pelet de la Verune.*

Guiſianos palam incuſare, qui ambitione ſua publicam quietem conturbent, ac cupere ut rex ultionem meditaretur: nam minime dubitare, ſi rex ad generoſum conſilium in hoc negotio ſe accingat, quin proceres et nobilitatis flos, quod unicum regni robur eſt, ac civitatum melior pars, imperata ſint facturi. Cum his reſponſis Thuanus, facto per [a] *Faleſiam* itinere, ubi et decuriones convenit, et ſalutato [b] Millaregii Joanne [c] *Moio* praefecti maris per [d] Neuſtriam vicario, [e] Rotomagum redit, quo jam rex poſt [f] Ruzaei in aulam reditum venerat.

VII. IN [g] Campania res nutabant, hinc [h] Durocortoro Remorum et Catalauno, quod poſtea tamen ad officium rediit, in Guiſii partes propendentibus, hinc [i] Auguſtobona Tricaſſium fidem ſervante: magnumque in ea urbe totius Campaniae primaria momentum ad provinciam olim ad obſequium reducendam rex ponebat; et Joachimus [k] Dintevilla Guiſii legatus omnem operam dabat, ut, ſciſſa factionibus urbe, qui regias partes tuebantur auctoritatem in ea retinerent. Is, cum Lutetia rebellavit, in aula erat, et regem in illo tumultu ſecutus fuerat. Inde captata occaſione, rebus ubique poſt Pariſienſem motum turbatis, Guiſius [l] Joannem a S. Sepulchro Chamoſii fratrem ad urbem mittit cum ſuis et decurionum urbis Pariſienſis, quos nuper ipſe abrogatis regiis inſtituerat, ad eos literis, quibus quid Lutetiae actum eſſet ſignificabat, et ut exemplum Pariſienſium ſequerentur, et amicitiam cum iis porro ſervarent, hortabatur. Cum is literas convocato omni populo recitari peteret, a decurionibus ſeditionem veritis id non obtinuit; tantum in collegio coram praetore et aſſeſſoribus regiis lectae literae, reſponſumque, urbem in regis poteſtate futuram, neque cuiquam injuſſu regis ad eam aditum patiturum. Miſſae interim Guiſii et Pariſienſium literae ad regem, qui tum [m] Vernonii erat; qui, laudata oppidanorum fide, quamprimum ad eos ſe Dintevillam remiſſurum cum pleniſſimis mandatis dixit. Cum nihil Guiſius hac ratione profeciſſet, cardinali Guiſiano fratri, viro acri et deſiderio novarum rerum ardenti, auctor fuit, ut rem exſequendam ſuſciperet, et ipſe Auguſtobonam accederet, ſeditioſis praeſentia ſua per Dintevillae abſentiam animos facturus; nam, licet decuriones a rege fere antea ex honeſtiſſima quaque familia delecti, et praetor urbis, aliique juridici aſſeſſores ab ejus partibus minime alieni eſſent, tamen plebs, quae ubique graſſante licentia numero ac inſolentia vincebat, impenſe Guiſianis favebat, ceteros, qui pacis conſilia ſectabantur, nominibus ad invidiam compoſitis, tanquam Politicos, neutros, et ſchiſmaticos injurioſe proſcindens. Cardinalis Maio exeunte profectus per Catalaunum iter habuit, obſoleto habitu ne agnoſceretur, et tribus fidis comitantibus. Cum ſe cuſtodibus [n] Sanjacobinae portae oſtendiſſet, primo repulſus ad proximam evolat; ubi, agnito eo, quominus admitterent, ſe cuſtodes excuſaverunt, contrarium regis imperium cauſati: et cum ille ad proximum in ſuburbio hoſpitium ad equos reficiendos divertiſſet, decuriones honorifice eum cum muneribus, ut fit, adeunt, urbiſque nomine rogant, ut ad evitandum majorem motum ſe continuo inde reciperet. Non longius ille quam III leucas receſſit, ad Sepulchri-fanum; unde poſtremo ultionem ſpirans, et oppidanis memorem ſe futurum interminatus, Lutetiam redit: ubi aliquanto poſt ab amicis factioni addictis, quos in urbe habebat, monitus, faciliorem, ſi rurſus rem tentaret, fore illi ad urbem aditum, IV Eid. Junias in S. Barnabae pervigilio ad [o] Antonii fanum venit, proximum urbi locum; ubi ad eum, quo factioſior quiſque, ita conferto magis agmine accedebat, adventum gratulans. Poſtridie [p] majoris, quem vocant, hoc eſt decurionum primarii, eligendi dies inſtabat. Itaque maturandum ratus eodem die per Dionyſium [q] Latreſſium, cui claves [r] Croncellae portae commiſſae

INTERPR. [a] *Falaiſe.* [b] *la Meilleraye.* [c] *de Mouy.* [d] *Normandie.* [e] *Rouen.* [f] *Ruzé.* [g] *Champagne.* [h] *Reims & Chaalons.* [i] *Troyes.* [k] *de Dinteville.* [l] *Jean Sr de S. Sepulcre & d'Eſclavoles frere de Chamois.* [m] *Vernon.* [n] *la porte S. Jacques.* [o] *S. Antoine.* [p] *le maire.* [q] *Latrecy.* [r] *la porte de Croncels.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III. commiſſae fuerant, ſeu gratia ſeu pecunia corruptum, ſub veſperam ſine ſtrepitu admittitur, decurionibus ſecuris, neque de Latreſſii fide quidquam tale ſuſpicantibus. At ille, ubi in urbe comparuit, CC armatos in [a] noſocomio S. Spiritus a conſciis paratos habuit obvios; ad quorum conſpectum ſtatim in pedes deſiliit, et ab iis in epiſcopi aedeis, quae praefecto urbis pro hoſpitio ſunt, deducitur: tum ſtationes locis idoneis ad majorem ſecuritatem ejus juſſu diſpoſitae, teſſeraque ab ipſo data. Nox inter confuſas excubias utcunque exacta. Poſtridie conventu indicto Nicolaus [b] Duſaltus cardinali intimus violentis ſuffragiis in majorem eligitur. Inter haec decuriones per Dintevillae abſentiam Franciſcum [c] Lucemburgicum Pinaei ducem in urbem [d] Pougio evocaverant, ut plebem pacatiorem et obſequentiorem tanti viri praeſentia haberent. Ad plebis autem in licentiam omnem paſſim effuſae furorem acceſſerat novum incentivum, ob aquaeductus ipſius Guiſiani cardinalis, cum adhuc de receſſu incertus eſſet, et ſive ultionem ſive motus in urbe excitandi occaſionem quaereret, juſſu inciſos: itaque murmurare plebs et contra decuriones vociferari, quaſi eorum contumacia fieret, ut eum infeſtum experiantur, quem amicum habere poterant. Itaque, ni admiſſus fuiſſet, vel ex ea occaſione periculoſiſſimam contra decuriones et magiſtratum regium ſeditionem accendi potuiſſe apparebat. Lucemburgicus ubi venit, cum cardinali, quem proxima cognatione contingebat, quippe qui Dianam Aumalii patruelis ipſius ſororem in uxorem duxerat, aliquantulum collocutus, cum videret nihil moderati aut ab eo aut a plebe commota expectari poſſe, commeatu petito mature ſe ex urbe ſubduxit. Paucis ante cardinalis adventum diebus Petrus Lubertus magni concilii aſſeſſor a rege miſſus in urbem venerat, jam accenſis ultra modum plebis animis; quam cum regio nomine fretus oratione gravi publice increpuiſſet, ſuperveniente mox cardinali parum a periculo abfuit, et mature ſibi clam fuga conſuluit. Cardinalis urbis potens ſtatim arcas regias effringi juſſit, pecuniaque regia accepta coactoribus ſyngrapha ſua cavit: mox et mandata proprio nomine inſcripta dedit, regio ſuppreſſo, ad capitale vectigal per [e] Tricaſſinum territorium exigendum; ſalinarium et tributum ab eo interceptum. Mortis periculum a plebe in occulto interminatus Euſtochio [f] Macrinio urbis praetori et N. [g] Reinaldo praepoſito, eos violenter expulit, et in eorum locum homines ſuae factionis Ludovicum [h] Martinum et Nicolaum Guichardum privata auctoritate ſubſtituit, et jusjurandum ab iis exegit juxta formulam in breviculo cardinalis Borbonii et aliorum aliquot manu ſubſcripto comprehenſam; quod Lutetia ſecum allatum in acta urbis referri voluit. Aliquot poſt dies in epiſcopaleis aedeis evocatis VIII decurionibus a rege nominatis, et XXIV viris a conſiliis urbis, cum plebem male erga ipſos tanquam ſuſpectos adfectam non alia ratione placari poſſe oſtenderet, quam ſi ſe magiſtratu abdicarent, eis auctor fuit, ut tempori ſe accommodarent; quod cum illi pejus veriti facere ſe paratos reſpondiſſent, publicum ea de re inſtrumentum fieri juſſit, ut ſponte magiſtratu ceſſiſſe viderentur, alioſque arbitrio ſuo eorum vice ſuffecit. Proxima cura fuit de caſtellis fontium et aquaeductibus reficiendis: nam ea re fiebat, ut in urbe artificum praecipuorum, quibus fere plebs conſtat, operae ceſſarent, coriis ac membranis parandis et pannis tingendis aqua deficiente. Atque, ut magis furentis plebis gratiam demereretur, igneis in publico accendi, in quibus haereſeos et Theodori Bezae effigies comburebantur, et per ſingulorum opificiorum decanos peculiaribus feſtis pegmata per plateas exſtrui, et ludos ac ſpectacula ad plebis laſcivientis oblectamentum, quamdiu Auguſtobonae fuit, publice celebrari, curavit: domi vero, ne pecunia ex publico rapta non publice periret, comeſſationes continuae

INTERPR. [a] *l'Hoſpital du S. Eſprit.* [b] *de Sault.* [c] *de Luxembourg duc de Piney.* [d] *Pougy.* [e] *de Troyes.* [f] *le preſident de Meſgrigny lieutenant general.* [g] *Renault prevoſt.* [h] *L. Martin & N. Guichard.*

continuae frequentabantur, in quibus perditiſſimi quique ex plebe a cardinalis miniſtris ad id deſtinatis lautiſſime accipiebantur, et ſanitati domini ducis, ſic Guiſius inter eos vulgo appellabatur, et ipſius cardinalis aſſidue propinabatur, regio nomine interim vileſcente ac plane ſepulto. Haec acta et continuata ad ineuntem Septembrem; quo tempore cardinalis cum delegatis e ſua factione ad [a] comitia Bloeſenſia profectus eſt.

VIII. DUM rex [b] Vernonii eſſet [c] Rotomagum petiturus, venit ad eum Marcus [d] *Myro* archiatros, quem ante ad reginam miſerat, ut quid foederati proceres ſibi in arcano vellent propius rimaretur. Ante Myronem et miſerat Gaſparem [e] Schombergium Nantolii comitem, virum rerum uſu et ſingulari erga patriam adoptivam ſtudio, nam natione Saxo erat, inſignem, ut reginae in pacis negotio ſemper praeſto eſſet, et conſilium de Aureliano tradendo, cujus ſpem Carolus [f] Balſacus Dunenſis fecerat, cum Franciſco [g] Entraguio ejus fratre repeteret. Myro Lutetia veniens omnia incerta retulerat; tantum addiderat, ita ſibi ac reginae videri, fruſtra laborari in publica pace et Catholicorum unione conſtituenda, niſi privatis foederatorum procerum, hoc eſt Guiſii, qui unus inter omneis familiam ducebat, votis ac deſideriis prius ſatisfieret. Itaque rex morae omnis impatiens, remiſſo Myrone, confeſtim eo Nicolaum [h] Neovillum Villaregium, virum rerum agendarum longo uſu et admiranda ingenii dexteritate peritiſſimum, mittit, cum mandatis ampliſſimis; quibus inter alia continebatur, ut ſummam armorum praefecturam Guiſio deferret. Is ubi Lutetiam venit, ſicuti juſſus erat, mandata, quae a rege habebat, ante omnia reginae communicat. Illa, etſi jam ab initio foederatorum factionem occulto favore proſecuta eſſet, tamen verita, atque adeo experta, Guiſium majores ſpiritus ſumpſiſſe, quam ut ejus ingenium arbitrio ſuo, ſicuti ſibi perſuaſerat, deinceps moderari poſſet, fraeno quaſi impoſito ipſius potentiam coercendam cenſuit, et, ſi quid ei largiendum eſſet, id cum modo concedendum. Igitur, pertentato Guiſii per Gaſparem Schombergium animo, cum cognoviſſet eum imperio armorum dignitati magni magiſtri, quam jam obtinebat, annexo contentum fore, ſtatim Rupium ex nobilibus domeſticis ad regem mittit, et quid cum Guiſio egiſſet oſtendit. Ita omiſſa ſummae armorum praefecturae mentio, ineptiſſimo prorſus et ad aulicam vanitatem compoſito commento, cum ad leniendam facti invidiam nomine abſtinere, rem ipſam plane concedere, tutius exiſtimaretur. Tandem poſt longas altercationes poſtulatorum capita a foederatis, quod huc uſque diſtulerant, propoſita ſunt, quae fere eadem erant cum [i] Nancianis. Nam petebant, ad unionem inter Catholicos, cujus rex caput eſſet, pro religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae defenſione ſanciendam, ut univerſi ſacramento adigerentur, vitam, fortunas, pro regni regiſque ſalute, dignitate ac auctoritate, regiorumque liberorum quos ſuſcepturus eſſet, impenſuros; bellum ad exſtirpationem ſectariorum geſturos, omnique ratione impedituros, ne quis princeps ſectarius aut de peſte illa ſuſpectus ad regnum admitteretur, quamvis jure ſucceſſionis legitimo vocaretur: rex eique ſubditi populi patrocinium Catholicorum principum, et omnium qui huic foederationi pro religione nomen initio dediſſent, contra ſectarios eorumque fautores ſuſciperet; inſuper capita ea de re conficienda jurejurando confirmaret, curaretque ut ad eorum obſervationem regii conſiſtorii aſſeſſores, ſupremae regni curiae, equites torquati, praefecti provinciarum, caſtellorum, et alii militares duces, civitatum univerſitates ac collegia, ſacramento obligarentur: urbes ſecuritatis cauſa antea traditas foederati intra ſexennium

regis

INTERPR. [a] *les eſtats de Blois.* [b] *Vernon.* [c] *Rouen.* [d] *Miron premier medecin.* [e] *de Schomberg comte de Nanteuil.* [f] *de Balſac Sr de Dunes.* [g] *le Sr d'Entragues.* [h] *de Neufville Sr de Villeroy.* [i] *ceux de Nancy.*

regis permiſſu retinerent: aliae urbes, quae jam foederi nomen dederunt, aut deinceps ante negotii hujus definitionem dabunt, penes regis patrocinium maneant, ita ut nihil in eis innovetur, aut praeteritorum ratione in poſterum ulla oppidanis fiat moleſtia: quod ſi accidat, liceat principibus urbium illarum juſtis querimoniis ſuas preces jungere, et pro earum ſalute ac privilegiorum conſervatione apud regem partes ſuas interponere: praeterea, ut earum urbium ſecuritati conſulatur, ſi intra praedictum tempus contingat praefectos illarum decedere, alii praefecti a principibus Catholicis regis conceſſione praeficerentur: concilium Tridentinum in regno promulgaretur et obſervaretur: rex foederibus initis cum principibus et nationibus ſectaria peſte infectis renunciaret, et ſuſceptum nuper quarundam urbium, quae ſectariis pro receptaculo eſſent, patrocinium deſereret: bona ſectariorum ſine fraude quam primum publicarentur, pecunia ex iis proveniente in belli ſumptus expendenda: duo omnino exercitus inſtruerentur; quorum prior in [a] Pictones duce Guiſio per regis abſentiam, alter in [b] Allobroges duce Meduanio, ſine mora mitteretur. Cum his capitibus Villaregius ad urbem redit, Guiſio in occulto facta ſpe, ut ei de imperio armorum honeſta ratione per regem fieret ſatis. Auditus in conſiſtorio Villaregius, ſic enim ad rei invidiam amoliendam a rege petierat; qui ad ſingula capita reſpondit. Haec palam acta. In arcano de privatis Guiſii poſtulatis cum rege Villaregius egit, ſermonumque ultro citroque habitorum haec ſumma fuit, ut exempla mandatorum, quae magiſtro equitum et regni univerſi praeſidibus attribui ſolent, Villaregius Lutetia, quo proficiſcebatur, ex ſcriniis ſuis deprompta, cum inde reverteretur ad regem afferret, ut, iis inſpectis, ac ſublatis quae inducenda viderentur, rex certius de re omni ſtatueret. Actum et tunc de [c] Aureliani tradendi negotio, cujus cauſa praecipue Schombergius Lutetiam remiſſus fuerat. Ante tumultum Pariſienſem [d] Mericus Barbeſerius Chemeraldus, arcta cum Balſacis neceſſitudine conjunctus, ſermonem Villaregio injecerat, quaſi illi Guiſianae factionis pertaeſi regi reconciliari expeterent: quod minime negligendum cum cenſeret Villaregius, cum Carolo [e] Dunenſi ad [f] Confluentinas aedeis ſuas altero ab urbe lapide condixerat. Ibi Dunenſis his conditionibus [g] Entraguium fratrem imperata facere paratum oſtendit, et Aurelianum regis arbitrio traditurum, ſi ei de injuria Carolo [h] Marcuſſiano filio ab Eſpernonio [i] Novioduni Heduorum ante annum poſt diſſipatum Germanorum exercitum facta ſatisfieret, et rex ſummam Aureliani praefecturam, cujus tantum vicarius erat, Philippo [k] Huralto Chevernio cancellario, quicum convenire non poterat, ablatam in ipſum transferret. Re cognita rex, etſi alterum difficile, alterum iniquum duceret, tamen, quia ad famam et firmandas res ſuas hoc rerum ſtatu maxime intereſſe exiſtimabat, ut urbem potentiſſimam ac munitiſſimam in poteſtate haberet, ſpem per Villaregium fecit ut de utroque Balſacis ſatisfieret. Sic enim rex, qui hominis ingenium noſſet, reputabat fore, ut, quantum ad primum attinet, decus, quod ſarciri ab Eſpernonio tantopere petebat Entraguius, aliqua pecuniae ſumma lui libenter pateretur: de altero cum cancellario tranſigi poſſet, qui tot beneficiis a rege affectus minime recuſaturus eſſet, ut vel cum aliqua ſua jactura tam neceſſario tempore publicae neceſſitati ſubveniretur. Interveniente poſtea tumultu Pariſienſi, cum rex, relicta urbe, de loco, ad quem receptum haberet, ſe digno deliberaret, (nam nondum de [l] Rotomago ſecuritatem acceperat) negotium majore cum calore repetitum eſt, et [m] Autrico Carnutum miſſus Schombergius cum regis ſyngrapha ipſius et Villaregii manu ſubſcripta; qua alterius petitionis de Aurelianenſi praefectura Entraguio gratia fiebat, inſuper ejuſdem vicarius Dunenſis frater

INTERPR. [a] *Poictou.* [b] *Dauphiné.* [c] *Orleans.* [d] *Mery de Barbezieres Sr de Chemeraud.* [e] *de Balſac Sr de Dunes.* [f] *à Conflans prés Charenton.* [g] *le Sr d'Entragues.* [h] *de Marcouſſis.* [i] *Noyon.* [k] *Hurault de Chiverny.* [l] *Rouen.* [m] *Chartres.*

frater conſtituebatur, eique L equitum cataphractorum turma attribuebatur: eam tradere juſſus erat Schombergius Balſacis, modo et ipſi ſyngrapha utriuſque manu ſubſcripta et inſignibus propriis munita regi caverent, ſe omni foederationi ac ſocietati contra regis voluntatem initae renunciaturos, et regi fidem ac urbem Aureliani, ſive ad receptum ſive ad alias belli occaſiones, ſervaturos. Quantum ad injuriam, quod alterum erat [a] Entraguii petitionum caput, datum ſeorſim negotium fuerat Schombergio, ut regem excuſaret, et conditionem pretio oblato redimeret. Re a Schombergio cum Dunenſi Lutetiae communicata, Dunenſis tempus ad fratrem ſcribendi, qui tunc Aureliani erat, poſcit. Interea per Jacobum [b] Valaeum Barrellum a rege inſtigatu cancellarii miſſum cum Entraguio agitur, et aliae conditiones offeruntur; quas ille rejecit, et de Valaeo ad ipſum tam alieno tempore miſſo queritur. Itaque retractatur a Schombergio cum Dunenſi negotium, hocque tandem reſponſum exprimitur, Gratias agere regi Balſacos pro tam egregia erga ſe voluntate, operamque daturos, ut deinceps obſequio, officiis, ac diligentia praeteritorum memoriam deleant; ac nunc fidem obſtringere, ſe in poteſtate regis futuros, et ab omni foederatione ac ſocietate diſceſſuros: hoc unum petere, ut rex jurejurando ſolemni, quod de fide ſua coram ipſo, ſumpto etiam corpore Chriſti, interpoſituri ſint, contentus eſſe velit, nec de ea re ampliorem cautionem ſcripto conſignatam a ſe exigat; alioqui id diffidentiae, quae a reconciliatione ſincera abeſſe debet, ſpeciem habiturum: inſuper demiſſe regem rogare, ut, quando primum Aurelianum veniet, cum aulico comitatu tantum et praetorianis ſtipatoribus veniat, ne oppidanis natura ſuſpicioſis tumultuandi cauſam praebeat. Hoc reſponſum Villaregius [c] Vernonii accepit, cum jam equis conſcenſis in eo eſſet ut Lutetiam ad accelerandum pacis negotium proficiſceretur. Itaque petito a rege commeatu minime ſibi propterea ad eum redeundum exiſtimavit, eoque magis, quod verebatur ne rex conditionibus adjectis offenderetur; de quibus antequam ad regem referret, prius cum [d] Dunenſi, quem Lutetiae conventurus erat, agere ſtatuerat. Ita rem ſcripto excuſavit poſtea Villaregius. Alii tamen aliter interpretati ſunt, nimirum Villaregium, qui pacem tantopere urgebat, cum ſciret regem, ut Aurelianum in poteſtate haberet, nullas conditiones recuſaturum, et, ſi Aurelianum recuperaſſet, duriorem in pacis cum foederatis ineundae conditionibus futurum, ſolita prudentia reſponſum tantiſper ſuppreſſiſſe, dum pacis negotium eo uſque promoviſſet ut abrumpi non poſſet: idque ex Villaregii ingenio ita conjiciebant; nam eos ſenſus ad rempublicam ſemper illum attuliſſe, ut exiſtimaret, regi vel cum manifeſta auctoritatis ſuae jactura quidvis faciendum et patiendum eſſe, ut pacem cum principibus Catholicis haberet, et unionem inter Catholicos ac concordiam ſervaret: itaque, quamvis pacem inter omneis mallet, tamen, ſubortis nuper contra regem factionibus, ad diſcordiam inter Catholicos tollendam ei auctorem fuiſſe, ut potius bellum cum Proteſtantibus haberet, quam cum Catholicis pacem abrumperet: his de cauſis Balſacorum reſponſum tunc regem celaſſe. Poſtea et adjectae aliae duriores a Dunenſi conditiones, ut cum Aurelianenſi praefectura, de qua ſola initio actum fuerat, etiam [e] Carnutum, Bloeſenſium, Amboſiae, et Juliodunenſis pagi praefecturae, quas omnes cancellarius tenebat, concederentur. Villaregius altera ad reginam profectione regis reſponſa ad conditiones foederatorum expoſuit, reſque ex ipſius conſilio propalam, convocatis etiam ſenatus praeſidibus, agitata fuit: quod tantum prima vice ad oſtentationem factum, quod Guiſius eorum praeſentiam multis de cauſis ſuſpectam ſe habere diceret. Lutetiam inter haec venerat Entraguius, cum quo et Villaregius egit, ſed ſerius; quippe

INTERPR. [a] *le Sr d'Entragues.* [b] *Vallée des Barreaux.* [c] *Vernon.* [d] *le Sr de Dunes.* [e] *pays Chartrain, Bleſois, Amboiſois, & Loudunois.*

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

quippe cum, jam ipſo foederatis ſuſpecto, oppidani, in quorum poteſtate civitas erat, nam arcem tantum in ea admodum debilem tenebat [a] Entraguius, ab eo alienari inciperent. Nihilominus oblata illi ad ſarciendum decus, pro quo tantopere initio pugnaverat, XX CIƆ aureorum. Guiſius, quem nihil harum rerum latebat, ad eludendos Balſacorum aſtus inter pacis conditiones ſecuritatis cauſa [b] Avaricum Biturigum et Aurelianum foederatis concedi petebat, nec dubitabat quin rex pacis et otii cupidus, ne bellum domi et ante oculos habere cogeretur, petitioni foederatorum aſſenſurus eſſet. Contra Villaregius fruſtra obniti, et cum Guiſio agere ne civitates archiepiſcopali et epiſcopali dignitate ornatae ſecuritatis cauſa, quod nunquam antea factum eſſet, peſſimo exemplo concederentur; potiuſque alias numero plures offerre, regis nomine interpoſita fide, ut praefecturae illarum, quas Claudius [c] Caſtreus et ipſe Entraguius habebant, in eorum filios poſt parentum obitum transferrentur. Cum nihil cum Guiſio proficeret, apud Balſacos inſtare coepit, ut Aurelianenſium civium interventu huic negotio intercederetur: ſed jam parum illi auctoritate et gratia apud eos valebant. Extremum de proteſtatione facienda conſilium fuit; quod, poſtquam inter ipſos Balſacos et Schombergium diu fuit agitatum, poſtremo rejectum eſt: ſi enim palam fieret, praeterquam quod id Entraguium fratremque ejus cum Guiſio et oppidanis aperte committebat, etiam pacis bene procedens negotium fortaſſe non ſine regis offenſione retardaturum videbatur: ſi in arcano ſupprimebatur, nullum ad id quod inſtabat momentum afferebat. Itaque tandem, cum aliter non poſſet, perſcriptae conditiones, et Aurelianum ac Avaricum civitates ſecuritatis cauſa conceſſae, diplomate a Claudio [d] Pinario, qui cum regina remanſerat, ea de re confecto et ſubſcripto. Balſaci tamen poſtea, et rex ipſe, de [e] Dorlano, quod eſt oppidum in limite Belgico poſitum, ab [f] Aumalio primis his motibus [g] Sammariano ereptum, non de Aureliano, intellexiſſe ſe affirmarunt. Quod Villaregio magnam invidiam creavit, et inter alia eum domum remittendi praecipua apud regem cauſa exſtitiſſe creditur.

IX. INTER haec rex, nondum de pace certus, et de Picardia, in qua Aumalius tunc in [h] Bononiae obſidione occupatus, quantum poterat, res miſcebat, anxius, (nam Hadrianus [i] Dracus nondum eo pervenerat) Thuanum nuper e [k] Neuſtria inferiori reverſum eo deſtinat; quem et tunc inter ſacri conſiſtorii aſſeſſores ex libellorum ſupplicum magiſtro cooptavit, ac mandata dedit propria manu ſcripta tanquam ad abſentem, jam enim intimis ſuis miniſtris diffidere coeperat; quae ille, cum [l] Abbatis-villam et Samarobrigam pertranſiret, urbium decurionibus communicavit, et de regis conſilio in bello contra ſectarios perſequendo, et comitiis proximo menſe Octobri ad ſecuritatem religionis conſtituendam et inſtaurandum regni ſtatum celebrandis, fidem fecit. Inde [m] Corbiam, ſicuti juſſus erat, progreditur, oppidum in limite ad [n] Somonam ſitu munitum, et coenobio venerandae antiquitatis et exquiſita librorum ſupellectile olim inſtructo nobile. Locum tuebatur Joannes [o] Bellaforerius, arcta neceſſitudine cum Thuano conjunctus, ſiquidem utriuſque uxores proxima ſe cognatione contingebant. Eo profectus Thuanus Bellaforerium e proximo evocat, et diligenter cum eo agit, renovata etiam memoria ſecretorum ſermonum, ut majorem fidem dictis faceret, quos rex cum eo nuper habuerat. Et illum quidem regi fidem ſervaturum ex verbis ejus apparebat: nec de Navarro, cum de ſucceſſore regni Catholico mentio injecta eſſet, ut plerique alii, multum pugnabat, in quem extra religionis cauſam bene affectus videbatur. Idque Thuanus diligenter ad regem ſcripſit, monuitque Ambianos a Joanne [p] Monlucio Balagnio

Cameraci

INTERPR. [a] *de Balſac d'Entragues.* [b] *Bourges & Orleans.* [c] *de la Chaſtre.* [d] *Pinart.* [e] *Dourlans.* [f] *le duc d'Aumale.* [g] *de Ste Marie.* [h] *Boulogne ſur mer.* [i] *Du Drac.* [k] *Normandie.* [l] *Abbeville & Amiens.* [m] *Corbie.* [n] *la Somme.* [o] *de Bellefouriere.* [p] *de Montluc de Balagny gouverneur de Cambray.*

Cameraci praefecto vanis auxiliorum promiſſis impleri, atque inde fiducia capta minus aequos ſe regis imperiis praebere. Tunc Aumalius ad Bononiae obſidionem ſedebat, eo conſilio ut urbem portu opportunam, ſi eam caperet, Hiſpanae claſſi ad receptum daret. Praefecti caſtrorum munere in caſtris ejus fungebatur Antonius [a] Hamelius Berengliſius, ob ardentem religionis affectum vulgari dicterio per ludibrium a provincialibus Tribunus fidei vocatus, haud multum concordi nobilitate, quae vanitatem hominis exoſa minus dictis Aumalii obedientem ſe praebebat: itaque nihil fere promovebatur. Tandem cum delectis circiter CCC [b] Caleto ſummiſſis Bertrandus [c] Patraſſius Campanolius, qui [d] Stapulas praeſidio tenebat, ſupervenit; qui introductis auxiliaribus obſidionem ſolvit, et cum damno ac dedecore Aumalium retro cedere coëgit. [e] Villa eques Hieroſolymitanus juvenis ſtrenuus in ea obſidione et alii plerique milites deſiderati.

X. Rex, qui III Eid. Jun. [f] Rotomagum venerat, perhonorifice a [g] Tanaquillo Venatore Carrugio, et Jacobo Tilleriae comite filio, ac cunctis urbis ordinibus inſtructis, ſummaque in ſpeciem laetitia, exceptus, reliquum menſem inter ſpectacula navalia, quae varia repetitis vicibus exhibita ſunt, quaſi in alto otio exegit, et ad alia atque alia templa ad ſacrum audiendum, ut ſe populo ſpectandum praeberet, quotidie pedes itabat. [h] Villaregius poſt ſecundam profectionem cum ſecum formulam diplomatum, quibus magiſtri equitum et praeſidis regni facultates continebantur, attuliſſet, rex utrumque diligenter inſpexit, inductis propria manu quae voluit; cognitoque quid de conditionibus actum fuiſſet, et re in conſiſtorio palam, ſicut antea, agitata, Villaregium tertio remiſit, ut finem negotio imponeret. Igitur ille tertio Lutetiam profectus de [i] Franciſcopoli cum Guiſio tranſegit, cujus Villarius gubernator, de quo dixi, jampridem foederationi addictus, tunc demum ſe aperte profeſſione publica ad partes ejus applicuit, cum fruſtra rex poſt Thuani reditum ad eum [k] Grillonium affinem ſemel atque iterum miſiſſet.

XI. Tandem edictum conditum menſe Quintili, quo rex, de praecipuo ſuo erga religionem ſtudio multa ſpecioſe praefatus, ad Catholicorum unionem ſanciendam, ante omnia ſe ad laudabile de religione conſtituenda et exſtirpando ſchiſmate, ac omni ſectario veneno, a ſacris conciliis ac praeſertim a ſynodo Tridentina damnato, conſilium, bellumque niſi debellatis ſectariis nunquam deſerendum, ſacramento obligat; et ut omnes principes, proceres, regni ordines, ac civitates, collegia, univerſitates idem faciant, decernit, ac inſuper jurent, ſi contingat regem ſine liberis maſculis decedere, neminem, qui non eandem religionem profiteatur, in regem admiſſuros: praeterea ſtatuit, ne ulli deinceps ad praefecturas, magiſtratus, ac munera publica admittantur, niſi de ipſorum religione atteſtationibus epiſcopi, ſive ejus vicarii, aut curionis, ac X bonorum virorum minime ſuſpectorum ſubſcriptis conſtet; ut cuncti fidem regi regiſque liberis naſcituris ſe ſervaturos, et ab omni foederatione ac ſocietate, tam intra quam extra regnum, diſceſſuros, jurejurando promittant: tum praeteritorum, ac inprimis motus Pariſienſis et expilatae pecuniae regiae, oblivionem ſancit, et mutuam inter Catholicos concordiam confirmat. Edicto, quod XIV Kal. Quintil. Rotomagi, biduo poſt Lutetiae in ſenatu promulgatum fuit, capita addita erant, quae minime publicata ſunt. Iis conventum, ut capita Nemoroſii ante triennium conventa confirmarentur; duo exercitus ad bellum contra ſectarios perſequendum decernerentur; prior in [l] Aquitaniam, a quo rex vellet

INTERPR. [a] *Du Hamel de Berengliſe.* [b] *Calais.* [c] *de Patras de Campagnol gentilhomme Condommois.* [d] *Eſtaples.* [e] *de Ville.* [f] *Rouen.* [g] *Tanneguy le Veneur Sr de Carrouges, lieutenant general en Normandie & capitaine de Rouen, & Jacques comte de Tillieres ſon fils.* [h] *de Villeroy.* [i] *Havre-de-Grace.* [k] *de Grillon.* [l] *Guienne.*

vellet ducendus, alter in Delfinatum Meduanio attribueretur: concilii Tridentini decreta promulgarentur ac ſervarentur, exceptis iis in quibus juribus et auctoritati regis ac libertatibus eccleſiae Gallicanae praejudicatur; de quibus a delegatis e ſacro ordine et ſenatu, aliiſque quos rex eligeret, intra trimeſtre amplius deliberaretur: tempus pro urbibus ſecuritatis ergo conceſſis, et praeterea [a] Dorlano, ad ſexennium prorogaretur; quo exacto, praefecti earum fidem obſtringerent, eas in regis manus bona fide ſine mora et ceſſante omni impedimento conſignaturos: [b] Aureliani, Avarici Biturigum, et Monſtrolii praefecturae eodem jure cenſeantur: [c] Valentia et arx ejus [d] Geſſano, cui a Valeta ablata fuerat, [e] Crotoium viciſſim, quod eſt in Bononienſi agro caſtellum maritimum, [f] Belloio reſtitueretur: [g] Bernaeus Bononia faceſſere juberetur, et ei in illa praefectura aliquis e nobilitate provinciae non ſuſpectus regis arbitrio ſufficeretur; quo facto copiae militares, quae circa urbem diſcurrunt, dimitterentur: bona ſectariorum, et eorum qui cum iis contra regem bellum gerunt, quamprimum in belli uſus publicarentur: [h] Sanpauli et Sacromori defuncti (cum ex ſuſpicione paulo ante Divione Meduanius in aedibus ſuis propria manu interfecerat) legionibus ex aerario, ut aliis, ſtipendium procederet: [i] Viroduni, Tulli, Marſalli, [1] Aſtorfii praeſidiariis item, perinde ac [k] Metenſibus, ſtipendia ex regia pecunia perſolverentur: Catholicorum principum turmae equitum eadem qua ceterae matricula recenſerentur et luſtrarentur: Baſtilia in regis manus conſignaretur: praefectum vigilum quem vellet rex deligeret. Additum ad ludibrium, quo regi auctoritas, quae re vera eripiebatur, verbo ſervaretur, ut praefectus mercatorum et aediles, aliique in aliis urbibus per hos motus creati decuriones, magiſtratum in regis manus ejerarent, qui mox ad publicam tranquillitatem conſervandam a ſua majeſtate dignitati ejeratae reſtitui juberentur; captivi utrinque libertati reſtituerentur. Hoc edicto immane quam plebs ubique gaviſa eſt, animis jampridem ſacrae, quam vocabant, foederationis faſcinatione praeoccupatis. [l] Honoratus Laurentius in ſenatu Aquenſi fiſci patronus [m] Henotici titulo illud ſingulari libro laudavit, in quo multa de una religione luculenter diſſeruit; quaſi in ea tempora incidiſſemus, in quibus ex voto religionis negotium confici poſſet, et non plus religioni ipſi a bello, quod adeo ſcripto illo urget, periculi quam praeſidii impenderet. Itaque alii contra diſputabant, ſpecioſa pacis et unionis nomina mox inter Catholicos ipſos graviſſimas diſſenſiones excitatura: quam enim concordiam futuram, rege per tot inultas injurias a ſuis acceptas inde in contemptum adducto, inde ſeditioſorum factione in tantum per edictum illud firmata? Diſtincta eſſe principis et ſubditorum officia, quae ſi confundantur, mutuae benevolentiae, qua quies publica continetur, vinculum inter eoſdem ſtatim diſſolvi; quippe non aliter inter illos jus et aequum ſervari, quam ſi ſummum imperium penes principem, ſubditi ſola obſequii gloria contenti ſint: ubi qui legem accipere debuit imponit, fruſtra pacem et unionem ſperari. Condito edicto reſtabat, ut cuncti, ſicuti cautum erat, in ejus verba ſacramento adigerentur. Rex exemplo ſuo omnibus praeivit; quem aulae proceres, quamvis gravate plerique, ſubſecuti ſunt.

XII. ADERAT Ludovicus Gonzaga [n] Nivernii dux, qui, quanquam a Proteſtantibus maxime alienus, tamen innata prudentia cum Navarrum proximum heredem illo edicto a regni ſucceſſione excludi videret, primo recuſavit, ac vix tandem, cum rex inſtaret, et alioqui poenam edicto comprehenſam committi oſtenderet, nam eo cautum

INTERPR. [a] *Dourlans.* [b] *Orleans, Bourges, & Monſtreuil.* [c] *Valence.* [d] *de Geſſan.* [e] *le Crotoy en Boulennois.* [f] *de Belloy.* [g] *de Bernay.* [h] *de St Paul & de Sacremore.* [i] *Verdun, Toul, & Marſal.* [k] *ceux de Mets.* [l] *Honoré du Laurent avocat du Roy au parlement d'Aix.* [m] *l'Henoticon.* [n] *de Nevers.*

NOT. [1] *dele* Aſtorfii. Ce mot n'eſt point dans le Traité; il faut l'oſter. *Put.*

cautum erat ut qui jurare detrectarent pro perduellibus haberentur, poſt multas interpellationes adhibita proteſtatione jusjurandum praeſtitit.

XIII. MISSI mox a cardinali Borbonio et Guiſio ceterorum foederatorum nomine Petrus [a] Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis et Claudius [b] Caſtreus Biturigum praefectus Rotomagum venere, et palam pro unione inter Catholicos ſancita gratias egere, ſeorſim in arcano pro ampliata Guiſii dignitate; a qua tamen illi affectata pro tempore modeſtia Guiſium excuſarunt, ſatis ei eſſe dictitantes, ſi cum bona regis gratia magiſtri palatii munere in ejus aula fungeretur. Id actum jam re conventa et confecta, ne plus commodi privati quam publica religionis cauſa Guiſius edictum hoc a rege extorſiſſe videretur, et certiorem regis voluntatem per eam excuſationem expiſcaretur. Et proceſſit aſtus: nam, re ſtatim ab emiſſariis evulgata, magnam ſibi ex eo apud populum virtutis ab omni fuco et ambitione alienae opinionem conciliavit, et regem eadem opera ſubegit, ut geminata enixae voluntatis ſignificatione beneficium tantum confirmaret. Siquidem rex a [c] Villaregio perſuaſus, cum excuſationem illam ad invidiam ſuam pertinere exiſtimaret, ita velle ſe ac jubere reſpondit, et ut beneficium meritis ſuis delatum acciperet imperavit. Subeunte tamen poſtea poenitentia ob eam dignitatem ſive conceſſam ſive confirmatam, Villaregio non mediocriter ſuccenſuit; idque, accedente [d] Aureliani negotio, pleriſque in cauſa fuiſſe creditur, ut eum poſtea ab aula removerit. Et ita quidem res in aula erant. Nunc tempus eſt, quae eodem tempore in aliis regni partibus gerebantur, continuata ſerie exſequamur. Poſt [e] Cutracenam pugnam res in [f] Pictonibus aliquantum quievere. [g] Jarrius [h] Marano ac circumpoſitis inſulis, quibus tanquam clauſtris [i] Rupella ab ea parte defenditur, a Navarro impoſitus ea loca diligenter ſervabat, cum Joannes [k] Bellomanerius Lavardinus, [l] Malicornii provinciae praeſidis ac avunculi vicarius, acceptis a [m] Curbio VIII legionibus, improviſus eo ducit Eidibus Martiis, et poſtridie praecipitata jam nocte per [n] Bellogardiam paludem in inſulam exſcenſionem fecit. [o] Boſcodulius eo ire cum auxiliaribus juſſus, inſulanorum contumacia, qui externo milite inſulas impleri nolebant, repulſus, cum in tempore admiſſus non eſſet, fruſtra fuit: nam antequam [p] Brunam veniſſet, jam Lavardinus ante primos cum IↃC delectis pugnans Bellogardiam occupaverat, et [q] Lomellum XXC circiter delectos inde praemiſerat. Nihilominus illuceſcente die Boſcodulius, cum Jarrio conjunctis viribus, quae CCC peditibus et LX equitibus conſtabant, aciem inſtruit, quaſi cum Lavardino viribus potiore certaturus: verum ille, ſe munitionibus occupatis tegere contentus, nihil proelii aleae committere voluit. Itaque Boſcodulius et Jarrius ad Lomellum vim faciunt, ex eoque regios pellunt; qui ſe, ſervatis ordinibus, ad ſuos ſine damno receperunt. Ita die exacta Jarrius et Boſcodulius ſub veſperam in municipium conceſſere. Poſtridie [r] Noſeus cum XX delectis ductore [s] Ozannello Rupella miſſus venit, ejuſque adventu confirmati Maranenſes ad defenſionem ſe parabant, cum, ſive ignavia ſive proditione ejus qui Baſtiliam tenebat, locus deſeritur. Eo potitus Lavardinus ſtatim equitatum evocat, quem de eventu incertus ad III leucas ſubſiſtere juſſerat, et instructa acie ad Maranum municipium recta tendit. Conſpicati equitatum defenſores, qui obviam in aciem inſtructi proceſſerant, numero circiter CCCC, ex eo Baſtiliam deditam cum conjeciſſent, quippe cum aliunde equitatus immitti non poſſet, poſt aliquod leve certamen primo ad ſuperius municipium, et inde tandem ad arcem, ſe contraxere, exiguo commeatu inſtructam, et inſtrumentis ad terram movendam et aggerem ducendum omnino deſtitutam.

INTERPR. [a] *d'Eſpinac archevêque de Lyon.* [b] *de la Chaſtre gouverneur de Berry.* [c] *de Villeroy.* [d] *Orleans.* [e] *bataille de Coutras.* [f] *Poictou.* [g] *la Jarrie.* [h] *Marans.* [i] *la Rochelle.* [k] *de Beaumanoir Sr de Lavardin.* [l] *de Chourſes Sr de Malicorne.* [m] *la Courbe.* [n] *de Beauregard.* [o] *Bois-du-lis.* [p] *la Brune.* [q] *Lomeneau.* [r] *Noiſé.* [s] *Ozanneau.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III.

deſtitutam. Conſilium Jarrii et Boſcodulii erat, ad aliquot dies locum tueri, dum aut Navarrus obſeſſis ſubveniret, aut auxilia Rupella ſummitterentur; quae ſi deficerent, honeſtis conditionibus deditionem facerent. Itaque in ima curte et ad interius arcis propugnaculum ſe muniunt, tranſlato in editiorem locum tormento, ſed exiguo profectu. Lavardinus promoto aggere ita obſeſſos aditibus ſeptis cinxerat, ut nulla parte ad eos acceſſus eſſet: itaque [a] Gargulleus a Rupellanis auxilio cum delectis miſſus fruſtra fuit. Felicior ſucceſſus fuit biremium duarum cum nave inſtructa [b] Curtaldi colubrinis aliquot et delecto milite itidem Rupella miſſarum, quae [c] Boſſello duce canalem ingreſſae, in hoſtis conſpectu, dum Lavardinus munitionibus ad arcem ſtruendis diſtineretur, [d] Braviam et Cluſianam munitiones occupavit. Sub id, hoc eſt XVI Kalendas Aprileis, Navarrus, relictis a tergo copiis, ut feſtinato adventu ſuos confirmaret, Rupellam cum Sueſſionenſi venerat, ac poſtridie ſummo mane [e] Charronium acceſſit, et cetera propugnacula impoſito milite firmavit, et, biremibus appellere propius juſſis, colubrinam in ſingulas imponit; quae regios municipio ſe tenenteis, ad [f] Falas directis ictibus, ſummopere infeſtabant. Quam peſtem ut a ſuis averteret Lavardinus, contrariam verberationem in biremeis dirigit, eaſque retro curſum flectere ſubegit. Nihil non actum a Navarro, ut ſignis tubarum pulſibus, etiam exploratoribus miſſis, adventus ſui ad inſulam obſeſſis ſignum daret: verum illi conſpectis biremibus Rupellanos rati, cum de Navarri, in quo praeſidium poſuerant, adventu ſibi perſuadere non poſſent, haud meliore ſpe fuerunt. Confluentibus interim inde ex [g] Pictonibus ad Lavardinum, inde ex [h] Santonibus et Petrocoriis ad Navarrum, copiis, conſultatum fuit in caſtris Navarri, exſcenſio in inſulam fieret, et res proelii aleae committeretur. Sed pertentato vado, altiore aqua reperta, cum tranſmitti neque pedites neque equites citra periculum poſſent, Navarrus ab incepto deſtitit, et Cluſium propugnaculum primo deſeruit, Bravia ſervata, quam ſtatim hoſtes occupaverunt. Neque tamen propterea obſeſſi colloquium poſcebant, ſed, cum tormenta admota non viderent, ad defenſionem animos obfirmabant. Itaque Lavardinus propere [i] Niortio IV tormenta advehenda curat, et turrem rotundam primo pulſat; dein et vaga huc illuc verberatione obſeſſos infeſtat fere intectos, quippe pomoerio nullis doliis et pluteis defenſo. Tandem ſpe auxiliorum praeciſa, cum Navarrus, ut rebantur, minime compareret, et commeatus haud amplius quam in biduum ſuppeteret, equis pabulum deeſſet, quorum plerique jam mortui foetore cadaverum non mediocriter obſeſſos infeſtabant, alii, novum dictu, fame efferati jubas invicem et caudas ad oſſa uſque ſibi erodebant, de deditione agi placuit; eoque libentius, quod tempus, quo locum ſe defenſuros Rupellanis receperant, jam aliquot diebus praeteriiſſet, et perhonorificae conditiones a Lavardino offerrentur. Eae fuerunt, ut cuncti nobiles et alii, cum equis, armis, et omnibus impedimentis emitterentur, et incolumes in tutum deducerentur: quod Lavardinus religioſe ſervavit. Franciſcus [k] Blancardus Cluſellus cum firmo praeſidio inſulis impoſitus fuit, addita [l] Tremblaii legione; qui in eo muniendo, aggeribus firmando, armis undique comportandis, totum bimeſtre cum inſumpſiſſet, poſtremo etiam de [m] Retenſi inſula in poteſtatem redigenda cogitare coepit, ut duobus veluti cornibus apprehenſam Rupellam teneret. Verum in ea cogitatione haerenti ſupervenit Navarrus, qui cum delecto milite ſtratis pontibus Charroniam inſulam [n] Marano vicinam improviſus appulit Kalendis Quintilibus, et Braviae in ea propugnaculum, quod ab XXC ſcloppetariis duce [o] Canterio tenebatur, admotis pluteis,

et

INTERPR. [a] *Gargouillaud.* [b] *Courtauld.* [c] *Boiſſeau.* [d] *les forts de Braut & de Clouſy.* [e] *Charron.* [f] *les Halles.* [g] *Poictou.* [h] *Saintonge & Perigort.* [i] *Niort.* [k] *Blanchard Sr du Cluſeau.* [l] *le Sr de la Tremblaie.* [m] *l'Iſle de Ré.* [n] *Marans.* [o] *le capitaine la Chanterie.*

et biremibus per [a] canalem Seurae, qui in mare exoneratur, advectis, ad deditionem ſine conditione adegit: quo dedito Charronium propugnaculum peculiari nomine dictum, xx delectorum ex legione Canteriana firmatum, ſtatim in poteſtatem venit. Biduo poſt, ſtrato ad [b] Brunam ponte, ipſe Navarrus ad confluentem duorum canalium [c] Cluſianam munitionem oppugnaturus cum [d] Sueſſione acceſſit. Hic interjacebat profundus admodum canalis Maranum petituris tranſmittendus, cui duae munitiones impoſitae erant, IↃC ſpatio paſſuum diſparatae. In medio nova ad prohibendum tranſitum exſtructa: his ex adverſo prata ſubjacebant undique aperta, per quae ad canalem ponte ſternendum militi incedendum erat. Pons item ex adverſo novae munitionis et in conſpectu aliorum propugnaculorum hinc inde infeſta jaculatione ictus collimantium fabricandus erat. Navarrus nihilominus loco luſtrato rem quamvis periculi plenam tentandam ſuſcipit, et, cum totum diem infeſta utrinque tormentorum diſploſione extraxiſſet, ſub veſperam copias ad Charroniam inſulam contrahit, et biremeis in mare ſubducit, ut de conſilio ſuo incertum hoſtem relinqueret. Poſtridie, quae in Dominicam incidebat, ſic rem componit: revocatis ſummo mane biremibus et loco idoneo ſe ſiſtere juſſis, unde munitionum praeſidiarios tormentorum ictibus infeſtare poſſent, ipſe cum Sueſſione ac primoribus, ſed exiguo numero, Cluſianae munitioni propinquat, comportatis pluteis et pontibus; quibus conſtructis et tentatis vadis aciem ordinat, et equitatum pediti ad inopinata praeſto futurum inſtruit. Eodem tempore Gabrielem [e] Prevotium Carbonarium et Subranum, nobileis ordinum ductores, cum praetorianis et [f] Mignonvilla caſtrorum praefecto diverſa parte Maranenſem inſulam oppugnaturos mittit, tempus circumeundae inſulae neceſſarium menſus, ad idque aptatis duobus horologiis, quorum alterum Mignonvillae tradidit, alterum ſibi ſervavit; edicitque ut conventa hora per locum deſtinatum oppugnationem inchoarent; nam ſe eodem momento vim facturum. Igitur poſt XI horam, ea erat oppugnationi condicta, ſuos, more inter Proteſtanteis recepto, in genua procumbere jubet Navarrus, et preces in hoſtium conſpectu publice concipere; unde terror obſeſſis injectus, qui meminerant idem initium pugnae [g] Cutracenſi factum, in qua Navarrus victor fuerat. Eo autem ordine incedebant: [h] [1] Prevotius legionis tribunus cum [i] Lomello et Petro Pideo Neda ad dextram inſtar propugnaculi poſitam domum aggreditur, avio et gladiolis ac juncis marinis impedito itinere, illuc notato in canali [k] Ferrandi ordinum ductoris induſtria vado; eum ſubſequebatur Joannes [l] Bironus Salignacus cum ſua legione et ſcalis, quas ad domum illam admoturus erat: tum delecti ex [m] Granvillae legione pluteos ad canalis oram promovebant, Rupellanis a tergo et ad dextram pluteos in aquarum confinio comitantibus: ipſe Granvilla cum XXX ex ſuis pontem convehebat, a clypeatis, quos [n] Valla Rupellanus ducebat, contra Cluſianorum ſcloppetariorum ictus tectus; ceterae legionis Granvillanae cohortes ſequebantur, et [o] Retenſes copiae ductore [p] Plancio. Ad laevam Cluſium verſus praetoriani novo ſupplemento aucti [q] Porta et Vineola ducibus, et cum iis [r] Franciſci Joannis Caroli Pardallani Paniacii et Joannis Roberti [s] Limalliae equites ſcloppetarii, quaſi vim facturi incedebant, ut hoſtem pluribus locis occupatum averterent. Robur exercitus, in quo erat Sueſſio, C paſſuum ſpatio interjecto ultimum agmen claudebat. Hunc ordinem conſpicati

CIↃIↃLXXXVIII

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *le canal de la Seure.* [b] *le canal de la Brune.* [c] *le fort du Clouſy.* [d] *le comte de Soiſſons.* [e] *Prevoſt Sr de Charbonieres, & le Sr de Soubran.* [f] *le Sr de Mignonville mareſchal de camp.* [g] *de Coutras.* [h] *Preaux meſtre de camp.* [i] *les capitaines Lommeau, & P. Pidoux de Neds.* [k] *le capitaine Ferrand.* [l] *de Biron baron de Salignac.* [m] *de Granville.* [n] *le capitaine la Vallée de la Rochelle.* [o] *les troupes de Ré.* [p] *la Planche.* [q] *les capitaines la Porte & Vignolles.* [r] *François Jean Charles de Pardaillan baron de Pardaillan Sr de Panias.* [s] *le capitaine la Limaille.*

NOT. [1] *lege* Preolius. *Vide Mem. de la ligue,* T. 2. p. 411.

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

conſpicati defenſores ſtatim animis conciderunt, et Navarrus, qui intentus ad omnes caſus ſine armis, quo expeditior eſſet, huc illuc diſcurrebat, animadverſo nutare eos, pontem ſubito ſterni imperat; qui prae feſtinatione non ſuo loco et ad confluentem poſitus, cum potius infra confluentem ſterni deberet, aliquandiu impetum Navarrenorum retardavit, obſeſſis recipiendi ſe per illam moram ſpatio dato; qui diverſa parte a [a] Carbonario, Subrano, et Mignonvilla eodem tempore, ſicuti juſſi erant, impreſſionem facientibus urgebantur, ut in receptu, paulum abfuit, intercepti fuerint. Cluſium arbitrio Navarri deditum, in quo XXC praeſidiarii erant, ductore [b] Serra, incolumes ſervati. Inde facto ad ipſum [c] Maranum impetu, antequam defenſores ex pavore animos collegiſſent, qui in municipio erant, et [d] Cluſellus ipſe et Tremblaius ad menſam forte tunc ſedentes, protinus arma capiunt; et, cum ſuos pugnam detrectare cernerent, ipſi ſibi fuga conſulunt, et arce ſe cum ceteris praeſidiariis includunt: quae confeſtim corona cincta eſt, aliis propugnaculis quae in inſula erant, [e] Alaudae videlicet, Brunae, et Picis-novae, arbitrio victoris deditis; ita ut tantum praeter arcem [f] Baſtiliana et Paulana munitiones in hoſtium poteſtate remanerent. Itaque, ne ipſae ſibi invicem ferre opem poſſent, cautiſſime Navarrus Claudio [g] Tremollio levis armaturae praefecto, ac Joannis [h] Pontiani Plaſſaci, Lorgei, et Aramburi turmis equitum, ad [i] Joannis Liverſaci fanum hoſpitium attribuerat, medio inter arcem et Niortium itinere, exſtructa etiam inter Baſtiliam et arcem duorum dierum ſpatio a Tremollio munitione; ita ut Baſtiliae praeſidiarii, qui numero LXX erant, undique cincti, cum nullum receptum haberent, deditionem facere coacti ſint. Id actum V Kalendas Quintileis: quo eodem die admotae II colubrinae ad arcem, ac totidem tormenta, a Georgio [k] Claromontio Amboſio. Hac celeritate territis defenſoribus Cluſellus poſtridie petito colloquio per [l] Riverium poſt longas altercationes tranſegit, in has conditiones, ut nobiles ac militares duces cum equo ac lorica, milites cum gladiis accincti, dimitterentur, omni apparatu bellico ac ceteris armis in arce remanentibus; Cluſellus, Tremblaius, [m] Marronius, et Turrius, ſigna traderent, (ea erant VIII numero, ac praeterea vexillum praetorianum,) et in Navarri poteſtate eſſent. Arce dedita [n] Rupius, qui Paulanam munitionem tenebat, a Lavardino monitus locum ſtatim dedidit. Cluſellum ſolum Navarrus, ceteris in tutum honorifice deductis, captivum retinuit, et Rupellam diligenter cuſtodiendum miſit, quod ejus fidem ac voluntatem maxime ſuſpectam haberet. Poſtea cum videret, turbatis in aula rebus, ejus operam regi utilem fore, eum ſine pretio dimiſit; ſed ea lege addita, ne foederatis contra regis voluntatem deinceps militaret: quam tamen conditionem ille, jurisjurandi interpoſiti ſpreta religione, poſtea minime ſervavit. Ita Navarrus paucorum dierum ſpatio Charroniam et Maranenſem inſulas ſui juris fecit, eoque facto non ſolum res ſuas in Santonibus ac Pictonibus firmavit, ſed etiam magnam a Rupellanis, in quibus belli arcem poſuerat, gratiam, reſtituta eis veluti libertate, inivit.

XV. NEC in Delfinatu et Provincia interea ceſſabatur. Nam Franciſcus [o] Balma Suſae comes ineunte anno [p] Arauſionem, ſed irrito aſtu, tentavit, corrupto centurione; qui, proditionis et communicati cum [q] Avenionenſi vicario conſilii convictus, capite luit VIII Eid. Januarias. Quinto poſt die viciſſim tentata a Franciſco [r] Bona Diguierio, Navarri illis locis vicario, [s] Gratianopolis, admotis hora V matutina ſcalis:

INTERPR. [a] *les ſieurs Charbonieres, de Soubran, & de Mignonville.* [b] *le capitaine la Serre.* [c] *Marans.* [d] *le Sr des Cluſeaux meſtre de camp, & le Sr de la Tremblaye.* [e] *les forts de l'Alouette, la Brune, & Poix-neuf.* [f] *les forts de la Baſtille & de la Paulée.* [g] *le Sr de la Tremoille.* [h] *Pons de Plaſſac & les ſieurs de Lorge & d'Arambure.* [i] *S. Jean de Liverſay ſur l'avenue de Niort.* [k] *de Clermont d'Amboiſe.* [l] *le capitaine la Riviere.* [m] *les capitaines Marron & la Tour.* [n] *le Sr de la Roque.* [o] *de la Baume comte de la Suze.* [p] *Orange.* [q] *le vicelegat d'Avignon.* [r] *de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [s] *Grenoble.*

ſcalis: eodemque die, cum conatus ille non ſucceſſiſſet, ne nihil ageret, [a] Gieram munitionem haud hinc procul expugnat. Quatriduo poſt [b] Campanierum, et inde ſeptimis caſtris [c] Serram venit, facto per [d] monaſterium Claromontanum, [e] Mauritii-fanum, Treſmenium, Aſperum, Ventanonem, itinere. Poſtea Diam omnes convenere exeunte menſe, ut de belli gerendi ratione in commune conſultarent. Actum et ibi Cruceio ſuperveniente de induciis, ſed nullo exitu. Idem deinceps negotium retractatum, [f] Cruceio et Boſſodo cum novis mandatis Serram, ubi tunc Diguierius erat, reverſis XVII Kal. Martias. Nec multo poſt exeunte Februario [g] Pariſius, qui Aloiſiam [h] Budoſam Portae reguli filiam, quae poſtea [i] Vacario, atque alteris nuptiis Henrico Momorantio magiſtro equitum elocata eſt, deſponderat, in conflictu a [k] Monbrunio et Sala occiſus fuit, in quo et [l] Campenſis captus eſt. Demum [m] Gracchus Navarri ab epiſtolis, ad [n] Diguierium paulo ante miſſus, cum Antonio [o] Chandeo, in Germaniam ad communem religionis cauſam apud principes promovendam cum Navarri et Diguierii mandatis profectionem ſuſcepit. Aliquot poſt diebus ac VII Eid. Mart. Diguierius [p] Tallarium tentavit; ſed cum inſidias ſibi expeditionis ſecretae ducibus ſtructas cognoviſſet, mature ac ſine jactura ab incepto deſtitit. Quartis demum caſtris, facto per [q] Ebrodunum, Laurentii fanum, Diguieriam et vallem Bonneſiam itinere, [r] Vigilium intercipere conatur, ſed irrito conatu. Inde [s] Cochiam uſque ad [t] Gieram progreſſus, Gierenſis munitionis L circiter praeſidiarios ad pugnam duce [v] Inſulano egreſſos cecidit, captis ex iis XX: eodemque die [w] Berengarius Morgius, ad [x] Gonſelium excurſione facta, L circiter captivos ſecum abduxit. Bellomontius praedatum miſſus, cum fruſtra [y] Revellii caſtellum tentaſſet, ad Diguierium rediit, et cum eo [z] Uriagum venit. Inde Serram rurſus quartis caſtris itum, facto per [aa] Muram, Moguntiam, et Fabricas itinere. Ibi de munitione ad [bb] Vapincum excitanda conſultatum, cui urbi jampridem Diguierius imminebat. Collis cui [cc] Podio Mauri nomen ad id delectus, longioris ſcloppeti jactu Vapinco ab occaſu diſſitus; et operi inchoando Nonae Apriles condictae, quibus omnes copiae convenirent, ad impediendum [dd] Sanjuliani praefecti cum auxiliaribus in civitatem ingreſſum, et Valetam, qui ſubſidio Vapincenſibus veniebat, prohibendum. Eae fuerunt [ee] Griniani junioris comitis, qui [ff] Marcuſſianum Tallarii praefectum forte, dum veniret, obvium cum ſuis fudit, ipſo duce in conflictu interfecto; [gg] Turrii Guberneti, Monbrunii, Morgii, Bellomontii, Bricomotii. [hh] Valeta ſecum ſuam equitum turmam, [ii] Eſpernonii fratris, Alfonſi [kk] Ornani provinciae regis nomine vicarii, [ll] Tornaboni, Ramefortii, Joannis Lupiaci Moncaſſini, et Monclarii trahebat. Non. April. cum Diguierius loco deſtinato conſediſſet, adductis ſecum foſſoribus, factum operi initium; quod tanta celeritate continuatum eſt, ut intra XIII dierum ſpatium ad eam altitudinem perductum ſit, erecto ad XV pedes pomoerio, ut contra hoſtileis conatus defendi poſſet. Ambitus loci omnino erat IↃCCXX paſſuum, inter IV propugnacula, ut in colle praerupto parum prominentia. Foſſorum pars ceſpiti fodiendo, pars munitionibus exſtruendis, incumbebat: nobilitas in equis ceſpitem tabulis exceptum comportabat, operi faciendo et pugnae ſimul intenti, et toto illo tempore, quo praeſidiarii Diguierianos continuis velitationibus laceſſebant,
in

INTERPR. [a] *le fort de Gieres.* [b] *Champanier.* [c] *la Serre.* [d] *le monaſtere de Clermont.* [e] *S. Maurice, Treſmenis, Aſpres, & Ventanon.* [f] *la Croix & Buſſod.* [g] *le Sr Paris.* [h] *de Budos fille du baron de Portes.* [i] *de Vacheres.* [k] *de Monſbrun & de Salles.* [l] *Des Champs.* [m] *Du Jay.* [n] *le Sr de Leſdiguieres.* [o] *de Chandieu.* [p] *Tallard.* [q] *Embrun, St Laurent, Leſdiguieres, & Vaubonnois.* [r] *Vigile.* [s] *la Coche.* [t] *Gieres.* [v] *Liſle.* [w] *Berenger de Morges.* [x] *Goucelin.* [y] *Revel.* [z] *Uriage.* [aa] *Mure, Mens, & les Favries.* [bb] *Gap.* [cc] *Puy-more.* [dd] *S. Julian.* [ee] *de Grignan.* [ff] *de Marcouſſy.* [gg] *la Tour Gouvernet, de Montbrun, de Morges, de Beaumont, & de Briquemaut.* [hh] *Bernard de Nogaret Sr de la Valette.* [ii] *Jean Louis de Nogaret de la Valette duc d'Eſpernon.* [kk] *d'Ornano lieutenant general en Dauphiné.* [ll] *de Tornabon, Ramefort, Loupiac de Moncaſſin, & de Monclar.*

in utrumque parati. Tandem pauculis illis diebus munitiones ad juſtam altitudinem perductae, puteus excavatus, et ciſterna aquae pluviae excipiendae, hoſpitia CCC peditibus, L equitibus, horrea copioſae annonae capiendae, exſtructa ſunt: et lignum ac farinae in treis menſeis neceſſariae eodem temporis ſpatio illuc convectae. Cum Sanjulianus in itinere eſſe diceretur, Diguierius, delectis ſecum aſſumptis, eum ad [a] Curbanum aſſecutus in fugam vertit; et ad Claretum, quo ſe incluſerat, inſecutus, ac expugnato doliari munimento, eum poſtremo, ut ſe in arcem reciperet, compulit, amiſſis aliquot ex ſuis et captis L circiter hoſtium equis. Id actum XVII Kalend. *Maias.* Valeta [b] Ciſtertione cum CCCL equitibus et IƆC peditibus profectus, cum ſe in tempore ad diſturbanda opera veniſſe ſperaret, rem votum et opinionem ſuperaſſe magno ſuo cum dolore comperit: et cum [c] Vapincum veniſſet, ac loco diligenter inſpecto periculum in tentanda oppugnatione ſubeſſe judicaret, [d] Tallarium conceſſit, alteriſque caſtris Ciſtertionem repetiit. [e] Podio Mauri munito et praeſidio firmato, cum huc illuc copiae dilaberentur, [f] Gubernetus et [g] Cugius [h] Fanum Joannis Roianenſis corona cingunt: ſed, cum praeſidiarii ad defenſionem ſe pararent, triduo poſt ab obſidione diſcedunt; nec multo poſt praeſidiarii ſibi metuentes munitionibus incenſis locum deſeruerunt. Eodem, quo obſidio coepta eſt, die, hoc eſt VII Kal. Maias, [i] Cecilianus cum parte Morgianarum copiarum Laurentii Maugironi turmam equitum, et CCL ſcloppetarios quos [k] Diſemius ducebat, forte obviam ſupra [l] Vivum ad [m] Graeciae amnis ripam cecidit. Praeter interfectos multi capti, ac complures generoſi equi in victoris poteſtatem venerunt: ipſe Diſemius multis vulneribus confoſſus vix periculum evaſit. Paucis interjectis diebus Diguierius ad [n] Jargium caſtra ponit Nonis Maii, quo pridie [o] Boſquetum cum ſua equitum ala praemiſerat. [p] Ebroduno et Podio Mauri advecta tormenta, et quinto ab obſidione die ad oppidum admota; quod poſt CL ictuum diſploſionem poſtridie deditum eſt. Paulo poſt de tumultu Pariſienſi ad Diguierium allatum eſt: et, fama res vero majores fingente, cum Proteſtantes tantae injuriae ſenſum acriorem in regis animo futurum ſibi perſuaderent, nova conſilia ineunt; et Sofredus Caligno, praeter raram in omni ſcientiarum ac literarum genere eruditionem vir fidei ac prudentiae perſpectae, ad Navarrum mittitur, ut, mutata, ſicuti apparebat, ex eo caſu facie rerum, nova imperia ab illo acciperet. Interea Lud. [q] Blanius Poëtus, aſſumpto ſecum [r] Morgio, [s] Stellam oppidum capit, [t] Charpelli turma equitum, quae in oppido erat, equis ſpoliata. Ipſe Charpellus mature ſe in arcem receperat: ad quam cuneo acto conatus nihilominus irritus fuit, deſideratis etiam pleriſque ex Poëtianis, et in iis [v] Monmiralio Nemauſenſi ſtrenuo ordinum ductore. Eo cum Diguierius exeunte menſe veniſſet, quinto poſt die, hoc eſt Non. Junii, ab obſidione diſcedit: et, ſpe de [w] Fano-Spiritus ad Rhodanum per hos motus turbatis regiis capiendo concepta, revocatus copias illuc vertit, ac, facto per [x] Diam, Moguntiam, Diguieriam, Mauri Podium, [y] Serram, Roſanum, Nionium, Monſegurium itinere, nonis caſtris ad Fanum-Spiritus venit, ubi et copias [z] Blaconus cum eo conjunxit. Sed, relangueſcentibus jam in aula conſiliis, cum fama contraria jam ſparſa eſſet, quaſi rex foederatos in gratiam recepiſſet, et bellum denuo contra Proteſtanteis decreviſſet, Diguierius copias domum reduxit, negotio de induciis multoties per [aa] Ebenum, Pimichaelium, Furmeierum, et Marquetum retractato et indeciſo; in quo fere totus Quintilis conſumptus, nulla re praeterea geſta.

XVI. TANDEM

INTERPR. [a] *Curban.* [b] *Siſteron.* [c] *Gap.* [d] *Tallard.* [e] *Puymore.* [f] *la Tour Gouvernet.* [g] *de Cugy.* [h] *S. Jean de Roians.* [i] *le Sr de Cecilienne.* [k] *Diſemieu.* [l] *Viſ.* [m] *Grece r.* [n] *Jarges.* [o] *du Boſquet.* [p] *Embrun.* [q] *de Blain Sr du Pouet.* [r] *de Morges.* [s] *l'Eſtelle.* [t] *le Sr de Charpey.* [v] *Montmiral de Niſmes.* [w] *Pont S. Eſprit ſur le Rhône.* [x] *Die, Mens, & Leſdiguieres.* [y] *Serre, Roſans, Nions, & Monſegur.* [z] *de Blaçons.* [aa] *les ſieurs d'Ebens, Puymichel, Farmeier, & Marquet.*

XVI. Tandem ſub exitum menſis edictum unionis [a] Gratianopolim allatum eſt, ut in ſenatu promulgaretur; cognitumque ex literis ad Maugironum ſcriptis, [b] Meduanium brevi in Delfinatum cum exercitu venturum. Valeta igitur, ab amicis, quos in aula habebat, et ab [c] Eſpernonio fratre, qui [d] Engoliſmae erat, monitus, cum videret, praeoccupato ſive metu ſive novis affectibus regis animo, ſe fratremque inimicorum odiis expoſitum, ante Meduanii adventum rebus ſuis mature conſulere ſtatuit; et [e] Buiſſonii ac Guberneti interventu cum [f] Diguierio agit, ac foedus pro defenſione et offenſione jungit. Id actum [g] Monmaurii Eidibus Sextilibus; et conditiones foederis poſtea ratas habuit Valeta, atque ad Diguierium manu ſua ſubſcriptas miſit menſe exeunte. Mox et delegati a principatu [h] Saluciano, cui praefectus erat Valeta, [i] Bozanciacum venerunt, et in foederis ſocietatem conſenſerunt, collationem in belli ſumptus polliciti. Sub id Diguierius, cum eum ibidem de [k] Interamnio in comitatu Venaſcinenſi a Blacono capto nuncius oppreſſiſſet, nihilominus, relicto Bozanciaci Morgio, iter inceptum perſequitur, et per [l] Georgii-fanum [m] Muram venit: quo et a [n] Paſſagio et B. Flotta Rupis comite, qui [o] Valentiam et Romanium nuper captas civitates tenebant, delegati venerunt, et inducias nomine Valetae cum eo fecerunt. [p] Baumenſis munitio in itinere recepta pridie Eidus Septembreis; quo eodem tempore [q] Corbierius Navarri nomine ſedulam in [r] Liberone muniendo operam navabat. [s] Oſcenorum municipio muniendo cura impenſa, eique [t] Bellomontius' praeponitur: dein [v] Bricomotius et Subrupius cum copiis ſuis [w] Delfini-caſtrum corona cingunt VIII Kalendas Octobreis. Poſtridie inferius [x] foſſae munimentum captum et receptum eodem die, ac nocte inſequenti amiſſum; tandemque deditio facta a praeſidiariis vitam et res ſalvas pactis. Tormenta [y] Agnelli colli impoſita [z] Molinas reducta. Mox [aa] Gubernetus cum peditatu dimittitur; ac demum, [bb] Villario, Diguierii ex ſorore nepote, Saluciis, quo miſſus fuerat, reverſo ad [cc] Broſſatum, [dd] Ficta Saluciani principatus vicarius cum Diguierio collocutus foedus induciarum Bozanciaci factum ratum habuit, et magna utrinque benevolentiae ſignificatione diſceſſum eſt: nec non et interventu eorum, antequam diſcederent, [ee] [1] Urſinus Bodiſſeus et Michael Antonius [ff] Salucianus Manta reconciliantur, ſacramento adacti, ut communi opera Sabaudiae ducis conatibus, de quibus jam rumor erat, obviam irent. Interea [gg] Campobaldus ad [hh] Agrippani-fanum, [ii] Blaconus Interamnii obſeſſus, arctius in dies premebantur: itaque Guberneto mandatum, ut mature Blacono, aſſumptis quas penes ſe habebat copiis, ſuccurreret. Jam Sabaudus in armis ad limitem apparere coeperat cum CCCC equitibus, et ad Delfini-caſtrum copias admoverat: quorum partem ex improviſo adortus Rameſortius fudit et armis exuit pridie Eidus Octobreis. Eodem tempore copiae a rege in Delfinatum praemiſſae Oſcenorum municipium a Diguierio muniri coeptum corona cingunt: eae III legionibus, III turmis cataphractorum equitum, et II Epirotarum, conſtabant. Jamque aperte bellum inter foederatos et regiis partibus addictos, quorum dux Valeta cum Diguierio foederatus, in ea provincia gerebatur. Itaque mox ſocietatem cum regiis junxerunt Poëſius Paſſagius qui Valentiam, et Baltaſar Flota

INTERPR. [a] *Grenoble.* [b] *le duc de Mayenne.* [c] *le duc d'Eſpernon.* [d] *Angouleſme.* [e] *Buiſſon.* [f] *le Sr de Leſdiguieres.* [g] *Monmaur.* [h] *le marquiſat de Saluces.* [i] *Bozancy.* [k] *Entraigues au comtat Venaiſſin.* [l] *S. George.* [m] *Mure.* [n] *du Paſſage, & B. de Flotte comte de la Roche.* [o] *Valence & Romans.* [p] *le fort de Baumes.* [q] *Courbieres.* [r] *Livron.* [s] *Bourg d'Oyſans.* [t] *de Beaumont.* [v] *de Briquemaut & Soubroche.* [w] *Chateau-Dauphin.* [x] *la caſemate du chateau.* [y] *col de l'Agnel.* [z] *Molines.* [aa] *la Tour Gouvernet.* [bb] *le Sr de Villars.* [cc] *Broſſas.* [dd] *de la Fitte.* [ee] *des Urſins de Baudiſſe.* [ff] *de Saluces Sr de la Mante.* [gg] *le Sr de Chambaud.* [hh] *Ste Egrene.* [ii] *de Blaçons.*

NOT. [1] Il eſt deſcendu des Urſins de Rome, mais luy & ſes predeceſſeurs ſont de longue main habitans du marquiſat de Saluces. *Put.*

[a] Flota Rupius qui [b] Romanium tenebat. Henoticis ſe ducem praebuerat [c] Simiena Albinius, nam nondum Meduanius advenerat: qui ſub id, [d] Ebeno ad Diguierium miſſo, ſpecie induciarum pangendarum, in arcano cum eo de adfinitate contrahenda egit, et in generum ab ipſo aſſumi petiit. Interea Oſcenis obſeſſis quo praeſto eſſet Diguierius, [e] Vacarium et Villarium cum delectis praemittit, qui hoſtem ad obſidionem haerentem excurſionibus laceſſerent. Facta impreſſione [f] Mereus occiſus x Kal. Novembreis. Biduo poſt majore vi ad molatrinam pugnatum, multis utrinque occiſis; ſed major clades Diguierianorum fuit. Obſeſſi ex arce funibus ſe deſtitui ſignificabant. Itaque colloquium petitum, ſed irrito ſucceſſu, quippe cum hoſtis iniqua petere videretur. Igitur ſuperventu Jacobi [g] Miolani Caprarii, qui CCL equites et CIƆ IƆ ſcloppetarios auxiliareis ducebat, rurſus majore quam ante vi certatum Kalendis Novembribus; eoque conflictu paulo ante clades accepta penſata eſt: nam, impreſſione ab ipſo Diguierio facta, XXC amplius ex hoſtibus interfecti ſunt, et in iis [h] Boſquetus primarius dux, IV praeterea ordinum ductores. [i] Villanovanus, qui [k] volones ducebat, captus fuit. Nihilominus aliquot poſt diebus [l] Bellomontius deditionem fecit, perhonorificis conditionibus. Extremo anno Ancona obſeſſa eſt: pulſatus locus admota colubrina, et II nothis tormentis, ac totidem falconibus; et poſt CXX ictus diſploſos, quamvis ſtrages murorum idonea minime edita eſſet, oppugnatio totis viribus facta, in qua, poſt acre trium horarum certamen, ipſe loci dominus et omnes defenſores interfecti: ex Diguierianis CXX partim interfecti, partim graviter ſauciati ſunt. Inde [m] Montelium Adaemari itum, et dimiſſae in hyberna copiae.

XVII. INTEREA rex poſt conditum edictum, eodem, quo Lutetiae in ſenatu promulgatum fuit, die, [n] Rotomago, poſt multa fidei haud diu duraturae a civibus exhibita ſigna, diſceſſit, et per [o] Vernonium iter habuit, quo ſibi occurrere delegatos a ſenatu juſſerat; qui, pacis negotium feliciter confectum gratulati, ipſum, ut ad urbem, depoſito omnis offenſionis ſenſu, venire dignaretur, quam demiſſe et enixe petierunt. Verba pro ceteris fecit Barnabas [p] Briſſonius praeſes, qui elaborata multo ſtudio oratione aures audientium admodum demulſit, pervicitque ut rex, qui iſtiuſmodi actionibus intempeſtive oblectabatur, poſt exquiſiti ornatus reſponſum, quanquam propterea ut ad urbem veniret perſuaderi non poſſet, tamen, quo rem ſibi gratam factam oſtenderet, orationis exemplum ſcripto comprehenſum ſibi tradi peteret. Regina, ut initio [q] Gueſlaeum, ſic poſt compoſitos utcunque motus Briſſonium, cum delectis ſenatoribus ad regem filium mittendum cenſuerat, quo placatiorem eum adventu ſuo reperiret. Inde rex [r] Meduntam venit, ubi obviam habuit reginam parentem; quam magna in ſpeciem ob impoſitum pacificationis negotio finem gratulatione excepit. Poſt ſecretum colloquium, illa continuo, regina nuru, quae cum ipſa venerat, cum rege filio relicta, Lutetiam revolat, ut Guiſium, quem cum rege conciliare ſatagebat, cum bona ipſius venia adduceret. Rex interim [s] Autricum Carnutum tendit cum toto aulico comitatu, quo et regina parens cum Guiſio et primariis foederatorum ducibus ac conſiliariis venit; eique obviam a rege miſſi [t] Nivernii dux et Bironus equitum tribunus. Guiſium cum ſumma demiſſione in ſpeciem ad ſalutationem ſe inclinantem rex ſereno vultu ac pari benignitate erexit, et complexus eſt; ſummaque utrinque diſſimulatione, qualiter in aulis fieri aſſuevit, res peracta.

INTERPR. [a] *de Flotte comte de la Roche.* [b] *Romans.* [c] *de Simiane Sr d'Albigny.* [d] *le Sr d'Ebens.* [e] *les ſieurs de Vacheres & de Villars.* [f] *de Merieu.* [g] *de Miolans Sr de Chevrieres.* [h] *le Boſquet.* [i] *de Villeneufve.* [k] *les enfans perdus.* [l] *de Beaumont.* [m] *Montelimart.* [n] *Rouen.* [o] *Vernon.* [p] *le preſident Briſſon.* [q] *de la Gueſle.* [r] *Mante.* [s] *Chartres.* [t] *de Nevers.*

XVIII. GUISIO amplificatam ſecreta conventione dignitatem interventu Villaregii diximus, quam ille [a] magiſtri palatii officio annexam teneret. Ea de re conditum diploma pridie Nonas Sextileis, ac VII Kal. Septembr. in ſenatu perorante Petro [b] Verſorio promulgatum, quo rex Guiſio concedebat, ut per ipſius abſentiam ſummum imperium in exercitibus exerceret, de copiarum militarium luſtrationibus ac ſtipendiis exemplo magiſtri equitum decerneret, annonae pretium diceret, in diſciplina militem contineret, et plebem ruſticam ab excurſionibus, rapinis, concuſſionibus, ac vexationibus defenderet. Eodem diplomate ſacramenti a Guiſio in regis manus praeſtiti mentio fiebat. Jam poenitere coeperat regem conceſſi beneficii, idque revocare in animum induxerat, auctis ſuſpicionibus, et renovatis ſtatim Guiſii in aulam adventu odiis.

XIX. PAULO ante ad eum pontifex dederat literas, nec non et ad cardinalem Borbonium Eidibus menſis praecedentis; quae ſtatim ab emiſſariis ubique publicatae, et, quo plebi noteſcerent, et pluribus locis eodem tempore ſpargerentur, etiam Gallice explicatae et typis mandatae ſunt. Iis laudata utriuſque in promovendo religionis negotio pietate ac ſtudio, cum auxilium a Deo inprimis expectandum, idque ſe fuſis ad eum indeſinenter lachrimis quotidie implorare dixiſſet, ſubjicit, nihil aliud pro tempore opportunius viſum, quam ut legatum in Gallia haberet; cujus opera et auctoritate utriuſque optimi conatus, ad regni ſalutem ac Catholicae religionis, ſine qua de regno actum ſit, tranquillitatem ſpectantes, adjuvarentur: eum ſe creaſſe Jo. Franciſcum [c] Maurocenum epiſcopum Brixianum, cujus hoc rerum ſtatu fidem, prudentiam, ac pietatem plane perſpectam habeat; proinde illius, ubi opus eſſe intelligant, auctoritate et opera utantur, nam tutiſſime cum eo conſilia, quae ad Catholicam religionem et Apoſtolicam fidem pertinent, communicari poſſe: ſi quid praeterea agi a ſe oporteat, certiorem fieri ſe cupere, ac nunquam defuturum cauſae oſtendit, pro qua laborare ipſos ſciat. Ad Guiſium peculiari elogio addit, cogitanti ſibi de ipſius virtute in mentem veniſſe nobiliſſimos viros Machabaeos, qui pro patria, pro templo, pro lege Dei, immortali cum laude certarunt, quoſque ex eo genere ſacra ſcriptura memorat fuiſſe, per quos ſalus in Iſraele facta eſt: neque vero ſe dubitare eum exitum, quem maxime cupiat, ipſum conſecuturum, ut nimirum deletis ſectariis pax et ſalus Galliae per eum reſtituatur. Id admodum regis animum pupugit, jam ob praeteritas ſimultates ſuſpicacis; qui, quantum Guiſio a pontifice tribueretur, tantum ſibi detrahi exiſtimabat, et benevolentiam illi apud plebem et ſacrum ordinem per inania illa Machabaeorum nomina conciliari occulto cum livore ſentiebat. Accendebant regis animum Nivernii, viri auctoritate ac prudentia primarii, aſſidue ad ejus aures excubantis dehortationes; qui aemulatione antiqua, atque adeo capitalibus, ex quo a foedere ante triennium diſceſſerat, odiis, gloriae Guiſii imminebat. Is, exercitui in [d] Pictones deſtinato dux a rege delectus, aegerrime ferebat, Guiſium, aetate et rei militaris uſu ſibi multis partibus, ut rebatur, inferiorem, veluti ſummum imperatorem imponi, et amplificata illius dignitate ſuam imminui: nam propter aerarii inopiam et alias regni incommoditates, jam aeſtate praecipitata, providebat fore, ut, ſi propterea res ſecus quam ex voto ſuccederent, ille pro ratione muneris protinus ad exercitum veniret, vitia fortunae virtute ſua emendaturus, aut re bene geſta partum decus in ipſo victoriae curſu ſibi praerepturus. Neutrum cum vir generoſus pati poſſet, tamen, diſſimulato doloris interni apud regem ſenſu, eum proprio periculo terrebat: quem enim modum ambitioni et immodicis cupiditatibus facturum Guiſium poſt adeptam tantam potentiam, qui privatus ſine ullo legitimo imperio tot turbas per univerſum regnum excitavit?

INTERPR. [a] *le Grand Maiſtre de la Maiſon du Roy.* [b] *de Verſoris.* [c] *Moroſini evêque de Breſcia.* [d] *Poictou.*

CIƆIƆLXXXVIII excitavit? aut quid non auſurum eum, qui, poſt pulſum ignominioſe Lutetia regem,
HENRICUS III. cum illatae tantae injuriae fructum capiat, ut non ſolum ipſum ab ultionis metu rex ſecurum eſſe jubeat, quae gratia ſumma eſſet, ſed, ultro condonata religionis cauſae et publicae quieti injuria, dignitatem ejus, per quem injuria illata eſt, nova potentiae acceſſione amplificet? Nec enim exſpectandum eſſe, ut homo male ſibi conſcius tantum beneficium quo par eſt animo ſit accepturus, quin potius id metu, aut, ultione in tempus opportunum dilata, per diſſimulationem factum interpretaturum; nec dubitandum eſſe, quin ille armorum in Gallia potens ex aliena patientia propriam virtutem faciat, aut ſtructis ſimulate inſidiis aperto facinore praevertat: itaque minime regi committendum, ut hominem audaciae nimiae et fortunae illecebris ebrium per abrupta et praecipitia nutantem aucta potentia impellat. Haec in arcano Nivernius regi inſinuabat: palam, ut ſe ab aemulatione et livore abeſſe oſtenderet, et nihilominus modeſta in ſpeciem excuſatione revocandi beneficii neceſſitatem ipſi imponeret, literas ad eum dat VIII Eid. Sextil. in conſiſtorio publice recitandas, quarum haec ſumma erat: Huc uſque de exercitu in Pictones deſtinato et ſibi commiſſo diſtuliſſe ſententiam promere, quod imparata videret omnia, ac tantis anguſtiis aerarium premi, ut duobus exercitibus alendis, quorum alter in Delfinatum ſecundum ſecretas conventiones mitti debet, par eſſe non poſſit: ea propter nunc, quam demiſſe poteſt, regem orare, ut in bonam partem accipiat, ſi provinciae demandatae onus deprecetur, ab eoque excuſari petat; quippe qui praevideat fore, ut, ſtipendiis non perſolutis, bellum hoc, quod religionis bono et populi levamento ſuſcipitur, utrique damnoſum, regi vero dedecoroſum, ſit futurum: ſic ſe olim ante XI annos, cum eadem provincia ultro deferretur, ſe excuſaſſe, idque regem in bonam partem accepiſſe: idque tunc firma adhuc valetudine ab ipſo impetraſſe, ne bellum, cujus praecipuus auctor jactabatur, non tam religionis ergo quam privatae ambitionis cauſa ſuaſiſſe videretur: eaſdem ob cauſas olim Burgundiae duces et Nivernenſeis comites a ſuprema belli contra Albigeos ſuſcepti, cujus cura Simoni Monfortio poſtea demandata eſt, praefectura ſe excuſaſſe: nunc, ingraveſcente aetate et adverſa valetudine, ſe minus bello habilem; et multos in regno futuros, qui neceſſariis ad munia militaria obeunda animi et corporis dotibus inſtructiores onus hoc ſuſcipiant: ut tamen ſolemni nuper pro religionis defenſione juxta edictum praeſtito juramento ipſe, quantum in ſe eſt, ſatisfaciat, oſtendatque onus hoc minime deprecari ut vitae propriae boniſve parcat, ultro ſe ad triennalem militiam obligare cum C nobilibus egregie inſtructis, quos ſuis ſumptibus toto illo tempore ſit alituros; nec recuſare, ut ipſe privati loco ſub quolibet imperatore a rege deligendo militet: idem ſi alii, qui poſſunt, principes, proceres, civitates faciant, abunde regi futurum, unde exercitus ad bellum conficiendum idonee potenteis alere poſſit: in id ſe apocham XLVI CIƆ aureorum, quae pro partis hereditariae ſupplemento ſibi a ſereniſſimo Mantuae duce nepote ſuo debentur, a Friderico [a] Cuſano trapezita Mediolanenſi proximis nundinis Lugduni exſolvenda, depoſiturum; quae cautionis loco ſint, ſi ſe ante triennium exactum mori contingat. Iiſdem literis regi ſuadebat Nivernius, ut indulgentiarum, quas vocant, diploma a pontifice impetraret, quo cuncti cruce ſignare ſe, et huic ſacrae militiae, qui arma ferre poſſent, nomen dare juberentur; qui non poſſent, pueri, ſenes, foeminae, pecuniam in eam conferrent. Lectis in conſiſtorio literis et re agitata, gratiam Guiſio ut imprudenter factam rex revocare voluit: ſed a regina, annitente [b] Villaregio, ſeu victus ſeu perſuaſus, mutavit; cum dicerent, pacis, quae tanti conſtitiſſet, negotium hac lege tranſactum haud levi de cauſa turbari debere; neque prudentiſſimo principi committendum, ut, dum

INTERPR. [a] *Cuſano banquier de Milan.* [b] *de Villeroy.*

dum inanes titulos, ſumma rerum penes ſe manente, Guiſio invidet, regni quietem CIƆIƆLXXXVIII ac propriam temere in diſcrimen devocare videatur. Itaque tandem diploma Guiſio HENRICUS III. traditum; verum ita in ſpeciem aegre, ut non tam id regi debere ſe quam a nolente propter merita extorſiſſe exiſtimaret. Neque vero inanibus titulis contentus fuit, ſed, per illam conceſſionem fiducia ſumpta, de plena [a] magiſtri equitum dignitate non regis beneficio ſed ordinum regni decreto conſequenda poſtea cogitare coepit. Qua re cum extremam regis patientiam tentaſſet, poſtremo eum ad deſperationem adegit, et priſtinae clementiae oblitum ſumma cum ipſo remedia experiri coegit: ab eoque tempore a prudentioribus in aula animadverſum eſt, regem ſuſpecta deinceps reginae parentis conſilia habuiſſe, et, cum inconſulta ea res per ſe adminiſtrare in animum induxiſſet, ob id de removendis a latere ſuo praecipuis conſiliariis ac Villaregio inprimis conſilium cepiſſe.

XX. Guisio ea dignitate ornato, reſtabat, ut Carolus cardinalis Borbonius, quem ille tanquam larvam alienis nervis mobilem populis oſtentabat, aliqua et ipſe dignitate cumularetur: quae, licet quantum ad ipſum inanis, tamen longe maximum ad res novandas et legitimae ſucceſſionis turbandum ordinem, quod unum ſatagebat Guiſius, momentum attulit. Igitur, condito XVI Kal. Septembr. edicto ad paſcendum [α] deliri ſenis ebrium ambitione animum, jus ei tanquam proximo regis agnato tributum creandorum per ſingulas regni civitates, urbes, oppida opificum, quod jus eſt ipſi regi reginaeque, primis regni auſpiciis, in laeto, quem vocant, ingreſſu, cum Delfinus eis naſcitur, aliiſque pro arbitrio (nam id non ita definitum eſt) laetitiae temporibus; inſuper conceſſum, ut domeſtici ejus eodem jure quo regis domeſtici, quantum ad privilegia, cenſerentur, hoc eſt, a tributo, quod plebs ubique penſitat, immunes eſſent, et de eorum cauſis apud eoſdem judices, qui de cauſis domeſticorum regis cognoſcunt, iretur. Eam gratiam tanquam proximo regis agnato factam, nam hoc verborum temperamento rex uti voluerat, ne jactatam de regni ſucceſſione controverſiam inter Carolum patruum ac Navarrum Antonii familiae Borboniae principis filium hoc veluti praejudicio decidiſſe videretur, factioſi ad jus in regnum ſuccedendi porrexerunt: nam Antonius Hotmanus Franciſci juriſconſulti frater, vir doctrina praeſtans, verum qui alios longe a fratre de republica ſenſus haberet, edicto in ſenatum allato benignitatem regis laudavit, qui bene meritum de ſe ac religionis cauſa agnatum debitae praerogativae honore decoraſſet: eundem honorem olim a Franciſco I Carolo Alençonio, qui et ſororius ejus erat, tanquam proximo agnato delatum, ex cujus ſorore Franciſca ipſe Carolus ſit prognatus, cum paternum genus ad Robertum [b] Claromontanum comitem B. Ludovici filium referat, a quo B. Ludovico rex recta et per maſculos ſemper deducta ſerie originem repetat: eam gratiam Carolum non ſolum pro certiſſima egregiae erga ſe voluntatis declaratione accipere, ſed ita exiſtimare, juris ob proximitatem competentis in dubium revocatam praerogativam hac conceſſione confirmari. Poſtea et peculiari libro, quem conſultationi a Franciſco fratre pro Navarro editae, de qua ſuo loco diximus, oppoſuiſſe videri voluit, rationes amplificatae. Sic enim diſſerit; proximum in regno, quod ſucceſſione defertur, ſuccedere debere: proximitatem vero ſecundum regulas hereditatum cenſeri; nam regnum Franciae hereditarium eſſe: proximiorem autem regi e regio ſanguine prognatum principem dici poſſe, quotocunque gradu a communi ſtirpe abſit: igitur proximiorem regi agnatum eſſe, qui proximior eſt gradu; nam nullam in ſucceſſione tranſverſaria repraeſentationem, quam vocant, fingi

VAR. LECT. [α] deliri *deeſt* Ed. Gen. 1620, *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeritur*, *e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerptum.*

INTERPR. [a] *Conneſtable.* [b] *le comte de Clermont.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III.

fingi poſſe, niſi quando de patrui hereditate agitur; et ſucceſſionem regni non directam, ſed tranſverſariam eſſe, quoties is cui ſucceditur nullos liberos relinquit: neque enim in ſucceſſione, quae per tranſverſariam lineam defertur, primogeniturae locum eſſe. Haec in genere luculenter eo libro diſputantur; quae in privatorum cauſis fortaſſe obtinere poſſint, ſed in regni ſucceſſione per maſculos ſemper deducta, in qua in infinitum repraeſentationi locus eſt, non niſi calumnioſe ac ſeditioſe in diſputationem vocari debuerunt. Et, quia Carolo objiciebatur, quod pactis dotalibus inter Navarrum et Margaritam regis ſororem initis tutoris nomine interveniſſet, et Navarrum omni jure ceſſo tanquam principem familiae agnoviſſet, multa cavillatorie eodem libro ad extremum addebantur; quibus oſtendebatur, Carolum ſucceſſionum privatarum juribus inter ipſos controverſis quidem ceſſiſſe; ceterum praerogativae in regnum ſuccedendi, quando id expreſſe dictum non eſſet, minime renunciaſſe. Itaque tandem colligebat libri auctor, ex reſcripto Diocletiani et Maximiani in codicem Juſtinianeum, ubi de ſucceſſionibus communia traduntur, relato, patruo priori quam conſobrino, qui ſequentem gradum obtinet, deferri ſucceſſionem certi juris eſſe. Haec ad ſolicitandam regni quietem, et ea in dubium revocanda quae hactenus concordibus Gallorum animis fixa ac rata fuerant, a factioni foederatorum addictis ingenioſe excogitabantur.

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS SECUNDUS.

EPITOME.

AUDAX contra Eſpernonium inita Engoliſmae conſpiratio. Origo ejus, et regis conſilium. II. *Jo. Bordii Hoſſaei a Navarro ad Eſpernonium itationes.* III. IV *Eid. Sextil. factus a conjuratis ad arcem et caſtellum, in quo Eſpernonius erat, impetus. Summa virtus et praeſentia animi in Eſpernonio; qui, conjuratis e nobilitate urbe faceſſere juſſis, et gratia oppidanis facta, motum compreſſit: cujus culpam cum in Villaregium rejiceret, et per literas apud regem de injuria expoſtularet, rex rei invidiam in ſe derivavit, et nihil niſi juſſu ſuo factum affirmavit.* IV. *Retractatum de Aureliano negotium.* V. *Cum intercederent Balſaci, ex eo alienari a Villaregio rex coepit; quem ab aula relegat, et cum eo Petrum Brulartum et Cl. Pinarium a ſecretis epiſtolis, Pomponium Bellevreum, et ipſum cancellarium. Martinus Ruzaeus Bellilocus et Ludovicus Revolius ab epiſtolis aſſumpti.* VI. *Evocatus et Roma Arnoldus Oſſatus, et e Seguſianis Petrus Moiennus, qui ſe excuſarunt. Procuratio ſigillorum Franciſco Montholono attributa.* VII. *Factum comitiis initium a ſupplicationibus publicis* IV *Non. Octobreis, quae demum* XVII *Kal. Novembr. inchoata ſunt. Ordo et pompa comitiorum.* VIII. *Rex ordines longa et compoſita oratione alloquitur.* IX. *Regem dicentem excepit Montholonus, et ejus egregiam voluntatem et reginae parentis merita exaggerat.* X. *Pro ſacro ordine verba fecit Reginaldus Belnenſis Biturigum archiepiſcopus.* XI. *Pro nobilitate Claudius Belloſremontius Seneſcaeus: pro tertio ordine Michael Martellus Capella, per ſeditionem nuper mercatorum praefectus Lutetiae creatus.* XII. *Biduo poſt conventum, et unionis edictum pro fundamentali regni lege publico praeconio promulgatum fuit.* XIII. *Sueſſio paulo ante relicto Navarro ad regem redierat; cui in arcano a cardinali Mauroceno pontificio legato, quod Navarri partes ſecutus eſſet, venia impertita. Intercedunt Lutetiae ſeditioſi.* XIV. *Sabaudus per has turbas Saluciarum principatum in Subalpina provincia occupat. Guiſii ſuper ea re ad Sabaudum advocationem petentem reſponſum. Per Alimium excuſationes a Sabaudo propoſitae minime in bonam partem a rege acceptae. Bellum, cum initio factioſi in comitiis reclamarent, tandem annitente ipſo Guiſio ad eluendam invidiam contra Sabaudum communi ordinum conſenſu decretum.* XV. *Libellus Veracis titulo tunc evulgatus a Michaele Huralto Hoſpitalio; cujus lectione cum ſumme gaviſus eſt Guiſius, tum vel eo maxime animos ſuſtulit, quod regis debilitatem illo argui cerneret: quod rurſus regis deſperationi facem ſubdidit.* XVI. *Miſſus Jo. Angenneus Poignius ad Sabaudum, qui captas urbes reſtituere recuſanti bellum denunciaret. Datum et negotium Piſanii marchioni apud pontificem oratori, ut de tanta injuria apud eum expoſtularet, et jus quod in principatu illo regi competebat, quod in dubium revocabat Sabaudus, prolatis teſtimoniis demonſtraret. Sabaudi ambitio Alimii ſana monita repudiat. Ejus ad Helvetios itidem optimos monitores reſponſum. Bellum in ſpeciem contra Genevam paratum.* XVII. *Ferdinandus Medices cardinalis dignitatem renunciat, et Chriſtiernam Claudiae regis ſororis et Caroli Lotharingiae*

ducis

ducis filiam in uxorem accipit. Fiduciariae nuptiae Bloeſis celebratae. XVIII. *Caſus ſub id intervenit mali ominis, rixa a nobilibus pueris Borboniorum et Guiſianorum ſub noctem excitata, in qua unus et alter occiſi. Id majoris motus exulceratis animis principium eſſe potuit, anxio interim rege et Guiſio, qui in cubiculo regis erat; qui tandem quievit.* XIX. *Res interea in Pictonibus a Navarro geſtae. Obſidio Montis acuti ſoluta. Bellovarium admotis tormentis a praeſidio deditum.* XX. *Rupellae Proteſtantium celebrata comitia* XVIII *Kalendas Decembreis. De diſciplina militari leges contra dejeratores, ſtupra, raptus, latrocinia renovatae; tum de aerario et belli ſumptibus amplius diſputatum.*

EX AUCTORIBUS,

Petri Delbenii relatione, Nicolai Neovilli Villaregii apologia, Joannis Hoſſaei Bordii relatione, Actis comitiorum et orationibus utrinque publicatis, Navarri diario militari.

LIBER NONAGESIMUS SECUNDUS.

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

SUB id de irrito conjurationis contra [a] Eſpernonium [b] Engoliſmae initae exitu allatum eſt. Huic cauſam dediſſe occultas [c] Villaregii cum eodem Eſpernonio ſimultates vulgo creditum eſt, inde exortas, quod ſuperiore anno, cum rex contra auxiliarem Germanorum exercitum profectus ad [d] Fanum Aniani in Biturigibus caſtra metatus eſſet, Eſpernonius contumelioſis verbis coram ipſo rege Villaregium excepiſſet, perfidiam et praevaricationem in foederatorum cauſa ei objectans: quibus mente alta repoſitis cum animadverteret regem Eſpernonii pertaeſum alieniore erga eum animo in dies eſſe, occaſionem captaviſſe, dum hinc inde ob pacis negotium commeat, Eſpernonii in regis invidiam trahendi, cum oſtenderet, nulla majore invidia, non ſolum apud foederatos proceres, ſed univerſum populum, flagrare regem, quam ob nimia collata in Eſpernonium beneficia, et potentiam cunctis formidandam ei attributam. Itaque rex, quem jam faſtidium Eſpernonii ſuccreſcentibus novis affectibus ſubierat, cum abſentem quam praeſentem mallet, et perſpectos hominis ſuperbos et ſupra fortunam elatos ſpiritus haberet, veritus ne ex repulſa animum ad res novandas in illis provinciis appelleret, facile ſe adduci paſſus eſt, ut de ipſius potentia imminuenda cogitaret. Cumque [e] Vernonii eſſet, [f] Autricum poſt factam pacem repetiturus, literas ad [g] Lupiacum Tajanum dederat, a Villaregio ſubſcriptas, quibus ei mandabat, nec non [h] Normano conſuli urbis, Franciſco [i] Nemondo praetori juridico, et Petro [k] Bordio arcis praefecto, ne quenquam cujuſcunque conditionis et quavis auctoritate fretum cum viribus intra urbis ſuae moenia acciperent, donec alteris literis, quas mox ad eos daturus eſſet, voluntatis ſuae certiores fierent. Hae non niſi poſt tertium ab Eſpernonii in Engoliſmam ingreſſu diem acceptae ſunt: is enim, aliquandiu poſt ſuum ab aula diſceſſum [l] Lochiis in Turonibus commoratus, cum ab amicis, quos circa regem habebat, monitus eſſet, multa per abſentiam ſuam in ipſius invidiam a malevolis confingi ac jactari, eorum machinationes feſtinata profectione antevertit, ut Engoliſmam urbem, et ingenio loci et opportunitate ſitus ad ſecuritatem et res magnas in [m] Aquitania gerendas idoneam, in poteſtate haberet.

INTERPR. [a] *le duc d'Eſpernon.* [b] *Angouleſme.* [c] *de Villeroy.* [d] *St Aignan en Berry.* [e] *Vernon.* [f] *Chartres.* [g] *de Lupiac Sr de Tajan ou Tagens,* [h] *Norman, le maire.* [i] *Neſmond lieutenant-general.* [k] *des Bordes gouverneur de la citadelle.* [l] *Loches en Touraine.* [m] *Guienne.*

haberet. Ea ad [a] Carantonum poſita [b] Lemovices ad ortum, [c] Pictones ad ſeptentrionem, [d] Santones ad occaſum, [e] Petrocorios ad meridiem, circumjectos habet: praealto colli inſidet, arce, quam Bordius cum praeſidio tenebat, et caſtello minime munito, ſed amplis aedificiis commodo, in quo Tajanus et ipſe Eſpernonius hoſpitium habebant, nobilis, et circumpoſitas provincias quaſi ſuperbe deſpiciens.

II. *Missus* eo ad Eſpernonium a Navarro officii cauſa, re vera ut homini opibus, *clientelis*, ac praefecturis praepotenti, quid animi eſſet coram exploraret, Joannes [f] *Hoſſaeus* Bordius fidus ſibi et multo rerum uſu expertus. Is in occulto oſtendebat, commune illi cum Navarro a foederatis periculum impendere; ipſum nuper eorum, quos nimis multos rex circa ſe habeat, Guiſianis obnoxios, factione ex aula pulſum; non heic conſtiturum hominum, qui ſcelerata audacia rempublicam perditum eunt, conatum, cum ex voto procedere initia viderint: igitur concordia opus eſſe inter eos, qui regi, qui nomini Gallico bene volunt; ne, qui conjunctis viribus ad revincendam eorum conjurationem pares eſſe poſſunt, ſinguli ac diviſi a confertis carpantur: proinde mature opes ac conſilia ſociet, neque committat, ut, dum praepoſtera prudentia tempus perire ſinit, una ſibi oblatam rerum agendarum occaſionem intempeſtiva procraſtinatione e manibus eripi patiatur. Ad quae Eſpernonius, poſt actas prolixe Navarro gratias, quod, ut commune utrique periculum, ita communem fortunam ſubeundam offerat, ſociare vireis et conſilia ſe paratum demonſtrat; ſed cupere, ut res initio tegatur: magnam ſe jam non ſolum apud regem, ſed ubique in Aquitania, ſuſtinere invidiam, quod cum ipſo occultam ſtudiorum conſenſionem habere dicatur; et nihil in eo negotio velle aut poſſe facere, antequam cum Momorantio et Valeta capita contulerit: cumque provideat, magnae molis bellum impendere, nolle vacuis manibus, atque adeo praecipuo belli nervo deſtitutum, ad ipſum accedere: ſibi a Sebaſtiano Zameto CCC aureorum millia, et altera XLCIↃ a [g] Bandinio deberi; quae illi exſolvere, turbata Lutetia, ſine Guiſii aliquo favore poſſe ſe negant: itaque neceſſitatem ſibi impoſitam, ut ea de re per Zametum cum Guiſio agi paſſus ſit: ab eo autem ſpem factam, ut certis conditionibus ſibi ſatisfiat; quae hujuſmodi ſunt, ut ſocietatem, quam cum Navarro inire jampridem apud ſe conſtituerit, minime impedire poſſint: ſed diſſimulatione et ſecreto ad aliquot dies opus eſſe, ut ſuum recipere, et ex eo ad belli uſum Navarro ſubvenire poſſit. Ita primo remiſſus Bordius, prius monito Eſpernonio ut ſibi a Guiſio caveret, quem et infeſtum ſibi non ignoret, et id agere ſciat, ut ipſum vana ſpe lactet, interea potentiam ſuam adulta factione in aula et per urbes firmet, et ad extremum regem in poteſtate habeat. Acceptus perhonorifice Engoliſmae a praefectis et cunctis urbis ordinibus Eſpernonius, cum nobilitati, quae undique ad eum ſalutandum confluebat, comiter excipiendae intentus eſſet, dum munitiones deſignatas feſtinatis operibus urget, haſtiludiis ac nobilibus equorum moderandorum exercitiis ſe oblectans, conſul aliique, ſive foederatae factionis, quae totum regnum pervaſerat, labe infecti, ſive erga Eſpernonium, quem veniſſe jugum cervicibus ſuis impoſiturum ſibi perſuaſerant, male animati, ex occaſione alterarum regis literarum conſilium ſecretum cum aliquot ex nobilitate ineunt; quorum praecipui fuere David [h] Bochardus Albaterrae regulus, Benedictus [i] Combaldus Mereus, [k] Froterius Meſſelerius, [l] Maquevolius, alii: et ex communi conſilio [m] Suchetus conſulis ſororius in aulam ad [n] Villaregium mittitur, ſine literis, ne, ſi capi eum in itinere contingeret, ex iis res noteſceret. Mandata ei in occulto data, ut nomine civitatis, quod

INTERPR. [a] *la Charente.* [b] *Limouſin.* [c] *Poictou.* [d] *Saintonge.* [e] *Perigort.* [f] *de Houſſay Sr de la Borde.* [g] *Bandini.* [h] *Bouchard baron d'Aubeterre.* [i] *Combauld Sr de Meré.* [k] *Frotier Sr de la Meſſeliere.* [l] *le Sr de Maquevolles.* [m] *le Souchet.* [n] *de Villeroy.*

CIↄIↄLXXXVIII
HENRICUS III.

quod Eſpernonius acceptus eſſet, apud regem excuſaret: non enim civeis de voluntate ejus in tempore cognoviſſe, et alioqui ex ampliſſimis, quae a rege ſigillo regio firmata habebat, mandatis conſtitiſſe, id regis voluntatis eſſe, ut Eſpernonius cum plena poteſtate non ſolum civitati, ſed toti vicinae regioni ac [a] Santonibus praeeſſet; eodemque diplomate praecipuum fuiſſe, ut omnes urbium et oppidorum moderatores ac magiſtratus ei, tanquam regias vices in iis obeunti, parerent, et ad omnia praeſto eſſent: itaque eum a cunctis civitatis ordinibus perhonorifice propter memoriam priſtinae gratiae, qua apud regem floruerat, exceptum fuiſſe; ſed acceptis regis literis cum cognoverint, regem eandem poteſtatem ampliſſimis mandatis illis attributam abrogare, ſtatim in aulam miſiſſe, ut de voluntate regis coram certius cognoſcerent: non enim animos civibus deeſſe; et, ſi rex jubeat, nihil in eo negotio tam graviter peccatum eſſe, quin corrigi poſſit: obſervaſſe illos, Eſpernonium quotidie ad equorum exercitia mane urbe egredi ſolitum, cum tota, quae in ejus comitatu eſt, nobilitate; portas redeunti a ſtationibus, quae oppidanis conſtant, claudi, moxque caſtellum et arcem ducta foſſa facile cingi poſſe, ita ut obſeſſi auxiliorum ſpe omnino excludantur: interim nobilitatem advolaturam, ubi de regis voluntate certior facta fuerit: nam alioqui ſuſpectam cunctis Eſpernonii potentiam, et vulgo perſuaſum eſſe, ipſum perniciosa cum Navarro contra regem ac religionis cauſam conſilia agitare. Villaregius, viſo homine, non ſtatim fidem habuit: dein ex indiciis confirmatior eum ad regem introducit, qui audito illo laudat Engoliſmenſium fidem, et ut in conſtantia perſeverent hortatur; ceterum non ſatis eſſe oſtendit, ut Eſpernonius urbe pellatur, quem ob pacem factam et occultam de primariis muneribus eo ſpoliando conventionem admodum exaſperatum ſciat, et proinde ſuſpectum habeat; cupere inſuper eum in poteſtate habere, ut capto neceſſitatem imponat, [b] Bononiae et Divoduri Mediomatricum, quae tradere recuſat, reſtituendorum: nam haec recipere ab eo velle, praefectura provinciae penes eundem manente. Ad haec Suchetus, paratos ſemper fore Engoliſmenſeis imperata exſequi regi confirmat, quaeque imperarentur ſumma fide ſe ad ſuos relaturum, brevique fore ut rex deſiderio ſuo plene ſatisfactum intelligat. Ita Suchetus, qui ſine literis venerat, ſine literis remittitur. Cum vero poſt petitum a rege commeatum, magnitudine facinoris maturius apud ſe penſitata, haereret, rurſus Villaregium convenit, et ſibi rem altius perpendenti conatum difficiliorem quam heri, cum regem alloqueretur, viſum dicit; non quod de exitu et animis civium in re aggredienda dubitet, ſed quod vereatur ne Eſpernonius vita ſalva, quod rex cupiat, capi poſſit; vix enim hoc praeſtari poſſe: nam et ſe ſtrenue Eſpernonium defenſurum, et in conflictu par utriuſque partis periculum futurum. Quo audito Villaregius reſpondit, meminiſſe illum debere, quid rex velit ac jubeat, nimirum ut vivus Eſpernonius in manus civium veniat, ob eas quas dixit cauſas; quod ſi ita judicet, ut res citra civium aut ipſius Eſpernonii vitae diſcrimen confici non poſſit, ſatius ducere, ut quod prius ab eo propoſitum ſit conſilium ſequantur, et portas egreſſo occludant: ſi nihilominus regem conſulere velit, patere ei ad illum aditum. Renuente Sucheto et periculoſam diuturniorem ſuam in aula moram dictitante, Villaregius hominem dimittit ſine literis; qui ſubito Engoliſmam revolat, et colloquii regii fiducia conſcios ad rem tentandam animat, allatis etiam, ut jactabatur, ad Albaterrae regulum ſecretis mandatis, qui, ſi res ſuccederet, praeſto conſciis adeſſe, et provinciae, donec rex de ea decreviſſet, praeeſſe jubebatur.

III. PAULO ante Eſpernonius Tajanum cum equitatu delecto in Santones miſerat, ut de hoſtibus, qui crebras excurſiones faciebant, cognoſceret. Inde capta occaſio rei

INTERPR. [a] *Saintonge.* [b] *Boulogne, & Mets.*

rei maturandae. Dicta dies ad IV Eid. Sextil. B. Laurentio ſacrum; quo Eſpernonius mane ad [a] hippodromum, ut corpus exerceret, more ſolito egreſſus, [b] conſulem ac primarios civeis, qui ad ſpectaculum venerant, obvios habuit, benigne appellavit, et, cum jam inſtaret hora, in [c] caſtellum reverſus eſt, ut corpore curato ad ſacrum audiendum ſe conferret. Ejus uxor jam ad Dominicanorum cum aliquot ex nobilitate perrexerat; et cum ſub id [d] Bordius arcis praefectus negotiorum cauſa, et occultae, uti aiebat, conjurationis contra regem initae ſpecie, a conſule evocatus eſſet, in aedibus ſuis ſiſtitur. Tum conſul cum XL delectis ſubtus armatis ad caſtrum contendit, quorum partem ante caſtri portam relinquit, ut ſigno dato ſtationariis diſturbatis eam occuparent. Ipſe cum X, quibus magis fidebat, adductis inſuper ſecum duobus hominibus ocreatis, quos a rege miſſos aiebat, arcem intrat, a ſtationariis facile admiſſus, et recta in cubiculum interius Eſpernonii tendit, qui tum forte interulam ſumebat, et cum Claudio [e] Inſulano Marivallio et Petro [f] Delbenio ſibi familiaribus privatim confabulabatur, horam, qua ſacerdos ipſius ad ſacrum faciendum in proximo [g] Eparchii fano paratus eſſet, opperiens. In [h] procoetone erant [i] Rolliartius, [1] qui ſororem Eſpernonii in matrimonio habebat, Seguentius ab epiſtolis, [k] Raphael Hieronymius Florentinus, et [l] Sorlinus chirurgus. Eodem venerat Petrus [m] Albinus tribunalis regii aſſeſſor, qui res Eſpernonii iſtic procurabat, de conjuratione per occultos rumores quae cognoverat ipſi renunciaturus. Ad eos ingreſſus conſul cum ſuis Sorlinum primo aggreditur, adductoque ſcloppeto petit, qui ſtricto protinus gladio conſulem in capite ferit. In Hieronymium ab aliis eodem tempore factus impetus, qui unum ex illis collo apprehenſum humi ſternit, alios treis gladio ſauciat, et in cubiculum ſemper feriendo pellit, inde Eſpernonium abeſſe clamans; tandemque inter pugnandum ſcloppeto petitus cum concidiſſet, ictibus gladiorum a percuſſoribus confoſſus eſt. Interea Sorlinus in inferius coenaculum deſcendit, et familiam ad arma ſumenda ciet. Illi comprehenſis verubus cum vim facturi eſſent, ab iis qui cum conſule erant, occluſis aulae foribus, prohibiti ſunt. Ad ſignum datum ſubito tintinnabula per urbem, quod in ſeditione fieri amat, pulſata, et plebs arma ſumit. Inde ſtrepitu excitatus Eſpernonius, et qui cum eo erant, conclave arcis admotis ſcamnis occludunt, monentique conſuli ut ſe dederet, imperterrito animo mortem et ſupplicium minatur tanquam proditoribus: qua voce audita, animis, ut poſtea conſtitit, conciderunt. Conjurati extra caſtellum relicti cum portam occupare conarentur, a nobilitate, quae in ima curte Eſpernonium exiturum praeſtolabatur, non citra certamen repulſi ſunt. Defenſores praecipui fuere Franc. [n] Juſſacus Amblevilla, Rogerius Convena Sobollius, Belloreparius, Baretius copiarum militarium juridicus praefectus, qui cum Bellorepario in conflictu interfectus eſt, et unus ex ſtipatoribus [o] Claverius graviter vulneratus. Antequam porta caſtelli clauderetur, quidam ex nobilitate, qui extra deambulabant, a ſtationariis, quibus [p] Baronius et Artigius ordinum ductores praeerant, [2] interea accepti ſunt, et in iis Carolus [q] Lucemburgus Brienniae comes, qui Eſpernonii ſororem alteram in matrimonio habebat, [r] Goas, Miranus, Coſta, Aemarius, alii; qui primo attoniti, quod

Eſpernonium

INTERPR. [a] *le Manege.* [b] *le maire.* [c] *Chateau ou Maiſon du Roy où loge le gouverneur.* [d] *des Bordes.* [e] *de l'Iſle Marivaux.* [f] *l'Abbé Delbene.* [g] *l'egliſe du petit St Cibar.* [h] *l'antichambre.* [i] *Rouillart & Seguencio ſecretaires du duc.* [k] *Raphael Girolami gentilhomme Florentin.* [l] *Sorlin chirurgien du Roy.* [m] *le Sr Aubin conſeiller du Roy au ſiege preſidial d'Angouleſme.* [n] *de Juſſac Sr d'Ambleville, R. de Comminges Sr de Soboles, de Beaurepaire, & le prevoſt Barets.* [o] *le Sr de la Claverie.* [p] *les capitaines Baron & l'Artigues.* [q] *de Luxembourg comte de Brienne.* [r] *de Goas, Myran, la Coſte, & des Emars.*

NOT. [1] *dele* qui ſororem Eſpernonii in matrimonio habebat, Seguentius; *lege* et Seguentius duci ab epiſtolis, *Put.* *Rouillart* n'étoit pas beaufrere du duc, mais bien ſon ſecretaire. M. de Thou trompé par la reſſemblance du nom le prend pour Jacques Goth marquis de *Rouillac* qui epouſa Helene ſœur ainée du duc d'Eſpernon. *C.*
[2] *potius* intro.

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III.

Eſpernonium occiſum rebantur, mox animos colligunt, et ſe [a] Amblevillae et Sobollio conjungunt, fide data non ſe deſerturos, ac ſimul, ſi caſus ferat, mori paratos. Tum ex familia ac ſtationariis quicunque ſupererant ad ſe contractis, recta ad Eſpernonii cubiculum tendunt. Conjurati januam cum perrumpere non potuiſſent, inde per proceſtrium quaſi turrem caſtelli occupaturi ſe ſubduxerant; ſed inſequentibus nobilibus retardati in conclave turri proximum deflectunt, amiſſo interim [b] conſule, dum per [c] cloſtellum inconſiderate reſpiceret. Dilapſis conjuratis et audita Sobollii voce, Eſpernonius reſerata janua confeſtim cum [d] Marivallio et Delbenio, ſtrictis gladiis et adductis ſcloppetis, exit. Sed anguſtia ſcalae, per quam ad conjuratos eundum erat, eum aliquandiu dubium tenuit, cum ecce ab ancilla monetur, fratrem conſulis per foramen muri in pomoerium eniti. Itaque, appoſitis tribus ad conclavis oſtium cuſtodibus, ne incluſi egrederentur, ad murum apertum continuo advolat, et jam ingreſſum cum altero comite obtruncat. Inde, relictis aliquot qui locum ſervarent, ad alteram caſtelli portam feſtinat, quam conſcii, qui priorem portam occupare non valuerant, admotis crepitaculis effringere conabantur. Eam cum XV, quos ex omni numero penes ſe habebat, terra, ſaxis, tabulis, et alia materia obſtruit; ac, diſtributis per loca idonea qui aditus ſervarent, ad omnes caſus praeſto erat. Sed perplexum eum habebant duo, et quod nulla in caſtello annona eſſet, et ex arce nulli ſcloppetorum aut tormentorum ictus exaudirentur, cum grandine ſcloppetorum ex vicinis caſtello domibus, quas complices inſederant, ipſe cum ſuis aſſidue infeſtaretur: neſciebat ſiquidem Bordium in urbe captivum attineri, et ſuſpectum habebat praeſidiariorum ſilentium. Plebs autem furiata praeſidiariis, ſi vim facerent, Bordium ad ictus tormentorum, ipſo ad arcem admoto, expoſituram ſe interminabatur: neque tamen propterea Bordii vicarius et qui cum eo erant, in deditionem ut conſentirent adduci potuerunt; tantum, ut vitae praefecti ſui parcerent, ad aliquot horas vim inhibuerunt. Inde occaſione ſumpta conjurati in [e] conclavi caſtelli incluſi deditionem iis qui caſtellum tenebant imperabant; nam [f] arcem jam captam, et brevi fore, ut tormenta ex arce tranſlata contra caſtellum admoverentur. Eſpernonii uxor, quae ſacrum audiebat, ad primum ſtrepitum, fama artificioſe a conſciis ſparſa quaſi Hugonoti motum excitaſſent, dum trepida fuga ſe in arcem recipere conatur, a [g] Seguentio et Piali deducta, diſturbatis illis et graviter vulneratis, captiva ſiſtitur, et plerique e nobilitate, qui viro ejus addicti in urbe diverſabantur, Gilbertus [h] Cureus, Coſae regulus, Berardus Blereus, Memmius, Auguſtinus Ramellius muniendorum locorum apprime peritus, qui novae munitionis extruendae auctor fuerat. Cureus et Memmius cum in arcem tenderent contra Hugonotos, ut aiebant, pugnaturi, haſtarum ictibus a plebe prohibentur, vixque periculo mortis, protegente eos [i] Altoclaro e vicina nobilitate, erepti ſunt. Ramellius et vitae diſcrimen adiit, cum per pomoerium in arcem confugeret, et ad epiſcopi aedeis receptum habuit. Inter haec Eſpernonius curſorem pediſſequum per ſepti caſtello ſubjecti ruinam emiſerat, ut [k] Tajanum, qui [l] Mediolani Santonum erat, de re certiorem faceret, et cum auxiliaribus protinus venire ad ſe juberet. Pediſſequo a conſciis capto non tamen defuit Eſpernonio Tajanus, quippe aliunde de inopinato caſu monitus a quibuſdam nobilibus, qui ſub tempus tumultus, antequam urbis portae clauderentur, elapſi fuerant. Igitur cum per [m] Mereum, Meſſelerium, et alios conjuratorum duces, miſſo tympaniſta Eſpernonius dedere ſe juberetur, ille vultu imperterrito nuncium exceptum cum hoc nuncio dimiſit, brevi fore, ut aliter loqui cogerentur.

INTERPR. [a] *les ſieurs d'Ambleville & de Soboles.* [b] *le maire, qui fut tué au travers de la porte.* [c] *le guichet de la porte.* [d] *de l'Iſle Marivaux & l'Abbé Delbene.* [e] *le chambre du Chateau.* [f] *la citadelle.* [g] *Seguencio & Pial deux de ſes Ecuyers.* [h] *le Sr de la Curée, le baron de Coze, les ſieurs de Bleré, de Meſme, & de Ramel ingenieur.* [i] *le Sr de Haut-Claire.* [k] *le Sr de Tagens.* [l] *Saintes.* [m] *les ſieurs de Meré, & de la Meſſeliere.*

cogerentur. Nec plus aut periculo proprio uxor ejus, aut ipſe denunciato uxoris periculo territus eſt, cum conſcii eam ſe plutei loco contra caſtellum objecturos minarentur, aut denique pugionis ictu confoſſuros, niſi maritum ad deditionem adigeret: nam illa ultro ſe ad necem pro marito obtulit, ſibique viri decus ac ſalutem propria vita chariorem eſſe ſumma conſtantia oſtendit. Itaque ab oppidanis tentatum per [a] Burgoinum alterum conſulem colloquium; cum quo per [b] pomoerii anguſtam feneſtram Delbenius et Amblevilla agunt, et quo in periculo civitas verſetur demonſtrant; brevi Tajanum cum auxiliaribus adventurum; jam Eſpernonium obſeſſis in caſtello vitam condonaſſe, nec dubium relinqui, quin eandem gratiam oppidanis, qui imprudenter ſe ſeditioni immiſcuerint, ſit facturus; quod ſi pergant, Eſpernonium ad primum impetum eos interfecturum: poſtremo ſe pro civitate apud Eſpernonium interceſſuros ultro pollicentur. Sub id in caſtello obſeſſi, admoto ad januam igne, ſe dediderunt, conſule adhuc animam agente; qui ſtatim ex vulneribus obiit, ab Eſpernonio, ſicuti fama fuit, prius tortus, et de conjurationis auctoribus ac Villaregio inprimis, cui ille eam imputabat, inter tormenta interrogatus. Tum per deditos literas ad oppidanos ſcribi curat Eſpernonius, quibus orabant conciveis ſuos, ut ſui commiſeratione tangerentur; nam ſibi certum exitium impendere, ſi vis ab ipſis ad caſtellum fiat. Itaque rurſus remiſſus Burgoinus, qui aliquem ex ſuis in urbem mitti ab Eſpernonio peteret. Accepto obſide, is erat [c] regii fiſci patronus, Delbenius miſſus; qui obvios cum habuiſſet [d] Mereum, Meſſelerium, et alios, cum iis agere noluit, et ſibi ſtare dixit, ad [e] Eparchii Tiſonis Argentii, viri nobilitate primarii et arcta cum Eſpernonio amicitia conjuncti, aedeis proficiſci, et coram eo cum provinciae ſeneſcallo concordiae rationes inire. Ibi auditus in magiſtratuum et nobilium conſeſſu atrocitatem culpae contra Eſpernonium, et primariae dignitatis virum et regi fidum, ac majorum religioni inprimis addictum, admiſſae, multis verbis exaggerat; peccaſſe illos graviter in alterum laeſae majeſtatis caput; conſulem inſigni proditionis infamia ſe impiaſſe; cui, ſi ultra in incepto pergant, et ipſi ſint participaturi. Tum ſingulos ſeducit, et periculum commune ab ipſis Hugonotis imminere proponit, niſi mature concordia ſarciatur; facileque, cum alteri alteros reſpicerent, praecipuos civeis eo adducit, ut ingenue faterentur, ſe conſilii a conſule initi ignaros, poſt tumultum ab eo excitatum, cum religionem in periculo verſari crederent, arma ſumpſiſſe, ſublato eo metu ab iiſdem diſceſſuros. Cum conditiones accepturi viderentur, Mereus praecipuus ſeditionis incentor, quod unum ad diſturbandum pacis negotium ſuperabat, rurſus plebem ciet, ſpe facta ut mox [f] Albaterrae [1] regulus cum delectis copiis adeſſet; nam [g] Villaregium ad eum regis nomine ſcripſiſſe. Igitur plebs ſilentium Delbenio indicit, et, neceſſitate dedendi ſe Eſpernonio impoſita, ullas ſe alias conditiones accepturam negat. Delbenius, cum paulum ſe a periculo abeſſe cerneret, vix impetrato ut Eſpernonii uxorem captivam poſſet inviſere, ea ſalutata et nobilitati commendata, additis minis ſi quam ei injuriam facerent, propere in caſtellum ſe recipit. Poſtridie, ut terrorem obſeſſis injicerent conjurati, tintinnabula per templa, per vicos tympana, pulſari, et omneis in armis eſſe jubent; moxque quaſi in aciem inſtructi ad locum caſtelli admodum debilem, ut qui nullo propugnaculo defenderetur, crepitaculum admovent; quo ignem concipiente major fragor quam ruina edita. Nihilominus ad oppugnationem deſtinati gradum accelerant: ſed cum obſeſſos nequaquam animis infractos ad defenſionem parare ſe animadverterent, vim inhibent, et, tantum ſcloppetorum grandine

INTERPR. [a] *Bourgouin, maire.* [b] *par une canoniere.* [c] *procureur du Roy.* [d] *les ſieurs de Meré & de la Meſſeliere.* [e] *Cibar Tiſon Sr d'Argence.* [f] *le baron d'Aubeterre.* [g] *de Villeroy.*

NOT. [1] Il eſt maintenant Vicomte d'Aubeterre. *Put.*

grandine effuſa rem gerere contenti, ſenſim ſe recipiunt, amiſſo eo in conflictu ex ſuis [a] Floraco. Tubarum ſonitus ſummo mane e longinquo exauditus erat, quaſi [b] Tajani cum auxiliari equitatu advenientis. Id plebi irrito conatu ſe recipienti, quae promiſſa Albaterrani auxilia minime comparere, et arcis praeſidiarios tormentis detonare videret, ad Tajanorum conſpectum multum de priſtina ferocia ademit; captaque ex eo occaſione optimi quique inter eos periculum urbis veriti colloquium repetendum cenſent. Quod Eſpernonio cum ſignificatum eſſet, ille cum conditionibus, quibus ſibi ſatisfieri vellet, manu ſua ſubſcriptis rurſus Delbenium mittit; qui, licet aegre, quippe heſterni periculi memor, ad Argentii aedeis ſecuritate accepta contendit. Sed rurſus Franciſci [c] Golardi Toueraci adventu res turbavit, qui ſecum [d] Caſam Albaterranae turmae metatorem adduxerat. Is, Albaterranum die inſequenti cum IↃ peditibus et CCC equitibus venturum affirmans, plebi, Mereo inſtigante, facile perſuadet, ut colloquium abrumperet. Neque heic furor ſtetit; ſed Delbenium quaſi comprehenſum vi ad arcem rapiunt, praeſidiariiſque, ut a tormentorum diſploſione abſtinerent, imperare nomine Eſpernonii cogunt. Sub id Navarrus copias cogebat, ut expeditionem ad muniendum in [e] Ligeris oſtio [f] Lazarifanum, ſitu et commoditate opportunum locum, ſuſciperet: jamque ſe in viam dederat, cum de Eſpernonii periculo ex rumore intellexit; quo cognito, ut amici ſibi ſalutem chariorem quam propriam rerum curam eſſe oſtenderet, profectionem ſuſtinuit, et, antequam ulterius progrederetur, Franciſco [g] Rupifulcaudii comiti et Gaſpari [h] Fulcaudio Belloprato negotium dat, ut cum delectis Eſpernonio obſeſſo ſuppetias ferrent. Ii eodem tempore, quo Tajanus cum [i] Maumontio levis armaturae ductore ad ſuburbium venit, et ipſi in armis comparuerunt, magnumque terrorem oppidanis jam partium ſtudio inter ſe ſciſſis injecerunt: nam viſa ſeditioſis ſera in Albaterrani auxilio ſpes, quippe poſtridie tantum venturi; et, ubi adveniſſet, certum urbis ad praedam expoſitae periculum cunctis ante oculos obverſabatur. Itaque optimates civitatis in Caroli [k] Bonii epiſcopi aedibus conveniunt; conſilioque habito, cum jam periculo tam praeſenti plebis incenſae calor deferbuiſſet, ad Eſpernonium mittunt, et conditiones ab eo propoſitae, ut a Tajano ſubſcribantur, petunt, inſuperque caveatur de incolumitate eorum ac libertate quos in caſtello captivos tenet; idem ſe de captivis, quos in urbe tenent, facturos. Accelerandae conventionis utrique parti cauſam extitiſſe adventum Rupifulcaudii conſtat, cum et Tajanus decus liberati Eſpernonii ſibi eripi nollet, et Eſpernonius invidiam ab auxilio Navarri metueret; oppidani denique auxiliareis et Navarrenos inprimis in urbem introduci non niſi cum certo exitio exiſtimarent. Igitur inter partes ſub veſperam tranſactum, [l] Delbenio ultro citroque commeante. Mox dejecti per urbem [m] doliares plutei: Eſpernonii uxor honorifice ad maritum reducta, quae obſtructis portis caſtelli per ſcalam intro accepta eſt. [n] Bordius in arcem remiſſus; captivi utrinque libertati reſtituti: interfectorum conſulis ac fratris ejus corpora ad ſepulturam tradita, funebri pompa vetita. [o] Mereus cum ceteris e nobilitate foederatis abire permiſſus, et in tutum a Maumontio deductus. Tanto periculo defunctus eſt Eſpernonius, cum ipſe et qui cum eo erant totis XXX horis nihil cibi ſumpſiſſent, ad haec pulveris nitrati nihil reliqui haberent, magnumque rarae animi praeſentiae ſpecimen in revincenda illa conjuratione edidit; cujus cauſam cum in Villaregium initio rejiceret, poſtea ab alienata regis voluntate profectam eam certo comperit, experimentoque ſuo didicit, plus cuique in virtute propria, quae eripi non poteſt, quam

in

INTERPR. [a] *le Sr de Fleurac.* [b] *le Sr de Tagens.* [c] *Goulard baron de Tourac.* [d] *le Sr de la Caze mareſchal des logis de monſieur d'Aubeterre.* [e] *la Loire.* [f] *S. Lazare.* [g] *de la Rocheſoucaud.* [h] *Foucaud de Beaupré.* [i] *Maumont capitaine des chevaux legers.* [k] *Bonio Florentin.* [l] *l'Abbé Delbene.* [m] *les barricades.* [n] *des Bordes.* [o] *de Meré.*

in gratia principum, quae ad quamvis fortunae auram mutat, praeſidii repoſitum eſſe. Nuncio rei in aulam allato poenituit regem irriti conatus, veritum ne homo magni animi eo caſu exaſperatus, et de ſua gratia deſperans, ad Navarri partes ſe applicaret. Cum *Eſpernonius* apud eum per literas de Villaregii injuria expoſtularet, rex reſcripſit, nihil ab Engoliſmenſibus niſi ſuo juſſu factum; nam mandaſſe illis, ut ipſum comprehenderent, et ad ſe vivum et incolumem adducerent, deinceps loco filii habendum. CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III.

IV. INTEREA retractatum in aula etiam poſt Guiſii adventum de [a] Aureliano negotium; et [b] Dunenſis, datis ad Villaregium literis, cum prolixe gratias pro conciliata ſibi regis gratia egiſſet, ubi [c] Autricum venit, apud eum urget, ut cancellarius praefecturam, ſicuti convenerat, in ipſius fratriſque gratiam ejeraret. Villaregius contra, Aurelianum ſecuritatis loco foederatis datum cauſari, et intempeſtivum ducere regi ipſiſque fratribus ut de hoc negotio ageretur; nam proculdubio Guiſium ac foederatos interceſſuros: quod ſi accideret, e duobus alterum ſecuturum, ut aut rex, ſi quidem negotium ſemel inchoatum omitteret, magno exiſtimationis ac famae detrimento id faceret; ſin ad exitum perduceret, pacem, quae tanti regno conſtitiſſet, haud magna de cauſa violaſſe videretur: atqui neutrum hoc rerum ſtatu regi ipſiſque conducibile eſſe; potiuſque videri, ut rem conatu perplexam, exitu dubiam, in tempus magis idoneum differrent. Hanc excuſationem cum pro averſo a ſe animo accepiſſet Dunenſis, de Villaregio dubitare coepit, eumque regi ſuſpectum crebris delationibus reddidit, cum diceret eum eſſe qui occulto in Guiſium favore minime ſincere in pacis negotio nuper verſatus eſſet, neque bona fide de Aureliani negotio, quid ſuae, quid fratris voluntatis eſſet, ad ipſum retuliſſet: eum eſſe, qui amplificandae Guiſii potentiae auctor ac ſuaſor fuerit; qui de regis ingenio deſperans, auctoritatem in negotiis a benigno principe ſibi commiſſam, perfidia majore an praevaricatione incertum, ultro in manus Guiſii tradat, paſſimque ad conciliandum regi contemptum praedicet, de regno ac rege actum eſſe, niſi rex, abdicata a ſe tanquam impari imperii majeſtate, mature in Guiſium omnem potentiam transferat: quod vero Villaregius Guiſio in occulto det operam, praeter jam memorata, fidem facere paraeneticum ab archiepiſcopo Lugdunenſi, ut putatur, nuper ſcriptum, quo inter alia Guiſius monetur, ut, cum in aulam venerit, eximiam aliquam dignitatem Villaregio conciliet; ſic enim fore ut utilem ac praepotentem amicum in regis comitatu habeat.

V. HIS rationibus impulſum regem ferunt, ad faſtidia natura pronum, accedentibus ad eas jam ante conceptis ſuſpicionibus, ut Villaregium ab aula removeret, et Balſacis, licet iniquum petentibus, Aureliani praefectura cancellario adempta, et diplomate in arcano ſubſcripto in ipſos tranſlata, gratificaretur. Cancellarius, in cujus necem hoc agebatur, ob eandem cauſam domum relegatus, quippe minus regi gratus poſt tantam injuriam acceptam futurus. Pomponius [d] Bellevreus, quod arcta neceſſitudine cum Villaregio conjunctus viveret, Claudius [e] Pinarius, alioqui a foederatorum factione maxime alienus, quod reginae parenti jam ſuſpectae ad omnia obſequioſus, nec non Petrus Brulartus a ſecretis epiſtolis, eſſent, eodem faſtidio ſubeunte, aula exacti. Jam regem conſiliorum in foederis negotio ab initio ſumptorum taedere coeperat; cumque ob id parentem reginam, et eos qui circa ipſum erant, ſuſpectos haberet, ingenio ſuo deinceps uti ſtatuit, amotis illis conſiliariis: quod tamen pro tempore diſſimulavit; nam, cum Autrico Carnutum diſcederet, eos nulla animi alienati ſignificatione dimiſit, et ut in domos ſuas ad aliquot dies diverterent permiſit, conſtituta ad Kal. Octobr. die, qua [f] Bloeſas, ubi comitia indicta

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *de Balſac de Dunes.* [c] *Chartres.* [d] *de Bellievre.* [e] *Pinart.* [f] *Blois.*

indicta fuerant, univerſi convenirent. Cum igitur exeunte Sextili ita dimiſſi eſſent, ineunte menſe proximo, poſtquam rex Bloeſas venit, miſſus [a] Carolus Benoiſius a camerae ſecretis regi dilectus, qui [b] Villam-regiam primum, dein [c] Grignonium, quo ſe Bellevreus contulerat, inde [d] Ceverniam, duabus a Bloeſis leucis in [e] Soloniaco agro ſitam arcem, profectus ſingulis denunciaret, regem, de ipſorum fide et navata ſibi opera abunde ſatisfactum, jubere, ut in poſterum aula abſtinerent. Aegerrime praeter alios denunciationem tulit Villaregius, cui praeter opinionem id acci-diſſet, quippe qui ea ſpe ex aula diſceſſiſſet, ut commendatione reginae et [f] Villoclari interventu ad dignitatem ampliorem eveheretur, et ejerato munere quod totos XX annos ſumma ingenii dexteritate adminiſtraverat, propter eximiam rerum agendarum peritiam longo uſu contractam, negotiorum regni veluti arbiter conſtitueretur. Id ſibi cum a regis benignitate polliceretur, eo magis ad inexſpectatum nuncium commotus eſt, et, poſt reſponſum ſcripto datum, verba ad regem perferenda Benoiſio commiſit plena acerbitatis, regem animi ſui tranquillitati melius conſulturum fuiſſe, ſi ſe non per feneſtras, ſed per portam, ad quam toties pulſaſſet, ex aula ejeciſſet; ceterum ſperare, aſpirante Dei bonitate et venia a rege accepta, ut mentem ad quietem, ac deinceps corpus ad otium, componeret. Bellevreus tantum reſpondit, ſe regis imperio obſequi paratum, et aequum eſſe, qui alios toties ad obedientiam hortatus eſſet, ipſe exemplo ſuo iis praeiret. Cancellarius, qui Ceverniam arcem medio tempore petierat, in itinere erat, ut Bloeſas veniret, cum literas per Benoiſium redditas accepit: quibus lectis, cum Benoiſio in occulto collocutus, iter coeptum perſequitur, eo conſilio ut in colloquium a rege admitteretur: quod per reginam tentatum cum non obtinuiſſet, Ceverniam arcem altera die repetiit, et aliquot poſt diebus, ne tam prope ab aula, unde injurioſe, ut rebatur, pulſus erat, abeſſet, [g] Eclimontium alteram ſuam in Carnutibus arcem conceſſit. Pinarius et Brulartus eodem tempore domum abire juſſi: quibus amotis alii a ſecretis epiſtolis in eorum locum allecti, Martinus [h] Ruzaeus Bellilocus, qui a prima pueritia inter regis domeſticos, antequam in regnum ſucceſſiſſet, primarium locum tenuerat, et Ludovicus [i] Revolius uſu rerum et fide regi perſpectus, qui in aula munere eo defuncti ſunt.

VI. Mox ad Petrum [k] Moiennum, qui in [l] Seguſianis erat, et Romam ad Arnoldum [m] Oſſatum, rex datis literis ſignificavit, ſtatuiſſe eorum opera ab epiſtolis ſecretis uti: verum uterque modeſte ſe excuſavit; ille aetatem et imparem ſe tanto muneri cauſatus; hic, quod nuper ſacerdotali ordini ſe addixiſſet, cui ſervire ſimul et regi in eo munere non poſſet; ceterum ſe pro tanto beneficio ipſi immortaleis gratias agere, et, quod unum poſſit, preces aſſiduas ad Deum inter ſacra pro incolumitate et proſperis ejus ſucceſſibus fundere certum. Oſſatus hic, [n] Auguſta Auſciorum in tenui re natus, cum ad probos mores et ſummum animi candorem raram philoſophiae, mathematicarum artium, et juriſprudentiae cognitionem adjeciſſet, initio in [o] ſchola Ramea educatus, ubi acerrimas contra Jacobum [p] Carpentarium contentiones exercuit, Theſſali nomine ab ipſo ſcriptis editis exagitatus, ac poſtea in foro Pariſienſi aliquandiu verſatus, foro relicto in familiam viri clariſſimi Pauli [q] Foxii, ut ei a ſtudiis privatis eſſet, tranſiit; cum eoque ſemel atque iterum Romam profectus, a pulvere literario ab eo ad ſeria evectus parem ſe negotiis praebuit, et, mortuo Romae Foxio, ab illuſtriſſimo cardinali [r] Ateſtino inter domeſticos allectus eſt, ubi per legatorum regiorum abſentiam Gallica negotia aliquoties procuravit; quod tanta fide, moderatione, ac prudentia fecit, ut in aula Romana ejus integritas, ac in

explicandis

INTERPR. [a] *Charles Benoiſe ſecretaire du Cabinet.* [b] *Villeroy.* [c] *Grignon.* [d] *Chiverny.* [e] *Sologne.* [f] *de Villequier.* [g] *Eclimont au pays Chartrain.* [h] *Ruzé de Beaulieu.* [i] *de Revol.* [k] *de Moienne.* [l] *Forez.* [m] *d'Oſſat.* [n] *Auſch.* [o] *le college de Preſle.* [p] *Charpentier.* [q] *de Foix.* [r] *le cardinal d'Eſte.*

explicandis negotiis ſolertia, a cunctis, etiam iis qui Gallico nomini minus aequi erant, ubique praedicaretur. Poſt Ateſtini mortem Franciſco [a] Jouſae cardinali, cui negotiorum Gallicorum patrocinium a rege attributum erat, juſſu regis operam navavit; tandemque, in eodem aequabili vitae tenore perſeverans, meruit, ut inſperata cardinalis dignitate, non ambitioſis prenſationibus aut turpi obſequio quaeſita, ſed virtuti ſuae debita, regis commendatione ſit ornatus. Cancellario domum amandato, ſigillorum procuratio a rege attributa eſt Franciſco [b] Montholono in ſenatu patrono, priſci moris et integritatis viro, ſed qui extra forum ingenio et uſu rerum parum valeret; idemque hujus fatum ac parentis ejus fuit, qui a Franciſco primo, poſt Gulielmum Poietum inter reos relatum, magnorum ingeniorum pertaeſo, in aulam evocatus, idem munus aliquot menſibus atque adeo uſque ad mortem exercuit, viro probo, ſed rerum agendarum parum gnaro, tempeſtivam: quippe faſtidire eum coeperat Franciſcus, ſicut et ſtatim ſuppuduit regem aſſumpti ad eandem dignitatem filii, quam ille delatam, paulum abfuit, repudiavit; ſed, ab amicis et praecipue a Nivernio, qui eum ſumme diligebat et regi evocandi ejus auctor fuiſſe putabatur, confirmatus, ad aulam venit; ubi ita ſe geſſit, ut potius ad regis imperia obſequium, quam ad tantum magiſtratum pares dignitati animos, attuliſſe videretur.

VII. JAM October inierat, et magna delegatorum pars Bloeſas ad comitia convenerat. Igitur rex, ut a Deo initium faceret, ſupplicationem ſolemnem indixit, ad primam menſis Dominicam, quae in IV Non. Octobr. incidebat: ea ingenti pompa celebrata, a Salvatoris fano, quod eſt in ima arcis curte, per medium pontem ad B. Mariae templum in [c] Vigennenſi ſuburbio. Euchariſticum ſacrum ab Alexandro [d] Canigeanio Aquenſi archiepiſcopo ſub uraniſco praelatum. Sequebatur rex cum reginis et toto aulico comitatu; dein ceteri ordines. Reginaldus [e] Belnenſis archiepiſcopus Bituricenſis, vir dignitate et fide erga regem inſignis, ſacrum fecit. Claudius [f] Sanctius Ebroicenſis epiſcopus doctrina clarus, ſed olim in Caroli cardinalis Lotharingi familia educatus, ac proinde obnoxius, ſacram concionem habuit. Proxima Dominica ad Franciſcanorum rurſus rex cum principibus ac proceribus aulae et ordinum delegatis convenit, ſumptiſque ſacroſanctis ſacramentis ad ſancitam poſtremo edicto unionem ſe cum ceteris denuo obſtrinxit, ac in ſequentem Dominicam comitiorum initium rejecit. Interea cuncti provinciarum delegati venerant, majorem partem foederatae factioni addicti. Quod praeter ſpem regi accidit, qui deperditam, partim praeteritorum annorum negligentia ac conſiliariorum ſuorum ignavia, partim recenti motu Pariſienſi, auctoritatem per ea recuperare ſe poſſe in animum induxerat, ita a Villaregio perſuaſus, qui debile adeo remedium adverſus praevalidum malum tam alieno tempore adhiberi tempeſtivum exiſtimabat. Igitur comitiis factum initium XVII Kal. Novembr. in arcis [g] Bloeſenſis aula, ante XI annos ad id parata. Sedebat rex in ſolio, ad dextram regina, ad laevam regina uxor; poſt eas ordine [h] Borbonius et Vindocinus cardinales, Franciſcus Borbonius [i] Contii princeps, Carolus [k] Sueſſionum comes frater, Franciſcus Borbonius [l] Monpenſerii dux, Ludovicus [m] Guiſius, Philippus Lenoncurius, Petrus Gondius cardinales, Carolus [n] Sabaudus Nemoroſii, Ludovicus Gonzaga [o] Nivernii, Albertus [p] Gondius Radeſiarum duces, alii proceres et ſacri conſiſtorii ſenatores. Guiſius, qui aderat, [q] magiſtri palatii munere fungebatur, infra regem humili ſella ſedens, cum praegrandi baculo

INTERPR. [a] *de Joyeuſe.* [b] *de Montholon.* [c] *fauxbourg de Vienne.* [d] *Canigiani archevêque d'Aix.* [e] *de Beaune archevêque de Bourges.* [f] *de Sainctes evêque d'Evreux.* [g] *de Blois.* [h] *de Bourbon & de Vendoſme.* [i] *Conti.* [k] *Soiſſons.* [l] *Montpenſier.* [m] *les cardinaux de Guiſe, de Lenoncourt, & de Gondy.* [n] *de Savoye duc de Nemours.* [o] *Nevers.* [p] *de Gondy duc de Retz.* [q] *Grand Maiſtre de la Maiſon du Roy.*

CIↃIↃLXXXVIII HENRICUS III. baculo aureis liliorum floribus diſtincto, id inſigne magiſtratus, tota ſpecie oris ac corporis habitu factioni ſuae addictis, qui nimium quam multi in comitiis erant, jucundus, regi [a] ſuſpectus. Rex, quanquam poſtremo edicto oblivionem praeteritorum ſanxiſſet, ſic tamen exiſtimari volebat ab ordinibus, ultionis perſecutionem quidem remiſſam eſſe, ſed ea lege, ut regia majeſtas tot cumulatis injuriis imminuta reſarciretur, Guiſio tanti conventus auctoritate in ordinem coacto. Itaque, cum verba faceret, hoc verborum temperamento uſus eſt, ut ſenſum injuriae depoſuiſſe ſe ſignificaret, ceterum deſiderium recuperandae auctoritatis, per turbas, foederationes, ac populareis procellas ſibi ereptae, alte in animo impreſſum reſidere.

VIII. SIC autem aſtanteis allocutus eſt. ANTE omnia a Deo optimo maximo mihi beati ſui ſpiritus gratiam infundi peto, qua fretus ad ejus gloriam, regni tranquillitatem, populi levamentum, opus ſuſceptum ad optatum finem perducere, et tot animarum, quarum ſalus ex eo pendet, exſpectationi reſpondere valeam. De inſtauratione regni, et malorum, quae per bella civilia et ſuperiorum temporum licentiam in Galliam irrepſerunt, emendatione agitur; ad quam mihi divina ope opus eſſe ſentio, Deumque toto pectore indeſinenter oro, ut hanc mentem profundiſſimis radicibus in me haerentem in dies augeat, eandemque in vobis imprimat; quo, evulſis, ſi quae reliqua ſint, factionum plantaribus, in neminem alium quam in principem veſtrum intuentes, exuto omni privato affectu, cunctas cogitationes veſtras, voluntates, ſtudia, in id dirigatis, ut, ſplendore priſtino et praeclara illa facie Franciae reddita, ſecuritas publica conſtituatur: quam in rem ſi vota veſtra conjungatis, rem nomine Gallico, ingenio, et fide veſtra dignam efficietis. Haec cura alte animo inſidet; jamque ex quo ad imperium vocatus ſum, teſtem Deum cordium ſcrutatorem, cujus opem modo imploravi, appello, nihil antiquius habui, quam ut malis veſtris ac calamitatibus publicis, quibus ultra modum angebar, remedia commoda, quantum temporum iniquitas ſinebat, diligentia mea afferrem. Nunc vero, cum accedente aetate majorem rerum uſum contraxi, quam acri intus morſu me rodi creditis, cum eaſdem calamitates augeſcere, et remediis hactenus tentatis veluti irritari ſentio, meque in irae divinae tempora reſervatum video, quibus ultor Deus, et mea, nam agnoſco, et veſtra cauſa exaſperatus, juſtum in nos accenſum furorem exercere cernitur? Nullam non viam ab eo tempore mecum et inter conſiliarios inivi, quibus et divinam iram placarem, et populo tot malis oppreſſo levamentum quaererem. Pace et bello tentata omnia, ſed infelici exitu. Nec poſſum incredibile ea in re ſtudium ac ſedulitatem optime de me meritae parentis ſilentio praeterire, cui et hoc nomine et pro me omnibuſque regni ordinibus in hoc celeberrimo conſeſſu dignas publice gratias agi juſtum et aequum viſum eſt. Huic non ſolum ſecundum Deum debeo, quod ſum, et in ſolio principis toto Chriſtiano orbe regni conſtitutus vobis imperito; ſed quod uſu rerum valeo, et, optimis a pueritia praeceptis imbutus, praecipuum pietatis et Catholicae Romanae religionis inſtaurandae, ac reipublicae in meliorem ſtatum veluti formandae, ſtudium habui, huic uni acceptum fero, quae nullis laboribus pepercit, nullam aetatis et valetudinis rationem habuit, ut turbas paſſim exortas comprimeret, et cultum divinum ac quietem per regnum conſtitueret. Ab ea edoctus curam omnem et oblectationem in republica ordinanda ſemper poſui: ob id, tanquam optimum ac ſalutare remedium, comitia regni indixi; ab eadem in hac deliberatione confirmatus, nec ullis factionum motibus, quibus ea retardatum iri plerique exiſtimabant, ab hoc conſilio dimoveri potui. Praeclare a majoribus conſtitutum eſt, ad legum et principis, qui legum cuſtos eſt, auctoritatem ſtabiliendam, ut convocatis regni comitiis, accedente regis auctoritate, malis domeſticis

VAR. LECT. [a] ſuſpectus, bonis formidabilis. Rex, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

domeſticis per bella civilia et temporum licentiam inveteratis, ex ſalutaribus ordinum conſiliis remedium peteretur: hoc enim ad confirmandam, non labefactandam legitimam potentiam pertinet, quicquid ſtulti quidam et imprudentes rerum aeſtimatores maligne contra blaterent; nam, optimis legibus inſtauratis ac ſervatis, bonus princeps in regno contra omneis conatus firmatur. Ex quo de mea conſtantia vobis abunde conſtat, quae ſola contra factioſorum machinationes reſtitit, et bonum opus ad felicia initia adduxit; ſincera quippe mihi in hoc negotio mens eſt, aut Deus me male perdat, nec ulla conſcientia coitionum aut prenſationum ad labefactandam comitiorum et ſuffragiorum libertatem factarum teneor. Teſteis vos appello, ruboremque mihi incuti volo, ſi quid tale fecerim; ut certe erubeſcere debent, ſi qui ſunt, qui eo impudentiae et audaciae devenerint, ut hujuſmodi machinationes in negotio, quod ad regni inſtaurationem ſpectat, ad convellendam publicam ſecuritatem adhibuerint, et capita certa mandatis provinciarum inſeri curaverint, quae expetitam ab omnibus quietem turbent. Hac fiducia fretus a vobis jure meo peto ego legitimus a Deo impoſitus Galliae princeps, ut cauſam meam ab eorum cauſa diſcernatis, rectam meam erga vos et univerſum regnum voluntatem conſiliis veſtris adjuvetis; ad Dei gloriam illuſtrandam, religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam conſtituendam, ſectarium virus exſtirpandum, rempublicam ordinandam, populi levamentum, et auctoritatem regiam per bella civilia collapſam, non tam meo privato commodo quam univerſorum bono, erigendam. Inter omneis adminiſtrationum publicarum formas principatus procul dubio excellit: ejus optimam omnium rationem ſub deceſſoribus meis experti gratiam Deo optimo maximo habere debetis, quod vos hoc rerum ſtatu naſci voluit, atque adeo ſub eo, qui, ab eadem tot regum proſapia progenitus, non tam regni hereditatem legitima ſucceſſione crevit, quam in idem laudabile religionis majorum aſſerendae ac regni inſtaurandi deſiderium ſucceſſit. Non omnis quae regno inolevit mihi perverſitas imputanda eſt; quanquam propriam negligentiam aliqua in parte agnoſco: nec diffiteor multa eorum qui circa me ſunt culpa irrepſiſſe, quae emendatione egeant; ſed dabo in poſterum operam, ut non mei tantum ſed meorum rationem habuiſſe videar, et qui praeter propter tranſverſos agi ſe paſſi ab affectu et fide declinarunt, errorem ſuum agnoſcere cogantur. Certiſſima egregii in cultu divino inſtaurando et malo ſectario exſtirpando affectus pignora me dediſſe puto, bellis, antequam ad regnum vocarer, patratis, totque proeliis feliciter contra ſectarios commiſſis: multoſque ex iis qui adſunt, non ſolum gloriae tantae participes, ſed etiam teſtes habeo. Quo in laudabili propoſito perſeverare decrevi, vitam pro religione profundere quam antea paratior; quippe qui nullum Chriſtiano principe dignius, quam in ſectariorum ruinis, monumentum exſtrui poſſe exiſtimem. Id recenti exemplo profligati Germanorum exercitus ſatis oſtendi: ut mirari ſatis non queam, homines eſſe adeo animi caecos, qui quenquam eſſe toto meo regno putent, qui majore odio adverſus ſectarios inflammetur: nam, ut nihil gloria Dei, quae mihi propria vita ſemper proximior fuit, commovear, cedo, cujus patrimonium ſectarii hodie uſurpant, vectigalia exhauriunt, ſubditos ab obſequio alienant? cujus illi auctoritatem ac dignitatem ſpernunt, ac pedibus conculcant? cui ergo odii juſtior, quam mihi, adverſus eos cauſa? Reſpicite in edictum unionis a me contra eos ſancitum, cujus praeſentiorem fructum omnes ſenſiſſent, niſi is nuper exortis motibus retardatus fuiſſet: nam abſque hoc in Pictones ipſe profectus fuiſſem, ubi eadem quae me ſemper antea fortuna quin comitata eſſet, non eſt cur dubitare debeam. Ut autem vobis manifeſtum faciam, quam inſtaurationis publicae deſiderio tenear, quaedam ſummatim attingam emendatione indigentia, in quibus graviſſime contra Deum, decus noſtrum, et

rempublicam

CIↃIↃLXXXVIII

HENRICUS III.

rempublicam peccari palam eſt. Ante omnia, pejerationes execrandas, dignis pœnis, nullo perſonarum reſpectu; idque ut poſtulatis veſtris urgeatis, volo et jubeo. Nundinationes item in rebus ſacris, et in publicis judiciis, quorum multiplicatum numerum magno populi detrimento et ſummo meo cum dolore ſentio, muneribus diſpenſandis, prohiberi volo; cui malo cum ante triennium adhibere remedia coepiſſem, exortis bellis, rei tam neceſſariae conficiendae commoditas mihi erepta eſt: nunc a fide et diligentia veſtra exſpecto, ut rationes populi hac in parte exonerandi ineatis. Ego certe deinceps tam in muneribus eccleſiaſticis, quam juridicis, aliiſque dignitatibus ac praefecturis diſtribuendis, hoc temperamentum ſervabo, quo ſimul conſcientiae meae, decori, regni bono ac ſplendori ſatisfaciam, ut, ſpatio ad deliberandum ſumpto ac re mature penſitata, meritorum cujuſque ratio habeatur, eaque dignis tantum in poſterum deferantur: idque praedictum volo, ut, quemadmodum beneficia omnia a me ſolo proficiſcuntur, ita collatorum gratia uni mihi referatur: inſuperque moneo eos, qui ea a me accipient, ut ad exonerandam et meam et ſuam ipſorum conſcientiam, fide, diligentia, integritate, qua debent, in iis adminiſtrandis defungantur; ſi aliter facient, me ſeverum ultorem proculdubio habituri: nam ad id amplius non connivere cum animo meo conſtitui. Et quia ſuperiorum temporum depravatione ac licentia effectum eſt, ut importunis multorum efflagitationibus quaedam beneficiorum gratiae exſpectativae a me malo more extortae ſint, nullas me hujuſmodi in poſterum conceſſurum, et conceſſas nunc revocare, profiteor, ac religioſe promitto; quippe quae votum captandae mortis inducant, et peſſimo exemplo petantur et concedantur. Nulli inſuper in muneribus publicis eadem de re gratiam faciam, de gratificationibus jam conceſſis, prout vobis videbitur, decreturus. Ante omnia opus eſt, ut evocationes, criminum gratiae et abolitiones, ad legum ac conſtitutionum regiarum modum deinceps temperentur, quo celerius lites ac minore cum populi vexatione finem accipiant, et crimina exactius caſtigentur. Nec in deliberationibus veſtris opificum artes, magnumque, quod ex iis ad publicam utilitatem redundat, ornamentum minime omittendum, quo commercii libertas reſtituatur, omni luxu et noxia exuberantia reſecta, et pretio juſto, quod adeo modum omnem ſuperavit, mercibus impoſito. Praeterea de fide veſtra mihi polliceor, ut antiquae conſtitutiones, quae dignitatem et auctoritatem regiam ſpectant, et cultum, qui ei et ipſius magiſtratibus debetur, per bella civilia obliteratae in uſum revocentur. Non mihi minus quam vobis haec animo cura inuſta vivit, ſi me ſine liberis maſculis decedere contingat, ne ſub regis haeretica pravitate infecti poteſtatem veniatis. Teſtor Deum, me non plus de ſalute aeterna, quam ut vos hoc metu et malis ex eo ſecuturis liberem, ſolicitum eſſe: ob eam praecipue cauſam edictum unionis condidi ad deteſtandam haereſim abolendam; quod etſi ritu ſolemni juravi loco, et coram eo qui ad ſacramenti religionem conſtanter ſervandam cunctos aſtringit, tamen ita cenſeo, quo illud in poſterum ſtabilius ſit, ut inter leges fundamentaleis (hoc verbum a factioſis ad ſubvertenda regni fundamenta excogitatum fuerat) referatur, et proxima ſeſſione, convocatis denuo ordinibus, cuncti publice ſacramento adigantur, et mox de ſumptibus in bellum faciendis a vobis proſpiciatur, ne tam laudabiles conatus ad Dei gloriam inſtituti retardentur, aut irriti omnino evaneſcant. Hoc autem meo unionis edicto, cum alia omnia foedera, niſi quae auctoritate mea ineuntur, ſocietates, coitiones, militum conſcriptiones, tributorum impoſitiones, pecuniae tam extra quam intra regnum collationes, diſerte prohibentur; tum ita volo et jubeo, ut qui deinceps poſt conditum edictum et leges comitiorum ſuffragiis decretas ab hujuſmodi foederationibus ac ſocietatibus non diſceſſerit, aut meo injuſſu abſque diplomate publica ſigilli regii auctoritate firmato in iis remanſerit,

is

is in laeſae majeſtatis crimen incurriſſe intelligatur. Hoc mihi et publicae regni tranquillitati debeo, et vos viciſſim mihi ac vobis debetis. Proximum eſt, ut in militari diſciplina, quae olim non ſolum toti Chriſtiano orbi ad exemplum propoſita erat, ſed terrorem hoſtibus, admirationem vicinis populis, pariebat, in hoc regno inſtauranda a vobis elaboretur, ut bellum religionis cauſa ſuſceptum commode confici poſſit, nec in populi, id pro pietate inſita flagitantis, perniciem vergat. Ad id pecunia, quae praecipuus belli nervus eſt, opus eſſe minime ignoratis; qua militi non numerata, eidem ut rapiat imperari, a prudentiſſimis dictum eſt. Itaque, ne tam bellum hoc ad virus ſectarium exſtirpandum, quam ad populi perniciem ſuſceptum videatur, veſtrum eſt de ratione pecuniariae rei expediundae in commune conſultare. Sane idem mihi quod Imperatori Romano olim votum eſt, ut cuncta vectigalia et tributa omitterentur; et, ſi quidem ſalva majeſtate imperii liceret, libenter id pulcherrimum donum ſubditis meis darem. Sed cum nec miles ſine ſtipendio in caſtris retineri, nec reſpublica ſine fructibus ſuſtineri poſſit, iiſque ſublatis imperii diſſolutionem ſequi neceſſe ſit, agite, et quam minimo populi onere fieri poterit aerarium ſupplete: nam in rationes ejus ut inſpicere et de eo decernere poſſitis, vobis libertatem facio. Populi levamentum vel vitae meae contractione libentiſſime a Deo redimam, quippe cum nihil proprium mihi, nihil ſeparatum a publicis regni neceſſitatibus, ne vitam quidem charam habeam, niſi quatenus et quamdiu regno decora cunctiſque veſtrum utilis futura eſt. Ad dignitatem meam et exiſtimationem veſtram pertinet, ut de alieno aere, quod non omne a me contractum eſt, diſſolvendo cogitetis, et fidem publicam liberetis, meamque ac deceſſorum meorum conſcientiam exoneretis. Ceterum, cum princeps tanquam tabula proſtet, ad cujus imaginem ſubditi mores ſuos effingunt, ſic me domi foriſque omnemque meam familiam componere ſtatui, ut cunctis regni ordinibus in exemplum ſim: atque ut id facto demonſtrem, quantaque religione omnia ea, quae in celeberrimo hoc comitiorum conſeſſu ſtatuentur, ſervare cupiam, me ante omneis ac ceteros aulae principes ac proceres et ordinum delegatos ſumpto Dominici corporis ſacramento obſtringere volo, ut quaecunque ad poſtulata veſtra reſponderim, et pro lege inviolabili decreverim, ab iis nemini, niſi contumax et laeſae majeſtatis reus haberi velit, ac ne mihi ipſi, vel tantillum ulla de cauſa aut praetextu diſcedere liceat; cunctaque comitiorum decreta, prout a me conſtituta fuerint, protinus ad regni curias ac in praefecturas mittantur, et ſolemni omnium ordinum jurejurando confirmentur. Qua in re ſi quibuſdam infra meam dignitatem quid facere videor, dum legum, quarum conditor ſum, imperio me ſubjicio, ii ſciant boni principis eſſe, cunctas cogitationes et actiones ſuas ad optimarum legum normam dirigere, neque committere ut illae vi vel gratia ullo pacto labefactentur. Quod ſi qui rurſus objiciant, multum ea ratione de regii faſtigii ſublimitate deminui, iis reſponſum volo, regnum, quod ita deminui aiunt, eo durabilius et magis ſecurum ad poſteros tranſmitti. Ut finem faciam, poſtquam imperio et auctoritate, quae mihi in vos a Deo attributa eſt, uſus ſum, ad hortationes ac preces deſcendo, voſque per cultum quem Deo, et obſequium quod mihi ſecundum Deum debetis, per nominis Francici, quod erga reges ſuos ſemper non fidum tantum ſed etiam pertinaci amore flagravit, decus, per majorum meorum, hoc eſt tot regum, quorum dominationem tam mitem experti eſtis, cineres, per charitatem patriae, per pignora et neceſſitudines, per uxores, liberos ac fortunas, iterum oro et obteſtor, ut, depoſito omni alio affectu, conſilia, ſtudia, voluntates mecum conjungatis, et, procul ab omni ambitione, exemplo meo in publicae rei inſtaurationem incumbatis. Si contra feceritis, non ſolum capita veſtra aeterno dirarum piaculo obligabitis, ſed indelebilem infamiae notam immortali gloriae

CIϽIϽLXXXVIII HENRICUS III.

inuretis, et praeclarum illud fidei Gallicanae tantopere olim depraedicatae nomen a majoribus relictum amittetis. Ego vero coelum terramque conteſtabor, Deique atque hominum fidem appellabo, me nihil reliqui feciſſe, quo, implorata ope veſtra, monſtrorum per licentiam in civilem adminiſtrationem invectorum tetra peſtis expugnaretur; vos contra virtutis priſtinae oblitos, et quaſi in medio certamine perfidos emanſores, turpi fuga legitimum principem et imperatorem veſtrum deſeruiſſe: et, poſt omnia, ad tribunal Dei vos ad cauſam dicendam in jus vocabo, ubi, detracta perſona, citra fucum et amoto velo omnia geruntur, ubi ſcenicae diſſimulandi arti locus non eſt, ubi falli et fallere non licet, ut dignas perfidiae, contumaciae ac ſimulatae pietatis poenas luatis. Verum abſit ut hoc de vobis credam; quos potius in hoc negotio ſincere et ſumma fide verſaturos confido et opto ad Dei gloriam, cui et regi veſtro rem gratam facietis, et ſempiternam apud omneis laudem, inter Gallos patriae ſervatae gloriam, vobis acquiretis.

IX. VEHEMENTER et ſubiracunde perorantem Montholonus excepit, et, petita a rege venia, orditur; multaque de egregia regis voluntate praefatus, qui inter tot curas ad juſtas populi querelas reſpexerit, et, quantumvis in altiſſimo faſtigio conſtitutus, ſolis inſtar, infimos regni ordines radiis ſuis veluti illuſtret; tum auctoritate publicorum conventuum pro religionis et civilis adminiſtrationis inſtauratione celebratorum laudata, exemplisque in eam rem adductis, bona ſpe ſe eſſe dicit, ut malis jam natis et exorientibus in tempore mederi et occurri poſſit. Regi nihil prius atque antiquius fuiſſe, ſimul ac regnum inivit, quam ut rationem corrigendorum quae prave irrepſerant iniret, quippe qui ſe populi tutorem exiſtimet, in idque a Deo datum, ut omnium ordinum atque adeo ſingulorum regni ſubditorum commoda procuret, cultum divinum inſtauret, et jus aequabile inter ſuos dicat: id ut fiat, a Deo ſumendum eſſe initium. Eum ordinem in conventu [a] Moguntiaci olim celebrato feliciter ſervatum, in quo primum epiſcopi, loco ſecundo coenobiarchae ſedebant, ſacroſancta evangelia, ſacros canones, et conſtitutiones apoſtolicas praelegentes; tertio comites ac proceres, qui de calamitatibus publicis querelas inſtituebant, et ad eas remedia proponebant. Sic Joſuam, fortiſſimum populi Judaici imperatorem, antequam moreretur omneis ordines convocaſſe, ut eos ad ſervandam Dei legem hortaretur; ſic Salomonem, cum encaenia templi celebraturus eſſet: idem Aſam feciſſe, eoque in coetu ſanxiſſe, ut qui cultum Dei ejuſque legem amplecti recuſaret, morte mulctaretur: idem inſtitutum ſapientum apud nos, ſive ſacerdotum et Druidum, fuiſſe, qui coetus publicos celebrabant, in quibus res ad ſacra et jura civilia pertinentes tractabantur. Id poſtea ad reges primos emanaſſe, qui eoſdem coetus crebro uſurparunt, in quibus de rebus ad religionem ſpectantibus ageretur; quippe non aliud firmius fundamentum poni in regno poſſe, vel B. Paulo teſte: in iis etiam de regum auctoritate conſtituenda actum, quae, ſecundum religionem, alterum reipublicae fundamentum eſt; omnem quippe poteſtatem a Deo eſſe, cui qui reſiſtat, et ipſum Dei ordinationi reſiſtere. Hujuſmodi fuiſſe conventus a Clodoveo, poſtquam ſacro lavacro ablutus eſt, a Childeberto, Guntranno, Clotario II, Dagoberto I, Pipino, Carolo magno, Ludovico I, Carolo II, aliis celebratos: eandem laudabilem conſuetudinem longe feliciſſimo ſucceſſu fuiſſe uſurpatam ſub Carolo Pulchro, et Carolo VIII. Id, ſicubi aliquando non ſolum utile ſed neceſſarium fuit, multo magis hoc rerum ſtatu ex uſu fore, peſſima non ſolum republica, ſed jam nulla: neque vero debilia adverſus praevalidum malum remedia adhiberi debere; nam vitia in praecipiti eſſe, quibus ſi ſenſim et lenta manu mederi coneris, fruſtra ſis. Hanc ſententiam olim damnaſſe Ludovicum IX, qui inter

Divorum

INTERPR. [a] *Mayence.*

Divorum numerum poſtea recenſeri meruit, et valida ac prompta in inſtauranda religione et jure aequabili inter ſuos conſtituendo adhibenda, atque adeo prima principia et quaſi fundamenta in regni auſpiciis jacta cenſuit repetenda: nam moribus antiquis ac viris rempublicam ſtare; et praepoſtera prudentia graviter ab iis peccari, qui vetera in religione et civili adminiſtratione ulcera molli brachio tractari volunt. Exemplo *B.* Ludovici regem ad comitia haec accedere: et, quantum ad ſacrum ordinem, petere, ut ipſe, qui ceterorum ordinum cenſuram ſibi ſumit, in ſe animadvertat, et exemplo aliis praeluceat. Multa in eccleſiam prava conſuetudine irrepſiſſe, quorum emendandorum optima ea ratio eſt, ſi turbatis rivulis retro ad fontium capita redeatur; omiſſa verbi divini pura ac ſincera promulgatio renovetur, et in concionibus obſequium principi ac magiſtratibus debitum populo crebris hortatibus inculcetur. Ab inobedientia ſiquidem praecipua mala inoleviſſe; nec obſequium, et per illud ſecuritatem publicam, reſtitui poſſe, niſi populus prave antea imbutus quod religionis praetextu dedidicit, rurſus a religioſis doctoribus addiſcat: ſiquidem verbi Dominici vim efficacem eſſe, et quovis gladio penetrabiliorem. Curae eccleſiaſticorum incumbere, ut nomen Dei ſanctificetur; id quotidianis precibus uſurpari; atqui omnes queri, negligenter omnia in eccleſia adminiſtrari, nulla vitae morumque ac doctrinae inquiſitione habita indignos ad ſacerdotia admitti, avaritiam et ambitionem ubique regnare, paſtores ad ovilia ſua minime aſſiduos excubare, coenobia monſtris et pollutionibus ſcatere, collapſa diſciplina, et contempta ſolemni promiſſione, quam Deo voverant; nihil prorſus priſtinae ſanctimoniae reſidere, niſi in iis qui a conſortio hominum ſeparati parietibus includuntur, quorum ardentibus precibus, et frequentibus per animi raptus cum Deo ſuſurris, juſtam ejus iram hactenus mitigatam fuiſſe par ſit credere. Proinde regem hortari eccleſiaſticos, ut inſtaurandae religioni et collapſae diſciplinae reſtituendae ſedulo incumbant. Ad proceres et nobilitatem quod attinet, pro virili ſua in republica ordinanda quemque laborare debere. Eam a virtute principium ducere; a qua ſi deflectat, et pariter cum illa praerogativam nobilitatis amittere. Ipſius autem partes eſſe, ut ceteros exemplo pietatis et aequitatis ad obſequium regi magiſtratibuſque ejus praeſtandum inſtruat. Ad id nobileis duplici nomine obligari, et quia ſub regis imperio nati, et ratione poſſeſſionum quas beneficii a rege collati titulo tenent: quippe nobilia omnia in regno latifundia a rege tanquam fluvios ex mari derivari, et eodem quantovis flexu reverti. Antiquum id fuiſſe ſubditorum in regem jusjurandum, ut et in bellis ei praeſto eſſent, et, ſi quid eſſet quod ipſum ſcire publicae ſalutis intereſſet, revelarent: eorum potentiam cum ſummam ſemper etiam Imperatorum Romanorum temporibus in Galliis fuiſſe, tum eximiam erga principes ſuos fidem excelluiſſe: nam nobilium virtute ac fide Carolum VII amiſſum regnum recuperaſſe, et Victoris ac Potentiſſimi elogium meruiſſe. Sed quo major ejus potentia et regum favore in dignitatibus adipiſcendis praerogativa, eo magis ipſi cavendum, ut ab omni violentia abſtineat, nec tenuioribus gravis ſit, atque inprimis, ne dejerationibus execrandis, quod nimis hodie inter nobileis frequens eſt, divini Numinis iram provocet, et fidem nobilitatis tantopere praedicatam olim inviolabilem ſervet: ſecundum dejerationes duella et ſingularia certamina devitet; hoc enim maxime ad Dei offenſionem pertinere, qui miſericordiam ab ipſo ſperanteis ab aliis acceptas injurias condonare, et jus non ſibi dicere, ſed a magiſtratu petere, jubet. Nobilitati et improperari quod ſacerdotia uſurpet, bona ſacra univerſis eorum documentis damnanda profanatione convertat. Tertium ordinem reſtare, vulgo popularem dictum, ex quo fere prodeunt qui in oppidis ac regni civitatibus juriſdictionem exercent. Id praecipuum reipublicae, cui quies publica innitatur, fundamentum eſſe, quo convulſo univerſa moles

CIƆIƆLXXXVIII HENRICUS III. moles impoſita corruat neceſſe eſt; ut eo uſque legitimi imperii fineis extendi, quo uſque juſtitia porrigatur. Itaque Parthis olim a Trajano Imperatore poſtulantibus, ut Euphrates utriuſque imperii limes eſſet, graviter reſponſum eſſe, Imperium Romanum non fluvios aut montes, ſed juſtitiae, quo uſque ſe extenderet, fineis pro terminis habere; alioqui juſtitia remota principatus in latrocinia dira degenerare. At enim crebras querelas quotidie ad regem deferri et paſſim audiri, quod in jure reddendo ſive per ſordeis ſive per gratiam multum peccetur, et partim vafritie cauſidicorum exquiſitiſque artificiis, partim judicum negligentia, efficiatur, ut lites longo ſufflamine protelentur, magno omnium ordinum detrimento, ad extremum immortales reddantur, aut, ſi quando finem accipiant, mox, cavillatione infracta judiciorum auctoritate, ad prima initia revocentur; quaſi navis, quae, tempeſtuoſo mari ad ſcopulos et brevia ubique allidens, nuſquam portum reperit, aut, ſicubi appellat, mox vento incumbente et fluctu reſorbente in altum abripitur. Huic malo cauſam praebere multiplicatum judicum numerum, ac multiplicationi illi locum dediſſe importunam multorum ambitionem, qui ſine ulla morum et doctrinae teſtificatione per foedas nundinationes ad magiſtratus perrumpunt. Inde fieri, ut leges negligantur, jura violentur, antiquae ac laudabiles conſuetudines ubique, magna quietis publicae jactura, ſenſim obſoleſcant. Ex eodem fonte provenire, ut ſcholarum diſciplina jaceat, licentia paſſim graſſetur, in eaque juventus educata eandem, cum ad honores provehitur, ſecum afferat. Malorum tantorum non occultas eſſe cauſas. Bellorum civilium calamitates neceſſitatem impoſuiſſe, multa ſecus quam ex uſu publico eſſet faciendi, quae corrigi, niſi conſpirantibus omnium ordinum votis et opibus, non poſſunt. Aere alieno immani aerarium oppreſſum; omne patrimonium regium diſtractum et oppigneratum; telonea, ac cetera vectigalia et tributa, magnam partem jam non amplius in regis poteſtate eſſe: niſi de publico haec jactura ſarciatur, nundinationibus, quae his malis cauſam dederunt, curſum ſiſti, onera regni ſuſtineri, aut denique fidem publicam liberari, non poſſe. Regem hoc ab iis petere, legitima ſucceſſione a Deo datum, conſecratum, donis deceſſorum ſuorum per eam conſecrationem cumulatum, qui a teneris annis tot proelia contra ſectarios pro religione Catholica Apoſtolica Romana feliciter pugnavit, et nuper auxiliarem Germanorum exercitum ad invadendum regnum a perduellibus conſcriptum virtute ac propriae vitae periculo profligavit: notam eſſe ejus praecipuam pietatem, in cujus operibus ſe quotidie exerceat, dignum vere ſe praebens primogenito eccleſiae filio, et quem Deus prae regibus terrae in ſublimi ſolio conſtituat. Eandem in regina parente ejus pietatem, idem juvandae reipublicae ſtudium refulgere; quae neque aetatis neque valetudinis ullam rationem habuerit, dum regni commodis, religione conſtituta et turbis compoſitis, conſuleret. Unum ſupereſſe, ut ex voluntatibus ad commune bonum tendentibus expetitus ad Dei gloriam et regni tranquillitatem fructus elici poſſit, ut ordines concordiam tam neceſſario tempore inter ſe ſanciant, in unius regis obedientiam coaleſcentes, cujuſmodi Eſdras poſt captivitatem Babylonis ad templi inſtaurationem populi electi fuiſſe memorat, ita ut omnes unius inſtar viri eſſent. Nullam majorem ipſos de debellatis monſtris victoriam reportare poſſe, quam ſi ſe ipſos vincant, et, exuto omni privato affectu ac ſimultate depoſita, et factionibus, quae quietem ſcindunt, omiſſis, in commune conſulent. Hoc eſſe quod aiebat Ludovicus XII, parentis patriae et Juſti cognomentum meritis ſuis adeptus, et cujus non unquam non honorifica memoria eſſe poteſt, quoties de regni inſtauratione agitur; nimirum Gallos crucem candidam, quae ipſis pro inſigni eſt, propterea geſtare, ut, quoties in illam inſpiciunt, toties injuriarum obliviſcendarum et charitatis per concordiam tuendae admoneantur. Quod ſi faciant, dubium minime

minime relinqui, quin comitia ad Dei gloriam et publicam utilitatem inchoata optatum finem ſortiantur.

X. POSTQUAM Montholonus deſiit, Reginaldus [a] Belnenſis Biturigum archiepiſcopus, qui per abſentiam Borbonii et Guiſii cardinalium comitiis praeerat, luculenta oratione ſacri ordinis nomine regi gratias egit, et cunctos ordines poſt foedam XXVIII annorum tempeſtatem quaſi ſerenato coelo magnam cepiſſe conſolationem dicit, audita regis voce, qui facundia Ulyxem, ſapientia Neſtorem, vincat. Itaque omnes humi projectos apertis brachiis illius pedes lubentiſſime amplecti, ac orare quam poſſunt demiſſe, ut viciſſim ipſe ambo brachia, hoc eſt juſtitiam et clementiam, dilectiſſimae parentis, alterius Irenes, prudentibus conſiliis adjutus, labanti Franciae ſupponat, eamque quod ſperent erigere, et in conſtituta religione ac republica antiquum ſplendorem reſtituere dignetur; exemplo magni illius Herculis et Theſei, quos antiquitas ad debellanda ſaeculi ſui monſtra natos et a Deo miſſos refert. Sic Moyſem Aegyptios, Joſuam VII reges, et omnes nationes quae per Palaeſtinam a vero cultu alienae erant, attriviſſe: et, quod magis mirum, ſic volente Deo, Nabuchodonoſorum, Cyrum, Darium, Artaxerxem, potentiſſimos, ſed veri luce deſtitutos reges, praecepiſſe, ut nemo alius Deus, quam qui a Daniele et Eſdra adorabatur, a quoquam coleretur; qui ſecus faceret, ad arborem ex ipſius horto ſucciſam ſuſpenderetur, et ejus domus in publicas latrinas converteretur. At veri Dei cultores Davidem, Manaſſem, Joſaphatum, alios, pacis et tranquillitatis inter ſuos firmandae ſtudioſos, eadem benignitate ſuorum querimonias exaudiviſſe. Sic Auguſtum, cujus ſub imperio naſci voluit mundi captivi liberator; ſic Veſpaſianum, qui ſtantem imperatorem mori debere aiebat; ſic denique Mithridatem, tot linguis diſſidentium, quas ipſe unus percallebat, populorum regem, facileis ſe [1] audientibus praebuiſſe, et aſſiduos in audiendis eorum querelis fuiſſe. Sed nulli melius quam Salomoni regem comparari poſſe, qui iiſdem ſapientiae quibus ille a Deo ornatus muneribus, novellae aquilae inſtar, nido ſtatim proſiliens, fulmen a Deo ſibi commiſſum alte volans contra hoſtium Dei oculos vibravit; et ob eandem pietatis, fortitudinis, prudentiae opinionem a gentibus tanto itinerum ſpatio diſſitis rex electus et quaeſitus eſt, qui [b] Sarmatiae potentiſſimo regno praeeſſet: a quo ad paternum regnum revocatus eadem virtute, qua externum meruerat, res apud nos ab eo tempore moderatus eſt, et nuper inſigni bellicae fortitudinis exemplo immanem Germanorum exercitum paene ad internecionem delevit. Hujus auſpiciis confidere et ſperare omnes, ut, ſectariis ad obedientiam eccleſiae Catholicae ſeu vi armorum ſeu clementia et optimis inſtructionibus adductis, pax in Gallia conſtituatur, et, ſicuti rege Salomone, ſic Henrico III ſceptrum tenente, quiſque ſub ficu ſua et in pergulae umbra pane ſuo et terrae fructibus veſcatur; diruta templa inſtaurentur; cultus divinus per bella civilia intermiſſus reſtituatur; in urbibus quies, tympanis et lituis faceſſere juſſis, in agro ſecuritas, conſpiciatur; leges priſtinum vigorem recipiant, pax et juſtitia ſe invicem oſculentur. Ipſe rex Neſtoris annos, atque adeo [c] Arganthonii Gaditani regis aetatem, impleat, et poſtremo ad coelum migrans liberos diu poſt ipſum regnaturos relinquat.

XI. POST Bituricenſem Claudius [d] Belloſremontius Seneſcaecus nobilitatis, et Michael [e] Martellus Capella nuper mercatorum praefectus Lutetiae creatus plebis nomine dixerunt, et, regis pietate laudata, operam, opes, ac conſilia ad religionem exſtirpato ſectario malo conſtituendam et rempublicam inſtaurandam prolixe detulerunt. In regis oratione permulta erant, quae Guiſium, qui aderat, et ejus factioni

addictos

INTERPR. [a] *de Beaune archevêque de Bourges.* [b] *Pologne.* [c] *Arganthonius Roy de Gibraltar.* [d] *de Beaufremont baron de Seneſçay.* [e] *la Chappelle Marteau prevoſt des Marchands.*

NOT. [1] *potius* adeuntibus.

addictos non parum offendebant; de quibus apud reginam ſtatim conqueſti ſunt, quae querelas ipſorum more ſuo eluſit. Cum vero reſciviſſent eam typis mandari, [a] Lugdunenſi archiepiſcopo praefractae impudentiae viro ad regem delegato acriter intercesserunt: verba tantae acerbitatis plena, tamen quod regi evolaverint, et indicta eſſe non poſſint, patienter tuliſſe; nunc, cum intellexerint ea ita publicari, ut ad omneis eadem acerbitas perveniat, non potuiſſe non vehementer obſecrare regem, in bonam partem accipiat, ſi verborum acrimoniam aliquo temperamento mitigari poſtulent: nam non ſolum ſua ad famam, ſed regis ipſius ad id quod agendum inſtat, intereſſe, ut nullum praeteritorum ſenſum in ejus animo reſidere cunctis appareat: alioqui factiones, quas extinctas cupiat, revicturas, et comitiorum tranquillitatem turbatum iri. Rex contra ſe excuſare, nihil in quenquam nominatim dictum, quo quis merito offendi poſſit: de egregia ſua voluntate erga rempublicam quae dixit, quod turbas et coitiones deteſtatus, quod factionum ſtudiis omiſſis ad concordiam et obſequium cunctos hortatus ſit, neminem, qui bene ſibi ſit conſcius, poſſe ad injuriam ſuam trahere; ut libertatem comitiis, ſic ſuam, qui comitiis praeſit, ſibi eripi nolle. Ad extremum addere, ſic exiſtimare ſe, ſi ulterius tendant, vim ſibi afferri. Nihilominus inſtare Lugdunenſis, et, cum aliter non poſſet, poſtremo minas intentare; diſceſſuros pleroſque a comitiis, et turbas ex turbis, quae ſopitae putabantur, orituras: nec regi prudentiſſimo committendum eſſe, ut potius hominum praepotentum benevolentiam amittere, quam verba inania ſibi perire, voluiſſe videatur. Ingentem ex verbis arrogantis hominis conceptum dolorem preſſit rex, et poſt acrem contentionem, tandem a matre perſuaſus, quae, quantumvis ipſe ei diffideret, nimium quam multa apud filium obnoxium poterat, quaedam in oratione immutari paſſus eſt, ſuppreſſis exemplaribus quae jam excuſa erant, quaeque illi inſolenti audacia, etiam ante monitum regem, metu incuſſo, apud typographum retineri curaverant. Quae tamen in ea remanſerunt abunde fidem fecerunt, quantopere rex de injuria edicto condonata, non per ſontium poenas, ſed reſtituta priſtina auctoritate, ſibi ſatisfieri expeteret.

XII. Biduo poſt eodem loco conventum eſt; et rex, quaedam de edicto unionis nuper facto prolocutus, illud pro lege fundamentali deinceps haberi, et in ejus verba cunctos adigi voluit, declarationemque ſuper ea re, ex matris, conſanguineorum principum, aliorum procerum, et trium ordinum conſilio ac conſenſu factam per Martinum Ruzaeum recitari juſſit, hoc addito, ut nullum juribus, praerogativis, libertatibus, et immunitatibus nobilitatis praejudicium factum, nihil item legibus ac conſtitutionibus, quae ad auctoritatem et obſequium regi debitum pertinent, derogatum per illam promulgationem intelligatur. Verbis ſpecioſis abunde ſibi cautum exiſtimans rex, cum interim facto in dies auctoritas ipſius deperiret, per Bituricenſem archiepiſcopum, virum ſumme eloquentem et pacis eccleſiae ſtudioſum, aſtantium animos ad jusjurandum praeſtandum praeparavit; qui multa pereleganter de jurisjurandi religione ac praeſtantia dixit: Deum vivum, qui veritas ſit, per illud nos conteſtari: eos igitur qui temere et falſo ſacroſanctum Dei vivi, per quem vivimus, nomen appellant, ob violatam religionem in hac vita mortem ſibi arceſſere, in altera aeterni judicii reos eſſe, ſicut olim Ananiae et Saphirae accidit: quod nunc ſacramentum dicturi eſſent, id pro unione eccleſiae concipi, quam Deus univerſorum parens ſuo ſanguine quaeſitam ſibi propriam ſponſam dicavit: eam non in lapidum ſtrue, qualia ſunt quae oculis cernuntur templa, ſed in fideli Chriſtianorum, qui ſunt, fuerunt, eruntve, coetu conſiſtere, qui eidem fidei, iiſdem ſacramentis participant, idem in doctrina per legitimam Apoſtolorum ſucceſſionem tradita ſentiunt,

INTERPR. [a] *archevêque de Lyon.*

ſentiunt, eodem ſpiritu vivificantur, eundem Dominum et doctorem agnoſcunt: eam eccleſiam viſibilem et inviſibilem eſſe, quicquid contra blaterent novelli doctores: viſibilem in terris complecti eos omneis qui per ſacrum lavacrum in Chriſto regenerati ſunt, et in unione eccleſiae permanent, fideles et hypocritae, quouſque revelati a communione ceterorum Chriſtianorum ſeparentur, exemplo zizaniorum et ovis infectae, quae, quouſque ſeparentur, partem modii et gregis efficiunt: inviſibilem dici, reſpectu ad eccleſiam ſtricte acceptam facto, quae vere electis Dei, qui ipſi ſoli, non etiam hominibus, noti ſunt, conſtat; ac reſpectu etiam eccleſiae triumphantis, quae in coelo eſt: in hac eccleſia perſonarum nullam eſſe diſtinctionem, non Scythae, Barbari, Graeci, aut Hebraei. Unam eſſe eccleſiam, etiamſi diverſae nominentur, puta Alexandrinam, Conſtantinopolitanam, alias: inſtar ſolis a corpore uno diverſos radios ubique jaculantis, fontis in plures rivulos ſe ſcindentis, arboris varios ramos emittentis, eam eſſe: nam ſi lumen unius radii obſtruas, ſi fontis rivulum avertas, ſi ramum arboris reſeces, ſolem, fontem, arborem nihilominus manere; ſic quanquam ſingulares pleraeque eccleſiae in Aſia, Africa, Europa, extinctae ſint, nihilominus eccleſiae vere Catholicae manere integram et illibatam dignitatem: Romanam rurſus, non quod urbis moenibus contineatur, vocari, ſed nomen ex eo ſumere, quod Romae B. Petrus, (et poſt eum B. Clemens, aliique plerique, qui proprio ſanguine fidem Chriſtianam obſignarunt,) verbum Dominicum promulgaverit, in doctrina nunquam variaverit, nulla ſectarii veneni labe infecta fuerit; quam puritatem Romae ſervatam aemulati aliarum eccleſiarum paſtores huic ſe adjunxerint, ac communi conſenſu ſummiſerint, Romanamque eccleſiam tanquam matricem propterea ordine ſucceſſorio ab eo tempore ſemper coluerint. Eam communicare cum ſanctis, qui jam in coelis feliciter ſuperatis mundi adverſitatibus regnant; quae licet triumphans appelletur, et iſta adhuc in terris militare dicatur, duarum tamen unicam eccleſiam eſſe, unione, quae dividi nulla vi poteſt, atque adeo in petra, quae Chriſtus eſt, fundatam, et adverſus quam portae inferi praevalere nequeunt: extra illam mortuos homines degere, et qui ab ea ſeparant ſe indignos vitae promiſſis effici; qui eam pro matre non agnoſcunt, Deum patrem negare; qui ea non includuntur, veluti extra arcam poſitos de naufragio inter aquarum diluvia periclitari: eam Domini vineam, ovile, ſponſam eſſe, cujus Chriſtus vinitor, paſtor, et vir eſt: hujus tantam unionem et concordiam primis temporibus fuiſſe, ut cuncti, privato omni affectu abjecto, bona undiquaque comportata ad pedes Apoſtolorum ultro deponerent, confertique et ſinguli ad mortem voluntariam properarent, et obvia illa periculorum ac ſuppliciorum contemptione formidinem terrarum dominis incuterent: eo magis aſtantibus elaborandum, qui in eadem eccleſia et gente nati adoleverint, ut eam unionem pro aſſerenda religione, pro regno ſectis lacerato in priſtinum ſplendorem reſtituendo, ſervent, colant, teneant, neque ullo pacto ab illa divelli ſe patiantur: non canere claſſicum eccleſiaſticos, non ſanguinem ſectariorum ſitire; hoc potius cupere, et totis votis a Deo quotidie exoptare, ut qui defecerunt, qui in religione et regno turbas cient, in viam redeant; alioqui fore, quod ipſe B. Paulus vovet, et periti chirurgi faciunt, qui ad membra gangraena corrupta ferrum et ignem admovent, ut a corpore reliquo tanquam perniciem ſecum trahentes reſecentur: igitur juſtum et aequum eſſe, cunctos et patriae et charitatis Chriſtianae vinculo conſtrictos coelo palmas tollere, et, Chriſto duce, auſpiciis Henrici III unionem et edictum de ea nuper pro religione et regni ſalute conditum ſancire, ac Deum optimum maximum orare, ut opprobrium ſterilitatis a regia domo amoveat, et, eadem, quae Annae Samuelis parenti olim facta eſt, gratia conceſſa, in ſpem tantae ſucceſſionis foecunda prole ipſum regem augeat. Quibus dictis

cum

CIↄIↄLXXXVIII cum rex, ceteris exemplo ſuo praeiens jusjurandum regis verbo, haec ſolemnis regibus formula eſt, praeſtitiſſet, ad aſtanteis converſus eccleſiaſticos manu ad pectus appoſita, reliquos ſublata dextra, jurijurando adegit. Inde ad S. Salvatoris itum, et, beatorum Ambroſii et Auguſtini hymno decantato, magna frequentia gratiae Deo actae, foederatis regi in ſpeciem applaudentibus, ſed, ut prudentiores judicabant, verius illudentibus. Quid enim aliud toties repetitis juramentis praeſtari, quam ut perniciosa foederatio magis ex eo firmaretur, et Guiſius ejuſque factioni addicti, quos dividi potius oportuit, arctiore quam antea ſocietatis vinculo inter ſe conſtringerentur? Sane conſtat, quantum animorum ea re ad majora audendum foederatis accrevit, tantum regii nominis ſtudioſis decreviſſe; qui regiam majeſtatem in dies vileſcere, et regem ad Guiſii libidinem quaſi obtorto collo raptari, atque in odium et contemptum populorum adduci, moerebant.

HENRICUS III.

XIII. Ad dolorem tantum acceſſit atrox [a] Sueſſionis injuria, quae ad contemptum regis pertinebat. Is ſuperiore anno, ſpe de Catharinae Navarri ſororis nuptiis facta, ad ipſum inconſulto rege tranſierat; et [b] Cutracenae pugnae, ac nuper expeditioni ad [c] Maranum recipiendum ſuſceptae, interfuerat. Inde, cum ſpe illarum nuptiarum excidiſſet, repulſam ad animum revocans, relicto Navarro ad regem paulo ante redierat; qui, venia petenti conceſſa, ejus excuſationes, cur ad Navarrum tranſiiſſet, in bonam partem accipere viſus eſt. Sed, calente in aula religionis cauſa, cum factum populis perinde approbare non poſſet, quo ſe ſocietatis cum ſectariis contractae piaculo exſolveret, a pontifice, ita a ſuis perſuaſus, interventu Jo. Franciſci [d] Mauroceni cardinalis legati, qui regi regiaeque familiae principibus impenſe favebat, breviculum impetravit, quo ei certis conditionibus peccatum confitenti piaculum remittebatur. Id ſolemni ritu, ſed in arcano a Mauroceno ipſo, ad quem breviculum directum erat, peractum. Poſtea Sueſſio etiam a rege diploma impetravit, quo fides piaculi a pontifice remiſſi et gratia praeteritorum ab ipſo rege fiebat, in id, ne propter ſuſceptam ad Navarrum profectionem deinceps inter ſectariorum fautores, quod foederati urgebant, reputaretur. Id cum ſenatui, ut in eo promulgaretur, oblatum eſſet, libello ſupplici oſtentato verius quam porrecto interceſſere Lutetiae factioſi, quorum anteſignanus erat ſartor quidam [e] Ruta nomine, qui vita in luſtris et ganeis acta decoxerat, cujuſmodi fere erant in urbe factionis illius capita; et curiam ingredienteis patres facto agmine circumſtitere in palatii area conglobati, minis, ſi pergerent, intentatis. Cumque unus ex ſenatoribus ex Ruta quaereret, quorum nomine libellum porrigeret, cum nullius manu ſubſcriptus eſſet; ille ſuperbe reſpondit, XCIↄ vere Catholicorum, qui libello, ſi juberentur, ſubſcripturi eſſent, nomine ac juſſu ſe id facere. Itaque ſenatus, qui videret regem ad injurias ſubinde novas connivere, majus periculum veritus promulgationem omiſit. Eidem piaculo obnoxius putabatur Franciſcus Borbonius [f] Contius, qui et ipſe ſe auxiliari Germanorum exercitui imperatorem obtulerat; cui minime tamen fraudi fuit, quod eodem remedio uti noluit; nec proinde injuriae a Sueſſione fratre, dum ſibi cautius conſultum cupit, a plebis faece acceptae participavit.

XIV. Sub id, ne tantum a Gallis et domi rex injuriis peteretur, affertur de Saluciarum principatu a Carolo Emmanuele Sabaudiae duce occupato. Is parentis veſtigiis inſiſtens, innata ambitione ſive ultionis deſiderio, quam tamen tot beneficia a regibus poſtea accepta, et nuper [g] Pinarolio et Savilliano redditis cumulata, deleviſſe debuerant, ſive a Philippo, cum ejus filiam in uxorem accepit, ſacramento adactus, id conſilii captata occaſione cepiſſe dicitur. Quod ut facilius exequeretur, diu

INTERPR. [a] *le comte de Soiſſons.* [b] *de Coutras.* [c] *Marans.* [d] *Moroſini.* [e] *la Rue tailleur.* [f] *le prince de Conti.* [g] *Pignerol & Savillan.*

diu ante cum [a] Coſta arcis Carmaniolae praefecto egerat; qui ab ipſo ſolicitatus, CIↃIↃLXXXVIII
cum ſe morigerum futurum in ſpeciem praeberet, monito prius rege et permiſſu HENRICUS III.
ejus magnam pecuniae ſummam diverſis vicibus emunxerat. Cum ſimulationi amplius locus non eſſet, [b] Sanſilvio in arce, qui eam per abſentiam ſuam teneret, relicto, in aulam venit. Igitur Sabaudus ludificatum ſe ſentiens alia atque alia ratione idem tentat, ac primum corrupto centurione nomine [c] Cambrio; qui detectus ac convictus proditionis, in publica Carmaniolae platea, capite inverſo, pedibus in altum ſuſpenſis, cum conſciis ſtrangulatur. Dein, ubi de Pariſienſi motu cognovit, de regno penitus ac regis auctoritate actum ratus, Guiſium per ſuos tentat, opera ſua ad juvandos ejus conatus prolixe delata, an in regno dividendo, Delfinatu, Provincia, et Saluciarum principatu ſibi cedere vellet. At Guiſius, qui hominem ambitioſum nimis ardenter in eo negotio verſari videret, invidiam veritus ſi cum aperto Gallici nominis hoſte conſilia conjungeret, ad haec, qui regnum, quod ſibi integrum ſpondebat, alii lacerandum nollet tradere, initio ſe excuſaverat, petitiones Sabaudi non omnino utique in ſpeciem aſpernatus, eumque in commodius tempus rejecerat, quo, ex occaſione, minore cum utriuſque invidia et periculo deſideriis ejus ſatisfieri poſſet: hoc apposite addito, tempeſtive fructus colligi debere; nunc, cum meſſis adhuc in herba eſſet, praemature falcem in eam immitti. Quo reſponſo Sabaudus irritatus, cum id pro injurioſa repulſa accepiſſet, continuo per Renatum [d] Luſingum Alimium, tunc ſuum in Gallia oratorem, non prius monito Guiſio, regi, quid in rerum ſuarum perniciem Guiſiani moliantur, aperit, opeſque ſuas itidem prolixa cum benevolentiae ſignificatione defert; viciſſimque a rege contendit, in bonam partem accipiat, ſi ſibi ac ſuarum rerum ſecuritati caveri petat. [e] Diguierium in proximo eſſe, multis nominibus non ſolum ſibi ſed toti Italiae formidoloſum, cujus progreſſus, rege alibi occupato, nemo impediat: jam Delfini-caſtellum ab eo captum, et cum ejus armis ſectarium virus per convalleis vicinas ſpargi; metumque ex eo cunctos Italiae principes inſediſſe, ne his initiis malum per totam Italiam ſerpat: ſcire ſe Diguierium occulta cum [f] Fitta, Valetae, qui Saluciarum principatum tenet, vicario, conſilia agitare; nuper etiam inducias cum eo pepigiſſe: non poſſe ſe diutius peſtem viſceribus haerentem ferre: petere igitur, ut, quando rex aliis negotiis diſtrictus rebus Italiae attendere non poſſit, ſibi aut Carolo [g] Nemoroſii duci agnato id onus tranſcribat, et Saluciarum praefecturam, quam ipſe aut ille regio nomine adminiſtraturus et a ſectariorum conatibus, qui ipſi imminent, defenſurus ſit, committat; quod ni fiat, Italiae principes, qui periculum tantum negligere nequeant, ex neceſſitate conſilium capturos. Aſtum ſenſit rex, et non tam Guiſianos a Sabaudo accuſari, quam urbium Gallicae ditionis, quae in Italia reliquae ſunt, poſſeſſionem quovis titulo peti. Itaque renidenti vultu, gratiis prius actis, Alimio reſpondit, non ſe adeo a rebus ad bellum neceſſariis imparatum, ut non intus foriſque hoſtium conatibus repellendis par ſit: [h] Meduanium cum valido exercitu in Delfinatum jam deſtinatum eſſe, et majores propediem, ſi opus ſit, copias eo miſſum iri; brevique Sabaudum ac ceteros Italiae principes experimento ipſo cognituros, ſibi non minus urbium quas in Italia habeat, atque adeo foederatorum principum Italiae, quam aliarum ſuarum ditionum ſalutem, quantum ad religionis cauſam, curae eſſe. Ita dimiſſus Alimius. Cognito regis reſponſo, Sabaudus, cum non procedere aſtum adverſus ipſum videret, et metum ex colloquio oratoris ſui cum rege injectum Guiſio ſciret, occaſionem inde capit conſilia cum Guiſio redintegrandi, qui propterea ſe multo faciliorem

INTERPR. [a] *la Coſte gouverneur de la citadelle de Carmagnolles.* [b] *St Sivier.* [c] *la Chambre caporal en la citadelle.* [d] *de Luzinge Sr des Alimes.* [e] *le Sr de Leſdiguieres.* [f] *de la Fitte lieutenant de Roy au marquiſat de Saluces.* [g] *Nemours.* [h] *le duc de Mayenne.*

faciliorem deinceps ad Sabaudi petitiones praebuit. Itaque ex compacto utrinque res acta; et, dum Guiſius in comitiis propoſitum ſuum urget, eodem tempore Sabaudus de Saluciani principatus urbibus et arcibus vi aperta, quando dolus non ſucceſſerat, invadendis conſilium cepit: et, colore quaeſito, quaſi in Montis-ferrati ditionem impetum eſſet facturus, in qua jus ſibi contra Gonzagas Mantuae duces arrogat, Henrico [a] Sabaudo Sanſorlini marchioni agnato copias attribuit; quas ille mox Carmaniolam deflectere jubet, et urbem Kalendis Novembribus nullo negotio capit. Continuo ad arcem admotae copiae, quam [b] Sanſilvius per [c] Coſtae abſentiam cum valido praeſidio, ſed [d] Subalpinorum fere militum, tenebat; qui, annona vetere paulo ante vendita, ut nova inferretur, improviſo obſeſſus, cum nec a Diguierio ſuppetias accipere vellet, nec ipſe per ſe locum tueri poſſet, omni alio auxilio excluſus, ſumma ignavia ſeu perfidia, nam pretio eum corruptum pleriſque perſuaſum fuit, arcem dedidit, in qua CCCC amplius omnis generis tormenta reperta ſunt, cum ingenti apparatu bellico, ad res in Italia, ſi opus foret, gerendas neceſſario, ibi depoſita, et ex aliis innumeris locis, quae Galli ante XXX annos in Italia tenebant, pace inter Henricum et Philippum facta, illuc comportata. Capta Carmaniolae arce, Saluciarum civitas, [e] Centalium, et alia loca principatus minus firma, ſtatim in Sabaudi poteſtatem venere, excepto [f] Ravelio; quod et ipſum aliquanto poſt, cum nulla auxilii ſpes eſſet, pariter deditum eſt; et Galli omnes tota Italia excluſi, ſignis explicatis et tympanis pulſantibus cum armis et ſclopperis, ſed funibus exſtinctis, incolumes dimiſſi ſunt. Fama rei varie in Italia à pleriſque principibus, quibus ſuſpecta Sabaudi ambitio erat, accepta: et cum ipſe factum apud pontificem excuſaret, quaſi non alieni invadendi cauſa, ſed ut ſectarium virus, ne ulterius per Italiam ſerperet, impediturus, eam expeditionem ſuſcepiſſet, conſilium ſuum apud aequos rerum aeſtimatores minime probare potuit. Multoties a ſe fruſtra monitum regem aiebat, ejus ſegnitie obiter ſugillata, ut Subalpinae regioni proſpiceret, tam vicino Delfinatu, ubi Diguierius, ſeu vi, ſeu per veteratorias novellorum ſectariorum artes, provincialeis non ſolum a legitimi principis obſequio, ſed, graſſante paſſim exemplo, vicinos etiam populos a vera religione alienabat: verum ſibi tantum verba a rege data: itaque ſe, qui propior periculo eſſet, et ſua et aliorum Italiae principum cauſa expeditionem eo libentius ſuſcepiſſe, quod neglecti communis periculi damnum ad omneis, ad ſe infamia cum detrimento eſſet redundatura. *Haec ita palam*: in arcano ab emiſſariis ſpargebat, nemini mirum videri, ſi Sabaudus, antiquarum injuriarum a regibus olim acceptarum haud immemor, occaſione captata, ſuum repeteret; nam Saluciarum principatum, tanquam Sabaudiae ducum beneficiarium, ad eos ab anno CIↃ CCCC XXCI ex lege feudorum commiſſoria pertinere; quod obſequium ejus ratione debitum is qui debebat Carolo VI Sabaudiae duci, cui debebatur, praeſtare detrectaſſet: ſed Galliae reges potentiae potius quam juris praerogativa, dum impunita licentia per Subalpinam regionem graſſarentur, eum ſibi addixiſſe. Alii, iique fere ex factione Hiſpanienſi, apertius factum Sabaudi laudabant, qui fortuna recte uti ſciviſſet; multa quippe jure prohiberi, quae facta tenent. *Sed* plures variante praetextu offendebantur; et nunc Romae religionis cauſam, alibi proprium jus obtendi, ad inquietum temerarii juvenis animum referebant, qui, communicato cum turbulentis Galliae ingeniis conſilio, res novas in Italia moliendi occaſionem quaereret. Quidam etiam penitius in Sabaudi conſilia penetrantes ſic judicabant, ipſum non ſuis auſpiciis, nec proprii roboris fiducia, tantam rem aggredi: nam quid Subalpinum principem cum rege Galliae collatum? avum patremque ante

INTERPR. [a] *de Savoie marquis de S. Sorlin.* [b] *St Sivier.* [c] *la Coste.* [d] *Piedmentois.* [e] *Cental.* [f] *Ravel.*

ante oculos obverſari, quos Galli una atque altera expeditione ditione omni ſpoliaverint: id per Hiſpanos agi; atque adeo Philippum, quod per ſe ad vitandam invidiam nolit, quaeſito colore bellum per generum Gallis inferre. Auxit ſuſpicionem ſuperbum juxta et impudens Sabaudi factum, qui ſucceſſu ebrius nummos aureos et argenteos triuncialeis ſub id cudendos curavit, in quorum antica parte ipſius effigies, in poſtica centaurus conſpiciebatur, arcu lunato collimans, et pedibus coronam jacentem calcans, cum inſcriptione, OPPORTUNE. Sed eadem fortuna, quae eo veſaniae eum adduxerat, eidem poſtea inſigni exemplo illuſit, omni citra Alpeis ipſius ditione ab Henrico IV intra paucorum dierum ſpatium occupata; qui, injuriae deceſſori ſuo illatae memor, multo juſtiore de cauſa nummos argenteos cudi juſſit, in quorum antica parte Galliae inſignia, in poſtica Hercules Gallicus coelatus erat, cum clava liliata, coronam manu erigens, et centaurum jacentem pedibus calcans, cum inſcriptione, OPPORTUNIUS. Certe tunc pontifex, qui Hiſpanorum dominationem ſumme exoſam haberet, Sabaudi audacia admodum commotus eſt; vixque tandem interventu Philippici oratoris placari potuit, fide a Sabaudo interpoſita, ut, rebus in Italia conſtitutis, arma in Genevenſeis verteret: quod et ille poſtea, ſed irrito ſucceſſu, fecit. In aula et comitiis re evulgata varie affecti ſunt animi: nam factioſi maligne ac ſumma impudentia jactabant, id ex compacto cum Sabaudo actum, ut arma in Proteſtanteis tanto omnium conſenſu ac ſumptu deſtinata averterentur, et belli externi ſtudioſe affectati ſpecie internum tam neceſſarium omitteretur. Contra optimi quique miſerabilem reipublicae conditionem deplorabant, in qua per factiones, et eorum qui regnum adminiſtrabant ſocordiam, effectum eſſet, ut Gallici nominis hoſtes tantum audaciae ex contemptu noſtro ceperint, ut potentiſſimo regi, in omnium regni ordinum veluti conſpectu, tam inſigni contumelia os ſublinere non dubitaverint. Ut autem in Italia hos motus ad Hiſpanos referebant, ſic apud nos judicabant omnes, nunquam id Sabaudum, niſi conſcio Guiſio, fuiſſe auſurum; quod ut regem toties repetitis injuriis irritatum magis exaſperabat, ita Guiſio magnam invidiam in comitiis conciliabat, praecipue apud nobilitatem, quae robur regni eſt, et cujus favore ad res quas moliebatur gerendas ſe egere minime ignorabat. Nam de duobus aliis ordinibus ſecurus erat, quippe qui eccleſiaſticos obnoxios haberet, e plebe fere conſtanteis, et qui, cauſam propriam in hoc bello agi rati, decus et periculum regni facile contemnebant. Plebs vero, animis praeceptae opinionis veneno a ſacro ipſo ordine, per conciones et arcana in confeſſionibus colloquia, praeoccupatis, injuria quamvis indigna minus tangebatur. Itaque conjunctis ſtudiis utrique urgebant, ut rex bellum adverſus Navarrum ad exſtirpandos ſectarios inchoatum perſequeretur, multum fremente nobilitate, quae, ob inſitam virtutem acriore ſenſu praedita, injuriam regis ad ſe pertinere exiſtimabat; et, cum ceteroqui cum aliis duobus ordinibus optime conveniret, ob id conſilia ſua ab iis ſeparatura videbatur. Inter nobileis auctoritate et ingenio eminebat Ludovicus [a] Angennaeus Maintenonius e Rambulietorum familia, vir rerum uſu et fide praeſtans, e [b] Carnutum nobilitate delectus, magna contentione; quippe factioſi Theodorum [c] Lignerium malebant; vixque rege annitente obtinuerat, ut inter delegatos in comitiis maneret. Is regi auctor fuit, ut occaſione uteretur, et bellum inteſtinum a viſceribus avulſum in hoſticum transferret: ipſe operam ſuam ei ultro defert, et, rege haud abnuente, qui ſe moleſtia belli inteſtini levatum cupiebat, apud ordines vehementer inſtat; ſparſis vocibus, primum inter nobileis, illatam injuriam, cujus damnum ad omneis ſpectet, ad ipſorum proprie dedecus pertinere: non abs re tot praerogativis nobilitatem in regno

INTERPR. [a] *d'Angennes Sr de Maintenon de la Maiſon de Rambouillet.* [b] *Pays Chartrain.* [c] *de Ligneris.*

CIↃIↃLXXXVIII

HENRICUS III.

regno gaudere, principis gratiae prae ceteris ordinibus participare, et primariam in Francia auctoritatem obtinere: id juris majores ſuos, pretio ſanguinis, tot expeditionibus extra regnum auſpiciis regum effuſi, ac defenſis finibus meruiſſe; quae virtute quaeſierint, dignos eſſe qui amittant, ſi ſegnitia corrumpi decora antiquae nobilitatis patiantur: tempus veniſſe, et optandam a fortuna occaſionem datam, qua fidem ſuam principi, virtutem hoſtibus, approbent, et praeſtantiſſimum non ſolum Galliae ſed totius Chriſtiani orbis ordinem, qui tot diſſimulatis injuriis vileſcere jampridem incepit, a contemptu aſſerant: nec eos morari debere aut ſacri ordinis aut plebei contraria vota, quos factionibus diſtrahi, nec de fama et exiſtimatione Gallici nominis multum ſolicitos eſſe, appareat: in his rebus, quae ad bellum et decus regni pertinent, ipſorum eſſe et deliberare et decernere; in aliis negotiis ceterorum ordinum conſenſum exſpectent, in his ut anticipent aequum eſſe. *Maintenonii* crebris expoſtulationibus incenſi quidem nobiles; qui cum ſe, ad revincendam injuriam regi ac ſibi, ut putabant, inflictam, egregie animatos oſtenderent, tamen eccleſiaſtici ac tertius ordo tantum potuere, ut propenſa adeo ipſorum voluntas nullum exitum habuerit, nequicquam rege interea poſt frequenteis increpationes Deum hominesque obteſtante, ac provinciarum fidem incuſante, quae non nativos Francos, ſicuti debuerint, ſed Hiſpanienſeis et omni patriae charitatis ſenſu deſtitutos, ad comitia delegaſſent: ſe regnique cauſam prodi; exſpectaſſe quidem initio ab eorum fide, ut in comitiis auctoritas ſibi erepta redderetur; id non tantum non factum, ſed domeſticae injuriae diſſimulatione externam accerſitam, quae neglecta portam hoſtibus ad regnum invadendum procul dubio ſit apertura. Has voces Guiſius cum ad invidiam ſuam vergere minime ignoraret, ut eam a ſe amoliretur, et eadem opera, regi in ſpeciem gratificando, potentiam ſuam oſtentaret, per amicos ei renunciari curat, ſe magno ſuo cum dolore intellexiſſe quae in provincia Subalpina acciderint; ſed cum videret regem clam ſe conſilia de ea re agitare, ſenſum ejus acerrimum intra ſe preſſiſſe, et maluiſſe officio deeſſe, quam committere ut operam ſuam venditando ipſi moleſtus eſſet: nunc ad dolorem accedere juſtam expoſtulationis cauſam, quod in hoc negotio opera ipſius, tanquam ſuſpecti, rex uti hactenus recuſaverit: cur enim ſe ſuſpectum, cujus majorum tot egregia extent erga rempublicam merita? et, ut propriis enumerandis ſuperſedeat, cur auctam ſuam nuper a rege dignitatem, ac quaeſitam in comitiis praeſentiam, ſi virtus negligitur, ſi fides in dubium revocatur? Inter hos querelarum et expoſtulationum aeſtus via media reperta, qua et Guiſius regi nobilitatique ſatisfaceret, et in propoſito nihilominus maneret. Cardinalis Guiſius frater cum ſacro ordine, [a] Capella cum plebeio, qui ſe difficileis initio praebebant, agere juſſi, ut cum nobilitate vota ſua ac conſilia in hoc negotio conjungerent. Ipſe ſingulos ex utroque ordine, quos fidos ſibi et fervere magis inter ſuos noverat, in arcano ſeducit, et bellum contra Sabaudum decerni ad invidiam declinandam neceſſarium oſtendit; alioqui fore, ut nobilitas ab ipſis alienata voluntate deinceps conſilia ſeparata habeat; ad famam et exiſtimationem ſuam pertinere, ne tanta injuria negligi videatur: neque tamen illis propterea metuendum eſſe, ne bellum adverſus ſectarios inchoatum omittatur; id ſe ſpondere, ac certo polliceri: proinde de bello decernendo aſſentiri non dubitent, et verbis cum Sabaudo, armis cum Navarro, agi patiantur. Ita mox mutata comitiorum antea diſſidentium facies, cunctique unanimi conſenſu rogandum regem cenſent, ut bellum contra Sabaudum decernat. Archiepiſcopus [b] Bituricenſis ordinum nomine verba fecit; et poſt exagitatam, compoſita ad indignationem oratione, Sabaudi temeritatem, qui majorem ſe tam alieno tempore laceſſere auſus eſſet, regem enixis precibus ad bellum contra

cum

INTERPR. [a] *la Chappelle Marteau.* [b] *de Bourges.*

eum gnaviter ſuſcipiendum hortatur, in idque omnium ordinum opes et operam prolixe defert. Id ſuo interventu factum credi volebat a rege Guiſius; eodemque tempore per emiſſarios [a] Alimium in arcano convenit, et nihil belli denunciatione terreri Sabaudum debere dicit: bellum hoc, quod ad ſcenam et placandum regem ac nobilitatem oſtentetur, non verum bellum eſſe; nam non propterea Catholicos ab armis contra Navarrum ſumptis diſceſſuros, et, rege in [b] Aquitania et Meduanio fratre contra Diguierium occupatis, facile ſe curaturum, ut Italia a Gallorum metu quieſcat: idque ut ad Sabaudum herum ſuum diligenter perſcribat, jubet; idem per ſuos Bernardino Mendozae ſignificari curat. Aſtus Guiſii haudquaquam regem latuit, quid cum Sabaudo ageretur minime ignarum; qui non tam eo officio, ut rebatur Guiſius, placatus, quam inſolenti potentiae apud ſacrum et plebeium ordinem oſtentatione exaſperatus, cum de homine ad obſequium per comitiorum auctoritatem reducendo, quod ſibi ab initio perſuaſerat, deſperaret, tunc primum de ipſo e medio tollendo cepiſſe conſilium putatur.

CIƆIƆLXXXVIII

HENRICUS III.

XV. His acceſſit libellus tunc evulgatus et magno utrinque plauſu exceptus, [c] Veracis nomine; quo per manus hominum volitante, varie affecti ſunt animi. Ejus auctor perhibetur Michael [d] Huraltus Hoſpitalius, magni illius Hoſpitalii Franciae cancellarii nepos, juvenis excelſi animi et ingenii exculti, qui primum ſenator, dein ex ſenatore libellorum ſupplicum magiſter, ignaviam noſtram peroſus, nuper ad Navarrum tranſierat, ab eoque in [e] Britanniam et inde in [f] Bataviam [α] miſſus; eo deplorata temporum noſtrorum conditione, primum ingenia ac mores ceterorum principum tanquam in tabula expreſſos cunctis conſpiciendos proponit. Dein ad patrias calamitates revolutus, regnum, quod concors potius eſſe oportuit, in treis factiones ſciſſum dicit, regiam, Navarrenam, et Guiſianam; quarum regia debilior ſit, ſed juſtiorem cauſam habeat; Navarrena firmior ac ſecurior, Guiſiana in ſpeciem potentior appareat. Tum eas inter ſe comparat, et ignavia eorum qui circa regem ſunt, regnique cauſam produnt, factum conqueritur, ut auctoritatis ſuae aciem nimia patientia hebeſcere paſſus ſit, ſegnitiemque ac lentitudinem acerbe increpando eum ad rempublicam gnaviter capeſſendam hortatur; inprimiſque perniciosum illud conſilium deteſtatur, quod ipſi a miniſtris praepoſtera prudentia ſeu potius infida praevaricatione inſinuatum fuerat, ut pacem domi, hoc eſt, inter Catholicos tueretur, bello civili opus fuiſſe, cujus funeſtiſſimos eventus multis verbis exaggerat. Ad extremum, ex occaſione tumultus ultimi Pariſienſis, dum, collatis regis et Guiſii ſuper ea re literis, inde regis patientiam carpit, inde Guiſii immoderatam ambitionem incuſando, et ultorem Deum interminando, de cetero fortem ejus induſtriam ad magna natam ac felicem virtutem verbis extollit, regis animum non mediocriter pupugit, et contra Guiſium ſucceſſibus inflatum ad majora currentem incitavit.

XVI. Post decretum in Sabaudum bellum miſſus a rege Joannes [g] Angenneus Poignius e Rambulieta familia, vir literis ornatus et rerum uſu ac fide praeſtans, qui captas nuper urbes ab eo repoſceret; ſi recuſaret, bellum ei denunciaret. Datum et negotium Joanni [h] Vivono Piſanii marchioni apud pontificem regis oratori, viro fide et dignitate conſpicuo, ut de injuria expoſtularet, et belli contra Sabaudum decreti neceſſitatem excuſaret: et, quia Sabaudus per Hiſpanos, ſparſis libellis, extra cauſam religionis, etiam ſibi jus in Saluciarum principatu eſſe aiebat, ſpecialia ei mandata data, ut jus, quod regibus in eo competit, prolatis teſtimoniis tueretur. His autem

rationibus

VAR. LECT. [α] miſſus, arctam cum Juſto Lipſio neceſſitudinem contraxerat; cui et libellum inſcripſit, eo deplorata *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *le Sr des Alimes.* [b] *Guienne.* [c] *le franc & veritable diſcours.* [d] *Hurault de l'Hoſpital.* [e] *Angleterre.* [f] *Hollande.* [g] *d'Angennes de Poigny.* [h] *de Vivonne marquis de Piſany.*

rationibus nitebatur: Saluciarum principatum ſemper Delfinatus beneficiarium fuiſſe, jam ab eo tempore quo [a] Adelaſia Olderici filia Pedemontanae provinciae princeps, bellis vexata, ſe ſuaque [b] Guigoni Delfino Viennenſi avunculo ſuo ſolenni ritu ſubjecit circa annum CIƆ CCX: deinde annis circiter XXC poſt inter Humbertum Delfinum et Thomam [c] Saluciarum principem inſtrumento novo facto tranſactionem illam confirmatam; poſteaque Humbertum II novas leges Saluciarum principibus impoſuiſſe, ut bello ardente ſe ſequi cogerentur, loca munita in Delfini manus conſignarentur, appellationes Salucianorum ad Delfinatus curiam devolverentur: haec acta anno CIƆ CCCXLIII, et juxta haec pacta Fridericum Saluciarum principem Carolo Bellovillae, qui praeſidis titulo Delfinatum rege Carolo V adminiſtrabat, fidem praeſtitiſſe: idem feciſſe dein Thomam Friderici filium LVIII poſt, hoc eſt, CIƆ CCCC; Ludovicum item Carolo VIII, et Ludovico XII; et poſtremo Michaelem Antonium, Ludovici filium Franciſco I, anno CIƆ IƆ XV, cui ſtrenuam juxta et fidelem operam navavit in pugna [d] Ticinenſi, et poſt fatalem illam cladem Odetum [e] Foxium Lautrecum, cum ad regni Neapolitani expeditionem proficiſceretur, ſecutus eſt; et, defuncto Lautreco, Gallici exercitus reliquias, delato omnium conſenſu imperio, magna cum virtutis laude rexit, et poſtea Neapoli ex vulneribus acceptis deceſſit: verum ejus fratres longe diſpares fato ac fide fuiſſe; nam Joannem Ludovicum, quod defectionem meditaretur accuſatum, ac regni curiae decreto damnatum, adjudicato etiam regi Saluciarum principatu; tamen vitae gratiam obtinuiſſe Franciſci beneficio, qui eam gratiam longe majore cumulavit, principatu ſibi adjudicato in Franciſcum Ludovici fratrem tranſlato; qui tanti beneficii immemor teterrima ingratitudine illud rependit, ab ariolis deceptus, et ab Antonio Leva male perſuaſus, facta ſpe de Montisferrati, in quo jus ſibi eſſe contendebat, principatu in ipſum a Caeſare transferendo, et anno CIƆ IƆ XXXVII ad ipſum defecit: neque tamen heic regis benignitatem ſtetiſſe; nam Joannem Ludovicum, qui Lutetiae captivus attinebatur, carcere eductum, et in poſſeſſionem avitae ditionis, a qua ob violatam fidem tanquam indignus exciderat, miſſum; qui rurſus fratris Franciſci ſpecioſis verbis illectus, cum ſe ad [f] Valfeneriam turpi praevaricatione capi paſſus eſſet, regem, ne quid ſolitae benignitatis omitteret, Gabrielem utriuſque fratrem, ante a ſe [g] Atirae epiſcopum in Novempopulonia creatum, eodem principatu donaſſe; ſed illum, ducta Magdalena Claudii [h] Annebaldi equitum tribuni filia in uxorem, nullis ex ea ſublatis liberis, deceſſiſſe: ab eo tempore reges principatus tot juribus cumulatis quaeſiti nuſquam controverſam poſſeſſionem retinuiſſe, pacificatione inter Henricum II et Philippum II, qua Philibertus Emmanuel Sabaudus, Caroli, qui nunc eſt, parens, comprehendi voluit, facta, et aliis initis poſtea cum ipſo Philiberto foederibus, confirmatam. Haec Romae, et aliis in Italia locis, a noſtris tunc publicata. Ipſe Sabaudus, datis ad regem et reginam literis manu propria ſcriptis, non ulla juris, quod in eo ſibi tribueret, ratione, ſed tantum ut provinciarum ſuarum ſecuritati proſpiceret, factum excuſavit, et loca a ſe occupata ſe regis nomine tunc et porro poſſeſſurum ac defenſurum profeſſus eſt; et cum Poignius apud eum inſtaret ut regi ſatisfaceret, de cetero ipſi finium tuendorum, et mali ſectarii exſtirpandi, a quo non minus proprium regnum repurgatum quam Italiam immunem cupiat, curam permitteret, nihil praeter affectatas moras et ambigua reſponſa tulit; interimque cognovit, tormentorum, quae Carmaniolae erant, majorem partem inde abducta et per loca vicina diſtributa: quod ille alieni a reſtitutione, quam urgebat, animi tanquam certiſſimum teſtimonium accepit. Diverſa parte Alimius, qui in aula erat,

quae

INTERPR. [a] *Adelaide princeſſe de Piedmont.* [b] *Guigon Dauphin de Viennois.* [c] *marquis de Saluces.* [d] *de Pavie.* [e] *de Foix Sr de Lautrec.* [f] *Valfenieres.* [g] *d'Ayre en Gaſcogne.* [h] *le mareſchal d'Annebaud.*

quae facies rerum, qui motus animorum apud nos eſſent, quid Guiſius illi in arcano ſignificaſſet, diligenter ad Sabaudum perſcribebat; inſuperque admonebat, ut quid ageret pro prudentia ſua attentius expenderet: Guiſii fortunam in praecipiti eſſe; nam, ſi bellum inteſtinum in Gallia alatur, ſic judicare omneis, haud diu coalituram inter regem et Guiſium concordiam, brevique fore ut alter alterius peſte ſalutem propriam expediat; nec dubium prudentioribus relinqui, ſi eo res deveniant, quin regis, quantumvis ſegnitie ſua in contemptum adducti, potior cauſa futura ſit: id ni accidat, et per bellum externum inteſtino finis imponatur, quod regem optare appareat, occaſionemque ex his novis motibus captare, tunc totam tempeſtatem in ipſum incubituram; ac verendum eſſe, ut Guiſius, homo ambitioſus, et qui bella et turbas privatae libidini explendae quaerit, quam ſe nunc amicum ſimulat, tam ſe infeſtum hoſtem praebeat: ſeram tunc futuram poenitentiam, et fruſtra Hiſpanorum opem imploratum iri; quin eorum ipſorum, quos belli hujus inſtigatores eſſe nemo in Gallia ignorat, odio fore, ut Galli inter ſe nunc ob factiones domeſticas et religionis cauſam diſcordes, protinus depoſitis inimicitiis arma contra ſeipſos ſumpta in communem hoſtem vertant. Sed parum ſapientis viri monita valuerunt apud juvenem ambitione et amore ſui caecum, et ampla progenie, cui majores avitis fortunas animo parabat, ſubnixum; qui cum ſub id inter Helvetios vicinos, expoſtulantibus oratoribus noſtris, ſiniſtri rumores ea de re ſpargerentur, per ſuos impudenti fiducia reſpondebat, Deum tam pulchra ac numeroſa ſobole minime ſe auxiſſe, ut ditione exigua, quam a majoribus acceperat, contentus eſſet. Tum, ut invidiam facti in Italia amoliretur, cuncta ad Genevenſem expeditionem, cui favere pontificem ſciebat, parare, conſcriptaſque in Parmenſi agro XV peditum cohortes oſtentare, coepit.

XVII. EODEM tempore Ferdinandus Medices cardinalis magnus Etruriae dux, de uxore ducenda et liberis ad firmandum imperium tollendis cogitans, cum in Gallia jam cum rege et regina parente de accipienda Chriſtierna Caroli Lotharingiae ducis et Claudiae regis ſororis filia conveniſſet, ut ſe cardinalis dignitate cum bona pontificis gratia honorifice abdicaret, Nicolaum [a] Tornabonum Sancti Sepulchri epiſcopum Romam miſit, cum literis ad pontificem et collegium cardinalium, quibus cauſas petitionis ſuae exponebat. Huic et Joanni [b] Nicolino oratori apud pontificem ſuo ſenatus datus IV Kalendas Decembreis; porrectiſque literis, [c] Caeſar Marſilius advocatus conſiſtorialis pro oratoribus verba fecit: tum, recitatis publice literis, pontifex cum cardinalibus in ſecretius cubiculum conceſſit; ubi exquiſitis eorum ſententiis juſtam Ferdinandi petitionem eſſe pronunciavit, et, quando ſacris nondum ullis initiatus eſſet, ut uxorem ducere poſſet, gratiam fecit. Actae ab oratoribus gratiae, et pro grata tanti beneficii memoria duae pulchri artificii ſtatuae argenteae, ſingulae LX pondo, ad S. Joannis in Laterano Baſilicam, cujus effigiem referebant, Ferdinandi nomine appenſae ſunt. Mox Horatius [d] Oricellarius, qui paulo ante in patriam, invidioſis ex ſalinario vectigali comparatis opibus, relicta Gallia conceſſerat, cum mandatis miſſus, ut nuptias conventas fiduciaria poteſtate contraheret. Mandatis oblatis rex Carolum [e] Engoliſmenſem Caroli IX naturalem filium, magnum Franciae priorem, cum alii id ambitioſe affectarent, officio defungi voluit. Itaque is coram rege, regina parente, ac totius aulae proceribus, Bloeſis in arcis ſacello poſt veſpertinas preces Chriſtiernam procuratorio nomine in uxorem accepit. In laetitiae ſignificationem mox diſploſa per urbem tormenta, et publice accenſi ignes, rexque lautiſſimo convivio legatos principum invitatos excepit.

XVIII. SUB

INTERPR. [a] *Tornabuoni eveſque de S. Sepolcro.* [b] *Nicolino.* [c] *Ceſare Marſilio avocato conſiſtoriale.* [d] *Rucellai.* [e] *le chevalier d'Angouleſme.*

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

XVIII. Sub id res, levis in ſpeciem momenti, incidit, quae pernicioſiſſimae longe lanienae paene cauſam praebuit, et cum evanuiſſet, tamen hinc in prudentiorum ingeniis opinionem impreſſam reliquit, fore, ut comitiorum funeſtus atque adeo cruentus futurus eſſet exitus. Carolus [a] Borbonius et Vindocinus cardinales, [b] Contius, Sueſſio, Monpenſerius Borbonii, [c] Guiſius, Nemoroſius, Carolus [d] Jonvillae princeps Guiſii filius, [e] Ellebovius, Anna [f] Ateſtina Nemoroſia, Catharina Maria [g] Monpenſeria, in arce hoſpitium habebant; et nobiles pueri dominos, dum in cubiculo regis erant, pro more per ſcalas, [h] pergulam Britonum, quam vocant, et in arcis area ad multam noctem ludibundi exſpectabant. Ii, exſoleta jam pridem diſciplina effraenes, cum, ſciſſis in aula ſtudiis, alii in Borbonios, alii in Lotharingos propenderent, a verbis contumelioſis, quibus jam ante aliquot dies ſe mutuo laceſſiverant, ad rixam tandem apertam devenerunt, allatoſque gladios in mutuam perniciem ſtrinxerunt, principio a cardinalis Borbonii, licet is ſe totum Lotharingis mancipaſſet, pueris facto. Ibi uno ex pueris Guiſianis interfecto, cum ad ſtrepitum e nobilitate aliquot accurriſſent, unus eorum rurſus occiſus eſt; et, concurrentibus ſtipatoribus, multi ex iis a furente multitudine humi ſtrati et pro mortuis relicti ſunt. Id initium majoris motus eſſe, ex compacto regis juſſu excitati, cum Lotharingicis partibus addicti ſuſpicarentur, quanquam clauſis arcis portis quoſdam emittunt, qui ſuos ubique per urbem ſparſos rei certiores facerent. Guiſianus cardinalis in urbe aedeis extra arcem ſibi ſumpſerat, ut commodius cum factioſis quovis tempore, ac nocte praecipue, quod Guiſio non perinde factu facile erat, capita conferre poſſet, et, ſi quid rex in eos moliretur, diviſi non tam facile opprimerentur. Is, nuncio rei accepto, cum ſuis, qui ad ipſum ſtatim ſe conglobaverant, accurrit. Nec ſegnius qui Borboniis navabant operam facto agmine advolant, parumque res a mutua pernicie abfuit. Sed cum prope eſſent ut ad bivium, quod in arcem ducit, ſibi ita animati occurrerent, a Guiſio ad fratrem, a Borboniis ad ſuos, nuncius venit, in arce omnia ſedata, compertumque puerorum nobilium ac lixarum laſcivia, non conſilio dominorum aut cujuſquam potentioris juſſu, motum excitatum fuiſſe: itaque compoſitis animis cuncti in aedeis ſuas reverſi ſunt. Animadverſum eſt, dum res ad primum ſtrepitum in arce ferveret, et rex alios ſuper alios ad ſedandum motum mitteret, Guiſium, qui in cubiculo regis erat, nunquam faciem mutaſſe, aut ullum commoti animi ſignum dediſſe, quantumvis Monpenſeria ſoror, quae aderat, impotentis animi foemina, fratrem, cui metuebat, anxie urgeret, ut ſaluti conſuleret. Rex ipſe ſibi metuens, ubi ex pavore ſe collegit, et motus cauſam et originem intellexit, renidenti vultu ad familiareis converſus, ſummiſſa voce, pueros cardinalis Borbonii, qui rixae principium fecerant, plus hero ſuo ſapere dixit, qui cauſam propriam, quam ille imprudenter oppugnatum ibat, tam generoſe tuerentur. Tum elatiore voce principes et proceres, qui in conclavi erant, monuit, ut per moderatores ſuos in pueros domeſticam diſciplinam exercerent, publiceque edixit, ne pueri nobiles ac lixae deinceps telis armati in arcem venirent; qui deprehenderentur, ſcuticis caederentur.

XIX. Nec Navarrus interim in [i] Pictonibus ceſſabat; ubi cum intellexiſſet Philippum Emmanuelem [k] Lotharingum Mercurii ducem cum copiis a rege praemiſſis [l] Montem acutum, quod eſt [m] Tremollianae ditionis caſtellum, oppugnare ſtatuiſſe, jamque Renatum [n] Burraeum Jarſaeum ſtrenuum belli ducem cum legione ſua ad

Georgii-

INTERPR. [a] *de Bourbon & de Vendoſme.* [b] *le prince de Conti, le comte de Soiſſons, & le duc de Montpenſier, de la Maiſon de Bourbon.* [c] *les ducs de Guiſe & de Nemours.* [d] *Joinville.* [e] *le duc d'Elbœuf.* [f] *d'Eſte ducheſſe de Nemours.* [g] *Madame de Montpenſier.* [h] *la perche aux Bretons.* [i] *Poictou.* [k] *de Lorraine duc de Mercœur.* [l] *Montaigu.* [m] *de la Tremoille.* [n] *Bourré Sr de Gerſay.*

Georgii-fanum veniſſe, continuo cum C expeditis equitibus et praetorianis ſcloppetariis [a]Rupella profectus, [b]Lucionium, et inde, accepta in itinere Caroli [c]Eſcalarii Bolaii equitum ala, et ſcloppetaria equitum cohorte cui Petrus [d]Pideus Neda praeerat, [e]Eſſartium tertiis caſtris venit. Cum [f]Niortium praetervcheretur, egreſſis ad pugnam praeſidiariis aliquandiu certatum fuit; in eoque conflictu Joannes [g]Valeta magnus hoſpitii regii praefectus, et e Santonica nobilitate [h]Peraeus, ardentius provecti in hoſtem, interfecti ſunt; in quorum cadavera, qua ex cauſa incertum, indigne ſaevitum eſt. Mons-acutus oppido et arce conſtat olim munitiſſimis; verum Albertus [i]Gondius Radeſiarum dux, qui [k]Dampetram arcem huic vicinam habebat, munitiones demolitus fuerat; quas rurſus [l]Columbarius, qui locum Navarri nomine praeſidio tenebat, magna diligentia inſtauraverat. Eſſartii cum eſſet Navarrus, per exploratores cognovit Mercurianum retro ceſſiſſe. Is S. Jacobi ſuburbium, quod Monti-acuto adjacet, fruſtra aggreſſus, cognito Navarri adventu, [m]Cliſſonem ſe receperat, III tormentis ſecundo flumine avectis ad [n]Pontem-ruſſum, ubi [o]Seura in [p]Ligerim influit, et relicto Jerſaeo qui ultimum agmen duceret. Navarrus, recedenti inſtandum ratus, Montem-acutum venit; acceptoque praeſidio, duce [q]Luſerna Columbarii fratre, [r]Muneriam tendit; quo Jerſaeus cum ſua legione venerat. Jamque diſceſſerat, [s]Pillemillium petens, quod eſt Condivicini Namnetum ſuburbium in ulteriore Ligeris ripa, medio inter civitatem et ſuburbium flumine, quod ponte longiſſimo jungitur: ſed, Luſerna magna vi incumbente, cum Jerſaeus ſubſiſtere coactus eſſet, ſupervenit cum toto copiarum robore Navarrus, qui ſtrenue quantumvis ſe defendenteis ad extremum in fugam vertit. L circiter occiſi, multi ſparſi, amiſſis fere armis; reliqui capti, quibus vita condonata eſt. Ipſe Jerſaeus diſſipatis ſuis, pernici equo Hiſpano vectus, ſe periculo ſubduxit. Gratiis Deo publice actis Navarrus [t]Georgii-fanum revertitur, ubi ad eum venit Claudius Tremollius [v]levis armaturae praefectus cum legione Gabrielis [w]Prevotii Carbonarii, Joannis Guntaldi Bironi Salignaci, Hectoris Preolii, et [x]praetoriana, qui Arnoldi [y]Stellae legionem haud longe a [z]Pictavio fuderat, IV ſignis tunc ad Navarrum allatis. Heic quae ad muniendum et firmandum Montem-acutum pertinebant proviſis, ac refecto milite, conſilium de [aa]Bellovario in poteſtatem redigendo capitur, quod is locus et ſitu firmus et ad inſulas in officio continendas, ex quibus magnae commoditates in communem cauſam redundabant, opportunus videretur. Igitur Navarrus Cliſſonem profectus, copiis in ſuburbio hoſpitia diſtribuit: inde in [bb]Namnetes deſcendit, et, per [cc]Golenam inferiorem copiis diſtributis, [dd]Uretovii ad Seuram hoſpitium ſumpſit, altero a Pillemillio milliari; ubi per aggeres partem copiarum traduxit, pars ad Muneriam vado Seuram ſuperavit. Poſtridie, per [ee]Machecolium cum exercitu in aciem inſtructo incedens, a Carolo Gondio [ff]Bellae-inſulae marchione Alberti Radeſiani filio colubrinae ictu petitus eſt. Demum IV Non. Octobr. Bellovarium, quod ab una cohorte tenebatur, corona cinxit; relictiſque in municipio arci ſubjecto ſcloppetariis, ipſe cum equitatu ad [gg]Fanum Gervaſii haud longe hoſpitium ſibi ſumpſit. Paulo ante Tremollius [hh]Duacum in Andibus ſuae ditionis municipium ceperat, quo [ii]Bonnevallius ſtrenuus ordinum ductor ſe incluſerat, et inde

INTERPR. [a] *la Rochelle.* [b] *Luçon.* [c] *d'Eſchalard Sr de la Boulaie.* [d] *Pidoux dit le capitaine Nede.* [e] *les Eſſarts.* [f] *Niort.* [g] *la Valette grand prevoſt de l'hôtel du Roy.* [h] *Peray gentilhomme de Saintonge.* [i] *de Gondy duc de Retz.* [k] *Dampierre.* [l] *le Sr de Colombieres.* [m] *Cliſſon.* [n] *Pont-rouſſeau.* [o] *la Seure.* [p] *la Loire.* [q] *la Luſerne.* [r] *Mouſnieres bourg ſitué ſur la Seure.* [s] *Pillemil, fauxbourg de Nantes.* [t] *S. George.* [v] *colonel de la cavallerie legere.* [w] *Prevoſt Sr de Charbonieres, de Biron baron de Salignac, & Hector de Preau.* [x] *le regiment des gardes commandé par M. de Querin.* [y] *de l'Eſtelle.* [z] *Poictiers.* [aa] *Beauvoir.* [bb] *quartier Nantois.* [cc] *baſſe Goulene.* [dd] *Uretou ſur la Seure.* [ee] *Machecoul.* [ff] *Belle-Iſle.* [gg] *St Gervais.* [hh] *Douay en Anjou.* [ii] *le capitaine Bonnevau.*

CIƆIƆLXXXVIII inde crebris excurſionibus vicinos fatigabat; qui et ipſe captus et ad Navarrum adductus eſt. HENRICUS III. Mox, inſtantibus Franciſco [a] Angennaeo Monlueto et Philippo Mornaeo Pleſſio, qui cum delectis copiis ad Navarrum venerat, duae murales machinae et totidem colubrinae Rupellae in naveis imponuntur cum [b] pluteis et omni apparatu bellico, et ad [c] Aegidii-fanum deductae ſunt; quae eſt ſtatio a [d] Bellovario VII leucis diſſita. Verum, adverſantibus ventis et tempeſtate maxime aſpera, ante XV diem, quantavis diligentia adhibita, appellere non potuerunt. Summis incommoditatibus in obſidione conflictabatur miles, crure tenus in aqua et paludoſis vorticibus continuo haerens; quas tamen Navarrus praeſentia ſua et exemplo, dum in opere ipſe adſiduus verſatur, ſuperavit. Vallo ad foſſam arcis uſque ducto et derivata aqua, tormentiſque vix tandem adductis et contra arcem directis, XII Kalend. Novembreis coepta verberatio; diſploſiſque haud amplius XXX ictibus, cum praeſidiarii nullam auxilii ſpem viderent, Navarri clementiam quam ſumma omnia experiri maluerunt, cum eoque his conditionibus tranſegerunt, ut ſignum traderent, cum armis et impedimentis fune extincto exirent. LIII in arce erant, qui incolumes [e] Bouingam inſulam in proximo deducti ſunt. Paulo ante Guiſius [f] Sanpauli legionem [g] Mercuriano agnato ſummiſerat, cujus II ſigna contra fidem Navarro datam ab [h] inſula in praeſidium accepta fuerunt: ſed dedito Bellovario protinus locum deſeruerunt, quippe qui interclusum exitum a Navarrenis ſcirent, navibus in anguſtiis, per quas neceſſario tranſeundum erat, diſpoſitis. Navarrus, qui deditos ſpoliare poterat, non ſolum cum armis exire permiſit, ſed ut in tutum deducerentur curavit, et inſulanis, qui eos admiſerant, ſumma gratia ignovit: cumque in inſulam tranſire vellet, adverſo vento prohibitus, ad locum tuendum cum praeſidio [i] Carqueroium ex Armorica nobilitate virum fide et virtute praeſtantem impoſuit.

XX. INDE [k] Montem-acutum redit, cui [l] Preolium cum legione ſua impoſuit; proviſoque ut [m] Mauleonum, Ganachia, Fontenaium, Talmontium diligenter ſervarentur, [n] Rupellam proficiſcitur, quo delegati magno numero convenerant: nam ut [o] Bloeſis regni comitia rex, ſic ipſe Proteſtantium [p] comitia Rupellae indixerat. Iis factum initium XVIII Kal. Decembr. in publicis aedibus. Ibi biduo poſt Navarrus, coram Henrico [q] Turrio Turenae vicecomite, ſuo per [r] Aquitaniam vicario, Claudio [s] Tremollio, aliis proceribus ac belli ducibus, multa de calamitoſo rerum ſtatu praefatus, quo pejore loco ſint, eo majores animos ad ea ſe afferre, et, quod ſemper antea fecerit, nunc vitam, ſanguinem, pro religionis regnique cauſa, quam pernicioſi homines perditum eant, profundere paratum oſtendit, idemque ut ipſi ſtrenue faciant hortatur; in id vocatos eſſe, ut in commune conſulant: inprimis, quo bellum, quod religionis cauſa ſuſcipitur, Deus proſperet, petit, ut conſtitutiones contra dejerationes, raptus, ſtupra, latrocinia, et alia per civilium armorum licentiam graſſantia mala factae renoventur, et adhibitis poenis religioſe ſerventur; pauperibus et egenis de publico facta collatione proſpiciatur, forma et ratione antea ſervatis; pietatis et integritatis perſpectae tantum homines ad munera publica admittantur. Quibus a Navarro dictis, gratiae a delegatis actae. Inde crebrae inter eos conſultationes habitae; et decreta facta de eccleſiaſtica diſciplina, de judicum conſtitutione, de concilii inſtauratione et ordine in eo ſervando: item de aerario,

INTERPR. [a] *d'Angennes Sr de Monlouet, & Philippes de Mornay Sr du Pleſſis.* [b] *Mantelets.* [c] *S. Gilles.* [d] *Beauvoir.* [e] *Bouing.* [f] *le Sr de S. Paul.* [g] *le duc de Mercœur.* [h] *l'Iſle de Bouing.* [i] *M. de Kergueroy de Bretagne.* [k] *Montaigu.* [l] *de Preau.* [m] *Mauleon, la Ganache, Fontenay, & Talmont.* [n] *la Rochelle.* [o] *Blois.* [p] *l'aſſemblée generale des Egliſes.* [q] *de la Tour vicomte de Turenne.* [r] *Guienne.* [s] *de la Tremoille.*

aeratio, donis, immunitatibus, diſciplina militari, militum ſtipendiis, pecuniae in id collationibus, praedis, captivis, annona, agricolis a militum vexatione defendendis, multa diſputata, et juxta delegatorum mandata pro temporum neceſſitate conſtituta; ac tandem XVI Kalend. Januar. finis comitiis α impoſitus.

CIↃIↃLXXXVIII
HENRICUS III.

VAR. LECT. α impoſitus, precibus publice conceptis pro Proteſtantium unione et concordia, ad Dei cauſam tuendam, Regis ſalutem regnique inſtaurationem, Francici nominis ſtudioſorum contra ſeditioſos, factioſos, ac perduelles, qui quietem publicam turbatum eunt, defenſionem. *MSS. Reg. et Samm.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS TERTIUS.

EPITOME.

LIBELLUS Navarri nomine et Proteſtantium regi oblatus: quo Bloeſis allato delegati excanduerunt, et regi auctores fuerunt, ut de ſucceſſore legitimo Catholico deſignando mature cogitaret. II. Secundum haec Navarrus ab ordinibus ob ſectarium crimen regni ſucceſſione indignus pronunciatur. Cum rex urgeretur ut ſubſcriberet, ſe excuſavit, et ut legatio ad Navarrum decerneretur cenſuit. III. Ludovici Gonzagae Nivernii cum exercitu in Pictonibus res geſtae. IV. Regis nomine in dies vileſcente factio Guiſiana conſurgit, et de populi levamento rex intempeſtive interpellatur. V. Dein in theſaurarios verſum odium publicum; et petitum, ut in quaeſtores regni quaeſtio a judicibus minime ſuſpectis haberetur. VI. Majore contentione de Tridentinae ſynodi promulgatione actum; qua in cauſa ſoli Jacobus Faius Speſſaeus fiſci patronus, et Jacobus Gueſlaeus cognitor regius, jura regni et libertates eccleſiae Gallicanae conſtantiſſime tutantur. VII. Rex exaſperatus, accedentibus multis odiorum et ultionum ſtimulis, de caede Guiſii cogitare coepit. VIII. Inter Lotharingicos in factione concordes occulta ac domeſtica diſſidia. Carolina factio. Praefectura Lugdunenſis in Nemoroſium collata rejecto Allincurio. IX. Meduanii, dum Lugduni eſſet, cum Alfonſo Ornano ſecreti ſermones ad regem perlati. Mariae Aumalii uxoris a marito et ſermones in Guiſium eodem tempore ad regem delati. Petulantes Monpenſeriae voces. Joannis Aumontii equitum tribuni in aulam adventus. Is a Guiſio fruſtra tentatur. De Guiſio equitum magiſtro creando potentes inter ordinum delegatos prenſationes. X. De Aureliano acerba inter regem et Guiſium altercatio. XI. Rex, fidis ſevocatis, habita prius longa oratione, caedem Guiſii decernit. XII. De ratione rei exequendae aliquandiu diſceptatum fuit. XIII. Guiſius, ab amicis ſaepius monitus ut ſibi caveret, monita eorum negligit. XIV. IX Kal. Januar. rex ſummo mane, frequenti admodum conſiſtorio, breviculum rerum poſtridie diſceptandarum recitari jubet. Interim cum rei exequendae deſtinatis agit, et oratione efficaci ad facinus patrandum eos hortatur. Cum proceres et Guiſiani veniſſent, et jam deliberatio coepta eſſet, rex Guiſium per L. Revolium a ſecretis epiſtolis rei ignarum in conclave proximum evocat; qui ubi intravit, oppeſſulato, ut fit, oſtio, a conjuratis repetitis ictibus confoditur. XV. Comprehenſi cardinalis frater et Lugdunenſis archiepiſcopus, qui in conſiſtorio erant; et in cubiculo ſuo cardinalis Borbonius ſiſtitur. Siſtuntur et Jonvillae princeps Guiſii filius, Nemoroſius et Ellebovius. Inde cum Mauroceno legato pontificio rex per Revolium agit, et juſtas rei cauſas exponit. Aumontius cum Carolo Balſaco Aurelianum miſſus, ut arcis beneficio, ſi poſſent, urbem in poteſtate haberent. Miſſus et Alfonſus Ornanus Lugdunum, qui Meduanium, ſi in tempore veniret, manu armata ſiſteret: verum ille a Bernardino Mendoza monitus periculo praevertit. XVI. Guiſii et Meduanii fratrum, quantum ad mores et ingenium, inter ſe comparatio. XVII. Cardinalis Guiſiani ob verba minarum plena imperata caedes. XVIII. E magno concilio aſſeſſores delecti, qui captivos in jure interrogarent.

interrogarent. Reſpondere detrectat Lugdunenſis. In crimine majeſtatis eccleſiaſtici privilegii praeſcriptionem ceſſare, exemplis ex hiſtoria noſtra petitis demonſtratur. Nic. Fumaeus Bellovacenſis epiſcopus ad Lugdunenſem, ut ad interrogata reſpondeat, fruſtra mittitur. XIX. *Aliunde probationes ad conjurationum fidem faciendam conquiſitae et evulgatae: quae tamen praeoccupatis populorum animis nullum ad defectiones ſiſtendas momentum habuerunt.* XX. *Rationes in contrarium ab Henoticis allatae.* XXI. *Segnities in revocando e Pictonibus exercitu. Rex captivos Amboſiam in arcem deducit. Edictum quo Catholicorum unio Juliano edicto ſancita denuo confirmatur.* XXII. *Lutetiae, ubi caedis nuncius venit, res turbant. Concilio in urbanis aedibus habito delata ſumma Aumalio praefectura. Inde in omnem intemperiem effuſi contra regem concionatores: ſed incerto adhuc Aureliani obſeſſi eventu, miſſus Claudius Hieroſolymitanus eques Aumalii frater, qui praeſentia ſua obſeſſis animos faceret.* XXIII. *Suppetiae cum nitrato pulvere onuſtis carris miſſae a Fargio et Montinio ex occaſione interceptae.*

Ex auctoribus,

Actis publicatis, Comitiorum actis, Scaevolae Sammarthani commentariis, Relationibus eorum qui conciliis ſecretis interfuerunt, Navarri militari diario, Nic. Neovillae Villaregii apologia.

LIBER NONAGESIMUS TERTIUS.

RUPELLAE dum Navarrus eſſet, libellum regi offerendum curaverat, quo Proteſtantes poſtulabant ut religionis plena libertas juxta edictum Januarium ſibi concederetur, concilii nationalis toties petiti copia fieret, in quo ab utraque parte delecti theologi coram rege libere de controverſis religionis capitibus adhibita moderatione diſſererent, ac deciderent; bona, in quorum poſſeſſionem rex miſſus eſſet, reſtituerentur. Huic libello typis mandato, ut a comitiis aſſenſus praeberetur petebant Proteſtantes, alioqui ſe de comitiorum vitio proteſtari: qui, ubi [a] Bloeſis inter hominum manus volvi coepit, immane quam commoti ſunt animi delegatorum, qui majorem partem ex factioſis conſtabant; cum dicerent has eſſe ſolemneis eorum, qui nulla ſe ratione, diſciplina, aut ullo obedientiae vinculo cogi paterentur, voces, ut concilii celebrationem petant: at quam ſpem eſſe ut novo pareant, qui vetera ſpernunt, et verbis contumelioſis proſcindunt? quorſum autem quaeſtiones toties concordi patrum conſenſione deciſas rurſus in dubium revocari? unam eſſe veritatis faciem, eundem vultum: quid ergo profuturum, ſi, ut effraenatae excucullatorum et amentium hominum libidini ſatisfiat, quae jam obtinent nunc intempeſtive refricentur, ut idem, quod de iis jampridem ſtatutum eſt, denuo decernatur? quin potius rex, ſi ſe regnumque ſalvum cupit, ſi fidem, quam Deo primis regni auſpiciis vovit, liberare vult, de ſucceſſore legitimo Catholico deſignando mature cogitat, et omneis bonos juſto metu, quem ob religionis periculum conceperunt, excluſis iis ut indignis, qui a majorum pietate defecerunt, ſolvit.

CIↃIↃLXXXVIII

HENRICUS III.

II. HAEC in comitiis ex occaſione libelli illius tanto aeſtu jactata et agitata ſunt, ut rex, quanquam aegre faceret ut ſibi vivo tumulum fodi, hoc eſt, ſe vivo videnteque ſuam hereditatem cerni pateretur, tamen, quo [b] ordines ad cetera placatiores haberet, ut religionis ſecuritati quavis ratione conſulerent, plenam poteſtatem fecit. Itaque

INTERPR. [a] *Blois.* [b] *les Eſtats.*

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

Itaque in ſacri ordinis conſeſſu pridie Non. Novembr. magno calore Navarrus, ob ſectarium crimen, in quod perfidioſe relapſus eſſet, regni ſucceſſione indignus pronunciatur, decerniturque ut id aliorum ordinum cameris, ita coetus eorum vocabantur, ſignificaretur, et ut ſacri ordinis decreto ſubſcriberent admonerentur. Quo facto nobilitas et plebeius ordo, cum praevalente factione nefas ducerent, in cauſa religionis ab eccleſiaſticis, ad quos talium rerum cognitio vere pertinet, diſſentire, univerſi ſubſcripſerunt; moxque regem facto agmine circumſtant, ut decretum regia auctoritate ac publico diplomate confirmaret. Gulielmus [a] Avanſonius archiepiſcopus Ebrodunenſis, qui Guiſii gratiam ſerviliter ambiebat, nam [b] Bituricenſis prudenter ſe excuſavit, cum XII ex ſingulis cameris regem convenit, et, ut decretum contra Navarrum factum confirmet, ordinum nomine petit. Heic rex non aperte contradicere, ſed invidiam in tanti momenti negotio deprecari; ut in privatis cauſis, ſic in quaeſtionibus de regnorum ſucceſſione, legitimum judiciorum ordinem ſervandum: audiviſſe ſaepe conquerentem Navarrum, quod non auditus, non inſtructus, non citatus, ſectariae pravitatis reus ſit peractus: quod ceteris regis ſubditis per edicta toties repetita licet, ut liberam religionis profeſſionem habeant, cur ſibi non licere? cur plenam aliis libertatem permiſſam, ſibi ac conſcientiae ſuae indita vincula, in re quae imperari non poteſt, et quae omnium maxime libertatem requirit? an non iniquiſſimum eſſe, ut, quod infimae conditionis hominibus minime detrimentoſum eſt, id ſibi principi viro ſit fraudi? legem regni ſe hactenus ſecutum a regibus ipſis, proceribus, provinciarum praeſidibus, [c] regni curiis, civitatibus religioſe juratam; legem regni ſe merito eam appellare, cujus promulgatione pax in Gallia, ejuſdem revocatione mox bellum ſecutum ſit: neque tamen ſe defugere concilii liberi auctoritatem; id publicatis toties libellis a ſe fruſtra expetitum: atqui neminem ſectarium pronunciandum, qui legitimi concilii ſe auctoritati ſummittat; ſed jus omne perverti, vim aperte legibus afferri, atque adeo ipſam violari naturam, cum reus inauditus damnatur: Deum, quem nihil cogitationum noſtrarum latet, tamen, ut recti in judiciis ſervandi [α] ordinandis exemplum eſſet, non niſi prius citatum et interrogatum Adamum damnaſſe: id Romanae ipſius eccleſiae patres in Donatiſtis improbaſſe, qui Caecilianum Carthaginis epiſcopum abſentem inauditum dignitate privarunt: ſic Liberium praefractae ſententiae a Conſtante contra B. Athanaſium non vocatum et inauditum latae ſubſcribere recuſaſſe; nefas quippe duxiſſe, crimen ſine accuſatore, ſententiam ſine judicibus, damnationem ſine defenſione, urgere: propterea Innocentium I acriter ſuccenſuiſſe Arcadio et Eudoxiae ejus uxori, quod ſine cauſae cognitione contra Joannem Chryſoſtomum pronunciaſſent: ſic et Henricum VII Caeſarem a Clemente V graviter increpitum, quod Robertum Siciliae utriuſque regem inauditum laeſae majeſtatis reum peregiſſet: in hoc vero manifeſte pontifici obreptum eſſe, quod ipſe tanquam relapſus accuſetur; nam nunquam ſe aliam ab ea, quam nunc profitetur, doctrinam pro vera agnoviſſe: vim ſibi in tumultu Pariſienſi maximam, quae in conſtantiſſimum virum cadere potuiſſet, factam; qua ſolutum, eandem, quam a pueritia ſecutus fuerat, viam in religione inſtitiſſe: quoties vero interpellatus ſit, ut ad religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam rediret, toties a rege petiiſſe, ut legitima ratione erroris ſui convinceretur; nam ſe ſemper paratum fore doctrinae examen ſubire, et errori agnito renunciare: id ſaepius, tum maxime comitiis ultimis Bloeſenſibus, publico teſtimonio declaraſſe. Has ſive affectatas Navarri excuſationes, ſive juſtas, ut putat, expoſtulationes, quanquam non omnino probet, tamen dignas ſemper exiſtimaſſe quibus aliquid condonaretur; et profecto viri dignitatem mereri, ut non auditus non damnetur:

itaque

VAR. LECT. [α] ordinis *Ed. Gen.* 1620.

INTERPR. [a] *d'Avanſon archevêque d'Embrun.* [b] *l'archevêque de Bourges.* [c] *les parlemens.*

itaque conſultum ſibi videri, ut, rurſus decreta ab ordinibus ſolemni legatione, denuo interpelletur, ut ad majorum ſacra redeat; quod ſi facere recuſet, denuncietur ei, juris via cum ipſo actum iri. Cum hoc reſponſo remiſſi ordinum delegati, juſſique amplius deliberare. Eccleſiaſtici, nihil regis auctoritatem ſive monita morati, ſtatim decernunt nova contra Navarrum interpellatione minime opus eſſe; ipſum a cardinali Borbonio patruo abunde inſtructum rurſus defeciſſe, et a regina parente, toties repetitis ad eum itineribus, officii admonitum non propterea reſipuiſſe; nuper denique a pontifice in conſiſtorio proſcriptum fuiſſe; nihilque jam ſupereſſe, niſi ut, tanquam pertinax ſectarius ac relapſus, regni ſucceſſione indignus pronuncietur. Id per Coſmum [a] Clauſſam Catalaunenſem epiſcopum nobilitati, per Urbanum [b] Lanſacum Convenarum epiſcopum plebeio ordini, renunciandum curant; qui et ſubſcripſere: continuoque [c] Ebrodunenſis archiepiſcopus, eodem quo prius comitatu, regem adit; et, re in deliberationem ejus juſſu deducta, omnibus placuiſſe dicit, ut in priore ſententia manerent: proinde ordines obſecrare regem, ut nulla mora interpoſita contra Navarrum ſententiam ferat. Rex ergo, ubi eos in propoſito obfirmatos vidit, quod unum poterat, rurſus importunas ipſorum flagitationes eluſit.

III. LUDOVICUS Gonzaga [d] Nivernii dux, exercitui in [e] Pictones deſtinato imperator delectus, cum huc uſque in aula manſiſſet, tandem, perſoluto tumultuantibus [f] Chinone Helvetiis ſtipendio, pridie Kalend. Novembr. ad exercitum venit; eoque ad VIII Eid. luſtrato in viam ſe dat, et [g] Mauleonum, quod primum occurrit, ducit. Locum tenebat cum CCC circiter praeſidiariis Joachimus [h] Buchetus Villerius Carolomanius, e nobilitate vicina vir ſtrenuus. Cum eo erant [i] Marinius, Liſtrius, Cabotius, et Landebrius nobiles ordinum ductores; qui, impares contra tantum exercitum loco adeo debili tuendo ſuas vireis cernentes, Villerio auctores fuerunt, ut mature de deditione ageret. Itaque Marinius, antequam muri pulſarentur, ad Nivernium mittitur, qui conditionibus oblatis obſeſſos deditionem facturos oſtenderet. Verum Nivernius cum ullas in conditiones conſenſurum ſe negaret, tandem, ſpe in occulto facta ut vitae gratia univerſis fieret, rem arbitrio Nivernii permittunt, et, ſignis Claudio [k] Caſtreo caſtrorum praefecto traditis, locum dediderunt, altero poſtquam obſeſſi fuerant die, XVIII Kalendas Decembreis. Retenti duces, donec Joachimus [l] Ferrerius Patrerius, alae equitum Joannis [m] Bellomanerii Lavardini, qui peditatui in exercitu praeerat, ſignifer, [n] Tremblaius, qui levis armaturae alam ſub Joanne [o] Baboo Sagonae comite ducebat, [p] Pleſſius, [q] Campetus, [r] Stellae legionis nuper caeſae duces, et [s] Bonivallius liberati eſſent: ceteri dimiſſi: excepti a gratia, qui ſtipendium ante quadrimeſtre a rege accepiſſe comperti eſſent. Ad exercitum venerant Philippus [t] Caſtrobriandus Rupibaritonius, Burnevallius, Bucherius, Santandreanus, alii e primaria Pictonum nobilitate, et cum iis plerique provinciales milites; qui excurſionibus praeſidiariorum vexati, poſt conventam deditionem, locum per macerias ingreſſi, vim in deditos fecere, [v] Miraumontio majore centurione, cui deditorum cura commiſſa fuerat, nequicquam contra pugnante; qui, motu incaleſcente, vix ipſe violentas ſuorum manus evaſit; ita ut Caſtreus et Lavardinus neceſſe habuerint in oppidum venire, ut praeſentia ſua militem a caede abſtinerent, jam quibuſdam e deditis interfectis. Inde ad [w] Montem-acutum promota caſtra, inſtigantibus [x] Namnetibus et Andibus, qui magna incommoda a praeſidiariis illius loci

INTERPR. [a] *de Clauſſe evêque de Chaalens.* [b] *de Lanſac evêque de Comminges.* [c] *l'archevêque d'Embrun.* [d] *Nevers.* [e] *Poictou.* [f] *Chinon.* [g] *Mauleon.* [h] *Bouchet Sr de Villiers Charlemagne.* [i] *les capitaines Marigny, des Liſtres, Chabot, & Landebrix.* [k] *de la Chaſtre mareſchal de camp.* [l] *de Ferrieres Sr de la Patriere.* [m] *de Beaumanoir Sr de Lavardin.* [n] *de la Tremblaie.* [o] *de Babou Sr de Sagonne.* [p] *du Pleſſis.* [q] *Champet.* [r] *l'Eſtelle.* [s] *de Bonnevau.* [t] *de Chateaubriand Sr des Roches-Baritaut, de Bournevau, de la Boucherie, & de S. André.* [v] *Miraumont ſergent major.* [w] *Montaigu.* [x] *ceux de Nantes & Angers.*

loci in dies accipiebant. Oppidum antea dirutum vix inſtaurari coeperat. Arx, [a] Columbarii, qui loco praeerat, et [b] Luſernae junioris fratris diligentia, optime firmata erat, ſartis ruinis et foſſa purgata. Ii ſcloppetariorum equitum cohortes II penes ſe habebant. [c] Preolius a Navarro impoſitus fuerat cum IV legionis ſuae ſignis; ita ut CCC circiter pedites, C equites ſcloppetarii, LX delecti cataphracti equites omnino in praeſidio eſſent. Miraumontius a Nivernio praemiſſus cum delectis, qui loco inſpecto ad ipſum referret. Ad ejus conſpectum egreſſi praeſidiarii, [d] Bovio et Bellovaſio ducibus, diu acriter conflixere: utrinque quidam ſauciati; Bovius grave vulnus in femore accepit. Levibus velitationibus ſequens biduum exactum. [e] Nivernius Barilleriae hoſpitium ſibi ſumpſerat; unde cum vallum ducere inciperet, foſſoribus in opere occupatis, acris eruptio a Preolio facta, ita ut opera intermiſſa ſint. Vix octo poſt diebus advecta tormenta, tempeſtate infeſta et itineribus imbre foedo corruptis. Verberatione directa, poſt primam XII tormentorum pulſationem obſeſſi, miſſo tubicine, deditionem facere jubentur. Columbarius ob occultas ſimultates cum Preolio parum aequo animo ſibi datum a Navarro ſive adjutorem ſive inſpectorem ferebat; idque Nivernius reſciverat, nec opinione ſua falſus eſt: nam is, locum nondum firmatum contra tantum apparatum cauſatus, et incommoda alia quae diuturniorem obſidionem neceſſario ſecutura eſſent, dedendum locum cenſebat. Contra Preolius locum defendi poſſe; fidem ipſum, atque adeo omneis qui adeſſent, de ſuſtinenda obſidione Navarro obligaſſe; communis cauſae in eo ſecuritatem, et privatum obſeſſorum decus, verti, ut hoſtem, ne ulterius pergat, quantum per belli leges poſſunt, diſtineant, et fidem datam ac exiſtimationem tueantur. Sciſſis ducum ſtudiis labare miles, et ſecuritatem rebus ſuis circumſpicere: tandemque Columbarii ſive auctoritas ſive privatum cujuſque periculum pervicit, ut ad Nivernium mitterentur qui de deditionis conditionibus agerent. [f] Curbius Columbarii vicarius ad id delectus; qui, niſi intra VIII dies a Navarro auxilia venirent, obſeſſos deditionem honeſtis conditionibus facere paratos cum oſtendiſſet, Nivernius, qui adverſa adeo tempeſtate rem quavis ratione confectam cuperet, conditionem accipit; deditioniſque leges fuere, ut, tempore illo elapſo, intra quod neque obſeſſi urbem munire, neque ipſe vallum promovere poſſet, loco dedito et ſignis traditis, milites incolumes dimitterentur cum armis, funiculo extincto, nobiles cum impedimentis exirent, et omnes ad [g] Albini-fanum uſque, haud procul a [h] Gemmae-fano, a feciali et tubicine deducerentur; quo ex loco intra triduum abire tenerentur. Columbarius alieni a Navarro animi opinionem facto comprobavit: nam, cum haud amplius milliari ſpatio ſuos deduxiſſet, cum paucis, qui ipſum ſequi voluerunt, et Curbio in Nivernii caſtra rediit, et Navarri partes deſeruit. Reliqui, ſicuti convenerat, [i] Lucionium prope in tutum deducti ſunt. Sed Sagonae comes, aegre ſalvos dimitti ferens, exeunte triduo eos ad Albini-fanum nec opinato adſecutus in loci templum compulit; et, deficiente commeatu, deditionem iterum facere coactos, vita ſalva manente, armis et omni re exuit. Recepto [k] Monte-acuto, quo vires vertendae eſſent, in ducum concilio conſultatum fuit; et [l] Ganachiam duci placuit, quod eſt Roanorum regulorum caſtellum, II a [m] Machecolio, VII a Monte-acuto, III a mari leucis diſſitum. Id in [n] Radeſiarum ducis et Bellae-inſulae marchionis filii, qui Machecolio a loco infeſto tam vicino metuebant, gratiam a Nivernio, qui utrique in occulto favebat, factum. Loco praeerat, Navarri nomine, Mathurinus [o] Brunetterius Pleſſius Getaeus, vir uſu rei militaris clarus, qui a Franciſca [p] Roana, quae olim

de

INTERPR. [a] *les Sr de Colombieres.* [b] *la Luſerne.* [c] *le Sr de Preau.* [d] *les capitaines Bœuf & Beauvois.* [e] *M. de Nevers mit pied à terre à la Barrilliere.* [f] *le Sr de la Courbe.* [g] *St Aubin.* [h] *S. Gemme.* [i] *Luçon.* [k] *Montaigu.* [l] *la Ganache.* [m] *Machecoul.* [n] *le duc de Retz, & le marquis de Belle Iſle.* [o] *de la Brunetiere Sr du Pleſſis Gettay.* [p] *de Rohan.*

de matrimonio controverſiam [a] Nemoroſio duci moverat, et [b] Condivicinum regiis edictis parens conceſſerat, et a Bellae-inſulae marchione de reſtituendo oppido ſolicitatus nequicquam fuerat. Cum igitur videret hoſtem in propinquo eſſe, protinus ad Navarrum ſcribit, et quibus in anguſtiis verſetur, niſi auxilio juvetur, oſtendit. Nec Navarrus periculum ejus neglexit; ſed [c] Vignolio, e Vaſconica nobilitate juveni ſtrenuo, mandat, ut cum copiis ſuis terreſtri itinere Ganachiam petat. Per mare II ſigna ex praetorianis, Theodoro Agrippa [d] Albinio et Robinerio ducibus, cum pulvere nitrato ac reliquo apparatu, mittit; qui [e] Rupella ſolventes, et ventis adverſis in [f] Retenſem inſulam rejecti, vix tandem multis dilapſis eodem appulerunt. Daniel [g] Loganus Rufinius cum L ſcloppetariis equitibus itidem a Navarro miſſus eſt. Ganachia oppido et arce conſtat in [h] Pictonum et Armoricae confinibus ſita, qua mare ſpectat, aperto camporum aequore circundata: Montem-acutum et Machecolium verſus ſylvas et ſaltus oppoſitos habet. Stagnum ingens arci ſubjacet, et majorem partem claudit; unde aqua in vicina prata regurgitans acceſſus difficileis et paludibus impeditos per hyemem praecipue reddit, et a [i] S. Leonardi ſuburbio ad Thomenſe extenditur: foſſa oppidi in ſaxo exciſa eſt, idonea profunditate. [k] Muri antiqua ſtructura, turribus more itidem priſco feneſtratis diſtincti, majore quam putabatur firmitudine diu pulſationem ſuſtinuerunt. Itaque [l] Pleſſius ad eam partem quae debilior videbatur, et ad quam pulſatio prima directa eſt, jam initio munitionem excitaverat, et alias duas, Thomenſe verſus ſuburbium, unam forma ſoleae equinae, alteram infra aggerem verſus qui ſtagni aquam continet. Paulo ante et aliam inſtituerat, quae oppidi portam Machecolium verſus tegebat. Auxiliaribus appulſis et cum iis [m] Sangeorgio, qui L ſcloppetarios equites ducebat, regiones inter belli duces diſtributae. Vignolius munitionem aggeri impoſitam ex adverſo ſacelli diruti in Thomenſi ſuburbio; Albinius et Robinerius [n] ſoleae equinae; Rufinius S. Leonardi; [o] Bellogardius, qui ſcloppetariis equitibus praeſidiariis praeerat, inferius ſitam cubiti forma munitionem defendendam ſuſceperunt. Sorte inter duas cohortes praeſidiarias jacta, munitio portae impoſita [p] Ferrerio, arcis cuſtodia [q] Foreſterio e nobilitate Armoricana ductori experto, obvenit. Inde deſtruendis ſuburbiis opera impenſa, ne regiis ad obſidionem uſui eſſent; qui XVII Kalendas Januarias, qui in Veneris diem incidebat, primum apparere coeperunt, [r] Sagonae comite a [s] Nivernio cum levi armatura praemiſſo, et [t] Caſtanei, Brignei ac Stellae legionibus, qui necopinato S. Leonardi ſuburbium invaſerunt, et, cum [v] Perrinus Pleſſii vicarius ſubito ad arma conclamaſſet, poſt acre certamen ceperunt, Rufinio et [w] Mota Vignolii ſignifero in eo occiſis. Ad macerias in via confragoſa ante oppidum poſitas, ubi Sangeorgius cum aliquot ſcloppetariis ſe abdiderat, et obſtinate pugnatum fuit uſque ad noctem: nec eo die regii iis potiri potuerunt. Caſtaneus et Brigneus legionum regiarum duces, occupato ſuburbio, munitiones uſque ad ſacellum promoverunt. Inde levibus proeliis certatum uſque ad adventum Roberti [x] Jouſae comitis Granpratenſis. Tum redintegratae velitationes ad [y] Plancas, eo loco ſibi hoſpitium ſumpſerat [z] Caſtreus, et ad ſtagnum verſus Guinefoliam, deteriore fere ſemper regiorum conditione. Equeſtribus etiam interdum pugnis certatum: cumque Caſtreus per Plancas ad Nivernii hoſpitium commearet, incumbente hoſtium

globo

INTERPR. [a] *de Nemours.* [b] *Nantes.* [c] *le baron de Vignolles gentilhomme Gaſcon.* [d] *d'Aubigny & Robinieres.* [e] *la Rochelle.* [f] *l'Iſle de Ré.* [g] *de Logan Sr de Ruſigny.* [h] *Poictou & Bretagne.* [i] *fauxbourgs de S. Leonard & S. Thomas.* [k] *murailles antiques flanquées de petites tours percées à l'antique.* [l] *du Pleſſis.* [m] *le Sr de S. George.* [n] *l'eſperon du fer à cheval.* [o] *le capitaine Beauregard.* [p] *de la Ferriere.* [q] *la Foreſterie.* [r] *Sagone.* [s] *le duc de Nevers.* [t] *de la Chaſtaigneraie, de Brigneux, & de l'Eſtelle.* [v] *le Sr de la Perrine.* [w] *de la Mote enſeigne du Sr de Vignolles.* [x] *de Joyeuſe comte de Grandpré.* [y] *logé aux Planches du coſté de l'eſtang vers Guineſole.* [z] *de la Chaſtre.*

CIↃIↃLXXXVIII globo et equo in foſſam praecipitante, paene interceptus eſt. Ita totus menſis exactus. Tandem pridie Kalendas Januarias per impedita itinera vix tandem advecta ſunt tormenta; ea erant XII omnino, VI videlicet muralia, II mediocria et IV colubrinae: quibus in colle via Machecoliana diſpoſitis, miſſus fecialis, qui obſeſſos, Nivernii tanquam ſummi regis vicarii nomine, deditionem facere juberet. [a] *Pleſſio* recuſante, et alii, quam Navarro ſummo [b] Aquitaniae praeſidi, locum *traditurum* ſe pernegante, omnia ad oppugnationem comparata ſunt, quanquam aſpera admodum hyeme, primum pluviis foeda, dein intenſo adeo frigore, ut concretis aquis facilis per glacies ad murum acceſſus eſſet, neque terra gelu indurata ad foſſam intus ducendam commode ab obſeſſis fodi poſſet.

HENRICUS III.

IV. INTEREA novae foederationis factio, quae per ultimum edictum et properatam comitiorum celebrationem extincta et diſſipata putabatur, majores vires capiebat, et regia auctoritas vileſcebat; ita ut inde Guiſius inſolentior redderetur, inde rex, qui ſumma moderatione hactenus uſus fuerat, ubi ſpe recuperandae auctoritatis ſe deluſum vidit, extrema conſilia ſequi paratus eſſet. Ad id multa illum, jam praeteritis injuriis exacerbatum, et poſt remiſſas injurias adhuc nutantem, impulerunt. In comitiis ordinum fere ſemper et principis diverſa vota ſunt, dum alteri levamentum ac libertatem, alter auctoritatis amplificationem quaerit; et, quamvis ſpecioſis verbis convenire videantur, facto diſcrepant. Tunc vero delegati magnam partem ex factioſis conflati maxime a regis voluntate diſſidebant, quippe qui Guiſii factionis ſuae ducis potentiam, quam rex imminutum ibat, auctam vellent. Cumque ſolemne ſit in comitiis, ut ante omnia de populi levamento agatur, arrepta hinc occaſione Guiſius, ut beneficii tanti, cujus concedendi neceſſitatem ab ordinibus impoſitum iri providebat, gratiam regi eriperet, occupandum ratus, id ut fieret apud ordines urgere coepit: quod rex indigniſſime tulit, quippe qui videret, a factioſis ubique claſſicum cani, et impoſita belli vectigalia bello ab ipſis violenter intus ſuſcepto, cui externum nuper acceſſiſſet, non ſufficere, et tamen eodem tempore, quo de ſumptibus in bellum faciendis conſultabatur, de minuendis belli gerendi rationibus agi. Itaque initio haerere et rogare ordines, eorum, quae initio in comitiis propoſita erant, memores eſſent: prius eſſe ut in aerarium inſpiciatur, et eorum quae ad bellum decretum neceſſaria eſſent ſubminiſtrandorum ratio diligenter ineretur; tum de levamento populi ageretur; alioqui coeptae conſultationis ordinem inverti: quomodo enim bellum ſine pecunia geri poſſe? aut plebem ruſticam ab injuria prohiberi, non perſoluto militi ſtipendio? Quas voces magnis rationum momentis ſubnixas cum in invidiam ſuam artificioſe retorqueri a factioſis rex cerneret, poſtremo, cum diu reſtitiſſet, manus dedit, expugnatus una et altera actione archiepiſcopi [c] Bituricenſis, quas ille eodem die habuit III Nonas Decembreis, ut in extrema violentia, ſummo temperamento. Nam priore petiit, incuſata conſiliariorum regis ſive avaritia ſive minus ſincera fide, et eorum qui pecuniam regiam adminiſtrant rapacitate, ut in eos conſtitutis judicibus quaeſtio haberetur; et ſex viri a rege ex regni curiis ad id deligerentur, ex ſingulis ordinibus totidem, qui ſimul omnes XXIV numerum explerent, ab ipſis ordinibus nominarentur.

V. ITA uno edicto bis decies centena ſexaginta ſex CIↃ aureorum ex ordinariis tributis et novis impoſitis remiſſa ſunt. Ob id gratiae regi actae, magno in ſpeciem plauſu, et pulſata per urbem tintinnabula, et accenſi ignes in publicae laetitiae ſignum, tanti beneficii gratia penes Guiſium remanente: qui, victoriae a rege extortae, ſic enim emiſſarii jactabant, inſiſtens, biduo poſt ab ordinibus ad exonerandum aerarium decerni curavit, ut theſaurariorum generalium per edicta *fiſcalia multiplicatorum* tribunalia abolerentur, et ipſi ad antiquum numerum redigerentur, hoc eſt, duo

INTERPR. [a] *le Sr du Pleſſis.* [b] *Guienne.* [c] *de Bourges.*

tantum in unaquaque diœceſi relinquerentur: nam x in ſingulis erant, attributa etiam contentioſa in certis cauſis jurisdictione; qua re regium aerarium ultra modum gravabatur. Nec ſolum de theſaurariis, ſed aliis etiam quaeſtoribus toto regno eadem licentia multiplicatis, actum. Jam ante quadriennium contra theſaurarios idem tentatum fuerat; et Scaevola [a] Sammarthanus, ex illo ordine, vir elegantia ingenii, eruditione ac integritate, quovis alio publico munere digniſſimus, Lutetiae in [b] Longavillanis aedibus coram rege ac aulae proceribus oratione habita tenuerat, ut nihil contra ipſos ſtatueretur, depenſa tantum aliqua ab iis pecunia. Tunc vero univerſis gazam regiam diſpenſantibus bellum a factioſis indictum eſt, eo conſilio, ut creditur, ut ii, qui opibus et potentia in civitatibus pollentes, et, ſive ob arctius jusjurandum, ſive ob privatum periculum obnoxii, regium nomen tuebantur, omni auctoritate exuerentur, aut metu amiſſionis bonorum ſe Guiſii arbitrio permittere, et ejus partes, deſerta regis cauſa, ſequi cogerentur. Enimvero hoc genus homines, invidioſis opibus per calamitates publicas, eorum qui rempublicam adminiſtrabant ſive ſocordia ſive conniventia, aucti, omnium in ſe acerrimum odium concitaverant; ita ut haec actio, licet non regni bono a Guiſio inſtituta, in ſpeciem plauſibilis haberetur, et optimi quique, quanquam viderent quorſum conſilia factioſorum tenderent, contradicere tamen minime auderent. Verum ipſi, cum ſe publica omni indignatione quaſi praejudicio damnatos et a rege ipſo deſertos viderent, minime ſe tamen deſeruerunt; et ad [c] S. Franciſci coetu e ſuo ordine convocato, cui ccc fere interfuerunt, eundem illum Sammarthanum deligunt, qui, ut antea felici eventu apud regem, ſic nunc communem cauſam, ſed diverſa ratione, apud ordines tuendam ſuſciperet. Nam antea illis res erat cum rege benigniſſimo, et qui vel ipſius Sammarthani, quem ob ingenii elegantiam et fidem ſumme diligebat, gratiae id dediſſe putabatur, ut nihil in ea cauſa decerneretur. Nunc vero, cum a jurata factione opprimi periclitarentur, ad extrema remedia confugiunt, et in publico ordinum conſeſſu admiſſi, faciente verba pro ipſis Sammarthano, proteſtantur de vitio comitiorum; delegatos majorem partem per coitiones et factioſas prenſationes in provinciis contra regis mandata et voluntatem nominatos; proinde pro irritis ſe habituros, quaecunque illi contra ſe poſtularent aut decernerent. Id indigniſſime tulere ordines, confeſtimque e ſuo numero ad regem delegarunt, inter quos Steph. [d] Nuellius curiae vectigalium primarius praeſes et foederatae factionis in urbe facile princeps fuit, qui de injuria non ſolum ſibi ſed in conſpectu regis facta apud ipſum expoſtularent, et de ea, qua et regis auctoritas imminueretur, et comitiorum libertas infringeretur, ſatisfieri ſibi enixe peterent. Rex vero, apud quem concepta de fide delegatorum opinio jam labare coeperat, quanquam haud aegre audiret legitimam eorum poteſtatem in dubium revocari, tamen preces illorum ſpernere nequaquam videri voluit, et cum quaeſtoribus acturum ſe reſpondit; quos ad ſe convocatos ita increpuit, ut potius ad pergendum in actione incitaſſe quam revocaſſe creditus ſit. Cum igitur illi non ſolum ab ea non deſiſterent, ſed teſtibus et ſcripto, ſi admitterentur, quae dixiſſent, probare ſe paratos oſtenderent, rege, ne diſſolvendis comitiis occaſionem quaeſiiſſe videretur, Guiſio, ne conatibus ſuis ad majora tendentibus remoram afferret, diſſimulantibus, negotium omnino omiſſum eſt.

VI. EODEM caloris aeſtu contentio de Tridentina ſynodo promulganda toties agitata denuo renovata eſt, annitente Guiſio, ut rei confectae penes ſe gratia, non ſuccedentis invidia in regem recideret. Nec abnuebat rex, a factioſis, quos tectos circa ſe habebat quamplurimos, perſuaſus; ſed rem more ſolemni et habita matura deliberatione

INTERPR. [a] *de Ste Marthe.* [b] *l'Hôtel de Longueville.* [c] *le convent des Cordeliers.* [d] *de Nully premier preſident de la Cour des Aydes.*

deliberatione confici volebat, ne, cum ad regni curias ac praecipue Pariſienſem, cujus in talibus rebus ſumma auctoritas eſt, remiſſa eſſet, novis difficultatibus ſubortis et non diſcuſſis, promulgatio tamdiu expetita retardaretur. Itaque delecti e conſiſtorio primarii viri, et in iis Ludovicus [a] Sangelaſius Lanſacus, qui Caroli *IX* nomine olim concilio Tridenti interfuerat, et plerique epiſcopi; in quorum conſeſſu archiepiſcopus Lugdunenſis facile primas tenebat, homo violentus et animi impotens, ad haec clamoſa facundia et eruditione non vulgari praeditus; qui, ſpe purpurei galeri proxime conſequendi facta, nihil non agebat, quo potentiam ſuam oſtentaret, efficeretque ut pontifex rei toties tentatae ac tandem confectae gratiam ſibi deberet. Sic autem ſcena inſtruitur, ut primo loco conſiſtoriales conſiliarii, quorum multi e ſacro ordine erant, judices utique ſuſpecti, infra ſecundo et tertio innumeri ſeu epiſcopi ſive abbates et ſacrorum collegiorum delegati, ſederent. In ima veluti cavea duo tantum aderant, Jacobus [b] Faius Speſſaeus fiſci patronus et Jacobus [c] Gueſlaeus cognitor regius, qui contra tot actores regis regnique cauſam tuebantur. Speſſaeus vir profundae eruditionis ac judicii, ad haec imperterrita eloquentia praeditus, continua oratione orditur, et libertates eccleſiae Gallicanae, quarum conſervandarum majores adeo ſtudioſi fuerant, non jura aut privilegia exorbitantia, ſed potius naturalia, ingenua, ac communia jura eſſe dicit, quibus nulla patrum definitione derogatum eſt eccleſiae Gallicanae: ea vero duobus praecipue capitibus concludi; priore, quod pontificibus nullum jubendi aut ſtatuendi jus ſit de rebus quae ad civilem adminiſtrationem ſpectant, in ditionibus regi Chriſtianiſſimo ſubjectis; et, ſi quid jubeant ſtatuantve, eorum juſſis ac ſtatutis regis ſubditi, etiamſi ſacris initiati ſint, parere non teneantur: altero, quod licet Galli pontificem in rebus ſacris ſupremam diſpenſationem habere fateantur, tamen in Gallia nunquam potentia abſoluta et infinita locum habuerit, ſed ea canonibus et priſcorum conciliorum in regno receptorum definitionibus, quaſi intra terminos, coerceatur; et in hoc maxime conſiſtere libertatem eccleſiae Gallicanae: his etenim verbis olim ſcholam Pariſienſem, quae, ob ſingulare religionis ac purioris cultus ſtudium, veluti clavem Chriſtiani orbis ſervare ab antiquis ſemper jure merito exiſtimata eſt, uſam fuiſſe, cum pontificiorum mandatorum Georgio cardinali [d] Amboſio conceſſorum promulgationi in ſenatu intercederet. Quibus praemiſſis, cum tanquam ab his duobus fontibus plures rivos derivare, hoc eſt, cetera regni et eccleſiae Gallicanae jura explicare, pergeret; Petrus [e] Gondius cardinalis, qui primo ordine ſedebat, licet cognatione cum Speſſaeo conjunctus, eum interfatur, et haec ſubtilius quam verius dici ait, ab hominibus quidem literatis, ſed qui rerum theologicarum ignari eſſent. Quibus verbis exacerbatus Speſſaeus ſumma libertate ſubjecit, ſe etiam antequam audiretur ultro manus dare paratum, ſi is, qui ſe ignorantiae argueret, inpraeſentiarum proprium nomen grammatice declinare poſſet. Id, quaſi in tumultu dictum, cum ſe non audiiſſe cardinalis fingeret, et nihilominus vocem quaſi victus preſſiſſet, [f] Lugdunenſis proximus in locum pugnae ſuccedit, et jura ac libertates regni ac eccleſiae Gallicanae, quae jactarentur, dixit vana eſſe commenta hominum ingenio ſuo abutentium, qui, quod male de religione ſentirent, ſectariae pravitati, qua imbuti erant, per has frivolas et adfectatas praeſcriptiones excuſationem quaererent. Heic Speſſaeus commotior quam antea inſurgit, et ſemper in majorum religione conſtanter perſeveraſſe ſe, nec Toloſae ſectariorum conciones frequentaſſe, coetibus eorum interfuiſſe, aut ſacramentis cum ipſis participaſſe, alta et diſerta voce reſpondit; ita ut haec in Lugdunenſem dici nemo eorum, qui adſtabant, ignoraret; omnibus

quippe

INTERPR. [a] *de S. Gelais de Lanſac.* [b] *Faye Sr d'Eſpeſſes avocat du Roy.* [c] *de la Gueſle procureur general.* [d] *d'Amboiſe.* [e] *de Gondy.* [f] *l'archevêque de Lyon.*

quippe notum erat, ipſum olim, cum adoleſcens Toloſae juri civili operam daret, ante XXV annos primo bello civili tumultus in urbe excitati tempore, ſectariorum partes ſecutum eſſe, et poſtea, cum videret eorum cauſam, quam potentiorem initio rebatur, ſenſim labare, continuo cum fortuna mutaſſe, et, ut magis fidem ſuam approbaret, eorundem ſe infeſtiſſimum ab eo tempore hoſtem profeſſum eſſe. Cum igitur is ad hoc reſponſum obmutuiſſet, Lanſacus ſermonem excipit; et, cum multa magnifice de ſynodi Tridentinae, cui regii oratoris nomine cum Arnoldo [a] Ferrerio et Vido Fabro Pibracio interfuiſſet, auctoritate ac decretis, ut ſancte ac legitime factis, et quibus proinde omnes parere tenerentur, dixiſſet, Speſſaeus pergentem conſiſtere jubet, et, Liceat mihi, inquit, pro rege ac regni cauſa heic verba facienti, idem, quod aliis in me licuit, ut, non exſpectato dum peroraveris, te compellem: igitur quaero a te, Lanſace, ecquid idem, quod olim Tridenti orator regius cum clariſſimis viris, quos nominaſti, ſentiebas, idem nunc de ſynodo ſentias? Et cum ille tunc ac ſemper poſtea bene de ea ſenſiſſe, et nunc in eadem ſententia perſtare, reſpondiſſet, Speſſaeus literas ſinu promit, rogatque, iis inſpectis, an non pro ſuis agnoſcat, ingenue edicat; agnitaſque, inſpecta a Lanſaco ſubſcriptione, protinus recitari jubet. Iis ille, ad Andream [b] Guillarium Inſulanum regis apud pontificem oratorem datis, multum de ſynodi vitio ac illicitis contra regem regnumque machinationibus querebatur; ac poſtremo ſubjiciebat, indigniſſime omnes ferre, cum ſynodus Tridenti convocata eſſet, nihil tamen Tridenti, omnia Romae, decerni: praeſides quippe concilii, quaecunque iſtic proponerentur, confeſtim ad pontificem mittere, ac demum quae ipſi placuerint, uti ab eo decreta ſint, Roma remitti; vulgoque inter delegatos jactari, Spiritum Sanctum non Tridenti concilio praeeſſe, ſed Roma ſingulis ſeptimanis per veredarios equos Tridentum ad patres tranſmitti. Quibus lectis, non jam ut antea Speſſaeus, punctim, caeſim, cominus, eminus, quaſi undique ad ictus expoſitus peti coepit; ſed ſublato a tot actoribus confuſo murmure ac mox clamore, inde cum indignatione, inde cum joco et riſu, conventu ſoluto diſceſſum eſt.

VII. REX, etſi a Tridentinae ſynodi promulgatione minime alienus, ob eas quas ſuperius dixi cauſas, tamen, ubi intellexit praecipuos ac peculiareis ſuos magiſtratus tam indigne a delegatis e ſacro ordine habitos, injuriam illis factam ad animum revocavit; et, per illorum latus ſe peti, ſuamque auctoritatem a factioſis in contemptum adduci, aegre ferens, deſperatione ſuarum rerum potius quam conſilio, tandem accedentibus aliis odiorum et ultionum ſtimulis, eo adductus eſt, ut de Guiſii caede cogitaret: nam ab initio non cogitaſſe arguit, quod praemeditata illa oratione, quam in comitiorum ingreſſu habuit, injuriae tumultu Pariſienſi acceptae memoriam minime ſe animo depoſuiſſe, et foederationes omneis tanquam conjurationes contra regni ſalutem initas deteſtari ſe, verbis aculeatis ſaepius repetitis, teſtatus erat; quod utique facere non debuit prudentiſſimus alioqui princeps ac ſummus diſſimulandi artifex, ſi jam tum conſilio certo Guiſium improviſum in inſidias protrahere deſtinaverat. Sed cum amiſſam auctoritatem recuperare vellet, et, ut erat miti et tardo in rebus ſevere exequendis ingenio, id citra violentiam confici poſſe, ita a Villaregio perſuaſus, non deſperaret, propterea Bloeſis comitia indixerat; ubi mox experimento comperit, vana eſſe quae ſibi de iis perſuaſerat, quippe cum major pars delegatorum illi factioni nomen dediſſet, eoſque ac Guiſium factionis principem longius effuſa licentia progreſſos eſſe, quam ut legitima ulla ratione ad officium adduci, nec niſi ſola vi ad obſequium cogi poſſent. Multa et veluti concurſu facto inciderunt,

INTERPR. [a] *du Ferrier, & Guy du Faur Sr de Pibrac.* [b] *Guillart Sr de l'Iſle.*

 inciderunt, quae deliberantem ad ultimum conſilium capiendum impulerunt, et ejus praecipitandi neceſſitatem haerenti quodammodo impoſuerunt.

VIII. CONCORDIUM in regem regiamque familiam Lotharingorum nonnihil diſcordes inter ſe mentes erant: et inter fratres olim Guiſium et Meduanium, in aulico otio, de foemina acris adeo contentio fuerat, ut ſe ad certamen provocarent: ſed, cum ad locum duello condictum, clam amicis, ut fit, veniſſent, Meduanius, reverentia ſeu poenitentia potius quam metu, ultro fratri ceſſerat, armis in terram abjectis; et ita uterque pudore confuſi ſine certamine diverſi diſceſſerant. *Philippus Emmanuel* [a] Lotharingus Mercurii dux, reginae frater, Armoricae ſeu Britanniae noſtrae a rege praeſes impoſitus, ut procul a gentilibus ſuis poſitus, ita ſeparatas ab iis rationes et conſilia habebat, et tamen eandem factionem cum illis in ea provincia fovebat; ad quam magnas opes et favores, ducta Maria [b] Lucemburgica *Sebaſtiani Martigii* filia, et [c] Pentevriae familiae, quae jus in Britannici principatus ſucceſſione ſibi vindicat, herede, attulerat. Is familiae ſuae apud nos princeps, tamen, quod nuper per matrimonium ſororis in Galliam inſertus eſſet, Guiſiani contra jampridem in Gallia radices egiſſent, ac vulgi animos occupaſſent, praerogativa gradus digniorem quidem locum in aula retinebat, principe auctoritatis et gratiae apud regni ordines loco penes Guiſium remanente. Ceteri ex eadem familia Guiſii fortunam ipſi invidioſam, regi formidabilem, ſibi odioſam, occulto livore proſequebantur; et Carolina factio inter eos jactabatur contra Guiſium, qui id ſumma ſolertia diſſimulabat, inita, cujus princeps erat ipſe Meduanius, ita dicta, quod ipſe, [d] Nemoroſii dux ejus frater uterinus, Aumaliae et Ellebovii duces patrueles, Caroli nomen haberent. Odiis ſubjecerat faces Carolus [e] Balſacus Dunenſis Entraguii frater, homo artibus aulicis innutritus, et ob ſimilitudinem nominis ludibrio in factionis conſcientiam vocatus; qui foederationis pertaeſus hoc agebat, diviſis Lotharingis, ut gratiam regis aucuparetur. Siquidem id unice exoptabat rex, ut citra ſanguinem, a quo maxime abhorrebat, foederationis contra ſe initae ſocietatem diſſolveret: itaque jam ante praefecturam Lugdunenſem, quam Franciſcus Mandelotus tenebat, et diu magna prudentiae ac moderationis opinione rexerat, Nemoroſio deſtinaverat, licet eandem Carolo [f] Neovillo Allincurio Villaregii filio, qui ea ſpe filiam Mandeloti permiſſu regis in uxorem duxerat, prius deſtinaſſet. Verum, Villaregio domum relegato, rex parvi ejus offenſionem fecit, dum Nemoroſium hac gratificatione placatum haberet. Igitur, cum mox, hoc eſt VIII Kalendas Decembreis, Mandelotus [g] Lugduni morbo ſubito correptus deceſſiſſet, [h] Meduanius ſubito e Burgundia illuc advolavit, in ſpeciem ut ſe ad profectionem in Delfinatum compararet, re vera ut praefecturae Nemoroſio fratri uterino deſtinatae, et per Mandeloti mortem delatae, poſſeſſionem caperet: nam verebatur, ne rex, tot injuriis in dies a Guiſio irritatus, mutaret, et gratiam Nemoroſio, quicum optime tunc conveniebat, factam revocaret.

IX. DUM Lugduni eſſet, Guiſii fratris potentiam gravem ſibi ac vulgo invidioſam peroſus, ſecretos ſermones cum Alphonſo [i] Ornano Corſo viro ſtrenuo et regi apprime fido habuiſſe fertur, multaque libere de fratris ambitione, quam ipſe minime probaret, dixiſſe, ac poſtremo eum, cum ſciret in eo eſſe ut propediem per diſpoſitos equos in aulam proficiſceretur, rogaſſe, regem moneret, ut a temerariis fratris conſiliis, quibus nec ipſe nec ceteri ejuſdem familiae patrueles participarent, ſibi caveret; atque ita perſuaſum haberet, ſe ſuoſque gentileis, extra religionis cauſam et familiae decus, quae ab infeſtis ſibi regique hoſtibus peti ſciant, et quorum periculum

INTERPR. [a] *de Lorraine duc de Mercœur.* [b] *de Luxembourg fille du vicomte de Martigues.* [c] *de Penthievre.* [d] *Nemours.* [e] *de Balſac de Dunes frere du Sr d'Entragues.* [f] *de Neufville Sr d'Allincour.* [g] *Lyon.* [h] *le duc de Mayenne.* [i] *le colonel d'Ornano.*

periculum ipſi ſalvo pudore ac conſcientia negligere non poſſint, ſemper regi fidos fore, et adverſus quemlibet, nemine excepto, regis regnique cauſam defendere paratos. Id, non tam fortaſſe ad regem periculi admonendum quam gratiam ejus promerendam ab Ornano relatum, longe aliter quam Meduanius rebatur a rege acceptum eſt, accedente ad eum nuncium altero non minoris momenti a Maria [a] Ellebovii ſorore et Aumalii uxore ſub idem tempus allato; quae, multis nominibus ſuſpecta, cum fruſtra a rege ad privatum colloquium admitti petiiſſet, et in reginae cubiculo coram nobilibus matronis, geſtu ad preces Deo fundendas compoſito, omnium in ſe oculos verterat, ita ut cum interrogaretur a praetereuntibus, quid ita alieno loco et tempore orantis ſpecie faceret? illa ſe magna habere ad regem referenda reſponderet, in quorum explicatione opus ſibi divina ope ſentiens eam implorabat: tandem ad colloquium admiſſa, cum eadem, quae a Meduanio Ornanus, a marito retuliſſet, Guiſium perniciosa conſilia coquere, ab iis ſibi rex caveret, et Aumalium ceteroſque ejuſdem familiae proceres minime iis participare ſciret. Quae monita rex non pro ſinceris bene affecti erga ſe animi teſtimoniis, ſed pro certiſſimis impendentis ſibi periculi indiciis, accepit. Incenderunt et eum petulantes Monpenſeriae impotentis animi foeminae voces, quae in aula forcipes aureos e zona, ut fit, dependenteis oſtentans, his fore dicebat, ut rex brevi tonſus in monaſterium, tanquam regno indignus, truderetur, et eo dignior, qui religionem, quam ille diſſimulatione et ignavia perditum ibat, a ſectariorum peſte defenderet, in regni ſolio conſtitueretur, fratrem Guiſium innuens. Ejuſdem et ſubitus ex aula diſceſſus regi ſuſpectus fuit, quaſi Lutetiam ad fovendam in ea urbe factionem, et faciendos praeſentia ſua ſeditioſis animos, tendentis; quanquam alia cauſa a Monpenſeria obtendebatur, ut nimirum Catharinae Cliviae Guiſii uxori uterum geſtanti, et ob partus commoditatem ad urbem ſe conferenti, praeſto eſſet. Paulo ante in aulam venerat Joannes [b] Aumontius equitum tribunus a rege evocatus, vir, praeter natalium ſplendorem, antiqua probitate, inſigni fortitudine, et fide cum paucis comparandus: quem Guiſius, quod arcta cum Ellebovio gentili ſuo adfinitate conjunctus eſſet, ſiquidem Antoniam [c] Cabotiam amitam Margaritae Cabotiae uxoris Ellebovii in matrimonio habuerat, per amicos primum delata prolixe amicitia ſua tentat, mox et in colloquium ſecretum vocat, et indignam gratiam meritis ejus rependi ſibi dolere teſtatur; tum veniſſe tempus dicit, quo bene de religione ac regno meriti, inter quos ipſe publicis omnium teſtimoniis facile excellat, ſummis honoribus ac praefecturis ornentur: Neuſtriam, abdicante nuper ſe [d] Eſpernonio, in [e] Monpenſerium collatam; at quem hominem? ob Navarrum merito bonis omnibus in ea provincia ſuſpectum, et alioqui ob ſocordiam indignum: ſe vero, ſi ipſe velit, effecturum, ut ordines provinciae, amoto Monpenſerio, alium ſibi praefectum dari a rege depoſcant, atque adeo ipſum Aumontium; id cupere ſe magnopere, et ſua ac religionis regnique cauſa. Cum haereret Aumontius, et, perhonorificae adeo conditionis invidiam deprecatus, ac Monpenſerii, cui ſervire ad omnia, ut deberet, paratus eſſet, offenſionem cauſatus, modeſte ſe excuſaret, de cetero gratias Guiſio ageret; ille, ut viro generoſo vel inſigni facinore fidem approbaret, ſtatim reducta tunica brachium nudat, et pugionem ſtringit, venas ſibi incidere et ſanguine proprio datam fidem obſignare, ni Aumontius prohibuiſſet, paratus. Quae omnia fide ſincera ad regem retulit Aumontius; addiditque, Guiſii aſtum contra ſe minime quidem proceſſiſſe; ceterum verendum eſſe, ne hujuſmodi veteratoriae artes, ad corrumpendos vulgi nobiliumque animos efficaces, apud alios majus pondus habeant: nam nihil reliqui facere

ipſum

INTERPR. [a] *du duc d'Elbœuf.* [b] *le mareſchal d'Aumont.* [c] *de Chabot.* [d] *le duc d'Eſpernon.* [e] *le duc de Montpenſier.*

ipſum et foederationi novae addictos, quos plurimos ubique et in aula habet, ut hominum voluntates a rege alienent, et ad ſuas partes blanditiis, promiſſis, minis poſtremo, adducant: jamque adeo Guiſium in comitiis regnare; audiri paſſim voces, virtutem pridem a regibus ſperni, ac deſpectam jacere; ſolum Guiſium ſupereſſe, qui eam erigat, exemploque ac commendatione ſua procuret, ut homines virtute praeſtantes ad dignitates et munia publica provehantur: bellum juſtum eo auctore contra ſectarios decretum, aegre a rege ſuſceptum, cavillatoria prudentia protelari, ut quod ad exſtirpandam haereſim magno regni bono inſtitutum eſt, haereſim ipſam adultis factionibus foveat, et poſtremo in populi detrimentum vertat: militareis copias ubique artificioſe diſtrahi, quas conjunctas in hoſtem, atque adeo Navarrum malorum caput et belli arcem, duci oportuit: his aulicis fraudibus ut tempeſtivum remedium afferatur, opus eſſe ſummo imperatore, qui plenam non ſolum rei militaris ſed civilis adminiſtrationis poteſtatem habeat; eumque deligendum qui ſummo imperio dignus ſit, et cui proinde omnes nullo reſpectu parere teneantur: in aliis vanos titulos quaeri et rideri; hunc titulum cum re dandum eſſe: quid nuper ſuper ea re [a] Autrici Carnutum actum ſit, ſcire omneis ac merito indignari; diplomate ſummam in exercitus poteſtatem magni [b] palatii magiſtri dignitati ludibrio adjunctam ſimul et ereptam eſſe: quid enim prodeſſe in exercitus conceſſam poteſtatem, ſi alii exercitus ducant? Igitur ordinum decreto Guiſium [c] magiſtrum equitum dicendum eſſe, qui ſummo imperio a comitiis attributo ad religionem conſtituendam et rempublicam ordinandam, vel invito rege et ejus conſiliariis, utatur: haec paſſim a Guiſianis jactari, quibus niſi rex mature expergiſcatur, brevi fore, ut ab omni re imparatus opprimatur, et regno exuatur: intempeſtivam in tam praeſenti periculo patientiam videri; fremere regi addictos, atque animos deſpondere, proculdubio, niſi ſe rex erigat et opera eorum utatur, ex temporum neceſſitate rebus ſuis conſilium ipſo deſerto capturos.

X. Hae voces a viro generoſo et ſumme fido ſine fuco prolatae alte in ejus pectus deſcenderunt, plus praeſentis periculi metu anxii, quam praeteritarum injuriarum memoris; quarum tamen ſenſum ſuborta de Aureliano ſub id contentio renovavit. Eam urbem, quod in regni meditullio ſita magnas ad res gerendas haberet opportunitates, et oppidani maxime omnium a Proteſtantibus, a quibus magna damna acceperant, alieni eſſent, in poteſtate habere cupiebat Guiſius: ſed, quo minus haberet, obſtabat arx in Pariſienſi porta ſuperioribus bellis aedificata, debilis, et pro tanta urbe exigua, quam [d] Dunenſis cum praeſidio tenebat, [e] Entraguii, qui urbi et [f] praefecturae Aurelianenſi praeerat, frater. Ii ab initio Guiſii partes ſecuti, ſive quod ipſorum avaritiae Guiſii, licet ex alieno profuſi, liberalitas non reſponderet, (ſic enim jactabant Guiſiani,) et majora a rege munifico exſpectarent, ſive praeteritorum poenitentia, a Carolo [g] Claromontano fratre, uno ex quatuorviris qui ſtipatoribus regiis praeſunt, perſuaſi, poſt motum Pariſienſem ad regis partes ſe applicaverant, ac totis viribus enitebantur, ne urbis toto regno potentiſſimae, ex qua tot damna regi dederant, praefectura et imperium ſibi eriperetur. Eam Guiſius ſibi ultima pacificatione ſecuritatis ergo conceſſam, et ita cum [h] Villaregio conveniſſe, contendebat, et diploma a Cl. [i] Pinario ſubſcriptum ea de re promebat. Contradicebant fratres; et rex de ea minime ſe intellexiſſe affirmabat, addebatque errorem ex literarum ſimilitudine natum: nam Aurelianum pro [k] Durlano in Ambianis, de quo ſecum egiſſe Villaregium meminerat, appoſitum eſſe. Aberant Villaregius et Pinarius, paulo ante domum amandati, quorum fidem et memoriam appellabat Guiſius.

INTERPR. [a] *Chartres.* [b] *le Grand Maiſtre de la Maiſon du Roy.* [c] *conneſtable.* [d] *le Sr de Dunes.* [e] *le Sr d'Entragues.* [f] *le gouvernement d'Orleans.* [g] *de Clermont capitaine des gardes du corps.* [h] *de Villeroy.* [i] *Pinart.* [k] *Dourlans vers Amiens.*

Guiſius. Superabat, ut regina parens, qua praeſente Lutetiae negotium diſceptatum fuerat, conſuleretur. Illa, etſi de [a] Aureliano conventum ſciret, tamen, ut erat ingenio ad adulationem aulicam compoſito, offenſionem regis filii verita, et inde pudore, hinc metu, anxia, neque palam negare neque affirmare audebat, haerentique ſimilis cenſebat, ut ad Villaregium et Pinarium mitteretur, et autographa, quae penes illos eſſent, inſpicerentur. Tandem poſt acrem verborum concertationem is exitus fuit, ut Guiſius jam inſolentior, calore contentionis provectus, praefracte diceret, Aurelianum civitatem ſecuritatis ergo a rege foederatis conceſſam eſſe; ſe conceſſam diligenter ſervaturum.

CIϽIϽLXXXVIII
HENRICUS III.

XI. Quibus verbis ultra modum exacerbatus rex, hinc recentis injuriae ſenſu, inde praeſentis periculi metu ſtimulante, cum omnis de recuperanda per comitiorum ſuffragationem auctoritate ſpes evanuiſſet, fidos ſibi Aumontium ipſum, Nicol. [b] Angeneum Rambolietum, Antonium [c] Brichanteum Bellovaſium Nangium ſevocat, ac juxta ſe ſedere juſſis, infit: Quo me iniquitas temporum et obfirmata factioſorum audacia conjecerit, videtis, et mecum, ut puto, doletis. Jampridem eam tempeſtatem mihi regnoque impendentem animo providebam; quam declinare, quantum in me fuit, conatus ſum, placatis et conciliatis eorum a quibus ciebatur voluntatibus; cum, ſic ab iis qui circa me erant perſuaſus, judicarem, quidvis mihi potius faciendum eſſe, quam committere, ut eadem ſacra, eandem mecum religionem profitenteis inter ſe committerem: et ſumme abſurdum videbatur, ferrum in Sectarios ſumptum, in Catholicos ſtringere. Itaque vela ſubducere, inhibere curſum, malum demittere, et ingruenti ventorum procellae cedere, conſultum exiſtimabam, cum potius velificationem omnino mutare debuiſſem: nam patientia mea audaciam turbulentorum, agnoſco culpam, alui; et, quanquam animus ſemper a fundendo ſanguine abhorruerit, mihi ad extrema conſilia deſcendendi neceſſitatem ipſe impoſui. Quid in comitiis agatur ſcitis, et vobis monentibus didici. Ut Guiſius ordinum decreto [d] magiſter equitum dicatur, urgent factioſi, hoc eſt, ut rex alter Galliae imponatur. Atqui nec mundus duos ſoles, nec regnum hoc, olim concordia florentiſſimum, duos reges pati poteſt; alioqui et coelum incendio conflagret, et Gallia bellorum civilium flammis ardeat, neceſſe eſt: nam ſi fata Galliae Guiſium deſtinabant, ut pleriſque e vulgo perſuaſum video, me prius extinctum oportuit: ſin legitimum ordinem ſervari juſtum et aequum eſt, et ita Deo placere cunctis bonis perſuaſum eſſe debet, pereat ille neceſſe eſt, cujus ambitio obſtat, quo minus regnum principe ſuo legitimo, et per eum pace ſecura, fruatur. Neque hoc dico, quaſi vitae meae privatim metuam, quam ſemper religionis cauſae et regni a Deo mihi commiſſi ſaluti poſthabui; ſed quod meum periculum cum communi omnium ordinum exitio conjunctum videam, ac merito verear, ne Deus olim me, non ſolum neglectae propriae ſalutis, ſed etiam regni nimia mea patientia in diſcrimen adducti, reum peragat, et tot innocenteis animas inter bellorum civilium aeſtum gementeis et oppreſſas a me repoſcat. Specioſum religionis nomen, ſcio, multis imponit, et mihi ipſi diu impoſuit; atque adeo in cauſa fuit, ut magno meo malo, cum regnum, factionibus inter [e] Guiſianos et Momorantios exortis, diviſum eſſet, illorum potius quam horum partes complexus fuerim, praecipuus fovendae in regni olim perniciem factionis auctor et adjutor. Haec nunc gratia rependitur ab iis, quos non ſolum adverſus Momorantios et Colinios, ſed etiam ipſos mihi conſanguinitate conjunctos Borbonios, tunc protexi, et, dum religionis cauſam imprudenter agi putarem, in tantum

INTERPR. [a] *Orleans.* [b] *d'Angennes Sr de Rambouillet.* [c] *de Brichanteau Sr de Beauvais-Nangis.* [d] *le conneſtable.* [e] *ceux de la maiſon de Guiſe.*

tantum gratia et favore evexi, ut, aemulis omni auctoritate ac potentia, quantum in me fuit, exutis, late potentes nunc et mihi et omnibus bonis formidabiles eſſe coeperint; contra illi, neceſſitate ultima compulſi, ab eo tempore conſilia et rationes a me ſeparatas habere coacti fuerint, tantoque debilior remanſerim, iis ab aula remotis, quorum opibus adverſus praevalidam Guiſianorum ambitionem me regnumque tutari potuiſſem. Deum appello et omneis regni ordines, ac vos inprimis conteſtor, nihil me praetermiſiſſe, quo diſſimulatione et patientia mea alienatas a me voluntates expugnarem, et altius evehenteis ſe ferocium hominum ſpiritus ad moderationem et ſanitatem inflecterem: tantum apud me potuit religionis cauſa, cui vitam propriam impendere ſemper glorioſum duxi; ob idque adverſos rumores in mei contemptum, me minime ignaro, ubique ſparſos facile contempſi, cum conſcientiae fiducia fretus ſperarem fore, ut juvenilis ambitionis ardor et turbarum amor in magnis alioqui ingeniis aliquando deflagrare poſſet. Nunc, cum omnia haec irrita ceciderint, et malum lenimentis irritatum ſit, rurſus Deum et homines teſteis appello, invitum me ad conſilia a natura mea et ingenio abhorrentia accingi; neque vero metuendum, quicquid tandem in perduelleis ſtatuero, ne aut ipſe durius in eos animadvertiſſe, aut illi graviora admiſſis luiſſe videantur. Nam, ut mittam conjurationes toto regno jam a tot annis contra quietem publicam initas, ſecreta cum externis principibus juratis nominis Francici hoſtibus agitata conſilia, Helvetios injuſſu meo ad arma concitatos, ſolicitatam urbium fidem, vitam meam toties ubique ac praecipue Lutetiae in regia ipſa et caſtris per inſidias petitam, quae omnia fortaſſe pacificatione ultima condonata creduntur; quis neſcit, quid poſt pacem nuper factam [a] Autrici Carnutum ſub oculos meos, quid [b] Caeſaroduni Turonum per emiſſarios, quid in hac ipſa urbe, actum ſit? repetitas videlicet foederationes occultas, a quibus ſe diſceſſuros religioſi iſti promiſerant; adactos rurſus ſacramento in verba Guiſii civeis a concionatoribus turbulentis et hujuſmodi farinae hominibus, quorum in impuro ore volitans religio pro flagitiorum omnium, quibus cooperti tanquam ulceribus toti ſcatent, emplaſtro eſt. Non ſatis fuit Guiſio poſt tumultum Pariſienſem, in quo tam propudioſa injuria affecti ſumus, magiſtratus aut liberis civium ſuffragiis creatos, aut a me inſtitutos, per abſentiam meam privata auctoritate deponere, alios e faece populi in eorum locum, in dilectiſſimae parentis, quam diſcedens vice mea res adminiſtraturam in urbe reliqueram, conſpectu, ad libidinem ſufficere, et novum regnum veluti contra me regem fundare; non ſatis, inquam, haec fuere homini vaſta cupiditate ardenti, et per ſcelus nefaſque ad majora ſe adparanti, niſi facta pace, poſtquam foederationi omni tam extra quam intra regnum ſolemni jurejurando renunciavit, novis coitionibus novos motus in Gallia excitaret, et poſtremo Sabaudum, avitae ſpoliationis ultione flagrantem, ad invadendos tam alieno tempore regni fineis et Saluciarum principatum, miſeras Gallicae virtutis per tot annos in Italia vexatae reliquias, occupandum ſolicitaret: nam, quin eo conſcio et aſſentiente id Sabaudus auſus fuerit, nemini dubium ſit: tantaque injuria mox longe atrociore cumulata eſt, cum de ea apud ordines expoſtulanti ab emiſſariis ejus impudenter reſponſum eſt, has eſſe ſectariae factionis et ejus fautorum veteratorias artes, ut arma ſcilicet contra Proteſtanteis ſumpta, belli externi quaeſita occaſione, contra principem Catholicum verterentur; vixque tandem ejus ipſius, qui injuriae auctor fuerat, interventu, ad placandam nobilitatem, quae injuriam univerſo regno factam ad dedecus ſuum pertinere exiſtimabat, et leniendam invidiam qua ob id apud omneis laborabat, impetratum eſt, ut bellum Sabaudo denunciaretur. Sed operae pretium eſt ſcire, quomodo poſtea ex ea occaſione mihi illudere voluerit.

Bello

INTERPR. [a] *Chartres.* [b] *Tours.*

Bello decreto auctor fuit ut quamprimum Lugdunum me conferrem, et exercitum novum ex copiis Gallicis conſcriberem, conductis inſuper XV CIƆ Helvetiorum duce Ludovico [a] Fiſero, homine ſibi addicto, et per quem nuper foederationem antiquam, quae Helvetiis mecum intercedit, auro Hiſpano inter eos ſparſo, violavit, et Hiſpanis ad corrumpendos fidae nationis animos portam aperuit. Quod conſilium, ut ab homine ſuſpecto datum et rebus meis detrimentoſum, rejeci, et, pecuniae in delectus externos faciendos neceſſariae penuriam cauſatus, me excuſavi. Quid enim futurum erat, ſi, relicta Lutetia, Aureliano, et aliis ad Ligerim poſitis urbibus, ad regni fineis hoc rerum ſtatu profectus eſſem? ſi tot externos homines, homine mihi infeſto duce, in regnum admiſiſſem? Quid nunc memorem contumelioſa tot, in me et meam patientiam, Monpenſeriae ipſius ſororis et omnium ejus emiſſariorum dicta, quibus calumnioſe multa mihi affingunt, et in odium ac contemptum apud regni ordines adducere conantur? quid illum ultimum conatum, a quo dicendi occaſionem ſumpſi, et in quo deſinam, quo nunc per emiſſarios ſuos urget, ut magiſter equitum ab ordinibus dicatur? Nam qua moderatione illum potentia aliunde quam a me profecta uſurum putatis, qui auctoritatem et opes a me et deceſſoribus meis piae memoriae acceptas contra me regnumque vertit? qui tot dignitatibus ornatus, tot beneficiis cum tota ſua familia ab avo et parente meo, a fratre, et me ipſo affectus, deteſtanda ingratitudine maleficium pro gratia reddit? qui, ſi voti compos evadet, quas turbas, imo quas ſtrages, per regnum dabit? Hi ſunt, nec alios credite, rabidi illi leones, quos in ſomnis ante quinquennium videre viſus ſum, dentibus et unguibus me crudeliter membratim diſcerpenteis; in quos potius quam miſeros leones in Libya natos, nihil tale promeritos, ſcloppetorum ictus jam tunc dirigi oportuit. Horret animus, cum mecum cogito, quae facies rerum in Gallia futura ſit, ſi hoſpites et externi homines, legitimis ſucceſſoribus ejectis, in controverſam potentiſſimi regni poſſeſſionem invadant. Tunc enim Franci, quos pro libertate non ſolum ſua ſed aliena tuenda tam ſtrenuos memorat antiquitas, pro uno, quem ferre non potuerunt, principe, non plurium regulorum dominatum inſolentem pati, ſed intolerandam ſub innumeris tyrannis ſervitutem ſervire, cogantur: tunc, exuta patriae charitate, religio et cultus divinus exoleſcet, et bacchante licentia jus faſque pedibus calcabuntur, leges ſilebunt, libertate ſemel odiis conceſſa; et ſua cuique libido, pro Deo, pro principe, erit: tunc viri ad caedem, mulieres ad ſtuprum, pueri ſeneſque ad ludibrium, trahentur; et quae capta urbe a furente milite crudeliter in victos admitti ſolent, eadem paſſim in agro, per vicos, pagos, nullo fine a victis victoribuſque patrabuntur. Sed complorationi locus non eſt, cum prudentia periculum anticipare licet: adverſus inveteratum malum ſera quamlibet remedia adhibenda ſunt. Quam id urgeat, et verba Guiſii et Meduanii monita, quae tu Aumonti, voſque Ramboliere ac Bellovaſi, ad me retuliſtis, ſatis oſtendunt. Neceſſitas et inſtans periculum longioris conſilii moram non admittit. Unius hominis exitio non mea, quam alioqui parvi facerem, ſed publica regni univerſi ſalus, quae in mea vertitur, expedienda eſt. Quin id jure poſſim et debeam, ſi rempublicam ſalvam cupio, non ambigitur: tantum de ratione rei exequendae conſultatio eſt. Dudum eſt, ex quo per factioſorum artes regium nomen, quod Francis olim in tanta veneratione ſecundum Dei cultum fuit, coepit vileſcere, et vileſcente auctoritate paulatim legitima eorum potentia in arctum claudi. Lutetia pulſus in ceteris urbibus, in quibus poſtea pedem fixi, quaſi obſeſſum me ſenſi. In hac arce denique, ut videtis, quae voluptuarium, certe ſecurum, huc uſque regibus domicilium fuit, clauſus teneor, et claves ejus penes ipſum a quo oppugnor, pro ratione muneris, tanquam magnum palatii magiſtrum,

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *le colonel Pfeiffer.*

magiſtrum, ſunt; ut vix parietibus, atque adeo conclavi in quo dormio, tutus ſim. Hic eſt miſerabilis fortunae Gallicae ſtatus, hae, in quas nimia patientia mea ac diſſimulatione me conjeci, anguſtiae. Nunc pro fide et aequitate veſtra, quod e re communi videbitur, conſulite. Non jam verbis, ſed facto, rem geri oportet; et morbi acumen non conſolationem, ſed praeſens remedium, expoſcit.

XII. Dicentem cum ſtupore et indignatione audiverunt Aumontius, Rambolietus, et Bellovaſius; operamque ſuam, quicquid tandem juberet, polliciti, ultro ſe pro ejus vita ac dignitate ſanguinem profundere paratos oſtendunt: de cetero diem ad deliberandum poſcunt, quo, divini Numinis ope implorata, ad ipſum redirent. Res interim communicata Ludovico Angeneo Rambolieti fratri, cujus ingenio et fidei rex multum tribuebat. Cum cuncti ad ſecretum cum rege colloquium rediiſſent, variae dictae ſententiae: et cum rex oſtenderet, ſi citra periculum id fieri poſſet, malle ſe jure cum Guiſio ac familia ejus experiri, quippe religione comitiorum, quam inviolatam ſervari cuperet, permoveri, et libertatem, ſine qua legitima comitia dici non poſſunt, nolle impediri; Aumontius cenſebat primo, ut Guiſius et ceteri ejuſdem familiae proceres comprehenderentur, et legibus in eos tanquam peractos laeſae majeſtatis reos animadverteretur. Sed generoſum hoc et honeſtius quam tutius conſilium alii rejiciebant, et non carere periculo multis rationibus demonſtrabant: quem enim auſurum ad accuſandum in arenam deſcendere? quibus indiciis, quibus probationibus, rem probatum iri? ubi judicium? quos denique judices futuros? nam, ſi ordo regni legibus inſtitutus erit ſervandus, Lutetiae et in curia Pariſienſi convocatis omnibus claſſibus interrogandos reos eſſe: at quanto motu, quanto aeſtu, quanto ſufflamine judicium protelatum iri? circumſtrepentibus undique armis in urbe, ex qua rex nuper injurioſe pulſus, quos animos judicibus, quam legum vim futuram? Sed ante omnia, quanto periculo reos Bloeſis Lutetiam traduci poſſe? an interea quieturos factioſos, et, ut a vi aperta abſtineant, non omnem lapidem moturos ut judicium impediant? Quid ſi Navarrus tunc impreſſionem in urbes vicinas faciat? quas voces tum paſſim auditum iri? regem captata occaſione Guiſianos, ſeu veri ſeu confícti criminis poſtulatos, in carcerem conjeciſſe, ut expeditiorem ſectariis ad res ſuas ſtabiliendas viam ſterneret: quas tunc defectiones ubique ſecuturas? quam rerum faciem toto regno fore? Quod ſi vim adhibeant factioſi, quod facturos eos procul dubio ſit, an ſperandum, ut, factionis duce ſuperſtite tantae exiſtimationis inter ſuos, adverſus tot homines in agris vicinis, municipiis, urbibus, atque in ipſa Lutetia foederationis peſte infectos, vires regiae pares ſint? Igitur celeritate periculum praevertendum, et tempeſtiva vi violentiam deteſtandae conjurationis occupandam. Id ad famam honeſtum in hujuſmodi rebus ſemper haberi, quod ad ſalutem expediendam utile, imo neceſſarium eſt: non enim dici poſſe, fidem violari, cum is, qui jus utendi habet, in graſſatores, in juris divini humanique violatores, in affectatae tyrannidis manifeſtos reos, jure gladii utitur. Quis enim prior violaſſe fidem dicendus? an qui poſt juratam pacem, qua ab omni foederatione diſcedi convenit, tanquam canis ad vomitum ſtatim rediit, et majore quam antea aeſtu factiones redintegravit, ſecreta inde cum exteris principibus, inde domi cum urbibus et aliis, conſilia ad evertendam rempublicam agitavit? an is, qui, cum poſſit et debeat, ad avertendum periculum adverſus eos qui talia moliuntur legibus ſibi utendum exiſtimaverit? Multa adduci poſſe exempla conjurationum in templis, in ſenatu, inter ſacra menſae, feliciter oppreſſarum. Quicquid hac in re princeps ſalutis publicae contemplatione ſtatuerit, juris rationem obtinere: non enim fruſtra gladii jus penes ipſum eſſe. Deplorandam ſane regis conditionem videri, cui integrum non ſit ferrum ad maleficia coercenda a Deo attributum adverſus extremam

poenam

poenam commeritos in jure per magiſtratus ſuos exercere. At culpa cariturum apud poſteros factum, quod tam juſtis rationibus ſubnixum ſit, ſi rex diſſimulatione et indulgentia amiſſam auctoritatem, ſublatis publicae quietis perturbatoribus, ad regni pacem conſtituendam et libertatem comitiorum reſtituendam, recuperare conetur: ſi quid in ratione executionis ad exemplum deſiderabitur, id fato et praeſenti rerum conditioni imputatum iri. Multo magis metuendum eſſe, ne prudentia olim in ipſo requiratur: an enim poſt tot injurias poſt pacem ultimam repetitas, tot inſolenteis voces, tot indicia, amplius exſpectandum, ut ipſe rex in arce ſua jam obſeſſus, in conclavi, atque adeo in lecto ſuo, propediem obtruncetur? an alias probationes adverſus Guiſium conquirendas? et longiores moras in eo negotio, quod praeſentem regis regnique perniciem ſecum trahat, nectendas? miſeros principes, quibus niſi occiſis de conjuratione non creditur. Periculi ſui et ſuorum memor rex tandem expergiſcatur, et qui tot proeliis intrepidus interfuit, unius hominis morti ſubſcribere non dubitet; ac poſtremo, ad omnem ſcrupulum ex animo tollendum, ſic ſibi perſuadeat, Guiſii vitam Henrici mortem eſſe, quod in re multum diſpari a ſummo ſacri juris diſpenſatore olim reſponſum eſt; et apud Deum et inter homines tanquam jure factum defendi poſſe, quod neceſſitate excuſatur; denique juris executionem nemini injuriam facere. Nec vero in re exequenda, cum ſemel decreta fuerit, multum negotii fore: quanquam praevalida factione, tamen, quaſi regio nomine jam profligato, inter conjuratos multum ſecuritatis eſſe; et nuſquam facilius opprimi homines fortuna ebrios, quam cum minus facile ſe poſſe opprimi putant. Guiſium cum ſuis tanquam victorem ſolute incedere, et palanti ſimilem diſcurſare, a conferta manu facile vincendum, ſi par periculo animus non defuerit: nam non defuturos qui facinus tam praeclarum, regi regnoque ſalutare, ſibi glorioſum, audeant. His dictis, terrore inevitabilis exitii, niſi occuparet, regi injecto, una et additus animus; decretumque fuit, ut quamprimum Guiſius neci daretur; eodemque tempore Guiſianus cardinalis frater et Carolus Jonvillae princeps filius, Nemoroſius, Ellebovius, et ipſe cardinalis Borbonius, qui a foederatis tanquam larva populis ad ciendam ſeditionem oſtentabatur, comprehenderentur. Cum in ratione rei exequendae nonnihil difficultatis occurreret, accidit, ut ex verbis ipſius Guiſii, ſecus quam putaſſet acceptis, conſilium caperetur.

CIƆIƆLXXXVIII
HENRICUS III.

XIII. GASPAR Schombergius [a] Nantolii comes magnus auxiliarium Germanorum tribunus, regi apprime fidus et Gallici nominis ſumme ſtudioſus, pro familiaritate quae illi cum Guiſio intercedebat, ipſum ſaepius monuerat, moderationem ſervaret, neque patientiam regis ulterius irritaret: vulgi et inconditae multitudinis, quae ad omnem auram mutabilis eſt, favore ſuam inniti potentiam; fortunam reverenter haberet, et ſe ſuoſque reſpiceret: quid enim uxori, quid liberis in tenera adhuc aetate ad injurias obnoxia conſtitutis, eventurum, ſi ipſe tam grandi aere alieno oppreſſus aeſtu ſeditionum popularium abſorberetur? ſi periculum proprium negligeret, at eorum ſaltem charitate tangeretur, et regem ultorem metueret. Ad quae Guiſius, Inter arma, inquit, a puero aſſidue verſanti ſaepe mortis ſpecies in oculos incurrit, neque terruit: in hoc enim nati ſumus, ut decus vitae diſcrimine quaeramus. At nunquam meorum periculum ſubiit; et fateor nunc, cum me mones, magni momenti apud me eſſe; eoque magis, quod regem adeo exacerbatum, ſi quid mihi humanitus contingeret, odia, quae in vivum non potuit, in defuncti liberos et uxorem impotenter exerciturum appareat. Sed nondum conſiliorum propterea poenitet; et, cum recordor me in minore, quam mei nunc ſunt, aetate a patre perfidioſe

INTERPR. [a] *Nanteuil.*

perfidioſe a ſectariis occiſo cum fratribus relictum, et nihilominus inter adverſariorum petulantiam adoleviſſe, fortunae paternae reliquias collegiſſe, ac mortem ejus poſtremo ultum eſſe, eorum patrocinium eidem, qui me huc uſque protexit, Deo commendo. Neque enim eos ſuſcepi, ut eſſent qui conſiliorum meorum rationes interturbarent: ſi me, antequam adoleſcant, belli fortuna eripiat, ipſi ſuae fortunae, ſicuti meae fui, aliquando fabri ſint, et ſe majoribus ſuis dignos virtute propria oſtendant. Quod vero a rege minitaris periculum, ne laeſa patientia tandem in furorem vertat, ſic judico, ipſum, apprime ſuarum et mearum rerum gnarum, nequaquam commiſſurum, ut ob rumuſculos et levi de cauſa, dum privatae ultioni indulget, ſuam regnique ſalutem in manifeſtum diſcrimen devocare videatur: neque enim ignorat, quam mea, hoc eſt, religionis cauſa cum provinciarum civitatibus, atque adeo totius regni ordinibus, conjuncta ſit; ut nihil in mea ſtatuere poſſit, quin illi protinus non ſolum ab eo defecturi, ſed in ipſum mox ſint inſurrecturi. Idque me in propoſito haerentem nunc ſolatur, quod provideam, ultores violentae mortis meae non defuturos, et ipſum regem, ſi quid inclementius in me moliatur, omni regno ſpoliatum miſerabiliore exitu, quam quenquam deceſſorum ſuorum, vitam finiturum. Et vero non video quomodo imparatus opprimi poſſim: neminem unum puto, qui mecum compoſitus non periculum ex aequo perhorreſcat; et ita delectis ubique ſtipatus incedo, ut a majore numero non facile circumveniri poſſim; qui delecti me ad januam uſque interioris regii conclavis quotidie comitantur, ſi quem ſtrepitum exaudirent, protinus vi facta irrupturi, et oſtiarios, et quicquid obſtaret, proculdubio trucidaturi. Haec verba cum magna loquentis fiducia, nec minore regis contemptu, prolata, et cum aliis iterata et ad [α] regem delata, difficultatem rei perficiendae explicuerunt: cum enim videret rex Guiſium in ſtipatoribus, qui eum intra cubiculum ad ſecretioris uſque conclavis januam ſequebantur, omne tutelae ſuae robur ponere, ſic dolum inſtruit, ut, cum caedis patrandae tempus inſtaret, ipſe eos minime circa ſe haberet. Ad regium cubiculum adibatur per anterius conclave, in quo rex ipſe cibum publice ſumebat, et concilium certis horis habebatur. Sed cum concilium non habebatur, pervium cunctis patebat, ita ut Guiſius, cum ad regem adiret, libere cum delectis ſuis per illud in regium cubiculum commearet: cum vero concilium habebatur, tunc janua ejus ab oſtiariis ſervata, proceres, qui ingrediebantur, in ſumma ſcala, quae ad conclave illud anterius ducebat, ſuos dimittere cogebantur. Quod Guiſius minime notaverat, quippe aliis horis matutinis et pomeridianis, quibus concilium non habebatur, et quibus tantum rex proceres ad ſe admittebat, cum comitatu ſuo ad ipſum venire ſolitus. Igitur concilii tempus quaerendum erat, quo Guiſius ſuos in limine anterioris conclavis, ut ab omnibus fieri conſueverat, dimiſſos, cum inde ad regem iret, ſecum ducere non poſſet. Jam rex a multo tempore ſubſcriptionibus non vacaverat, quod Saturni die ſingulis hebdomadis tantum facere in more habebat: decreta autem in concilio facta, niſi ſubſcripta eſſent, partibus tradi non poterant. Haec a rege mora ſtudioſe affectata creditur, ne duo decreta iniquiſſima nuper facta, alterum in gratiam Gulielmi [a] Briae Mota-Serrani, alterum contra civitatem Lingonum, confirmare cogeretur. Mota-ſerranus is praenobili loco in [b] Andibus natus, ſed latrociniis et ſaevitia infamis, multos quaſi ſectariae labis ſuſpectos, cum ſe grandi aere redimere nollent, aut minime poſſent, fame et aliis diris ſuppliciis enecaſſe arguebatur: quae omnia, quia religio obtendebatur, et Guiſii favore ſublevabatur, hactenus

impunita

VAR. LECT. [α] regem, non a Schombergio, quippe qui monitoris potius animo, quam ut ejus animum tentaret, cum Guiſio colloquebatur, ſed a quo incertum delata, difficultatem *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Brie Sr de la Motte-Serrant.* [b] *Anjou.*

impunita fuerant. Tunc vero libello porrecto petebat, ut horrendi criminis, quo inſimulabatur, cognitio a quaeſitore ſuccincto ad ſanctius regis concilium transferretur: idque licet abſenti, annitente Guiſio, condonatum fuerat; quanquam conſtitutionibus regiis cautum eſt, ne criminis poſtulatus audiatur, niſi ſe judicio ſtiterit. Alterum majoris momenti [a] ſenatus-conſultum fuit, quo Lingones, qui [b] civitatem loco admodum munito in regni limite ſitam, et ad Campaniae praefecturam, quam Guiſius tenebat, peculiari titulo pertinentem, incolunt, murum ab ipſis dirutum, qui turrim in pomoerio prominentem cum epiſcopi aedibus conjungebat, reſarcire jubebantur. Id jure ſuo ſe feciſſe aiebant Lingones, quippe cuſtodia civitatis ipſis a rege commiſſa; de qua, niſi turreis in poteſtate haberent, ſecuri eſſe non poterant. Nihilominus epiſcopo, is erat Carolus [c] Scarſius, de injuria conquerente, ac Borbonio cardinali, qui cum Guiſio ob id in conſiſtorium venit, querelae ejus ſuffragante, non auditi, quamvis in comitiis delegatos haberent, neque rogatis ſententiis, epiſcopo de damno dato ſatisfacere damnati ſunt. Quod inſtigatu Guiſii factum conſtat, qui alienos a ſe Lingones ſemper antea expertus, hujus diſſidii arbitrio ſibi ſumpto, eos ad opem ſuam implorandam cogi poſſe ſperabat: nam alioqui epiſcopum rebus ſuis intentum, neque valde de injuria, quae potius ad decus quam ad privatam utilitatem ſpectabat, ſolicitum, regis injuſſu nihil tale fuiſſe auſurum. Ea propter rex a ſubſcriptionibus abſtinuiſſe putatur, cum neque decreta approbare, neque Guiſium ea urgentem, ſi aperte recuſaſſet, ex ea occaſione in ſuſpicionem vellet adducere.

XIV. TANDEM, rebus rite, ut ſibi videbatur, paratis, rex, mole ſe negotiorum opprimi cauſatus, de quibus ante feſtum Dominici natalis decerni cupiebat, ipſe in conſiſtorium venit IX Kal. Januarias; et, recitato per Martinum [d] Ruzaeum breviculo, quo ſeriem eorum complexus fuerat, poſtridie ſummo mane omneis proceres adeſſe juſſit, in iiſque Guiſium et cardinalem fratrem, et Petrum Eſpinacum archiepiſcopum [e] Lugdunenſem: nam decreviſſe ſe ſtatim a prandio in [f] S. Mariae Nucerinae [1] delubrum, quod eſt in imo ſaltu Bloeſenſi ad privatas religiones ſecedere. Inde ſub veſperam ex compacto Nicolaus [g] Grimovilla Larchantius unus ex IV ſtipatorum praefectis, vir praeſenti animo et regi ſumme fidus, cum ſuis Guiſium, qui in arce hoſpitium habebat, convenit; et, importunis precibus ſtipatorum victum ſe ad eum venire teſtatus, inſtat, ut ſtipendia illis praeſenti pecunia numerari curet; alioqui fore, ut ab aula diſcedant: oratque ne moleſtum ipſi ſit, ſi mane ad ipſum in conſiſtorium venientem cum libello ſupplici deprecabundi accedant. Ita praeparato Guiſii animo, ne ad inſolitum armati comitatus mane occurſuri ſpectaculum terreretur, ſuos ut cum libello mane adſint jubet. Rex itidem Alfonſo [h] Ornano, Franciſco Balſaco Entraguio, Henrico Goſierio Boniveto, Franciſco Grangio Montinio, aliis, horam condicit; ac praeterea ex XLV, quos a Jouſa et Eſpernonio olim in familiam acceptos, praeter ſtipatores ſagatos, ad latus ſuum aſſiduos habebat, IX deligit, quorum opera uteretur. Iis mane per poſticum introductis, ne ab ullo conſpicerentur, et in arcano ſeductis, Hodie mihi, inquit, aut Guiſio moriendum eſt; utrum melius vobiſque et regno utilius cenſueritis, in veſtra poteſtate poſitum eſt. Turbarum illum toto regno excitatarum auctorem vos ſcitis, et nemo ignorat. Sceleris hic finis qui putabatur, gradus fuit; etiam capiti meo, quod per aliorum fortunas antea tectius petebat, nunc palam et renudata voluntate periculum creat; imo

INTERPR. [a] *Arreſt.* [b] *Langres.* [c] *d'Eſcars.* [d] *Ruzé.* [e] *de Lyon.* [f] *Ste Marie des Noyers ou de la Nouë.* [g] *de Grimoville Sr de Larchant.* [h] *le colonel d'Ornano, F. de Balſac Sr d'Entragues, H. de Gouffier de Bonnivet, & F. de la Grange Sr de Montigny.*

NOT. [1] *delubrum.* Il n'y a point de chapelle ou egliſe en ce lieu qui s'appelle vulgairement *la Nouë*, qui eſt une maiſon au bout de la grande allée ſur le bord de la foreſt. Il pouvoit y avoir en ce lieu quelque Oratoire où le Roy faiſoit ſes prieres. *Put.*

CIƆIƆLXXXVIII imo vobis et univerſo nomini Gallico exitium minatur. Nec longum deliberationi HENRICUS III. tempus relinquitur; clauſus intra ſepta hujus conclavis teneor, ut videtis: ut me et rempublicam, quae mecum periclitaretur, tam calamitoſa obſidione liberem, acri eruptione opus eſt; nec mihi hinc elabi, niſi per veſtram virtutem, licet: eam meae tutelae jampridem ad ſubita ſepoſui, hac fiducia, ut mihi ad omnes caſus praeſto eſſet. Si vos ad privatam ultionem faciendam vocarem, mihi non defuturos ſperarem; nunc extremo in periculo meo fidem veſtram appello. In limite excubare, in ſtatione et pro vallo pugnare, quotidiana Gallicae virtutis experimenta ſunt, quibus ſe nemo vinci patitur: nunc non virtutis ſed fidei veſtrae experimentum poſco, quando non de finibus ſed de vita principis certamen eſt, cujus ſalus Guiſii et ſequacium ejus peſte hodie vobis aſſerenda eſt. Adderem, vos mecum ab iis ad necem deſtinatos, niſi plus amore in me veſtro et charitate patriae, quam odio illorum et periculo proprio, vos permoveri crederem. His dictis, cum animos juvenum, jam ſeorſim prius tentatos, ad audendum pulchre inflammatos videret, laudata eorum fide et conſtantia, pugiones oblongos, ut creditur, ad id fabricatos inter eos diſtribuit; et Hi ſunt, inquit, veſtrae meaeque libertatis, atque adeo Gallici nominis vindices, quod Hiſpani per religioſos iſtos foederatos oppugnant; quibus ego rex legitimus Francorum, ut ſalva conſcientia pro ſalute publica adverſus perduelleis uti poſſitis, vobis plenam poteſtatem facio. Tum eos in limine alterius ſecretioris, quod ad laevam cubiculum regium intrantibus occurrebat, collocat; nam alterum ad dextram oppoſitum erat: ipſe in interiorem partem cum proceribus, quos memoravi, per poſticum itidem admiſſos, ſecedit. Jamque nondum orto die ſacri conſiſtorii aſſeſſores convenerant, et in iis Carolus [a] Borbonius Vindocinus et Petrus [b] Gondius cardinales, Jo. [c] Aumontius et Albertus Gondius Radeſiarum dux equitum tribuni, Nicolaus [d] Angenaeus Rambulietus, Franciſcus Dous: poſt eos venerunt Ludovicus Lotharingus cardinalis Guiſianus, et Petrus Eſpinaeus Lugdunenſis archiepiſcopus: ultimus comparuit Guiſius, quem ea nocte ſecurum veneri furtivae cum quadam gynaecei matrona, quam perdite deperibat, indulſiſſe, eoque tardius ſurrexiſſe, conſtans rumor fuit. Egreſſum cubiculo ſtatim circumſtetit heſterna ſtipatorum cohors, quam Larchantius ducebat; qui, ut erat macilento ore, nam adhuc ſanguinis profluvio vexabatur, in ſpeciem horridus, rurſus excuſato quod importunus flagitator ipſius aures pulſaret, non deſtituros ſuos a flagitatione aut ab oſtio concilii digreſſuros querula voce inclamat, donec eis certo reſponſo ſatisfiat. Tum libellum ſupplicem Guiſio porrigit, et incedentem eodem comitatu ſequitur. Cum ad ſcalam ventum eſt, tum illi ita a Larchantio juſſi, quaſi officii ſpecie, turbam ſummovent, et bipartito agmine apertis capitibus utrumque latus ſcalae ab imo ad ſummum cingunt, ut libelli porrecti memor eſſet, confuſo murmure ſubinde ingeminantes. Guiſius, ſpe facta ut de libello ipſorum ageret, curaretque ut ipſis ex aerario ſtipendia procederent, concilium ingreditur, ſuis dimiſſis: qui ubi abierunt, mox ſtipatores pueros nobileis, pediſſequos, et alios hujuſmodi homines, qui alias in ſcala remanebant, inde faceſſere jubent, ut ſoli ſcala et oſtio potirentur. Ferunt ante aliquot dies ab amicis Guiſium monitum, ut ſibi a nimia regis patientia caveret; ſuſpectam quippe eſſe ejus tantam lenitatem, et quorſum evadat jure prudentiores metuere: aegre aſpicere illum Guiſii magnitudinem, idque certiſſimis indiciis conſtare, et tamen nullo in ſpeciem apertae contradictionis ſenſu; parare illum inſidias, et, quod vi aperta exſequi deſperat, per percuſſores procul dubio facturum. Ad quae ille eadem, quae Schombergio reſponderat, ſemper referebat: et cum in convivio

INTERPR. [a] *de Bourbon cardinal de Vendoſme.* [b] *de Gondy.* [c] *les mareſchaux d'Aumont & de Ritz.* [d] *d'Angennes Sr de Rambouillet.*

convivio, cui Guiſianus cardinalis frater et archiepiſcopus Lugdunenſis intererant, a Stephano [a] Nuellio et genero ejus Michaele [b] Martello Capella itidem moneretur, ut regis inſidias caveret et matura ex aula diſceſſione vitae conſuleret, ipſe etiam cardinalis ita faciendum ſuaderet; ille in eadem pertinacia ſemper perſeveravit, cum diceret, ut in pugna, ſic in hoc negotio, longius ſe provectum eſſe quam ut honeſte pedem referre poſſet: ſic ſuam cum rege compoſitam fortunam, quaſi inſtructas ad proelium acies; quae ubi in conſpectum venerint, certandi neceſſitas utrique imponitur, aut certe in veſtigio manendi; alioqui, ſi altera in alterius conſpectu recedat, alteri victoriam tradi: nolle ſe diſceſſu ſuo veluti fuga, hoſti victoriam, quam certam teneat, tradere, neque committere ut potius vitae quam decoris et amicorum rationem habuiſſe videatur: quid enim dicturos aut non dicturos potius malevolos, ſi hoc rerum ſtatu a comitiis diſcedat? nimirum id pro culpae confeſſione accepturos, et civitates generoſos ſpiritus, quos ſuis auſpiciis ſumpſerunt, mox poſituras: jactam eſſe aleam; malle ſe, vel cum vitae diſcrimine, eventus rerum opperiri, quam, dum tutiora conſilia amplectitur, fortunae ſuae ac ſuorum deſideriis deeſſe. Cum nihilominus urgeret Nuellius, et lachrimis ubertim profuſis Guiſium a temerario manendi propoſito dehortaretur, ille ad cardinalem fratrem et Lugdunenſem converſus, has tanquam a ſenili infirmitate aut a compotatione liberaliore profectas parum ſe curare oſtendit. Quo intellecto homo ferox, Tempeſtivae hae meae lachrimae ſunt, ſi fortuna, cui multum debes, hoc etiam tibi conceſſiſſet, ut amicorum conſiliis recte uti ſcires: nunc, quando eas rides, reliquum eſt, ut Deum toto corde comprecer, ut periculum avertat, faxitque aliquando ſentiamus, nos in ſolo periculi metu lachrimaſſe. In obfirmata adeo contra amicorum monita voluntate confirmatum a Lugdunenſi Guiſium affirmant, qui ſecreta ejus noverant, quod is, qui commendatione Guiſii in collegium cardinalium cooptari proximis jejunii feriis ſperabat, vereretur, ſi Guiſius ab aula diſcederet, ne rex per oratorem ſuum Romae bene procedens negotium diſturbaret; ob eamque cauſam propriae ambitioni periculum amici poſthabuiſſe ferunt: et pridie cum quidam in mappam complicatam, quam cibum ſumpturus explicaturus erat, breviculum inſeruiſſet, quo monebat eum inſidias ipſi a rege ſtructas, Guiſium, cum explicata mappa breviculum aſpexiſſet, neque a quo inſertum eſſet ſciret, protinus ſumpto calamo reſcripſiſſe, non auſurum eum; et ita breviculum involutum ſub menſam miſiſſe, ut in manus ejus, qui ſubſcripſiſſet, perveniret. Ad extremum, illo ipſo die quo concilium ingreſſus eſt, ex ſtipatoribus, qui ipſum ſequebantur, unus, qui de conſilio contra ipſum inito aliquid reſciverat, aut conjecturam fecerat, cum alloqui eum non poſſet, inter confertos incedentem, pede pedi injecto, ſtudioſe preſſit, ut ea re periculi admonitus pedem referret: quod ille pariter aut non intellexit, aut intellectum neglexit, monitorem ne ſibi moleſtus eſſet rogans. Verum, ubi in conſiſtorio conſedit, tum periculi, quod ſemper antea contempſerat, magnitudinem coepit exhorreſcere, et, monitis amicorum ad animum revocatis, ſpecie item armatorum ſtipatorum ante oculos poſita, ſe ſolum et ope eorum in quibus omnem fiduciam poſuerat deſtitutum, ac denique in regis poteſtate eſſe ſenſit, ſero errore agnito; quem cum emendare non poſſet, reſtabat, ut conſtantia vultus metum tegeret, praeſertim coram fratre cardinali, quem et ipſum monitorem hactenus contempſerat. Nihilominus, praevalente adverſus diſſimulationem vehementi pavore, licet ante focum tergo obverſo ſederet, toto corpore diriguit; confeſtimque fluxu ſanguinis per nareis copioſe manante, cum linteum popoſciſſet, etiam dulciaria quaedam a cubiculariis regiis ad refocillandas vireis petiit:

INTERPR. [a] *de Nully.* [b] *la Chappelle Marteau.*

petiit: quod tamen ab aliis non tam pavori quam laſſitudini ex contubernio foeminae illius, cum qua concubuerat, contractae aſſignatum eſt. Inter metum languoremve deſidenti ſupervenit Ludovicus [a] Revolius a ſecretis epiſtolis rei ignarus; qui cubiculo regio exiens ei regis nomine denunciavit ut ad ipſum veniret. Quo audito, ille ſtatim experrectus, vultu ad gravitatem compoſito, perhonorifice univerſos ſalutavit, quaſi ultimum vale diceret, et recta in cubiculum regium perrexit; intra quod admiſſus, ſtatim peſſulo ab oſtiario, ut fit, obdito, ad ſecretius conclave, quod ad laevam erat, tendit. Heic, aulaeo manu dimoto, intrantem [b] Sanmalinius ex percuſſoribus unus occupat, et, laeva enſi ejus impoſita, quaſi ex ſuperiore loco pugionem per guttur in pectus demittit, veritus ſcilicet ne ſubtus lorica tectus eſſet; quo ictu fauces regurgitante ſanguine ſtatim oppreſſae ſunt, ita ut loqui non potuerit, tantumque altum ſuſpirium pro voce miſit, quod ab aſtantibus cum horrore exauditum eſt. Tum alii incumbentes renitentem, et fruſtra jam prenſis manibus ſe ad defenſionem parantem, circumſtant, et, uno atque altero vulnere in caput et inguina adactis, ne irriti primi ictus caderent, poſtea in pectus et ventrem ictus dirigunt. Neque tamen tot lethalibus vulneribus ſtatim concidit, ſed, poſtquam ſe manibus eorum extricavit, converſa fronte ad oppoſitum ad dextram alterum conclave recto adhuc corpore deflexit; et cum in [c] Monpeſatum Loniacum, qui cum Rogerio [d] Bellagardio Thermo in cubiculo aderat, arcae genu altero innixum, protenſis brachiis et contractis pugnis, tendere videretur, quaſi ipſum petiturus, Loniacus enſem porrectum, ut erat vagina tectus, venienti objicit; cujus primo impulſu, jam viribus animi et corporis linquentibus, in tapetem ſubſtratum toto corpore concidit, et ſine ulla convulſione animam exhalavit.

XV. Rex, cognito Guiſium vixiſſe, tapete ſuper injecto ipſum tegi juſſit, et in cubiculum prodiit. Interea ad ſtrepitum cardinalis Guiſianus, id quod erat conjiciens, ſedili violenter everſo, ſurrexit; et, non jam de ope fratri ferenda cogitans, ad oſtium exterius contendit, quaſi fuga ſaluti conſulturus. Contra Lugdunenſis ad oſtium interius cubiculi regii accurrit, quaſi opem Guiſio laturus, et cum eo, ut poſtea mihi ſaepius dixit, mori certus; ut qui morae exitialis ei in aula auctor fuerat, eodem cum ipſo exitio periret. Sed uterque prohibitus eſt; et ſtipatores, qui extra in ſcala excubabant, ſub id conclave ingreſſi ſunt. Aumontius conſcius ſurgens moderata et gravi oratione ambos ad patientiam [α] hortatur. Mox cardinalis Guiſianus et Lugdunenſis ſub cuſtodia in ſuperius conclave regulis proximum ducti ſunt, ubi totum diem et proximam noctem precibus ad Deum fuſis et mutuis hortatibus ad conſtantiam animum obfirmarunt, interdum minis a cardinali interpoſitis; quae ad regem a cuſtodibus delatae ei exitium attulerunt. Tum rex, reſerato cubiculi oſtio, proceres admiſit, et ad cardinalem Vindocinum converſus, Nunc demum rex ſum, (inquit) et acrius quam antea bellum cum ſectariis gerere apud animum meum conſtitui, cui a turbulentis iſtis, qui ſemper cauſam religionis in ore habebant, remora afferebatur: interim hoc exemplo diſcant, qui mihi moleſti eſſe pergent, aut meam auctoritatem labefactabunt, ita ſecum deinceps actum iri. Quibus dictis in inferius conclave deſcendit, ut quid egiſſet prius reginae parenti attonitae renunciaret. *Illa*, non tam rei atrocitate, quam quod praeter ſpem accidiſſet, exterrita, tamen vultum, ut erat mira adulandi artifex, compoſuit; tantum a rege quaeſivit, an qui motus ex eo ſecuturi eſſent, ſatis animo providiſſet, et in omneis caſus negotia ſua ordinaſſet.

Cum

VAR. LECT. [α] hortatur: at Radeſianus rei ignarus, tamen ridicula vanitate, quo rebus confectis aut fidem ſuam regi approbaret, aut ſe conſilii participem fuiſſe oſtenderet, ferrum vagina eduxit, mirantibus cunctis cum nemo reſiſteret. Mox *cardinalis *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Revol.* [b] *de St Malines.* [c] *de Montpezat Sr de Longnac.* [d] *de Bellegarde comte de Thermes.*

Cum ille reſpondiſſet, abunde ſibi proviſa omnia, illa nihil aliud ſubjecit, quam CIↃIↃLXXXVIII
Deum ſe comprecari, ut cuncta ipſi in bonum verterent. Eodem tempore [a] Nemo- HENRICUS III.
roſius et Ellebovius, in cubiculo quiſque ſuo, ii in arce hoſpitium habebant, a ſtipatoribus regiis ſiſtuntur. Carolus [b] Jonvillae princeps, Guiſii filius, a Carolo [c] Engoliſmenſi Franciae priore, venationis, ad quam eo die una profecturi eſſent, colore quaeſito, dum in cubiculo ſuo juvenilibus oblectamentis diſtineretur, nuncio paternae mortis allato, in arce retinetur. Appoſiti et cardinali Borbonio ſeniori cuſtodes, nec non Annae Ateſtinae Guiſii et Nemoroſii parenti, accedente ad luctum de filiorum caſu conceptum etiam proprio metu. Miſſus e veſtigio extra arcem Franciſcus [d] Pleſſius Richelius, magnus hoſpitii regii praefectus, cum ſuis ſtipatoribus, qui ſuſpectos e populari ordine comprehenderet. Ii fuere [e] Nuellius, Capella, Joannes Companus, Cottablancus, qui, poſt Pariſienſem ſeditionem antiquis magiſtratibus urbanis ejectis, Guiſiana factione in eorum locum ſuffecti fuerant. Captus et Vincentius [f] Regius praetor Ambianenſis, qui ſe admodum a partibus regiis alienum ultimo hoc motu praebuerat. E ſacro ordine diligenter veſtigati, nec inventi, Urbanus [g] Lanſacus Convenarum, Franciſcus [h] Cornelianus Rutenorum, Petrus [i] Dormius Bononiae in Morinis epiſcopi; qui prius moniti, qua potuere, ſaluti conſuluerunt. Urbanus [k] Lavallus Boſcodelfinius e primaria nobilitate, et Carolus Coſſaeus Briſſaci comes, itidem in aedibus ſuis ſiſtuntur. Alii et veſtigati; qui ad rei famam huc illuc per urbem latitantes, et ſubinde hoſpitia mutantes, tandem aufugerunt. Boſcodelfinius poſtea, data fide nihil contra regem moliturum, fidemque ſuam pro ipſo interponentibus Ludovico [l] Roano Monbaſonii duce et Nicolao [m] Grimovilla Larchantio, dimiſſus eſt. Briſſacus ad finem uſque comitiorum [n] Bloeſis haeſit, et orationem pro nobilium ordine ad regem habuit. Inde rex ad ſacrum more ſolito audiendum in arce perrexit. Cum per [o] pergulam Britonum in ſacellum tenderet, obvium quendam ex [p] Mota-ſerrani familiaribus habuit; cui alta voce denunciavit, decretum in ejus gratiam nuper factum revocatum eſſe, hoc addito, ſciret, ſe nunc regem eſſe, et leges antea oppreſſas priſtinum vigorem recuperaſſe; proinde ſe juri ſiſteret Mota-ſerranus; ubi legibus paruiſſet, ſe judices ei non ſuſpectos ſecundum leges daturum. Mox et ſe turbae immiſcente officii cauſa [q] Lingonum epiſcopo, ut lateret, et primos regis commoti occurſus vitaret, eum proprio nomine compellatum ad ſe evocavit, et alta voce ſubjecit, Ante viginti dies adverſus Lingones non auditos obtinueras, hodie cauſa cecidiſti. Interim per Revolium cum Jo. Franc. [r] Mauroceno cardinali pontificis legato agit, et, poſt expoſitas juſtiſſimas imperatae caedis cauſas, ſpe facta ut bellum adverſus Navarrum ſuſceptum non propterea intermitteret, aliquatenus placatum dimiſit. Mortem Guiſii magna in aula affectuum mutatio ſecuta eſt; quibus plus moeroris erat, ex metu in foedam adulationem prolabentibus; qui vere regi fidi erant, contra de regis ſecuritate poſt ſublatum Guiſium male augurantibus. Et quanquam ſpes ſubiiſſet, poſſe regium nomen paene extinctum reviviſcere, tamen prudentiores ſic judicabant, factionem foederatorum, inter aulae otia et tot annorum luxum adultam, altiores radices egiſſe, quam ut unius hominis morte exſtirpari omnino poſſet. Regem, qui caede Guiſii penitus debellatum putaret, tamen anxium tenebat inde Meduanius, qui Lugduni erat, urbe poſt mortem Mandeloti ſuſpecta, procul dubio ultionem paraturus, et Aurelianenſium male animata

INTERPR. [a] *les ducs de Nemours & d'Elbœuf.* [b] *Joinville.* [c] *le chevalier d'Angouleſme Grand Prieur de France.* [d] *du Pleſſis de Richelieu Grand Prevoſt de l'Hôtel.* [e] *de Nully, la Chappelle Marteau, Compan, & Cotteblanche.* [f] *le Roy lieutenant general d'Amiens.* [g] *de Lanſac evêque de Comminges.* [h] *de Corneilhan evêque de Rhodez.* [i] *Dormy evêque de Boulogne en Picardie.* [k] *de Laval de Bois-Dauphin.* [l] *de Rohan duc de Montbazon.* [m] *de Grimoville Sr de Larchant.* [n] *Blois.* [o] *la perche aux Bretons.* [p] *la Motte-Serran.* [q] *Langres.* [r] *Moroſini.*

animata erga regem ſtudia. Miſſus igitur Aurelianum Carolus [a] Balſacus Dunenſis, Entraguii, qui regi, dum caedes patraretur, adfuerat, frater, qui arcem contra oppidanos jam tumultuanteis tantiſper ope praeſidii defenderet, dum cum majoribus copiis Aumontius ad eam expeditionem deſtinatus dux ſubſequeretur. [b] Lugdunum per diſpoſitos equos ſumma celeritate proficiſci juſſus Ornanus, ut [c] Meduanium, antequam fama mortis fraternae ad ipſum perveniret, imparatum opprimeret. Sed cum antevertit aliquot horis nuncius a Bernardino Mendoza Philippi oratore, qui perniciofam factionem pecunia Hiſpana in regno fovebat, miſſus; ſubitoque Meduanius, antequam Ornanus adveniret, feſtinato diſceſſu ſe periculo ſubduxit.

XVI. SUBLATO Guiſio rex parum profectum putabat, niſi Meduanium in poteſtate haberet. Magnum utriuſque fratris nomen, ingentes virtutes, ſed diverſa fortuna ac diſpar ingenium fuit. Guiſium, cujus nomen populis acceptum ob parentis fortiſſimi ducis memoriam, poſt primum in [d] Pannonia factum tirocinium, commendabat [e] Pictavium feliciter defenſum, et poſtea fuſus ad [f] Theodorici-caſtrum Gulielmi [g] Momorantii Thorei auxiliaris exercitus; quibus locis decora et periculoſa vulnera acceperat. Sed recens, adulta jam factione et oculis populorum in eum converſis, rei bene geſtae in Lotharingia ad [h] Vincentii-fanum, et mox [i] Vimorii, ac poſtremo Germanici exercitus ad [k] Alnetum in Belſia profligati, memoria ſummam illi gratiam apud omnes conciliaverat; ita ut, qui alioqui ejus nimia conſilia averſabantur, ſi non propterea magis diligerent, ejus certe virtutem ſuſpicerent. Erat praeterea in eo ad alliciendos homines mira comitas cum gravitate conjuncta, in arcano magis quam in publico facundia ad perſuadendum efficax, profuſa liberalitas et obvia humanitas, et in corpore procero, ac decoro vultu, inceſſu, et compoſito geſtu dignitas, quae magnitudinem animi et ingenteis ſpiritus prae ſe ferebat: ad haec patiens corpus frigoris, aeſtus, ſitis, inediae; et inter exquiſitas lautitias enutritus, dum cum milite in vallo ſub pellibus degebat, nihil vile aut ſordidum exiſtimabat: parcus ſomni, impiger, hilari ſemper vultu; adeo in explicandis negotiis facilis, ut inter ſeria jocari, cum maxime negotia urgerent otiari, videretur. Tot naturae dotes corrumpebat vaſta ambitio, quae nec modum cogitationibus, nec finem conſiliis, faciebat; ad quam ille attulerat vafrum et verſatile ingenium. Summus diſſimulandi et fallendi artifex, et in comminiſcendis rebus varius mendacium mendacio adjuvabat; ita ut, cum maxime falleret, novas ſubinde rationes fallendi et mendacii excuſandi, culpa in alios rejecta, ſemper reperiret: quod perſpectum intimis tantum, amicis ipſis eum inviſum ſenſim reddebat, multique ob id ab eo deſciverunt, fidem ejus deſiderantes, et quod candorem, quem verbis praeferebat, facto non praeſtaret. Itaque gynaecei regii dicterio jucunda Guiſii malitia in proverbium abierat. Nec minor fama et virtute Meduanius, pleriſque etiam major fratre habitus, cujus et in Pictavii defenſione comes fuerat: dein externa militia primam juventutem exercuit ejuſdem aemulatione; et altero poſt [l] Corinthiacam pugnam anno, cum delecta Gallica nobilitate, foederati contra Turcos exercitus ſigna, magna prudentiae jam in illa aetate et fortitudinis laude, ſecutus eſt, pro tanto beneficio a ſenatu Veneto in patricios allectus. Inde civilibus armis inclaruit, et, in Delfinatu pleriſque oppidis et arcibus captis, gloriam foris partam domi auxit, fideique et conſtantiae laudem ad virtutis militaris decus adjunxit; adeo ut princeps fidei tenaciſſimus, et expugnator urbium, quaſi Ulyxes alter, vulgari diverbio appellaretur. Poſtremo, [m] Jacopoli obſeſſa et capta, praecipuae in obſidionibus faciendis ſolertiae palmam tulit; quam non tam minuit ſuſcepta initio hujus belli

noviſſimi

INTERPR. [a] *de Balſac Sr de Dunes frere d'Entragues.* [b] *Lyon.* [c] *le duc de Mayenne.* [d] *Hongrie.* [e] *Poictiers.* [f] *Chateau-Thierry.* [g] *de Montmorency Sr de Thoré.* [h] *le pont St Vincent.* [i] *Vimory.* [k] *Auneau en Beauſſe.* [l] *bataille de Lepante.* [m] *Brouage.*

noviſſimi in [a] Aquitaniam expeditio, quam invidiam rei non ita feliciter geſtae in regem rejecit, vulgo ex anteacta experientia de hoc ultimo ſucceſſu judicium faciente. Par fortaſſe in utroque fratre magnitudo animi fuit; ſed Guiſius multum fortunae, Meduanius plus prudentiae, tribuebat; idque a diverſis utriuſque moribus proficiſcebatur. Itaque ille in conſiliis plus audaciae, hic plus moderationis afferebat; et ut in familia Guiſii omnia confuſa et incondita, ita in Meduanii contra omnia digeſta et ordinata videre erat. Neque ille multum curabat quantum deberet, modo ſumptibus faciendis undicunque ſuppeteret: hic ita ſumptus faciebat, dum ne quid deberet. Multa ille large promittebat, et promiſſa ſaepius vanitate fruſtrabatur: hic promittendi parcus promiſſorum fidem religioſe ſemper exſolvebat; ut appareret, eum regno pacato finitam legibus dignitatem, quam ſupergreſſam leges poteſtatem, bello intus excitato, habere maluiſſe: cum illi contra nihil ſatis eſſe poſſet, legibus major, quicquid animo conciperet, per fas nefaſque habere vellet; quo fiebat, ut rex extra factionis cauſam minime ſuſpectum haberet Meduanii ingenium, eique exercitus ob eam cauſam potius quam fratri committebat.

XVII. SED interfecto Guiſio eundem acerrimum ultorem metuebat: itaque ad eum comprehendendum ſtatim Ornanum miſerat. Quod futurum cum ſibi perſuaſiſſet, interea conſultatum fuit, quid de cardinali fratre faciendum eſſet. Qui Guiſii de medio tollendi regi auctores fuerant, minime dubitabant, quin rex eodem jure in cardinalem uti deberet; eoque magis inſtabant, quod ingenium ejus optime perſpectum haberent, ac vererentur ne ſe tandem miſericordia vinci pateretur, et poenitentia ſubeunte ipſos ad ultionem objecturus eſſet. Sic autem diſſerebant: cardinalem hominem ſuperbum eſſe, qui, inter aulica otia [α] vagis libidinibus innutritus, juventam extra armorum pericula egerit; eoque audacius, quo ultionis impetus illum ducet, per abrupta iturum: nulla illum conjugii dulcedine, nullis liberorum illecebris, nullis charitatibus, quae humaniores homines reddunt, tangi; proinde neminem eſſe in omni familia, quem acriorem ultorem rex metuere debeat: quid [b] Auguſtobonae Tricaſſium nuper fecerit, nemini ignotum eſſe: jam audiri voces ejus minarum plenas, calente adhuc ſanguine et recenti puniti fratris exemplo: quid facturum eum, cum ſe mortis metu liberum ſentiet? cum tanquam leo e cavea periculum, quod inſtat, evaſerit? His rationibus rex, qui nondum a fervido vindictae publicae curſu reſpiraverat, facile ſe adduci paſſus eſt, ut mortem cardinalis imperaret. Igitur poſtridie datum negotium [c] Gaſto, unius ex praetoriana legione cohortis ductori, ut fidis ſecum aſſumptis rem conficeret. Is cardinalem e cubiculo, in quo cum Lugdunenſi cuſtodiebatur, evocatum, quaſi rex ita juberet, et per obſcura deductum, prius monitum ut ſe Deo commendaret, ictibus haſtarum per ſuos confodi mandavit. Nec diu id ſuppreſſum, mox evulgato in aula cardinalem eandem quam fratrem poenam ſubiiſſe. Hic finis Guiſii et cardinalis fratris fuit. Ferunt Franciſcum eorum parentem virum fortiſſimum, et regni bono et ornamento natum, ſi in alia tempora incidiſſet, [β] aut viros principes nactus eſſet, cum pulcherrimam ſobolem ex Anna Ateſtina lectiſſima foemina ſuſtuliſſet, de filiorum fato ex ipſorum indole ſic pronunciaſſe, ac fore praedixiſſe, ut Henricus grandior natu, aura populari et inanibus rerum deceptus, bellorum civilium, quae ille ſemper ſumme deteſtatus fuerat, aeſtu reciprocante abſorberetur; Ludovicus, cui et annexum erat Hippolyti nomen, ferocitate innata fratris fortunam ſecutus iiſdem fluctibus involveretur; ac tandem

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Troyes.* [c] *le Guaſt capitaine d'une compagnie du regiment des gardes.*

VAR. LECT. [α] vagis libidinibus innutritus *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerpta.* [β] aut viros principes nactus eſſet *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerpta* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur.*

tandem ad Carolum, qui et Hercules dicebatur, ut moderatiorem, et prudentiae jam tum in pueritia manifeſtis indiciis ſe prodentibus, ſumma illuſtriſſimae familiae rediret. Nec vanum prudentiſſimi parentis augurium fuit. Ateſtinam ipſam memini, cum ad eam officii cauſa iviſſem, ad conventus Bloeſenſeis profecturus, alto ſuſpirio male de comitiorum exitu ominatam eſſe, atque optaſſe, ut aut comitia non indicta, aut filii ad ea profecturi non fuiſſent. Tunc vero, ubi de filiorum caſu cognovit, ut in ingenti luctu ſtupens, ſuppreſſis inutilibus lachrimis, corpora defunctorum ad ſepulturam ſupplex petiit. Nec negaturus rex putatur, niſi monitus fuiſſet, quod materno affectu pia parens peteret, id ad ciendam ſeditionem, commota jam ubique plebe, potentiſſimum telum futurum: nam factioſos corpora ſanguinolenta per urbes in exercitu ac paſſim proculdubio circumlaturos, et in bonis miſericordiam, in aliis furorem, excitaturos; et, ut res erant, in regis invidiam etiam tanquam beatorum felices exuvias ad adorationem vulgo expoſituros. Ob id conſultius viſum, ut omnino abolerentur. Igitur nocte pervigilii demiſſa per funem corpora in imam aream, calce viva ad id ex conſilio chirurgi parata, ne cineres ſupereſſent, ſummo ſilentio conſumuntur. Richelius ad Ateſtinam remiſſus, qui corpora filiorum ſe praeſente ſepulta, et loco ſacro juſſu regis terrae mandata, magnis dejerationibus affirmaret.

XVIII. COMPREHENSUS fuerat Joannes [a] Pericardus Guiſio a ſecretis epiſtolis, et Bernardinus [b] Codanicus cubicularius, qui arcanorum participes fuiſſe putabantur. Scrinia et Guiſii diligenter perquiſita, ac delegati judices Jacobus [c] Guiotardus et Ludovicus Bretellus Linguatotus magni concilii aſſeſſores, qui reos interrogarent: ex quorum confeſſionibus et ſcriptis fides plene facta conſiliorum cum Philippo et Sabaudo initorum, et acceptae ingentis ab Hiſpano pecuniae; quae, ut poſtea ſubductis rationibus conſtitit, ex quo Joannes Auſtrius [d] Namurci deceſſit, (nam ab eo tempore ſecreta Guiſii cum Philippo foederatio redintegrata eſt) ad decies quinquies centena CIϽ aureorum excurrebat. Cum iidem delegati judices Lugdunenſem juſſu regis adiiſſent, ut eum interrogarent, ille, qui ſciret ſibi a rege vitae gratiam factam, nam [e] Edmundus Malinius Luxius Cabilonenſis arcis in Heduis praefectus, Lugdunenſis ex ſorore nepos, id ſupplex a rege petierat et impetraverat, audacter reſpondere recuſavit; ſe quippe archiepiſcopum, de cujus cauſa regii judices cognoſcere non poſſent. Cum illi contra inſtarent, et in crimine laeſae majeſtatis privilegium ſacro ordini conceſſum ceſſare oſtenderent, ille nihilominus pertinaciter in propoſito haeſit. Quod cum delegati ad regem retuliſſent, ille Gondium cardinalem ad Lugdunenſem miſit, ut eum ad reſpondendum impelleret. Verum ille rurſus recuſavit, cum diceret, nihil habere quod in Guiſium et cardinalem ejus fratrem, quorum fortunam ſecutus eſſet, diceret: quod ad ſe attinebat, qui Galliarum primas eſſet, non teneri reſpondere, niſi aut coram pontifice aut delegatis ab eo judicibus; ipſum, qui ſe alloqueretur, cardinalem Gondium tanquam epiſcopum Pariſienſem juriſdictioni ſuae ſubjacere: ſi tamen cardinali [f] Mauroceno pontificis legato, habita cum praeſulibus, qui [g] Bloeſis comitiorum cauſa ſunt, deliberatione, ita videatur, ſe paratum reſpondere; ſed ſcirent, qui ita cenſerent, ſe, non archiepiſcopum Lugdunenſem, immunitatis eccleſiaſticae violandae auctores fuiſſe. Hoc reſponſum cardinali Gondio factum rex indigniſſime tulit; habitoque conſilio ſic reperiebat, in crimine majeſtatis id ſemper juris regibus fuiſſe, ut poſſent epiſcopos cogere ad reſpondendum: ſic Aegidium [h] Remorum epiſcopum, Deſiderium Viennae archiepiſcopum, in jus vocatos; ſic Praetextatum [i] Rotomagi archiepiſcopum a Chilperico ad concilium

epiſcoporum

INTERPR. [a] *Pericard.* [b] *de Codanic Italien valet de chambre.* [c] *Guiotard, & L. Bretel Sr de Languetot.* [d] *Namur.* [e] *Edme de Malain baron de Lux gouverneur de la citadelle de Chalons ſur Saone en Bourgogne.* [f] *Moroſini.* [g] *Blois.* [h] *Reims.* [i] *Rouen.*

epiſcoporum Lutetiae congregatum remiſſum, haec prius praefato, crimen ſuae notionis eſſe; tamen, ne judex in propria cauſa ſedere videretur, de jure ſuo remittere voluiſſe, et criminis cognitionem ipſis permiſiſſe: eodem jure Zenonem imperatorem contra Alexandriae et Antiochiae epiſcopos uſum eſſe, non petita a pontifice venia: et ita patres in Conſtantinopolitana I ſynodo, imperante Theodoſio, et Carthaginienſi cenſuiſſe, videlicet, res ſacras judicio eccleſiae ſubjacere; perſonas, quoties de crimine agitur, quod poenam a judice eccleſiaſtico infligi ſolitam excedit, ad magiſtratum civilem [1]remittendum eſſe; quae vitam principis, quae ſalutem publicam ſpectant, ea ad principalem juriſdictionem pertinere; nec quenquam eſſe, qui ulla fori praeſcriptione in tali crimine ſe tueri [α]queat. His rationibus inductus rex rurſus ad Lugdunenſem mittit Nicolaum [a]Fumeum epiſcopum Bellovacenſem, (is ex ſeviris paribus Franciae eccleſiaſticis comitis titulo eſt) virum probum et publicae tranquillitatis perquam ſtudioſum, cum Martino [b]Ruzaeo Belli-loco a ſecretis epiſtolis, qui eum ad interrogata reſpondere regis nomine juberent. Nec Lugdunenſem de vita jam ſecurum heic ſua pertinacia deſeruit, qui ſic cum Bellovacenſi egit: Aut tanquam epiſcopus huc veniſti ut me interrogares, aut tanquam comes et par Franciae: ſi ut epiſcopus, nullum epiſcopo in archiepiſcopum primatem jus tibi eſſe ſcis; ſi ut conſiliarius regius, (nam pares Franciae regis conſiliarii ſunt, et principem locum in ſenatu Pariſienſi obtinent) ſacras perſonas coram civili magiſtratu non teneri reſpondere non ignoras: itaque nullo caſu ad id, quod petis, jure cogi poſſum: proinde regi renuncia, non aequum eſſe, ut qui mihi vitae gratiam fecit, vim conſcientiae, quae mihi vita charior eſt, afferri patiatur.

XIX. CUM nihil a Lugdunenſi obtineri poſſet, aliunde probationes, quae potuere, conquiruntur, et juſſu regis in comitiis publicantur, eo conſilio, ut, ſublatis ducibus et evulgatis pernicioſis eorum conſiliis, populi factionem deteſtati toto regno quieſcerent. Qua in re admodum ſpe ſua rex falſus eſt, corruptis jampridem per conciones et ſecreta confeſſionum colloquia a ſacerdotibus plebis animis, ut, qui alias perduelles et majeſtatis rei habiti fuiſſent, tunc veri Catholicae religionis propugnatores exiſtimarentur.

XX. QUID enim feciſſe Guiſium? quid omnes Lotharingos et eorum partibus addictos, quod non rex ipſe facere debuerit? conſilia cum Philippo ſtrenuo ſectariorum inſectatore, cum Sabaudo ejus genero et veſtigiis ſoceri inſiſtente, agitata cur in invidiam trahi, niſi haereticos infeſtare, de iis exſtirpandis cogitare, crimen eſt? quod rex ſive ſocordia, ſive ab aliis male perſuaſus, ſive in Navarri gratiam et occulto Guiſianorum, quos potius complecti debuit, livore non facit, ſi alii faciant, et quod negligentia ejus perit, ſi diligentia ſua et conſtantia ſuppleant, an in odium eorum verti oportuit? in religionis cauſa, quae omnes reipublicae partes continet, ut in incendio, cunctos, non exſpectato magiſtratus imperio, ad ignem reſtinguendum accurrere debere. Pecuniam ab Hiſpano acceptam, quae objicitur, in quos uſus expenſam? an ditiorem propterea Guiſium effectum? omnia illius bona, oppida, arces, magno nominis Gallici atque adeo regni probro, creditoribus oppigneratas; et, cum nihil novis hominibus ad perniciem publicam natis a regia liberalitate deſit, fortiſſimos religionis ac regni defenſores propriis ſumptibus reipublicae militare. Saluciarum principatum a Sabaudo occupatum, ut peſtem ſenſim ſerpentem incideret, non tanti eſſe, ut aut bellum contra ſectarios coeptum omitti,

VAR. LECT. [α]queat: in ceteris criminibus ac delictis quae vocant communibus, ita laudabili regni inſtituto comparatum eſſe; idque ſacro ordini a regibus Francorum honorifice datum, ut judices regii cum judice eccleſiaſtico de cauſa ſimul cognoſcant. His rationibus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a]*Fumée evêque de Beauvais.* [b]*Ruzé Sr de Beaulieu.*

NOT. [1]*potius* remittendas.

omitti, aut tanta invidia Guiſius onerari debuerit: quin illum indigniſſime injuriam tuliſſe, et, ut inulta non relinqueretur, regi auctorem fuiſſe; et tamen pro tot exantlatis laboribus, pro tot collatis in rempublicam beneficiis, indigniſſima morte eum affectum; et, quaſi non ſatis ſit cruore tanti viri immaniter effuſo iniquiſſimae eorum voluntati factum, etiam ejus memoriam maledictis ac calumnioſis accuſationibus proſcindi. Id vero minime ferendum: acriori quam antea ſtudio capienda arma ad ultionem et pro religione. Dei cauſam agi, qui de lapidibus filios Abrahae ſit excitaturus, neque ſuos tali tempore deſerturus. Extinctis duobus fratribus ſupereſſe tertium, qui deſiderium amiſſorum praeſentia ſua lenire, et detrimentum eorum morte acceptum virtute ſarcire, poſſit.

XXI. Haec cum paſſim jactari rex intelligeret, et factionem tempore valeſcere, ac factionum duces in urbibus ex pavore animos colligere, atque adeo malum, quod ſublatis ducibus ſopitum putabatur, irritatum creſcere, in commune cum proceribus, qui aderant, conſultare coepit. [a] Aumontius cum [b] Entraguio et Helvetiis praetorianis ac parte Gallorum praetorianorum, poſt [c] Dunenſem, ad [d] arcem Aurelianenſem defendendam miſſus fuerat, quam oppidani ducta foſſa ab urbis parte acriter oppugnabant. Cum vireis eas non ſufficere quereretur Aumontius, et majores, vel exercitu e [e] Pictonibus revocato, ſummitti peteret, contradixit in concilio [f] Radeſianus; bellum contra ſectarios ſuſceptum vi majore quam hactenus factum eſſet perſequendum; ſi revocentur copiae e Pictonibus, dilapſuros a ſignis milites, et populos, qui vireis contra ſectarios deſtinatas in Catholicas urbes verti viderint, ſtatim concurſu facto defecturas: religionis favore niti potentiam Guiſianorum, cujus ſi cauſam deſerere rex videatur, non morte eorum motum compoſitum, ſed ex eorundem cineribus majus quam antea tota Gallia incendium excitatum iri. Contra diſſerebat Rambulietus; bella fama conſtare; vulgus audacia turbidum, niſi vim metuat, ſtatim cum fortuna mutare; victoris ſemper juſta arma et potiorem cauſam eſſe; in primis initiis multum momenti poſitum; uti coeperis, ſic cuncta deinceps ſecutura: religionis fruſtra obtrudi reverentiam; ut pietatem noſtram vulgo approbemus, dandam eſſe operam ut conatus noſtri proſpere cedant; non defuturum militem, belli duces, atque adeo vulgi favorem propendere in eas partes ſemper ſolitum, quo ſe fortuna inclinat: Deum placatum eos habere a plebe credi, qui in bello feliciores exiſtunt. Vicit tamen Radeſiani ſententia apud principem religionibus addictum, et tardum natura, qui nunquam generoſum conſilium niſi extrema neceſſitate compellente ſecutus eſt. Itaque cum in eodem concilio actum eſſet de auxiliaribus Helvetiorum copiis accerſendis, et Nicolaus [g] Harlaeus Sancius ante aliquot annos apud eos orator veniſſe tempus diceret, ſi rex occaſione uteretur, ut potentiores Helvetiorum pagos, qui Proteſtantium religionem ſequuntur, [h] Bernates, Tigurinos, Baſileenſeis, Scafuſianos ſibi conciliaret, et, quod antea fruſtra tentatum fuerat, auxiliareis copias ab iis impetraret, nam Sabaudi odio ſive metu non ſolum conſilia ſed etiam vireis conjuncturos; ob eaſdem cauſas, Radeſiano annitente, minime tunc auditus eſt: tantum conſultum viſum, ut rex cum Aurelianenſium delegatis, qui ad ipſum, dum vis ab oppidanis ad arcem fieret, ad tempus ducendum et moram auxiliis venturis injiciendam venerant, ageret, et eos conditionibus honeſtis in fidem acciperet, captivos in tutum deduceret, et, ſancita praeteritorum oblivione, publico diplomate cunctas civitates ad obſequium invitatas in officio confirmaret. Cum Aurelianenſibus fuit irritus tractatus: captivos rex ipſe Amboſiam primariam regni et regia magnificentia exſtructam arcem exeunte Januario deduxit. Ei praeerat [i] Rillius

ex

INTERPR. [a] *le mareſchal d'Aumont.* [b] *le Sr d'Entragues.* [c] *le Sr de Dunes.* [d] *la citadelle d'Orleans.* [e] *Poictou.* [f] *le mareſchal de Retz.* [g] *de Harlay Sr de Sancy.* [h] *ceux de Berne, Zurich, Baſle, &* *Schaffhouſe.* [i] *de Rilly.*

ex provinciali nobilitate vir perſpectae fidei; quem rex peſſimo exemplo inde amovit, et arci praefecit cum valido praeſidio [a] Gaſtum illum de quo dixi, ab Eſpernonio olim ſibi commendatum, eoque fidum creditum, ac praeterea caede cardinalis obſtrictum. Jam evaſerat [b] Nemoroſius, corruptis ſive deceptis cuſtodibus, et Lutetiam profectus magna laetitia ſeditioſos tumultuanteis adventu ſuo compleverat. Ateſtina parens [c] Amboſiam deducta, et mox miſericordia, an quod fidem fecerat ut rebus componendis quantum in ſe eſſet operam daret, a rege dimiſſa. Dimiſſi et [d] Regius Ambianenſis praetor, et [e] Companus et Cottablancus, qui operam ſuam regi polliciti minime fidem ſervaverunt; nam pravo more invaluerat, ita a concionatoribus et ſacerdotibus inſtructa plebe, ut religionis obtentu fidem datam violare quiſque ſibi licere ſalva conſcientia putaret. Miſſus Lutetiam cum iis fuerat Claudius [f] Marcellus, homo plebi olim gratioſus, cum mandatis ad plebem placandam, ut regi et ipſi Marcello videbatur, idoneis; qui admiſſus, nec auditus eſt: captaque occaſione, quod Marcellus a rege veniens admiſſus eſſet, factioſi e ſuo numero Petrum [g] Magiſtrum inquiſitoriae claſſis praeſidem [h] Bloeſas mittunt, qui regem tarditati inſuetum vana ſpe lactaret, et coram conſilia ejus penitius exploraret. Poſtea diploma evulgatum, quo rex unionem Catholicorum proximo edicto Juliano factam denuo ſancit; quodque actum ſit, id ob violatas illius edicti leges factum dicit; ac, poena ad paucos atque adeo mali auctores contracta, ceteros, qui factioni participarunt, a metu amplioris inquiſitionis ſecuros eſſe jubet, ea conditione, ut in poſterum ab omnibus coitionibus, ſecretis conſiliis, factionibus abſtineant, poena priore illo edicto ſancita in eos, ni paruerint, renovata. Id actum pridie Kalendas Januarias. Nec multum ea declaratione profectum, quam pro metus confeſſione accepere foederati. Nec magis Meduanius literis ad eum a rege datis commotus eſt; qui Lugduno profectus ipſo natalis Dominici die ſub veſperam [i] Matiſconem primum venit, et per [k] Cabilonem iter habuit, cum arcis praefecto Edmundi [l] Malanii Luxii vicario clam collocutus; et, accepta ab eo, ut creditur, fide, [m] Divionem exeunte anno venit; ubi literas, quas dixi, accepit, quibus rex de egregia ſua erga ipſum voluntate ſignificabat, et a perduellionis crimine, cujus perſecutionem intra duorum fratrum poenam coërcuerat, eum eximebat, quodque Bloeſis acciderat, tanquam vitae a diſcrimine ſecundum ipſius monita aſſerendae cauſa factum, excuſabat. Verum Meduanius, acri recentis injuriae ſenſu extra ſe poſitus, clementiam regis timori itidem attribuit; eoque ad ultionem perſequendam, ad quam crebris a [n] Monpenſeria literis incitabatur, magis accenſus eſt; praeſertim poſtquam cognovit, Aurelianenſeis tardis adeo a rege ſuppetiis in ſpem potiundae arcis veniſſe, et Lutetiae regiis attonitis omnia ad defectionem ſpectare.

XXII. Ibi de caede Guiſii poſtridie quam patrata eſt ſub veſperam cognovere factioſi; qui priuſquam evulgaretur, habito ſecreto concilio, cuſtodes ad portas apponunt, et Carolum Lotharingum Aumaliae ducem, qui privatis devotionibus intentus ad Carthuſianorum coenobium ſeceſſerat, intra urbem revocant. Nocte in ejus aedibus rurſus cogitur concilium, dictaeque, ut in re incerta et dubia, tumultuariae ſententiae: nam, etſi de morte Guiſii conſtabat, de cetero incerta afferebantur, metu res vero majores fingente: ita tamen diſceſſum eſt, ut appareret, foederatos niſi extrema neceſſitate compulſos nolle cum rege convenire, et apud ſe decreviſſe urbem in poteſtate habere, in ceteris ex occaſione conſilium capturos. Ut inquies. nox,

INTERPR. [a] *le Guaſt.* [b] *le duc de Nemours.* [c] *Amboiſe.* [d] *le Roy, lieutenant general d'Amiens.* [e] *Compan & Cotteblanche.* [f] *Marcel.* [g] *le Maiſtre preſident aux Enqueſtes.* [h] *Blois.* [i] *Maſcon.* [k] *Chalons.* [l] *de Malain baron de Lux.* [m] *Dijon.* [n] *Madame de Montpenſier.*

CIƆIƆLXXXVIII

HENRICUS III.

nox, ſic dies ſequens, quo natalis Dominicus celebratus eſt, plenus luctus et moeſtitiae fuit, concionatoribus propiora miſericordiae, recenti adhuc pavore, quam irae detonantibus. Et prudentiores quidem non tam id ut minime jure factum moerebant, quippe qui non dubitarent id regi licuiſſe, quam regis prudentiam requirebant, qui ſecuturos Guiſii caedem motus non providiſſet, aut in tempore proviſis non adhibitis maturius remediis occurriſſet. Ceremoniis feſtis extracta dies uſque ad veſpertinas preces; quibus peractis foederati, omnis morae impatientes, urbis concilium ad [a] aedeis publicas in Portuenſi platea convocant; quo ire juſſi Achilles [b] Harlaeus ſenatus princeps, et Auguſtinus [c] Thuanus praeſes, quia regi fidi, eo maxime ſuſpecti. Ad caedem vocari cum viderentur, amicis dehortantibus et extrema potius domi exſpectare ſuadentibus, Thuanus reſpondit, neque decere magiſtratum quem gererent, neque fidem quam regi deberent, ut rempublicam tam alieno tempore deſererent; et Harlaeo auctor fuit, ut ad concilium irent: quod enim honeſtius utrique monumentum futurum, quam ſi bene meritam de rege et regno animam reipublicae in media de republica conſultatione redderent? Ibi confuſae auditae voces, regem probris indigne onerantium, et ad ultionem poſcentium, et, ſi quis ex magiſtratibus auctoritatem interpoſuiſſet, caedium occaſionem quaerentium. Cum nemo mutiret, Nicolaus [d] Rolandus rei monetalis aſſeſſor, homo vehemens et petulanti loquacitate pollens, quem nuper eandem ob petulantiam rex comprehendi mandaverat cum Petro [e] Belloio juriſconſulto, et paulo poſt relicto in carcere Belloio dimiſerat, conſurgit; factaque audientia praeſentem rerum ſtatum poſtquam invidioſa oratione deploravit, cunctos ad concordiam pro religione et libertate hortatus eſt; et, quoniam in principatu nati ſint, ne diſſidia in primaria regni urbe, quae ceteris exemplo praeitura ſit, confuſis imperiis oriantur, ad utrumque tuendum opus eſſe dicit, ut unius imperii corpus unius animo regatur, nec exſpectato aliunde mandato aliquis tanta provincia dignus communi omnium conſenſu deligatur. Is ab eo dictus Aumalius, qui aderat; in cujus laudes multa impudenter et putide addita. Continuo in ſententiam ejus iere omnes, clamoribus a promiſcua plebe, quae ſeditioſe intraverat, ſublatis: nec manus a clariſſimis illis viris abſtentura putabatur, per eorum caedeis ſtrata ad direptiones via, niſi Aumalius obſtitiſſet, qui prima magiſtratus ſui initia cruore innocentium civium foedari inauſpicatum in praeſens, in poſterum invidioſum, exiſtimabat. Aumalio praeſide urbis conſtituto, factio jam firmior, bonorum libertate oppreſſa, ſenſim in licentiam ſe effundere coepit, principio a concionatoribus facto, qui nihil non in regis contumeliam et principum Catholicorum commendationem effutiebant; et, morte cardinalis intellecta efferatiores, ordinem ſacrum peti, jam non diſſimulate, ut antea, ſed aperte religioni a principe fucatae pietatis pleno bellum indici, blaterabant, tyrannum et hypocritam eum clamitantes. Sed, ſuſpenſis adhuc de [f] Aureliani eventu animis, factioſi nondum tentare extrema audebant. Laborantibus oppidanis cum auxilia decreta eſſent, Claudius [g] Lotharingus eques Hieroſolymitanus Aumalii frater, homo notae temeritatis et vecordiae, ſe obtulit; et cum delectis, quos penes ſe habebat, expilatis Hieronymi Gondii [h] aedibus in Sangermano ſuburbio, et pleriſque equis generoſis magni pretii ſecum abductis, quam potuit celerrime Aurelianum ſe contulit, et animos Aurelianenſibus adventu ſuo fecit, quibus jam ducis loco praeerat [i] Tremontius homo pugnax, et Dionyſius [k] Roſſius neceſſaria ad arcis obſidionem jam ante mortem Guiſii deſtinatam ſubminiſtrabat.

XXIII. SUBSEQUI

INTERPR. [a] *l'Hôtel de Ville en la place de Greve.* [b] *de Harlay premier preſident.* [c] *de Thou.* [d] *Nicolas Roland general des Monnoyes.* [e] *de Belloy.* [f] *Orleans.* [g] *le chevalier d'Aumale.* [h] *l'Hôtel de Gondy au fauxbourg S. Germain.* [i] *de Tremont.* [k] *de Roſſieux.*

XXIII. Subsequi juſſi milites in urbe tumultuario conſcripti, cum aliquot carris pulvere tormentario onuſtis; qui a Philippo [a] Angennaeo Fargio et Franc. [b] Grangaeo Montinio ex occaſione intercepti ac [α] fuſi ſunt.

VAR. LECT. [α] fuſi ſunt. Dunenſis, qui ante menſem hoc agere Guiſium per ſuos emiſſarios et Roſſium videret, ut conciliatis oppidanis Aurelianenſem arcem ipſi et Interamnati fratri eriperet, ſummiſſo jam illuc ante, ut ad omneis caſus praeſto eſſet, Tremontio, cuncta circumſpiciebat; et cum parum praeſidii in rege, jam animo, ut ſibi videbatur, concidente, reperiret, opes aliunde qua poterat conquirebat, quibus ſe adverſus Guiſii et oppidanorum conatus muniret: jam enim Guiſius injurioſa illa cum rege contentione quaſi obtinuerat, ut Aurelianum ſibi ſuiſque ſecuritatis loco conceſſum intelligeretur. Cum haec animo agitaret Dunenſis, cum Jacobo Auguſto Thuano, qui tunc Bloeſis erat, et quem, praeter non vulgarem inter eos amicitiam, regiis partibus addictum et a factione omni ſemper alienum noverat, ſaepius repetitis colloquiis egerat, et quibus in anguſtiis verſaretur oſtenderat; cuncta ad oppugnationem jam a Guiſianis comparata; ſe vero fratremque a rege deſertos, ac ſecuritate ejus et intempeſtiva patientia eo rem redactam eſſe, ut ſe viribus propriis adverſus Guiſii conatus tueatur: non ſibi animos et amicos deeſſe; nec item ignorare, potiorem ejus futuram cauſam qui anteverterit; ſed vereri, ſi vim mature adhibeant, ne urbem opulentiſſimam, quam ſalvam ipſe fraterque cupiunt, direptioni militum exponant: proinde ipſos majora ac tutiora agitare, arcem anguſtam, adeoque adverſus tantam urbem debilem, amplificare, cujus vi eam in poteſtate habere poſſint, cunctis regii Francicique nominis ſtudioſis et a Proteſtantium partibus alienis certum perfugium: quod ſi contingat, ex eo etiam id ſecuturum, ut rex, quem de ſua quodammodo fortuna deſperare moerent omnes boni, animos priſtinos reſumat, et adjutus ab iis ipſos viciſſim et auctoritate ſua et opibus adjuvet: ad id opus eſſe pecunia praeſenti, ut exigi a milite diſciplina, et, idoneo foſſorum numero contracto, citra oppidanorum injuriam opus intra paucos dies perfici poſſit: gemmas ſe magni pretii habere, quas pecuniam commodanti libenter oppigneret: eam bonorum omnium communem cauſam eſſe; quos proinde rogatos in occulto velit, ut in eam opes ſuas ultro conferant. Non diſplicuit conſilium Thuano, qui pro virili ſua laboraturum ſe promiſit, et effecturum ut alii, quorum magis intererat, Dunenſem pecunia juvarent. Thuano cum cardinali Vindocino tunc arcta familiaritas erat; indignantique quod a cardinali patruo a Guiſianis praeoccupato et ipſis Guiſianis deſpiceretur, et periculum ex contemptu metuenti, facile perſuaſit, ut pecuniam ad omneis caſus paratam haberet, ab eoque mandatum accepit ut XX aureorum CIↃ Lutetiae mutua ſumeret; quae ſi reciperet, in eam rem impenſurus, nec prius Vindocino conſilium revelaturus erat; ita enim cum Dunenſi convenerat: cum quo jam paratis equis diſpoſitis dum colloqueretur Thuanus in ima arcis area ſummo mane XV Kal. Januar. forte accidit, ut Joannes Burnovius Cuſſaeus ſenator Pariſienſis, conſilii particeps, qui cum Thuano erat, chirothecas amiſerit, quae eo tempore maxime neceſſariae, eoque diligenter et diu a lixis veſtigatae nec repertae ſunt. Igitur Lutetiam ita profecto Thuano, ut pecuniam quantam poſſet ab amicis et aliis acciperet, morte Guiſii ſecuta, cum Dunenſi captum conſilium evanuit. Cum vero reſciviſſet Burnovius, quo die auxiliares illi Pariſienſes profecturi et qua iter facturi eſſent, per lixam, qui chirothecas praeſente Dunenſi veſtigaverat, id diligenter Aumontio renunciari curat, monitum, ſi fides ei non adhiberetur, Dunenſi de chirothecis amiſſis aurem velleret. Id ſedulo a lixa factum; cognitoque a Dunenſi, cum prius dubitaretur, ex mentione chirothecarum indicium verum eſſe, Aumontius eodem itinere, quo venturi erant Pariſienſes, Philippum Angennaeum Fargium e Rambulieta familia, virum eruditione, ingenio, ac virtute militari praeſtantem, et Franciſcum Grangaeum Montinium cum delectis mittit, qui juxta Nemoroſium novos homines adſecuti facile eos fundunt et armis exuunt: capti carri et pulvis nitroſus cum reliquo apparatu; multi tamen ex iis, nam plus CIↃIↃ erant, incolumes Aurelianum pervenerunt; qui clade elevata, cum nova auxilia brevi affore dicerent, oppidanis ad continuandam arcis obſidionem adventu ſuo animos fecere. *MS. Samm.*

N.B. *Haec narratio, verbis aliquantulum variatis, in vita Thuani* lib. III. p. 89, 90. *hujuſce editionis occurrit; ſed in MS. Samm. in Hiſtoriarum ſerie hoc loco legitur.*

INTERPR. [a] *d'Angennes Sr du Fargis.* [b] *de la Grange Sr de Montigny.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS QUARTUS.
EPITOME.

NAVARRUS iterum Eſpernonium per Bordium urget. II. *De Niortio occupando conſultatur. Rei exequendae ordo et ſucceſſus. De ſuppetiis Ganachiae obſeſſae ferendis actum. Tandem fit deditio. Nivernius reducto exercitu cum Caſtraeo ad regem venit.* III. *Catharina regina parens ex veternoſa gravedine, accedente ad morbum moerore, decedit.* IV. *Finis comitiis impoſitus. Habitae orationes a delegatis ut in media pace et ſecuro otio. Bituricenſis pro ſacro ordine, Briſſacus pro nobilitate, Stephanus Bernardus pro tertio ordine, verba fecere. Dimiſſi delegati, fide obſtricta ut in ſuis quiſque provinciis tranquillitati publicae ſtuderent; quod pauci praeſtiterunt.* V. *Soluta Aureliani obſidio.* VI. *Gaſtus Amboſiae impoſitus de cardinali Borbonio liberando cogitat. Rex continuo eo advolat, et, depenſis* XXX *aureorum* CIↃ, *cardinalem, Jonvillae principem, et Ellebovium ab eo redemit.* VII. *Nic. Harlaeus Sancius cum plenis mandatis ad auxilia maturanda in Helvetios et Germaniam a rege mittitur.* VIII. *Lutetiae factioſi, ut eorum, qui obedientiae ſcrupulo obligari ſe dicebant, conſcientias ſolverent, in eam rem libellum collegio Sorbonico porrigunt; in quo a decano pronunciatum eſt, populum vinculo obedientiae ſolutum eſſe.* IX. *Hoc acto in ſenatum converſa rabies.* XVII *Kal. Febr. cum de legatione ad regem mittenda deliberarent, Achilles Harlaeus et Auguſtinus Thuanus praeſides et reliqui ſenatores in Baſtiliam a Buſſio loricato ducuntur. Novum jusjurandum a ſenatu, qui ſuperabat, propoſitum.* X. *Dein Catharina Clivia Guiſii uxor atrata, luctuoſo comitatu ad ſcenam introducta, ſibi de caede mariti juris via ſatisfieri ſupplex petiit.* XI. *Meduanius ex Heduis venit, et, rebus in tranſitu Aureliani ordinatis, in itinere a factioſis invitatus Autricum Carnutum divertit, urbem poteſtatis ſuae facit, et inde Lutetiam venit.* XII. *Adventu Meduanii concilium unionis Catholicorum inſtitutum. In eo factum de convocandis regni generalibus comitiis decretum, ſumma belli et negotiorum poteſtate penes Meduanium manente, qui titulo vicarii generalis ſtatus regalis et coronae Francicae rempublicam adminiſtraret.* XIII. *Intemperies concionatorum. Libelli et verſus inepti. Effigies ad horrorem in ſacellis ad pulvinaria erectae. Libri in regem famoſi. Supplicationes et in eum inſtitutae. Laodunenſes etiam foederationi Henoticae ſubſcribunt.* XIV. *Romae per Hier. Gondium abſolutionem de Ludovico cardinali occiſo coram cardinali a Jouſa et Piſanio marchione oratore ſuo a pontifice fruſtra rex ſupplex petit. Pontificis ea de re in conſiſtorio oratio ab Henoticis Lutetiae publicata. Jacobi Dioi Melitenſis equitis ad pontificem a Meduanio miſſi mandata. Miſſus et a rege Claudius Angennaeus Cenomanorum epiſcopus. Cenomani coram Jouſa cardinali et Piſanio de benedictione impertienda ſupplex petitio. Pontifex amplius de cardinalis Guiſiani caede ſatisfieri petit, et cardinalem Borbonium et archiepiſcopum Lugdunenſem captivos ſibi tradi. Cenomani de regis in regni ſui epiſcopos, in rebus quae civilem adminiſtrationem ſpectant, poteſtate, ſumma libertate explicata ſententia. Pontificis exprobrationes vanitati propiores generoſe a*

Piſanio eluſae. Novis demum mandatis acceptis Cenomanus in genua procumbens abſolutionem ritu ſolemni regis nomine petit. Pontifex in ſpeciem placatus, non impertita abſolutione, inſtat ut captivi tradantur. XV. *Flaviam et Urſinam nepteis nobilitatis Romanae primariis regulis elocat. Ferdinandi magni Etruriae ducis nuptiae magna pompa cum Chriſtierna Lotharinga Florentiae celebratae.* XVI. *Samarobriga in Ambianis rebellat. Abbatis-villa, Rotomagus, Vindinum Cenomanorum, Melodunum, Silvanectum, Creolium ad Eſiam, Claromontium in Bellovacis deficiunt. Catalaunum fidem ſervat. Lugdunum diu nutat et tandem deficit.* XVII. *Villaregii in partes tranſeuntis excuſatio. Cl. Caſtraeus, qui fidem regi dederat, capta occaſione deficit, et provinciae vectigalia retinet.* XVIII. *Maria Lucemburgica Mercuriañi uxor in Armorica Condivicinum Namnetum excitata ſeditione in poteſtatem redigit. Mercurianus re cognita Condate Redonum venit ab epiſcopo Dolenſi introductus, Renato Tornaminio, Monbaroto, et Aſſaraci marchione, qui regium nomen tuebantur, pulſis. Monbarotus, qui turrem urbis munitam tenebat, admotis tormentis locum dedit. Fulgeria eodem ſucceſſu capta. Vitreacum regi vindicatum. Nec multo poſt Redonenſes poenitentia ducti Charronerium a Mercuriano impoſitum urbe pellunt.* XIX. *Burdigalae res turbant; quas Matignonus provinciae praeſes ſumma animi praeſentia paucorum caede compreſſit. Patres Jeſuitae, ut ſecuritati publicae in poſterum conſuleretur, urbe exacti; qui Aginni Nitiobrigum et Veſunae Petrocoriorum, quae civitates ſub id rebellaverant, perfugium habuere.*

EX AUCTORIBUS,

Bordii relationibus, Nivernii diario, Scriptis utrinque publicatis, Comitiorum actis, Curiae Pariſ. archivis, Cl. Angennaei epiſcopi Cenomanenſis literis et relationibus, Antonio Cicarella, Nic. Villaregii apologia.

LIBER NONAGESIMUS QUARTUS.

NAVARRUS, cujus nomen pro praetextu factioſis erat, inter haec minime ceſſabat, et per Joannem [a] Hoſſaeum Bordium apud [b] Eſpernonium inſtabat, ut, omiſſa omni cunctatione, conſilia et vireis ſecum conjungeret: cumque ille CCC illa et LXCIↃ aureorum, quae apud [c] Zametium et Bandiñium depoſuerat, et recipere ante omnia cupiebat, in cauſa eſſe diceret, cur cum tanta jactura rebus Navarri nollet accedere, Bordius, quo omnem morae excuſationem ei praecideret, hanc conditionem propoſuerat; pro ea ſumma ampliſſimas Navarri [d] ditiones in Novempopulonia et aliis Aquitaniae locis acciperet, quas tanquam oppigneratas penes ſe retineret, donec eas Navarrus pace facta pro aequali ſumma lueret. Quam conditionem, ſpatio ad deliberandum prius ſumpto, tandem Eſpernonius accepit; ampliuſque petiit, ut Navarrus Turenae vicecomitem et Franciſcum [e] Colinium Caſtellionaeum ad ſe mitteret, cum quibus in arcem ſecreto admiſſis, de conditionibus, quibus Navarri ſigna ſequi paratus eſſet, re ſimul diſceptata, tranſigeret. Turenius tunc Rupellae erat, ex levi febre aeger. Igitur negotium Caſtellionaeo datum, ut [f] Enguliſmam ad Eſpernonium ſe conferret. Cum diſceſſurus eſſet, venit ab Eſpernonio qui nunciaret Guiſium

CIↃIↃLXXXVIII

HENRICUS III.

INTERPR. [a] *du Houſſay Sr de la Borde.* [b] *le duc d'Eſpernon.* [c] *Zamet & Bandini.* [d] *Armagnac, Comminges, & Bearn.* [e] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [f] *Angouleſme.*

Guiſium a rege morte affectum; iſque, ut fidem majorem faceret, vidiſſe ſe corpus defuncti affirmabat, eique bulgam, quam dono a dilecta matrona tanquam amoris pignus acceperat, ablatam oſtendebat. Quo intellecto Navarrus ad aſtanteis converſus, ii erant Caſtellionaeus ipſe, Jacobus [a] Segurius, Franciſcus [b] Dalous Ageolius, Frontenacus et Bordius, quid nuncius retuliſſet palam expoſuit; addiditque, vanitatis ſe merito argui, ſi ſibi de Guiſii morte dolere diceret, quippe qui vitae regis inſidiatus eſſet, et tranquillitatem publicam turbaret: ceterum ſe vere affirmare poſſe, pleroſque e nobilitate ſaepius ad illum interficiendum operam ſuam ſponte obtuliſſe, non ſpe praemii, verum ut injuriam communem ulciſcerentur; quos ſemper averſatus ſit, inſuper interminatus, ſi ſibi ulterius moleſti eſſe pergerent, eos neque pro amicis, neque pro viris bonis, habiturum. Cum autem appareret, regem Eſpernonium, quem Guiſii cauſa aula exegerat, ſublato Guiſio in aulam revocaturum, conſilium de mittendo ad eum Caſtellionaeo omiſſum eſt; tantum Bordius ad eundem remiſſus, qui pro nuncio gratias ageret, et, quid conſilii hoc rerum ſtatu ſibi ſumendum videretur, coram expoſceret: nam [c] Ganachiae praeſidiarios in eo eſſe, ni ſuppetiae propere ferantur, ut deditionem faciant. Sic autem viſum Eſpernonio, ut Navarrus ad [d] Nivernium mitteret, eique ab obſidione diſcedenti liberum ad regem tranſitum offerret.

II. NAVARRUS tunc ad [e] Joannis-fanum in Santonibus erat, ubi conſilium jam antea ſaepius agitatum et fruſtra tentatum de [f] Niortio intercipiendo renovatum eſt, ex privatarum injuriarum occaſione. Oppidani, ſitu loci et valido praeſidio firmati, ſe ſemper adverſus Proteſtanteis gnaviter defenderant, et conatus eorum irritos reddiderant; eoque inſolentiores facti, accedentibus ad odia felicibus belli ſucceſſibus, bona eorum circumpoſita crudeliter diripiebant, nec hominibus ſuſpectis parcebant: ac nuper, cum Jo. Valeta ſub moenibus urbis in proelio occiſus eſſet, corpus ejus in urbem illatum Jacobus [g] Laurentius praetor, homo turbide ferox, ignominioſe per vicos tractum in furcam egerat. Ludovicus [h] Sangelaſius Proteſtantium primarius dux, qui vicina Niortio praedia habebat, crebris itidem injuriis ab iis laceſſebatur. Is ſe ducem expeditioni praebuit, et, re cum Navarro communicata, ſic ordinem rei gerendae componit: ad quadrivium juxta [i] Placinae-fanum, id municipio nomen eſt, copiae ad id deſtinatae convenire juſſae; quae CCCC circiter ſcloppetarios, ducibus Joanne [k] Baudeano Parabero, Aramburio, et Hectore Preolio, et XXC equites cataphractos, efficiebant. Sangelaſius et Antonius [l] Ranquius eodem profecti inter incedendum iter dividunt; et Ranquius, dum per [m] Fortium duceret, in aliquot [n] Epirotas equites ex Niortii praeſidiariis incidit, quos impetu facto fudit, et in [o] Chiſacam ſylvam proximam compulit: inde ad S. Joannis portam tendit, ne quis ab ea parte urbem ingrederetur, impediturus. Ceteri in [p] Vouillaea valle, quae ad Sangelaſianam portam reſpicit, taciti conſederant, equis in proximo relictis et lixarum cuſtodiae commiſſis, cum ſcalis et crepitaculis, quae ſecum mulis impoſita advexerant. Nec dolus omnino Niortianos latuerat: nam [q] Ferrerius, Joannis [r] Chourſii Malicornii, qui nuper a ſeditioſis [s] Pictavio exactus Niortium ſe contulerat, ſignifer, id per nuncium ipſi ſignificarat; verum, eo a Sangelaſii famulis in itinere capto, indicium fruſtra fuit. Subluſtris tunc luna erat: itaque expectandum fuit, dum illa occultaretur. Nebulis ſe effundentibus proceſſum eſt, et ſcalae in foſſam demiſſae, et, ut aliae aliis impactae erant, ad murum appoſitae XL circiter pedum altitudine a porta Sangelaſiana; ad quam Sangelaſius et Paraberus venerunt cum P. [t] Gentili

crepitaculorum

INTERPR. [a] *de Segur.* [b] *Daloue Sr des Ageols, & de Frontenac.* [c] *la Ganache.* [d] *le duc de Nevers.* [e] *S. Jean en Saintonge.* [f] *Niort.* [g] *Laurent lieutenant general de Niort.* [h] *de S. Gelais.* [i] *Ste Placine.* [k] *Baudean de Parabere, d'Arambure, & du Preau.* [l] *de Ranques.* [m] *Fors.* [n] *Albanois.* [o] *le foreſt de Chizay.* [p] *Vouillé.* [q] *la Ferriere.* [r] *de Chourſes Sr de Malicorne.* [s] *Poictiers.* [t] *Gentil.*

crepitaculorum admovendorum peritiſſimo. Duobus locis ſcalae diſpoſitae: priore CIↃIↃLXXXVIII
[a] Ranquius, Jonquerius, Vilpio Valerius; altero [b] Preolius, Aramburius, Deſlitrius, HENRICUS III.
cum delectis vi facta in murum facile evadunt, et ſtationem obviam ſternunt. Eodem tempore ad portam munitionis, quae Sangelaſianae portae praetenditur, admotum et diſploſum crepitaculum magno fragore, ita ut ad eum oppidani expergefacti ſint. Minore vi ad ſecundam portam ponti impoſitam crepitaculum admotum eſt, refractis tantum valvis, ita ut non niſi ſinguli homines per eas ingredi poſſent. Paraberus cum ſuis, et mox Sangelaſius, ad eam partem vi facta, ad [c] Falas eodem tempore conveniunt, quo ab alia parte per ſcalas enixus Aramburius. Ibi, globo oppidanorum pro vita ac liberis ſe gnaviter defendente, acriter pugnatum eſt: Aramburius ipſe ictus, et ex ictu alterum oculum amiſit. Qui Aramburium ſequebantur, obvium alterum globum habuerunt, duce Philippo [d] Villerio Princaeo coactore regio, cui Jacobus Laurentius praetor urbis ſe adjunxit. Ibi rurſus animoſe certatum; ſed Princaeo occiſo, et praetore graviter vulnerato, alii animis concidere: brevique accenſis, Sangelaſii juſſu, per feneſtras ignibus, et inclamato ubique Navarri nomine, defenſores huc illuc diſperſi ſunt. Vix VIII, in iiſque Vilpio Valerius, ex Proteſtantibus; ex oppidanis XXX circiter nec plus interfecti: alii per funes ſe ex muris demiſerunt, multi in arcem confugerunt. Albeſcente demum die, milite ad praedam verſo, foede direpta urbs, ita ut non quaeſtu ſolo militem ſed ultione duci appareret. Praetor, grande pretium pro incolumitate pactus, jam dies pluſculos occultatus fuerat, dum furor déſaeviret: ſed, vulneribus non ſtatim, ut oportuit, curatis, periit inter cuſtodes; repertumque tandem cadaver ad furcas, ubi Valetam affixerat, tractum eſt; ſed mox adventu Navarri, amicis repoſcentibus, ad ſepulturam conceſſum. [e] Jamartius homo factioſus, accuſatus quod multa indigne in Navarrum et regiae familiae decus dixiſſet et feciſſet, gula fracta ad patibulum ſuſpenſus eſt; et intra horum duorum poenam publica ira deferbuit. Malicornius, qui in arce erat, dedere ſe juſſus, poſtquam Navarrus ad urbem venit, obſides dedit, et honeſtis conditionibus cum eo convenit: itaque dimiſſus, cum uxore et aliis e primaria nobilitate, ad [f] Parthenaeum incolumis deductus eſt. V muralia tormenta in urbe reperta, II longiores colubrinae nuper a praetore conflatae, et II mediocres machinae omni apparatu neceſſario recens inſtructae, et ad expeditionem Fontenaii et aliorum locorum, quae Ganachia capta Nivernius petiturus erat, deſtinatae. Oppidi et regionis ſumma praefectura Sangelaſio a Navarro attributa; Parabero oppidi arcis cuſtodia commiſſa eſt, et legio ejus, quae VIII ſignis conſtabat, praeſidio impoſita. Exquiſitae crudelitatis et libidinis exempla memorant in oppidi illius expugnatione a Navarrenis patrata, qui tunc temporis Lutetiae ſcribebant, homines imperiti et impudenter mendaces; quae vana eſſe nos comperimus, cum aliquot poſt menſibus illac iter faceremus; et repentinus Navarri ad urbem adventus, ne patrata credantur, aequis rerum aeſtimatoribus, qui noverunt quam ſemper ille ab omni ſaevitia abhorruerit, facile perſuadebit. Capto Niortio, de ſuppetiis Ganachiae ferendis cogitatum fuit, et Navarrus ipſe in viam ſe cum expeditis dedit, ut laborantibus obſeſſis ſuccurreret, et Nivernium ad ſolvendam obſidionem aut ad certamen cogeret. Kalend. Januar. CIↃ IↃ LXXXIX.
anni inſequentis mutata ratio verberationis ad Ganachiam fuit, et, diſpoſitis trans ſtagnum verſus [g] Guineſoliam et ad S. Leonardi ſacellum CC a moenibus paſſuum ſpatio tormentis, decuſſatim pulſati muri. Quatriduo poſt ad munimenta exteriora vis facta, et capta ex iis duo: inde major regiis animus additus, et ad ruinas ipſas, quarum priorem [h] Pleſſius loco praefectus, alteram [i] Vignolius et Perrinus tuebantur, conferto

INTERPR. [a] *de Ranques, de Jonquieres, & Vilpion Valieres.* [b] *du Preau, d'Arambure, & des Liſtres.* [c] *les Halles.* [d] *Villiers Princé.* [e] *Jamart.* [f] *Parthenay.* [g] *Guineſolle.* [h] *du Pleſſis Gettay.* [i] *les ſieurs de Vignolles & de la Perrine.*

conſerto agmine itum; et poſt acre certamen, in quo ex noſtris plus C, ex obſeſſis pauci periere, et in iis Perrinus, vulnere in capite accepto: [a] Sancoſmus et Foreſtus ordinum ductor graviter ſauciati ſunt: multi et ex regiis, glacie foſſae pondere diſcurſantium fracta, hauſti. Id actum pridie Non. Januarias. Sequens dies ſepeliendis utrinque mortuis impenditur; qui vulnerati in foſſa remanſerant, capti, et in oppidum reducti, ſumma humanitate curati ſunt. Dum in eo ſunt, tympaniſta a Claudio [b] Guſierio Caravaſii comite cum literis ad Pleſſium venit: quibus in ducum conſeſſu apertis apparuit, ipſum Pleſſii colloquium expetere; habere ſe quae cum eo loqueretur, quae ſcribi non poterant. Re deliberata, ducibus placuit, minime negandum Caravaſio quod peteret: nam perſpecta erat ejus integritas, et quam regio nomini et Borboniis addictus, a foederatorum partibus alienus eſſet. Igitur poſtridie, non intermiſſa interim verberatione, ad colloquium ventum juxta propugnaculum a ſoleae equinae forma dictum. Summa verborum Caravaſii fuit, Nivernium niſi loco capto ab obſidione minime diſceſſurum; moram ejus non tam ipſi quam Navarro detrimentoſam: Guiſio morte affecto, regem foederatis bellum ſatis eo facto indixiſſe: nunc arcem Aurelianenſem vix ab Aumontio teneri, et niſi novis copiis, quas Nivernius heic habeat, juvetur, in eo eſſe ut arcem deſerat: ſatis decoris et gloriae Pleſſio et ceteris ducibus in loci hujus defenſione quaeſitum; ulterius tendere, propius obſtinatae menti quam fortitudini eſſe: quantis difficultatibus et incommodis conflictentur obſeſſi, minime ignorare Nivernium; quapropter mature ſibi conſulant, et honeſtas conditiones ab eo accipiant: has autem offerri, ut vita incolumi cum armis et omnibus impedimentis in tutum deducantur, ſpatio inſuper VIII dierum conceſſo, quo Navarrum de re omni certiorem facere queant; intra quod tempus ſi ſuppetiae ferantur, irritam de deditione conventionem fore: interea induciae pangerentur, quarum tempore ab armis utrinque ceſſaretur. Conditiones a Caravaſio propoſitae cum ducibus placuiſſent, pactae induciae, et [c] Robinerius cum Nivernii diplomate a Pleſſio ad Navarrum miſſus, qui jam in itinere erat; et biduo poſt, hoc eſt V Eid. Januarias, acutiſſima febre a pleuritide laborare coepit; tantaque vis morbi fuit, ut ad [d] Petri-fanum, id ignobili vico nomen eſt, ſubſiſtere coactus fuerit, vix ad arcem proximam inde tranſlatus. Quo intellecto per loca quae a Proteſtantibus tenebantur ingens luctus fuit, et [e] Rupellae, tanquam in funere publico, comploratum, et preces publicae per multos dies ſumma frequentia celebratae ſunt. Nec in aula inter bonos minus triſtitiae erat, firmiſſimum regni columen tam alieno tempore regi Galliaeque eripi moerenteis. Ipſe Navarrus, cum ſupremum diem inſtare crederet, fuſis ad Deum ardentibus precibus et indeſinenter repetitis, aequo animo ſe ad mortem compoſuerat; tantum ſibi dolere teſtatus, quod confuſis adeo rebus, bonis toto regno laborantibus, ac ſuam opem, quam ipſis debeat, expetentibus, praeſto eſſe non poſſet: ceterum eos Deo, qui ſuos nunquam deſerat, curae fore; ſe, qui in CHRISTO regeneratus vixerit, et in ipſo moriatur, ex ſanguine et turbis libenter ad tranquilliorem vitam migrare. *Ex* eo tamen longe periculoſiſſimo morbo paucos poſt dies convaluit, ſed jam amiſſa [f] Ganachia; quippe tempore convento exeunte deditio a Pleſſio facta eſt XIX Kal. Februarias, cum primum juſſu Navarri, dum in extremis ageret, Franciſcus [g] Rupifulcaudius comes, Claudius [h] Tremollius, et Franc. [i] Colinius Caſtellionaeus miſſi eſſent, ut obſeſſis ſuppetias ferrent; qui a ducibus viarum decepti, aut ipſis obſcuro noctis deceptis, fruſtra fuerunt. Memor humanitatis in ſuos, qui in foſſa relicti fuerant, a Pleſſio exercitae, pari humanitate in deditos uſus eſt Nivernius. Robertus [k] Jouſa Granpratenſis

INTERPR. [a] *le Sr de St Coſme & le capitaine la Foreſt.* [b] *de Gouffier comte de Caravas.* [c] *la Robiniere.* [d] *St Pere.* [e] *la Rochelle.* [f] *la Ganache.* [g] *de la Rocheſoucaud.* [h] *de la Tremoille.* [i] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [k] *de Joyeuſe comte de Grandpré.*

Granpratenſis comes cum ſua legione Ganachiae praeſidio impoſitus fuit. [a] Nivernium angebat perſpecta ducum a rege alienatio, praeſertim poſt Guiſii mortem; et jam renudata voluntate Claudius [b] Caſtraeus ſummus caſtrorum praefectus, verum is tectius, Joan. [c] Babous Sagonae comes, qui levi armaturae praeerat, apertius, et alii ſe a ſignis diſceſſuros minabantur, et plerique milites in dies dilabebantur: ideoque tantopere deditionem Ganachiae urgebat Nivernius, ut ſaltem hoc operae pretio facto finem honorificum expeditioni ſuae imponeret: nam a rege crebris literis ſolicitatus ut exercitum reduceret, Aumontio in arce Aurelianenſi laboranti praeſto futurus, ſemper ſe excuſaverat; oſtenderatque, ſi ab obſidione Ganachiae re infecta diſcederet, fore, ut capiendi loci occaſionem omitteret, et, caſtra belli ducibus deſerentibus, exercitus omnino diſſiparetur, ex eoque magna invidia in regem redundaret, qui omiſſis Proteſtantibus contra Catholicos arma verteret. Capta Ganachia, Nivernius Caſtraeum cum paucis ex omni exercitu ad regem reduxit. Sagonae comes cum magno numero ſtatim ad hoſteis tranſiit.

III. Aula tunc in novo luctu erat; Catharina ſiquidem regis parens paulo ante ex veternoſa gravedine, accedente ad morbum moerore, deceſſerat Nonis Januarii; foemina vaſti animi et ſuperbi luxus, quae, per turbas a ſe ſaepius excitatas et compoſitas, procerum odia et aemulationes, circiter XXX annos in regno graſſata, ex calamitate publica eam utilitatem cepit, ut omnem auctoritatem ad ſe contraheret: et cum virilibus curis foeminarum vitia exuiſſet, ad explendam ambitionem, filiorum animos vanis rerum ac [α] foedis voluptatibus interea occupavit; aeque bello ac pace damnoſa, dum populum, ubi ab armis inteſtinis reſpirare coeperat, inſanis ſumptibus ad nova regnorum ludibria filiis paranda vexat; ſiquidem illi mathematici praedixerant, fore, ut omneis reges filios videret: quod ne triſti ſucceſſionis in regno Galliae ordine cernere cogeretur, poſtquam Carolus regnum inivit, id cum animo ſuo agitavit, ut nova regna filiis extra regnum Galliae [β] quaereret. Sed nulla re quam in aedificando damnoſior fuit, ingentibus molibus ubique inchoatis nec perfectis; poſtremum diem, qui conſummatis illis, ut ſibi perſuaſerat, finem vitae impoſiturus erat, ita remorari ſe poſſe ſperans. Quibus virtutum ſimulacris cum tamdiu Gallorum patientiae illuſiſſet, ad extremum ſe in ordinem coactam moerens, odio Jouſae et Eſpernonii, qui in filii ingenio regnabant, ultimo bello faces ſubjecit: cujus incendium opinione majus cum non niſi regni ruina exſtingui poſſe cerneret, et filio in arcano ſe ſuſpectam ſentiret, negligere ſe et rempublicam, ſive ſimulate, ſive cujus jam ingraveſcente ſenio faſtidium ſubierat, coepit; et pompa regali ac externo cultu contenta, quem nunquam rex, licet alienior, erga ipſam intermiſit, priſtinam dignitatem in aula tuebatur. Paulo ante mortem Guiſii in febriculam inciderat; ex qua cum convaluiſſet, ad inſperatum caſum rurſus cohorruit: et cum cardinalem Borbonium antiqua familiaritate ſecum conjunctum ſub id inviſiſſet, acerbis verbis ab eo increpita, quod Guiſium, ſeque, ac reliquos bonos Catholicos (ita ſe foederati ipſi indigitabant) blanditiis illectos ad macellum adduxiſſet, poſt mutuas utrinque exprobrationes febre recurrente corripitur, ac mox lethali veterno oppreſſa eſt. Rex officioſe decumbenti aſſedit, et teſtamentum ſuggeſſit; quippe

VAR. LECT. [α] foedis *deeſt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeritur*, *e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerptum.*

[β] quaereret. Itaque per Fr. Noallium Byzantii in Porta Othomanica regis oratorem egerat, ut Algeriae regnum Henrico duci Andium concederetur: et res parum ab effectu abfuit. Poſtea eundem in regem Poloniae eligendum curavit. Franciſcum autem Alençoniorum ducem per Eliſabethae Anglorum reginae matrimonium ampliſſimi illius regni titulo ornare voluit, magnitudinem ubique animi et immenſam liberalitatem prae ſe ferens. Sed nulla re *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *le duc de Nevers.* [b] *de la Chaſtre mareſchal de camp.* [c] *de Babou comte de Sagone.*

ↀ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

quippe aeque animi ac omni corporis ſenſu tunc carebat; quo illa bene meritis plurima largiſſime legavit, et contra pacta dotalia Carolum [a] Enguliſmenſem, Caroli filii naturalem filium, heredem in ampliſſimis, quas in [b] Arvernis et Septimania habebat, poſſeſſionibus inſtituit, immani aere alieno relicto: cui luendo cum ingens et regalis vere ſupellex privata, quae Lutetiae poſtea publice diſtracta eſt, non ſufficeret, multa ex opulento illo patrimonio pariter ſub haſta venum ierunt; et ipſa, quae omnem regiam magnificentiam ac magnitudinem ſupergreſſa putabatur, poſt mortem privatorum conditionem experta eſt; inſigni fortunae illudentis exemplo, quae et in morte eam ludificata eſt. Nam cum a mathematicis, quibus nimium quam ſemper tribuit, monita eſſet, ut ſibi a Sangermano caveret, loca omnia, quae multa hujus nominis ubique occurrunt, ſemper ſtudioſe vitaverat; nec ad [c] Germani fanum, quod eſt praecipua regum noſtrorum voluptuaria arx, cum rex ad eam itaret, diu morabatur; et, ubi leviſſima aegritudine tentabatur, ſubito inde demigrabat: cumque [d] Lupara arx in [e] S. Germani paroecia ſita eſſet, ob id ſeparatas aedeis immenſis ſumptibus ſtructas in proxima [f] S. Euſtochii paroecia ſibi comparaverat. Sed nec propterea vim fati effugere potuit; quod, cum illa ad locorum nomina reſpiceret, per hominum nomina viam invenit: nam Julianus [g] Sangermanus, e [h] Neuſtriae nobilitate theologus, eximia doctrina et miti ingenio praeditus, et a rege ob vitae probitatem opimo [i] Caroli-loci coenobio donatus, cum alius, qui decumbentem in extremis ſolaretur, non adeſſet, ei ad pulvinar ſemper toto morbi tempore praeſto fuit. Morte tantae foeminae, quae res noſtras ſemper miſcuerat, nec quiſquam multum laetari nec indolere viſus eſt; et majores motus ſtatim exorti, ut deſiderium ejus apud obnoxios lenierunt, ita apud omneis famam obſcurarunt. Rex, qui vel in luctu ambitioſas pompas affectabat, cum tota aula ſumpſit lugubria, et, aulaeis paſſim amotis, parietes atro colore et lachrimis depingi curavit; laevo pro tempore omine, cum non tam matri juſta ſolvere, quam funus Galliae ducere, videretur. Corpus matris in [k] S. Salvatoris aede depoſitum, ut inde ad [l] Dionyſii-fanum deportaretur, et conderetur cum Henrico II marito, cui mauſoleum novum exquiſita magnificentia ſeorſim ab aliis regibus erigendum curaverat; effigie etiam propria, ſe viva, in monumento appoſita. Sed eodem anno rege mortuo, et exortis bellis, intermiſſum pietatis officium, et corpus ejus in eodem ſacello, in quo depoſitum fuerat, diu poſtea ab omnibus neglectum jacuit.

IV. In illo luctu ſeu metu peracta comitia: et cum ordinum poſtulata pridie Non. Januar. regi fuiſſent oblata, eodemque die ſolemni ritu rurſus edictum unionis in publico conſeſſu jurejurando confirmatum, et pro lege fundamentali ſancitum, eodem, ut finis comitiis imponeretur, XVII Kal. Febr. reditum eſt, tanta ſecuritate ac ſi res toto regno pacatae eſſent. Archiepiſcopus [m] Bituricenſis, qui ſacro ordini, Guiſiano cardinali mortuo, praeerat, Briſſacus pro nobilitate, Stephanus Bernardus [n] Divionenſis pro tertio ordine, verba fecit. Nuſquam exquiſitiore verborum ornatu, ſententiarum pondere, rerum gravitate, magis compoſito ad adulationem ſermone, res acta; nuſquam majore ſecuritate rex cuiquam actioni in alto otio et profunda pace interfuit, quaſi non inter defectiones et media conjurationum diſcrimina verſaretur, ſed in ſcena et theatrali ludicro ad ſpectacula ſederet. Malorum, quae tamdiu hoc florentiſſimum regnum vexant, cauſa in ſciſſuram religionis et ſolutum charitatis per eam vinculum collata, Bituricenſis haec remedia praecipua propoſuit, Ut electiones praeſulum tam epiſcoporum quam coenobiarcharum liberae reſtituantur; fiduciariae coenobiorum, in eos qui vitam monaſticam minime profeſſi ſunt,

INTERPR. [a] *le chevalier d'Angouleſme.* [b] *Auvergne & Languedoc.* [c] *St Germain en Laye.* [d] *le Louvre.* [e] *St Germain de l'Auxerrois.* [f] *St Euſtache.* [g] *de St Germain.* [h] *Normandie.* [i] *l'abbaye de Charlieu.* [k] *St Sauveur.* [l] *St Denis.* [m] *de Bourges.* [n] *de Dijon.*

ſunt, factae collationes tollantur; digni tantum, et qui morum ac eruditionis periculum fecerint, ad ſacerdotia provehantur; foedae nundinationes ex eccleſia eliminentur, ut, quod praeſules ac ſacerdotes gratis a Deo acceperunt, inter populum gratuita largitione diſpenſent: ſacrum patrimonium, ex quo ſacerdotes altari ſervientes ſuſtentantur, non alienetur; alienatum ſemper in poſterum et quovis tempore luere liceat, exſoluto pretio, quod vere ab emptoribus ac ſine fraude exſolutum eſt: nulli plura ſacerdotia poſſidere liceat; et concilio Tridentino tradita diſciplina ab omnibus recipiatur: noſocomiorum et ptochotrophiorum bona ac vectigalia, quo majore in poſterum religione ac parſimonia diſpenſentur, cum decurionibus urbium, quibus ea conſtitutionibus regiis attributa cognitio eſt, e ſacro ordine delecti admiſceantur, qui de adminiſtratione pari jure decernant: Hieroſolymitani ordinis antiquum decus reſtituatur; et non niſi e nobilitate, et qui ejus idoneis teſtimoniis fidem fecerint, ad eum admittantur: ordo, in adipiſcendis juxta aetatis et aliorum munerum praerogativam, quas vocant, commendis, in principum virorum aut aliorum gratiam deinceps non pervertatur, ne qui huic militiae ſtrenue operam tota vita navarunt, ſperato virtutis ſuae praemio defraudentur: ſcholarum diſciplina et puerorum ac juventutis in literis et ſcientiis inſtitutio, quae ſacrae diſciplinae pars eſt, inſtauretur. Et haec quantum ad ſacrum ordinem attinet: inde ad nobilitatem ventum, et, ut populus a vexatione militari levetur, poſtulatum, ut equeſtris ordo per bella civilia intermortuus in aliquem ſplendorem reſtituatur, equitatus Gallicus toto orbe olim formidabilis, qui nobilitate conſtare debet, reſtituta diſciplina inſtauretur: ſtipendia militi de aerario procedant, ne, cum illis nihil numeratur, ad rapinas invitari videantur: aerarium regium a quotidianis quaeſtorum fraudibus, quibus pecunia regia intervertitur, iis, quae poſtulatis continentur, rationibus aſſeratur: idonei tantum et vitae ac eruditionis probatae homines inter judices allegentur; venalitas publicorum munerum, tam judicum quam aliorum, tollatur ac prohibeatur; immodicus eorum numerus reſecetur, et ordo ampliſſimus, qui numero vileſcit, ſublatis nundinationibus ac reſtitutis virtutum praemiis, deinceps bene meritis pateat, et ad antiquum ſplendorem ac gravitatem reſtituta priſca diſciplina revocetur. Poſt Bituricenſem dixit Briſſacus; et, effuſe laudato rege a pietate ac fortitudine militari, quam primis annis, antequam regnum paternum iniiſſet, ſub Carolo fratre feliciſſime exercuit, et eandem nuper debellato potentiſſimo Germanorum et Helvetiorum exercitu longe illuſtriorem reddidit, in novos ſectarios acerbiſſime invehitur, qui, patrum monumentis revulſis, antiquam majorum religionem convellere, atque adeo ipſis eripere, conati ſunt. Tum nobilitatem Gallicam, devictis Gothis, Vandalis, Arrianis, Albigeis, Langobardis, Saracenis, aliiſque fidei Chriſtianae hoſtibus claram, quaeque nullas alias virtuti ſuae metas quam ſolis ortum et occaſum poſuerit, multis verbis commendat; ejuſque nomine petit, ut rex ipſius jura, immunitates, praerogativas, ſalvas et inviolatas ſervet: honorificum nobilitatis titulum a gente aut meritis delatum nulli uſurpare, aut per gratiam, aut, quod turpius eſt, pretio, ſibi comparare permittat: ordinis Hieroſolymitani, qui ex nobilitate eſt, privilegia et immunitates tueatur: judiciarium ordinem, reſectis litium ambagibus inſtauret; tributis populum levet; aerarii a rapinis vindicandi rationes ineat; magiſtratibus auctoritatem reſtituat; militarem ordinem ad antiquam diſciplinam revocet; eccleſiam emendet, et eccleſiae hoſteis acerrimo bello perſequatur. Ultimo loco Bernardus, cum regi, pro edicto unionis contra ſectarios, digito Dei, ſicuti aiebat, ſcripto, denuo confirmato, enixe gratias egiſſet, hortatur omneis regni civitates, atque adeo ordines, ad unionem, in quam concordibus votis ad obſequium regi debitum juxta Dei mandatum praeſtandum coire debent. Tum vitia regni

tanquam

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS III.

tanquam corporis diutino bellorum civilium morbo debilitati renudat; dejerationes nimium Gallis familiareis; adulteria pro ludo iis eſſe; magicas artes pro ingenii non vulgaris honeſto ſpecimine: denique foedam ſacerdotiorum, magiſtratuum, praefecturarum nundinationem commemorat; quibus efficiatur, ut nec puritas ſacris, nec judiciis ſinceritas, aut praefectis locorum fides, conſtet. Multa et in corruptam militaris rei diſciplinam dicta; quo fiat, ut populus miſerandum in modum affligetur. Acerbiora in mangones edictorum et novorum tributorum fabricatores, homines ad publicam perniciem natos, qui tanquam hirudines ſanguinem populi exſugunt, invidioſe addita; eos eſſe qui, procerum gratia, quam aut pretio aut malis artibus redemerunt, freti, per regnum ſuperbi equitant, lictorem in tergo vehentes, ut miſeram plebem violentis exactionibus deglubant: ſi quis ſit qui appellet, protinus a judice ordinario per iniqua diplomata, quorum copia illis nunquam deeſt, ad conſiſtorium regis, et, quod vocant, concilium partium, rapi, ita non male dictum, quod in eo partes tanquam judices ſedeant: juſſiones inſuper iis abunde ſuppetere, quibus judicum proborum conſcientiis vim afferant, et religionem atque auctoritatem [a] curiarum regni ſtipendiis ſuppreſſis et introductis in ſenatum judicibus indigne labefactent: inde fieri, ut edictis promulgatis clauſula apponatur, qua de expreſſo regis mandato, ſaepius repetito, promulgationem fuiſſe factam omnes intelligant, quod in bonis edictis fieri minime neceſſe eſt. Haec longa et phalerata oratione poſtquam perſecutus eſt, in reginae parentis defunctae laudes digreditur; prudentiaque ejus depraedicata, reginam regii tori non ſolum conſortem, ſed conſiliorum participem, ſupereſſe dicit, prudentibus ſuis ac ſalutaribus monitis defunctae deſiderium lenituram, et felici prole regem regnumque beaturam. Ad extremum regem orat, fine comitiis impoſito, delegatis domum abeundi copiam faciat; veniſſe tempus, quo plus in ſua quiſque provincia, quam in aula, regiae auctoritati ſtabiliendae et publicae tranquillitati inſervire poſſint: quod univerſos et ſingulos, ſicuti debeant, facturos religioſe promittit. Has orationes tunc intempeſtivas, nunc etiam fortaſſe legentibus moleſtas, quandoquidem hodie in omnium manibus verſantur, amplius recitare pretium minime duxi. Ita finita comitia, et dimiſſi delegati, fide a ſingulis ſeorſim data, curaturos ſe in ſua quemque provincia, ut cuncti ſe in officio continerent: quod tamen a paucis praeſtitum eſt; multi quippe, ubi domum reverterunt, a concionatoribus et ſacerdotibus, in cauſa religionis Deo, non hominibus, ſerviendum eſſe clamitantibus, decepti, ſtatim mutarunt; alii, qui metu promiſerant, ceſſante metu, minime jurisjurandi religione obſtrictos ſe exiſtimabant; pleroſque denique fortuna, turbatis ubique rebus, a fide data, quam alioqui ſervatam cupiebant, abſolvit.

V. INTEREA Nivernius Ganachia capta propere in aulam rediit, diſſipato, ſicuti praeviderat, exercitu, ita ut laborantibus [b] Aureliani regiis inutilis ejus reditus fuerit. Itaque Aumontius, poſtquam cum CCCC ſolummodo diu arcem Aurelianenſem tutatus eſt, amiſſis tandem exterioribus munitionibus, quae urbem reſpiciebant, et disjecto ab ea parte crebris tormentorum ictibus exteriore faſtigio, cum quotidie novus miles in urbem conflueret, et propediem Meduanius cum recentibus copiis adventare nunciaretur, deductis ex arce tormentis, ac paucis in ea relictis qui deditionem facerent, ſemper ordine incedens ſuos incolumeis [c] Baugentiacum reduxit exeunte Januario.

VI. DAMNUM hoc, ex nimia regis male conſulti procraſtinatione ortum, veluti claſſicum toto regno ad apertam rebellionem cecinit; nec minore mox cumulatum eſt. [d] Gaſto, quem rex et una captivos fidei ſuae creditos [e] Amboſiae, ejecto priore praefecto,

INTERPR. [a] *les parlemens.* [b] *Orleans.* [c] *Baugency.* [d] *le Guaſt.* [e] *Amboiſe.*

praefecto, impoſuerat, defectionem meditante, [a] Lugdunenſis et [b] Capella homini credulo per interpoſitas perſonas inſinuaverant, regem in ſuſpicionem ejus veniſſe, cumque de medio tollere decreviſſe, ut invidiam interfecti cardinalis Guiſiani a ſe amoliatur; jam in aula jactari, cardinalem a Gaſto ob privatam in aleae ludo acceptam ab ipſo injuriam injuſſu regis occiſum; ſicque ſibi regem perſuaſiſſe, Gaſto ſublato, id facile aliis perſuaderi poſſe, ac Romae inprimis, ubi ob eam cauſam in invidiam vocatur. Id cum crederet Gaſtus, et in ea opinione, ſummiſſis ex pleriſque locis ad id deſtinatis hominibus, confirmaretur, eadem levitate, qua rumoribus illis fidem habuerat, ingentibus promiſſis, quae a Capella offerebantur, aures praebuit. Jamque captivi quaſi libertati reſtituti in arce triumphabant, et Borbonius cardinalis ab omnibus tanquam rex ſalutabatur, feſtis epulis Gaſtum quotidie excipiens, qui fidei datae obſidem juniorem fratrem Lutetiam miſerat. Rex, eo caſu non minus quam arce Aurelianenſi amiſſa anxius, cum fruſtra omnem rationem reducendi ad ſanam mentem hominis tentaſſet, tandem, conterranei cujuſdam ſui nomine [c] Gozii, qui arctiſſimam cum Gaſto in aleae ludo amicitiam contraxerat, interventu, conſilium de liberandis captivis aliquantiſper ſuſpenſum fuit: quo temporis ſpatio didicit, falſa eſſe quae de rege ad ipſum perlata fuerant, et per ea inſidias ſibi a captivis ſtructas; nam ſi a rege defeciſſet, neceſſario ſe in foederatorum atque adeo Lotharingorum poteſtate futurum; quippe cum ſe propriis opibus tueri non poſſet: quod ſi accideret, non ſolum ſe ad ultionem eorum expoſitum, ſed ingenteis illas auri ſummas, quae ab eis ex alienis bonis tam liberaliter promittebantur, cum arce ipſa in ipſorum poteſtate futuras. Itaque credulitatis eum tandem poenituit, et Gozii illius ſuaſu his conditionibus conventum eſt, ut, XXX CIƆ aureorum a rege acceptis, quae praeſenti pecunia a Petro [d] Molano gazae regiae nuper quaeſtore depenſa ſunt, et duplicato praeſidio, Borbonium cardinalem, [e] Jonvillae principem, et [f] Elleboviium traderet, Lugdunenſem ac ceteros captivos penes ſe retineret, et pretium, quantum pro eorum libertate penderetur, ſuum faceret. Ita captivi a Gaſto recepti, ac [g] Bloeſas ſub valida cuſtodia reducti ſunt. Eodem tempore Bernardinus Mendoza Philippi orator, cum, exuta legati perſona, fruſtra oppidanos clam noctu ſolicitatos ad defectionem incitaſſet, quaſi ad colligendas ſarcinas Lutetiam ſe contulit; ubi hoſtili animo, quamdiu rex vixit, et poſt ejus exceſſum uſque ad obſidionem Pariſienſem, ſemper ſe geſſit. Fama rebellantium contra regem Bloeſenſium et captivorum liberatorum de induſtria a Mendoza ſparſa, alterum claſſicum ad maturandas toto regno defectiones fuit.

VII. REX vero, qui videret praepoſtera ſuorum conſiliariorum prudentia res in pejus ruere, et, dum invidiam Proteſtantium auxilio advocatorum vitatam cupit, ſe inevitabilem in ruinam praecipitaſſe, ad conditiones a Nicolao [h] Harlaeo Sancio propoſitas ac prius rejectas, non tam conſilio quam extrema neceſſitate victus, revolvitur; eique ampliſſimis mandatis datis plenam poteſtatem facit, quantam poſſet pecuniam tam a Germaniae principibus quam Helvetiorum pagis ſumere, foedera, ſocietates, pacta, quae e re viderentur, cum iis inire, modo tam neceſſario tempore regi regnoque laboranti ſuccurrerent, et quantas expedire cenſeret tam peditum quam equitum copias conſcribere. Cum his mandatis, ſolo prudentiae ſuae arbitrio finitis, Sancius, neque vel minima pecuniola, tanta erat penes principem olim profuſum omnium rerum penuria, a rege accepta, Bloeſis diſcedit ineunte Februario, et Lugdunum recta tendit. Ibi cum omnia in urbe ad defectionem ſpectare cerneret, ne

INTERPR. [a] *l'archevêque de Lyon.* [b] *la Chappelle Marteau.* [c] *le capitaine Goiz.* [d] *Molan treſorier de l'Eſpargne.* [e] *de Joinville.* [f] *le duc d'Elbœuf.* [g] *Blois.* [h] *de Harlay Sancy.*

ne ſiſteretur veritus, obſoleto habitu, et comite ſecum viae Helvetio ſibi noto aſſumpto, per [a] Sebuſianos, qui ad Sabaudicam ditionem pertinent, itinere facto, Genevam venit, XVI Kal. Martias, et inde in Helvetios profectus regis et ſua ipſius ſpe majora fecit.

VIII. NEC quieſcebant interim Pariſienſes; qui, [b] praeſide ſuae factionis creato, per [c] XVI viros, tot urbis regiones ſunt, homines e plebe aut lapſos facultatibus aut judiciorum ſeveritatem veritos, quos ad fovendam factionem jam creaverant, concivium animos explorabant. Sic autem comperiebant, multos ſcrupulo teneri, quo minus renovatae foederationi, quae ad regii nominis ejurationem ſpectabat, nomen darent; quippe qui regi obedientiam ſe debere, nec ab ea diſcedere ſalva conſcientia poſſe, crederent, quantumvis [α] jampridem per ſacras confeſſiones praeoccupatis plebis animis. Hunc ſcrupulum ut removerent factioſi, theologorum noſtrorum ut plurimum obnoxiorum opera uti ſtatuunt; et, re cum maxime rerum novarum cupidis communicata, libellum praefecti mercatorum et decurionum nomine Sorbonicorum theologorum collegio porrigendum curant. Quaerebant illi, an populus Galliae jurejurando fidei Henrico III praeſtito ſolutus eſſet, et ſine morſu conſcientiae poſſet in hoc regno arma capere, foedus icere, pecuniam cogere, pro defenſione religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae, contra perverſa conſilia, machinationes, et conatus ipſius regis et ejus fautorum, ob violatam ab eo Bloeſis fidem publicam, in Catholicae religionis detrimentum, et edicti unionis ac libertatis comitiorum praejudicium. His duobus capitibus libello ab iis, quos memoravi, porrecto comprehenſis, in coetu LX theologorum in ſchola Sorbonica congregatorum, poſt ſacrum Sancti Spiritus more ſolemni celebratum, mature expenſis, a decano collegii pronunciatum eſt, et populum jurejurando ſolutum eſſe, et contra regem pro defenſione religionis arma capi poſſe. Viſum inſuper collegio, ut decretum ad pontificem mitteretur, iſque rogaretur collegii nomine, ut auctoritate ſua illud approbaret, et auxilia afflictae in Francia eccleſiae ſummitteret. Inſtrumentum publicum ea de re confectum et mox typis mandatum eſt, quo id concordi omnium conſenſu et nemine repugnante decretum eſſe dicitur: cum tamen conſtet, ſeniores ipſumque adeo decanum Joannem Fabrum, hominem antiqui moris nec vulgariter inter eos eruditum, aliter ſenſiſſe, et valde juvenes a tam pernicioſo conſilio in praeſens temerario, apud poſteros infamiae pleno, dehortatum eſſe, ac cenſuiſſe ut res integra ad pontificem remitteretur. Hac ratione multum apud ſimplices profectum: verum aſtus adverſus bonos atque adeo primarios civeis, qui opibus et auctoritate in urbe et ſenatu valebant, non proceſſit.

IX. ITAQUE factioſi, jam animorum plebeculae potentes, cum parum actum putarent niſi et ſenatum in poteſtate haberent, vim adhibere, ubi ars deficeret, tempeſtivum exiſtimarunt; idque facile Aumalio perſuadent, homini rerum imperito, et qui quantum auctoritatis ſenatui decederet, tantundem ſuae acceſſurum putabat. Itaque, re cum concionatoribus communicata, ut, ſi quis tumultus ſuboriretur, ſtatim populum oratione praeparata placarent, praecipuos ſenatores in carcerem conjicere ſtatuunt; quorum et nomina perſcripta ſunt, libertate ſeditioſis data, ut quiſque livore aut privatae injuriae ſenſu tangebatur, quem vellet nominandi. Dein de ratione rei exequendae altercatum, cum alii ſingulos in domibus ſuis capiendos dicerent; contra tenderent alii, et, ſi ſinguli domi comprehenderentur, non poſſe non

VAR. LECT. [α] jampridem a ſacerdotibus per ſacras confeſſiones praeoccupatis plebis animis, et a Jeſuitis praecipue, qui inaudito ad hoc tempus apud nos perplexarum interrogationum genere conſcientias ſimplicium vexabant, et quaſi admotis tormentis pulſatas, ac poſtremo expugnatas, ad imperata facienda compellebant. Hunc ſcrupulum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *la Breſſe.* [b] *Gouverneur.* [c] *les Seize.*

non aliquem motum ſuboriri, et reſtituros pleroſque, dubio fortaſſe eventu; quod in primis initiis ſumme vitandum eſt: potius eos comprehendendos in ipſo ſenatu, ubi, illis veluti indagine cinctis, neque effugio neque defenſioni locus ſit: eo facto, ceteris terrorem injectum iri, ne quid deinceps contra [a] Aumalium, contra XVI viros, atque adeo Catholicorum unitorum novam foederationem, moliri audeant. Quae ſententia vicit, operam ſuam ultro deferente Joanne [b] Clerico Buſſio curiae cognitore. Cum igitur [c] P. Magiſter inquiſitoriarum claſſium praeſes, Bloeſas profectus, biduo ante rediiſſet, ibique quae coram viderat renunciaſſet, omnia vaſta et triſtia, et regem a cunctis rebus imparatum de Aurelianenſi arce retinenda etiam deſperare, quos poſſunt per urbem ſibi ſuſpectos comprehendunt. Reperti inter veſtigandum Bertrandus [d] Patraſſius Campanolius, qui nuper Aumalium ad [e] Bononiam ceciderat, Ludovicus [f] Caſtaneus Abennius, vir nobilitate, eruditione, fortitudine, et morum probitate inſignis, Carolus [g] Choeſelius Pralinus, alii. Veſtigatus diu Jacobus Auguſtus Thuanus; quem [h] Cruceius inferioris tribunalis cognitor, homo bonis infeſtiſſimus, paucos ante mortem Guiſii dies, per diſpoſitos equos Bloeſis veniſſe obſervaverat, et tanquam rei conſcium, fallaciſſimo inde ducto argumento, apud ſui ſimileis detulerat. Cum domi non reperiretur, Maria Barbanſona ejus uxor, Franciſci [i] Canii olim cum Condaeo poſtulati Franciſco II rege, et poſtea proelio Sandionyſiano occiſi, filia, a [k] P. Ruta XVI virorum emiſſario, Caniae domus beneficiario, in [l] Baſtiliam ducta eſt. Tandem XVII Kal. Februarias, qui in Lunae diem incidebat, et quo finis Bloeſenſibus comitiis impoſitus fuit, poſtquam ſenatus loco ſolito conſedit, armati palatium circumſiſtunt, et omneis aditus, ne quis egredi poſſet, ſervant. Tum Buſſius loricatus, Baptiſta [m] Machaldo, Michaele Marillaco, et Baſtono ſtipantibus, majorem, quam vocant, cameram ingreditur, cum patres deliberationem jam coeptam perſequentes legationem ſenatus-conſulto ad regem decreturi eſſent; tum, compoſita ad ludibrium oratione, invitum ſe facere praefatus, quod viros honorandos in carcerem ducere jubetur, ex breviculo nomina ſuſpectorum recitare coepit; factoque ab Achille [n] Harlaeo ſenatus principe et Auguſtino Thuano initio, (nam Barnabas [o] Briſſonius, rei, ut putatur, non ignarus, et Nicolaus [p] Poterius eo die in curiam non venerant; Petrus [q] Seguierius periculum veritus pridie, ope navicularii, cum Antonio fratre patrono fiſci aufugerat) cum ceterorum nomina ordine recitare pergeret, Thuanus conſurrexit, et non opus eſſe ampliore recitatione dixit, nam paratos omneis ducentem ſequi; ſtatimque ſublato clamore cuncti, quaecunque fortuna duces ſuos maneret, ſe ſecuturos dixerunt, et ita facto agmine vacuum juſtitiae ſacrarium reliquerunt: deplorando prorſus ſpectaculo, cum tot viri gravitate, doctrina, et innocentia inſignes, a vili homine, nihil loci religionem, in quo pedibus ipſorum advolutus officio ſuo defungi conſueverat, reverito, imperioſe in cuſtodiam raperentur. Certe plerique e populo, quamvis jam factionis peſte inquinati, non tenuerunt lachrimas: et ſumpta mox tota urbe arma injuſſu Aumalii, clauſae tabernae, ac [r] ſtationes per regiones diſpoſitae. Ad Franciſcanorum aedes perfugium habuit Jacobus Auguſtus Thuanus; qui, quia coeptae deliberationi non interfuerat, ab amico pridie monitus, de cetero communis periculi ignarus, eo die curiae ingreſſu abſtinuerat. Fama ſparſa quaſi ad aedeis publicas deducerentur, navicularii, geruli, ganeones, et hujuſcemodi hominum genus ſeditionibus amicum, [s] plateam Portuenſem inſederant, manus violentas in ſenatores, ut putatur,

INTERPR. [a] *le duc d'Aumale.* [b] *Buſſy le Clerc procureur de la Cour.* [c] *le Maiſtre, preſident aux Enqueſtes.* [d] *de Patras Sr de Campagnol.* [e] *Boulogne ſur mer.* [f] *de Chaſteigner Sr d'Abein.* [g] *de Choiſeuil Sr de Praſlin.* [h] *Crucé procureur.* [i] *de Barbançon Sr de Cany.* [k] *la Rue.* [l] *la Baſtille.* [m] *de Machaut, Michel de Marillac, & Baſton.* [n] *de Harlay premier preſident, & Aug. de Thou.* [o] *Briſſon.* [p] *Potier.* [q] *Seguier.* [r] *corps de garde.* [s] *place de Greve.*

putatur, injecturi, ut inde domos diripiendi occaſionem caperent: ſed alia via in Baſtiliam ducti cruentam furentium hominum ſpem fruſtrati ſunt. Diverſa parte cum crebreſceret motus, et voces factum execrantium per ſtationes audirentur, concionatores ſtatim ambonem conſcendunt, et non moveri debere quenquam aiunt, quod quidam ex ſenatoribus merito ſuſpecti ſub cuſtodiam miſſi ſunt: id bono publico atque adeo ipſorum factum, ut omnes in concordiam coëant; qua ſancita mox eos dimiſſum, neque quidquam inclementius in eoſdem interim ſtatutum iri: quapropter cuncti bono animo ſint, et arma deponant, atque apertis, ut antea, tabernis ad opus redeant. Haec concionatores ad populum. Longe alia ab emiſſariis XVI virorum per vicos et in plateis ad ſtationes jactabantur; quibus non ſatis erat, viros optimos parietibus incluſiſſe, niſi et calumniis ad populum onerarent: conſilium iniiſſe eos de urbe hoſtibus Dei ac religionis tradenda; portae unius claveis inter ſuſpectos repertas, et viſos in proximo equites magno numero. Additum impudentiſſime, ut terrorem ignaris injicerent, ipſis introductis mox Navarrum ſubſecuturum fuiſſe, qui ultione ardens flamma ac ferro omnia in urbe miſturus eſſet. Atqui Navarrus vix tunc a morbo periculoſiſſimo convaluerat, et Rupellam ſe contulerat, copiis ſuis per oppida vicina diſtributis; neque tunc adhuc cum eo conventum erat, quod vix tandem duobus poſt menſibus factum eſt. Ita dies inter rumores, queſtus et voces, factum inſolens et deteſtandum accuſantium et excuſantium, exacta; ut tamen appareret, factioſos, periculo patientiae populi facto, deinceps majora auſuros, et, non excuſſo tantum magiſtratus jugo, ſed calcato pedibus ipſo magiſtratu, et oppreſſa bonorum libertate, ad effraenatam licentiam, nullo legum et poenarum metu, portam patefactam eſſe. Poſtridie dimiſſi complures ex ſenatoribus, qui ſponte praeſides et alios in carcerem ſecuti fuerant; edictoque propoſito vetitum, ne quis privata auctoritate quenquam in carcerem conjiceret. Mox, ut, populo jam ſeu patientia ſeu ſcelere obligato, etiam ſenatum novo ſcelere obligarent factioſi, et omnem reconciliationis inter regem et Pariſienſeis, quod boni exoptabant, rationem praeciderent, III Kal. Febr. jurisjurandi ab omnibus praeſtandi formulam in ſenatu proponunt, in quam omnes ſacramento adacti. Ea fidem Deo, glorioſae ejus matri, angelis, et omnibus ſanctis paradiſi obligabant, ſe in Catholica Apoſtolica Romana religione victuros ac morituros; pro ejus conſervatione ſanguini proprio non parſuros, ad diſturbandos eorum conatus qui clam et aperte eam oppugnant, et ſectarium virus in hoc regno fovent; urbis Pariſienſis ſecuritati ac aliarum unitarum civitatum ſaluti, quantum in ipſis erit, ac populi levamento conſulturos; inſuper adverſus quemcunque, nullo perſonarum aut dignitatis reſpectu, principes, proceres, praeſules, alios, qui huic deinceps unioni accedent, tutaturos; privilegia, libertates trium regni ordinum defenſuros; vim eorum, qui nuper publicam fidem, immunitates, ac libertates ordinum in comitiis violarunt, captis et interfectis principibus aliiſque Catholicis, repulſuros, et via juris tanti criminis adverſus auctores, conſcios, complices, et eorum fautores perſecutionem facturos; neque ab hac ſocietate deinceps diſceſſuros, aut ullum foedus, aut pacem, niſi de communi principum, procerum, praeſulum, ac civitatum pro religionis cauſa unitarum conſenſu, facturos. Id ſolemni more ab omnibus, qui aderant, juratum; et poſtridie ab advocatis et cognitoribus partium. Inter eos Baſtonus, quem dixi, unus repertus, qui, *decoctis* omnibus bonis, et ingentis pretii aulaeis, quae a principis Condaei creditoribus patris ejus curiae apparitoris cuſtodiae, auctoritate ſenatus, commiſſa fuerant, *divenditis*, cum per ſcelera privatis rebus ſubſidium quaereret, ultro ſe poſt tumultum Pariſienſem ad inſigne facinus audendum regi obtulerat, ipſumque Guiſium propria manu interficere receperat: ſed, rejecta a rege conditione, ſive ex indignatione, ſive cum

regis fortuna afflicta mutaverat; et, ut fidem ſuam memorabili exemplo teſtatam faceret, cum ceteri formulae ſubſcriberent, ipſe, nudato brachio et ſanguine ictu cultelli calamarii expreſſo, jusjurandum obſignavit.

X. Postea factioſi Catharinam [a] Cliviam Guiſii viduam ſuſcitant; quae atrata, et cetero comitatu ad miſerationem compoſito, ejulabunda in ſenatum, ex obnoxiis, aut iis qui dimiſſi fuerant, ac meticuloſis conſtantem, venit, ſupplicemque libellum tam ſuo quam tutricis liberorum ſuorum aetate minorum nomine curiae porrexit, pridie Kal. Februarias; quo multa de egregiis erga regnum Franciae, in religionis praecipue cauſa, mariti et illuſtriſſimi parentis ejus meritis praefata: hunc nimirum, [b] Meti adverſus totas Imperii vireis defenſa, et [c] Caleto ab Anglis recepto, terra marique limitem Gallicanum contra infeſtiſſimos ac potentiſſimos populos muniviſſe; dein, [d] Theodonis-villa capta antea inexpugnabili credita, regni limites protuliſſe; et poſtea, ardente ob religionis cauſam bello, cum in eo eſſet ut [e] Aureliano capto ſectariam peſtem ſtirpitus evelleret, deteſtanda proditione in ipſo victoriae curſu interfectum fuiſſe, relictis tribus filiis in pupillari aetate, paternarum virtutum ac meritorum heredibus: eos vero majorum veſtigiis inſiſtenteis prima tirocinia extra regnum contra Turcos feciſſe; Guiſium quidem in [f] Pannonia, Meduanium cum delecta nobilitate in ſacri foederis navali exercitu militaſſe; ambos poſtea ſe [g] Pictavii moenibus incluſiſſe, et illic adverſus validiſſimum ſectariorum exercitum propugnaſſe: dein Guiſium Germanicas copias ſectariis auxilio venienteis ad [h] Theodorici-caſtrum fudiſſe, inſigni vulnere in facie accepto: poſt aliquot annos, bello pro religionis cauſa ſuſcepto, immanem Germanorum exercitum a Guiſio et Meduanio [i] Vimorii magna clade affectum, et mox a Guiſio ad [k] Alnetum prorſus deletum fuiſſe; diſſenſionibuſque ſub id exortis, et ſancita ſtatim per unionis edictum toties repetito jurejurando confirmatum concordia, Guiſium, fide publica tutum, [l] Bloeſas ad comitia veniſſe, cum cardinali Guiſiano fratre; et pro tot bene in regem regnumque factis hanc gratiam retuliſſe, ut nefando paricidio ambo jugulati ſint. Haec praefata petebat, ut, integra manente publicae injuriae per vim publicam ulciſcendae via, ex mandato curiae, cui de parium Franciae cauſis cognoſcere jus eſt, ſibi probationes conficere liceret, ad eaſque faciendas ex ampliſſimo ordine ſenatores delegarentur, ut, iis examinatis, in criminum objectorum convictos legibus agatur. Libello convocatis omnibus claſſibus lecto, et cognitore regio audito ac poſtulante, ſecundum libellum pronunciatum eſt; et delegati a ſenatu Petrus [m] Michonus et Joannes Curtinus. Poſtea altero libello iterum conqueſta eſt Clivia, quod, dum juxta ſenatus-conſultum probationibus conficiendis indeſinenter incumbit, certior facta ſit, Bloeſis, eorundem, qui contra fidem datam deteſtando paricidio maritum fratremque ejus interfecerunt, inſtigatu, probationes contra ipſos fieri, idque muneris delegatis judicibus attributum eſſe, contra regni leges, quae niſi in parium curia, hoc eſt in ſenatu Pariſienſi, cauſas parium tractari non patiuntur: ea propter ab ea delegatione appellare ſe dicit, et a probationibus juxta eam confectis, tanquam irritis ac nullius momenti; et a ſenatu [n] fatalia petit, quibus tam eos qui delegationem fecerunt, quam delegatos ipſos judices, et quoſcunque opus fuerit, ſibi intimare liceat; interim omnis cognitio ejus rei incompetentibus illis judicibus interdicatur. Quod et ſenatus, audito cognitore regio, cenſuit; inſuperque addidit, ut denunciationes ac citationes locis proximis, ad quae tuto accedi poteſt, per praeconem publice factae perinde valeant, ac ſi ipſorum qui citantur perſonis aut domicilio factae eſſent.

INTERPR. [a] *de Cleves ducheſſe de Guiſe.* [b] *Mets.* [c] *Calais.* [d] *Thionville.* [e] *Orleans.* [f] *Hongrie.* [g] *Poictiers.* [h] *Chateau-Thierry.* [i] *Vimory.* [k] *Auneau.* [l] *Blois.* [m] *P. Michon & J. Courtin.* [n] *Lettres de faux.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

eſſent. Antea Aumalius, ut per inanis gratiae oſtentationem populo illuderet, et invidia regem oneraret, XIV Kal. Febr. programmate publico vetuerat, ne [a] quarta pars vectigalium, quae ratione fundorum in quibuſdam provinciis in pleriſque capitatim plebi imponuntur, a rege in comitiis remiſſa, a coactoribus et aliis quaeſtoribus exigeretur; quaſi aut confuſis ubique rebus id ab eo vetari, aut a regiis miniſtris exigi, poſſet. Aliquanto poſt porrecto a [b] decurionibus libello [c] ſenatuſconſultum factum pridie Non. Februarias, quo vetitum, ne qui ex nobilitate civitatis aut quicunque alii bene procedens unionis negotium turbent, liberam commeatus in urbem importationem aut civitatum unitarum commercium impedirent, aut hoſtilia contra eas civitates moliantur; qui contra fecerint, cauſae Dei ac patriae hoſtes et unionis perturbatores habeantur, et contra eos tanquam perduelleis legibus agatur. Inſuper mandatum, ut per civitates cuncti in verba edicti unionis denuo adigerentur.

XI. HAEC acta antequam Meduanius ad urbem veniſſet. Is poſt Guiſii mortem cum in Burgundiam, cujus praeſes erat, ſe contuliſſet, Monpenſeria ſoror ſtatim Lutetia profecta magnis itineribus ad eum venerat, ut nutantem confirmaret, et de rebus communibus cum ipſo conſultaret. Meduanius a ſorore ad bellum capeſſendum inflammatus, Joannem [d] Angenneum Poignium, quem ad Sabaudum a rege miſſum diximus, cum re infecta rediens per [e] Divionem iter haberet, ſiſti juſſerat, odio familiae potius quam quod ab eo ulla privatim injuria laceſſitus eſſet: captus et ejus juſſu Caeſar [f] Balſacus Gienſis Entraguii filius, legionis, quae in exercitu ejus erat, tribunus. Uterque ſub cuſtodia Lutetiam miſſus, et in Baſtiliam cum ſenatoribus conjectus fuit. Poſtea rebus in provincia conſtitutis, et dato negotio Chriſtiano [g] Savinio Ronaeo, Rogerio [h] Grammontano, [i] Mauleono, et [k] Sclavolio Chamoſio, ut delectus haberent, ipſe cum iis et tumultuaria manu in viam ſe dederat, ut Aurelianenſibus in arcis oppugnatione haerentibus praeſto eſſet; factoque per [l] Auguſtobonam Tricaſſium itinere, quam civitatem aliquot ante menſibus cardinalis frater, ejecto Joachimo [m] Dintevilla regiis partibus addicto, foederationi mancipaverat, [n] Aurelianum tendit, cum paulo ante ejus adventum Aumontius arce deſerta [o] Baugentiacum ſe recepiſſet. Inde rebus ex animi ſententia in urbe ordinatis Lutetiam verſus iter intendit: cumque jam [p] Alnetum, profligato nuper Germanorum a Guiſio exercitu nobile in Belſia caſtellum, praetervectus eſſet, a delegatis Autrici Carnutum revocatus eſt. In ea erant Nicolaus Thuanus epiſcopus et Franciſcus [q] Eſcobleus Surdiſius Carnutum praefectus, cum Henrico fratre [r] Maleacenſi epiſcopo, viro juxta pio et probo ac generoſo; qui et pauci magiſtratus regium nomen tuebantur, ſed exiguis opibus, quippe nullo praeſidio tuti. Contra, graſſante jam populari ſeditioſorum ubique per civitates morbo, multitudo vincebat, quae fere otioſis et tenuioris fortunae hominibus ad res novas facile inclinantibus conſtabat, utpote ſacerdotibus, aleatoribus, pannorum textoribus, et aquariis: et ſtatim, poſt captam arcem, Aurelianenſes ad eos ſolicitandos miſerant; nec non et Lutetia miſſi homines e plebe venerant cum literis decurionum, ut oppidanos ad unioni nuper Lutetiae ſancitae ſubſcribendum hortarentur. Concilio in [s] S. Petri coenobio habito, (nam publicae aedes tantam multitudinem non capiebant, quae, tabernis ſuis relictis, ut in ſeditione ſit, ultro ſe publicae adminiſtrationi immiſcebat,) cum epiſcopus, compoſita ad leniendam plebem oratione, ad regem mittendos delegatos cenſeret, ipſum rogaturos, ut urbem commendatam haberet, et eam a praeſidio

INTERPR. [a] *un quart des tailles & crues.* [b] *Eſchevins.* [c] *Arreſt.* [d] *d'Angennes Sr de Poigny.* [e] *Dijon.* [f] *de Balſac Sr de Gié, fils du Sr d'Entragues.* [g] *de Savigny Sr de Reſne.* [h] *de Grammont.* [i] *Mauleon.* [k] *d'Eſclavoles Sr de Chamois.* [l] *Troyes.* [m] *de Dinteville.* [n] *Orleans.* [o] *Baugency.* [p] *Auneau en Beauſſe.* [q] *d'Eſcoubleau Sr de Sourdis, gouverneur de Chartres.* [r] *de Maillezais.* [s] *l'abbaye de S. Pere.*

praeſidio immunem ſervaret, confuſo ſtatim clamore unionis edictum ingeritur. CIↃ IↃ LXXXIX.
Et cum ſub id Jacobus [a] Gueſlaeus regius cognitor cum literis regis veniſſet, et vix HENRICUS III.
Surdiſio et epiſcopo annitente admiſſus eſſet, recitatis literis et audito Gueſlaeo, qui de praeſidio eos ſecuros eſſe jubebat, tantum in obſequio perſtarent, et locum religione praecipua ſacrum, et privatis regis reginaeque devotionibus frequentatum, utrique ſervarent, rurſus exortae voces confuſae quaſi explodentium et fidem datam repoſcentium: nam cur ei fidem haberent, qui Guiſio et cardinali fratri eam non ſervaſſet? Itaque Gueſlaeus, cum nihil ſpei in oppidanis videret, et qui regias partes amplectebantur reſiſtendo contra tantam multitudinem impares eſſe, ex conſilio Jacobi Auguſti Thuani, qui vix tandem, poſt ſenatores in carcerem conjectos, cum uxore obſoleto habitu Lutetia aufugerat, et ad patruum perfugium habuerat, ad reditum nulla interpoſita mora ſe comparat: ſed in hoſpitio, dum equos in ſuburbio relictos conſcenſurus eſſet, a Theodoro [b] Lignerio oppreſſus et captus eſt; vixque exſoluto grandi pretio dimiſſus. Interea delegati [c] Alnetum ad Meduanium miſſi, cum mandatis ut urbem ei commendarent et praeſidii neceſſitatem deprecarentur, mandata ſua egreſſi ei in arcano perſuadent, ut ad eam veniret, in poteſtate ipſius, ſi accederet, futuram polliciti. Quod ille non gravate fecit; magni quippe momenti ad res gerendas reputans, urbem [d] Belſiae principem et copioſo commeatu, quo fere Lutetia alitur, abundantem in poteſtate habere; eaque re non mediocriter gratum ad urbem ſuum adventum fore exiſtimans. Itaque VII Eid. Feb. reflexo itinere [e] Autricum ingreſſus, magna cum gratulatione et feſtis puerorum, vitam Lotharingis principibus, ut olim regibus, precantium, vocibus exceptus, ut erat armatus, cum ſuis ad majus urbis templum venit, in quo tunc erat epiſcopus; qui, ſacri collegii ſodalibus fere obnoxiis impellentibus, ad valvas interioris chori obviam proceſſit, et, cruce ad oſculandum porrecta, preces ei eccleſiae more ſolito detulit. Tantum biduum in civitate commoratus eſt Meduanius, quo tempore oppidanos ſacramento in verba ſua adegit, et largis promiſſis implevit: monitoque Jac. Aug. Thuano, qui ſe domi in epiſcopi patrui aedibus, non ſalutato Meduanio, tacitum continebat, ut tanquam ſuſpectus alio ſe conferret, alioqui fore ut ab iis qui circa ſe erant caperetur; facile homini quietis cupido perſuaſit, ut inde diplomate ab ipſo accepto migraret, et [f] Bloeſas peteret: quo ille mox cum [g] Maleacenſi epiſcopo, (nam Surdiſius, cum eodem proficiſci vellet, ab oppidanis retentus eſt) iter intendit, allatis ad regem epiſcopi et Surdiſii literis, quibus ſignificabant, magno ſuo cum dolore accidiſſe, ut urbs peculiariter tot honoribus et beneficiis a regia gratia affecta tam inſigni ingratitudinis exemplo ab ejus obedientia defeciſſet. Rex tunc ſanguinis fluxu laborans decumbebat, qui morbus erat illi, utpote natura melancholico, familiaris; et acri doloris morſu praeter ſolitum, accedente ad conſtitutionem naturalem publica triſtitia, vexabatur, neque ſomnum jam aliquot noctibus ceperat; neque tamen febre tentabatur, tanta erat alioqui valetudinis firmitudine. De Gueſlaeo Autricum miſſo cum ſolicitus eſſet, nunciatur Maleacenſem et Thuanum veniſſe: qui admiſſi, et Gueſlaei caſu atque urbis expoſito, inter cruciatus gemebundas voces emittentem repererunt, pari miſeratione et ipſius et regni, cum ſe plus animi quam corporis doloribus torqueri diceret, neque vero mortem horrere, dulciſſimum vitae tot aerumnis jactatae ac ſibi jam moleſtae portum; ſed dolere vicem tot animarum, quae in una principis ſui anima periclitentur: nunc autem poſt tot ubique defectiones et proditiones ſatis omnibus patere, an juſtas ulciſcendae publicae injuriae cauſas habuerit: citius id factum oportuiſſe, ac vereri ne, quanquam jure factum, tamen,

INTERPR. [a] *la Gueſle.* [b] *de Ligneris.* [c] *Auneau.* [d] *Beauſſe.* [e] *Chartres.* [f] *Blois.* [g] *de Maillezais.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS III.

tamen, quia ſerius factum, quaſi intempeſtivum a prudentibus damnetur, et mora potius quam factum ipſum arguatur. Nec factioſi in omnes caſus intenti ex eo morbo motus novos maturandi occaſionem omiſerunt: nam, fama ſparſa, quaſi rex aut deplorata ſalute aegrotaret, aut jam obiiſſet, multas civitates ad defectionem inde ſubſecutam [α] incitarunt.

XII. JAMQUE Meduanius Lutetiam venerat, magna de ſe exſpectatione excitata; quam partim ipſe prudentia ſua, partim adverſa regis fortuna, implevit. Ante omnia concilium unionis Catholicorum, qui de cauſae communis negotiis decernerent, inſtitutum eſt XII Kal. Martias, quod in [a] praefecturae Palatii aedibus ſtatis diebus haberetur. In illud allecti XL ex ſacro ordine, nobilitate, et magiſtratibus, ac urbis civibus; edictumque ut omnes ejus decretis parere tenerentur, poena capitis in non parenteis ſancita. Obnoxii aut maxime omnium ſeditioſi, praecipue e ſacro ordine, jus ſententiae dicendae in eo ſibi ſumpſerunt. Demum IV Non. Mart. in eo concilio decretum fuit, ut donec generalia regni comitia convocarentur, quae ad Eidus Quintileis proximas indicta ſunt, ſumma belli ac negotiorum regni poteſtas penes Meduanium eſſet, qui titulo [b] generalis vicarii ſtatus regii et coronae Francicae rempublicam adminiſtraret. Id decretum poſtea audito [c] cognitore regio in ſenatu recitatum VII Eid. Martias, et in acta curiae relatum eſt: ſerius in rationalium ac vectigalium [d] curiis, ac tantum Aprili et Maio menſe proximo. Secundum haec Meduanius in ſenatum venit, quinto poſt die, et, Barnaba Briſſonio, qui auctor tituli

VAR. LECT. [α] incitarunt. Cum Meduanius adhuc Autrici eſſet, ad eum allatum eſt de Radeſiano capto; qua re maxime gaviſus eſt, L CIↃ aureorum ſe lucratum dictitans ad exſolvendum Germanis ſtipendium; idque ſtatim ad Chriſtophorum Baſſompetram ſcripſit, qui jam Lutetiae erat, praecipuus belli incentor, ex comitiis Bloeſenſibus vix elapſus. Radeſianus, qui in morte Guiſii adeo generoſe ſe geſſerat, et non revocandi ex Pictonibus exercitus, cui Nivernius praeerat, auctor fuerat, poſtquam vidit res labare, cuncta contra quam rebatur ubique turbare, nobilitatem ad tuendas domos, quae a proximis civitatibus infeſtabantur, aula relicta properare, et ipſe rebus ſuis metuens occaſionem ab aula diſcedendi eandem arripuit, quam olim, cum dedecus ac periculum veritus provinciam reliquerat, ſimulato morbo ceperat; et commeatum in Italiam ad balnea Lucenſia curandae valetudinis cauſa proficiſcendi a rege petit. Rex, licet parum praeſidii in Radeſiano poneret, tamen ad famam pertinere ratus, ſi a principe tribunorum equitum tam alieno tempore deſereretur, initio negare; ejus opera ſe egere, et in aliud tempus valetudinis curam differri poſſe. Ille obſtinatius contra pugnare, neque valetudinem male affectam diuturnioris morae patientem eſſe; cujus curam ſi ulterius differat, providere ſe, ut intra trimeſtre procul dubio moriatur: adeone levem tanti viri jacturam eſſe, cujus tot merita erga rempublicam extent? qui tot vulnera pro Francici nominis dignitate ac regni ſalute accepit? cujus corpus tam crebris ictibus, quam cribrum foraminibus, ſit pertuſum? cujus in pace prudentia, in bello laetis et adverſis temporibus virtus perſpecta non poſſit non eſſe Galliae chariſſima? His vocibus recta facie et in ſpeciem ſumma vultus conſtantia de ſe prolatis, cardinali Gondio fratre annitente, a rege, importunas hominis dejerationes non ferente, abeundi licentiam obtinuit, monitus caveret, ne in itinere in manus hoſtium incideret; nam multos non tam vitae ejus quam bulgae inſidiari. Ita dimiſſus Radeſianus, dum morbum fingens diſſimulato habitu per Biturigas in Boios deſcenderet Lugdunum petiturus, a Joanne Barrenſi Neovio juvene impigro, et arctae neceſſitudinis vinculo cum Nemoroſio conjuncto, in diverſorio captus eſt, nec niſi diu poſt L CIↃ aureorum depenſis libertati reſtitutus; jam trimeſtri illo exacto, quod ſibi ad vitae finem, ſi ad balnea non iret, aſſeveranter praeſcripſerat. Itaque rex non infacete poſtea, ubi tempus illud exiiſſe videt, Radeſiano renunciare voluit, ut moreretur: nam ita fore cum horrendis dejerationibus illum affirmaſſe. Ille vero a Meduanio dimiſſus, cum adhuc res in incerto eſſent, eandem valetudinem cauſatus in caſtra minime rediit, ſed ſecundo Ligeri devectus Namnetes petiit, et trireme conſcenſa in Hiſpaniam navigavit: ubi in arcano cum Philippo collocutus, cum verba verſutiſſimo alioqui ſeni dediſſet, inde Barcinonem terreſtri itinere petiit, et conſcenſa triremi Genuam venit, et ad Liburnum Hetruriae portum appulit, ac ſumptis Lucenſibus aquis, ut diſſimulationi fides conſtaret, in coenobium Florentiae proximum ſeceſſit; ubi cum puero et duobus ruſticis, qui ipſum ſella vehebant, nec ampliore comitatu totum triennium latuit, ſimulato ſemper morbo: et cum quis illum ſalutandi cauſa adibat, a puero monitus ſtatim acutiſſimos clamores edebat, ita ut ab ingredientibus exaudiretur; in eoque morbo, qui illi uſum pedum, ut ipſe aiebat, et caeterarum corporis partium adimebat, conſtanter perſeveravit, donec, Deo ſucceſſus regis proſperante, repente ex eo convaluit, et in Franciam cum auxiliari Helvetiorum exercitu anno CIↃ IↃ XCIV, momento recuperata valetudine, ſanus et incolumis pervenit. Jamque Meduanius *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Maiſon du Bailliage du Palais.* [b] *lieutenant general de l'eſtat & couronne de France.* [c] *le procureur general.* [d] *Chambre des Comptes & Cour des Aydes.*

tituli ei conceſſi fuiſſe gloriabatur, ne regium nomen, ut ille aiebat, quod turbulenti ex animis hominum delere in animum induxerant, obſoleſceret, verba praeeunte, et ut dignitatem meritis ejus delatam acciperet rogante, ſacramento adactus eſt. Jurisjurandi formula haec propoſita eſt, Religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam contra omneis defenderet, ſtatum regium integrum, curiarum ſupremarum auctoritatem, priſcos juſtitiae ritus, eccleſiae ac nobilitatis privilegia tueri, et poteſtate ſibi commiſſa ad Dei gloriam, publicam regni utilitatem, ſecuritatem bonorum et malorum terrorem, bene recteque uti promitteret; inſuperque curaret, ut leges et conſtitutiones regni ſerventur, magiſtratibus debita obedientia praeſtetur, populus tributis levetur, et ab omni vexatione liberetur. Antea XIV Kal. Mart. ſenatus-conſultum factum fuerat, quo in locum delegatorum, ad bona Proteſtantium et aliorum vendenda tunc abſentium, novi ſuffecti ſunt; iiſque mandatum, ut in eam curam diligenter incumbant.

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

XIII. INTER haec nullo injurioſi ſermonis, contumeliae, et effraenis in loquendo licentiae genere in regem regiumque nomen temperatum eſt. Praecipua concionatorum intemperies fuit; qui, omiſſa verbi Dominici interpretatione, bacchantibus ſimiles, conviciorum plauſtra in regem evomebant, dicenda, tacenda blaterantes, tyrannum, hypocritam, perfidum, crudelem vocitantes, ad raucedinem uſque clamoſi: quorum exemplo paedagogi, et hujuſmodi rancida ſcholaſtici pulveris purgamenta, miſeros ac ridiculos verſus ſeu rhythmos balbutiebant, ſive in regis opprobrium, ſive in defunctorum laudes. His accedebant libelli ineptiſſimi de martyrio fratrum cum imaginibus eorum inſcite pictis. Nec contenti libris, eorundem effigies, juſta hominis menſura, ad pulvinaria templorum quotidie ſiſtebant, ſanguinolentas et pallore violentae mortis horridas. Additi et libelli nugamentis calumnioſe confictis ad faſtidium in regem referti, quibus iram plebis credulae ad rabiem acuebant: ipſum jam a multo tempore capitale odium in Guiſianos, ob merita et inſignem virtutem cunctis regni ordinibus merito dilectos, conceptum, cum vi aperta explere non auderet, id per inſidias aggreſſum eſſe; primumque Flagellantium ſe pietatis colore ſectam inſtituiſſe; cui cum proceres et principes certatim nomen darent, ſperaſſe, ut inter nocturnas illas pompas Guiſium et ejuſdem familiae proceres opprimere poſſet: dein, cum illi melius conſulti aulam deſeruiſſent, immanem Germanorum exercitum contra eos in regnum induxiſſe, ut Navarrum, et per eum ſectariam peſtem, in regno ſtabiliret; quo rurſus, praeter ſpem, Guiſii virtute deleto, rurſus Lutetiam introductis noctu Helvetiis et aliis militaribus copiis idem tentaſſe: cum rurſus aſtus non ſucceſſiſſet, et ipſe Henricus [a] Valeſius, ſic regem paſſim per contemptum vocabant, in foveam, quam foderat, cecidiſſet, fide religioſe interpoſita, et ſumpto in id ſalutis aeternae viatico, Guiſium ad comitia Bloeſas evocaſſe, et fide publica tutum deteſtando paricidio cum fratre cardinali interfeciſſe. Has ob cauſas petebant, ut ob ſimulatam religionem, fidem publicam violatam, coram ordinum coetu culpam ignominioſe privati more, exuta veſte, pedibus et capite nudis, taedam ardentem XXX librarum pondere geſtans, et in genua procumbens agnoſcere, ac veniam a Deo, magiſtratu, et ordinibus implorare cogeretur; et, tanquam criminum objectorum convictus, corona Francica indignus pronunciaretur, et in Hieronymitanorum ſodalium coenobium juxta [b] Vicennarum caſtrum in pane triſtitiae et aqua doloris poenitentiam acturus ad vitam relegaretur. Ad majorem impietatis fidem faciendam, impudentiſſimo commento ſuperior audacia cumulata; repertam in cella ſua, in illo Hieronymitanorum ſodalitio, crucem auratam, quae duos ſatyros ſub

INTERPR. [a] *de Valois.* [b] *Vincennes.*

ſub tranſverſa trabe inter acanthi folia ad ornatum ab artifice ſculptos habebat; quam concionatores, dum populum ex ambone alloquebantur, per manus traditam, cum tragica deteſtandae impietatis inſectatione, oſtentabant: ſic enim interpretabantur, regem ſpecie adorandae S. Crucis, communem generis humani hoſtem, quem per illos ſatyros deſignari aiebant, in ſacrario adoraſſe, et ſecretas cum illo confabulationes habuiſſe, atque adeo magicas artes exercuiſſe: idque cum dejerationibus horrendis ad univerſos et ſingulos verba facientes, figura etiam ad oculos otioſorum paſcendos aere coelata et publicata, affirmabant; cum tamen aurifex adeſſet, qui crucem ante C annos fabricatam regi vendiderat. His artibus cum inde plebem jam furentem abunde inflammaſſe, et inde odium ac contemptum in regem effudiſſe, ſibi viderentur, religioſas execrationes in ipſum meditantur, et ſupplicationes publicas indicunt; in quibus, frigido adhuc coelo, pueri nudis pedibus, et mulieres ac virgines pudoris oblitae, linteis ſolis amicti incedebant, candelas manibus tenentes; quas poſt epodas diſſono clamore decantatas extinguebant, et, quaſi Meleagri titione extincto, ſicuti in fabulis narratur, vitam regis extinctum iri aut optantes aut ſperantes. Ac pleraeque inter eas erant, quae, quo formoſiores, ut pietatem ſuam circumſpicientibus magis approbarent, lineis tantum tunicis tenuibus quaſi multiciis velabantur, ita ut corpus pelluceret, et ad curioſos nobilium adoleſcentum, dum incedenteis officioſe adjuvant, oculos interdum et improbas manus pateret. Eodem furore olim Pariſienſeis, Carolo VI rege, contra Delphinum ejus filium defunctos memorant, qui res illius aevi ſcripſere; an tunc exemplo repetito incertum, an quod, ut in morbis iidem acceſſus et receſſus recurrunt, ſic in ſeditionibus, quae ſtatis temporibus Deo ita volente regna vexant, iidem furentium animorum motus, ſponte non exemplo, exiſtere ſolent. Cum vero per civitates unitas poſtea ſanctae unionis jusjurandum juxta ſenatus-conſultum renovaretur, haud minor plebis intemperies fuit, Pariſienſium exemplo incitatae, et de ſuo, ut in rebus novis fieri amat, addentis. Cum [a] Laodunenſes non parerent, qua in civitate advocatus fiſci erat Joannes Bodinus, homo multiplici eruditione notus, ſenatus-conſultum fit, quo praecedenti IV Non. Mart. facto parere jubebantur. Quo allato Bodinus [α] indigna levitate, quippe qui olim Proteſtantium doctrinae addictus, nec ab ea multum unquam poſtea alienus, [b] Alençonii, dum a rege fratre diſſideret, partes ſecutus fuerat, et factum laudavit, et, habita ex conſilio epiſcopi ad populum oratione, ſcrupulum e conſcientiis et metum ex animis amovit, cum diceret, tot urbium et civitatum ſumma conſenſione defectionem non rebellionem poſſe dici, neque poenam, quae paucorum delinquentium eſſe ſolet ad exemplum, in tanta multitudine mereri; incuſato interim rege quaſi perfido et hypocrita, et facto de regni ſucceſſione ſiniſtro augurio: nam ut in vita ſingulorum hominum annum LXIII climactericum eſſe ac fere lethalem, ſic cum a [c] Varamundo, a quo ſeriem regum noſtrorum patrii annales repetunt, ad Henricum III, LXIII reges numerentur, videri regem huic regno Francico fatalem et ultimum ex ea familia fore. Ita Laodunenſes ad Pariſienſium unionem acceſſerunt annitente Bodino; quod et ipſe literis ad Barnabam Briſſonium datis, quae typis editae ſunt, teſtatus eſt.

XIV. GALLIA ubique turbata tanti motus fama etiam Romam turbavit. Eo jam ſcripſerat rex ad Joannem [d] Vivonum Piſanii marchionem oratorem ſuum, et Franciſcum cardinalem [e] Jouſam; mortiſque Guiſianorum maturatae caedis expoſitis, mandata dederat, ut contrarios in illa aula rumores anteverterent. Scripſerat et

ad

VAR. LECT. [α] indigna levitate *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *excerpta* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur*.

INTERPR. [a] *ceux de Laon.* [b] *le duc d'Alençon.* [c] *Pharamond.* [d] *de Vivonne marquis de Piſany.* [e] *de Joyeuſe.*

ad Hieronymum Gondium, ob aliam longe cauſam ad pontificem antea miſſum, ut de Avenionenſi legatione, quam cardinalis Borbonius tenebat, in cardinalem Guiſianum transferenda, et Lugdunenſi in cardinalium collegium cooptando, ageret. Tunc vero, mutata negotiorum ratione, ei mandatum eſt, ut abſolutionem de cardinali interfecto regis nomine a pontifice peteret. Quod et ille a Piſanio introductus ſedulo fecit. Cum uterque enixe inſtaret, pedibus pontificis advolutus, neque ſe hinc diſceſſuros niſi impetrata prius gratia oſtenderent, pontifex pertinaciter negavit; et, cum ampliorem et expreſſiorem ſatisfactionem requiri diceret, omnino ſe a gratia impertienda alienum oſtendit, ſive a Meduanio praeoccupatus, ſive ob acriorem privatae injuriae morſum. Nam a ſenatu Veneto, magno Etruriae duce, et Mantuae duce, qui rebus noſtris in Italia favebant, rex certior factus fuerat, pontificem cum Guiſio occulte conveniſſe, de collocanda in matrimonium nepte ipſius cum Jonvillae principe, et Guiſio parente rege creando, rege ab ea dignitate tanquam indigno depoſito; quem Guiſius occaſione captata, vel in comitiis, vel loco commodiore, in poteſtatem redactum in coenobium truderet, vique intentata, ad ejerationem, auctoritate pontificis interveniente, compelleret: ea ſpe aegre excidiſſe pontificem, et nunc propterea ſe difficilem et iniquum juſtis regis poſtulatis praebere. Poſtridie quam Piſanius et Gondius ad ipſum acceſſerunt, conſiſtorium frequens celebratum eſt; in quo pontifex orationem habuit, crebris vicibus, ſive ira ſive doloris vehementia ſpiritus praefocante, interquieſcens: quam qui publicarunt, parum certe famae et exiſtimationi ejus conſuluerunt: verum ita tempora tunc erant, ut, dum res acerbarent, rectene an ſecus, abſurde, inepte, ac ridicule quid factum eſſet, minime curarent. Summa orationis fuit, ut, poſt infandum dolorem multis verbis in majus exaggeratum, diceret, oratores regios pro rege abſolutionem a ſe flagitaſſe; iis autem a ſe reſponſum, abſolutionem quidem peti, ſed nulla adhuc commiſſi facinoris poenitentiae indicia apparere; imo tantum abeſſe ut regem poeniteat, ut ne ipſe quidem huc uſque abſolutionem petierit: tum reſpondiſſe legatum, ſe regis perſonam referre, ac proinde ſibi fidem habendam eſſe: ad quem ſe iterum reſpondiſſe, legatum quidem referre regem in negotiis publicis, ad quae miſſus eſt, ſed non ut peccata regis confiteretur, et pro illo poenitentiam ageret; haec enim ab ipſo rege proficiſci oportuiſſe, cum oris confeſſio ſit pars poenitentiae, et proprio ore fieri debeat. Quibus dictis legatum dimiſſum, cum neque literas neque mandatum ullum de abſolutione impetranda a rege haberet. Tum exemplum Henrici II Anglorum regis in medium adductum, qui de caede Thomae Cantuarienſis archiepiſcopi, quanquam juſſu illius crimen admiſſum minime conſtaret, tamen, cauſa a pontifice per delegatos plene cognita, delictum ſuum confeſſus ſit, et demiſſo animo conſtitutam ſibi poenitentiam ſuſceperit et impleverit. Idem et Theodoſium ſummum imperatorem, et non unius regni, quale eſt hodie Francorum, ſed univerſi orbis monarcham, ob caedem Theſſalonicae juſſu ſuo patratam feciſſe, et imperatam a B. Ambroſio poenitentiam humiliter accepiſſe, ac ſeſe voluntati non pontificis, ſed ejus qui tantum epiſcopus erat, ſummiſiſſe: neque objici poſſe, quod uterque et Thomas Cantuarienſis et Ambroſius ſancti fuerint, eoque plus illius ultioni, hujus meritis plus delatum eſſe; nam neutrum ſanctum fuiſſe quamdiu in vivis egerunt, ſed poſt mortem in ſanctorum numerum ac longo tempore interpoſito relatos eſſe; ac proinde mirari quorundam cardinalium imprudentiam, qui coram ſe non ſint veriti enorme hoc regis factum excuſare: (id propter cardinalem Jouſam, Sfortiam, alios additum) nam dum id agunt, dignitatis ſuae oblivitci: ſe neque cardinalem velle fieri, neque commendatione ullius principis egere, ut ad eam dignitatem provehatur, parumque aut nihil injuriam hanc ad ſe

proprie

CIↃ IↃ LXXXIX. proprie pertinere, ſed maxime ſacri collegii intereſſe, ne factum, quod in ſuum periculum redundat, diſſimulatione impunitum maneat: an enim aequum eſſe, ut cardinales auctoritate, immunitate, libertate, praerogativa, et aliis, quibus donati et ornati ſunt, privilegiis priventur ac ſpolientur? ſi ita ipſis videbitur, facile ſe paſſurum, ut nemo regum aut principum eos revereatur, et honore debito proſequatur; ſed certatim cuncti contemnant, vilipendant, depraedentur, occidant. *His* cum irriſione et indignabundo animo dictis ſubjecit, non ſe commoveri, quod quidam objiciant, ſi jure contra regem agatur, multa inde incommoda, multa mala naſci; imo fore ut regnum hoc evertatur, ac plane corruat: nam ad ea ita reſpondere, in diſpenſanda juſtitia nihil tale metuendum eſſe; nihil enim timendum niſi ſolum peccatum; proinde decreviſſe, quod juſtum aequumque videbitur, facere, delegatis certo numero cardinalibus, qui de cauſa cognoſcant. Quaedam et in invidiam Jo. Franciſci cardinalis [a] Mauroceni legati addita, quod cum eum et cardinalem et legatum, in regis gratiam atque ipſius commendatione, cum ſacri collegii injuria, creaſſet, tamen rex nec ullam juris rationem in Guiſiani cardinalis cauſa habuerit, neque ipſum legatum conſuluerit, nec ejus auctoritati et dignitati quidquam detulerit. Is certe vir bonus et pacis ac nominis Francici perquam ſtudioſus, quanquam facti ignarus, tamen in crimen vocatus eſt, quod non jure ſuo contra regem uſus eſſet, inſtigantibus factioſis, qui libris Lutetiae editis conviciorum plauſtra in eum evomuerunt, et creandi illi, poſtquam Romam reverſus eſt, periculi occaſionem praebuerunt; quod vix tandem poſt longam vexationem evaſit, tam honorifice a criminibus objectis abſolutus, quam calumnioſe fuerat accuſatus. Meduanius, antequam Divione diſcederet, Jacobum Dioum equitem Hieroſolymitanum Romam VI Eid. Januar. miſerat, cum mandatis, ut de tanta injuria apud pontificem expoſtularet; et, quia potentiorem cauſam jure potiorem eſſe Romae ſciebat, oſtenderet, Catholicos unitos, tanta jactura accepta, eo majores animos ſumpſiſſe, et ejus pedibus proſtratos auctoritatem, conſilia, opem, et imperia ejus implorare, quicquid tandem juſſerit obſequi paratos: tantum ne ipſos pro religionis cauſa, quam ad extremum vitae ſpiritum retinere et tueri conſtituerint, pro libertate et publica ſecuritate foederatos deſerat; ſed, frigida illa prudentia, quae fortaſſe olim tempeſtiva, quamdiu regem nutantem ad bonas partes reduci poſſe ſpes fuit, nunc deplorata ejus fide omnino omitti debet, depoſita, aperte Catholicorum Galliae patrocinium ſuſcipiat, et injuriam eccleſiae contra publicam fidem, violata comitiorum libertate et ſecuritate, factam, conjunctis ſecum animis perſequatur. Tum artificioſe rerum ſeries et ſucceſſus a primis hujus ultimi belli initiis repetitur; regem ſemper in hoc bello diſſimulaſſe, cum regina Anglorum, Proteſtantibus Germaniae principibus, et Navarro ſecreta conſilia habuiſſe, et belli tam ſancti per occultas artes cum religionis periculo ac regni diſcrimine finem quaeſiiſſe; atque adeo reginae Anglorum, alioqui tantum facinus non auſurae, animos feciſſe ad ſereniſſimam Scotorum reginam immani ſupplicio afficiendam. Extremis mandatis Meduanius ſuam fidem, operam, obſequium pontifici ac ſanctae ſedi quam demiſſe deferebat; et ſe non privato affectu, ſed ſola religionis et boni publici cauſa, duci affirmabat. Poſt Dioum miſſus Lazarus [b] Coqueleius ſenator Pariſienſis, ſummo judicio ac eleganti ingenio praeditus; qui nimio libertatis amore, quam a rege male conſulto et aulicis in dies depreſſam vir generoſus impatientiſſime ferebat, ſibi perſuaderi paſſus erat, fore ut excuſſo jugo, per comitiorum auctoritatem violentiae praeceps rota ſufflaminari poſſet: in quo cum credulitate deceptum ſe ad extremum ſenſiſſet, mature mutavit, et quam diligentem ſe in juvanda foederatorum cauſa initio oſtenderat, tam ſe

HENRICUS III.

ingenuum

INTERPR. [a] *Moroſini.* [b] *Coqueley.*

ingenuum in agnoſcendo errore et exemplo ſuo alios in viam reducendo fortem praebuit. Huic adjunctus Nicolaus [a] Pileus Orbaſii abbas, homo Lotharingico nomini obnoxius, et, cum falſi olim Romae poſtulatus eſſet, Caroli cardinalis Lotharingi favore et gratia periculo exemptus. Viciſſim rex, poſt datas ad cardinalem Jouſam, Piſanium, et Gondium literas, Claudium [b] Angenneum Cenomanorum epiſcopum, virum ſanctimonia vitae, eruditione, et rerum agendarum peritia praeſtantem, ad pontificem legaverat, cum ampliſſimis mandatis, ut, juſtis rationibus expoſitis, quibus coactus duorum fratrum mortem imperaſſet, eum ſibi conciliaret, et ad reducendos ad obſequium populos, qui religionis praetextu deficiebant, ipſius auctoritate uteretur. Cenomanus, jam inclinata aetate gravis, ſerius Romam pervenit VII Kal. Martias, in itinere ſalutato Sabaudiae duce; cui, poſt ſolemnem de bona regis valetudine nuncium, ſignificavit, ipſum propediem procerum et primariae nobilitatis, quae ſe in revincenda populorum ac perduellium amentia egregie animatam oſtendebat, ope res in regno turbato compoſiturum, et tam ſectarios, quam alios qui ex Galliae calamitatibus commodum aucupabantur, in ordinem coacturum. Salutavit et in itinere Ferdinandum magnum Etruriae ducem, longe aliter affectum, quippe recenti affinitate, quam adverſus ſuſpectam ſibi Hiſpanorum magnitudinem ambiverat, obſtrictum, et in apparatibus nuptialibus ſumma magnificentia ſtructis occupatum. A quo de aulae Romanae ingenio ac moribus egregie inſtruitur: regi ſummum in propriis viribus ac potentia praeſidium fore; ſi res bene illi primis hujus motus initiis in Gallia ſuccedant, amicos Romae quamplurimos, atque adeo ipſum pontificem; ſin ſecus, eoſdem infeſtiſſimos hoſteis habiturum: proinde, ex rerum in Gallia gerendarum eventu pendere hujus negotii Romae tractandi exitum: ipſi oratori ſummopere enitendum, ut rumores induſtrioſe ſparſos de potentia foederatorum et deplorata regis fortuna elevet, et florenteis adhuc regis vireis eſſe oſtendat, et vigere in regni proceribus et nobilitate regii nominis amorem, qui per populorum et perduellium furorem magis quotidie in eorum animis acuitur. Poſtquam Cenomanus Romam venit, re cum Jouſa cardinali et Piſanio communicata, ad pontificem ſimul omnes adeunt, nam Jouſa intereſſe voluit; benigneque exceptus in ſpeciem et auditus eſt Cenomanus: qui, multa praefatus de egregia regis ad bellum contra ſectarios perſequendum voluntate, decreviſſe ipſum dicit ad exercitum ire, ſimul ac motus nuper exortos compoſuerit, quod brevi fore ſperet; nam potiorem regni partem in officio perſeverare, et proceres ac nobilitatem fere omnem; in civitatibus autem praecipuos opibus ac dignitate civeis ac magiſtratus, quanquam pleriſque locis plebis furori cedere tutum exiſtiment, fidem tamen in occulto ſervare; et, ſimul ac populi a primo furoris calore tepuerint, occaſionem capturos: vulgus ipſum audacia turbidum, ſi vim non metuat, ubi hoſtem ad portas, agros continua excurſione vaſtatos, bona in incerto, commeatus anguſtiam ſenſerit, mox poenitentia ſubeunte potentiori ſe applicaturum: jam [c] Nivernium, deducto e [d] Pictonibus exercitu, ad regem veniſſe, et confluere in dies nobilitatem; qua fretus rex, et nemine in armis contra comparente, quis enim poſſit? civitates brevi ad extremam inopiam redactum iri: non defuturas regi opes et ſuas et vicinorum principum foederatorum, quippe qui in ipſius fortuna ſuam verti animadvertant: et longe diverſam populorum et regis conditionem eſſe; nam ipſis conducere ut ab incepto deſiſtant, ſi pacem habere volunt; regi, ut vitam et fortunas in tuto collocet, ne abſiſtat, neceſſitatem a fortuna imponi: itaque rerum peritis de eventu dubitari non poſſe:

INTERPR. [a] *de Pilles abbé d'Orbays.* [b] *d'Angennes evêque du Mans.* [c] *le duc de Nevers.* [d] *Poictou.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS III.

poſſe: ſed hoc regi dolere, quod vireis contra ſectarios deſtinatas alio vertere neceſſe habuerit: id iniquitate adverſariorum factum eſſe, qui turbas quaerunt: ipſum, qui prima militiae tirocinia contra ſectarios, Caroli fratris auſpiciis, feliciſſime fecit, ubi ad regnum venit, cum vi armata ſectarios perſequi in animum induxiſſet, Alençonii fratris motibus retardatum aliam viam inſtitiſſe; et experientia comperiſſe, pace quam armis in regno legitimo melius rem confici: nam factiones, quibus ſectarii conſtant, bello ali, et contra pace diſſolvi: id vidiſſe adverſarios; et cum jam ſectarios ſine armis prope victos cernerent, ne ipſi ſine turbis eſſent, aut regnum eorum armis carere poſſet, protinus bellum alieno maxime tempore excitaſſe, et, quod exteri minime neſciunt, externis opibus adjutos, bene procedens contra ſectarios pacis negotium intempeſtivo bello conturbaſſe: regem nihilominus, quanquam invitus faceret ut a bello imparatus belli viam inſiſtere cogeretur, tamen, ne Catholicorum cauſam divideret, ceſſiſſe, et arma contra ſectarios reſumpſiſſe; illos autem arma ſemel ſumpta, non in ſectarios, ſicuti oportuit, ſed contra Catholicos ſtrinxiſſe; civitates in Picardia, Provincia, ubi nulla Proteſtantium mentio, occupaſſe; Lutetiae et in conſpectu regis fidem eorum ſolicitaſſe, ſecretas coitiones habuiſſe, cum externis principibus Gallico nomini infeſtis conſilia agitaſſe: itaque in [a] Aquitania a Meduanio, aliis rebus et conciliandis ſibi privatim provincialium animis intento, parum contra ſectarios profectum; et anno ſequenti cum in Santonibus male a Jouſa pugnatum eſſet, irritatis Germaniae et Helvetiorum crabronibus, omnem Galliam externo milite impletam eſſe: mox autem cum immanes illae copiae regis prudentia ac virtute deletae eſſent, id regem, qua pietate eſt, non ſibi ſed Dei clementiae tribuiſſe, qui ut olim numeroſum Sennacheribi exercitum per angelum ſuum, ſic nunc innumeras Proteſtantium copias potentis brachii virtute diſſipaverit: quae exinde ſunt ſecuta, ſcire omneis et ipſum pontificem; quae conſilia [b] Catalauni, in [c] Sueſſionibus, in ipſa urbe Lutetia, contra regem regnique tranquillitatem agitata fuerint, neminem ignorare; et, ne in ſolos rumuſculos, qui jactabantur, ac non etiam in apertam violentiam erumperent, Guiſium, quamvis prohibente rege, cujus jampridem auctoritatem flocci facere et imperia ſpernere per armorum licentiam didicerat, veniſſe, et adventu ſuo omnia miſcuiſſe: ulteriora pudori quam excuſationi propiora libenter omitti, ac vereri merito regem, ne potius patientiam ſuam nimiam homines damnent, quam in iis quae poſtea acciderunt ſeveritatem accuſent: nam, cum ad extremum omnium remedium deveniſſet, et, ſarta utcunque inter Catholicos concordia, ordinum comitia convocaſſet, Guiſium fratremque ejus, qui eodem tempore, quo Guiſius Lutetiam, ipſe armatus [d] Auguſtobonam Tricaſſium occupaverat, quanquam ambo ab omni ſe foedere et ſecreta coitione diſceſſuros religioſe promiſiſſent, ad vomitum rediiſſe, et pernicioſiora adverſus regem, ante oculos ipſius, quam cum longe aberant, impunitate audaciam faciente, molitos eſſe; ac poſtremo regem compuliſſe, ut, ſi ſe regnumque ſalvum cuperet, perniciem ſibi ab illis imminentem non niſi ipſorum pernicie evitare potuerit: in eo potius ex neceſſitate quam a propria voluntate conſilium cepiſſe regem, quippe a ſuorum ſanguine fundendo ſemper alienum; et, quanquam dictorum factorumque rationem nulli reddere teneatur, tamen, ut pietatem ſuam magis pontifici et univerſis teſtatum faceret, oſtenderetque quam praecipuo honore ipſum et ſanctam ſedem ſemper coluerit, de omni re voluiſſe eum certiorem facere, ſimulque edocere, quam rationem pacandae conſcientiae iniverit, poſtquam ei de cardinalis Guiſiani morte ſcrupulus injectus eſt: de cujus dignitate minime cogitaſſe regem, cum mortem ejus imperavit, ſed tantum ad ſalutem propriam et regni tranquillitatem reſpexiſſe, vero verius

INTERPR. [a] *Guienne.* [b] *Chaalons ſur Marne.* [c] *Soiſſons.* [d] *Troyes.*

verius eſſe: ſic autem conſcientiae conſuluiſſe, ut, petita a confeſſore abſolutione, ſe tutum exiſtimet; id quippe juris ſecreto diplomate ab ipſo pontifice paucos ante menſeis conceſſo ſibi fuiſſe, ut hujus et gravioris cujuſcunque facti coram ſacerdote confeſſi plenam gratiam conſequi potuerit: haec voluiſſe regem ut pontifex ſciret, ac rogare, ut ſibi ad majorem ſatisfactionem, ſi ita videatur, benedictionem ſuam impertiatur. Cum Cenomanus pluribus verbis per horae ſpatium haec diſſeruiſſet, pontifex benigno vultu ac oratione temperata excepit; et, omiſſis quae de Guiſianorum machinationibus, et impedimentis ab ipſis huic bello datis, et regis contra egregie factis, a Cenomano dicta erant, tantum oblique innuit, longe aliter ſe de iis edoctum: nam, quod ad Aquitanam [a] Meduanii expeditionem ſpectat, ſcire ſe multo majora praeſtari potuiſſe, niſi regii ipſi obſtitiſſent, et regina parens regis juſſu in Pictones veniſſet, et cum Navarro de pace egiſſet: de immanibus Germanorum copiis cum Sennacheribi exercitu recte comparatis cum rege ita ſentire, non hominum manibus, ſed a Dei angelo profligatas eſſe; verum angelum illum fuiſſe Guiſium, cujus opera in Germanis delendis Deus uti voluerit: quid poſt edictum unionis in comitiis actum ſit, haud ſe valde curare; et regem, ſi quid illi praeter opinionem accidit, ſibi imputare debere, qui tam alieno tempore, cum ſtrenue bellum adverſus ſectarios gerendum, non de republica diſputandum erat, regni ordines convocaverit: de Guiſii morte item non loqui; nam eum regi ſubditum fuiſſe, et regem, tanquam necis vitaeque poteſtatem in ſuos habentem, arbitrio ſuo de ipſo ſtatuere potuiſſe; et tamen judiciorum ordinem in eo negotio ſervari debuiſſe: de cardinalis caede, qui non regis, ſed ipſius pontificis et ſanctae ſedis ſubditus fuerit, ſibi ſatisfieri petere; nam cardinaleis omneis principum juriſdictioni exemptos, ſoli pontifici ſubjici; item archiepiſcopos et epiſcopos; ad idque ſolemni jurejurando, quod ineundae dignitatis auſpiciis praeſtant, obligari. Tum multa de dignitate cardinalium, praerogativa, libertatibus, immunitatibus magnifice addita: magnam injuriam ſacro collegio factam, ex eo auctam, quod, integrum diem ſervatus, poſtea juſſu regis interfectus ſit; idque oſtentatione inſolenti in hac aula et paſſim per orbem Chriſtianum jactatum eſſe: atqui potuiſſe majori cum moderatione, et ſine publicae offenſionis periculo, id peragi: Ferdinandum regem Romanorum non talem ſe in Georgii Martinuſſii cardinalis morte praebuiſſe, ſed culpam caedis ejus in milites prudenter rejeciſſe: idem in morte cujuſdam epiſcopi in Pannonia occiſi factitatum: habuiſſe regem penes ſe legatum arbitrio ſuo contra ſacras conſtitutiones creatum, cui conſignare cardinalem Guiſianum potuerit, eumque captivum tenere, ſub legati et ſanctae ſedis nomine; tum Romam mittere, et in captivum accuſationem intentare: nam pontificem, juris et aequi acerrimum vindicem, in convictum ſumma cum ſeveritate animadverſurum fuiſſe: nec excuſationis loco accipere, quod dicitur, ſi diutius cardinalem ſervari juſſiſſet, periculum a ſeditione fuiſſe, et a populorum defectione, quam longiore mora interjecta proculdubio factioſi excitaturi fuiſſent; nam ad regis officium ſpectare, ut ipſi obſequium ſuorum conſtet: reginam Anglorum foeminam et haereticam potuiſſe diu captivam cuſtodire Mariam Scotorum reginam ipſius juriſdictioni minime ſubjectam, et tot magnis principibus conſanguinitate et adfinitate conjunctam, atque ad ultimum indigno ſupplicio afficere; cur non idem potuiſſe regem? Poſtremo ſic colligebat pontifex, regem ob interfectum cardinalem in cenſuras commiſiſſe, et proinde abſolutione egere, ſicuti jam [b] Piſanio praedixiſſet: nec enim abſolutionem vi diplomatis ſecreti conceſſam, qua ſe tutum rex exiſtimet, ſufficere: nam diploma illud minime ad caſus futuros extendi; nec unquam eam ſibi mentem fuiſſe, ut regi peccandi libertatem faceret: et, ut detur etiam

INTERPR. [a] *le duc de Mayenne.* [b] *le marquis de Piſany.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS III.

etiam ad caſus futuros extendi, ſaltem ad tam atrox crimen, quod diſerta expreſſione opus habeat, porrigi non poſſe: ejus autem eſſe, qui diploma condidit, illud interpretari: proinde a Cenomanus abſolutionem peteret, aut poſtulata ſua ſcripto comprehenderet, quod cum delegatis cardinalibus communicaturus eſſet: nam huc uſque judicium ſuſpendiſſe, ea ſpe, ut rex plene de tam atroci injuria ſatisfaceret. Ad haec Cenomanus replicat; de epiſcopis et ſacris perſonis omnem cognitionem, in iis quae ad ipſorum functionem pertinent, ad pontificem pertinere; neque id ambigi: ſed eoſdem, ratione bonorum et locorum in quibus degunt, principibus obſequium debere, et eorum juriſdictioni in cauſis quae publicam tranquillitatem ſpectant ſubeſſe: neque in id juriſdictione principum exemptos eſſe, ut liceat illis impune, ſpreta eorum auctoritate, ſeditiones et rebelliones excitare. Heic plura dicturum interfatur pontifex, monetque videret, ne quidquam, quod illi moleſtiam faceſſeret, inconſiderate excideret. Cum pergeret nihilominus Cenomanus, neque per mandata ſua ſibi licere oſtenderet, ut ſupplicem libellum aut ſcriptum ullum porrigeret, multo minus ut cum cardinalibus ageret, tantum ſibi imperatum, ut a pontifice, qui ſolus poſſet, et cui ſoli hunc honorem ultro rex deferret, benedictionem peteret; rurſus pontifex retulit, non videre ſe, quomodo rex benedictionem peteret, qui in delicto ſuo perſeveraret, cardinali Borbonio et Lugdunenſi archiepiſcopo, qui ſolius pontificis juriſdictioni ſubjacerent, in carcere retentis. Cui a Cenomano reſponſum, minime conſultum viſum regi, rebus turbatis, cardinalem libertati reſtituere; quod facturus eſſet, quamprimum illas compoſuiſſet: quod et de Lugdunenſi dictum intelligeret. Cum ſemper urgeret pontifex, ut ſcripto petitionem ſuam Cenomanus complecteretur, ille per mandata ſua non licere reſponderet, cardinalis Jouſa, qui videret contentione pontificis animum, quem placare cupiebat, exacerbari, alia eſſe regis mandata retulit, de quibus cum illo acturi eſſent; et ita tunc diſceſſum eſt. Poſtridie pontifex delectorum cardinalium concilium cogit, et ſummo ſecreto negotium agitavit, ita ut nihil a noſtris de eo reſciri potuerit. Interea Cenomanus ſingulos cardinaleis regis nomine ſalutavit, non ut eos tanquam judices adprobaret, ſed ut placatos et adſtipulatores in ea cauſa apud pontificem haberet. Inter eos qui deliberationi interfuerant, alii omnino ſilebant, alii, conceſſa in vim diplomatis abſolutione, ſatis regi cautum negabant. Cenomanus contra abſolutionem vi diplomatis conceſſam ſufficere contendebat, neque propterea dici poſſe, regem in cenſuras eccleſiae commiſiſſe: nam id juris eſſe Franciae regibus regnoque Francorum, ut in cenſuras, quas vocant, latae ſententiae incurrere non poſſint: conſtitutiones autem in gratiam cardinalium factas minime reges noſtros obligare, qui ſpeciatim in iis expreſſi non ſint; et, ut obligare poſſint, eas prius in regno promulgari oportuiſſe; quod minime factum ſit: neque vero, ut haec omnia locum habeant, regem, quod ſalutis expediendae cauſa extrema neceſſitate victus, et cum aliter praeſens regno ſibique impendens exitium vitare non poſſet, quanquam juris ritibus minime ſervatis fecit, eo facto in cenſuras eccleſiae commiſiſſe: eccleſiaſticos regum juriſdictioni, in rebus quae ad civilem adminiſtrationem ſpectant, ſubjacere, maxime in Francia, ubi epiſcopi non aliter in dioeceſi ſua admittuntur, quam fidei juramento regi inter magni eleemoſynarii manus praeſtito; atque inter eos qui pares Franciae ſunt, qualis fuit olim cardinalis Guiſianus, peculiari privilegio de capite coram aliis judicibus cauſam dicere, quam in ſenatu Pariſienſi, quae curia parium dicitur, cogi non poſſe: et legibus regni multos caſus eſſe, in quibus ſacrae perſonae ita ad judicem eccleſiaſticum remittuntur, ut is de cauſa cognoſcere non poſſit, niſi vocato judice regio; nec reos vinclis exuere, niſi vocato et conſentiente

cognitore

INTERPR. a *l'evêque du Mans.*

cognitore regio: denique ſenatum ipſum prudenti majorum inſtituto ita a regibus noſtris ordinatum, ut, cum aequali numero eccleſiaſticorum et laicorum conſtet, tam ſacris quam ſolutis perſonis ſalva privilegiorum libertate jus dicat. Cum inter has diſſertationes aliquot dies elapſi eſſent, Cenomanus rurſus cum Piſanio pontificem convenit v Non. Martias, qui in Veneris diem incidebat. Cum ſeriem rerum a ſe proximo colloquio explicatarum de Meduanii et Guiſii conjurationibus amplius confirmare vellet, pontifex, jam renudata aperte voluntate commotior, dicentem interpellat; nihil ſe haec morari: de injuria eccleſiae in morte Guiſiani cardinalis facta agi, cui ſatisfacere rex aliter non poſſet, quam ſolemni ritu petita et accepta a ſe abſolutione: praedictum illi eſſe, quid facto opus eſſet: aut regem ſe eccleſiae obedientem filium agnoſcere, aut occaſionem ab ea diſcedendi quaerere; utrum vellet, eligat. Cum Cenomanus replicaret, nunquam regem de diſceſſione cogitaſſe, idque hoc, quo nunc ipſe ejus nomine defungatur, officio ſatis teſtatum facere, rejectis opimis admodum conditionibus undique ei oblatis, quas vix alii pari pietate in has anguſtias per inimicorum factiones redacti reſpuiſſent; ille eadem quae prius repetiit, tam atrox crimen abſolutione egere contendens; ſubindeque exprobrat eximiam, qua regem hactenus proſecutus fuerat, benevolentiam, ultro etiam oblatis ad bellum contra ſectarios acriter gerendum XX CIↃ peditum et IV CIↃ equitum; quas conditiones rex ſumma ſeu praevaricatione ſeu ingratitudine recuſaſſet, et tantum II CIↃ peditum et IↃ equites accepiſſe, debile utique ad tantam rem conficiendam ſubſidium, quod proinde ipſe concedere noluiſſet. Heic Piſanius, vanitatem tantam citra regis injuriam ſine reſponſo praeteriri non poſſe exiſtimans, conſtanti vultu retulit, regem has conditiones ut novas et inſolenteis prudenter rejeciſſe, nec e re ſua judicaſſe, tot hoſpites armatos in regnum factionibus ſciſſum introducere. Cum rurſus urgeret pontifex, ut captivi in legati manus conſignarentur, quos ipſe, miſſis qui eos Romam tuto deducerent, pro merito caſtigaturus eſſet, et, ſi periculum eſſet in deducendis iis, etiam Parmenſem, ſi opus eſſet, id negotii ſuſcepturum diceret; rurſus Piſanius ſubjecit, nolle regem ut Parmenſis ſe rebus ſuis immiſceat. Inde repetiti primi ſermones, pontifice ſemper urgente ut ante omnia captivi ſibi traderentur; et Cenomano contra inſtante, ut, quando res diuturniore mora interjecta in ſummo verſari periculo appareret, interim abſolutionem per vicarium diplomate ſuo conſtitutum impertitam benedictione ſua ratam habere dignaretur. Cum nulla ratione a propoſito dimoveri poſſet pontifex, et captivos ſiſti, ac ſolemni more, libello ſupplice porrecto, abſolutionem a rege peti debere contenderet, Cenomanus, ut prudentiam ſuam in conſilium adhiberet, rogavit; multa interea accidere poſſe oſtendens, quae res adhuc integras eo adductura eſſent, exacerbatis partium animis, ut nulla ratione poſtea componi poſſint: ſaltem decretum theologorum Pariſienſium, per ſe injuſtum et abſurdum, et inſolenti temeritate a factioſis, ſpreta pontificis et ſanctae ſedis auctoritate, ubique promulgatum, revocaret; nam eo fieri, ut pleraeque animae ſummo ſalutis aeternae diſpendio periclitentur. Ad hoc pontifex, temerarium Pariſienſe decretum ſe agnoſcere teſtatus, tamen eo parum moveri viſus eſt, ſubinde dictitans, faceret rex quod deberet; ſe viciſſim, quod ex officio ſuo eſſet, facturum: Ludovicum XI olim, ob injurioſe carcere detentos [a] cardinalem Baluam et Virodunenſem epiſcopum, palam in cardinalium conſeſſu per oratores ſuos abſolutionem petiiſſe: licere Cenomano, ut cum delectis cardinalibus de eo negotio agat. Ita diſceſſum, cum legati ad regem ſcripturos ſe recepiſſent: reque inter Jouſam cardinalem et Piſanium et ipſum Cenomanum conſultata, cum id agere

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *le cardinal Balue, & l'evêque de Verdun.*

CIƆ IƆ LXXXIX. agere pontificem appareret, ut, capta ex publica regni calamitate occaſione, regem
HENRICUS III. ad res ſe nomineque Francico indignas adigeret, et cauſam ejus cardinalium cognitioni ſubjiceret, id ſibi ſumme cavendum ratus Cenomanus, tamen officioſe Jul. Antonium [a] Sanctorium, Jo. Ant. [b] Fachinetum et Scipionem [c] Lancilotum cardinaleis inviſit, et triduo poſt tertio ad colloquium admiſſus eſt cum Piſanio; et tum primum argumenta, quae antea apud cardinaleis adduxerat, e jure Gallicano prompſit, praefatus ſe in mandatis minime habere ut ea coram pontifice proponeret; tamen noluiſſe celare pontificem, fore, re in deliberationem adducta, ut ea a conſiliariis ac theologis, qui circa regem ſunt, proponantur. Quibus breviter a Cenomano expoſitis, pontifex, qui violentas ad horrida libertatis Gallicanae verba aures adhiberet, ſtatim excanduit, et nugas iſtas eſſe dixit, quae ſectarium virus redolerent; a quibus niſi abſtineretur, et quamprimum, quantum ad captivos et abſolutionem neceſſariam, ſatisfieret, diras regi et carcerem Cenomano interminatus eſt. Quo audito Piſanius, qui violentiam tantam non ferret, et leni ſed gravi ſermone de cultu et obſequio, quod ipſius dignitati debeatur, proteſtatus, id legatis principum ſemper juris fuiſſe et eſſe conſtanter aſſeveravit, ut libere ſine poenae et carceris metu mandata ſuorum principum exponerent: ſe quidem coram ipſo demittere, et praecipui cultus ſignificatione vel terram deoſculari paratos; de cetero, quo minus officio fideliter defungantur, non carceris metu, non vitae ipſius periculo, non ſi capita ſua ad [d] pontem Tiberinum ſiſti oporteat, poſſe deterreri. Ad generoſi viri verba pontifex, qui ejus animum noſſet, nihil reſpondit, ſed aliorſum ſermone flexo ad abſolutionem et captivos rediit, et in propoſito ſe obfirmatum oſtendit. Sub id a rege venere literae VI Kal. Mart. datae, quibus rex, non exſpectatis ſuorum oratorum literis, belli et turbarum impatiens mandabat, ut ſuo nomine abſolutionem a pontifice peterent: de quibus cum pontificem reſciviſſe cognoviſſent, re prius cum Jouſa cardinali communicata, et formula petendae abſolutionis, de qua inter ipſos convenerat, praeſcriptis verbis concepta, III Eid. Mart. ad ipſum redeunt; et Cenomanus, excuſatis quae pro abſolutione, regi vi ſecreti diplomatis conceſſa, tanquam legitime facta, initio dixerat, non id mandato regis ſed ex negotii neceſſitate feciſſe, nunc ſe alia mandata a rege habere declaravit; et rex, inquit, quod initio extrema neceſſitate victus pro regni et propria ſalute fecit, jure ſe feciſſe exiſtimavit, nec propterea in cenſuras incurriſſe: cum nihilominus ei injectus eſſet ſcrupulus ob cardinalis caedem, ſtatim ab eo, cui a pontifice poteſtatem factam perſuaſum habebat, ſecreti diplomatis vi abſolutionem petiit, et impetravit; qua ſe in omnem eventum tutum putavit, donec ex literis cardinalis Jouſae et Piſanii cognovit, aliam ſanctitatis veſtrae voluntatem eſſe; cui ut ſe morigerum praeberet, quanquam ſe nullo conſcientiae morſu tangi ſentiret, mihi mandavit, ut ab ea abſolutionem peterem. Tum in genua procumbens, peto a te, ſanctiſſime pater, abſolutionem regis Chriſtianiſſimi nomine, quam demiſſe et reverenter poteſt humilis et devotus eccleſiae filius ab eccleſiae capite et communi parente, ſupplexque poſco, ut benedictionem tuam ei impertiri, ipſumque paterno affectu complecti, et in gratiam, atque iiſdem, quibus antea fungebatur, honoribus, recipere digneris. Supplicem benigne audire viſus Sixtus, moxque ſurgere juſſum juxta ſe ſedere juſſit, minime data abſolutione: nam hoc impetrato, vir potentiae nimius etiam illud ſperabat, ut rex cardinalem Borbonium et Lugdunenſem archiepiſcopum Romam in triumphum ducendos concederet. Quod non ſolum minime regi tutum, ſed regno dedecoroſum ſumme erat; in quo regi, contra cujuſcunque dignitatis perſonas, de crimine laeſae majeſtatis, ceſſante omni privilegio, decernendi et cognoſcendi jus eſt; et peculiari

praerogativa

INTERPR. [a] *Santorio.* [b] *Fachinetto.* [c] *Lancilotto.* [d] *le pont du Tibre.*

praerogativa regii ſanguinis principes hoc jus habent, ut tantum in parium curia, hoc eſt, in ſenatu Pariſienſi convocatis omnibus claſſibus, cauſam dicere teneantur. Alterum cum minis ſibi extorſiſſe videretur pontifex, alterum blandimentis obtinere ſtatuit; et multis promiſſis, ſi captivi in manus legati conſignarentur, legatos oneravit, multum ſe angi calamitatibus regni ſignificans, ut nec ſomnum capere poſſet; ſuſpiriiſque crebro emiſſis, ita credi volebat: ſubinde prudentiam regis accuſans, qui non eadem diſſimulatione uſus eſſet, qua Ferdinandus in morte Georgii cardinalis, atque adeo Caroli v, qui in direptione urbis, veſte lugubri ſumpta et ſupplicationibus per Hiſpaniam indictis, publicum luctum teſtatus erat. Cum urgeret Cenomanus, quando de morte cardinalis Guiſiani plene ſatisfactum juxta pontificis deſiderium eſſet, ut abſolutio impertiretur, aut interim ſaltem, ad ſiſtendum rebellionum torrentem, publica declaratione decretum theologorum Pariſienſium revocaretur, nihil obtineri potuit a pontifice; qui, ſicuti exitus docuit, ex rerum eventu conſilium in hoc negotio capere apud animum ſuum conſtituerat. Juſſi legati ad regem quam citiſſime de captivis tradendis ſcribere.

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

XV. INTEREA, ne tempus triſtibus tantum negotiis tractandis efflueret, pontifex laetioribus animum intendit, et Flaviam et Urſinam ex ſorore Camilla nepteis, et Alexandri [a] Montalti cardinalis ſorores, duobus nobilitatis Romanae primariis regulis Virginio [b] Urſino Bracciani duci et M. Antonio [c] Columnae deſpondit, dicta ſingulis c aureorum CIↃ dote. Nuptiae magna pompa celebratae ineunte Aprili; quibus peractis Virginius, uxore Romae relicta, Florentiam, unde venerat, revolat, ut Ferdinandi magni Etruriae ducis avunculi nuptiis intereſſet. Chriſtierna ſponſa, petito a rege avunculo commeatu, [d] Bloeſis [e] Lugdunum xv Kal. April. venerat; ubi obviam habuit Dorotheam amitam, Erici Brunſvici ante quadriennium mortui viduam: cum qua per Rhodanum devecta [f] Maſſiliae, quo ad eam excipiendam Petrus Medices mariti frater magno cum triremium numero, in quibus praeter Etruſcas, pontificiae, Genuenſes, et Melitenſes erant, venerat, triremem regie inſtructam conſcendit, et Genuae Chriſtiernam aviam Chriſtierni II Daniae regis filiam, quae [g] Dertona illuc deſcenderat, ſalutavit; et inde iter inſtitutum perſecuta eſt, [h] Piſis perhonorifice excepta; et pridie Kal. Maias ad [i] Pratenſem portam ab ipſo marito coronam accepit, depoſita veſte lugubri, quam huc uſque ob mortem Catharinae aviae regis matris geſtaverat: poſtea ingenti ac regali paratu urbem Florentiam ingreſſa eſt. Nuptiae eodem die celebratae; quibus interfuerunt Franciſcus Jouſa, Jo. Vincent. Gonzaga, Aſcanius Columna, et Montaltus cardinales, Vincentius Mantuae dux, qui eodem anno velleris aurei torquem a Philippo acceperat, [k] Caeſar Ateſtinus, qui Virginiam Ferdinandi ſororem in matrimonio habebat: quos cum ludis, pompis, et artificioſae ſcenae ingentique ſumptu exſtructae ſpectaculis aliquot dies detinuiſſet, peramanter a ſe dimiſit.

XVI. JAM de defectionibus urbium tota Gallia nunciabatur. Nam Pariſienſium et Aurelianenſium exemplo [l] Autricum Carnutum, [m] Samarobriga Ambianorum, incentore illo ipſo [n] Regio praetore quem rex nuper dimiſerat, nec non et urbis epiſcopo Godofredo [o] Martonio, mox rebellavit: et, ut defectio ingenti ſcelere cumularetur, etiam violato jure gentium, Maria Borbonia Longavillanorum parens, Franciſcus [p] Aurelianus Fani-Pauli comes cum ſorore capiuntur, nec niſi perſoluto immani pretio diu poſt libertati reſtituti ſunt: dein et [q] Abbatis-villa [r] Pontivenſis comitatus metropolis: quae duae urbes, ad [s] Somonam in limite Belgico poſitae,

ante

INTERPR. [a] *da Montauto.* [b] *Orſino duc de Bracciano.* [c] *Colonna duc de Tagliacozza.* [d] *Blois.* [e] *Lyon.* [f] *Marſeille.* [g] *Tortona.* [h] *Piſa.* [i] *porta da Prato.* [k] *Don Ceſare da Eſte.* [l] *Chartres.* [m] *Amiens.* [n] *le Roy.* [o] *de la Marthonie,* [p] *d'Orleans comte de S. Paul.* [q] *Abbeville.* [r] *le comté de Ponthieu.* [s] *la Somme.*

ante Guiſii mortem cum Jo.[a] Monlucio Balagnio Cameraci gubernatore ſecretum foedus icerant. Nec Rotomagenſes, quae [b] civitas [c] Neuſtriae caput eſt, diu poſtea quieverunt: nam, rumore ſparſo, quaſi ſectarii ad portas eſſent, id erat ſolemne ciendae ſeditionis ubique verbum, factioſi v Eid. Feb. [d] Tanaquillum Venatorem Carrugium urbis praefectum, virum alioqui plebi gratum ac regi fidum, circumſtant, et plebi commotae, ſi urbem pacatam cupit, demendum metum oſtendunt; non autem aliter demi poſſe, niſi arces in poteſtate ſint oppidanorum. Ita ſingulas arces unam poſt alteram a viro bono, et qui benevolentia plebis fidebat, recipiunt, ipſumque mox, ſuperveniente Aumalio, urbe ejiciunt. Mox adacti ſacramento oppidani foederationi novae nomina dant, ſenatu praeeunte, cum jam Claudius [e] Groulartius curiae princeps, et primarii ex eo ordine praeſides et ſenatores urbem deſeruiſſent; qui poſtea [f] Cadomum ſe contulerunt, et toto belli tempore jus in ea urbe regia auctoritate dixerunt. Nec multo poſt pridie Eid. Febr. [g] Cenomanorum civitas, quae admodum debili arce fraenabatur, laniorum tumultu et hujuſmodi caedibus aſſuetorum hominum, quibus quidam e ſacro ordine animos faciebant, excitato, defecit, occiſis aliquot regi fidis, et ipſo praefecto graviter vulnerato et capto: is erat Philippus [h] Angenneus Fargius e [i] Rambulieta familia epiſcopi urbis frater, juvenis rara eruditione incertum an virtute bellica illuſtrior; qui mox ſub cuſtodiam Lutetiam ductus eſt, et cum fratre [k] Poignio in Baſtiliam detruſus. Seditioſis in urbe ſe ducem praebuit Urbanus [l] Lavallus Boſcodelfinus, qui nuper Bloeſis juſſu regis captus fuerat, et mox fide obſtricta et obſidibus fidei ſuae datis, Ludovico [m] Roano Monbazonii duce et Nicolao [n] Grimovilla Larchantio ſtipatorum corporis praefecto, dimiſſus; ſed ſive vim cauſatus, ſive, quod paſſim [α] perfidiae obtendebatur, religionis praetextu, ſtatim ad hoſtes tranſiit: nam pravo tunc more invaluerat, ut, animis a perverſa concionatorum, et eorum qui poenitenteis in ſacris confeſſionibus audiebant, doctrina, [β] nuper a novitiis theologis introducta, praeoccupatis, fidem regi fallere pro ludo haberetur, et vero a pleriſque religioſum duceretur. [o] Melodunum x ab urbe leucis ad Sequanam opportunum ſitu oppidum, quod Triſtanus [p] Roſtinius ſumma animi conſtantia huc uſque tenuerat, omni ope deſtitutus, partim vi extrema, cui ſuſtinendae impar erat, partim internis motibus coactus, ad extremum deſeruit. [q] Silvanectum, quod totidem leucarum ſpatio ab urbe diſtat, Nicol. [r] Livrius Humerolius urbis praefectus, quantum in ipſo erat, in obſequio continebat: ſed nullis externis viribus adverſus factioſos adjutus, tandem, Seguino quodam inſtigante, ceſſit; et, [s] Sanſimone Raſſio e vicina nobilitate Guiſianis obnoxio in urbem introducto, ſeditioſi tenuerunt, ut oppidani unione ſancita ſe Pariſienſibus conjungerent. Quam ad rem magnum momentum attulit Gulielmus [t] Roſa urbis epiſcopus; qui cum ea dignitate a rege ornatus eſſet, multis inſuper beneficiis ab eo cumulatus, tamen nemo erga regem regiumque nomen in concionibus virulentior, nemo in commovendis ad ſeditionem animis acerbior fuit: quod inſigne deteſtandae ingratitudinis exemplum inter alia multa, quorum ſaeculum feraciſſimum fuit, merito numerari potuit: quanquam id alii potius furori aſcribebant, quo interdum ille per intervalla [γ] tentabatur. Exemplum *Silvanectenſium* ſecuta circumpoſita

oppida,

VAR. LECT. [α] defectiones *Ed. Gen.* 1620. [β] nuper a patribus Jeſuitis introducta, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.* [γ] tentabatur; quem et ei rex aliquando exprobraverat, cum liberius in ipſum et aulicos invectus eſſet, quod carniſprivii diebus majore laſcivia luſiſſent. Exemplum Silvanectenſium *MSS. Reg. et Sam. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Montluc de Balagny gouverneur de Cambray.* [b] *Rouen.* [c] *Normandie.* [d] *Tanneguy le Veneur Sr de Carrouges.* [e] *Groulart premier preſident.* [f] *Caen.* [g] *le Mans.* [h] *d'Angennes de Fargis.* [i] *de Rambouillet.* [k] *le Sr de Poigny.* [l] *de Laval de Bois-Dauphin.* [m] *de Rohan duc de Montbazon.* [n] *de Grimoville Sr de Larchant.* [o] *Melun ſur Seine.* [p] *de Roſteing.* [q] *Senlis.* [r] *de Livry Sr de Humeroles.* [s] *de Raſſes Sr de S. Simon.* [t] *Roſe.*

oppida, [a] Crepiacum in Valeſio agro, in quo et arx Petrofundana, jam ante a factioni addictis occupata, multum damni vicinis provinciis dabat; [b] Pons Fani-Maxentii, et Creolium ad Eſiam, [c] Claramontium in Bellovacis. Sed mox Silvanectenſes poenitentia ducti mutarunt, et inſigni cladi a foederatis acceptae tempeſtiva ſua poenitentia cauſam dederunt. Jam ante eos, pari fide, quanquam non eodem ſucceſſu, Catalaunenſes in Campania regium nomen tutati fuerant: cui civitati cum, Coſmo [d] Clauſſa epiſcopo annitente, Chriſtianus [e] Savinius Ronaeus a Guiſio provinciae praeſide praepoſitus eſſet, et ipſe aſtu praeſidiarios in urbem munitiſſimam introducere conaretur, oppidani generoſe reſtitere; et poſt Guiſii mortem, interceptis Aumalii ad eum literis, concurſu facto ad ipſius hoſpitium, poſtremo ipſum oppido excedere compulerunt, morte mandantis mandatam praefecturam exſpiraſſe dictitantes: ſtatimque Philippum Thomaſſinum in urbem acceperunt, qui regis nomine ſumma fide et prudentia toto belli tempore loco praefuit. Lugdunum aliquandiu nutavit, urbs regni praecipua, et magnae in Italia ob commercium tota Europa celeberrimum famae, tutantibus in ea regis partes Gulielmo [f] Vadagnio Boteono ſeneſcallo, et Antonio [g] Serverio ac Imberto Solano Grolieriis fratribus, primariis civibus; qui ad extremum urbe pulſi ſunt. Id incidit in VI Kal. Martias, qui dies B. Matthiae ſacer eſt.

XVII. CAROLUS [h] Neovillus Alincurius Mandeloti nuper defuncti [α] gener tumultuantibus ſe ducem praebuit, indignatione ob praefecturae ſibi promiſſae et Nemoroſio poſt mortem ſoceri a rege donatae repulſam concepta, ad quam et acceſſit privata patris nuper etiam aula exacti injuria; quod tamen ipſius parens avuſque [i] Villaregii ſe inſciis et inconſultis factum credi voluerunt. Villaregius filius, antea petito per L. [k] Revolium a rege commeatu, ut in Italiam ſecederet, cum omnem rationem ſe turbis eripiendi fruſtra tentaſſet, ipſe cum patre Lutetiam venit, et ambo a Meduanio invitati ſacramento dicto in concilium unionis allecti ſunt. Lugdunenſes paulo poſt VI Non. Mart. ſcriptum publicant, a Claudio [l] Rubio, homine ad ſuam et urbis perniciem nato, ineptiſſime conſarcinatum; quo facti rationes reddunt, ſummaque impudentia Dei praeceptum de obedientia principibus praeſtanda cavillantur, et, ut religioni et urbis ſecuritati conſulerent, arma contra regem capienda eſſe aiunt, quem ſubinde perfidiae et occulti erga ſectarios atque ipſum Navarrum favoris inſimulant, Eſpernonii ubique nomen in eo importune repetentes, quem licet abſentem pro terriculamento ſtolidae plebi ad ferociam ejus acuendam tanquam praeſentem objiciebant. Secundum haec, capita propoſita, in quae ſacramento omnes adacti, juxta formulam eorum quae nuper Lutetiae concepta fuerant. Ea unionem in ſenatu promulgatam cum Pariſienſibus ac ceteris regni urbibus foederatis ſe ſervaturos, et [m] Genevenſium ducis (ſic Nemoroſium nominabant) praefecti ſui ſe dicto in omnibus obſequenteis fore, promittebant. Claudius [n] Caſtreus Biturigum Cuborum praeſes, qui ſummi caſtrorum praefecti munere nuper in Nivernii exercitu functus fuerat, cum in aulam veniſſet, ſive propter dignitatem hominis, ſive ne rex de ejus fide dubitare videretur, minime jurejurando ab eo exacto, poſt aliquot dies diſceſſerat, magna conſtantis obſequii ſignificatione. Sed poſtquam ille [o] Avaricum venit, cum ita ſe gereret, ut rex, qui de fide ejus tantam fiduciam initio ceperat, jam de ea ex multis indiciis in ſuſpicionem veniſſet, Odardum [p] Fretellum Buium ſemel atque iterum ad ipſum mittit, opimis

VAR. LECT. [α] gener factioſis ſe ducem *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Crepy en Valois.* [b] *Pont S. Maixant, & Creol ſur Oyſe.* [c] *Clermont en Beauvoiſis.* [d] *de Clauſſe evêque de Chaalons ſur Marne.* [e] *de Savigny de Roſne.* [f] *de Guadagne de Boteon ſeneſchal de Lyonnois.* [g] *Grolier Sr de Servieres, & Grolier du Soleil.* [h] *de Neufville d'Alincour.* [i] *de Villeroy.* [k] *de Revol.* [l] *de Rubis.* [m] *le duc de Genevois.* [n] *de la Chaſtre gouverneur de Berry.* [o] *Bourges.* [p] *Freteau Sr de Buy.*

opimis admodum conditionibus oblatis, ut ſummae exiſtimationis ducem in officio contineret. Verum ſub id incidit, ut Sancerrani, qui fere univerſi Proteſtantium doctrinae addicti in occulto erant, arcem, quam exiguo praeſidio tenebat Caſtreus, occuparent, duce et auctore Antonio [a] Grangeo Arquiano Montinii fratre, et eodem tempore Argentoni arx, de qua mox dicemus, in poteſtatem Navarri venerit; quod manifeſta regis rebus Navarri faventis gratia factum interpretabatur Caſtreus. Itaque hinc ſumpta occaſione, cum prius animos oppidanorum tentaſſet, concilium urbis cogit, cui et interfuit Reginaldus [b] Belnenſis Biturigum archiepiſcopus; et, temperata ſuo more oratione, ordines civitatis convocaſſe dixit, non ut cuiquam vim afferret, verum ut quid animi ſui eſſet coram exponeret. Tum, deplorata temporum conditione, eo res deveniſſe oſtendit, ut trium factionum, quae in regno turbato exortae ſunt, una eligenda ſit, neutris manere non liceat: regis praecipuam cauſam eſſe, cui obſequium deberi, nec negari poſſe, ſciat: Catholicorum, quibuſcum fere omnes regni civitates conſilia et vires ſociaverint, et plerique principes, proceres, ac e nobilitate complures ſe conjunxerint, longe potentiorem eſſe: Sectariorum factionem nihil ſe morari, nullo numero habere, niſi quatenus videat regem ſecreta cum iis conſilia magno Catholicae religionis detrimento agitare: Sancerram veterem ſectariorum officinam nuper a regiis captam et a ſectariis regis nomine ſervatam, Argentoniam item arcem a Navarro occupatam, dubitationi nullum locum relinquere: quapropter ſe, qui, niſi religionis cauſa obſtet, et conſcientia ſua repugnet, quibus ante omnia ſatisfaciendum putet, regias partes libenter ſequeretur, decreviſſe, quicquid induſtriae, virium, conſilii habeat, id religioni Catholicae Apoſtolicae Romanae tuendae et exſtirpando ſectario malo impendere: ſi idem ipſorum animus ſit, eadem voluntatum conſenſio, ſe cum iis manſurum; ſin aliter ſentiant, rebus ſuis qua poterit ratione conſulturum, et cum iis qui pro religione Catholica pugnant conſilia ſociaturum, et aut cum iiſdem victoriam reportaturum, aut glorioſe moriturum. Hac animi declaratione veluti ſigno factioſis dato, omnes ſe in ſacrae unionis verba adigi clamore ſublato petunt. Archiepiſcopus tempus ad deliberandum, ſacro ordine convocato, poſcit; et ita, cum bona Caſtrei venia, ſe conventu pro tempore ſubduxit; et poſtea ſine injuria, eodem curante Caſtreo, urbe dimittitur, ex qua ſe in aulam contulit, ubi regiis partibus ſemper poſtea aſſiduam et fidam operam navavit. Defectionem Caſtrei, qui huc uſque diſſimulaverat, maturaſſe conſtat, quod rex, in ſumma pecuniae anguſtia conſtitutus, quartam vectigalium, quae capitatim more noſtro imponuntur, partem tunc collectam inſtantius per ſuos coactores exigeret; quam in provinciae uſus ſervatam cupiebat Caſtreus, neque tamen repoſcenti regi honeſte aut colorata ulla ratione negare poterat, ſi in ejus obſequio manſiſſet. Unione Avarici jurejurando ſolemni ſancita, Caſtreus omnem pecuniam [α] regiam in belli uſus convertit.

XVIII. IN Armorica ſerius res turbaverunt, diſſimulante initio Philippo Emmanuele [c] Lotharingo Mercurii duce reginae fratre et provinciae praeſide, quam, Ludovico Borbonio [d] Monpenſerio avo ejuſque nepoti Henrico [e] Dumbarum principi ademptam, rex ei contra procerum ſententiam donaverat, multum reclamante Philippo Huralto Cevernio, primario tunc regii conſiſtorii conſiliario; qui, cum diploma ea de re confectum eſt, breviculo propria manu regis et a quatuorviris ab epiſtolis ſubſcripto ſibi caveri voluit: ſiquidem, Mercurianus cum ab uxore Maria [f] Luxemburga, tanquam [g] Pentevriae domus herede, jus in Britanniae citerioris principatu ſibi

VAR. LECT. [α] regiam penes ſe retinuit, et ſive in ſuos ſive in belli uſus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de la Grange Sr d'Arquien frere de Montigny.* [b] *de Beaune archevêque de Bourges.* [c] *de Lorraine duc de Mercœur.* [d] *le duc de Montpenſier.* [e] *Dombes.* [f] *de Luxembourg.* [g] *de Penthievre.*

ſibi vindicaret, non ſatis prudenter factum putabat Cevernius, ſi ea praefectura ei attribueretur. Tandem is, tot dignitatibus ac beneficiis a rege cumulatus, item propinqua neceſſitudine cum rege conjunctus, tamen omnia haec ambitioni privatae et temporum occaſioni, quam minime ſibi praetermittendam rebatur, poſthabuit; et per uxorem ac Mariam [a] Belcariam ſocrum, dum [b] Condivicino Namnetum abeſſet, ſeditionem in urbe excitari curat, [c] Gaſſione Vaſcone, qui arcem tenebat, jam in ſuas partes pertracto. Ut id faceret Mercuriani uxor ordines urbis vocat, periculumque civitati et religioni per totam provinciam, ſi periclitari primariam civitatem contingeret, imminens oſtendit; Navarrum inde cum copiis inſtare; hinc regem, ſimulatione, qua huc uſque impoſuit, tandem poſt Bloeſenſem carnificinam depoſita, (his verbis ad res acerbandas utebatur) nunc aperto ubique, qua poteſt, Catholicos profligare, ſacerdotes tanquam ſuſpectos expellere, ſacra omnia profanare: ſolam in unionis ſanctione, cui certatim cunctae civitates regni nomen dederint, ſalutis ſpem ſuperare: eandem alacritatem, qua ante ſectarios perſecuti ſunt, in religione ac propria libertate tuenda ab ipſis exſpectare; quam ſi adhuc habeant, non defuturos duces, qui tam egregiam voluntatem virtute ſua, opibus ac conſiliis, juvent. Quibus dictis mox cuncti arma rapiunt, et munitiones tumultuarias per vicos excitant. Cum nemo reſiſteret, plerique e primariis civibus, tanquam ſuſpecti, aut ut eo colore pecunia ab iis exigeretur, in carcerem traduntur, et in iis Fr.[d] Miro provinciae quaeſtor: jam enim Claudius [e] Falco Riſius ſenatus Armoricani princeps captus fuerat, et in arctiſſimam cuſtodiam conjectus, ex qua non niſi grandi pecunia exſoluta dimiſſus eſt. Interea Mercurianus, cognito quid Condivicini actum eſſet, cum ſe ad Venetorum civitatem, comitiis in ea indictis, ire ſimularet, reflexo ſtatim itinere [f] Condate Redonum venit, ubi ſenatus provinciae habetur. Civitatis epiſcopus erat Aemarus Hennequinus Pariſienſis, in concilium unionis Lutetiae inſtitutum allectus, eoque miſſus ut in urbe ſeditionem excitaret: quod cum ipſe per ſe facere non poſſet, Caroli [g] Spinaei epiſcopi Dolenſis, ex primaria provinciae nobilitate hominis induſtrii, operam imploravit. Nec ille ſegniter operam ſuam detulit, perfecitque ut Mercurianus in urbem reciperetur, Renato [h] Tornaminio legato regio, et Renato [i] Marecio Monbaroto urbis praefecto, ac Joanne [k] Riuſio Aſſeraco, non ſine vitae diſcrimine, in aedes ſuas compulſis: quod non ferens Monbarotus in [l] turrem Mordeleſiam ſe ultro cum delectis incluſit. Mercurianus urbe potitus [m] turrem Fulloniam, et Sangeorgianae et Candidae portarum turres, praeſidio firmat, et Monbaroto deditionem ut faceret imperat. Cum recuſaret, admota tormenta, et domus vicinae apertae, ut per illas ad Mordeleſiam turrem impetus fieret: tandem, omni ſpe auxilii deſtitutus, honorificis admodum conditionibus locum tradit. Inde Mercurianus, rebus pro arbitrio in urbe ordinatis, et [α] Jeſuita concionatore introducto, qui diras in regem contumelias evomebat, ſucceſſum urgens, [n] Fulgeriam tendit, oppidum in [o] Neuſtriae finibus poſitum; quo citra certamen potitus cum arcis praefecto agit, qui eam [p] Rupii marchionis nomine tenebat, homine perfidioſo, qui locum et omnem marchionis ſupellectilem, accepta pecunia, Mercuriano vendidit. Tot ſucceſſuum laetitia ſtatim mutavit. Nam ſub id Renatus [q] Monbucherus Bordagius Proteſtantium doctrinae addictus, cum aliquot ex nobilitate provinciae, [r] Vitreacum Lavalli comitis in finibus [s] Cenomanorum poſitum oppidum

VAR. LECT. [α] et Jeſuita *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *deſumpta*.

INTERPR. [a] *de Beaucaire.* [b] *Nantes.* [c] *Gaſſion Gaſcon capitaine.* [d] *Miron l'un des Generaux de Bretagne.* [e] *Faulcon Sr de Ris premier preſident.* [f] *Rennes.* [g] *d'Eſpinay evêque de Dol.* [h] *de Tournemine Sr de la Hunaldaie lieutenant du Roy.* [i] *de Marec Sr de Monbarot.* [k] *de Rieux marquis d'Aſſerac.* [l] *Tour de la porte Mordeleſe.* [m] *la Tour au Foullon, & les Tours de la porte S. George & de la porte blanche.* [n] *Fougeres.* [o] *Normandie.* [p] *de la Roche.* [q] *de Monboucher Sr du Bordage.* [r] *Vitré.* [s] *le Maine.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS III.

oppidum opulentum et ſitu firmum, ab Anna [a] Alegria [b] Lavalli pueri parente invitatus, occupat, et tuendum contra Mercurianum ſuſcipit; qui mox eo Jo. [c] Taluetum e nobilitate provinciae hominem ſtrenuum mittit: mox et ipſe ſubſequitur, ruſticis e vicinia, qui ad IV CIↃ confluxerant, evocatis, et infelici XL dierum obſidione locum ſumma virtute ab obſeſſis defenſum vexat. Dum in obſidione haereret, Redonenſes poenitentia ducti, acceptis regis literis, arma capiunt, et [d] Charronerium, quem Mercurianus diſcedens cum ſummo imperio cum Joanne ductore Hiſpano reliquerat, circumſiſtunt, et, receptis ab eo turribus, urbe pellunt. Eodemque tempore Sebaſtianus [e] Roſmadecus Mollacus regulus [f] Joſſelinum caſtellum Roanorum occupat; quo mox Joannes [g] Avogurius Sanlaurentius juſſu Mercuriani ducit, et ipſo Dominicae paſſionis die, quo ſecuriorem futurum Mollacum putabat, vim facit: ſed paulo ante monitus ille periculo praeverterat, et in arcem confugerat; in qua obſeſſus, cum nulla ſpes auxilii eſſet, poſtremo locum dedere coactus eſt. Tot hoſtiles injuriae, a quo minus decebat, inflictae, ingratine animi vitio an regis fatô imputandae ſint, ii dubitarunt, qui obſervarunt in ejus fortuna hoc ſane miſerum; cum ingentibus beneficiis pleroſque affeciſſet, illos tamen beneficiorum immemores in adverſa fortuna aut ipſum turpiter deſeruiſſe, aut etiam beneficium maleficio rependiſſe. Auxit invidiam in Mercurianum, quod, paulo ante quam haec geſta ſunt, regina ſoror ingentis pretii gemmas pro mundo muliebri ipſi a rege donatas, ſciente et conſentiente rege, quo Mercurianum magis obſtrictum haberet, apud ipſum depoſuerat.

XIX. EODEM tempore et Burdigalae tumultuatum eſt, [α] a Jeſuitis patribus incitata multitudine: jamque munitiones in urbe a conjuratis erigebantur, capta [h] Sanjuliana porta, et cónſules ad ſtrepitum accurrentes primo impetu repulſi fuerant, cum Jacob. [i] Gobio Matignonus equitum tribunus, Aquitaniae praeſes, ſumma animi praeſentia cum delectis e nobilitate comparuit, pedes per urbem diſcurrens; qui, ſigno dato [k] arcis Buccinae praeſidiariis, ut tormentis diſploſis confluentem plebem armatam terrore injecto diſturbarent, motum compeſcuit. Pauci ex iis interfecti, ceteri huc illuc dilapſi; quorum plerique ſe per portam, quam ceperant, urbe ejecerunt; reliqui per funeis ſe e muro demiſerunt: capti duo et mox laqueo ſuſpenſi, qui tormentis ſubjecti compoſitum inſidiarum ordinem detexerunt; pridie feſti Paſchatis inter conjuratos conveniſſe, ut Matignonum in aedibus ſuis oppreſſum pugionibus confoderent, atque e veſtigio machinas bellicas in aedibus publicis depoſitas ad arcem admoverent, et, propoſito Matignoni cadavere, territos praeſidiarios ad deditionem compellerent. Matignonus, qua erat animi moderatione et prudentia, ulterius in conſcios inquiri noluit, ne in ſacri ordinis infamiam res verteret; contentuſque fuit, quo conſpirationibus hujuſmodi in poſterum praeverteret, patres Jeſuitas [β] ſeditionis et conjurationis auctores urbe exigere; qui [l] Aginni Nitiobrigum et Veſunae Petrocoriorum, quae civitates ſub id rebellarunt, perfugium habuerunt.

VAR. LECT. [α] a Jeſuitis patribus incitata multitudine, *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *deſumpta.* [β] ſeditionis et *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *deſumpta.*

INTERPR. [a] *d'Alegre.* [b] *de Laval.* [c] *Talouet.* [d] *le Sr de la Charroniere.* [e] *de Roſmadec baron de Mollac.* [f] *Joſſelin chateau de la maiſon de Rohan.* [g] *d'Avaugour Sr de S. Laurent.* [h] *la porte S. Julien.* [i] *Goyon de Matignon gouverneur de Guienne.* [k] *Chateau Trompette.* [l] *Agen & Perigueux.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI HISTORIARUM SUI TEMPORIS

LIBER NONAGESIMUS QUINTUS.

EPITOME.

MAXIMA omnium Toloſae intemperies plebis fuit, qua Jo. Stephanus Durantius ſenatus princeps cum Jacobo Daſiſio fiſci patrono oppreſſus eſt, et crudeliter poſtea interfectus. Durantii genus, ingenium, mores, integritas. II. *In Arvernis Randanus provinciae praeſes ad Henoticos deficit, Rigomagi arce belli conſtituta. Tumultuarius ordinum Billomi coetus. Auguſtobona Tricaſſium in Campania a Simphalio fruſtra tentata.* III. *Rex Bloeſis edictum Februario menſe proponit, quo cunctos ad obſequium gratia praeteritorum facta vocat; ni facerent, perduelleis et laeſae majeſtatis reos declarat.* IV. *Falandrius a Sueſſione in Cenomanis caeſus.* V. *Bloeſis conſultatum, quam imperii ſedem rex deligeret. Nivernius Molinium in Boiis tendendum cenſet. Contra diſputat Sueſſio, et Bloeſas omni ratione ſervandas oſtendit. Dum rex ambigit, allato ſeditioſos Caeſaroduni tumultuare, ex neceſſitate conſilium capit, et Caeſarodunum venit. Andegavum fruſtra a Briſſaco tentatum.* VI. *Senatus* x *Kal. April. Caeſarodunum translatus. Jac. Aug. Thuanus a primarii praeſidis functione, quae ipſi honorifice a rege deferebatur, donec Achilles Harlaeus libertati reſtitutus eſſet, ſe excuſat. Edicta pleraque contra urbes perduelleis promulgata.* VII. *De Navarro evocando clam initio agitur, mox et propalam. Poſt Niortium captum multae urbes in Pictonibus in Navarri poteſtatem veniunt, et poſtremo Argentoni arx.* VIII. *Navarri ſcriptum elaborata oratione, quo belli neceſſitatem deprecatur. Tandem induciae annales pactae. Locus tranſmittendis copiis ad Ligerim Navarro promiſſus. Salmuria tandem conceſſa eſt.* IX. *Alterum ſcriptum nomine Navarri.* X. *Intemperies et protervia concionatorum Pariſienſium. Joannis Buceri de juſta Henrici* III *abdicatione cruciarius liber. Preces pro rege in Canone Miſſae decreto Sorbonico inductae. Cum Thomae Bellamici Carmelitae ſcriptum objiceretur, quo nullam juſtam ſumendorum armorum cauſam eſſe poſſe aſſerebatur, libellus contrarius ejus nomine publicatur, quaſi ab eodem Bellamico cum in extremis ageret compoſitus. Cumulata in eandem rem a recte ſentientibus contraria teſtimonia. Confictis artificioſe a Monpenſeria felicium ſucceſſuum nunciis, et per concionatores vulgatis, aures vulgi implentur.* XI. *Silvanectenſes Thoraeum evocant, qui regis nomine urbi praeſit. Commentitii Henoticorum per regnum ſucceſſus. Conjurationes Lugduni et Rotomagi afflictae.* XII. *Gualteranorum in Neuſtria clades a Monpenſerio deletorum. Ter mille caeſi.* XIII. *Petrus Friſonus Remenſis decanus Romam a Meduanio miſſus, qui pacificationis negotium impediret. Petri Molani detectae latebrae. Monitus a B. Mendoza Meduanius nova mandata ſuis Romae oratoribus dat, ut de abſolutione, quam pontifex regi impertiturus creditur, proteſtentur. His inductus rationibus pontifex monitorio diplomate regem, niſi cardinalem Borbonium libertati reſtituat, ferit.* XIV. *Poſt decretum cardinalis a Jouſa Roma diſcedit, et Venetias cum Arnoldo Oſſato venit. Piſanius cum Cenomano diverſo itinere in Galliam Narbonenſem deſcendit. Conſilia a quibuſdam Italiae principibus regi data, ut agreſte Sixti ingenium ad officium cogeret.* XV. *Pecunia undique per Italiam a rege*

conquiſita. Salucianus principatus Etruſco oblatus: quo recuſato de Maſſilia certis conditionibus oppignoranda actum. XVI. *Viciſſim foederati pontificem non ſolum de theſauris ſpiritualibus, ſed argentaria-gaza ex arca promenda urgent.* XVII. *Meduanius Vindocinum venit, et urbem, Jacobo Mallio Beneartio perfidioſe tradente, poteſtatis ſuae fecit. Fruſtra Reginaldi-caſtrum tentat. Audoeni-fanum capit.* XVIII. *Aumontius et Eſpernonius, ut regi ſerviant, reconciliantur.* XIX. *Navarrus Pleſſiacum ad regem venit, et familiariter ab eo tempore cum eo degit.* XX. *Cluſellus a Navarro dimiſſus, fide data ne contra regem arma ferret, occaſione quaeſita deficit, et Meduanio ſuburbiorum cis Ligerim occupandorum viam monſtrat. Pugnatum in iis acriter deteriore regiorum conditione. Sueſſio in Armoricam cum copiis mittitur.* XXI. *Petrus Forgetus Fraxineus regi a ſecretis epiſtolis in Hiſpaniam mittitur, ſpecie ut de matris et ſocrus morte communem dolorem apud Philippum teſtaretur, re vera ut ejus voluntatem periclitaretur.* XXII. *Miſſus in Germaniam ad militem-ſcribendum Gaſpar Schombergius Nantolii comes, cui adjunctus Jac. Aug. Thuanus:* CC *aureorum* CIↃ *a magno Etruriae duce ſuppeditata.* XXIII. *Pictavium nutat. Rex eo ſerius profectus ingreſſu urbis injurioſe excluditur.* XXIV. *Ordo pugnae ad Silvanectum, in qua Longavillanus belli erat ſummus dux. Lanovii aſtus, et Aumalii et Balagnii copiae in fugam verſae.* XXV. *Savoſius cum delectis in Caſtellionaeum imprudenter incurrens prope Bonnevallium ad internecionem caeditur.* XXVI. *Gilberti Pedifolii Commerondi militum per Cenomanos impiae graſſationes, quas vix Meduanius praeſentia ſua compeſcuit. Alençonium in Aulercis a Rantio deditum.* XXVII. *Monpenſeriae ad Meduanium fratrem literae, quibus de Aumalii ignavia liberius querebatur, a Navarro interceptae, et ad Aumalium miſſae.*

Ex auctoribus,

Relatione motus Toloſani, Navarri militari diario, Scriptis utrinque publicatis, Curiae Pariſienſis Caeſarodunum tranſlatae actis; Thomae Bellamici Carmelitae, Simonis Vigorei, Cl. Sanctii theologorum ſcriptis; Petri Forgeti Fraxinei adverſariis, Scaevolae Sammarthani commentariis non editis.

LIBER NONAGESIMUS QUINTUS.

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

NULLA major plebis intemperies quam [α][a] Toloſae fuit, a novitiis theologis, ut creditum eſt, incitatae, qui magnam in ea urbe inter primores gratiam, apud vulgum auctoritatem, ſibi vindicarunt. Erat in urbe Jo. Stephanus [b] Durantius, ut ampliſſimi ordinis princeps, ſic primaria inter civeis auctoritate; qui populari gratia tantum pervicerat, ut nec Henricus Momorantius provinciae praeſes jampridem ſuſpectus, nec ipſe Gulielmus Jouſa ejus vicarius, qui filii favore ſubnixus Momorantium expunxerat, in civitate quidquam poſſent; cetera vir antiqua morum gravitate et doctrina conſpicuus, qui Durandum [c] Mimatenſem epiſcopum, cujus gentilis credi volebat, libri de divinis officiis ſcriptorem, aemulatus, de ſacris eccleſiae ritibus librum non contemnendum fecit, poſt mortem ejus Romae Sixti V juſſu et expenſis

VAR. LECT. [α] fuit, a patribus Jeſuitis, ut creditum eſt, per interpoſitas more ſuo perſonas incitatae, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Toulouſe.* [b] *Duranti premier preſident.* [c] *l'evêque de Mende.*

expenſis editum. Is quanto odio Proteſtanteis, tanto cultu regem regiumque nomen, proſequebatur; ſive ſpe ſummi magiſtratus a rege olim conſequendi, quod adverſarii poſtea jactarunt, ſive quod ita a primis piae doctrinae incunabulis edoctus, quod puer didicerat, ſenex conſtantiſſime ſibi tuendum judicaret. Cum igitur poſt Guiſianorum fratrum mortem cuncta in urbe ad ſeditionem ſpectarent, ille auctoritate ſua fretus, et gratiae populari fidens, per magiſtratum urbanum, quem Capitolatum vulgo vocant, quantum poterat, res mitigabat. In eo octoviri ſedent, a quibus ad ſenatum provocatio eſt: praeterea cum res magni momenti incidit, comitia urbis ordinum cogunt. Praeerat concilio Jo.[a] Bertrandus ſenatus praeſes, vir moderati animi, et qui Durantium plurimum obſervabat; qui cum incaleſcente motu videret, confluente praeter ſolitum non vocata multitudine, perturbate agi omnia, palam contumelioſe multa in famam abſentis Durantii jactari, id primo non tulit, et ſumma conſtantia obtrectatoribus ſilentium imperavit: ſed, jam laxato licentiae fraeno, parum graviſſimi viri increpationes apud factioſos valuerunt; qui cum de bonorum exiſtimatione calumnioſe detrectare vetabantur, libertatem in ſententiis dicendis violari querebantur. Cum res aliquantum quietiores viderentur, faces furenti plebi ſubjecit Urbanus [b] Sangelaſius Convenarum epiſcopus, qui [c] Bloeſis fuga elapſus, a metu recens, ultionis materiam quaerebat. Eo inſtigante et Franciſco a [d] Paulo praeſide, qui Durantii dignitati inhiabat, libellus ſupplex a Zelotis, ita factioſi paſſim in ea urbe nominari gaudebant, ſenatui porrigitur, quo petebant, ut [e] delectorum virorum concilium in [f] capitolio haberent, qui viderent ne quid civitas detrimenti acciperet. Quod illis a ſenatu conceſſum, conditione appoſita, ut ſi quae graviora negotia inciderent, de iis cum Durantio ſenatus principe agere tenerentur, qui porro ad ampliſſimum ordinem referret. Ea conceſſione non mediocriter labefactata ſenatus auctoritas, poſtremo apud plebem in deſpectum venit, peſſimo quoque in illud concilium allecto, et ſpreta conditione ſenatus-conſulto appoſita. Horum juſſu cum coacta eſſent comitia, tanta perturbatio ſecuta eſt, ut octoviri ad refraenandam confuſae multitudinis petulantiam Durantii praeſentia ſibi opus eſſe judicarent. Igitur ille accerſitus, ſed longe ab illo diſſimilis, qui odio Proteſtantium olim plebi gratus, tunc repente eidem, quod morigerari nollet, ſumme inviſus evaſerat, in capitolium venit, jam mori certus, et ſerius errore agnito, quam ut eum prudentia emendare poſſet; quippe periculo ſuo expertus plebem ad omnem auram mutare, cujus ita ingenium eſt, ut aut humiliter ſerviat, aut impotenter imperet. Quantum tamen in illo fuit commotos animos ſolertia ſua, et qua valebat populari facundia, lenivit: tum, flagitante plebe, praefectura urbis a ſenatu Convenarum epiſcopo delata eſt; qui eam per abſentiam Gulielmi Jouſae accepit, addito, donec aliquis ex principibus Catholicis adveniſſet. Eo incentore, per emiſſarios, cum res quietiores viderentur, quaeſtio de obedientia regi praeſtanda, hactenus tantum inter tumultuanteis agitata, a vulgi jactatione in deliberationem deduci coepit. Tum renudatae voluntates, et in factiones ſciſſae ſententiae; cum alii, ſcito theologorum Pariſienſium, quod poſtea Toloſanorum aeque pudendo ac temerario decreto confirmatum eſt, inſiſtentes, regi, qui fidem violaſſet, qui religionem oppugnaret, parendum negarent, et excuſſo tyrannidis jugo in commune conſulendum; alii in obſequio manendum contenderent. Quam in ſententiam copioſe et graviter diſſeruit Durantius; et Jacob. [g] Daſiſius Joannis filius fiſci patronus, cum quidam urbem jurejurando regi praeſtito ſolutam, et regis imagines tollendas dicerent, ſtatim pro ratione muneris generoſe inſurrexit, et acerbe eos increpuit. Sed, calcata magiſtratus

INTERPR. [a] *Bertrand.* [b] *de S. Gelais evêque de Comminges.* [c] *Blois.* [d] *le preſident de Paule.* [e] *les Capitoux.* [f] *Maiſon de Ville.* [g] *Daffis avocat du Roy.*

magiſtratus auctoritate et multitudine accenſa, quo plenae gravitatis voces, quo bona et ſalubria conſilia? Accedebant concionatorum aſſiduae declamationes in regem et regi fidos, quae plebem reſipiſcere non ſinebant. Tenuit tamen Durantii auctoritas, ut, cum ſententiae variarent, res integra ad ſenatum referretur. Interea monitus ab amicis ut ſeceſſu ſibi conſuleret, obtemperare noluit, ſive in ſpem recuperandae apud plebem auctoritatis veniſſet, ſive quod ad vulgi contumelias ita percalluerat viri plebeis tumultibus aſſueti patientia, ut pericula impendentia non videret, aut praeviſa non anteverteret. Igitur VI Kal. Febr. vocato pomeridiana hora extra ordinem ſenatu, dehortantibus amicis ne iret, reſpondit, ſe quidem veluti ex alta ſpecula proſpicere tempeſtatem et urbis everſionem, ceterum ſe ruina ejus malle obrui, quam committere ut aut eam deſeruiſſe, aut ſeditioni cauſam praebuiſſe, dicatur. Ibi agitata rurſus quaeſtio de obedientia regi debita: cumque ſeu metu ſeu ſtudiis diviſae ſententiae heic quoque variarent, nihil decerni potuit; concurſuque multitudinis efferatae facto, Durantius, cum curru vectus e curia exiret, paene oppreſſus eſt, ictibus gladiorum curru undique perforato; quod ille reſupino corpore jacens, et equos per medium conjuratorum globum auriga impellente, utcunque devitavit. Tandem cum ad putei obvii marginem fervida rhedae citatae rota diſſiliiſſet, ipſe pedes haud hinc longe in capitolium properavit, locum tota urbe munitiſſimum, quo bonorum civium auxilium ſibi praeſto futurum ſperabat. Sed longe ſpe ſua ſe falſum ſenſit, cum nemo ad illum itaret, nemo praetereuntem ſalutaret, ſive odio ſive metu amici mutaſſent, aut periculum vererentur. Mox dilapſis qui regias partes tutabantur, tendi catenae, per vicos munitiones tumultuariae excitari. Cum ita quatriduum in capitolio manſiſſet Durantius, tandem decreto ſenatus obtinuit, ut ſibi ad valetudinem curandam [a] Balmacum, quod eſt Toloſani archiepiſcopi caſtellum, quarto ab urbe lapide, ſecedere liceret. Is color quaeſitus, cum potius ad pacandam plebem et ſecuritatem ipſius factum eſſet: verum factione reclamante, et ultorem, ſi exiret, metuente, non ſolum in urbe retentus eſt, ſed in Dominicanorum coenobium detruſus, deducentibus eum [b] Convenarum et Caſtrenſi epiſcopis, ac ſub tam arcta cuſtodia ſervatus, ut filiae unicae ac dilectiſſimae nunquam patuerit ad eum acceſſus; tantum conjugi conceſſum ut cum marito eſſet, ea lege, ut inde egredi liberum ei non eſſet, neque cum ullo ſermonem habere. Jacobus Daſiſius in [c] Campaniam villam extra urbem ſe contulit, unde ad Matignonum et Gulielmum Daſiſium Burdigalenſis ſenatus principem fratrem literas dedit, quibus eos de ſtatu urbis certiores faciebat, et laborantibus in ea regiis ſuppetias flagitabat. Quae interceptae a Zelotis utrique perniciem attulerunt: nam miſſi mox ſatellites, qui Jacobum e villa in urbem retraherent, et in vincula conjicerent: iſque interrogatus ſumma conſtantia literas a ſe ſcriptas confeſſus eſt, et pro neceſſitate muneris, quod feciſſet, juſte feciſſe ſe reſpondit. Iiſdem literis, quia Durantii quaſi adhuc in carcere haerentis, et Guitardi [d] Rati ſenatoris ex ſacro ordine, qui poſtea [e] Montiſpeſſuli epiſcopus fuit, per diſpoſitos equos ad regem amandati mentio fiebat, abſentis bona proſcribunt, et in ipſum capitalem ſententiam pronunciant; Durantium praeſentem, ne elaberetur, morti deſtinant. Id ut majore plebis approbatione fieret, Zelotae IV Eid. Febr. famam ſpargunt, quaſi de urbe Matignono tradenda conjuraſſet; [f] Blagnacum, is erat e nobilitate proxima et Daſiſio amicus et regi fidus, cum armatis ad portam [g] S. Cypriani viſum; [h] Carmanium item et Amboſium Albigeum comites, et Franciſcum [i] Valetam Cornuſſonum urbis ſeneſcallum [k] Bloeſis a rege miſſum. Ita conglobantibus ſe ad eos pleriſque ſub horam

quartam

INTERPR. [a] *Balma.* [b] *de Comminges & de Caſtres.* [c] *Campagne maiſon de plaiſance prés de Toulouſe.* [d] *Rate.* [e] *de Montpellier.* [f] *le baron de Blaignac.* [g] *la porte de S. Cyprian.* [h] *les comtes de Carmain & d'Aubigeoux.* [i] *de la Valette Cornuſſon ſeneſchal de Toulouſe.* [k] *Blois.*

quartam veſpertinam Dominicanos circumſiſtunt; et cum cuſtodes appoſiti portas aperire recuſarent, igne luculento accenſo, eas, nemine prohibente, exurunt: continuoque unus e cuſtodibus [a] Durantium adit, et a populo peti nunciavit. Quo certo nuncio mortis perculſus ſtatim in genua procumbit; animaque Deo commendata ad uxorem converſus, Vale extremum dilectiſſima conjux, inquit; vita, honoribus, facultatibus, quas dederat Deus, brevi ſpoliabor, et anima criminum objectorum inſons ante Dei tribunal ſiſtetur; utinam aliorum peccatorum tam exſors ſim: quibus ut veniam impetrare poſſim, communibus me precibus apud ipſum juva: ſolatium tibi erit, quod vitae anteactae mihi bene conſcius morior, et concordi toro: Deus, qui dat et aufert, animum adverſae fortunae parem, ex eadem bona conſcientia et ſpe certa vitae beatioris tibi largiatur. Quibus dictis, cum illa prae ingenti dolore ſtupens neque vocem neque lachrimas mitteret, Durantius a nequiſſimo e ſtipatoribus deductus et furenti plebi traditus eſt, hoc elogio ſumma impietate addito, *Ecce homo.* Cumque ille conſtanti vultu, quod tandem tanto odio dignum facinus admiſiſſet, aſtanteis rogaret, multique ad aſpectum viri, quem antea adeo ſuſpexerant, vim abſtinerent, repertus eſt unus, qui turbam perrumpens ſcloppeti ictu pectus immoto ſeni tranſverberavit: mox incumbentes alii jacentem innumeris plagis confodiunt, corpuſque ut erat cruentum per vias raptatum in [b] platea S. Georgii, in qua vulgo damnati ad ſupplicium trahuntur, ſiſtunt; et, cum patibulum deeſſet, ad portam ferream pegmatis in pedes erectum laqueo ad collum alligato ſuſpendunt, effigie regis ex adverſo itidem ignominioſe ſuſpenſa, additis ad ludibrium inſolentibus verbis, *Adeo rex tibi charus erat, nunc licet ut eo fruaris, et cum eo jaceas.* Quidam etiam veſane amentes nihil ſentienti barbam vellicabant. Eodem furore plebs percita ad palatium recta tendit, et [c] Daſiſium ergaſtulo eductum telorum ictibus crudeliter laniatum ante portam carceris deſtituunt. Famulus Durantii, qui herum primo tumultu ſtrenue defenderat, ob idque in archiepiſcopi carcerem conjectus fuerat, ut ex vulneribus tunc acceptis decumbebat, in lecto interficitur. Poſtridie unus ex octoviris aſtante ſenatore corpus Durantii linteo involutum et cum regis imagine compoſitum ad [d] Franciſcanos deferri curavit, ubi ſine pompa et laudatione juxta majus altare terrae mandatum eſt. Corpus Daſiſii ad B. Antonii itidem ſine publicis exſequiis conditum fuit. Necdum ſatiata plebs; quae, Zelotis impellentibus, ne ſpes reconciliationis ſupereſſet, imaginem regis e capitolio avulſam et per totam civitatem unco tractam ſub haſta injurioſe vendidit, clamante uno quaſi praecone, [e] *Licitatur* [α] *regem carnifex* v *aſſibus ad reſtim ſibi emendam.* Continuo domus Durantii diripitur; et inprimis ejus bibliotheca magno labore et cura cumulata; ſcriniis ejus prius inſana diligentia evolutis, ſi quid literarum in iis forte reperiretur, quibus de conjurationibus falſo illi improperatis vel ex ſuſpicione fides fieret. Vixit majore integritate quam prudentia, dum plebi plus juſto tribuit, quae poſtmodo ipſum, et alios omneis qui in populari gratia praeſidium poſuerunt, male mulctavit. Deceſſit LVI aetatis anno in ſumma tenuitate, cum frugaliter ſemper vixiſſet, certiſſimo vitae innocenter actae teſtimonio. Patrem habuit e ſenatorio ordine: literis a pueritia egregie fuit inſtructus, ita praecipitatis, ſicuti in illa ſchola amat fieri, ſtudiis, ut ante XVII annum de jure publice cum magna omnium admiratione totum triduum reſponderit. Inde poſtea cauſas in ſenatu egit, et dein fiſci patronus, poſt Joannis Daſiſii ſoceri obitum, qui diu magna cum laude ſummo magiſtratu functus ante annos VIII deceſſit, eadem ſumma dignitate ornatus eſt. Religionibus tota vita valde addictus

VAR. LECT. [α] *Sic* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *habet* rex.

INTERPR. [a] *Duranti.* [b] *place de S. George.* [c] *Daffis.* [d] *Cordeliers.* [e] *Noſtre Tyran de Roy à vendre à cinq ſols pour lui acheter un licol.*

addictus collegia duo Toloſae inſtituit, ſpecioſis S. Spiritus et Miſericordiae nominibus; quorum uni incumbit virgines egenas matrimonio elocare, alteri pauperes vinctos ſolari, alere, et libertatem iiſdem procurare. Jeſuitas in urbem invexit; patres Capucinos ex Italia evocatos propriis ſumptibus diu aluit, donec commodum domicilium in urbe nacti ſunt: [a] Flagellantium ordines multis repugnantibus introduxit. Tot tantiſque ſuae fidei et pietatis teſtimoniis exhibitis, vir alioqui innocens, et qui caſtas manus et oculos ad juſtitiae ſacra attulerat, non tamen ſaevas furentis plebis ab impiis hominibus concitatae, cum cauſa religionis ageretur, evaſit, extremo etiam honore negato; qui tamen triennio poſt illi, cum poenitentia interim animos ſubiiſſet, a ſenatu decretus eſt, exſequiis frequenti ſenatu et omnium urbis ordinum magno concurſu celebratis. At Petrus [b] Faber ejuſdem curiae digniſſimus praeſes, vir longe doctiſſimus, qui ſe popularibus negotiis nunquam miſcuerat, quanquam non minus quam Durantius ob conſtantem in regem fidem ſuſpectus, tamen cum parum in urbe poſſe crederetur, contemptu a plebe praeteritus eſt.

II. HAUD multo poſt Jo. Ludovicus [c] Rupifulcaudius Randani comes Arvernorum praefectus, Franciſco fratre [d] Claromontii epiſcopo inſtigante, provinciam ad foederatorum partes inclinavit, ad [e] Rigomagum arce belli conſtituta: cujus aemulatione Claromontani, qui XIII urbium provinciae ſibi principatum tribuunt, alienati, [f] Anteraco annitente, Randani imperia regio nomini poſthabuerunt; aliiſque, ut in fide manerent, exemplo ſuo praeiverunt, expulſis aliquot e ſacro collegio ſodalibus. Randanus tunc [g] Maſſam et Juſti-fanum caſtella a ſectariis, ut aiebat, occupata obſidebat; qui, cognito quid Claromontii actum eſſet, protinus Rigomagum revolat, et ex fratris epiſcopi conſilio provinciae ordines [h] Billomi indicit; id oppidum eſt Claromontani epiſcopi ditionis, in quo Jeſuitarum ſchola a Gulielmo [i] Pratenſi tunc epiſcopo olim inſtituta. Horum aſſiduos hortatus, ad populum conciones, in arcano coitiones, ad negotium promovendum magno uſui fore cum exiſtimaret epiſcopus, eum locum ordinibus indicendis praecipue delegiſſe creditur. Cum conveniſſent delecti ex factioni illi addictis XII Kal. Maias, epiſcopus vehementem ad eos orationem habuit; qua, rege ex falſis ſuſpicionibus, quaſi cum ſectariis conſpiraret, in crimen vocato, cavillatorie detortis ex novo theologaſtrorum fermento argumentationibus, cunctos ad foederi ſubſcribendum, et regem, cui tantum et ipſe et tota illuſtris ejus familia debebat, deſerendum hortatus eſt. Continuoque veluti ex machina producti epiſcopus [k] Caſtrenſis, et duo Toloſanae curiae ſenatores, recenti praeſidis ſui immani perfidia occiſi cruore adhuc madentes; qui Arvernos in belli pro religione Catholica Apoſtolica Romana ſuſcepti ſocietatem ut venirent, et foedus ſecum icerent, magnificis verbis multa praefati invitarunt: quibus gratiae ab epiſcopo Claromontano actae; moxque cuncti, qui aderant, foederis conditionibus ab eo conceptis ſubſcripſere. Cum vero ad conventum delegatos non miſiſſent [l] Claromontani, Monferrandenſes, Sanporcinii, Iſſoriacenſes et Uſſonii, quidam ex iis facile excuſati ſunt. Monferrandenſes et Claromontani, quod eorum abſentia pro alieno a foedere animo ac contumacia acciperetur, tanquam perduelles et publicae quietis hoſtes, nulla denunciatione prius facta, proſcribuntur. Biduo poſt in templo Jeſuitarum omnes conveniunt, et ſolemni ritu ſacramentum dicunt, legibus perſcriptis, ad pecuniae collationem in belli ſumptus et delectus ſine popularium onere ſcilicet habendos pertinentibus. Cumque ſub

INTERPR. [a] *les compagnies des Penitens.* [b] *du Faur Sr de S. Jorry.* [c] *de la Rochefoucaud comte de Randan, gouverneur d'Auvergne.* [d] *de Clermont.* [e] *Riom.* [f] *d'Anterac.* [g] *Chaſteaux du Mas, & de S. Juſt.* [h] *Billon.* [i] *du Prat.* [k] *de Caſtres.* [l] *ceux de Clermont, Montferrand, S. Parcin, Iſſoire, & Uſſon.*

ſub id allatum eſſet, Ivonem [a] Alegrium Milialdium ex primaria nobilitate ſtrenuum adoleſcentem ab Iſſoriacenſibus evocatum, ut regis nomine oppido praeeſſet, et [b] Calvetone conſule expulſo illud occupaſſe, Anteracumque cum delectis loco impoſitum, copias ad Claromontanos et Monferrandenſes infeſtandos conductas Randanus revocat, et de Iſſoriaco, antequam amplius a regiis muniretur, intercipiendo cum [c] Santerano, Baltaſare Rupibaritonio, Caſtroclavi vicecomite, et aliis e nobilitate ſuae factionis conſilium iniit; protinuſque ad [d] Alnetum haud longe a Claromontio diem univerſis condicit: unde noctu profectus, et oram [e] Elaveris per impedita loca ſemper legens, non prius oppido propinquavit, quam albeſcente jam die; verituſque ne inſidiae a praeſidiariis detectae eſſent, ſuos locis idoneis abdit. Tum ipſe cum [f] Chaluſio et Sanmarco, CL e nobilitate egregie armatis, procedit; [g] Cruceioque crepitaculorum applicandorum ſolerti praemiſſo, ad portam propugnaculo tectam crepitaculum admovetur; qua refracta ſeptum alterum, quod interjacebat, manu, nullo admoto crepitaculo, revulſum eſt: moxque ad ultimam urbis portam admovetur crepitaculum, praeſidiariis jam ad ſtrepitum accurrentibus, et ſcloppetorum ictibus ac ſaxorum grandine oppugnatores infeſtantibus. Sed vi itidem non citra Cruceii diſcrimen patefacta porta, et Santerano et Caſtroclavio ſupervenientibus, impares defenſores ceſſere. [h] Fredevilla, qui per Milialdii abſentiam praeerat, poſt aliquod certamen, in quo Buſſius ſtrenuus ordinum ductor interfectus eſt, ad turrem munitam ſe recepit, et honeſtis conditionibus cum Randano tranſegit. Id actum IV Eidus Aprileis. Aliquanto poſt, pridie Eidus Junias, in Campania cum de [i] Auguſtobona Tricaſſium, quae ſuperiore anno Ludovico cardinali Guiſiano inſtigante rebellaverat, intercipienda a Georgio [k] Valdraeo Simphalio praefecto urbis, re cum Joachimo Dintevilla provinciae legato communicata, conſilium captum eſſet, eo evulgato conatus fruſtra fuit, et [l] Forgeotius, qui per [m] Santandreanum ſuburbium in urbem aditum regiis patefacturum promiſerat, ex ſuſpicione cum aliis conſciis comprehenſus; qui capite luerunt. Multi inſuper in urbe ſuſpecti, prout odio aut livore aemulorum premebantur, capti, et diuturno carcere mulctati; ex quo vix depenſa ingenti pecunia ſe vita ſalva exemerunt.

III. INTER has defectiones rex, qui adhuc [n] Bloeſis erat, cum omnem conciliationis viam praecluſam videret, menſe Februario edictum proponit, quo multis et exquiſitis verbis, cum potius facto opus erat, praeteritorum memoriam repetit; quot beneficiis affecti a ſe et a deceſſoribus ſuis Guiſiani nihilominus tam ingratos ſeſe praebeant: Guiſium, praetexta religionis cauſa, nihil minus quam ejus inſtaurationem quaeſiiſſe: nam clam cum Navarro et ſectariis egiſſe, cum Proteſtantibus Germaniae principibus conſilia agitaſſe, ab aliis juratis nominis Francici hoſtibus grandem pecuniam, ut res in regno turbaret, accepiſſe; poſtremo ad explendam ambitionem omnia divina et humana jura confundere voluiſſe: deque his ſeſe ab ipſo Meduanio monitum fuiſſe per virum perſpectae dignitatis, in haec verba; non ſatis eſſe fratri roſaria in collo geſtare, ſed ſinceros affectus et puram conſcientiam ad regium obſequium afferendam eſſe; proindeque eundem virum rogaſſe, quam citiſſime poſſet, ut ad aulam veniret, moneretque regem ut ab eo ſibi caveret: Aumalium ipſum per uxorem ſe certiorem feciſſe, habitum Lutetiae concilium, cui non ſponte interfuiſſet; in eoque decretum fuiſſe, ut Guiſius regem caperet, et captum Luteriam duceret: his juſtis de cauſis extremaque neceſſitate victum morti cum fratremque

INTERPR. [a] *d'Alegre Sr de Millaud.* [b] *Chauveton conſul.* [c] *de S. Heran, le Sr des Roches Baritaut, & le vicomte de Chaſteau-Cloux.* [d] *Aunet.* [e] *Allier r.* [f] *les ſieurs de Chalus & de S. Marc.* [g] *le capitaine la Croix.* [h] *de Fredeville.* [i] *Troyes en Champagne.* [k] *de Vaudray Sr de Saintſale.* [l] *le capitaine Forgeot.* [m] *fauxbourg de S. André.* [n] *Blois.*

CIƆ IƆ LXXXIX. HENRICUS III.

fratremque addixiſſe, ac poſtea literis datis et fecialibus miſſis [a] Meduanium, Aumalium, et Claudium equitem Hieroſolymitanum ejus fratrem monuiſſe, ut tanta crimina morte illorum expiata ſempiterno ſilentio ſepeliri ſinerent, et ſancita praeteritorum oblivione in gratiam ſecum redirent, qui illos ut antea complecti et praecipuo dignitatis loco habere ſemper paratus eſſet; proinde ab armis diſcederent, neque plebi furenti ſe duces praeberent: quae cum ab illis negligi videat, et eo ardentius in ſe regnumque, excitatis paſſim turbis, civitatibus ad defectionem ſollicitatis, milite conſcripto, pecunia regia in proprios uſus converſa, omnia hoſtilia meditari et facere, poſtremo ſummi magiſtratus atque adeo principis jure, quod ipſi in eos a Deo conceſſum eſt, uti decreviſſe. Haec praefatus, eos, niſi intra Kalendas Martias proximas ad obſequium redeant, tanquam perduelleis, et laeſae majeſtatis in primo capite ac proditae patriae reos, ex principum conſanguineorum, cardinalium, praeſulum et aliorum procerum conſilio proſcribit, omnibus dignitatibus, honoribus, praerogativis excidiſſe pronunciat; idque ipſis per apparitorem denunciari, et, ſi tutus ad eos acceſſus non ſit, denunciationem in oppido aut ſuburbio, in quo ſint, aut vico oppido proximo, fieri imperat; mandatque omnibus ſibi ſubditis, ut in eos tanquam publicos hoſtes declaratos hoſtiliter agant, ut iis profligatis religio Catholica Apoſtolica Romana conſtitui, et populi levamento conſuli, poſſit. Idem in Pariſienſeis, Aurelianenſeis, Ambianenſeis, et Abbatis-villae oppidanos, nam de aliis urbibus tunc nondum allatum erat, exprobrata perfidia et ingratitudine, ob innumera privilegia, immunitates a deceſſoribus ſuis conceſſas et benigne a ſe confirmatas, decernit; et omnia privilegia, libertates, immunitates, dignitates, praefecturas, magiſtratus iis abrogat, omnemque iis juriſdictionem interdicit; omnibus qui magiſtratus et publica munia in [b] ſenatu, rationalium et vectigalium curiis, aerario exercent, imperat, ut ex iis urbibus quamprimum exeant; ni faciant intra *Kal. Mart.* eos tanquam perduelleis proſcribit. Ac, ne tantum verbis agere videretur, eodem tempore principibus, proceribus, et primariis e nobilitate ducibus mandat, ut cum ſuis equitum cataphractorum turmis ad ſigna compareant IV Eidus Martias. CII in eo diplomate nominati, quorum quidam poſtea foederatorum partes ſecuti ſunt.

IV. HAUD multo poſt de caeſis aliquot levis armaturae alis a Carolo Borbonio [c] Sueſſionum comite allatum eſt. [d] Falandrius duas peditum legiones, quae in [e] Cenomanos deſtinabantur, deducere juſſus, cum V levis armaturae alis, ſua, [f] Baboi Sagonae comitis, Caroli Franciſci [g] Roſellii Medavidii, [h] Nicolai Epirotae et Piſcarii, in [i] Carnutes venerat, et [k] Autricum praetervectus juxta [l] Cortevillam conſederat: quo cognito Sueſſio, qui [m] Nogenti in Aulercis haud hinc procul aberat, ad Aumontium ſcribit, qui regio exercitui praeerat, ut in Perticenſem agrum deſcendenteis hoſteis anteverteret; ipſum ſe a tergo inſecuturum; ita eos, antequam quo deſtinabant pervenirent, ad certamen compelli poſſe. Verum Falandrius tanta diligentia uſus eſt, ut Cenomanorum civitatem prius venerit, quam Aumontius de eo cognoverit. Sueſſio tamen, peditatu ab hoſte in tutum deducto, conjectans fore, ut non diu is in urbe maneret, ſtatim ad Renatum [n] Bolliacum Creanciae comitem, Joannem Drocenſem Morinvillam, Claudium Gruelum Fretam, Girardum Angeolium, Monbaſinum, Alexandrum Viepontium Neoburgum, Artraeum, et

Ovillerium

INTERPR. [a] *les ducs de Mayenne & d'Aumale, & le chevalier d'Aumale.* [b] *le parlement, la chambre des comptes, Cour des Aydes, & bureaux des treſoriers de France.* [c] *le comte de Soiſſons.* [d] *de Falandre.* [e] *le Maine.* [f] *de Babou comte de Sagone.* [g] *de Rouxel Sr de Medavy.* [h] *les capitaines Nicolo Albanois & du Peſché.* [i] *pays Chartrain.* [k] *Chartres.* [l] *Courville.* [m] *Nogent le Rotrou en Perche.* [n] *de Bouille comte de Creance, J. de Dreux Sr de Morinville, Cl. de Gruel Sr de la Frette, Gir. d'Angeau, de Monbaſin, de Vieuxpont de Neubourg, & les ſieurs d'Artray & Ovilliers.*

Ovillerium ſcribit, ut ſibi cum aliis ſuis equitum praeſto eſſent: qui ubi advenerunt cc equitum et c ſcloppetariorum numero, x Kal. Apr ileis, qui in Jovis diem incidebat, ſummo mane Sueſſio proficiſcitur, et [a] Autonium tendit: ubi cum nihil adhuc de hoſtibus cognoviſſet, cibo ſumpto, mox rurſus ad inſequendos eos iter perſequitur, Creantiano praemiſſo, qui accelerato gradu eos conſecutus tamdiu certando diſtineret, donec ipſe cum toto robore adveniſſet. Creantianus ſecum Artraeum cum ſcloppetariis equitibus duxerat; qui rurſus ab eo praemiſſus cum exploratoribus Falandrium inter [b] Crucem Perticenſem, id vico nomen, et Montinium aſſequitur, et acriter invectus ſemper recedenteis ſiſtit. Ibi pugnae initium factum, in qua [c] Ruſſelerius ſtrenuus ordinum ductor deſideratus eſt, dum equo amiſſo ſepem adverſam lorica praegravante ſuperare fruſtra conatur, Falandrii ipſius manu interfectus. Sed incumbente regiorum globo, cum Nicolaus cum Epirotis ſuis ad ſylvae proximae oram tendens certamen detrectaret, ceteri, dum confuſis ordinibus frontem obvertunt, fuſi caeſique ſunt. Falandrius ipſe graviter vulneratus manus victoris evaſit, deſideratis amplius L e ſuis, et amiſſis omnibus impedimentis.

V. Hoc auſpicato rei adverſus foederatos primum bene geſtae principio laetus Sueſſio protinus in aulam venit, ut regis imperia acciperet. Ibi conſultatum, quam imperii ſedem rex deligeret, in quam ſenatum transferret, et conſiſtorium veluti deponere tuto per hos motus poſſet. [d] Nivernius regi [e] Molinium in Boiis proficiſcendum ſuadebat, ut [f] Lugduno ſe admoveret; qua in urbe regni primaria multos eſſe aiebat, qui occulto regi favebant, et vicino rege mox armis ſumptis urbem recepturi eſſent: praeterea ad excipiendas auxiliareis copias, quas [g] Sancius adducturus eſſet, locum commodum eſſe, quae, ſi longius rex abſit, vel minimo impedimento interpoſito facile retardari poſſint: atqui ad famam, quae magnum in bellis momentum habet, pertinere, ut rex cum potenti exercitu incedere ab omnibus ſciatur; nam pleramque nobilitatem, quae huc illuc ad defendendas a vicinarum civitatum infeſtatione domos privatas dilapſa eſt, ſubito ad eum undique ſe aggregaturam. Contra diſſerebat Sueſſio, et ſumme perniciosum hoc conſilium eſſe contendebat: nam ſi rex a [h] Ligeri, hoc eſt, a munitiſſimo contra defectionum torrentem aggere, longius diſcederet, fore, ut [i] Andegavum, Caeſarodunum, et aliae ad Ligerim poſitae urbes protinus deficiant, praeſertim inde ex [k] Aquitania Navarro imminente, inde ex adverſa parte venientibus foederatis, et omni cis et trans Ligerim regione rex ſpolietur: nobilitatem vero regis receſſum pro fuga accepturam, et, prohibito Ligeris tranſitu, quomodo ad regem venturam? quantum vero ad famam pertinere, ſi hoſtes [l] Bloeſis potiti arcem ampliſſimam et nobiliſſimum regum tot annis domicilium, quod facturos illos nemo dubitat, ad explendum animum ferro flammiſque vaſtatum demoliantur, et, quaſi de everſo regii faſtigii tota Gallia celeberrimo monumento triumphantes, horrendum de majeſtate regia extincta tropaeum, ad ultionem in praeſens, in poſterum ad terrorem, ſtatuant? itaque potius videri, ut, omiſſis ſpecioſis potius quam tutioribus conſiliis, rex ad Ligerim maneat, utriuſque ripae potens, ſive recta in hoſteis, ſive in Aquitaniam tendendum ſit: ibi exercitum auxiliarem tuto opperiendum, [m] ſenatu, rationalium et vectigalium curiis, aliiſque regiae majeſtatis ornamentis Caeſarodunum Turonum tranſlatis, urbem amplam et ſitu commodiſſimam, inde adverſus hoſtem Ligeri objecto munitam, a tergo [n] Indro, [o] Cari, et aliis fluminibus defenſam. Haec ita palam utrinque dicebantur. Sed aliud arcanum

INTERPR. [a] *Auton.* [b] *la Croix du Perche.* [c] *Rouſſeliere.* [d] *le duc de Nevers.* [e] *Moulins en Bourbonnois.* [f] *Lyon.* [g] *de Harlay Sancy.* [h] *la Loire.* [i] *Angers & Tours.* [k] *Guienne.* [l] *Blois.* [m] *le parlement, chambre des comptes, & cour des aydes.* [n] *l'Indre.* [o] *le Cher.*

arcanum ſuberat, quod nondum evulgabatur, de Navarro regi conciliando, et copiis ejus citra Ligerim contra Meduanium opponendis; a quo conſilio maxime abhorrebat Nivernius, et, ut omnem occaſionem regi, alioqui a Proteſtantibus maxime averſo, cum Navarro conveniendi eriperet, longius a Ligeri diſcedendi conſilium urgebat, ſibi quoque a rebus privatis utile: ſic enim ſperabat fore, ut [a] Noviodunum Heduorum, Donzium, ac cetera [b] Nivernii principatus oppida et arces, a quibus haud longe [c] Molinium abeſt, facilius in fide retinere poſſet. Contra Sueſſio ac ceteri proceres, qui Sueſſionem in ſententia confirmabant, cum neceſſarium ducerent ut rex Navarrum ſibi adjungeret, alioqui fore, ut, niſi ejus opera uteretur, eum hoſtem habere cogeretur, longius inde recedendum negabant. Ambigente rege utram ſententiam ſequeretur, fortuna dubitationem ſuſtulit, tumultu Caeſaroduni excitato; ubi plerique oppidanorum inſaniebant, metu artificioſe a concionatoribus et aliis e ſacro ordine emiſſariis injecto, quaſi rex eo venturus eſſet, ut milite praeſidiario urbem impleret, quod ſummopere exhorreſcebant. Addebant et impudentiſſime ſeditioſi, id agi, ut urbs in Navarri manus conſignaretur, qui Catholicos ad internecionem deleret, et, abolita majorum religione, teterrimam mali ſectarii peſtem ubique ſpargeret. Haec clamoſi ad raucedinem rabulae ex ambone ad plebem vociferabantur: contra quos Aegidius [d] Souvraeus provinciae praeſes, praecipua fide regi, et ob vitae innocentiam ac comitatem plebi charus, cum moderationem ſuam primo opponeret, fruſtra erat, tandemque vim vi repelli oportuit; iſque ope bonorum tumultuanteis compeſcuit, ſed nullo ſeveritatis exemplo edito, ita ut quotidie major a defectione metus ingrueret, niſi rex praeſentia ſua bonis animos faceret, et terrore malis injecto urbem in obſequio confirmaret. Itaque iter Caeſarodunum pronunciatur; et antequam rex [e] Bloeſas relinqueret, edictum condit, quo ſenatum et rationalium curiam eo transfert; mandatque praeſidibus ac ſenatoribus, ubicunque locorum ſint, ut eo ad jus dicendum et munere ſuo defungendum quamprimum ſe conferant, partibuſque ne apud alios judices litigent, falſi poena addita contra eos qui aliter fecerint. Igitur, valido praeſidio Bloeſis impoſito et abductis ſecum captivis, rex [f] Montem-Richardi tendit, devitata in itinere [g] Amboſia, ne [h] Gaſtum nuper reconciliatum et alioqui ſuſpicioſum hominem novo metu impleret. Inde cardinalis Borbonius ſub valida cuſtodia [i] Chinonium ad Vigennam amandatus, et Franciſco [k] Regio Chavinio illius arcis praefecto commiſſus, viro antiquae probitatis et fidei, jam caeco, ceterum corporis et animi viribus adhuc vegeto, et qui ad extremum vitae ſpiritum ſummam in regii nominis dignitate tutanda conſtantiam ſervavit. [l] Ellebovius ad [m] Lochias miſſus, cui arci Galliardus [n] Sanlarius ab [o] Eſpernonio praepoſitus erat. [p] Jonvillae princeps in arce Caeſarodunenſi aſſervatus eſt, cuſtodia ejus [q] Roborco Joannis Doi ſtipatorum praefecti legato attributa. Poſtquam rex ad urbem venit, ſtatim intellexit quam prudenter feciſſet quod Sueſſionis conſilium ſecutus eſſet; nam mox de motu [r] Andegavi a [s] Briſſaco excitato allatum eſt. Jamque, catenis tenſis et doliis per vicos diſpoſitis, in eo erant ſeditioſi ut arcem obſidione cingerent, cum Aumontius eo propere cum [t] praetorianis et legione Picardiae ire juſſus. Nec magni negotii res fuit. Arci praeerat Petrus [v] Donadeus Picaricus ab Anna Jouſa olim impoſitus, vir regi ſumme fidus; qui, fide ab Aumontio accepta non fraudi fore, eum intra arcem accepit: unde eruptione in urbem facta, ſtatim diffugiente cum ſuis Briſſaco, paucis interfectis urbe potitus eſt.

Cives

INTERPR. [a] *Nevers & Donzy.* [b] *le duché de Nevers.* [c] *Moulins.* [d] *de Souvré marquis de Courtenvaux, gouverneur de Touraine.* [e] *Blois.* [f] *Montrichard.* [g] *Amboiſe.* [h] *le Guaſt.* [i] *Chinon ſur la Vienne.* [k] *le Roy Sr de Chauvigny.* [l] *le duc d'Elbœuf.* [m] *Loches.* [n] *de S. Lary.* [o] *le duc d'Eſpernon.* [p] *Joinville.* [q] *du Rouvray lieutenant des gardes ſous monſieur d'O.* [r] *Angers.* [s] *le comte de Briſſac.* [t] *le regiment des gardes.* [v] *Donadieu de Picheric.*

Cives in verba regis ſolemni jurejurando adacti, et aliqua pecuniae ſumma mulctati. CIƆ IƆ LXXXIX.
Id actum pridie Paſchatis. C aureorum millia et IV CIƆ militum ſtipendium Picarico HENRICUS III.
promiſſum a Briſſaco conſtat, ſi regis partes deſerere vellet, ac unioni nomen dare: quas ille conditiones generoſe reſpuit, decus et fidem, quam quicquid ab illis offerretur, ſibi pluris eſſe reſpondens.

VI. HAUD multo poſt diploma de ſenatus tranſlatione, loco in [a] S. Juliani coenobio ad id parato, promulgatum x Kal. Aprileis, rege in lectiſternio ſedente, audito et poſtulante cognitore regio. Quis praeſidis munere in eo fungeretur, diu antea agitatum fuerat: nam Petrus [b] Seguierius, qui unus e tumultu Pariſienſi evaſerat, [c] Malleo-buxi cum Antonio fratre patrono fiſci erat, quae Helenae [d] Illeriae Doorum parentis arx erat in [e] Perticenſi agro, qui ambo inde longe [f] Cadomum in inferiorem [g] Neuſtriam conceſſerunt. Is honos a rege ultro Jacobo Auguſto Thuano delatus; cui jam ut in eodem munere poſt Auguſtini patrui, qui captivus Lutetiae attinebatur, obitum ſuccederet, anticipata gratia conceſſum fuerat. Cumque ob id in conſiſtorium vocatus eſſet, inſtante procancellario ut jubenti regi obediret, ille ſe excuſavit, et nunquam ſperaſſe reſpondit, cum primum eo munere defuncturus eſſet, ut primarii praeſidis ordine, ſed ultimus poſt omneis, quorum exemplo et monitis ſe inſtrueret, ſederet. Aderat Jacobus [h] Faius Speſſaeus fiſci patronus; qui, quanquam antea profeſſus eſſet ſe magiſtratum ejerare in animo habere, neque amplius eo functurum eſſe, hunc denuo honorem Thuano detulit, ut ſe patroni fiſci officio defungi paratum oſtenderet, ſi Thuanus, accepta conditione a rege oblata, praeſidis loco ſederet. Verum ille rurſus ſe excuſavit; et, mutua modeſtiae concertatione cum eſſet inter eos aliquandiu altercatum, tandem Speſſaeo perſuaſit, ut praeſidis dignitatem, quam multis nominibus meruiſſet, acciperet: non enim defore multos, qui patroni fiſci officio defungerentur. Id poſtea in Ludovicum [i] Servinum Caroli cardinalis [k] Vindocini commendatione collatum eſt, juvenem eruditum, fideique erga regem perſpectae. Poſtea aerarii tribunal, quod [l] Rigomagi in Arvernis inſtitutum erat, quod Rigomagenſes defeciſſent, diplomate in curia VIII Kal. Maias recitato [m] Claromontium tranſlatum eſt. Ac triduo poſt alterum in ſenatu edictum promulgatur, audito et poſtulante cognitore regio, quo [n] Meduanii, Aumalii, equitis Hieroſolymitani ipſius fratris, et eorum qui ſponte [o] Lutetiae, Rotomagi, Toloſae, Aureliani, Autrici Carnutum, Samarobrigae Ambianorum, Abbatis-villae, Lugduni, in [p] Cenomanorum civitate, cui Vindino olim nomen, commorantur, aliorumque qui eorum partes ſequuntur, bona tam ſoli quam mobilia proſcribuntur; mandaturque ut ea ſub haſta veneant, et pecunia ex iis proveniens in belli uſus convertatur.

VII. INTEREA de Navarro regi conciliando agi ſerio coepit. Is, poſt [q] Niortium captum, Maxentii fanum et Malleacum in fidem acceperat, ultro ſe dedentibus oppidanis; et Malleaco Theodorum Agrippam [r] Albinium, Maxentii-fano Ludovicum [s] Harlaeum Monglacium, impoſuerat. Inde promotis caſtris, cum late terrorem ſui ſparſiſſet, [t] Juliodunum, Mirabellum, Vivonum, Bochardi inſula, et Caſtrum Eraldi ad Vigennam venienti portas aperuerunt. Quibus locis nihil, quod ad magiſtratus et civilem adminiſtrationem, mutavit: tantum Proteſtanteis inde ejectos priſtinae libertati ac bonis reſtituit, et concordiam inter civeis juxta pacificatoria edicta ſancivit. Dum ad Eraldi-caſtrum haereret, affertur [v] Argentoni res turbare.

Id

INTERPR. [a] *l'abbaye de S. Julien.* [b] *de Seguier.* [c] *Maillebois.* [d] *d'Illiers.* [e] *le Perche.* [f] *Caen.* [g] *Normandie.* [h] *de Faye Sr d'Eſpeſſes.* [i] *Servin.* [k] *de Vendoſme.* [l] *Riom en Auvergne.* [m] *Clermont.* [n] *les ducs de Mayenne & d'Aumale, & le chevalier d'Aumale.* [o] *Paris, Rouen, Toulouſe, Orleans, Chartres, Amiens, Abbeville, & Lyon.* [p] *le Mans.* [q] *Niort, S. Maixant, & Maillezais.* [r] *d'Aubigny.* [s] *de Harlay Monglas.* [t] *Loudun, Mirebeau, Vivonne, l'Iſle-Bouchard, & Chatelleraut ſur la Vienne.* [v] *Argenton.*

Id erat [a] Monpenſerii ditionis caſtellum, ſed pro dotis reſtitutione et donatione propter nuptias Catharinae Mariae Lotharingae Ludovici Borbonii Monpenſerii viduae aſſignatum; cujus nomine arcem tenebant homines foederationi addicti, qui ea contenti oppidum ſubjectum per ſe debile hactenus inſuper habuerant: qui tamen poſt Guiſii mortem Navarrum, qui [b] Caſtrum-Eraldi haud longe tenebat, tam vicinum veriti, cum occupare vellent, occaſionem tumultuandi oppidanis praebuerunt: nam oppidani confeſtim captis armis ad regem miſerunt auxilium poſcentes; viciſſim arcis praeſidiarii ad [c] Caſtreum mittunt, qui, quia adhuc diſſimulabat, ad Aurelianenſeis ſcribit, et ut foederatis praeſto ſint monet. Igitur miſſi [d] Aureliano auxiliares: de quorum adventu factus certior Navarrus ab Antonio [e] Moreto Realio, qui ex Germania veniens, quo in ſtatu res Argentoni eſſent, cognoverat, mox eo [f] Vignelium cum cohorte praetorianorum, et cum eo Petrum [g] Foquerolium ac XL ex ſuis nobilibus mittit, qui laborantibus oppidanis praeſto eſſent. Ii ſub id venerunt cum oppidani ſalute deſperata convaſatis jam rebus fugam meditarentur, et medii ſe inter eos et arcis praeſidiarios ad praedam ruenteis interponunt, et [h] Arrivellum et Almonum [i] Sanferianae legionis duces intra pontem [k] Creuſae impoſitum compellunt. Creuſa oppidum dividit. Navarreni eam partem inſederant, quae inter pontem et arcem media eſt. Interea Navarrus a Foquerolio monitus adventabat; factoque per [l] Rupipozaeum et Gualteri-fanum itinere ad alteram oppidi partem vim facit, et in ponte obſeſſos praeſidiarios ad deditionem adigit. Inde ad arcem vallum promovet, quae a praefecto, qui tantum IV milites ex omni numero reliquos circa ſe habebat, ſtatim recepta eſt. In eam impoſitus a Navarro Gaſpar [m] Fulcaudius Bellopratus; vocatiſque oppidanis et fide eorum laudata, Proteſtantes bonis et libertati reſtituti ſunt.

VIII. INDE Caſtrum-Eraldi reditum, ubi Navarrus ſcriptum evulgat ad regni ordines directum IV Nonas Martias, elaborata admodum oratione; quo deplorata publica calamitate, cujus acrior ſenſus illum tanquam primarium regni principem et primum Franciae parem, quam quenquam alium ſecundum regem, remordeat, et expoſita cauſae ſuae juſtitia, qui invitus et extrema neceſſitate victus pro conſcientiae libertate ac ſalute communi arma induerit, tandem pro foederatis et ſe quoque pacem a rege petere dicit, tanquam unicum ac certiſſimum tot malorum remedium; hortaturque eos qui circa ipſum ſunt, ut pacis ſecum faciendae auctores ei ſint: nam quem miſeriarum finem futurum, niſi idem qui vitae fortunarumque ac dignitatum univerſorum ac ſingulorum futurus eſt? an regem unum contra tot adverſarios viribus parem, inde Proteſtantibus, inde foederatis undique prementibus? conditionem igitur accipiat, et foederati ab armis diſcedant; ſatiſque ultioni, odiis, ſimultatibus, et ambitioni, ſi quae poſt tot adverſa ſupereſt, putent factum: ſe ceteris exemplo ſuo praeiturum, et fortunatorum huc uſque armorum hunc uberrimum fructum percepturum, ſi in gratiam regis recipiatur, et foederatos regi conciliare poſſit: hoc ſuum, et omnium qui ipſum ſequuntur, votum eſſe; hoc continuis precibus a Deo expoſcere, hoc demiſſe quantum poteſt a rege flagitare; hoc foederatis denunciare, atque etiam pro dignitatis praerogativa, quam a majoribus acceptam hoc in regno in eos obtinet, imperare; ſi non obtemperent, neque rex juſtis ſuis petitionibus aures praebeat, teſtem Deum praeteritorum, in poſterum adjutorem appellare, ipſumque et homines conteſtari, ſe periculo vitae regem regnique cauſam, ſicuti primarium Galliae ſecundum regem principem decet, cum ſuis omnibus

INTERPR. [a] *le duc de Montpenſier.* [b] *Châtelleraut.* [c] *de la Chaſtre.* [d] *Orleans.* [e] *Moret Sr des Reaux.* [f] *de Vigneles.* [g] *de Fouquerolles.* [h] *Arrivel & Almon.* [i] *de S. Fere.* [k] *la Creuſe.* [l] *Rochepozay & S. Gaultier.* [m] *Foucaud Sr de Beaupré.*

omnibus defenſurum, et manibus pedibuſque, quantum in ſe erit, enixurum, ne aut aliorum perverſa voluntate, aut aliorum ſocordia, regnum hoc florentiſſimum, cujus ipſe pars magna ſit, evertatur: proinde fidem, quam huc uſque inviolatam ſervaverit, obligare, ſe cunctos, qui ſibi in tam laudabili propoſito adeſſe volent, nullo religionis diſcrimine, cujuſcunque conditionis et ordinis ſint, amplexurum, et ab omni injuria protecturum, nullius conſcientiae vim fieri paſſurum, aut in urbibus, quae ſe regi ſibique ſponte ſubjicient, quidquam in religione aut civili magiſtratu innovaturum. Hac animi ſui declaratione Navarrus ſuae cum rege reconciliationis, de qua per amicos aliquid inaudiverat, negotium ut urgeretur effecit. Nec res carebat exemplo: nam jam in Delfinatu, ſyndico provinciae inſtante, Alfonſus [a] Ornanus ſummus copiarum regiarum dux cum Franciſco [b] Bona Diguierio Navarri legato inducias pepigerat, quae a Kal. April. hujus anni incipiebant, et in Decembris ultimum diem anni ſequentis exiturae erant, imperatis provinciae in ſingulos menſeis XXXVI CIↃ aureorum ad alenda praeſidia, inter belli duces ex aequo dividendis, quae praeter telonea et portoria antiqua exigebantur; onus utique exiguae adeo provinciae intolerabile, ac poſtremo exitioſum, bonis provincialium pro ſummis, quae exigi non potuerunt, nobilitati oppigneratis: quod tamen belli neceſſitas pro tempore excuſavit. Igitur Ludovicus [c] Angenneus Maintenonius, qui ab initio mature revocandi e [d] Pictonibus exercitus auctor fuerat, et, quod non auditus eſſet, crebris expoſtulationibus regis aures pulſabat, hoc exemplo fretus, eo inſtantius inducias cum Navarro quamprimum pangendas ſuadebat: id citius factum oportuiſſe, et tunc ſine mora aut tergiverſatione tandem aliquando fieri debere: imperii, non religionis cauſam agi, quae cum everſo imperio procul dubio periclitetur: invidiam fruſtra metui, ubi plus periculi in re ipſa eſt, quam in opinione: falſis hominum rumoribus ſalutem poſthabere nunquam prudentis fuiſſe: inter Proteſtantium et foederatorum arma regium nomen oppreſſum ac paene exſtinctum jacere: cum alterutris tranſigendi neceſſitatem imponi: cum foederatis per eorum pervicaciam non licere; itaque reliquum eſſe, ut cum alteris, qui ſe ultro offerunt, conveniatur: quibus conciliatis multum praeſidii in praeſens regis rebus, in poſterum religionis bono redundare; nam ita eadem opera fieri, ut, florentibus Navarri viribus Meduanio objectis, pernicioſi obſtinatae conjurationis conatus frangantur, et Navarrus progreſſus, quos alioqui rebus turbatis, Proteſtantium commodo et religionis detrimento, facturus eſſet, bello contra foederatos occupatus et regis auſpiciis militans, non faciat. Quae etſi vera eſſent, et prudentiſſimus quiſque ita ſentiret, tamen rex, ſive tarditate inſita, ſive innato adverſus Proteſtanteis odio, quod invidiae metu praetexto tunc prudenter diſſimulabat, id quod cito et aperte fieri debebat, diu tegi et in occulto fieri voluit. Per Dianam [e] Engoliſmenſem, quae [f] Salmuriam uſque proceſſerat, generoſam foeminam, proboque et adverſus factiones ſincero ingenio praeditam, res primum ſecreto tentata, cum ad eam extra oppidum progreſſam officioſe inviſendam Navarrus [g] Bocardi inſula veniſſet. Poſtea clam miſſus a Navarro [h] Caeſarodunum Philippus [i] Mornaeus Pleſſius, vir inſigni facundia et in explicandis negotiis ſolertia praeditus; qui in Gaſparis Schombergii aedibus latere juſſus, donec noctu ad regis colloquium admiſſus eſt. Tandem interventu Schombergii pactae induciae, quae a III Non. April. inciperent, et in eundem diem anni ſequentis exirent. Tum arcano ſcripto inter eos convenit, ut Navarrus cum CIↃ CC equitibus, II CIↃ ſcloppetariis, regi militaret, et, oppido ad Ligerim tranſmittendum conceſſo, copias ſuas contra

INTERPR. [a] *le colonel d'Ornano.* [b] *de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [c] *d'Angennes Sr de Maintenon.* [d] *Poictou.* [e] *Madame d'Angouleſme veufve de François mareſchal de Montmorency.* [f] *Saumur.* [g] *l'Iſle Bouchard.* [h] *Tours.* [i] *le Sr du Pleſſis Mornay.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

contra Meduanium ſeorſim a regiis duceret. Id magno ſecreto actum; ac poſſe fieri ſibi perſuaſerat rex, ut conventum cum Navarro apud pontificem negare poſſet: quod fruſtra ſperari cum oſtenderet legatus, rex XV dierum ſpatium petit ad negotia ſua ordinanda, antequam pacta, quibus praeſente Pleſſio ſubſcripſerat, Navarro traderentur; quo tempore ſpes ſuberat poſſe cum Meduanio tranſigi, aut belli ſuſpenſionem impetrari: quod ſi contingebat, bellum acrius quam antea contra Navarrum gerere decreverat. Morae interpoſitae color quaeſitus, quod de oppido ad tranſitum conceſſo nondum convenerat. [a] Gergolium rex obtulerat ſupra [b] Aurelianum, nondum detecta praefecti, qui ſub id defecit, perfidia. Sed Navarrus id renuebat; locum debilem eſſe Aureliano infeſtiſſimae urbi propinquum, et cujus tutela bonam copiarum ſuarum partem occupatura eſſet, tantoque minus ad hoſtem petendum ſibi ſuperfore, et longius a locis quae teneat abeſſe, nec niſi ſuperatis pleriſque fluviis ex [c] Aquitania eo commeari poſſe: proinde locum aliquem infra [d] Caeſarodunum dari petebat, poteſtate ejus muniendi facta. [e] Pontes Seii oblati, altero ab [f] Andegavo milliari, municipium admodum debili et anguſta arce firmatum: quod renuere cum non poſſet Navarrus, et tamen [g] Salmuriam mallet, quae XVII a Caeſaroduno leucis, X a Pontibus, media inter utrumque, abeſt, hoc aſtu uſus eſt. Alexandro [h] Coſſenio homini avaro, qui Pontes tenebat, per appoſitos homines ſignificandum curat, ut quam opimas poſſet a rege conditiones peteret; nihil ei negaturum regem natura profuſum et in extrema neceſſitate conſtitutum. Quod ille praefracta impudentia fecit, C aureorum CIↃ, et coenobium, cujus reditus annuus VI CIↃ aureorum excedebat, compenſationis loco poſcens: nam corruptis per ipſius regis indulgentiam moribus invaluerat, ut quae ſua erant a ſuis emere cogeretur. Eodem tempore Navarrus Florentem [i] Guiotum Eſſartium per amicos ſolicitabat, ut Salmuriam, cui praeerat, ſi ab eo repoſceretur, moderatis conditionibus regi reſtitueret, eique VI CIↃ aureorum praeſenti pecunia inſcio rege per Scipionem [k] Sardinium patritium Lucenſem, qui in aula erat, numerari juſſerat. Itaque cum Coſſenius non ſolum iniqua, ſed quae in regis poteſtate tunc non erant, peteret, Eſſartius ſe aequiſſimum contra praeberet, rex, etſi aegerrime, (nam aliter copiis Proteſtantium ſibi adeo neceſſariis uti non poterat) de Salmuria cum Eſſartio tranſegit, eamque Navarro conceſſit, traditione per Martinum [l] Ruzaeum Bellilocum facta. Interea datum fuerat pontificio legato negotium, ut cum Meduanio ageret; ſi nihil a Meduanio impetrari poſſet, inde Romam recta perrecturus. Igitur legatus, ubi [m] Bloeſas venit, ad Meduanium ſcribit, [n] Laurencino ab epiſtolis ad eum cum mandatis miſſo: ea erant, egiſſe ſe cum rege, et ab eo obtinuiſſe, ut totum hoc, quod novis motibus cauſam praebuiſſet, negotium pontifici, qui de eo tanquam arbiter ſupremus decerneret, permitteretur: idem ſi ipſe facere paratus eſſet, ſe ad eum profecturum, ut coram de conditionibus induciarum, quas interea pangi neceſſe ſit, commodius agat. Acceptis legati literis Meduanius, id quod erat conjiciens, regem per legatum ipſius animum pertentare, continuo ad eas reſpondit, nunquam ſe pontificis auctoritatem defugiturum, ad quem jam delegatos miſerit, et eandem ob cauſam brevi miſſurus ſit: ſed induciarum mentionem hoc rerum ſtatu intempeſtivam eſſe, et aſtum ſe hoſtium agnoſcere, qui ab omnibus rebus imparati moram tantiſper induciarum ſpecie interponi cupiant, donec novas vireis collegerint, ut, prima ſuorum alacritate infracta, ipſi poſtea recentibus copiis ſubnixi feſſos et deſidia languenteis opprimant: qua porro fide de pace aut induciis cum eo agi poſſe, qui tam deteſtando paricidio nuper fidem violavit? aut quos titulos ei tribui, qui e praecelſo regiae majeſtatis faſtigio

lapſus

INTERPR. [a] *Gergeau.* [b] *Orleans.* [c] *Guienne.* [d] *Tours.* [e] *Pont de Cé.* [f] *Angers.* [g] *Saumur.* [h] *de Coſſeins.* [i] *Guiot Sr de l'Eſſart.* [k] *Sardini gentilhomme Lucquois.* [l] *Ruzé Sr de Beaulieu.* [m] *Blois.* [n] *Lorencini.*

lapſus etiam omne in ſuos obedientiae jus amiſit? ita tamen ſe geſturum, ut pontifex intelligat, belli hujus arbitrium penes ipſum futurum. Tandem dimiſſus Laurencinus cum literis de cetero affectatae demiſſionis plenis, quibus ſuum erga pontificem ejuſque illuſtriſſimum legatum enixis, quantum poterat, verbis animum devotiſſimum teſtabatur. Quod ubi reſcivit rex, omni ſpe cum Meduanio concordiae abjecta, pactas cum Navarro inducias edicto publicavit, quibus in pontificis gratiam [a] Avenionem et Venaſcinenſem comitatum comprehendi voluit. Diploma in ſenatu recitatum fuit III Kal. Maias, magno omnium bonorum plauſu, qui nullam aliam res noſtras afflictas erigendi rationem videbant, quam ſi rex Navarrum primarium regni principem ac proximum heredem et praeſtantiſſimum imperatorem ſibi conciliaret. Sic enim fore judicabant, ut rex, tanto belli duce ſubnixus, et legitima ſucceſſione firmata, adverſus omneis omnium tam intra quam extra regnum copias invictus eſſet.

IX. Antea Navarrus XIV Kal. Maias ſcriptum evulgaverat pari elegantia ſcriptum, quo eos pro hoſtibus habere ſe profitebatur, qui conjuratione facta regem oppugnantes regium nomen deleverant, curias regni de tribunali dejecerant, primarios earum praeſides aut crudeliter occiderant aut in carcerem injurioſe detruſerant, S. S. ſigilla confregerant, et omni divino humanoque jure calcato Galliam ferro flammiſque ac cruore miſcebant; eos infeſtis armis ſe perſecuturum ſignificat: et quia multos imprudentia ſeu metu foederationi nomen dediſſe ſciat, iis, ut a perduellionum partibus quamprimum diſcedant, et regi obedientiam, quam debent, praeſtent, denunciat: ni pareant, de calamitatibus, quas perpeſſuri ſunt, proteſtatur. Contra eorum qui regi reconciliati fuerunt, cujuſcunque ordinis et conditionis ſint, patrocinium ſuſcipit, mandatque militaribus copiis ſuis, ut ab omni maleficio erga eos abſtineant. Tum in Lotharingorum gentem, quorum humilia in Gallia initia et immoderatam alieni invadendi cupidinem multis verbis exagitat, acerbe invehitur, oſtenditque bellum hoc eorum libidine ſuſceptum communem omnium ordinum perniciem ſecum trahere, ac fore, niſi mature reſipiſcant qui illorum partes ſequuntur, ut inextinguibili ab ipſis excitato incendio omnes ſimul involvantur. Sexto poſt die aliud edictum proponit, cum adhuc Salmuriae eſſet, ad Proteſtanteis, et eos qui in ejus patrocinio erant, directum, quo de induciis in annum factis eos certiores faciebat, iiſque Avenionem et comitatum Venaſcinenſem comprehenſum ſignificat, mandatque univerſis et ſingulis, ut juxta induciarum leges ab omni maleficio contra fidos regi ſubditos et pontificios abſtineant, et religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae nullibi locorum libertatem turbent. Quod rurſus additum, rege inſtante, ut apud pontificem hujus rei expreſſione induciarum cum Navarro pactarum invidiam leniret.

X. Ante publicatas inducias, qui circa Meduanium erant, quid cum Navarro ageretur minime ignari, quanquam odio illius ad mentionem induciarum populos infeſtioribus animis contra regem inflammatum iri non dubitarent, et laetarentur, tamen, veriti ne tanto imperatore fretus ubique victor eoſdem populos cum fortuna fere mutanteis ad reſipiſcentiam compelleret, in hoc maxime incumbebant, ut Pariſienſeis, quorum exemplum ceterae civitates ſequebantur, eo adducerent, ut poenitentiae amplius locus non eſſet. Itaque nihil reliqui faciebant concionatores ab iis, partim praeſenti pecunia, partim ſpe opimiorum ſacerdotiorum ac dignitatum, ſubornati, quo res exacerbarent, et inimicitias irreconciliabileis inter regem regiſque ſubditos accenderent. Inter eos primas tenebant Gul.[b] Roſa Silvanecti epiſcopus,

Joannes

INTERPR. [a] *Avignon & le Comtat Venaiſſin.* [b] *Roſa evêque de Senlis.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS III.

[a] Joannes Ginceſtrius, Joannes Hamiltonius, P. Bernardus e Foliacenſi ordine nuper recenſito monachus, Chriſtophorus Auberius, Petrus Chriſtinus, Gulielmus Lucinus, Mauclericus, Jacobus Commoletus Jeſuita, Joannes Guarinus, Jacobus Cuellius, Pichenatius, et notiſſimus Gilbertus Genebrardus Hebraicarum literarum profeſſor regius et per hos motus a Gregorio XIV pontifice [b] Aquenſis archiepiſcopus creatus, et Franciſcus [c] Feu-ardentius Franciſcanus. Ii et voce et ſcriptis foederatorum cauſam adjuvabant, et, deteſtanda impietate in pravum ſenſum recta ſacrae ſcripturae interpretatione detorta, populorum animos a regis obſequio alienos in rebellione confirmabant. Sed omnium impudentiam et improbitatem ſuperabant Matthaeus [d] Launaeus, qui, olim ſacerdos, poſtea uxore ducta ad Proteſtantium partes defecerat, et, paſtoris officio apud eos diu functus, rurſus, ſeu poenitentia ductus, ſive uxoris pertaeſus et adulterii poenam, cujus convictus fuerat, metuens, ad ſacerdotium relicta uxore redierat: nec Launaeo modeſtior Joan. [e] Bucherus familia nobili Lutetiae natus: qui omnes et lingua et ſcriptis editis regem regiumque nomen rabida mordacitate proſcindebant. Et cum huc uſque libellis ſuppreſſo nomine ſparſis certatum eſſet, tunc glorioſum ducebatur maledicis illis et incendio ac carnifice dignis libris nomen ſuum praefigere. Hac fiducia fretus librum ſcripſit Bucherus de juſta Henrici III abdicatione, nomen ſuum profeſſus, apud Nicolaum [f] Nivellium characteribus elegantibus expreſſum, neque dum, cum rex vivere deſiit, conſummatum, quo non aliud flagitioſius toto illo effraenatae licentiae tempore publicatum eſt; eoque rabula impudentiſſimus innumera dictu foeda et auditu horrenda per ſummam calumniam regi affingebat, propter quae eum, tanquam a communione eccleſiae ipſo jure excluſum, omni regni jure excidiſſe, et legitime abdicatum, ac tandem juſto Dei judicio et impulſu interfectum eſſe colligebat. Et haec quidem ſinguli. At univerſi rurſus, magna celeberrimi toto Chriſtiano orbe collegii infamia, Nonis Aprilibus decretum faciunt, quo regis nomen et preces pro eo in canone Miſſae et collecta ſecreta concipi ſolitae inducuntur, et loco ejus quaedam orationes ab ipſis pro principibus [α] Catholicis inſeruntur. Quod citra plagium atque adeo ſacrilegium fieri non poſſe multi ex iis contendebant, qui eodem decreto, ſi aliter, quam quomodo a collegio Sorbonico tunc conſtitutum fuit, facere pergant, et ipſi tanquam unionis eccleſiae hoſtes a communione ejus rejecti cenſentur. Inſuper additum, recte feciſſe eos ſacerdotes, qui jam ante decretum in precibus concipiendis regis nomen omiſerant: diſputatum et de iis, ac praeſertim epiſcopis et ſacerdotibus, qui poſt cardinalicidium ſponte nec ignari cum [g] Henrico Valeſio, ſic regem per contemptum vocabant, in rebus ſacris participarant, an in vincula ſacrae cenſurae ſe induerint, quibus niſi a pontifice ſolvi nequeant; et ab iiſdem conſcientiarum carnificibus decretum fuit, eos cenſurae nexibus obligatos: idque aſſertione a Gilb. Genebrardo, quanquam ſuppreſſo nomine, publicata confirmatum. Quae in cardinalem [h] Gondium epiſcopum Pariſienſem manifeſte ſcripta erant: ad quam, ſuppreſſo itidem nomine, Carolus [i] Faius e ſacro ordine ſenator Pariſienſis contrario ſcripto reſpondit. Cum vero Thomas [k] Bellamicus Carmelita magni nominis theologus, qui nuper e vivis exceſſerat, olim, cum armis Proteſtantium cuncta in Gallia perſtreperent, publico ſcripto aſſeruiſſet, nullam juſtam, ne quidem ob religionem, ſumendorum adverſus principem et magiſtratum armorum cauſam eſſe poſſe, nec ſi princeps ſectaria labe infectus ſit, propterea minus ei obſequium deberi, alioqui contra

VAR. LECT. [α] Catholicis de novo fabricatae inſeruntur. *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *J. Guinceſtre, J. Hamilton, le P. Bernard Feuillant, Chr. Aubry, P. Chriſtin, Guil. Lucain, Mauclerc, Jacques Commolet, J. Guarinus, Jacques Cueilli, Pighenat, & Genebrard.* [b] *d'Aix.* [c] *Feu-ardent Cordelier.* [d] *de Launoy.* [e] *Boucher.* [f] *Nivelle.* [g] *Henry de Valois.* [h] *de Gondy.* [i] *Faye de S. Fuçien.* [k] *de Beauxamis Carme.*

contra Dei praeceptum pernicioſiſſime et cum aeternae ſalutis diſpendio peccari, eamque ſententiam et ſacrae ſcripturae et veterum patrum teſtimoniis confirmaſſet, quod id in argumentum a pacis ſtudioſis traheretur, impudenti plagio non ſolum legentibus ſed defuncti memoriae illuſerunt, ſuppoſito libello ſub ejus nomine a Gul. [a] Calderio bibliopola, quaſi cum in extremis ageret ſcripto ab illo ſuae fidei ut ederetur commendato; ad tollendam ſcilicet offenſionis, quam ex eo arripere poſſent Politici, occaſionem. Quo libello, quod recte ab illo aſſertum priore ſcripto fuerat, ineptis et tanto theologo indignis rationibus deſtruitur ac refutatur: quaſi vir bonus ille, quod vivus ſanuſque publice decantaverat, moriens ac delirus ſibi recantandum exiſtimaſſet. Itaque cumulata ſub id in eam ſententiam teſtimonia, ex ejuſdem collegii theologici ſodalium libris pridem editis deprompta, atque inprimis Simonis [b] Vigorei, qui poſt Hippolyti [c] Areſtini cardinalis Ferrarienſis mortem archiepiſcopus Narbonenſis creatus fuit. Is enim in ſermonibus poſt ejus obitum publicatis nulla juſta de cauſa licere ſubditis contra legitimum principem arma ſumere confirmat, nec ſi ille infidelis ſit et idololatra, et ipſi veri et orthodoxi ſint Chriſtiani: nam, juxta Lactantium, religionem defendi debere non occidendo ſed moriendo, non ſaevitia ſed patientia, non ſcelere ſed fide; nam ſi ſanguine, ſi tormentis, ſi malo, religio defendatur, non jam defendi illam, ſed pollui et violari. Idem et confirmatum ex LVI capite confeſſionis Chriſtianae olim editae a Claudio [d] Sanctio, qui poſtea Ebroicum epiſcopus fuit, et muneris, imo ſui, oblitus a rege his ultimis bellis defecit, ac poſtremo ejus deteſtandum paricidium etiam ſcripto probavit. His ſcurrilibus nihilominus et putidis commentis concionatores, curiones, monachi, et id genus omne homines, olim veritatis evangelicae profeſſores, tunc ſolemnia inſanientes publice et in ſecretis confeſſionibus miſeram plebem et ſpe futuri pendentem paſcebant, et omnium aures, vellent nollent, implebant. Jam inopia tenuiores laborare in urbe coeperant, et in poſterum pejora metuebantur: et, cum facultates complurium in urbe ex vectigalibus regiis oppigneratis aut locatarum aedium pretiis proveniant, bello ardente penſiones illae minime pendebantur; et, ſenatus-conſulto in curia XVII Kal. Maias facto, tertia pars conventi pretii locatoribus remiſſa eſt, exemptis ex eo numero domibus quae ad collegium decurionum et noſocomia aut ptochotrophia urbis pertinent. Has privatorum ruinas laetitia publica ſolabantur concionatores, captas urbes, hoſtium ſtrages, ducum neces pro verbi divini promulgatione ex ambone recitantes, audientium patientia et otio ſuo ſimul abutentes; ita ſcilicet a Monpenſeria, Meduanii ſorore, impotentis animi foemina, inſtructi, quae mendacium ad bonam cauſam tuendam prodeſſe, et Catholicum zelotam cum mentiretur, quam Politicum cum vera diceret, plus gratiae apud Deum mereri affirmabat.

XI. IGITUR cum ſub id tempus Silvanecti, qui regias partes tuebantur, arma ſumpſiſſent, et ejectis ſeditioſis Gulielmum [e] Momorantium Thoreum, ut urbi regis nomine praeeſſet, evocaſſent, Monpenſeria ſtatim libello edito duas cladeis hoc Aprili menſe a regiis in [f] Campania et Heduis acceptas evulgat; priorem ad [g] Merium caſtellum haud longe ab Auguſtobona Tricaſſium, quod ab [h] Eſſartio Salturio obſidebatur; alteram ad [i] Dolevantium in Heduis, quod [k] Landrecius, Lanta, et alii regiarum partium duces oppugnabant: nam Salturium ad Merium cum IV CIↃ ab Edmundo [l] Altafortio caeſum, captis tormentis et omnibus impedimentis; ceteros a Gulielmo

INTERPR. [a] *Chaudiere.* [b] *Vigor.* [c] *d'Eſte.* [d] *de Sainctes evêque d'Evreux.* [e] *de Montmorency Sr de Thoré.* [f] *Champagne & Bourgogne.* [g] *Mery prés de Troyes.* [h] *des Eſſarts de Sautour.* [i] *Doulevant en Bourgogne.* [k] *de Landrecy, & de Lante.* [l] *de Hautefort.*

Gulielmo [a] Altamerio Fervacio, Philippo Anglurio Gionvella, Antonio Pratenſi Vitelliano in fugam verſos, amiſſis vexillis, vix ad [b] Briennae et Pugii Lucemburgorum regulorum caſtella perfugium habuiſſe. Cum vero ſigna non repraeſentarentur, et curioſi ea requirerent, ut mendacio fides conſtaret, illa protinus ex arca ſericum tenue ad id paratum promit, et inde ſigna conficit, quae pulvere, luto, et imbre foeda ac lacera, quaſi in bello capta, populo oſtentari et ad tholum majoris templi protinus ſuſpendi curavit. His addebat conjurationem Petri [c] Baleoni Saillanii nuper [d] Lugduni detectam, de prodenda urbe Philiberto [e] Guichio: alteram poſtea [f] Rotomagi; quam urbem quidam regiis partibus addicti Monpenſerio provinciae praeſidi cum copiis regiis advenienti tradere conſtituiſſent. In quibus rebus explicandis concionatores miram Dei providentiam, compoſitis ad permovendos vulgi animos verborum phaleris, extollebant, qui ſectariorum et impiorum hypocritarum conatus adverſus ſacrae unionis ſocias civitates irritos reddidiſſet.

XII. Certior et tamen major fide [g] clades Gualteranorum in [h] Neuſtria fuit, ruſticorum a [i] Capella Gualteri ſic dictorum, quod ii coitionis armatae pro libertate ante biennium contra graſſatores milites initium feciſſent. Ii cum ſe in armis innoxii primum tenerent, mox creſcente numero ad vim verſi ſunt; et in quoſdam ad praedam licentioſe diſcurrenteis invecti, captum ex iis unum immani adeo carnificina laniaverunt, ut ne minima quidem cadaveris particula ſuperfuerit, ſanguine etiam a pueris et mulieribus epoto. Jamque late malum illud pervaſerat, ſerpente facile exemplo; ita ut plus XVI CIƆ hominum interdum coirent, ſignoque e templis dato, ſic inter eos convenerat, relicto opere ruſtico et ſumptis armis, protinus quo jubebatur a centurionibus per pagos diſpoſitis accurrerent. Iis ſe duces, qui turbas in Neuſtria quaerebant, praebuere [k] Briſſacus nuper [l] Andegavo exactus, N. [m] Moius Petrocurius, Loncampius, Caldofurnius, Tubovius, Rupivallius, Bellilocus, alii e nobilitate foederata, qui circa [n] Aquilam et Argentanum copias cogebant. Monpenſerius in provinciam venerat, cui praeſto mox fuerant, [o] Saium uſque obviam profecti, Franciſcus Momorantius [p] Halotus, Jacobus Momorantius Crepacordius fratres, Franciſcus [q] Martellus Bacavilla, et Grimovilla Larchantius junior: quorum copiis ſubnixus cum in praeſidiarios [r] Faleziae, quae a Briſſaco tenebatur, incidiſſet, caeſos in fugam vertit, [s] Tucheto, Hercleo, et Normanderio ipſorum ductoribus captis. Inde [t] Cadomum pergit, magna civium regi fidorum gratulatione exceptus: ubi de [v] Baiocaſſium civitate, cui Noviomago olim nomen, Falezia, Argentano, [w] Lexovio, quae in proximo defecerant, recipiendis cum actum eſſet, a Falezia principium duci placuit. Eo profectus XIV Kalen. Maias, praemiſſis II machinis muralibus et colubrina, poſtridie cum comperiſſet loco incommodo verberationem directam eſſe, alio eam tranſtulit; turribuſque duabus pulſatis, et magna ſtrage murorum edita, praepropero ardore injuſſi milites confuſis ordinibus, et eorum exemplo nobiles, oppugnationem fruſtra tentant, a defenſoribus, quibus vicinum Briſſaci et Gualteranorum auxilium animos faciebat, repulſi, ſed exiguo damno. Cum denuo ſe ad vim faciendam noſtri pararent, auxiliareis in proximo eſſe renunciatum eſt; quos peditatu potiores Monpenſerius in vallo exſpectare periculoſum exiſtimans, ultro obſidione ſoluta obviam procedit. Ii ad V CIƆ cum aliquot e nobilitate et ſacro ordine ſolute per [x] Petram-fitam, Villeriam, et Comneum pagos ſparſi degebant,

numero

INTERPR. [a] *de Hautemer Sr de Fervacques, d'Anglure Sr de Gionville, & Ant. du Prat baron de Viteaux.* [b] *Brienne & Pougy.* [c] *Baglioni Sr de Saillan.* [d] *Lyon.* [e] *de la Guiche.* [f] *Rouen.* [g] *deffaite des Gaultiers.* [h] *Normandie.* [i] *la Chappelle-Gaultier.* [k] *le comte de Briſſac.* [l] *Angers.* [m] *de Mouy de Pierrecour, de Lonchamp, le baron d'Eſchaffour, le baron de Tubœuf, de Roquenval, & de Beaulieu.* [n] *l'Aigle & Argentan.* [o] *Seez.* [p] *les ſieurs de Halot & de Crevecœur.* [q] *Martel de Bacqueville, & de Grimoville Sr de Larchant.* [r] *Falaiſe.* [s] *Touchet, Hercles, & Normandiere.* [t] *Caen.* [v] *Bayeux.* [w] *Liſieux.* [x] *Pierrefitte, Villers, & Comneaux.*

numero confiſi. Praemiſſus a Monpenſerio Joannes [a] Hemerius vir ſtrenuus, et bello ac pace multis ſingularibus certaminibus clarus, ut de iis cognoſceret: qui incautos opprimi poſſe cum renunciaſſet, Odetus [b] Matignonus Thorignii comes, [c] Lanconaeus ejus legatus, [d] Vicus ſenior inter pagos illos et Argentanum progredi jubentur; quos ſubſecuti inde Bacavilla et Larchantius, inde Petrus [e] Harcurius Beveronus Thorignii ſororius, et mox Monpenſerius cum reliquo copiarum robore venit. Ad Petram-fitam vi facta aliquandiu certatum fuit, ruſticis ſe gnaviter initio defendentibus: ſed admotae nec tamen diſploſae colubrinae metu incuſſo, ſtatim animos deſpondentibus, ſtrages ingens ſecuta, aliis ſuper alios revolutis, ut elabi non poſſent, et mutuam ſibi perniciem fugiendo et incumbendo afferentibus. Inde eodem impetu Villeriam itum; ubi noſtri attonitos et confuſos nacti pariter male mulctarunt. Nuſquam major caedes a tam exiguo hominum numero facta, nam plus ter mille occiſos conſtat, Monpenſerio miſerorum hominum vicem deplorante, qui, a ducibus illis decepti, iniquae cauſae, ob quam minime ab initio arma ſumpſerant, ſe temere immiſcuiſſent. Adveſperaſcente jam die, Comneum omiſſum. Miſſo poſtridie feciali, qui deditionem imperaret, cum non reſponderent, ad munitionem ipſorum admotae copiae; captoque [f] Belliloco, qui imprudenter, cautione minime accepta, ad colloquium exiverat, et ad Monpenſerium adducto, obſeſſi ruſtici, qui CIↃ CC circiter erant, protinus ſe dediderunt. Horum CCCC ad opera publica damnati; ceteri dimittuntur, cum prius fide data caviſſent, ſe deinceps foederatis non militaturos. Capti et cum iis aliquot e nobilitate, et in iis [g] Tubovius. Briſſacus, qui cum equitatu haud hinc longe aberat, minime tentata certaminis alea ſe ad Argentanum recepit. Id actum x Kalen. Maias, qui in Veneris diem incidebat. Hac clade non ſolum foederati in [h] Neuſtria infracti, ſed Gualteranorum nomen nobilitati et civitatibus ipſis formidabile omnino extinctum eſt, ſocietate inter eos diſſoluta, ita ut nuſquam poſtea in armis apparuerint.

XIII. At [i] Meduanius prudentia inſita futuri anxius, ad haec animo revolvens quid legatus nuper ad ſe ſcripſiſſet, merito verebatur, ne gratia a pontifice facta, et per eam ſubverſo Pariſienſium theologorum decreto, quod tanquam nimis audax et temerarium jam a pontifice inſimulari inaudiverat, quaſi ſcena deſtructa, una et tragoedia in regno tanta rerum mole et aeſtu animorum a ſe et ſequacibus excitata everti periclitaretur. Itaque protinus ad pontificem ſcribit VII Eidus Aprileis, dum adhuc Lutetiae eſſet; et ex unionis concilio Petrum [k] Friſonum eccleſiae Remenſis decanum cum mandatis ad eum mittit, [α] ut Catholicorum nomine neceſſitatem ſummittendi ſe regis imperio deprecaretur; quippe qui nihil aliud quaereret, quam religionis ſubverſionem et ipſorum exitium; qui nuper ut ſumma perfidia ſuos fratres, ſic ipſum, ſubornatis in ſuam perniciem percuſſoribus, pari ſcelere de medio tollere conatus eſſet: duos ex iis captos et coram judicibus rem confeſſos eſſe; tertium pecunia et equis ob id acceptis ſponte detexiſſe: proinde rogaret ſuam ſanctitatem ut Catholicorum patrocinium contra communem hoſtem ſuſcipiat, ſummumque armorum pro religionis defenſione ſumptorum imperium et arbitrium ſibi ſumat, velitque ac jubeat ut ipſius felicibus auſpiciis deinceps bellum adminiſtretur; ſe in id vitam et opes contemptis omnibus periculis expendere paratum, et eundem univerſorum Catholicorum animum eſſe; tantum ſuam auctoritatem interponat, neque patiatur ut tanta omnium bonorum in propugnanda eccleſia alacritas et voluntatum conſenſio contrario quam ab ipſo ſperent imperio relangueſcat, aut

VAR. LECT. [α] ut proſtratus ſuae ſanctitatis pedibus Catholicorum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *d'Hemery Sr de Villers.* [b] *de Matignon comte de Torigny.* [c] *de Longuaunay.* [d] *de Viques.* [e] *de Harcourt marquis de Beveren.* [f] *de Beaulieu.* [g] *le baron de Tubœuf.* [h] *Normandie.* [i] *le duc de Mayenne.* [k] *Friſon Doyen de Reims.*

aut injecta pacis mentione bene procedens belli ad exſtirpandum ſectarium virus inchoati negotium in medio curſu ſiſtatur: id aſtu hoſtium fieri, qui impares viribus obedientiam affectatam infirmitati ſuae praetexunt: notas eſſe ſectariorum ac eorum fautorum artes et acumina; jampridem conſpirare ipſos inter ſe, et communicatis conſiliis commune negotium in religionis Catholicae perniciem gerere; idque adeo in cauſa fuiſſe, inſtitutis ſaepius pacificandarum rerum ſpecie colloquiis, cur tot exercitus tanto ſumptu adverſus eos toties inſtructi, quod ipſi ſumma impudentia gloriantur, nullum dignum exſpectatione exitum habuerint. Haec pluribus verbis mandatis Friſono datis explicabantur; quibus de induſtria Meduanius addiderat, ut imperioſi hominis immoderatae ambitioni affectata aſſentatione illuderet, ſibi ſummum rerum et armorum imperium cum titulis honorificis ab unionis concilio delatum eſſe: ſed quod erat inſtantis neceſſitatis et periculi plenum, nimirum armorum curam, ſuſcepiſſe; quod erat dignitatis, id tanquam invidioſum diſtuliſſe et penes concilium unionis reliquiſſe, ac, paulum abfuit, omnino rejeciſſe: id vero factum, donec comitia in Julium proximum indicta celebrari poſſint: interim omnia ex arbitrio ſuae ſanctitatis, tam in caſtris quam in concilio, adminiſtratum iri. Poſtridie quam haec ſcripta ſunt Meduanius cum exercitu egregie ornato urbe proficiſcitur; cui inſtruendo cum fruſtra pecunia quaereretur, exhauſto ſive largitionibus ſive ſuperiorum bellorum ſumptibus aerario, plebe ruſtica ad extremam inopiam redacta, et privatis collationem detrectantibus, fortuna de ſuo largita eſt, repertis in Petri Molani aedibus CCCLX aureorum CIↃ intra contignationum tabulata occultatis, quae latrociniis publicis homo infamis, dum aerarii quaeſturam adminiſtraret, defraudatis iis quibus a rege debebatur, interverterat. Qua ſumma inter milites diſtributa, nihil auſu arduum, nihil factu difficile, nihil non ſucceſſu felix videbatur: et cum auro argentoque omnia in caſtris foederatorum radiarent, pecunia etiam liberaliter quacunque incedebat per hoſpitia expenderetur, incredibile dictu quantum ea re apud ignaram plebem primis initiis favorem Meduanius ſibi conciliaverit. Ubi [a] Caſtellodunum venit, ab amicis, quos nimium quam multos Romae habebat, et a Mendoza, qui res Philippi jam Lutetiae procurabat, et, nulla denunciatione prius facta, communicatis cum perduellibus conſiliis hoſtiliter cum rege agebat, monitus, pontificem nutare, et, dum ex ſucceſſibus capiendi conſilii occaſionem opperitur, [b] Cenomanorum epiſcopo de gratia regi impertienda ſpem feciſſe, mandata nova dat Jacobo [c] Dioo et Lazaro [d] Coqueleio, ut, tam ſuo quam Henrici Lotharingi [e] Challignii comitis, [f] Claudii Lotharingi Hieroſolymitani equitis peditatus Gallici praefecti nomine, apud pontificem intercederent, ne abſolutio de caede cardinalis Guiſii et Henrici Lotharingi Guiſae ducis [α] [g] Bloeſis patrata Henrico [h] Valeſio a ſua ſanctitate impertiatur; et, ſi nihilominus ei impertiatur, eorundem nomine proteſtarentur, ipſis liberum fore, habita amplitudinis familiae et atrocitatis injuriae ratione, armorum via et quavis alia ratione, etiam implorata Catholicorum principum ſibi ſanguine et cognatione junctorum ope, jus ſuum perſequi; et proteſtationis ita factae documentum ſibi tradi poſtularent. Similis argumenti cum iiſdem clauſulis mandata data iiſdem procuratoribus ab Anna [i] Ateſtina Nemoroſia Guiſianorum parente, Catharina Maria [k] Monpenſeria ſorore, et Catharina [l] Clivia Guiſii vidua. Eodem tempore quo haec mandata Romam perlata ſunt, et cum cardinalibus ad id negotium a pontifice delegatis, qui fere Hiſpanis partibus addicti erant, in arcano communicata, Cenomanus literas a rege accepit, quibus ſignificabat, quantum ad

liberationem

VAR. LECT. [α] Bloeſis ſumma proditione patrata *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Chaſteaudun.* [b] *du Mans.* [c] *le commandeur de Dieu.* [d] *de Coqueley.* [e] *Chaligny.* [f] *le chevalier d'Aumale colonel de l'infanterie Françoiſe.* [g] *Blois.* [h] *de Valois.* [i] *d'Eſte ducheſſe de Nemours.* [k] *la ducheſſe de Montpenſier.* [l] *de Cleves.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

liberationem cardinalis Borbonii ſpectabat, id fieri non poſſe, quippe motus in regno excitatos aucturam; nam certo ſcire, perduelleis cum conjurationis ad regem ſolio deturbandum initae ducem creare, et furentibus populis pro inani regii nominis, quod abolitum cupiunt, larva oſtentare decreviſſe: quam autem dementiam eſſe, hoſtibus belli adverſus ſe colore aliquo gerendi anſam, quam non habent, legitimo quaſi contradictore in ipſorum manus conſignato, praebere? et longius abeſſe legatum, nam Cenomani literas rex poſt ejus diſceſſum acceperat, quam ut revocari et Borbonius ei cuſtodiendus tuto committi poſſit: archiepiſcopum Lugdunenſem in ſua poteſtate non eſſe; nam [a] Gaſtum [b] Amboſianae arcis potentem cum ipſo [c] Nuellio et Martello conveniſſe, ut imperato quiſque pretio exſoluto dimitterentur. Quod regis reſponſum ubi pontifex ex Cenomano intellexit, a cardinalibus ſimul monitus eſt, principum Catholicorum delegatos mandata ab his habere, ut de abſolutione, ſi regi concedatur, palam ac publice proteſtentur, quod non niſi magna cum eccleſiae offenſione ac periculo fieri poſſit; ſic enim fore, ut Catholici ipſi a pontifice, cujus auxilium et patrocinium implorent, ex deſperatione deficiant, et pontifex ac ſancta ſedes Romana auctoritatem, quam inter eos habet maximam, intempeſtiva gratiae conceſſione amittat. His accedebant novae in dies, de quibus allatum erat, a rege civitatum defectiones, ut de rege regioque nomine in Gallia actum cuncti Romae putarent. Quibus rationibus inductus pontifex conſiſtorio celebrato decretum facit, monitorium vulgo vocant, quo, ſolemni et hujuſmodi in rebus uſurpari ſolita uſus praefatione, non protinus regem vibrato ſpiritalis gladii mucrone ad perniciem ferit, quod theologi Pariſienſes fecerant, aut faciendum cenſuerant, ſed paterno affectu per viſcera miſericordiae et redemptionis generis humani myſterium hortatur, et auctoritate Apoſtolica primo, ſecundo, et tertio monet, praecipitque ac mandat, ut cardinalem Borbonium et archiepiſcopum [d] Lugdunenſem intra terminum X dierum a die publicationis hujus decreti numerandorum priſtinae libertati reſtitutos plene dimittat, et XXX poſt dimiſſionem diebus id ſedi Apoſtolicae per literas ipſius manu ſubſcriptas et ſubſignatas regioque ſigillo firmatas, aut alio publico et idoneo inſtrumento, ſignificet; ni faciat, eum ab eccleſiae communione excluſum, anathematis fulmine feriendum, in omneis cenſuras eccleſiaſticas, ac praeſertim in eas quae in bulla coenae Dominicae leguntur, incurriſſe declarat: quod idem de iis pronunciatum intelligat, qui conſilio, ope, aut quocunque modo regi ad haec facienda praeſto fuerint. Praeterea regem ipſum citat, ut intra LX dies, qui ab illo die initium ſumant quo de citatione hac cognoverit, vel ipſe vel per procuratores cum idoneo mandato Romam veniat ac ſe judicio ſiſtat, rationem redditurus cur cardinalem Guiſianum interfecerit, et nunc cardinalem Borbonium et archiepiſcopum Lugdunenſem captivos detineat, oſtenſuruſque cur ob hujuſmodi delicta cenſurae eccleſiaſticae vinculis obligatus non ſit: qui autem regi ea in re operam navaverint, illi ipſi intra LX dies in judicio compareant. Horum autem LX dierum, XX pro prima admonitione canonica ſunt aſſignati, totidem pro ſecunda, reliqui pro tertia. His additum, ut numero illorum nec rex ipſe a quoquam niſi a ſummo pontifice, ne quidem in caſu conſcientiae, hora ſeu periculo mortis excepto, et ne tunc quidem niſi praeſtita cautione ſe pariturum eccleſiae in iis quae eſſent illi injuncta, abſque hoc eſſet, non poſſet abſolvi, nec in pleno jubileo nec in ſacra crucis militia. Eodem decreto clauſula ſolemni derogatur omnibus indultis, facultatibus, aut privilegiis regi aut ejus majoribus quacunque forma modoque in contrarium

INTERPR. [a] *le Guaſt.* [b] *Chaſteau d'Amboiſe.* [c] *le preſident de Nully, & la Chappelle-Marteau.* [d] *de Lyon.*

CIƆ IƆ LXXXIX. HENRICUS III.

contrarium conceſſis. Id initio ſuppreſſum; et cum III Non. Maias factum eſſet, tantum IX Kal. Jun. publicatum fuit, et ad valvas baſilicae B. Petri et S. Joannis Lateranenſis affixum: et cum diplomate mandatum eſſet, quo illud regi et univerſis in Gallia innoteſceret, ut ad valvas duarum vel trium, videlicet [a] Pictavienſis, Aurelianenſis, Carnotenſis, Meldenſis, Aginnenſis, et Cenomanenſis eccleſiarum cathedralium more ſolito legeretur, publicaretur, et affigeretur, IX Kal. Quintil. in civitate Meldorum coram Henrico [b] Magnano Dignenſi, et Nicolao [c] Villario Aginnenſi epiſcopis, et Petro [d] Poſſemio Ludovici [e] Brezaei epiſcopi Meldenſis, qui aberat, et primas in unionis concilio, ſigillis regni ipſi attributis, tenebat, vicario, id recitatum fuit: idem et [f] Autrici Carnutum fuit factum, invito et reclamante epiſcopo [α] civitatis.

XIV. FACTO decreto, antequam evulgaretur Jouſa cardinalis cum Arnoldo [g] Oſſato fidiſſimo ac prudentiſſimo regiorum negotiorum miniſtro Venetias conceſſit, ne publicationi intereſſet. [h] Cenomanus et Piſanius diverſo itinere in Etruriam deflexerunt; et [i] Liburni conſcenſa bireme dum [k] Maſſiliam tendunt, in itinere a praedone ex [l] Vandalica colluvie, qui montibus relictis circa Narbonem piraticam faciebat, capti, praeſenti Piſanii virtute, qui cum ſuis piratam et omneis ſuos partim cepit, partim interfecit, poſtremo in Galliam incolumes pervenerunt. At ſenatus Venetus, Ferdinandus magnus Etruriae dux, et Vincentius dux Mantuae, qui viderent haec agi a pontifice irato, et ultionis occaſionem ob ſpes Guiſio ſuperſtite [β] inique conceptas quaerente, regnoque in partes lacerato ad ambitioſe affectatum Philippo in reliquum Chriſtianum orbem imperium viam ſterni impatienter ferrent, ubi de decreto cognoverunt, ſtatim per Iſaiam [m] Brochardum Cliellam, jam ante ad magnum Etruriae ducem miſſum, de eo regem certiorem faciunt; et ita conſultum videri dicunt, ſi rex per Cliellam quam citiſſime poterit pontifici ſignificari curet, per amicos ſe de decreto contra ſe facto intellexiſſe: id vero ſibi tanquam novum et iniquum praeter ſpem accidiſſe, neque quidquam tale a ſua ſanctitate [γ] exſpectaſſe pro tot beneficiis a ſe et majoribus ſuis in pontifices et ſanctam ſedem collatis: nam quod cauſas, ob quas cardinalem Guiſianum et Guiſium fratres poena rex affecerit, et nunc Borbonium cardinalem et [n] Lugdunenſem archiepiſcopum captivos detineat, ſcire aveat pontifex, id fruſtra peti, cum toti orbi de iis conſtet, et conjurationes eorum contra regem regnumque initae in ore ſint omnis nationis; neque opus eſſe aliunde probationes conquirere; tantum in [o] Meduanium et ejus complices inſpiciendum, qui in rebellione pertinaces, atque adeo Guiſii veſtigiis inſiſtentes, conatus ab eo in regis regnique perniciem inchoatos nunc aperte ad exitum perducere moliuntur: et ut deliquerit, quod minime fateatur, tamen quicquid culpae, id ſibi vi breviculi ab ipſo pontifice conceſſi per ſacerdotem intelligi remiſſum: atqui nec ſe dictorum factorumque cuiquam niſi ſoli Deo rationem reddere teneri, neque magis quam ſui deceſſores cenſuris eccleſiaſticis poſſe illigari; et tamen, ut oſtendat ſe non defugere velle ipſius auctoritatem, decreviſſe brevi Romam proficiſci cum comitatu ſuae dignitati regiae convenienti, et tam valido, ut iter ei tranſeunti negari non poſſit:

VAR. LECT. [α] civitatis; qui, iniquum et injurioſum diploma ſumma conſtantia execratus, cenſuras pontificias cis montes non valere et prae frigore in Alpibus obrigeſcere, veteri Gallicanae libertatis dicterio, aiebat. Facto decreto *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] inique *deeſt* Ed. Gen. 1620; *ſed in* Ed. Gen. 1626 *legitur*, *e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *depromptum*.

[γ] exſpectaſſe, ſic enim malam gratiam rependi pro tot *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Poictiers, Orleans, Chartres, Meaux, Agen, & le Mans.* [b] *Magnan evêque de Digne.* [c] *de Villars.* [d] *Poſſemie.* [e] *de Brezé.* [f] *Chartres.* [g] *d'Oſſat.* [h] *l'evêque du Mans, & le marquis de Piſany.* [i] *Livourne.* [k] *Marſeille.* [l] *Bandouliers des Pyrenées.* [m] *Brochard Sr de la Clielle.* [n] *de Lyon.* [o] *le duc de Mayenne.*

poſſit: quo ubi venerit, cauſae ſuae aequitate coram demonſtrata et approbata, confidere, ut decretum revocare, et, ſi opus fuerit, abſolutionem ei ſuam impertiri, non gravetur: interea ſenatus Venetus, Etruriae et Mantuae duces, communicatis conſiliis, per oratores ſuos literas eodem argumento pontifici offerendas curent, quibus ſignificent, ſe de decreto cognoviſſe, quod tanquam injuſtum, et temere, imprudenter et animoſe factum, cunctos accepturos eſſe minime dubitant: nam nemini, qui ab odio et privato omni ſenſu procul ſit, non conſtare de regis cauſae aequitate, et, quod ſalutis propriae et regni tutelae cauſa fecit, id juſte ac rite ipſum feciſſe: regem et Chriſtianiſſimi et primogeniti eccleſiae filii titulos praeferre, cui et ejus majoribus amplificationem ſuam et ſanctae ſedis inſtaurationem pontifices debere cuncti ſciant; ejus injuriam ad omneis principes Chriſtianos pertinere, et pudorem in ea ſuum et ſanctae ſedis perniciem verti: proinde enixe obſecrant, id pro prudentia ſua diligenter apud ſe perpendat, et revocato decreto mature ingraveſcenti malo praevertat; alioqui ſe proteſtari, nullis ſe illum viribus aut conſilio adjuturos, ſi forte contingat, ut rex injuriae ultro illatae ultionem quaerens cum potenti exercitu in Italiam veniat, et Romam ad abſolutionem, quam pontifex ei neceſſariam dicit, obtinendam proficiſcatur. Praeterea conſultum videri aiebant, ut rex per [a] Bernardum Nogaretum Valetam Provinciae praeſidem, aut Alfonſum [b] Ornanum [c] Diguierii viribus adjutum, Avenionem et Venaſcinenſem comitatum occupet, evulgato ſtatim, ſe jure ſuo id feciſſe, ut ditiones illas, quae in regni patrocinio ſemper fuerunt, ſanctae ſedi conſervaret, impediretque ne eae in aliorum manus, qui majorem privati emolumenti quam ſanctae ſedis rationem habeant, per hos motus devenirent: idque ut faceret ſe neceſſitate adductum, quippe qui videret Sixtum v indignum eccleſiae caput, non, ut communem parentem decebat, pacem et concordiam inter Chriſtianos principes tueri, ſed diſſidia inter ipſos alere; quibus conatibus pernicioſis ut praevertat, eas ditiones occupaſſe, paratum eas reſtituere pacatis rebus, et cum pontifex ad ſanam mentem redierit. Ita id ab Italiae principibus conſilii regi datum, qui ita agreſte Sixti ingenium eſſe noverant, ut nullo cultu et obſequio ad amicitiam inflecti, tantum vi ac convitiis ad officium cogi poſſet. Quae majoris motus in Italia initia, quo minus in apertum bellum eruperint, ſubita et inopinata mors regis in cauſa fuit.

XV. EIDEM [d] Cliellae rex, cum eum ad Etruſcum mitteret, mandarat, ut cum eo ageret de Saluciarum principatu aut pignoris aut juſtae venditionis titulo accipiendo, et quam maximam poſſet pecuniae ſummam in belli uſus expendendam eo nomine paciſceretur, aut, ſi conditionem recuſaret, eandem per oratores ſuos pontifici deferendam curaret, qui in Michaelis nepotis gratiam libenter eam amplexurus credebatur. Verum ab altero ſe excuſavit Etruſcus, cum diceret, id ſi faceret, ſibi neceſſario cum Sabaudo bellum habendum eſſe, qui praecipua principatus oppida jam occupaverit, et Philippi atque adeo pontificis Philippo in ea cauſa conjuncti, quibus limites contiguos habet, odia adverſum ſe concitari, nec ambitioſi animi apud vicinos principes invidiam defugere poſſe, qui ex ea occaſione in ſuam perniciem pernicioſa conſilia fortaſſe ſint inituri. Alterum minime probabat: nam apparere pontificem ita male animatum conditionem minime accepturum eſſe; interim ex eo occaſionem ſumpturum evulgandae regis infirmitatis ac penuriae, ut eo majores animos ad audendum hoſtibus ejus faciat; et, ſi accipiat, eam mox Sabaudo, quod rex nolit, Philippi rogatu tranſcripturum: ceterum de CC aureorum CIↃ, quae rex mutuo petebat, ſpem facit, et praeſenti pecunia ſe C millia [e] Auguſtae Vindelicorum

INTERPR. [a] *Bernard Nogaret de la Valette gouverneur de Provence, frere aiſné du duc d'Eſpernon.* [b] *le colonel d'Ornano.* [c] *le Sr de Leſdiguieres.* [d] *Brochard Sr de la Clielle.* [e] *Augsburg.*

CIↃ IↃLXXXIX. HENRICUS III.

Vindelicorum aut [a] Norimbergae depoſiturum promiſit, quae in exercitum auxiliarem expenderentur; moxque alia c millia depenſurum, cum jam copias Germanicas paratas intelliget. Sed qui conditionem de [b] Saluciarum principatu rejiciebat, aliam regi propoſuit, et duodecies centena CIↃ aureorum mutua obtulit, ſi certis conditionibus [c] Maſſiliam ſibi oppignerare vellet. Eae autem erant, ut arces praeſidio tenere et alias ſibi in urbe exſtruere ac validis praeſidiis firmare ſuo ſumptu liceret; quos rex refundere cum uſuris teneretur, cum urbem a ſe reciperet. Quod ſumma prudentia ſimul et aequitate Etruſcus facere videri volebat, ut, ſi regnum e tantis tempeſtatibus emergeret, quod vix ſperabatur, merito gloriari poſſet, quod regem tam neceſſario tempore minime deſeruiſſet; ſin periclitari contingeret, hanc praecipuam naufragii tabulam, tanquam optimum tantae depenſae a ſe pecuniae fidejuſſorem haberet, et emporium toto mediterraneo mari ſitu maxime opportunum aut ſibi ſervaret, aut Hiſpanis olim pro [d] Herculis portu, Telamone, et Orbitello, quae illi in [e] Senenſi ditione tenent, compenſationis loco traderet. Quam eandem mentem uſque ad belli exitum conſtanter tenuit, [f] Taxianae arcis praeſidiariis ſemper ſtipendio e ſuo perſoluto, et aliis munitionibus in vicinis inſulis exſtructis; hoc diligenter interim ſervans, ne urbs, quae ſicut olim ſtante imperio Romano arbitrium rerum ſibi imprudenter attribuit, ſic nunc, diviſis provinciis inter Italiam et Hiſpaniam, eandem auctoritatem juſtiore fortaſſe titulo ſibi arrogare poterat, ſi Gallis periret, Hiſpanorum partibus accreſceret.

XVI. EODEM tempore, quo rex de pecunia amicos principes ſolicitabat, foederati per ſuos oratores a pontifice non ſolum ut ſpiritualeis theſauros aperiret, verum etiam ut gazam argentariam ex arca promeret, nequicquam efflagitabant, et duodecies centena CIↃ aureorum credi ſibi petebant, tot alendis regulis, quos factio toto regno in dies excitabat, exiguam ſummam; cujus ſponſores dabant civitates et ſacrum ordinem, qui, donec tota ſumma exſolveretur, ſeptunces uſuras, more in comitatu Venaſcinenſi et aliis locis eccleſiae ſubditis uſitato, pro ea penderent. Id ſi faceret pontifex, loco ſummae gratificationis publicationem concilii Tridentini abſque ullis conditionibus promittebant, ultimis comitiis [g] Bloeſenſibus, cum ab ordinibus magno conſenſu peteretur, a rege, ut aiebant, per magiſtratus ſuos impeditam.

XVII. [h] MEDUANIUS inter haec, qui [i] Caſtellodunum cum exercitu venerat, [k] Ronaeum cum delectis [l] Vindocinum praemittit, ut urbem a praefecto reciperet. Is erat Jacobus [m] Mallius Benehartius, homo gente quam moribus melior, qui, antea foederatis facta ſpe de tradendo oppido, huc uſque obſidionis periculum veritus cum rege diſſimulaverat, et fidem ſuam Carolo Borbonio [n] Sueſſionenſi illac tranſeunti obligaverat, cumque rogaverat ut ipſe pro ſe fidem ſuam regi obligaret; eaque fiducia rex [o] magnum concilium in urbe reliquerat, ut regium nomen in ea tueretur. Sed mox, cum de fide ejus multis indiciis dubitaret, ad eum mittit, ut tunc amabat fieri, qui multa et magna fidem ſervanti polliceretur. Ille vero eam violare certus, ut perfidiam novo ſcelere cumularet, jam propinquante Meduanio, Sueſſionem ad ſe mitti petit; nam habere ſe quae niſi coram exponere non poſſit; et ejus fidem ſequi ſtatuiſſe. Sed non habita temere homini perfido fides; et cum Sueſſio veniſſet, nequaquam in arcem, ut Mallius petebat, ſed extra cum eo colloqui voluit. Itaque re infecta ad regem rediit, fidem datam repoſcens, ejuſque ſe acrem ultorem aliquando fore interminatus; nam ſuam a ſe regem repoſcere. Nec minis exitus defuit,

INTERPR. [a] *Nuremberg.* [b] *le marquiſat de Saluces.* [c] *Marſeille.* [d] *le port Ercole, Telamone, & Orbitello.* [e] *de Siene.* [f] *Chateau d'If.* [g] *les Eſtats de Blois.* [h] *le duc de Mayenne.* [i] *Chateaudun.* [k] *Savigny de Roſne.* [l] *Vendoſme.* [m] *de Maillé Benehart.* [n] *le comte de Soiſſons.* [o] *les conſeillers du grand conſeil.*

defuit, aut fidei violatae diu poena tardavit, ut deinceps ſuo loco dicemus. Tunc vero admiſſus Ronaeus, et mox cum toto exercitu Meduanius, et magni concilii aſſeſſores, qui in urbe erant, capti; multique, qui juris perſequendi cauſa in eorum comitatu erant, vix grandi aere exſoluto libertatem redemerunt. Jacobus Guiotardus delegatus, a rege cum [a] Bretelio colligendis contra Guiſium et fratrem mortuos probationibus, magno in periculo fuit, cum in eum non jure belli utendum plerique cenſerent. Occupato Vindocino exercitus hoſtilis [b] Montorium uſque proceſſit, et inde Meduanius [c] Caſtrum-Reginaldi venit, VII a [d] Caeſaroduno leucis. Arcem loci tuebatur [e] Sarroctus, ex Armoricana nobilitate vir ſtrenuus et bellis expertus, vaſtam et debili muro cinctam. Itaque cum ſe intus ducta foſſa muniret, juſſus deditionem facere, et quid tandem moliretur, quaque ſpe reſiſtere auderet, rogatus, audacter reſpondit, foveam ſe fodere, in quam Meduanium et ſequaces ejus, ni propere ab obſidione diſcederent, defoſſurus eſſet. Statimque Meduanius, ex homine a [f] Lugdunenſi miſſo, qui ſpecie de libertate captivorum cum ipſo agendi cum literis ad ipſum venerat, cognito copias regias loco longe debiliori ſolute agere, inde iter deflexit; et tormentis praemiſſis, quibus ſummo cum imperio praeerat Joannes [g] Bellofortius Canilliaci marchio, ad [h] fanum-Audoeni haud longe ab Amboſiana arce ducit.

CIↃ IↃ LXXXIX

HENRICUS III.

XVIII. PAULO ante Eſpernonius cum delectis copiis ad regem venerat, vix tandem ab eo arceſſitus, quod metueret rex, ne odio ejus plerique ex proceribus ipſum deſererent, et inprimis Aumontius, cui cum Eſpernonio acres ſimultates interceſſerant. Verum Aumontius antiqua fide et probitate vir, qui privatas injurias reipublicae et regis ſaluti poſthaberet, copias militares regi undecunque colligendas judicans, cognita regis anxietate ultro ipſum adiit, et ut Eſpernonium ad ſe vocaret auctor fuit, ſimultates ad tempus ſe deponere dictitans, dum uterque laudabili aemulatione virtutem ſuam ac fidem regi hoc periculoſo bello adprobaſſet; tum reſumpturum inimicitias, ſi Eſpernonius vellet; interea facturum ſe ſuo exemplo, ne ulli alii propterea ab exercitu diſcederent. Igitur evocatus Eſpernonius ubi in aulam venit, et cognita Aumontii ex rege egregia voluntate, nihil prius habuit quam ut cum ipſo reconciliaretur; ultroque eum prius monitum in ſuis aedibus inviſit, laudataque ejus fide ac virtute ſe veniſſe dixit, ut ei amicitiam ſuam et operam deferret; juberet, imperaret, et quocunque vellet duceret; ſe illum ut veteranum ducem et potiore in bello dignitate praeditum ſequi paratum. Ad quae verba vir generoſus, Enimvero mihi plene ſatisfactum puto, quando ad regem tam obſequioſe veniſti; nam nihil me magis contra te exacerbavit, quam quod regem, cui tantum debes, tam neceſſario tempore deſerere videreris: nunc, cum amicitiam tuam et operam tam obvia humanitate mihi defers, quam alioqui non acciperem, libenter et tibi meam ſincera et Gallicana fide defero; utere, fruere. Tum in amplexus ruens, Eja virtute pro principe optimo, pro communi omnium ſalute, pro patria, quam perditi homines perditum eunt, totis corporis et animi viribus connixi certemus; cum pacem Galliae reddiderimus, mutuis amicitiae officiis inter nos certaturi. Reconciliatis belli ducibus rex [i] Bloeſas, quibus metuebat, Eſpernonio commiſit; qui cum parte copiarum quas adduxerat, ac pedeſtrium praecipue, eo profectus, equeſtreis Carolo Luxemburgio Briennae comiti ſororio attribuit; qui militi licentioſo indulgens, ut laxius diverſaretur, longius ab exercitu ad Audoeni-fanum ſibi hoſpitium ſumpſerat. Tumque, eo Meduanius cum duxiſſet, forte accidit, ut major pars circa vicinos

INTERPR. [a] *Bretel Sr de Languetot.* [b] *Montoire.* [c] *Chaſteau-Regnaud.* [d] *Tours.* [e] *Sarrouët gentilhomme Breton.* [f] *l'archevêque de Lyon.* [g] *de Beaufort marquis de Canillac.* [h] *St Ouyn.* [i] *Blois.*

vicinos pagos diſcurſarent; quorum alii capti, alii equis amiſſis fuga ſibi conſuluerunt. Arx ipſa, a [a] Mollano illo quaeſtore, de quo modo dixi, nuper empta, nullo vallo aut foſſa munita erat. Locum dedere juſſus [b] Briennius primo recuſavit; admotiſque tormentis dum verberatio dirigitur, Canilliacus ictu ſcloppeti interfectus eſt.

XIX. Rex, cognito obſeſſorum periculo, ſtatim ad Navarrum mittit, qui cum auxilio laborantibus propere venire juberet: quod non ſegniter ille fecit, et tota nocte cum delectis XXII horis continuato itinere advolabat, cum poſtremo intellexit obſeſſos deditionem feciſſe. Itaque ad [c] Malliam arcem, II a [d] Caeſaroduno leucis, conſedit. Leges hac deditis dictae: Briennius, ſi alicui ex principibus, qui captivi a rege tenebantur, libertatem impetraret, dimitteretur; nobiles cum equis et armis, milites cum gladio ſine ſcloppetis, dimiſſi, fide data intra trimeſtre contra ſe non militaturos. Pleriſque fides a victore non ſervata, ſive acri odio belli leges neſciente, ſive ultionem mortis Canilliaci quaerentibus militibus: quorum tamen petulantia repreſſa eſt, paucorum poena juſſu Meduanii ad ceterorum terrorem a ducibus interfectorum. Inde propere Meduanius [e] Montorium redit. Poſtridie, hoc eſt pridie Kalendas Maias, qui in Dominicam incidebat, tam propenſo Navarri ad regis mandata obſequio exoratus rex diſſimulationem omnem, quam quidam circa ipſum praepoſtera prudentia alebant, ſuſtulit, jam familiariter ad ipſum commeantibus Navarri ducibus, et inter eos Franciſco [f] Colinio Caſtellionaeo peditatus Navarreni praefecto, quo in adoleſcente raras virtutes rex admirabatur. Igitur eodem die a prandio rex ad [g] Pleſſiacum praetorium extra urbem conceſſit cum aulico tantum comitatu, locum ſeceſſu Ludovici XI extrema aetate et morte notum, quo venturus erat Navarrus. Cum in itinere eſſet, exortum inter belli duces murmur; quos ut conciliaret concilium cogit: in quo a diſſuadentibus funeſtae voces renovatae; meminiſſet lanienae Pariſienſis; tempora praeterita, non mutata eſſe; eoſdem homines, eaſdem artes vigere; quam invitum regem in inducias conſenſiſſe ſciat, tam libenter ab iis diſceſſurum par eſſe credere: quem vero affirmare poſſe, non conventum in arcano cum legato, ut pro caede principum Catholicorum, quos vocant, apud pontificem expianda, Navarri et tot procerum, qui pro religione, pro patria, pro libertate ſe devoverunt, capita ad poenam dedantur? ſe reſpiceret Navarrus, neque tot proceres, tot animas, quae in ejus ſalute periclitantur, neque tot palmas virtute partas fraude ſcelerata perire ſineret. Haec palam. In occulto addebatur, eandem prorſus temporum faciem apparere: nam ut olim [h] Colinium maris praefectum et Telinium, ſic nunc Colinii filium et Philippum [i] Mornaeum aulicis blanditiis ineſcatos ceteris ad exitium praeire. Contra Caſtellionaeus et Mornaeus, nihil tale de rege hoc rerum ſtatu ſuſpicari poſſe; caede Guiſianorum fratrum omnem ſecretae conventionis opinionem ſublatam, omnem reconciliationis ſpem praeciſam; ſerio rem agi: in Navarri viribus ſecundum Deum ſolam ſpem regiarum virium repoſitam eſſe; et quo magis aegre et invito rege inducias factas conſtet, eo magis apparere, nullas inſidias fraudulenta cum foederatis conſenſione ſtrui: cur vero pacem cum rege tantopere exoptatam? cur toties vota publica pro ea facta? aut quem induciarum fructum ſperari poſſe, ſi novae odiorum veterum cauſae, quas ad ſanciendam concordiam hoc tempore adeo neceſſariam ſopitas oportuit, ex diffidentia praebeantur? habere ſe in aula amicos minime ſuſpectos, quorum inſtigatu et interventu induciae pactae ſunt; quibus ſponſoribus, nihil eſſe quod quiſquam jure metuat: eat igitur Navarrus, et cum eo omnes qui regem

INTERPR. [a] *Molan.* [b] *le comte de Brienne.* [c] *Maillé.* [d] *Tours.* [e] *Montoire.* [f] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [g] *Pleſſis lés Tours.* [h] *l'amiral de Coligny & le Sr de Teligny.* [i] *de Mornay Sr du Pleſſis.*

regem ſalvum, et cum eo ſalvam communem omnium cauſam, cupiunt: diviſis copiis dividi animos; quos uniri, et ad frangendos ſceleratae unionis conatus iiſdem caſtris, eodem vallo veluti contineri ſatius ſit. Navarrus facile in hanc ſententiam inclinavit, nihil doli ſubeſſe certus, praecipue duce et auctore Aumontio, qui interea ſemel atque iterum Pleſſiaco ad eum commeaverat, non ſine occulta regis offenſione, moram hanc ad injuriam ſuam pertinere exiſtimantis, et poſt veſpertinas preces in coenobio [a] Paulianorum ibidem auditas in ſepto viridario deambulantis: ad quem tandem Navarrus habitu prorſus militari venit, pulverulentus et ſordidatus, in arce per quam intraverat, ne ſalutem ſuam omnino neglexiſſe videretur, relictis ſtipatoribus delectis, ductore [b] Vignelio, qui vicinam portam ſecuris regiis occupant. Magna multitudo hominum ad ſpectaculum confluxerat, erectis in ſpem maximam ex ſarta horum principum concordia animis, et primos occurſus cernere avidis; adeo ut quanquam in conſpectum regis veniſſet Navarrus, tamen ad ipſum accedere non poſſet; vixque tandem turba ab Aumontio ipſo ſummota, in terram proſtratus, et ita plus III paſſuum intervallo ſe moliens, regis pedibus oſcula fixit, feliciſſimam hanc lucem dictitans, qua dominum ſuum (ita regem vocabat) videre, eique obſequium et operam ſuam coram deferre, licuiſſet; non jam ſibi mortem acerbam et moleſtam fore, in bona regis gratia ac veluti in ejus gremio animam depoſituro. Tum eum rex in pedes erigit, et prolixa fraternae benevolentiae ſignificatione arctiſſime complectitur. Inde, poſt ſalutatos principes et proceres qui cum rege erant, ambo inter acclamationes fauſta omnia regibus precantium in arcem redeunt; habitoque concilio de belli gerendi ratione decernitur, tenuitque Navarrus ut X CIↃ aureorum laborantibus [c] Sedani praeſidiis mitterentur. Interim qui in area remanſerant regii Navarrenique ſe ſalutare et mutuo amplexari, cum praeteritorum utrinque deteſtatione et in poſterum reſipiſcentia; ſimul deambulare, et de republica confabulari, quaſi ſopitis momento priſtinis odiis; ut Gallos Gallis auxilio ad reſtinguendum commune patriae incendium veniſſe appareret. Dimiſſo concilio reges in equos aſcendunt, et ad urbem ſimul tendunt. Rege ad portam arcis ſtipatores Navarrenos in aciem inſtructos mirante, Navarrus occupat, et alta voce increpitos imprudenter feciſſe illos dicit, quod in armis injuſſu ſuo comparuiſſent, eaque re querimoniam regis antevertit; qui ipſe factum excuſavit: et ita praecedentibus illis ad [d] pontem Annaeum uſque ſimul incedentes, et in conſpectu effuſae hinc inde turbae ſemper colloquentes, pervenerunt. Heic, petito a rege commeatu, Navarrus, potius ut ſuis quam ſibi ſatisfaceret, flumen tranſmittit, et in ulteriorem ripam ad [e] S. Symphoriani ſuburbium, ubi copiae ſuae erant, hoſpitium ea nocte habuit. Has diffidentiae priſtinae reliquias mox die ſequenti omnino delevit, ſummo mane per pontem cum puero nobili ſolo urbem ingreſſus, et in cubiculum regis, antequam ſurrexiſſet, admiſſus, mirantibus cunctis, qui ex illo ſaepius audiverant, cum diceret, nunquam ſe ad ſecretum regis conclave acceſſurum, niſi duobus hinc inde exercitibus inſtructis ſtipatum. Poſtea cum copias rurſus cis flumen reduxiſſet, et rex ex conſilio ejus treis legiones, [f] Borbonio Rubenprato, Joanne [g] Burrio Jarzaeo, et [h] Lupiaco Moncaſſino ducibus, in eo ſuburbio collocaſſet, Meduanius aliquid conandi ex ea occaſione conſilium cepit.

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

XX. Franciscus [i] Blancardus Cluſellus homo vafer ac ſubleſtae fidei, ſed ſtrenuus bello dux creditus, paulo ante [k] Marani a Navarro captus fuerat, et ita dimiſſus, ut ad ipſum, cum juberetur, redire, et leges pro libertate ſua ab eo accipere teneretur. Is igitur, novo bello inter regem et foederatos accenſo, ad Navarrum redit, et libertati

INTERPR. [a] *les Minimes.* [b] *de Vigneles.* [c] *Sedan.* [d] *pont Ste Anne.* [e] *fauxbourg S. Symphorien.* [f] *de Bourbon Vendoſme Sr de Rubempré.* [g] *de Bourry Sr de Gerſay.* [h] *de Lupiac Sr de Moncaſſin.* [i] *Blanchard Sr du Cluſeau.* [k] *Marans.*

libertati ab eo reſtitui petit. Navarrus cum liberum hac lege fecit, ut ad regem ſe conferret, et beneficio Navarri ſine pretio libertati reſtitutum ſe diceret, hac lege, ut ipſi militaret. Cum ad regem veniſſet Cluſellus, et mandata a Navarro expoſuiſſet, rex adventu ejus laetari ſe benigne reſpondit: et cum ille arroganter, cauſam diſſidii quaerens, qua in re operâ ſua uti vellet inſtantius peteret, rex ſe deliberaturum reſpondit: qua voce ille exacerbatus, quaſi tanquam ſuſpectus rejiceretur, ſtatim ex cubiculo regis cum indignatione publica diſceſſit, ſubinde inſinuans, ſi a rege ſperneretur, alios eſſe qui ejus induſtriam minime contempturi ſint; et inde occaſione capta ad hoſtem tranſiit, cum prius ſuburbium circumeundo curioſis oculis per otium contemplatus eſſet, et, ut erat rei militaris peritus, notaſſet, certamine conſerto potiorem oppugnantis quam defenſorum in eo conditionem fore: nam ſuburbium ad radices collis, qui ſecundum flumen a ſeptentrione porrigitur, declivi jugo jacet, modico ſpatio in imo ad Ligeris ripam interjecto. In ſummo jugo quaedam huc illuc domus ſparſae, quarum duas ſpeculis inſtructas, quae in regiam viam ab illa parte deſpiciunt, praeſidio ſervabat [a] Jarzaeus; quibus captis ex editiore loco in imum omni ex parte impetus fieri poterat. Id cum renunciaſſet Cluſellus Meduanio, qui tunc ad [b] Caſtrum ad Ledum et [c] Paterni fanum, quaſi in [d] Cenomanos tendens, diverterát, protinus inſtructo exercitu et adductis II colubrinis eo ducitur. Tunc forte rex ſuburbium cum proceribus ac belli ducibus obequitabat, locum non bene antea notatum diligentius perluſtrans, et incommoditati ejus ſero animadverſae remedia ex tempore quaerens, cum per confragoſa itinera praemiſſi a Meduanio milites irrepunt, et ſpeculatores ante domos illas, de quibus dixi, poſitos improviſi aggrediuntur. Protinus ad arma conclamatum; et [e] Montinius, qui cum rege erat, longius provectus, vulnus ex ſclopperi ictu in manu accepit. Ab hora X circiter matutina inde toto die pugnatum. Rex in urbem redit, et portas claudi jubet, ne nobilitas pugnandi cupida injuſſu ducum confuſa, ut accidit, ad certamen rueret: tum ad Navarrum ſcribit, ut quam citiſſime fieri poſſet, ſcloppetarios reductos auxilio ſummittat. Erant in urbe II CIƆ Helvetii Gaſpare [f] Galatio duce, quos rex penes ſe ad tutelam retinuit, ne a ſeditioſis oppidanis, quos quamplurimos eſſe minime ignorabat, interea quid tumultus excitaretur. Motus interim ſpem Meduanio feciſſe, et maturandae expeditionis praecipuum incentorem extitiſſe, memorant Aegidium [g] Vergerium urbis praeſidem, qui ſpontaneo exilio, rege adveniente, ſe Vindocinum contulerat, et partes Meduanii ſequebatur, hominem jampridem Guiſianorum factioni addictum, et ab iis Mariae Scotorum reginae olim cancellarium datum. Ad domos ſuperiores amplius trium horarum ſpatio acriter certatum, Jarzaeo cum ſuis ſumma et obſtinata virtute locum defendente. Tandem incumbente [h] Burgo cum legione ſua, et colubrinis in domos directis, loco dejecti noſtri. Neque tamen propterea certamine abſtitit Jarzaeus, quanquam a ſuis moneretur ut ſe ad proximam munitionem reciperet: qui inter certandum dum equo interfecto alium ſummiſſum inſcendit, ſcloppetario proximo ſpatium dirigendi in ipſum ictus praebuit, et in capite accepto vulnere concidit, magno noſtrorum dolore et detrimento; quibus exemplo ejus animoſe reſiſtentibus animus paulatim labare coepit, omni ea regione, quam ille cum legione ſua tuebatur, ab hoſte mox occupata. Inde in [i] Moncaſſinum et Rubenpratum verſus impetus, qui diverſos aditus, hic ad occidentem, ille ad orientem, ſervabant. Utrinque diu pugnatum, Joanne [k] Vivono Caſtaneo et [l] Ponſenaco cum ſuis legionibus a fronte et in latus a parte fluminis noſtros invadentibus. Tandem petitum a noſtris, ut feſſis ac ſauciatis recentes

INTERPR. [a] *de Gerſay.* [b] *Chaſteau du Loir.* [c] *S. Paterne.* [d] *le Maine.* [e] *de Montigny,* [f] *le colonel Galaty.* [g] *du Verger preſident de Vendoſme.* [h] *du Bourg.* [i] *de Moncaſſin & de Rubempré.* [k] *de Vivonne Sr de la Chaſtaigneraie.* [l] *de Ponſenac.*

recentes et integri ſummitterentur: nam occupatas vicorum fauces, jamque defendi domos, per quas graſſati hoſtes iis perforatis noſtros utrinque per latus et frontem infeſtabant. Itaque rex tandem, a Ludovico [a] Bertono Grillonio, qui tanquam praetorianorum dux per Eſpernonii abſentiam univerſo peditatui praeerat, et Caſtellionaeo, qui dum copiae ſuae iter accelerabant ipſe anteverterat, exoratus, ita illis cum ſuis eo ire permiſit, ut ipſe cum iis in ſuburbium iret, ne portis apertis omnes confuſi eodem ruerent, turbandis potius rebus quam certantibus adjumento futuri, et, ſi locum deſeri oporteret, hoſtium victoriam amplificaturi, et caedis majoris faciendae occaſionem hoſti praebituri. Igitur eo profectus cum ducibus rex, violacei coloris veſte, ut in luctu, tectus, quam mutare noluit; et in ejus comitatu plerique, quorum ex numero eram. Cum ad locum venit, forte accidit, ut munitio, ad quam Grillonius et Caſtellionaeus arma praemiſerant, interim capta eſſet, ita ut armis amiſſis ipſi inermes pugnare coacti ſint. Nihilominus adventu eorum reſtitutum certamen; et dum rex cum [b] Aumontio, Ludovico [c] Roano Monbazonii duce, et Gaſpare Schombergio, qui cum eo venerant, ſe per pontem recipit, duae munitiones in ea regione, quae a Rubenprato jam duobus vulneribus graviter ſauciato defendebatur, a noſtris receptae: ſed incumbentibus recentibus, a Meduanio in ſummo cum equitatu eventum opperiente ſummiſſis, tandem rurſus amiſſis illis ad tertiam munitionem in quadrivio poſitam, ad quam Moncaſſinus ſe receperat, compulſi noſtri; ubi Grillonius, amiſſo Petro Bertono ex Thoma fratre nepote, qui ante eum pugnabat, magno vulnere in latere accepto terrae afflictus eſt: moxque ibidem [d] Bonvallius Aumontianae equitum alae legatus, [e] Sanmalinius, Hennequinus, Matotius, alii interfecti; quorum morte territi milites, et [f] Caſtellionaeo ſolo ad hos ictus hinc inde vibratos invulnerato nequicquam perſeverante, tandem cedere ac paulatim ad ſuos ſe recipere coeperunt, Florimondo [g] Halvinio Pienae marchione, qui ultimus cum legione ſua a Meduanio immiſſus eſt, ultimam in noſtros impreſſionem faciente. Helvetii, qui jam in armis auxilio laborantibus veniebant, a rege revocati. Pons a noſtris ſervatus, valido munimento ex doliis vimineis terra oppletis in capite ejus exſtructo. Ex hoſtibus C circiter deſiderati, ſed nulli fere magni nominis; ex regiis multo plures, et amplius CCC, in iiſque plerique e nobilitate. [h] Claudius Lotharingus Hieroſolymitanus eques, qui univerſo exercitui praeerat, ſuburbio potitus, exemplo ſuo aliis praeiens ad omnem licentiam victori militi habenas laxavit: non profano, non ſacro parcitum. Direptis crudeliter domibus itum in templa, in quae mulieres ac virgines cum pretioſiore ſupellectile ſe incluſerant. Omnia in iis pari immanitate direpta, aris etiam ſpoliatis: tum mulieres circa altaria et in conſpectu plerumque maritorum compreſſae, et virgines ſtupratae; cuncta permiſſa ac condonata ſibi pro religione certantibus et pontificis gratia fretis impie jactantibus foederatis, et noviſſe ſe Deum placare, nec eandem gratiam haereticis, ſic regios vocabant, quam Catholicis fieri, impudentia ſumma dictitantibus. Nox utrinque inſomnis fuit, inde laetitia laſciviente hoſte, hinc de ſucceſſu ſolicito rege. Sub veſperam auxiliares ſcloppetarii a Caſtellionaeo evocati advenerunt; cum quibus ille ſe in media inſula vallo tota nocte ducto munivit. Id incidit in VIII Eid. Maias. Poſtridie ſummo mane Gabriel [i] Prevotius Carbonarius cum ſua legione venit, et Caſtellionaeo ſe conjunxit. Meduanius, concilio habito, cum Navarrum mox cum totis copiis venturum minime dubitaret, corporibus ſuorum humi mandatis, et incenſis domibus quae in imo ponte erant, ut illac tranſiri non poſſet, vix

orto

INTERPR. [a] *Berton de Grillon.* [b] *le mareſchal d'Aumont.* [c] *de Rohan duc de Montbazon.* [d] *de Bonnevau.* [e] *S. Malines, Hennequin, & le Sr de Mataut.* [f] *de Chaſtillon.* [g] *de Hallwin marquis de Pienne.* [h] *le chevalier d'Aumale.* [i] *Prevoſt Sr de Charbonieres.*

orto ſole, longe diſpari diſceſſu quam venerat, vaſa conclamari jubet, ſine ſtrepitu, nec intellectis ex urbe tympanis. [a] Lorgeus cum paucis per naviculas in ulteriorem ripam tranſmiſit, et abeunteis inſecutus quoſdam ex iis, qui gradum accelerantes ſocios aſſequi non poterant, cepit. Navarrus ſub meridie venit, magna gratulatione a rege exceptus, quaſi in ejus praeſidio jam omnium ſpes repoſitae eſſent. Meduanius vero [b] Vindinum Cenomanorum civitatem verſus iter intendit, ſatis magnum ſe operae pretium feciſſe ratus, publicato ſtatim ſcripto, quo inter alia ad rem amplificandam addebatur, [c] Aumontium graviter vulneratum, [d] Monbazonium ambobus cruribus abſciſſis ictu tormenti, [e] Grillonium et Rubenpratum occiſos; [f] Sanmalinii cadaver conquiſitum, quod Guiſii caedi interfuiſſet, a magno Meduanii praepoſito ſententia lata, inverſo capite ignominioſe ſuſpenſum, et manu dextra ac capite truncatum ad ſpectaculum cum elogio expoſitum; poſtea caput Lutetiam allatum, ut ad [g] Monſalconias furcas appenderetur. Haec eo ſcripto comprehenſa: cum tamen poſtridie rex cum Navarro per ſuburbium deambularet, et per cadavera lacera et viſu foeda, vix dum adhuc purgatis viis, incederet, nulla ejus rei veſtigia apparuerunt, aut mentionem ab oppidanis factam memini, cum Caſtellionaco tunc adeſſem, et quid tota illa nocte ab hoſtibus actum eſſet diligenter ab iis inquireremus. Rex, diſceſſu Meduanii ab inſtanti periculo ſecurior, curas ſic inter ſe et Navarrum partitur, ut praecipuum illi belli onus committeret; cumque [h] Bloeſas et Bogentiacum cum robore exercitus praemiſit. Ipſe partem copiarum penes ſe retinuit negotiis intentus; ac primum in [i] Armoricam [k] Sueſſionem cum ſummo imperio miſit, attributo ei Joanne [l] Bellomanerio Lavardino viro ſtrenuo, qui caſtrorum praefecti munere in ejus exercitu fungeretur.

XXI. Postea legationem ad Philippum decernit, ut eum, ſi non amicum et auxiliarem, ſaltem placatum haberet, et a ſummittendis Meduanio auxiliis averteret. Ei obeundae deligitur Petrus [m] Forgetus Fraxineus, quem nuper cum Ludovico [n] Poterio Gevreo rex a ſecretis epiſtolis allegerat, cum [o] Ruzaeus et Revolius pares ſe moli negotiorum ingruenti negarent. Fraxineo mandata data, ut Catharinae matris et ipſius Philippi ſocrus mortem nunciaret: tum de [p] Cameraco regem apud eum excuſaret, et occupatae civitatis cauſam parenti attribueret, quae ſibi de Luſitaniae regno ſatisfieri poſtulabat; (nam Catharinae parentis, non regis nomine, quamdiu illa vixit, [q] Balagnius Cameracum tenuerat:) tum de motibus in Gallia excitatis querimoniam inſtitueret, oſtenderetque rem peſſimi eſſe exempli et ad omneis principes pertinere; et quanquam, nobilitate, in qua militaris regni praecipuum robur conſiſtit, in fide manente, et induciis cum Proteſtantibus, a quibus diſtinebatur, factis, non deſint vires, quibus perduelleis pro merito caſtigare et populos rebellanteis in ordinem cogere valeat, tamen eadem auxilia, quae ille in tali occaſione expoſceret, ab ipſo poſtularet; quo populi illi intelligant, quod per ſeditionem faciunt, minime vicinis principibus probari poſſe, nihilque ſpei in illis, ſi in temeritate ſua pergant, aut praeſidii repoſitum eſſe. Poſtremo juſſus addere, regem de Cameraco paratum ipſi ſatisfacere: nam neque de regni Luſitani jure, quod parens ſua obtendebat, velle cum illo contendere, nec impedire quin Balagnius ipſi urbem et arcem reſtituat. Quod odio potius Balagnii, qui ad foederatorum partes defecerat, quam regni bono a rege factum, qui hominem ſibi ob defectionem inviſum deſeri et Hiſpanorum armis objici ſua intereſſe non exiſtimabat. Verum Philippus, qui deprecationes hujuſmodi ac conditiones non a bene affecta erga ſe

voluntate,

INTERPR. [a] *le Sr de Lorges.* [b] *le Mans.* [c] *le mareſchal d'Aumont.* [d] *le duc de Montbazon.* [e] *de Grillon & de Rubempré.* [f] *S. Malines.* [g] *gibet de Montfaucon.* [h] *Blois & Baugency.* [i] *Bretagne.* [k] *le comte de Soiſſons.* [l] *de Beaumanoir Sr de Lavardin.* [m] *Forget Sr de Freſnes.* [n] *Potier Sr de Geſvres.* [o] *de Ruzé & de Revol.* [p] *Cambray.* [q] *de Montluc de Balagny.*

voluntate, ſed a violenta imbecillitatis, ad quam res ejus redactae eſſent, confeſſione profectas interpretaretur, poſtquam de morte reginae et de motibus in vicino regno exortis ſibi dolere, et multa in eam rem officioſe dixit, ubi ad Cameraci negotium ventum eſt, injuriam ſibi eo occupato factam acerbe admodum exaggeravit, deque ea ſibi tam ſero ſatisfieri, idque quod in poteſtate rex non habeat cedi, minime pro gratia ſe accipere oſtendit: et quod ad auxilia ſe excuſavit; eodem malo, quo rex amicus affligetur, res ſuas laborare; nec, occupatis in Belgio viribus, Galliae, ut olim fecerat, praeſto eſſe poſſe. Ad extremum ſubjecit, ſibi animum pupugiſſe, quod intellexerit regem cum ſectariis pacem feciſſe, eorumque opera contra Catholicos uti. Quo reſponſo ſatis intellectum eſt, intempeſtivam fuiſſe [a] Fraxinei legationem, et animum Philippo ad res Galliae turbandas non deeſſe, tantum occaſionem quaeri; quae ſtatim ei a fortuna per regis mortem oblata eſt.

XXII. EODEM tempore rex cum ampliſſimis mandatis Gaſparem Schombergium [b] Nantolii comitem virum perſpectae fidei ac prudentiae mittit, ut X CIↃ equitum, XVI peditum in Germania ſcriberet, in eamque rem pecuniam, quam maximam poſſet, a principibus foederatis mutuam ſuo nomine ſumeret. Ei et deſtinata a magno Etruriae duce promiſſa CC aureorum CIↃ, quorum partem mulis impoſitam jam [c] Auguſtam Vindelicorum per [d] Guicciardinum equitem vehendam curaverat, ne, per menſarios negotio confecto, ex libris rationum res, quam celatam cupiebat, evulgaretur. Cum Schombergio miſſus Jacobus Auguſtus Thuanus cum mandatis ad Rodolphum Caeſarem, ut triſti de morte reginae nuncio, more inter principes recepto, defungeretur, et contra jactatos a foederatis et Hiſpanis, qui rebus eorum favebant, quaſi res regis omnino deploratae eſſent, rumores, quo in ſtatu res eſſent exponeret, brevique fore oſtenderet, ut rex, civitatum rebellione compreſſa, priſtinam auctoritatem in regno recuperaret; tum a Caeſare magnopere contenderet, ut auctoritate ſua interpoſita prohiberet, ne perduellibus adverſus principem ſuum per Germaniam militem ſcribere liceret, et contra quos habiturus eſſet delectus gratia ſua et commendatione adjuvaret. Ei et negotium datum ſingularum ad principes Imperii legationum obeundarum, dum Schombergius delectibus faciendis occupatus eſſet. Una et miſſi Helveticarum copiarum duces amplis praemiis et promiſſis a rege onerati, ut domum reverſi res regis apud Helvetiorum civitatem commendatione ſua adjuvarent, et novis delectibus, cum opus eſſet, nam de Sancii rebus, ubique inſeſſis ab hoſte itineribus, nondum quidquam erat cognitum, pro rege faciendis operam darent. Schombergius cum Philiberto [e] Guichio, qui ad auxiliareis copias cum [f] Nivernio in [g] Heduis excipiendas mittebatur, et Franciſco [h] Grangeo Montinio, qui bello adverſus [i] Caſtreum in [k] Biturigibus gerendo deſtinabatur, profectus, cum Romorantinum uſque proceſſiſſet, cognito inſidias ſibi ſtructas, et compendioſiore via, qua ire properabat, ubique homines diſpoſitos qui eum interciperent, iter flexit, et, conſulto prius rege, per [l] Pictones longiore via in [m] Aquitaniam deſcendit; factoque per [n] Joannis-fanum, [o] Pontium in Santonibus, [p] Bergeracum in Petrocoriis, [q] Figeacum in Cadurcis, Antonini-fanum in Rutenis itinere, cum [r] Tarnis tranſitu prohiberetur, per [s] Calvinetum et Murum Barrenſem, Marologium, Schenacum, Mimatum in Gabalis, ac Vilfortium, ſuperatis [t] Cebennis montibus, [v] Aleſiam, quod primum ab illa parte occurrit [w] Septimaniae oppidum, pervenit, atque inde [x] Uticam perrexit; conſultiſque inde Momorantio, inde Diguierio, cum nuſquam

INTERPR. [a] *de Freſnes.* [b] *Nanteuil.* [c] *Augsburg.* [d] *le cavalier Guicciardin.* [e] *de la Guiche.* [f] *le duc de Nevers.* [g] *Bourgogne.* [h] *de la Grange Sr de Montigny.* [i] *de la Chaſtre.* [k] *Berry.* [l] *Poictou.* [m] *Guienne.* [n] *S. Jean d'Angely.* [o] *Pons en Saintonge.* [p] *Bergerac en Perigort.* [q] *Figeac en Quercy, & S. Antonin en Rouergue.* [r] *le Tarn.* [s] *Calvinet & Mur des Barres, Marueges, Chanac, Mande en Givaudan, & Vilfort.* [t] *les Cevennes.* [v] *Alais.* [w] *Languedoc.* [x] *Uſez.*

nuſquam tutum iter, ſi recta per Helvetios in Germaniam ire pergeret, promitteretur, tandem tranſmiſſo ad [a] Spiritus-fanum [b] Rhodano, a Valeta per [c] Provinciam deductus, [d] Julii-forum venit; conſcenſiſque ad [e] Raphaelis portum eodem quo rex obiit die navigiis, Genuam tertio poſt die appulit. Ibi iter cum Thuano dividit, quem Venetias praemittit; ipſe Florentiam ire inſtitit, ut fidem Ferdinando de delectibus habendis coram faceret, et altera C aureorum CIↃ, quae promiſerat, ab eo acciperet.

XXIII. INTEREA rex ad exercitum ire certus, de [f] Pictavio, quod huc uſque nutaverat, jampridem ſolicitus, eo ire ſtatuit. In ea urbe factio radices altas egerat, jam ab eo tempore quo Meduanius ante triennium in Aquitaniam proficiſcens ſecreta conſilia cum audaciſſimo quoque e plebe habuerat, et diſcedens uxorem gravidam in ea reliquerat. Demum poſt tumultum Pariſienſem renudatae magis voluntates; et cum univerſi in obſequio manendum cenſerent, tamen plerique Guiſii factum excuſabant, et vanos a Navarro et Proteſtantibus metus obtendebant. Poſtea cum deligendis a nobilitate delegatis ad comitia mittendis conventus haberetur, non vocati proceres regiis partibus addicti; et decuriones urbis, qui municipalis juris peculiari praerogativa nobilitatis provincialis partem faciunt, ab iis per factiones excluſi, quod praecipui ex iis partes regias tuerentur. Cumque illi injuriam collegio ſuo fieri quererentur, reperti ſunt e civibus, qui, quanquam in maximum ipſorum praejudicium fieri id minime ignorarent, tamen odio caeci, et praevalente factionis jam adultae robore, ne propterea a collegio intercederetur, numero potius quam auctoritate ſua tenuerunt. Ubi vero de Guiſii morte allatum eſt, et rex, miſſo ad eos Scaevola [g] Sanmarthano primario decurione, quare hoc ſeveritatis exemplo erga pejora meritos uſus eſſet, exponendum curaſſet, primo univerſi metu linguam tenuere, quaſi ſilentio factum approbantes: dein ubi ex pavore animos collegerunt, neque principia ſucceſſus, qui debuerant, ſequi animadverterunt, paulatim in licentiam verborum ſe effundere, Proteſtantium terrorem ingerere, regem in occulto prius, mox et palam, criminari, qui, dum ultioni ardentius indulget, imprudentia ſua res Proteſtantium contra animi ſententiam promoveret. Adjuvabat eorum audaciam jam non occultus Joannis [h] Gracchi Boſſeguini urbis praefecti favor, qui, ſive religionis cauſa, quam peſſimi quique ſceleribus obtendebant, ſive in gratiam Georgii [i] Villoclari Guerchiae vicecomitis generi ſui, qui foederatis militabat, repente mutaverat; et Godofredus [k] Sanbelinus urbis [α] epiſcopus Guiſianis jampridem addictus. Itaque qui a partibus regis ſtabant, ejus praeſidio deſtituti, Joannem [l] Chourſium Malicornium provinciae praeſidem [m] Parthenaeo evocant, ſed exiguo profectu. Poſt aliquot dies tumultu de induſtria excitato et plebe ad arma conclamante, erectis etiam tumultuariis munitionibus, cum Joſephus [n] Doinellus Sanſolinus, qui ordines olim duxerat, vir opulentus et primariae in urbe nobilitatis, eas diſturbaſſet, et Joannem [o] Paluſtrium magiſtratum urbanum, majorem vulgo vocant, qui ad furorem plebis connivebat, increpuiſſet, ac rixa inter eos orta venabulo ad guttur adacto repuliſſet, factioſi pervicere ut Sanſolinus ad tempus ſecederet, nunquam aliter urbem quieturam dictitantes. Interea Renato [p] Sanzaco comiti, et Franciſco [q] Pleſſio Richelio, ac poſtremo Emerico [r] Barbezerio Cemeraldo, a rege ſubinde miſſis, verba a factioſis data; urbem in poteſtate ejus futuram,

VAR. LECT. [α] epiſcopus, homo libidinibus infamis et Guiſianis *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Pont S. Eſprit.* [b] *le Rhoſne.* [c] *Provence.* [d] *Frejus.* [e] *S. Rafeau.* [f] *Poictiers.* [g] *de Ste Marthe premier Eſchevin.* [h] *le Jay Sr de Boiſſeguin.* [i] *de Villequier vicomte de la Guerche.* [k] *S. Belin.* [l] *de Chourſes Sr de Malicorne.* [m] *Parthenay.* [n] *Doineau Sr de Ste Soline.* [o] *Paluſtre maire.* [p] *le comte de Sanſay.* [q] *du Pleſſis Sr de Richelieu.* [r] *de Barbezieres Sr de Chemeraud.*

futuram, ſed furori plebis aliquid condonandum, quae vicinis ſectariis ad rumuſculos quoſque credula tam facile placari non poſſet. Id ut regi magis perſuaderent, eumque fallaci ſpe lactarent, ſemel atque iterum Guerchium cum manu addictorum foederi ex [a] Lemovicum et vicinorum locorum nobilitate advenientem repulerant. Miſſi et e ſuo numero delegati, qui coram regi haec ſpecioſis verbis confirmarent. Sed cum facta verbis non reſponderent, et ſub id Armanus Bironus equitum tribunus a rege evocatus domo ex Aquitania veniens illac tranſiret, non minore impudentia quam flagitio concitata plebe, apparitore quodam nomine Berlando ſeditionis duce, urbe ejectus eſſet, primariiſque civibus, qui regium nomen vitae periculo tuebantur, regis praeſentiam requiri affirmantibus, ipſe non amplius cunctandum ratus ad urbem iter intendit, cum IƆ C circiter equitibus et aliquot tormentis, quae ab Helvetiis trahebantur; et XVI Kalend. Junias ſub ſeptimam matutinam horam in conſpectum urbis venit, et in proximo colle in armis conſedit. Mox ad eum miſſi delegati, qui pacata plebe ſponderent facilem ingreſſum: et [b] Boſſeguinus ſpem faciebat, ſi vi opus eſſet, per arcem regem admiſſurum. Sed cum promiſſorum poenituiſſet, ipſe ſe ex compacto, ut fidem datam liberaret, arce expelli a concitata plebe paſſus eſt; quae poſtea diruta eſt. Tandem pro exſpectato reſponſo tormentorum ictus in confertum equitum agmen, et ad eam partem maxime in qua vexillum regium apparebat, directi. Rex, cui ſola armorum via tentanda reſtabat, ab ea abſtinere maluit, quamvis oppidani, qui cum rege erant, ſi vim adhiberet, multos pro regio nomine arma in urbe ſumpturos promitterent. Igitur inde digreſſus ad [c] Auſancium illa nocte hoſpitium habuit, et mane delegatos ab urbe audivit, qui vim deprecabantur, rejecta heſternae repulſae culpa in ignaram plebem, quae, quamdiu arma ante oculos haberet, nunquam quietura eſſet; ceterum denuo urbem in poteſtate ejus futuram affirmabant. Et cum ſub id vicecomes Guerchius rurſus ad urbem veniſſet, et, quia nullo comitatu venerat, admiſſus eſſet, rurſus ejectus eſt. Quam rem magnificis verbis extollebant, qui regium nomen praetexentes neutri per has turbas manere malebant; ignari ſcilicet, in bello civili neutris eſſe non licere, et in aliis rebus progreſſus eſſe, in ſeditionibus nihil medium inter ſumma et abrupta, atque ubi a ſummo regii obſequii faſtigio deflexeris, per praecipitia motuum plebeiorum neceſſario delabendum eſſe. Itaque illi ipſi mediae ſententiae auctores a plebe mox abrepti ſunt, Malicornio etiam injurioſe dimiſſo, et Parthenaeum, unde venerat, amandato; multique ex iis ſero errore animadverſo ſe voluntario exilio damnarunt: quorum diſceſſu epiſcopus et ejus emiſſarius Joan. [d] Protaſius Franciſcanus, aliqua literarum oſtentatione clarus, ceterum impudentia ſingulari praeditus, importunis concionibus pervicit, ut regium nomen omnino induceretur, et civitas unioni nomen daret. Rex, tunc repulſae injuria diſſimulata, cum excuſationes primariorum civium in bonam partem accipere teſtatus eſſet, [e] Eraldi-caſtrum ad Vigennam conceſſit; ubi triſtitia dejectum ejus animum laeti aliquot nuncii confertim allati in certam meliorum deinceps ſucceſſuum ſpem erexerunt.

XXIV. [f] SILVANECTENSEIS exemplo vicinorum locorum foederi nomen dediſſe et poſtea poenituiſſe diximus, evocato Gulielmo Momorantio [g] Thoreo, qui Ludovicum Momorantium [h] Bottavillam gentilem ſuum [i] Haloti fratrem mox vicarium conſtituit, et vicinam nobilitatem regi addictam, atque ex Momorantiana ditione proxima militem, in urbem exeunte Aprili introduxit. Id aegerrime tulerunt Pariſienſes, qui providerent fore, ut ex loco ad res gerendas opportuno tractu temporis

INTERPR. [a] *le Limouſin.* [b] *de Boiſſeguin.* [c] *Auzances.* [d] *Protaiſe Cordelier.* [e] *Chatelleraut ſur la Vienne.* [f] *ceux de Senlis.* [g] *le Sr de Thoré.* [h] *le Sr de Boutteville.* [i] *le Sr de Halot.*

ↀ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

temporis multum urbi incommodaretur. Franciſcus [a] Roncerollius Menevilla, qui ſe urbis pro praefecto per Meduanii abſentiam gerebat, praeire juſſus, cum IV ↀ militum in urbe conſcriptorum et egregie armis inſtructorum: cum mox ſubſecutus eſt Aumalius cum ↀ CC. Dein miſſi qui II machinas muraleis ac colubrinam unam adducerent. Cum nemo id ſuſcipere vellet, eo aſtu uſi ſunt unionis conſiliarii. Decretum erat, ut ex ſingulis XVI urbis regionibus quotidie ↀ CC in armis exirent ad aditus [b] caſtri Vicennarum ſervandos, ne commeatus in illud importaretur; et ſors Claudio [c] Aubraeo obvenerat. Cum ille cum ſuis ad [d] Santantonianam portam tenderet, repente ad Sanmartinianam deflectere jubetur, et tormenta jam [e] Borgetum a [f] Brigardo urbis ſyndico praemiſſa [g] Silvanectum deducere. Id actum pridie Nonas Maias. Adductis tormentis continuo aliquot ictus diſploduntur, et obſeſſi deditionem facere jubentur. Ad fragorem excitati defenſores magna conſtantia pro muris in armis ſe oſtentant, et nihil opus machinis eſſe dicunt; nam partem murorum ſe dejicere paratos, modo illi, qui deditionem imperant, ſe oppugnationem facturos recipiant. Poſtridie Aegidius [h] Urſinus Armenterius cum delectis perrupto vallo intra urbem accipitur, cujus adventu confirmati praeſidiarii ad C equites erumpunt, et disjectis ſtationibus pars in urbem redit, pars ad maturanda auxilia, quorum ſpem fecerat Henricus [i] Aurelianus Longavillae dux, Picardiae praeſes, qui [k] Compendii erat, proficiſcitur. In ea eruptione [l] Chamoſius Sclavolius, praecipuus inter eos belli dux, ictu ſcloppeti interficitur. Sub id Joannes [m] Monlucius Balagnius Cameraci praefectus, qui captis et direptis nobilium in limite domibus magnum de ſe terrorem ſparſerat, in caſtra cum IV ↀ armatorum, VII tormentis muralibus [n] Perona et Samarobriga Ambianorum advectis, venit; ac XVI Kalend. Junias verberationem ad eam partem dirigunt quae in auſtrum vergit, loco tunc admodum debili, utpote neque foſſa profunda, neque labro exteriore munito. Edita ruina fit impetus, ſed confuſis ordinibus et injuſſu imperatoris; ſummaque defenſorum virtute, ac praecipue Armenterii ac Bottavillae, hoſtes cum damno repulſi. Magna erat in urbe pulveris et pilarum penuria; et quod modicum ſupererat, eo certamine fere conſumptum fuerat. Itaque cum ſuſtinendae ulterius oppugnationi impares eſſent praeſidiarii, de deditione agi coepit: conditioneſque honorificae perſcriptae, quibus [o] Thoreo cavebatur; viciſſim Thoreus fidem dederat, niſi intra diem auxilia comparerent, fore ut locum dederet. Interea evocati undique proceres Compendium convenerant; injuriis a Balagnio acceptis irritati et proprio periculo invitati; quibus regis juſſu Franciſcus [p] Lanovius, relicto [q] Sedano, cum Georgio [r] Claromontio Amboſiano, adductis ſecum delectis equitibus, ſe conjunxerat. Cum Longavillano erant Carolus Robertus [s] Marcianus Molevriae comes, Carolus Humerius, Henricus Guffierius Bonnivetus, Chriſtophorus Lanoius Boſſerius, Ludovicus Ognius Cauniae comes, Annas Anglurius Givrius, qui levi armaturae praeerat, Ludovicus [t] Barbanſonus Canius, Joannes Antonius Longovallus Harocurius, Ludovicus Eſtrumelius, Fretoius, Mevillerius, Turrius Brunetellus, alii e primaria nobilitate, cuncti fere juvenes et praeſenti ad certandum animo; qui Lanovii veterani ducis prudentia freti nihil non auſuri videbantur. IↃ CCC equites,

ↀ IↃ

INTERPR. [a] *de Roncherolles Sr de Mayneville.* [b] *Chateau de Vincennes.* [c] *le colonel d'Aubray.* [d] *les portes de S. Antoine & de S. Martin.* [e] *le Bourget.* [f] *Brigard procureur de l'hôtel de Ville.* [g] *Senlis.* [h] *Gilles Jouvenel des Urſins* II *du nom Sr d'Armentieres.* [i] *d'Orleans duc de Longueville, gouverneur de Picardie.* [k] *Compiegne.* [l] *d'Eſclavolles Sr de Chamois.* [m] *Montluc de Balagny gouverneur de Cambray.* [n] *Peronne & Amiens.* [o] *le Sr de Thoré.* [p] *de la Noüe.* [q] *Sedan.* [r] *de Clermont d'Amboiſe.* [s] *de la Marck comte de Maulevrier, Ch. d'Humieres, H. de Gouffier de Bonnivet, Chr. de Lanoy Sr de la Boiſſiere, L. d'Ognies comte de Chaunes, & Anne d'Anglure Sr de Givry.* [t] *de Barbançon Sr de Cani, Jean Antoine de Longueval Sr de Haraucour, L. d'Eſtrumel, du Fretoy, de Mevilliers, & d'Auxy Sr de la Tour Brunetel.*

CIϽ IϽ ſcloppetarios omnino fuiſſe conſtat: qui [a] Verberiam ubi venerunt, per exploratores de deditionis conditionibus cognoſcunt: quo magis ſibi maturandum ducunt; et ſumpto cibo ac refecto milite in viam ſe dant, adductis III campeſtribus machinis, quae a ſcloppetariis confertim circumdatis tegebantur, ne ab hoſtibus cernerentur. Sub meridiem in conſpectum obſeſſis apparere coeperunt. Ibi concilio habito Lanovius, quamvis ſemper pugnandi cupidus, conſpecta immani hoſtium multitudine, ingemuiſſe fertur, cum et pugnandi neceſſitatem impoſitam videret, et florem delectum nobilitatis cum vili fere milite aleae proelii committi doleret. Tandem alacritate eorum victus, antequam ad manus veniretur, per ſcloppetarios conſerta velitari pugna, mandat, ut quoſdam ex hoſtibus procurrenteis ſcloppetarios interciperent, et ad [b] Longavillanum ſtatim adducerent: qui ſeorſim, pugionibus ad guttur adactis, interrogati, an hoſtes tormenta loco moviſſent, cum concorditer omnes affirmarent, non mota loco tormenta, in ſpem magnam venit Lanovius rei conficiendae; ſtatimque ſcloppetarii, qui machinas campeſtreis tegebant, et cum iis machinae tectae progredi jubentur: quos eo ordine ſequebatur exercitus in V agmina diſtinctus. Longavillanus primum ducebat, quod robore juventutis conſtabat, ad laevam incedens: pone ſequebantur [c] Lanovius et Claromontius cum ſecundo agmine: primam aciem [d] Maulevrius regebat: ad dextram cum ſuo agmine ſtabat [e] Humerius, et ſupra eum [f] Givrius cum levi armatura: [g] Harocurius a tergo ſtabat, ad ſubita et inopinata ſepoſitus. Hoſtium acies in III agmina inſtructa erat, quorum primum [h] Aumalius ex adverſo Longavillani, ſecundum [i] Balagnius, tertium Menevilla ducebant; Senicurius Seſſevallius levi armaturae praeerat, ante Menevillam poſitus; hinc inde peditatus latera claudebat. Utrinque ſcloppetarii equites praemiſſi et Longavillani et Aumaliani. Machinis inſtructis noſtri procedunt; et ubi intra tormenti jactum conſtiterunt, aperientibus ſe ſcloppetariis, [k] Sarmoſius, qui rei tormentariae praeerat, tanta celeritate ter repetita diſploſione in [l] Menevillam, Seſſevallium et Congium, ac [m] equitatum Cameracenſem ictus dirigit, ut ſolutis ordinibus gradum accelerare coegerit: in quos noſtri confertis ordinibus invecti poſt aliquod certamen palanteis fundunt, inſtanteſque palantibus, ſemper ſervatis ordinibus, in fugam vertunt, nequicquam Aumalio et Balagnio ultimos ordines retinentibus, et preces ac minas miſcentibus. Fuſo equitatu peditatus omnis confeſtim diſſipatur, et abjectis armis, quo expeditius fugeret, per campos effunditur. Inſtant noſtri, et fugienteis longo ſpatio inſequuntur. Aumalius ad [n] Dionyſii-fanum receptum habuit: Balagnius levi vulnere in fuga accepto ſuperbus Lutetiam uſque proceſſit, cladem verbis elevans, ſic ab Aumalio ſibi a plebe metuente juſſus erat; et denuo intra triduum inſtructis novis copiis ad certamen cunctos redituros ignaro vulgo impudenter promittebat. Menevilla, dum ad tormenta, quo ſe receperat, obſtinate pugnat, interfectus eſt. CIϽ CC amplius ex hoſtibus deſiderati. Ex noſtris admodum pauci, et in iis [o] Mevillerius; Ludovicus Barbanſonus graviter in femore vulneratus. Capta decem tormenta cum omni apparatu bellico et omnia impedimenta; ingens praeterea praeda parta ex mercatoribus, qui ex urbe tanquam alta pace ad nundinas, ſic in caſtra omnis generis ad luxum inventis mercibus onuſti venerant, tabernis ſicuti in [p] Palatii porticu per vicos exſtructis.

XXV. HAEC inſignis clades prima a foederatis accepta, alia poſtridie cumulata eſt. Meduanius, tumultuante in ejus caſtris milite Belgico, petierat ſibi ſummitti e

Picardia

INTERPR. [a] *Verbery.* [b] *le duc de Longueville.* [c] *de la Noüe & de Clermont d'Amboiſe.* [d] *le comte de Maulevrier.* [e] *de Humieres.* [f] *de Givry.* [g] *de Haraucour.* [h] *le duc d'Aumale.* [i] *de Montluc de Balagny.* [k] *de Sermoiſe.* [l] *les ſieurs de Maineville, de Seſſeval, & de Congy.* [m] *la cavallerie de Cambray.* [n] *S. Denis.* [o] *de Mevilliers.* [p] *la galerie du Palais.*

Picardia equeſtreis copias; nam illa provincia prae aliis et nobilitate et equitatu excellit. Eum Carolus [a] Savoſius et Annas Broſſius [1] Tiercellini fratres Balagnii pertaeſi ducendum ſuſceperant, ex nobilitate praecipui, et ferina obſtinatione foederatorum partibus addicti. Erant omnino CC equites haſtati, fere e nobilitate provinciae, et L ſcloppetarii, quos [b] Forcevilla ducebat, qui ante biennium [c] Petreium [d] Foquerollii fratrem Aumalii juſſu occiderat. His ſe junxerat Ludovicus [e] Dalonvilla Reclainvilla Joannis Carnutum praefecti filius cum L equitibus. Dum prope [f] Bonnevallium oppidum in Carnutibus coenobio nobile incederent, cognito Franciſcum [g] Mongomerium Lorgeum illac excurrere, Reclainvillam cum L equitibus praemittunt, qui eum aſſequeretur, et certamine, dum reliqui adveniſſent, diſtineret. Is aliam longe fortunam expertus eſt. [h] Caſtellionaeus eodem tempore Navarri juſſu [i] Bogentiaco profectus fuerat cum [k] Aramburii et Carbonarii levis armaturae alis, et aliquot e nobilitate, qui circiter CCC equites egregie armatos conficiebant: duxerat et ſecum CCCC ſcloppetarios equites, cum ſcutis, eo conſilio, ut [l] Autricum Carnutum interciperent, inſtigante eum ad expeditionem Ludovico [m] Angenaeo Maintenonio, qui arcem ſuam vicinam habebat, et rei exequendae rationem inivérat. Foquerollius praecurſores numero XX ducebat; qui in Reclainvillam incidens, antequam de numero utrinque cognoſci poſſet, e veſtigio manus conſerit, et V circiter ex Reclainvillanis in conſpectu ejus ſternit. Reclainvilla ſubito curſum inhibet, et ad Savoſium rediens, in Lorgei praecurſores incidiſſe dicit, et ex ſtrepitu equorum non longe eum abeſſe ſignificavit. Savoſius, nihil de Caſtellionaeo cogitans, nullis praemiſſis equitibus, eo recta tendit; atque ubi propius acceſſit, longe ſperato majorem numerum conſpicatus, ad Forcevillam, qui impetum ab initio ſuſtinendum cenſuerat, converſus, Quid cenſes, inquit, an erroris emendandi locus hoſte tam propinquo? Ad quae ille, Quando ſanioribus conſiliis aurem non praebuiſti, pro deliberatione omni hoc unum reſtat, ut periculum, in quod praecipitavimus, animi praeſentia ſuperemus. Quibus dictis Savoſius ſuos ad pugnam inſtruit, et, locatis in fronte ſcloppetariis, fortiter pugnam capeſſit. Ipſe partem copiarum ducebat, Broſſio fratri altera parte attributa. Caſtellionaeus bipartitis copiis dextrum cornu regebat, in quo erant Iſaacus [n] Valdraeus Moius, Maximilianus [o] Bethunius Ronius, [p] Sanſereus, Hirus Freſillonus, Cambellanus, alii. Aramburius et Carbonarius laevum ducebant: ſcloppetarii in pedes deſcendere juſſi hinc inde latera tegebant, paulum provecta fronte. Savoſius, non conferto agmine, uti Caſtellionaeus, ſed porrectis ordinibus, acie ad haſtas explicandas et ad hoc genus pugnae hactenus expeditiore credita, incedebat; et cum primo in laevum cornu tendere videretur, ſtatim ad dextrum deflexit, et haſtis adductis tam acrem impreſſionem facit, ut primos ordines diſturbaverit, et Caſtellionaeum ipſum cum ſuis equis everſos ſtraverit: eodemque tempore Broſſius in latus incumbit, ita ut Caſtellionaea acies prope inclinaret. Sed ſubito a poſterioribus ordinibus, ſuperveniente Aramburio et Carbonario, quibus Foquerollius ſe junxerat, reſtitutum proelium, cum palantes Savoſiani jam ſolutis ordinibus alteri impreſſioni faciendae amplius pares non eſſent. Itaque inſtantibus noſtris caeduntur; et cum univerſi turbata acie non poſſent, ſinguli tamen obſtinate adeo pugnabant, ut C ex iis in veſtigio

INTERPR. [a] *les ſieurs de Saveuſe & de Broſſe, de la Maiſon de Tiercelin.* [b] *de Forceville.* [c] *la Pierre.* [d] *de Fouquerolles.* [e] *Dalonville Sr de Reclainville.* [f] *Bonneval au pays Chartrain.* [g] *de Montgomery Sr de Lorges.* [h] *le Sr de Chaſtillon.* [i] *Baugency.* [k] *d'Arambures & de Charbonieres.* [l] *Chartres.* [m] *d'Angennes Sr de Maintenon.* [n] *de Vaudray Sr de Mouy.* [o] *de Bethune Sr de Roſny.* [p] *de Saintſeré, Hire Freſillon, & Chambellan.*

NOT. [1] la maiſon de Saveuſe eſt fonduë en celle des Tierçelins ſieurs de Broſſe en Touraine, en ſorte que le ſecond de cette famille porte touſjours le nom & les armes de Saveuſe. *Put.*

veſtigio interfecti ſint; L circiter, dum vagi diſcurrunt potius quam fugiunt, itidem occiſi. Ex noſtris tantum tres deſiderati; pauci vulnerati, et in iis Caſtellionaeus ipſe et Cambellanus, truncis haſtarum reſilientibus icti. Savoſius graviter ſauciatus ac tandem captus eſt, et [a] Bogentiacum adductus; ubi ad ferinam obſtinationem etiam ex deſperatione amentia acceſſit, cum nec cibum ſumere nec vulnera curari vellet, aut omnino conſolationem ab amicis accipere; qui cum hominem mori certum monerent, ne ipſe ſibi mortem accerſeret, et miſericordiam Dei imploraret, atque a rege, a quo deficiens graviter Deum offendiſſet, veniam peteret, animum obfirmavit, et in pertinacia hac poſtremo deceſſit. Forcevilla et lethaliter vulneratus, qui captus Bonnevallii mox deceſſit. Ludovicus [b] Moncellus Villarius, qui, relicta in Picardia ſua equitum ala, ad [c] Meduanium tendens Savoſio ſe junxerat, acceptis XVII ictibus captus fuit. L alii ex vulneribus poſtea periere, totidem mutilati. Venerant omnes ſagis atris quaſi in luctu induti, lachrimis albis et cruce Hieroſolymitana, quam Lotharingi, jure ab Iolanda [d] Andina quaeſito, in inſignibus geſtant, diſtinctis, haſtas pariter atras iiſdem notis depictas geſtantes, quibus confractis inſtratum ſolum reliquerunt. Vexillum captum et a Caſtellionaeo ipſo ad regem in Pictones delatum; quo praeter illam lugubris pompae oſtentationem etiam elogium lingua Hiſpanica adjectum erat, quo poſt ultionem ſumptam ſibi mortem jucundam fore ſignificabant.

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS III.

XXVI. ERAT tunc in [e] Cenomanis Meduanius, ubi graſſante inter ſuos licentia, quam ipſe aegre videbat, neque tamen refraenare poterat, nullo non ſaevitiae ac libidinis genere in ruſticos ſaeviebatur: ac memoratur inter alia Gilberti [f] Pedifolii Commerondi, qui legionem ducebat, ex hujuſmodi praedonum colluvie conflatam, inſignis impietas; qui cum vicinam regionem rapinis vaſtaſſet, [g] Arcanaci, quod eſt III a [h] Lavallo leucis dives municipium, [i] Rambolieti uxoris dotale, aedem ſacram ob Domini reverentiam etiam a Proteſtantibus hactenus militi intactam, et donariis ac ſupellectile pretioſa inſtructam, portis incenſis ingreſſus, omnia a ſuis diripi paſſus eſt. Mulieres in ea repertae violatae; et cum ruſticus ob vim uxori in conſpectu ſuo allatam Deum ultorem appellaret, ad pedes imaginis Chriſti in cruce pendentis immaniter trucidatus eſt. Poſtea veſtes ſacrae inter ſcorta caſtrenſia diſtributae. Deinde et ſacroſancta Dominici corporis myſteria profanata, atque ab impuris ac deteſtandis hominibus per ludibrium deglutita. Tantam licentiam ut coerceret Meduanius, [k] Alençonium in Aulercis ducit, quod regis nomine [l] Rantii regulus tuebatur, et in quo plerique Proteſtantium doctrinae addicti erant. Oppido dedentibus ſe oppidanis in fidem accepto, ad arcem admota tormenta; quibus conſpectis Rantius, qui eam debili praeſidio tenebat, et ipſe deditionem fecit XI Kalendas Junias.

XXVII. ID incidit in tempus cladis ad [m] Silvanectum ab Aumalio acceptae, qua res foederatorum non mediocriter infractae ſunt; de qua mox ad fratrem ſcripſerat Monpenſeria, ob domeſticas ſimultates privatim Aumalio infenſa; et, de ejus ſeu ſocordia ſive in bello infelicitate ſemper male augurata, Bernardino Guiſii defuncti cubiculario cum literis fiduciariis miſſo mandaverat, ut Meduanio in urbem omni poſthabita mora veniendum perſuaderet, alioqui de ipſorum fortunis actum eſſe, neque ſperandum, ut cujus ignavia et imprudentia res perierit, ejus virtute aut ſolertia reſtituatur. Haec verba ei enixe inculcanda Bernardini fidei commiſerat: quae ille

INTERPR. [a] *Baugency.* [b] *de Monceaux Sr de Villers Houdan.* [c] *le duc de Mayenne.* [d] *d'Anjou.* [e] *le Maine.* [f] *de Puidufou Sr de Commeronde.* [g] *Arquenay.* [h] *Laval.* [i] *le Sr de Rambouillet.* [k] *Alençon.* [l] *le baron de Renty.* [m] *Senlis.*

ille cum [a] Autricum Carnutum veniſſet, et de Savoſii clade intellexiſſet, itineris periculum veritus, morbo ſimulato, ſcripto comprehenſa ſecreto tabellario ad Meduanium perferenda dedit. Verum, eo capto, cum literae in Navarri manus deveniſſent, ille non ſolum per eas de Silvanectenſi ſtrage, de qua adhuc ambigebatur, certo cognovit, ſed etiam diſſidii inter Lotharingos ſerendi et [b] Aumalio per officii ſpeciem inſultandi occaſionem cepit, miſſo Lutetiam tibicine cum Bernardini literis, et ſuis ad Aumalium, quibus ei exiſtimationis ſuae decus commendabat, et, ſi quidem de injuria tanta ſibi ſatisfieri cuperet, ſe ipſi tanquam delecto cognato praeſto futurum ſignificabat. Haec jocoſe inter ſeria a Navarro tunc acta, qui exemplum literarum Bernardini ſtatim ad regem miſit.

INTERPR. [a] *Chartres.* [b] *le duc d'Aumale.*

JACOBI,

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS SEXTUS.

EPITOME.

NEGOTII inter Helvetios a Sancio procurati ſucceſſus. Sancii cum exercitu auxiliari in Allobrogibus, et Sabaudiae ducis poſt ejus diſceſſum circa Genevam, res geſtae. II. *Sancius Helvetiis perſuadet ut in Franciam ad regem veniant, et equitatum ab eo accipiant, quo ſe deinceps contra Sabaudum tueantur. Bernatibus aſſentientibus in viam ſe dat. Longavillano a rege mandatum, ut cum Lanovio obviam venienti Sancio procederet.* III. *Edicto novo jura et privilegia urbibus perduellibus abrogantur.* IV. *Capto a Mercuriano ad Caſtrum Gironis Sueſſione, Henricus Borbonius Dumbarum princeps in ejus locum a rege ſufficitur.* V. *Navarri ad Aurelianenſeis literae.* VI. *Gergolium vi captum. Stampis morte adfecti magiſtratus, qui populo rebellandi auctores fuerant. Pons Eſiae obſeſſus, et poſt Altofortii mortem tandem deditus. Jametiana arx in Mediomatricibus a Schelandrio poſt arctam* XI *menſium obſidionem deditur. Dintevilla Montem-falconem recipit. Ad Georgii-fanum pugnatum feliciter ab Ambliſio. Res mutant, Ambliſio mutante, et ad Lotharingiae ducem a partibus regiis tranſeunte. Cl. Jouſa Torteronus a Sanpaulo ad Novum-caſtrum oppreſſus. Mons-Rigoli ad Igonnam ab Eſpernonio interceptus, et ſtatim a Meduanio receptus.* VII. *Sancii ad regem, qui ad Clodoaldi-fanum erat, cum auxiliari exercitu adventus. In Germania a Willelmo Heſſo ad regem mandata data.* VIII. *Jacobus Clemens Dominicanus in caſtra venit, et a Gueſlaeo nihil tale ſuſpicante ad regem introductus, porrectis literis legendo intentum cultro ancipiti manica prompto in imo ventre ferit. Accurrentibus domeſticis Clemens nullo irae ſpatio dato confoditur.* IX. *Rex vulneri diem ſupervixit. Moriens proceribus et nobilitati, quae aderat, Navarrum commendat.* X. *Nuncio Romam perlato pontifex in mortui memoriam ſaeviit. Vulgata ab Henoticis ejus in conſiſtorio habita oratio.* XI. *In Belgio tentata Tergoenſis inſula a Parmenſi irrito conatu. Gertrudbergenſium praeſidiariorum ab Ordinibus defectio. Hueſda a Mansfeldio nullo ſucceſſu obſeſſa. Bommela fruſtra tentata. Parmenſis aeger ad Tungrenſeis aquas proficiſcitur.* XII. *Alexandri Farneſii cardinalis patrui deceſſus.* XIII. *Blienbeka M. Schenkii arx a Marco Ria Varambonio tandem ad deditionem compellitur. In Friſia utrinque geſta. Schenkii mors. Gul. Naſſovius Soldincampiam munitionem in conſpectu Verdugi expugnat. Nuenarii ad Arnhemium miſerabilis interitus. Berka Varambonio deditur.* XIV. *Expeditio ab Anglis ad revincendam ſuperioris anni injuriam in Hiſpaniam Draco duce ſuſcepta. Ad Coronam in Gallecia claſſis appellit. Ejus ſucceſſus. Morbis graſſantibus Angli tandem domum redeunt,* XIII CIↃ, *qui Anglia ſolverant, ad* VI CIↃ *redactis.* XV. *De navibus Germanorum in itinere interceptis querelae inſtitutae. Danicus denarius Britanniae olim ante Gulielmi nothi tempora impoſitus.* XVI. *Apud Caeſarem Proteſtantium legati pro collegio Argentinenſi et Aquiſgranenſibus intercedunt. Edictum contra Belgas Aquiſgrani domicilium habenteis factum. Auſtriae et Viennae ordines liberam Auguſtanae confeſſionis profeſſionem petunt.* XVII. *Beutenae in*

finibus

finibus Quadorum et Sarmatiae pontificis et Philippi delegati conveniunt, de Maximiliani libertate acturi; conventumque, ut ſine pretio dimitteretur, fide data ut regis Poloniae titulis in poſterum abſtineret. XVIII. *Acta in comitiis Warſavienſibus de templo Jeſuitis patribus Rigae reſtituendo, et Kalendario Gregoriano. Res ad regni comitia rejecta. Coſlovia ad Pontum Euxinum a Coſacis direpta. In Ruſſia Tatari duce Jo. Sario Samoſcio aliquoties caeſi. Coſaci Tataros inſigni clade afficiunt.* XIX. *In Oriente Ferhates a Perſis et Tataris Circaſſis caeſus. Tumultus in Syria a ſuperſtitionis Mahumeticae devotis exorti.* XX. *Grandis ad Portam ſeditio a praetorianis orta. Maurorum Tripolitanorum in Africa a Turcis defectio.* XXI. *Jacobi* VI *Scotorum regis et Annae Friderici* II *Dani filiae nuptiae Croneburgi fiduciaria ceremonia contractae. In Dania pro jurejurando inter regni ordines et regis tutores acta.* XXII. *Julii Brunſvici academiae Helmaeſtadienſis fundatoris, Franciſci Roaldeſii juriſconſulti, Chriſt. Plantini, Jo. Sturmii, Henrici Molleri, Martini Cromeri, Melchioris Guillandini, Jacobi Zabarellae deceſſus. Andreae Dudithii vitae compendium et elogium. Lud. Gucciardini mors.*

Ex auctoribus,

Nic. Harlaei Sancii commentariis, Libris publicatis, P. Acrodio, Michaele Huralto Hoſpitalio, Andrea Mallario, Imm. Meterano, Caeſare Campana, Joanne Parvo, Drakianae expeditionis diario, Antonio Errera, Davide Chytraeo, Jacobo Typotio, Antonio Cicarella, Jo. Leunclavio.

LIBER NONAGESIMUS SEXTUS.

CIƆ IƆ LXXXIX.
HENRICUS III.

REX adhuc ad [a] Caſtrum-Eraldi haerebat, ubi diu exſpectatus de [b] Sancii rebus brevique venturo auxiliari exercitu nuncius eum ingenti laetitia perfudit, allatis a Sancio ipſo literis, quas inter duas ollae aheneae laminas tabellarius cucumarium ſimulans incluſerat. Sancius, poſtquam Genevam venit exeunte Martio, et mandata, quae a rege habebat, Joanni [c] Calvimontio Guitrio, [d] Joanni Laſinio Bellovaſio, [e] Bellijoco expoſuit, cognito Bernates et Genevenſem ſenatum in magno metu eſſe propter detecta nuper [f] Armancaei reguli contra Lauſannam et Genevam, conſcio Sabaudiae duce, qui paulo ante [g] Saluciarum principatum occupaverat, agitata conſilia, inde de exercitu contra communem hoſtem conſcribendo agendi occaſionem cepit, auctorque fuit Genevenſibus ut delegatos ad Bernates mitterent, qui eos ad ſocietatem cum rege ineundam hortarentur. Sancius ipſe eo proficiſcitur. Cautum erat foedere inter Helvetios et regem facto, ut, ſi ipſi bello a vicinis infeſtarentur, eis rex cum certo militum numero, quibus ex regia pecunia ſtato tempore ſtipendia procederent, ſuccurrere teneretur. Igitur Sancius, poſt auditos Genevenſeis legatos, cum primum ei ſenatus datus, has conditiones Bernatibus proponit, ut, ſi ipſi ſuo nomine bellum Sabaudo facere vellent, a rege conventas auxiliareis copias acciperent; ſi regem bellum ſuis auſpiciis adminiſtrare cuperent, cum idonea pecuniae ſumma in belli tam neceſſarii ſumptus juvarent: nam res regis hoc tempore non ferre, ut ſimul exercitus domi et foris ex aerario ſuo alere queat; utrum

mallent

INTERPR. [a] *Chatelleraut.* [b] *de Harlay Sancy.* [c] *de Chaumont Sr de Guitry.* [d] *Jean de la Fin Sr de Beauvoir la Nocle.* [e] *de Beaujeu.* [f] *le baron d'Armance.* [g] *le marquiſat de Saluçes.*

mallent ex iis eligerent. Bernates, qui ad reprimendos hoſtium conatus belli neceſſitatem ſibi impoſitam viderent, et regem tot ſumptibus oneratum novis ſumptibus in bellum externum faciendis parem non eſſe, quanquam foederis legibus minime tenerentur ex ſuo conferre, ſed tantum militem tradere, qui regis ſtipendio mereret, tamen alteram conditionem acceperunt; et, cum ſuo nomine bellum gerere nollent, C aureorum millia ſe daturos in belli regiis auſpiciis contra Sabaudum gerendi ſumptus, publico inſtrumento pacti ſunt. In cujus ſocietatem et venerunt [a] Tigurini civitatis Helvetiorum principes, Baſileenſes, Scafuſiani, Sangallenſes, Fridericus [b] Wirtembergicus Montis Pelicardi comes et [c] Argentinenſis ſenatus, pecunia de ſuo collata; cui et acceſſit propria Sancii pecunia ab Italis inſtitoribus, qui Genevae erant, gemmis ingentis pretii oppigneratis mutuo ſumpta. Ex ea conſcripta XII CIↃ Helvetiorum, CIↃ Germani, III CIↃ Gallorum, aliquot equites Germani, quos [d] Harocurius adducturus eſſet: quae omnes copiae XVII Kal. Maias ad diribitorium circa Genevam convenire juſſae. Antequam ulterius progrediar, pretium videtur, ut aliquid dicam de ſitu Genevae, circa quam toto quadrimeſtri bellum hoc anno geſtum eſt. Ea in imo Lemano lacu ad ſeptentrionem poſita lacum ab ea parte pro muro et vallo habet; ad orientem [e] Thononienſis et Chablaſia praefecturae, ac [f] Foſſiniacus ager, II, III, et qua plurimum IV leucis praetenduntur. Thononium urbs, a qua praefecturae nomen, V ab urbe leucis in ripa lacus jacet, via quae in Valeſios tendit; a meridie [g] Salevae montes reſpicit, et praefecturam [h] Ternienſem in amoena planitie III leucarum ſpatio poſitam, et [i] Arvam amnem IↃ paſſuum ſpatio ab urbe decurrentem. Rhodanus, qui medium lacum influit, ab occaſu urbis muros alluit, et ponte medio eam a Sangervaſiano ſuburbio dividit. Rhodano praetenditur [k] Geſſienſis praefectura, quae Jurae radices pro limite habet, et IV in longitudinem, II leucis in latitudinem porrigitur. Inde arx Geſſae, inde in via quae Lugdunum ducit [l] Cluſurae anguſtiae occurrunt. Et ita urbs III praefecturis veluti circundatur, quae ante XXII annos a Bernatibus Sabaudo reſtitutae ſunt certis conditionibus; quas illum aut non impleviſſe aut non ſervaſſe multoties poſtea illi queſti ſunt. Sancius, quid [m] Bernae egiſſet, ſtatim ad [n] Guitrium, Bellovaſium, et Bellijocum perſcribit, mandatque ut, collecta quam poſſent citiſſime manu, ipſi, antequam omnes copiae convenirent, aliquid contra Sabaudum imparatum molirentur. Igitur ii, circiter CIↃ CC Genevae ſcriptis militibus, in quibus erant VI peditum ſigna et III equitum, nocte concubia IV Non. April. exeunt, et per Foſſiniacum agrum facto itinere [o] Montoviam arcem ſitu firmam capiunt, eodemque ſucceſſu Bonam oppidum admotis crepitaculis in poteſtatem redigunt, arce etiam continuo recepta; ulteriuſque progreſſi, Arvae ripam legendo, [p] Tremberiae et Buringae pontes, ex adverſo Montoviae arcis et Bonae, abrumpunt, ut hoſtibus tranſitum ab illa parte intercluderent. Inde ad [q] Jorii fanum deflectunt; ea arx erat [r] Armancaci reguli inter montes ſitu firma in Chablaſienſi praefectura: qua capta copioſum commeatum repererunt, inſuper pleraſque chartas, quae conſiliorum ſecretorum adverſus Bernates et Genevenſeis a Sabaudo initorum fidem faciebant. Copiis praeerat cum ſummo imperio Guitrius; qui Genevam reverſus poſtridie [s] Geſſam, adductis II colubrinis et III mediocribus tormentis, tendit, [t] Villanovano, qui peditatui praeerat, praemiſſo. Geſſa, oppidanis portas aperientibus, mox venienti patuit, et

INTERPR. [a] *ceux de Zurich, Baſle, Schaffhouſe, & S. Gall.* [b] *de Wirtemberg comte de Montbeliard.* [c] *de Strasbourg.* [d] *le Sr de Haraucour.* [e] *Bailliages de Thonon & Chablais.* [f] *pays de Foſſigny.* [g] *de Saleve.* [h] *Bailliage de Ternier.* [i] *Arve r.* [k] *Bailliage de Gex.* [l] *Pas de la Cluſe.* [m] *Berne.* [n] *les ſieurs de Guitry, Beauvoir la Nocle, & Beaujeu.* [o] *Montou.* [p] *Trembieres & Buringe.* [q] *S. Joire.* [r] *le baron d'Armance.* [s] *Gex.* [t] *Villeneufve.*

CIƆ IƆ LXXXIX.
HENRICUS III.

et Claudius [a] Pobelus Petrae regulus altero poſt die arcem dedidit, vitam ſalvam ſibi ac ſuis pactus, qui captivi Genevam adducti ſunt: poſtea milites Sancii juſſu dimiſſi. Haec praeter ſpem Sabaudo acciderunt, qui nihil de Genevenſibus ſolicitus, ut ſucceſſus ſuos in Gallia urgeret, copias in [b] Sebuſianos Burgundiae proximos miſerat. Is ad nuncium ſtatim [c] Sonae Remillii praefecto mandat, ut Bonam ſine cunctatione ducat. Ille cum VIII equitum, IX peditum ſignis eo profectus eſt. Interim [d] Guitrius [e] Cluſuras expugnandas ſuſcipit, ita anguſtias vocant ad Jurae montis illa parte ardui ac praerupti radices in ſaxo excavatas, [f] Rhodano in imo decurrente vallatas, III a Geneva leucis. Admotis copiis Villanovanus in ſummo monte praeſidiarios diſcurſanteis conſpicatus, circuitu facto eos a tergo aggreditur, et ſtrage magna edita in munitionem in anguſtiis illis exſtructam compulit; dumque fugienteis inſequitur, qui in imo erant, non exſpectato ductorum imperio, in altum enituntur, ut attonitis inſtarent; a quibus cum damno repulſi ſunt, deſideratis aliquot e ſuis et in iis [g] Sanlegerio regulo. Tandem cum [h] Sancius in caſtra veniſſet, et mox Ludovicus [i] Erlacus Bernenſium copiarum dux, habito concilio Cluſuras omitti, et exercitum ad loca Lemano lacui circumpoſita expugnanda reduci, placuit. Convenientibus interim ad ſigna delectibus luſtratio exercitus a Sancio facta x Kal. Maias; ac poſtridie tranſmiſſo Rhodano [k] Thononium ducitur. Oppidum eſt v ab urbe leucis in ripa lacus ſitum, nullis muris aut foſſa munitum. Arx in imo oppido jacet ſeptentrionem verſus, quam [l] Dingius praefectus poſt tridui obſidionem Sancio dedidit, vitam et res ſalvas ſibi ſuiſque pactus. Inde, [m] Conciſa vico haud hinc longe incenſo, ad [n] Ripaliam verſus impetus, locum amoenitate et coenobio nobilem, quem Amadeus VII Sabaudiae dux, qui in pontificem electus et Felix v dictus eſt, poſtquam ſe dignitate pontificia abdicavit, cum amicis cardinalibus pro receſſu delegerat; ubi cum in otio voluptuario procul a curis degeret, proverbio locum dedit, ut qui genio indulgent, et ſolutius vivunt, Ripaliam facere dicantur. Eo loco Philibertus Sabaudi parens aliquot biremeis conſtrui, firmoque praeſidio ſuperimpoſito ſervari, juſſerat; quibus in lacum immiſſis Genevam fraenare, et totum lacum Bernatibus infeſtum reddere, in animo habebat. Auxilio mox advolavit Franciſcus Martinengus cum CIƆ IƆ cataphractis equitibus, IƆ ſcloppetariis equitibus et CIƆ peditibus; qui citius ſpe e montibus vicinis deſcendens regios, [o] Arva ad [p] Bonam-villam et [q] Buringae pontem jam refectum tranſmiſſo, imparatos et confuſos adortus eſt. Guitrius Genevenſeis equites in loco edito, cui [r] Creſto nomen, locaverat, nullis ſcloppetariis additis, qui latera tegerent. Itaque cum CCCC haſtati in eos ruerent, illi impares mature ſe ad ſuos receperunt. Eodem tempore cum in vallum ad Ripaliam ductum impreſſio a Sabaudis facta eſſet, [s] Soloturnenſes, qui tunc forte foſſam ſervabant, ſtrenue impetum hoſtilem ſuſtinuerunt ac repreſſerunt: quorum aemulatione reſumptis animis, Genevenſes equites, aſſumptis aliquot ſcloppetariis, Creſtum nuper a ſe deſertum repetunt, ibique fortiter cum hoſte confligunt; ſed, recenti hoſtium globo rurſus incumbente, ad extremum retro pedem tulerunt. His in diſcurſationibus utrinque aliquot deſiderati; tandemque, foedo ſuperveniente imbri ac diris coruſcationibus coelo ardente, certamen diremptum. Hoſtes ad montana proxima ſe receperunt, et [t] Sedunum verſus iter intenderunt. Horum diſceſſu Ripaliae praeſidiarii, ſpe auxiliorum omni praeciſa, locum Sancio dedunt Kal. Maiis: eodemque die [v] Compoſius, Burgus, et Sinaldus, cum IƆ CCC circiter Subalpinis ac Inſubribus

INTERPR. [a] *Popel baron de la Pierre.* [b] *Breſſe.* [c] *le Sr de Sonas gouverneur de Remilly.* [d] *le Sr de Guitry.* [e] *pas de la Cluſe, fort à 3 lieues de Geneve.* [f] *le Rhoſne.* [g] *le baron de S. Lagier.* [h] *de Harlay Sancy.* [i] *d'Erlach.* [k] *Thonon.* [l] *le Sr de Dingy.* [m] *Conciſe.* [n] *Ripaille.* [o] *Arve r.* [p] *Bonneville.* [q] *Buringe.* [r] *Creſt.* [s] *ceux de Soleurre.* [t] *Sion.* [v] *les capitaines Compois, Bourg, & Sinald.*

Inſubribus militibus arma et res ſuas auferentibus in tutum deducti ſunt. Poſtridie, tranſlata ex loco omni ſupellectile, foſſores demoliri eum aggrediuntur; ac ſequenti ſub veſperam ignis in turreis immiſſus, qui ſtatim totum aedificium depaſtus eſt. Conſumptae et [a] II biremes ac III minora navigia. Tum [b] Thononii et [c] Geſſae oppidani in regis verba adacti. Porro ex hac irrita auxiliarium excurſione cum Helvetiis proprio experimento conſtitiſſet, ſine equitatu, cujus ſpem fecerat Sancius, et peditatu Gallico diu hoſti reſiſti non poſſe, et cognito longe majores copias ex Italia brevi adventuras, magnoſque apparatus [d] Camberii ad eas excipiendas fieri, ante deditam Ripaliam tumultuari coeperant: vixque Sancius ab eis impetrare potuerat, ut, donec Ripalia potirentur, quieſcerent; tunc enim fore, ut illis ſatisfieret. Igitur poſt deditionem metum ab Helvetiis conceptum in commodum ſuum vertit. Ei conſtitutum erat ab initio magnum auxiliarem exercitum conſcribere, et ad regem quam citiſſime poſſet adducere. Id cum ſtatim non poſſet, nulla ſubminiſtrata a rege pecunia, tempore ſibi utendum duxit; et, belli contra Sabaudum, a quo Bernates et Genevenſes urgebantur, gerendi colore quaeſito, militem ipſorum ſumptibus legit; eamque ſibi conditionem, quo negotio principium daret, imponi paſſus eſt, ut regis nomine bellum gereretur, et pecuniae a foederatis commodatae et militis conſcripti in eo bello tantum uſus eſſet.

II. POSTEA, cum videret Helvetios periculo ſuo edoctos adventum hoſtium, qui equitatu abundabant, quo ipſi omnino carebant, exhorreſcere, occaſionem captavit faciendi quod ab initio deſtinaverat; vocatiſque belli ducibus ac gratiis actis pro opera gnaviter in Ripaliae obſidione navata, praefatus regis res non ferre, ut in eas, in quas pro tempore redactus ſit, anguſtias equitatu et peditatu Gallico eos juvare poſſit, mutuis tamen auxiliis alterum alteri commode ſuccurrere poſſe oſtendit, ſi Helvetii, Rhaeti, Valeſiani, qui nunc in caſtris ſunt, propere in Galliam deſcendant: ſic enim fore, ut rex, qui equitatu abundat, eorum adventu firmatus validum exercitum Helvetiis et auxiliari peditatu conſtantem habiturus ſit, et partem equitatus et peditatus Gallici, qua facile tunc ſit cariturus, in Sabaudiam mittat; ipſi vero equitatu ac peditatu Gallico inſtructi bello adverſus Sabaudum gerendo pares ſint. Haec a belli ducibus, qui periculum veriti occaſionem honeſtam e Sabaudia diſcedendi quaerebant, libenter audita; qui mox ſublato clamore paratos ſe in Galliam ire profitentur: inſtrumentoque ea de re confecto et ab iis ſubſignato, protinus Sancius per diſpoſitos equos Bernam tendit, et, concilio vocato, quid cum belli ducibus actum ſit, et quam juſtis cauſis hoc conſilium nitatur, demonſtrat; atque ad ſuperiora addit, ſumptus belli in ſingulos menſeis CL aureorum CIϽ excedere, neque ſuppetere pecuniam ad menſis unius ſtipendium; quo in Sabaudia deficiente a ſignis Helvetii ſint diſceſſuri: itaque conſultius videri, ut pecunia, quae reliqua ſit, ad eos in Galliam deducendos utatur, inde mox eis ex regio exercitu equitatum ac peditatum idoneum auxilio ſummiſſurus. Bernates quanquam inviti facerent ut aſſentirentur, quippe qui aegre viderent belli pondus, quo ſe commodata regi pecunia exoneratos putabant, in ipſorum humeros recidere, tamen his ſe rationibus vinci ad extremum paſſi ſunt: tantum a Sancio petierunt et tenuerunt, ne copias Rhodanum tranſmitteret ante XIII Kalendas Junias, quo tempore novas copias ad ſervanda loca ab iis occupata in ſuo territorio ſcriberent. Convenerat cum Valeſianis, interventu Petri [e] Ambielli, ut ipſi hoc bello trans [f] Dranciam occupata tenerent, et Thononii, Geſſae, [g] Bonae praefecturas certis conditionibus Bernatum et Genevenſium nomine tuerentur: ſed poſtea ſenatus eorum pacta rata habere recuſavit. Sancius tempore

condicto

INTERPR. [a] *2 galions & 3 eſquifs.* [b] *Thonon.* [c] *Gex.* [d] *Chambery.* [e] *le capitaine d'Ambiel.* [f] *la Drance.* [g] *Bonne.*

CIƆ IƆ LXXXIX.
HENRICUS III.

condicto Rhodanum tranſit, relictis Bernatum ac Gallorum, quas habebat penes ſe, copiis; tantum [a] Guitrio, Bellijoco, et Villanovano ſecum adductis. Dumque circuitu longo per [b] Novocaſtrenſe et Monpelicardenſe territorium copiae iter facerent, ipſe [c] Argentinam divertit, ut copias equeſtreis ab [d] Haraucurio promiſſas colligeret; dato etiam negotio Theodorico Schombergio, ut CIƆ pedites et CIƆ CC equites ſcriberet, quos in [e] Lingonibus expectaturus eſſet. Diſceſſu Sancii ingens ſolicitudo Bernatibus et Genevenſibus injecta, quam poſtea auxit hoſtium adventus. Principium ab [f] Armancaeo factum, de arce ſua capta et aliis circumpoſitis ultionem quaerente. [g] Boega recepta, et mox Jorii-fanum, ignavia ejus qui locum tuebatur: quam infamiam ille generoſa morte poſtea eluit. Ad [h] Marcuſſeum non perinde felix fuit Sabaudorum conatus, a quo cum damno repulſi ſunt. Jamque Sabaudi exercitus adventabat, in quo erant VII CIƆ peditum, CIƆ IƆ CCC circiter equites, ex Sequanis, Hiſpanis, Italis conflati; et [i] Ternienſem praefecturam ingreſſus [k] munitionem ad pontem Arvae a Genevenſibus inchoatam petebat, caſtris ad [l] Colongium infra Salevam montem poſitis, qui vicus leucam a ponte abeſt. Poſtridie, qui in X Kal. Jun. incidebat, ſcalae ad munitionem admotae, et eodem tempore affixa crepitacula, ſed irrito conatu, quippe Genevenſibus ex urbe auxilio accurrentibus. Inde ad Ternerium caſtellum hoſtes deflexerunt; ubi a praeſidiariis excepti, acri certamine conſerto, tandem cum damno repulſi ſunt. Poſtridie idem furto tentatum, nec feliciore ſucceſſu, amiſſo Carolo [m] Gratianopolitano, qui crepitaculum admoverat, et XXIII ex ſuis. Dein, creſcente ſemper hoſtium numero, decretum, ut Marcuſſeum, quod IV leucis ab urbe aberat, nec niſi magno ſumptu et periculo ſervari poterat, deſereretur; ſed prius dirutum et incenſum. Quod neceſſitate ab iis factum, iiſdem in ſummum detrimentum vertit, Armancaeo et qui cum eo erant mox incendio cuncta circumvaſtantibus. Tandem ad Ternerium promoto vallo Kalendis Juniis ipſe Carolus Emmanuel Sabaudiae dux II muraleis machinas et IV campeſtria tormenta ad caſtellum, quod nullis lateribus cinctum eſt, ſed tantum lato muro firmatum, dirigit duobus locis: juſſique praeſidiarii ſe dedere, cum primo recuſaſſent, tandem dejectis turris pinnis ac feneſtris, unde obſeſſi ictus ejaculabantur, vitam ſalvam pacti deditionem fecere, contra ſpem male mulctati; quippe XL ex iis vincti ac poſtea ſtrangulati ſunt, [n] Sequanis et Gallis, qui cum duce erant, factum, quod exemplo perniciem cunctis metuendam ſecum traheret, improbantibus. Inde ad Arvae pontem promota caſtra, ubi acriter utrinque certatum, erumpentibus crebro Genevenſibus, qui praeſidia per arces ac munitiones vicinas diſpoſita in urbem revocaverant. Preſſiae regulus in eo conflictu captus; pauci de cetero deſiderati. Poſtridie, hoc eſt III Non. Junias, acrius ad [o] Ovatenſe planum certatum; eoque in proelio, quod quatuor horas continuas duravit, [p] Salenovius comes caſtrorum praefectus deſideratus fuit, qui in munitionem ſe ingreſſurum eo die jactaverat: quod et accidit; nam cadaver ejus in manus Genevenſium venit, et in munitionem allatum fuit. Deſperato conatu dux, ne nihil egiſſe videretur, ad vicum, cui [q] Sonzio nomen, II ab urbe leucis, munitionem de S. Catharinae nomine dictam aedificare coepit; cognitoque Bernates cum novis copiis Erlaco duce adventare, jamque ad [r] Scuranum haud longe a [s] Cluſuris conſediſſe, eo ducit; conſertiſque levibus proeliis duas horas continuas certatum, exiguo utrinque damno. Ab eo tempore a vi aperta temperavit Sabaudus. Nec meliore ſucceſſu in [t] Foſſiniaco agro res geſta. [v] Sebuſiani ad [w] Felingam haud longe a Bona caſtrametati fuerant. Ei [x] Boſius impoſitus

INTERPR. [a] *de Guitry, de Beaujeu, & de Villeneufve.* [b] *de Neufchaſtel & de Montbeliard.* [c] *Straſbourg.* [d] *de Haraucour.* [e] *Langres.* [f] *le baron d'Armance.* [g] *Chateaux de Boege & de S. Joire.* [h] *Marcouſſy.* [i] *Bailliage de Ternyer.* [k] *fort de l'Arve.* [l] *fort de Colonges ſous Saleve.* [m] *de Grenoble.* [n] *Franc-Comtois.* [o] *plan des Ovates.* [p] *Salenove.* [q] *Sonzy.* [r] *Eſcouran.* [s] *pas de la Cluſe.* [t] *Foſſigny.* [v] *ceux de Breſſe.* [w] *Felinge.* [x] *le capitaine Bois.*

impoſitus fuerat, cum CXXX praeſidiariis, cui poſtea vexillum ex [a] Novocaſtrenſibus delectibus additum fuerat. Is poſt acre certamen ultro progreſſus, [b] Armancaeum, [c] Dumontium, aut ſi quis alius prodire vellet, alta voce ad duellum provocavit. Inde crebris velitationibus utrinque pugnatum fuit, uſque ad Bernenſis exercitus adventum, quem [d] Wattevilla reipublicae advocatus ducebat, in quo erant XL ſigna cum aliquot tormentis omni re inſtructis. Induciae paulo poſt inter eos et ducem pactae, quae XX amplius dies prorogatae ſunt. IX Kal. Quintil. periculoſius quam antea pugnatum ad [e] Saconeum, Sabaudis poſt certamen, dum Genevenſes corpora procurant, et allatis ex urbe vino ac bellariis liberalius genio indulgent, a tergo ſecuros invadentibus: ſed, mature proſpecto periculo, cum relictis poculis ad arma conclamatum eſſet, multi ex hoſtibus intercepti, amiſſis equis, et in iis [f] Sergius Bellagardius: captum et unum ſignum; interea ex [g] Campeto loco edito in ipſos tormentis fulminantibus, ita ut a ſuis auxilio juvari non poſſent. Reliquo menſe ad Bonam verſus impetus; eoque profectus Antonius [h] Balmius Maurevellius comes cum ſcalis et delectis, ut ultimum oppugnationis periculum faceret, equitatu ſubſiſtere ad Buringam juſſo ſupra pontem [i] Mengio amni impoſitum. Sed, acri eruptione a praeſidiariis facta, conatus irritus fuit: tantum per [k] Ternienſem praefecturam incendio, ferro, et libidine ſaevitum, nullo ſexus et aetatis diſcrimine. Renovata demum VII Eid. Quintil. levia ad [l] Lancium, Peſacum, haud longe ab [m] Arvenſi munitione, certamina, in quibus ſingularis quorundam militum virtus emicuit; et [n] Boſius [o] Bona evocatus, ut [p] Varronis Genevenſium copiarum ducis vicarius eſſet, admodum ſtrenuam operam navavit. Triduo poſt, inſidiis ab hoſte ſupra et infra Pinchatum ſtructis, certamine accenſo majoribus quam antea animis pugnatum eſt, Bernatibus propter inducias ad ſpectaculum ſedentibus: qui biduo poſt exeuntibus induciis cum in aciem inſtructi exiiſſent, relicta ad [q] Collangias legione, quae Cluſurarum praeſidiarios fraenaret, ad Buringae pontem venerunt, et arcem trans pontem, quae [r] Lulini reguli erat, demoliri coeperunt; et inde, nullo relicto Buringae praeſidio, [s] fanum-Jorii progreſſi, VIII Kal. Quintil. ad [t] Pilonaecum coenobium caſtra metati ſunt. Ibi novae copiae ex Italia per [v] Bonam-villam venientes, duce [w] Ateſtino Sanmartini marchione, quem, ut univerſis copiis cum ſummo imperio praeeſſet, ad ſe mittendum a Ferrarienſi duce Sabaudus impetraverat, obviae factae ſunt. Alexander [x] Valpergae et Maſini comites cum eo erant; Armancaeus ſcloppetarios equites in Foſſiniaco agro conſcriptos ducebat. Poſtridie acriter utrinque certatum; ſed numero vincebant Bernenſes, quippe cum X CIƆ peditum, CC equites armatos, totidem ſcloppetarios haberent. Tribus vicibus repetitum certamen. Ad extremum, incumbente Wattevilla cum equitatu, hoſtes, amiſſis pleriſque e ſuis et inſignis notae ducibus, fuſi ſunt. Graviter vulnerati Valpergae et Maſini comites; reliqui ad proximos montes perfugium habuerunt, ſumma omnium penuria XXX horarum ſpatio conflictati. Parta ingens praeda; et militibus de captivis inter ſe rixantibus multi illorum interfecti aut elapſi ſunt. Hanc poſtremam victoriam funeſtam Genevenſibus Boſii mors reddidit, qui poſt ſtrenuam admodum operam eo die navatam, cum ictu haſtae in ore accepto non propterea a certamine diſceſſiſſet, vulnere, quod alioqui curabile erat, calore et contentione inflammato, intra biduum deceſſit. Poſtea, hoſte in Ternienſi praefectura ſemper

INTERPR. [a] *de Neufchaſtel.* [b] *le baron d'Armance.* [c] *Dumont.* [d] *le Sr de Watteville Avoyer.* [e] *Saconey.* [f] *le Sr de S. Sergue dit Bellegarde.* [g] *un petit tertre nommé Champet.* [h] *de la Baume comte de Montrevel.* [i] *riviere de Menoge.* [k] *bailliage de Ternyer.* [l] *Lancy & Pezay.* [m] *fort de l'Arve.* [n] *le capitaine Bois.* [o] *Bone.* [p] *le Sr Varro.* [q] *Callonges.* [r] *le Sr de Lullin.* [s] *S. Joire.* [t] *le Prieuré de Pilonay.* [v] *Bonneville.* [w] *d'Eſte marquis de San Martino.* [x] *les comtes de Valpergue & de Maſſin.*

ſemper incendiis et caedibus graſſante, Jorii-ſanum receptum et mox incenſum, [a] Armancaei odio, quem hujus belli incentorem Genevenſes arguebant. Finem bello feſſis utrinque partibus impoſuit inſoliti genus morbi, qui cum tremore membrorum et mentis alienatae ſpontaneo pavore inter milites contagione ſerpebat. Bernateis in eo bello, ſive a Sabaudo deceptos, ſive aliam ob cauſam, minus ſincere cum Genevenſibus ſociis in communi cauſa verſatos fuiſſe, factis intempeſtive induciis, et tunc conſtitit, et poſtea manifeſtius patuit, conventa per primores ſenatus cum Sabaudo pace, non comprehenſis in ea Genevenſibus; quae tamen, tumultuante plebe et paſtoribus inter concionandum eam vehementer diſſuadentibus, locum non habuit. Jamque [b] Sancius cum auxiliari exercitu, itinere per [c] Sequanos facto, et commeatu ab iis juxta foedera accepto, ad [d] Portum Soconae venerat; Ararique illic tranſmiſſo Gul.[e] Saulium Tavanium cum CCC equitibus obvium habuit a rege miſſum, atque inde ſimul in Lingones deſcenderunt. [f] Civitatem Lingonum ſitu firmam et in limite regni ab ea parte poſitam, quod ſumme regi fida eſſet, defendi maxime regis intererat. Itaque cum oppidani a Sancio peterent ut loca circum infeſta caperet, operam ſuam, quanquam feſtinaret, iis omnino denegare noluit, et ad [g] Caſtrumvillanum, quod in itinere occurrebat, caſtra poſuit, Ludovico [h] Dijaceto patritio Florentino loci domino inſtante. Carolus Lotharingiae dux foederationi nomen dederat, et, jam aperte per ſuos bello regi regiique nominis ſtudioſis indicto, omnia circum in limite infeſtabat, ſtructis etiam in itinere Sancio inſidiis. Ab illis copiis Caſtrumvillanum tenebatur; quod ubi a Sancianis obſidione cinctum eſt, antequam vis fieret deditum eſt. Rex cognito Sancii adventu ad [i] Longavillanum ſcribit, mandatque ut cum [k] Lanovio, copiiſque quas in Picardia et Campania colligere poſſet, venientem excipiat, devitata omni, niſi extrema neceſſitas cogat, certandi occaſione.

III. Antequam [l] Caſtro-Eraldi diſcederet, ut [m] Pictavienſibus nutantibus aliquem metum injiceret, edictum proponit, quo, edictis Februario et Aprili menſe promulgatis addens, quod adverſus urbeis perduelleis ſanxerat, juribus et privilegiis earum abrogatis, amplius declarat, et tam eccleſiaſticos quam alios, qui illis in urbibus commorantur, omni jure immunitatis, nundinarum, fori juriſdictione, [n] ſcholarum jure, exemptione a regiis juribus excidiſſe pronunciat. Id Maio menſe decretum, et in ſenatu IV Non. Junias promulgatum fuit, cum jam rex [o] Caeſarodunum veniſſet, ubi ad eum de [p] Sueſſione capto allatum eſt.

IV. Is cum exiguis a rege attributis copiis majores in provincia reperturus in [q] Armoricam deſcenderat, ubi longum iter emenſus [r] Caſtrum-Gironis venit; et quanquam a [s] Condate Redonum haud amplius trium horarum itinere abeſſet, cognito [t] Mercurianum ad [v] Vitraeum haerere, ſubſtitit, multis ne interquieſceret dehortantibus. Lavardinus, qui praefecti caſtrorum in ejus exercitu munere fungebatur, ad arcem hoſpitium ſumpſerat. Sueſſio in municipio ſubjecto diverſabatur; ubi ſub veſperam ab hoſtibus circumventus cum omni ſe genere telorum in aedibus ſumma pertinacia defendiſſet, poſtremo, contra ignem ubique accenſum, et jam flamma conclave in quo erat corripiente, impar, in Mercuriani manus devenit, qui eum ſub firma cuſtodia [w] Condivicinum Namnetum amandavit: ubi aliquandiu in arce aſſervatus, tandem aſtu evaſit, morbo ſimulato, et corbe, in quem ſe contractis membris incluſerat, a famulis per medias ſtationes cibaria eſſe credenteis extra arcem exportato.

INTERPR. [a] *le baron d'Armance.* [b] *de Harlay Sancy.* [c] *la Franche-Comté.* [d] *Port ſur Saone.* [e] *de Saulx comte de Tavannes.* [f] *Langres.* [g] *Chateau-villain.* [h] *da Diacceto.* [i] *le duc de Longueville.* [k] *de la Nouë.* [l] *Chatelleraut.* [m] *ceux de Poictiers.* [n] *l'univerſité.* [o] *Tours.* [p] *le comte de Soiſſons.* [q] *Bretagne.* [r] *Chaſteau-Giron.* [s] *Rennes.* [t] *le duc de Mercœur.* [v] *Vitré.* [w] *Nantes.*

exportato. Multi in eo tumultu interfecti: Carolus [a] Avaugurius Vertuſii comes captus. Lavardinus ad ſtrepitum expergefactus poſt aliquod certamen, ceteris circa Sueſſionem occupatis, cum paucis periculo ſe ſubduxit. Antequam Sueſſio elaberetur, ne vacua praeſide provincia eſſet, Henricus Borbonius [b] Dumbarum princeps [c] Monpenſerii filius, ſummae virtutis et indolis adoleſcens, in ejus locum Navarri commendatione a rege ſuffectus eſt: quod magnis ſimultatibus inter eos exortis principium dedit, quae vix tandem unquam bene ſartae ſunt.

V. INDE rex, devitata in itinere [d] Amboſia, Bloeſas et Bogenciacum venit: unde Navarrus XI Kal. Junias ad Aurelianenſeis literas dat, officiique ac periculi admonet, recenti adhuc cladis ad [e] Silvanectum acceptae et [f] Savoſianae ſtragis memoria, et ut ad obſequium mature redeant hortatur: quod Bloeſis actum ſit, non eorum cognitionis aut arbitrii eſſe; potius par eſſe ut credant, quod jure ſuo fecit rex, id jure ac recte feciſſe. Tum invidiam a ſe ac Proteſtantibus amolitur, et longe aliam utriuſque partis cauſam eſſe oſtendit: nam nunquam ſe ac ſuos regium nomen et auctoritatem oppugnaſſe; ſe tantum adverſus oppugnanteis texiſſe, pro juſta conſcientiarum libertate armis ſumptis, quae pace data et libertate conceſſa ſemper depoſuerint: nunc exemplo ſuo ipſis praeire, ac vehementer obteſtari ut idem faciant, et ſuo communique omnium urbium in rebellione perſeverantium excidio matura reſipiſcentia praevertant.

VI. INDE promota ad [g] Gergolium caſtra, quod eſt oppidum Ligeri impoſitum ponte commodum, V ſupra [h] Aurelianum leucis. [i] Jallangius locum tenebat; qui, Aurelianenſium ſeu vanis promiſſis ſeu proximitate ferox, cum deditionem facere juſſus recuſaſſet, pulſatis muris et impetu facto, in quo Philippus Antonius [k] Moncaſſinus Holietus legionis Picardiae dux deſideratus, captum oppidum occiſis defenſoribus ac direptum eſt. Jallangius, qui primam militis iram evaſerat, principis juſtam indignationem effugere non potuit, ignominioſi ſuſpendii morte affectus. Joannes Faber, [l] Vidi Fabri Pibracii ſaepius a nobis honorifice appellati patruelis, cum valido praeſidio loco impoſitus, ut Aurelianenſium excurſiones fraenaret. In [m] Belſiam deinde traductae copiae; et [n] Pitiverium in itinere reſiſtere auſum a Navarrenis captum ac direptum eſt, eodem ſeveritatis in duces rebellium exemplo edito. Carolus [o] Balſacus Dunenſis loco a rege imponitur. Alteris caſtris ad [p] Stampas ventum, quae et temeritatis ſuae poenas luerunt, quibuſdam magiſtratibus eo in oppido, qui defendendi ſe oppidanis auctores fuerant, capite plexis. Dein, tranſmiſſo per [q] Poſſiacum exercitu, ad [r] Pontem Eſiae promota caſtra; quod eſt oppidum ad Eſiam ſitum, unde illi nomen. Is fluvius per [s] Noviodunum labens, accepto ad [t] Compendium [v] Axona auctior, ad [w] Honorinae-fanum tandem in [x] Sequanam confluit. Locum tuebatur Carolus [y] Neovillus Alincurius, [z] Lugduno, poſtquam rebellantibus oppidanis ſe ducem praebuerat, contumelioſe a Nemoroſio civitatis ac provinciarum adjacentium praefecto exactus; eique adjunctus fuerat a Meduanio Edmundus [aa] Altofortius. Duplex oppidum eſt. In ſummo arx eſt; inferius ſecundum flumen porrigitur, et ſuburbio quaſi vallatur, in quo templum erat B. Virgini ſacrum eximiae ſtructurae, privatis ob religionem peregrinantium devotionibus celebratum; quod, quia urbi imminebat, obſeſſi munire et terra opplere feſtinatis operibus inſtiterunt. Ad eam partem verſus impetus et verberatio directa: dumque admoto propius vallo pugnatur, Altofortius in ipſo templo diſcurſans vulnere ex ſcloppeti ictu in capite accepto interfectus

INTERPR. [a] *d'Avaugour comte de Vertus.* [b] *de Dombes.* [c] *le duc de Montpenſier.* [d] *Amboiſe, Blois, & Baugency.* [e] *Senlis.* [f] *deffaite de Saveuſe.* [g] *Gergeau ſur Loire.* [h] *Orleans.* [i] *de Jalange.* [k] *Moncaſſin Houliez.* [l] *Gui du Faur Sr de Pibrac.* [m] *Beauſſe.* [n] *Pethivier.* [o] *de Balſac de Dunes.* [p] *Eſtampes.* [q] *Poiſſy.* [r] *Pontoiſe.* [s] *Noyon.* [t] *Compiegne.* [v] *l'Aiſne.* [w] *Conflans Ste Honorine.* [x] *la Seine.* [y] *de Neufville Sr d'Alincour.* [z] *Lyon.* [aa] *de Hautefort.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

interſectus eſt IV Eidus Quintileis, multum a ſuis deſideratus, ceteroqui homo ſaevitia et homicidiis infamis, quae in [a] Lemovicibus, unde ortus erat, cum Joanne Sangeorgio ſororio ſuo ante ſeptennium [b] Burdigalae ſecuri percuſſo patraverat. Ejus morte infracti obſeſſis animi non tamen omnino conciderunt: nam et templum diu poſt ſervarunt; quod tandem ictibus tormentorum quaſſatum regii acri oppugnatione ceperunt. Inibi ſauciatus in humero Alincurius, et ex regiis Gabriel [c] Prevotius Carbonarius, qui aliquanto poſt ex illo vulnere deceſſit. Amiſſo templo cum ex eo in oppidum deſpectus eſſet, et defenſores ad ruinam comparere non poſſent omni ex parte ad ictus expoſiti, tandem deditio facta eſt, duodecimo poſt Altofortii mortem die. Templum ruinis extra et terra intus aggeſta foedatum, ne rurſus olim oppido incommodaret, deſtrui imperatum; idque negotii datum Petro [d] Mornaco Buio, qui cum praeſidio loco tuendo praepoſitus eſt. Eodem quo Ponte Eſiae rex potitus eſt die, [e] Jametiana arx, oppido, poſtquam XI totos menſeis a Lotharingis obſeſſum fuerat, ipſis ante VII menſeis tradito, tandem dedita eſt. Induciis initio hujus anni pactis a bello uſque ad XVII Kalend. Maias ceſſatum fuerat, quo tempore ſpes erat ut res citra belli violentiam componi poſſet; et Lotharingiae dux, miſſis ultro citroque ab aula et in aulam delegatis, fiduciam ceperat, ut per matrimonium, cujus ab [f] Arembergia mentio injecta fuerat, ex regis et Monpenſerii Carlottae avunculi conſenſu negotium tranſigeretur. Itaque et ipſe cum rege diſſimulabat, et bellum, quod aperte regi facere non audebat, [g] Sanpaulo in limite et [h] Retelenſi agro graſſanti commodatis copiis, alieno nomine adminiſtrabat. Joachimus [i] Dintevilla Campaniae praeſes contra eum ducere juſſus, [k] Montem-falconem, quem locum ope Lotharingorum Sanpaulus ſub id occupaverat, [l] Africani Anglurii Ambliſii et Termenſis reguli copiis ſubnixus V Kal. Febr. recepit; qui tamen paulo poſt, culpa ejus qui ab Ambliſio impoſitus fuerat, in Sanpauli manus recidit. Inde inſtructis utrinque in aciem copiis ad Georgii-fanum inter eos pugnatum. Claudius Jouſa [m] Torteronus, Fulcaudi Granpratenſis comitis minor natu filius, regias copias per Dintevillae abſentiam ducebat, et ad [n] Joviniani-fanum in Granpratenſi comitatu caſtra metatus fuerat; qui advenienti Ambliſio cum exigua manu ultro imperium detulit. In congreſſu cum initio Ambliſiani a majore numero victi inclinarent, mox a Renato [o] Aſpramontio Vendio, [p] Caumontio, Lopio reſtituto certamine, Sanpauliani fuſi ac caeſi ſunt. CXX deſiderati: capti circiter LX, et in iis [q] Artigotius primarius ex Lotharingicis dux, [r] Verdetus eques, [s] Urbanus et Mandricardus Itali, aliique ordinum ductores: amiſſa praeterea ſigna ac plerique equi. Qui ſucceſſus res regis in Campania labenteis firmavit. Sed paucis poſt diebus res mutavere, Ambliſio ad hoſteis tranſeunte, apud quos in Lotharingiae ducis exercitu caſtrorum praefecti munere defunctus eſt. Neque propterea Torteronus tanto praeſidio deſtitutus ſibi defuit; ſed evocato [t] Suſannaeo Cardalliaco, qui in proximo legionem habebat, Sanpauli late graſſantis conatus diſturbare inſtitit. Tandem ille aſtu incautos ad [v] Novum-caſtrum regios oppreſſit, multis ex Torteronianis caeſis; et in iis Renatus [w] Jouſa Verpellii regulus adoleſcens XX annorum fortiter pugnando occubuit, magno ſui relicto deſiderio. Torteronus, hac clade accepta, dum novas copias colligeret, [x] Manchildis-fanum conceſſit. Exeuntibus

dein

INTERPR. [a] *le Limouſin.* [b] *Bourdeaux.* [c] *Prevoſt de Charbonieres.* [d] *de Mornay Sr de Buhy.* [e] *Chateau de Jametz.* [f] *le comteſſe d'Aremberg.* [g] *le Sr de S. Paul.* [h] *le Rethelois.* [i] *de Dinteville gouverneur de Champagne.* [k] *Montfaucon.* [l] *Africain d'Anglure Sr d'Ambliſe, & le baron de Termes.* [m] *le Sr de Tourteron cadet de Foucaud de Joyeuſe comte de Grandpré.* [n] *S. Jevin.* [o] *d'Aſpremont Sr de Vendy.* [p] *de Chaumont & de Louppes.* [q] *Artigotty.* [r] *Verdet; peut-eſtre c'eſt celui qui eſt nommé Verdelle.* [s] *Urbano & Mandricardo.* [t] *de Suſannes Sr de Cardaillac.* [v] *Neufchaſtel.* [w] *de Joyeuſe baron de Verpel.* [x] *Ste Menehoud.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

dein induciis renovatum ad [a] Jametium bellum, ſed lente initio, res per Joannis [b] Lenoncurii Fani-Michaelis praefecti abſentiam adminiſtrante [c] Nervaſio: nam, promotis ab hoſte doliaribus munitionibus, viciſſim [d] Schelandrius intus foſſam duxerat, et ita ſe muniverat ut tantum aedificia a tormentorum ictibus infeſtarentur, homines ab iis illaeſi ſervarentur. Poſt diuturnam adeo obſidionem ſola ſpes ei in auxiliari [e] Sancii exercitu ſuperabat, de quo Lanovius cum [f] Longavillano ad eum excipiendum a rege miſſus ſpem fecerat; idque metuens Lotharingus pleraſque munitiones circa Jametium a ſe extructas demolitus fuerat, IV tantum ad aditus ſervandos exceptis. Verum ubi ex amicis cognovit regem ad Sancium et Longavillanum ſcripſiſſe, ut omni alia occaſione omiſſa cum exercitu auxiliari ad ſe contenderent, ipſe eo metu ſolutus totis viribus oppugnationem aggreſſus eſt, Oſſonvillio regulo in caſtra miſſo; et alia tormenta [g] Stenaeo et Nancio convehi curavit. Igitur promotis XXX vimineis doliis inter vallum et foſſam arcis XIV murales machinae contra [h] Brolianam turrem directae XV Kalendas Sextileis. Schelandrius vero, qui ſpem omnem auxilii amiſiſſet, ubi poſt bis mille amplius ictus intra biduum diſploſos foſſam omni defenſione intus nudatam vidit, et defenſores ad ictus hoſtium patere, nec ſuſtinendae oppugnationi pares eſſe, pontibus jam ab hoſte intra foſſam jactis, tandem per [i] Marollium Jametii praefectum accepta fide arce emiſſum in has conditiones conventum eſt, a [k] marchione Muſſi-pontano, qui interim in caſtra venerat, ſubſcriptas, ut Schelandrius, et qui cum eo erant belli duces et milites, vita ac rebus ſalvis, cum enſibus et pugione exirent, et Sedanum incolumes deducerentur, ceteris armis, vexillis, et tympanis penes marchionem manentibus: quod durum admodum Schelandrio homini generoſo, verum ſuis inſtantibus neceſſitas tolerabile reddidit. Conventum item, ut Jametianis, qui ſecundum majorum religionem vivere eligerent, bona et res ſalvae eſſent; ſi nollent, anni ſpatium ad bona ſua diſtrahenda concederetur. Secundum haec dimiſſi milites, et a Rota et Epirotis equitibus ſumma humanitate habiti, et conditionibus religioſe ſervatis in tutum deducti ſunt. Interea Eſpernonius cum parte copiarum a rege attributarum a caſtris diverterat, et [l] Montem-rigolum ad Igonnam interceperat, Franciſco [m] Juſſaco Amblevilla cum praeſidio in eo relicto. Locus eſt olim Caroli Delfini et Joannis [n] Burgundionis, poſt [o] Aurelianenſis ducis caedem, infauſto colloquio nobilitatus, ſitu opportunus, quod ad eum Igonna, qui [p] Agendicum ſive Senonum civitatem alluit, in Matronam exoneratur. Conſilium regi erat, loca primariis fluminibus, quae in [q] Sequanam et Matronam ſupra et infra Lutetiam influunt, impoſita occupare; atque ita, copioſo commeatu, quo populoſa urbs ad alendam ſe eget, intercluſo, eam citra certamen et foedas ruinas, quae ex belli violentia ſequi ſolent, ad deditionem compellere. Id praeſentiens Meduanius ſtatim eo ducit, et locum per ſe infirmum, neque dum muniri coeptum, parvo negotio recipit, ſparſa fama quaſi obviam contra auxiliarem Sancii exercitum profecturus eſſet.

VII. ITAQUE Longavillanus ſedulo monuerat Sancium, ne ſe in viam daret, antequam ſe cum eo conjunxiſſet: nam enixe vetare regem, ne proelii aleae res committatur. Id tantiſper Sancium retardavit, donec cognitum eſt Meduanium Montegolo recepto propere Lutetiam revertiſſe, Monpenſeriae literis revocatum, res ob regis adventum miſceri in urbe ſignificantis. Igitur cum Longavillanus et Lanovius [r] Caſtellionem ad Sequanam veniſſent, cum CIↃ CC equitibus armatis et II CIↃ peditum,

INTERPR. [a] *Jametz.* [b] *de Lenoncourt gouverneur de S. Mihel.* [c] *de Nervaiſe.* [d] *de Thin baron de Schelandre.* [e] *de Harlay Sancy.* [f] *le duc de Longueville.* [g] *Stenay & Nancy.* [h] *Tour du Breuil.* [i] *de Marolles bailli de Jametz.* [k] *le marquis de Pont à Mouſſon.* [l] *Montereau ſur Yonne.* [m] *de Juſſac Sr d'Ambleville.* [n] *le duc de Bourgogne.* [o] *le duc d'Orleans.* [p] *Sens.* [q] *la Seine & la Marne.* [r] *Chaſtillon ſur Seine.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

peditum, mox obvium Sancium habuerunt; et inde ſimul acceleratis itineribus ad regem contenderunt, et Sequanam ad [a] Poſſiacum pridie quam [b] Pons-Eſiae deditus eſt tranſmiſerunt. Biduo poſt luſtratio exercitus in regis conſpectu facta eſt, in quo erant X CIↃ Helvetiorum, II CIↃ Germanorum peditum, CIↃ IↃ Germani equites; magnaque gratulatione rex Sancium excepit, inſigni et maxime tempeſtivo erga ſe regnumque officio ac benefacto cum defunctum eſſe coram procerum coetu praedicans, et non immemorem utiliter navatae operae fore promittens. Poſtridie inde diſcedit, et alteris caſtris [c] Fanum Clodoaldi ad Sequanam venit, municipium ponte lapideo opportunum; cujus cum aliquot pilas hoſtes muniviſſent, mox admotis tormentis inde depulſi ſunt. Quam afflictae res regis ante treis menſeis videbantur, tam eas ſeu ſuorum ſive principum vicinorum miſericordia et fortuna brevi tempore erexerat, ſpe certa recuperandae auctoritatis, cum caſus incidit in praeſens regno detrimentoſus, in poſterum cum perpetua ſacri ordinis infamia memorabilis. Nam, deploratis foederatorum rebus et neceſſariae caſtigationis exemplo terrente conſcios, exortus eſt monachus, qui deteſtanda audacia regem per proditionem interficiendum vel cum certo vitae diſcrimine ſuſcepit. Rei patrandae aut vere monaſticam profeſſus, aut qui ſumpto cucullo ſe monachum ſimularet, quaerendus erat; nam hujuſmodi hominibus quovis loco, quavis hora, patebat ad regem aditus. Ita enim, ut ex ipſo ſaepius audivi, ſive vitae inſtitutione ſive natura affectus erat erga monachorum ordines, ut horum aſpectu, ſicut corpus in pruritu, ſic toto animo geſtiret et gaudio exſiliret: alioqui diverſis ex locis monitus in ſuam perniciem ſubornatos percuſſores, fidis circa ſe diſpoſitis, ab ignotis ſibi cavebat, nec eos facile ad colloquium admittebat. Superat fidem quod nunc dicam, de quo tamen mihi certiſſime conſtat. Miſſus fuerat a Gaſpare Schombergio [d] Nantolii comite, antequam in Germaniam proficiſceretur, ad Willelmum Heſſiae principem foederatum et regis amiciſſimum cum literis regis [e] Baradatus, e domeſticis nobilibus adoleſcens ſtrenuus, et in rebus agendis ſagax, ut de delectibus habendis cum eo ageret, et, re cum belli ducibus communicata, cuncta in adventum Schombergii praepararet. Rebus confectis, cum ab Heſſo diſceſſurus eſſet, ille, ſive innata prudentia ſive ex aſtrorum ſcientia, quam percallebat, edoctus, haec ultima ad regem dat mandata; a rebellionum multitudine ſecurus eſſet, ceterum ſibi diligenter a capite raſo caveret. Verum Baradatus, dum in Galliam redit, ob inſeſſa ab hoſtibus itinera circuitu capto, in tempore non advenit: nec, ſi adveniſſet, quidquam profecturus creditur, aut regi perſuaſurus fuiſſe ut de monacho tale quidquam ſuſpicaretur.

VIII. Is fuit Jacobus [f] Clemens, [g] Sorbona vico Senonum, in S. Dominici familia Agendici educatus, circiter XXII annos natus, literarum rudis, ideoque in otio ſordido per ganeas cum plebe vagus. Ibi, ſive furibundis concionatorum declamationibus et novitiorum [α] theologorum diſputationibus, qui tyrannum impune occidere licere affirmabant, ſive proprio periculo incitatus, quod vulgo jactaretur regem cum Navarro decreviſſe omnes ſacros ordines exemplo Eliſabethae Anglorum reginae abolere, facinus exſequi apud animum ſuum conſtituerat. Ita enim factum narrant, qui id, ac ſi non ſine numine eveniſſet, tunc rabie caeca laudabant; Clementem nimirum ſaepius auditum, cum diceret, non alia manu quam ſua moriturum tyrannum; et inde a ſodalibus vulgo Clementem nomine militari ducem dictum: eo in propoſito ut ſe magis confirmaret, patrem e ſuo ordine, qui eruditione inter collegii ſodaleis excellebat, ſuper ea re non ſuo ſed alieno nomine conſuluiſſe;

veniſſe

VAR. LECT. [α] theologorum ac praecipue Jeſuitarum diſputationibus *MSS. Reg. et Summ. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Poiſſy.* [b] *Pontoiſe.* [c] *S. Cloud.* [d] *de Nanteuil.* [e] *de Baradat.* [f] *Clement, Jacobin.* [g] *Sorbone village prés de Sens.*

veniſſe ad ſe quendam, qui in arcano confeſſionis colloquio quaeſiiſſet, ſalvane conſcientia Henricum [a] Valeſium occidere poſſet; nam ut infeſtum eccleſiae hoſtem et patriae tyrannum e medio tolleret, jampridem apud ſe deſtinaſſe: ſe vero, qui noluiſſet ſuper re tanti momenti reſpondere, non conſultis prius ſenioribus theologis, promiſiſſe, fore ut amplius de eo cogitaret, et, ubi rem mature perpendiſſet, ad ipſius poſtulata certius reſponderet: ad haec vero patrem illum primo riſiſſe, et Clementi dixiſſe, eum qui hoc putat de re exſequenda nunquam ſerio cogitaſſe; nam talium rerum conſilia unumquemque ex ſe ipſo capere, neque aliis temere communicare. Poſtea cum urgeret Clemens, et eundem hominem ſaepius ad ſe rediiſſe affirmaret, tandem patrem ſic reſpondiſſe, eum qui conſilium petat, ſi quidem non odio aut ultionis privatae ſtudio, ſed amore Dei inflammatus, pro religione et patriae ſalute id ſuſcipiat, non ſolum id inoffenſa conſcientia facere poſſe, ſed multum apud Deum meriturum, et, ſi in actu ipſo moriatur, proculdubio inter beatorum choros animam ejus evolaturam. Hoc reſponſo, tanquam ex ore Dei profecto oraculo, confirmatum Clementem, omnique ex animo ſcrupulo exempto plane ſecurum, quo aditum ſibi ad regem pararet, a Carolo [b] Lucemburgico Briennio comite, qui captivus in [c] Luparae arce attinebatur, literas commeatus petiiſſe; habere enim ſe mandata ſecreta, quae maxime regem ſcire intereſſet: acceptiſque a Briennio literis, quibus de mandatis, quae ad regem habere ſe dicebat, fides fiebat, et re tunc demum ſodalibus collegii primo communicata, ad exercitum regium recta contendiſſe; ibique a militibus captum et primo male habitum, cum ſe mandata ad regem habere diceret, Jacobo [d] Gueſlaeo cognitori regio, qui tunc forte in caſtris erat, conſignatum fuiſſe, ut eum ad regem deduceret: Gueſlaeum vero hominem ſecum ductum ad coenam admiſiſſe, et mane ad regem, cum ad ſeceſſum in ſella ſederet, introduxiſſe ſub horam ſeptimam [α] matutinam. Merito dubitatum eſt, ſuaſune aliorum an proprio inſtinctu ſolo tantum ſceleris Clemens ſuſceperit. Foederati rem, ſicuti retuli, narrant, et [e] Meduanius literis paſſim ſcriptis ita credi voluit. Multi contra, probationibus et conjecturis adducti, certo aliorum conſilio id factum arbitrantur. Sane probationibus ſecretis ea de re confectis conſtat, monachum, cum urbe exiret, ad [f] fanum Lazari in Sanmartiniano ſuburbio divertiſſe, eo a Michaele [g] Martello Capella jam carcere emiſſo adductum, et [β] cum Meduanio aliquandiu collocutum eſſe. In argumentum et trahitur, quod pridie quam caedes patrata eſt, c et amplius ex civibus primoribus tanquam ſuſpecti, quos Politicos vulgo vocabant, Meduanii juſſu ab [h] Odinello capti ſunt, ut veluti vades eſſent, ne Clemens, ſi capi, non etiam ſtatim interfici eum contigiſſet, ad indicandos conſcios torqueretur, aut ſupplicio ob paricidium afficeretur. Addunt, qui rem criminoſius rimati ſunt, [i] Monpenſeriam jamdiu ante nullo non blandimentorum genere artificioſe uſam, ut ſcelus feroci juveni [γ] perſuaderet, facta conditionis opimioris ſpe ſi periculum evaderet, quod et fore affirmabat; ob idque illos, quos dixi, vitae ejus obſides futuros comprehendi curaverat. Verum de ſtupro haud facile crediderim, niſi ſi ardens

VAR. LECT. [α] matutinam. Et ita quidem libellis Lutetiae editis proditum; quibus et additum, Gueſlaeum inter coenandum Clementem, cum cultrum vagina educeret, familiariter rogaſſe, an ut cultrum ad cibum ſecandum, ſic breviarium ad preces faciendas ſemper ad manum haberet? et cum utrumque habere ſe oſtendiſſet, Clementem, prompto altera manu breviario, iterum per jocum rogaſſe, an ipſe is eſſet quem ad regem interficiendum veniſſe rumor erat: Clementem autem conſtanter neque mutato vultu reſpondiſſe, non eſſe cur de eo dubitaret; quod tanquam joco dictum Gueſlaeus acceperit. Merito *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] cum Meduanio *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed in* Ed. Gen. 1626 *leguntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *deſumpta.*

[γ] perſuaderet, ultroque etiam ſtupro invitaſſe, facta conditionis *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Valois.* [b] *de Luxembourg comte de Brienne.* [c] *le Louvre.* [d] *de la Gueſle procureur general.* [e] *le duc de Mayenne.* [f] *S. Lazare au fauxbourg S. Martin.* [g] *la Chappelle Marteau.* [h] *Odineau.* [i] *Madame de Montpenſier.*

ardens ultione animus generoſam foeminam, ut ad alia ſcelera caecam, ſic etiam, ut impotentem iram expleret, ad hoc foeditatis plenum flagitium impulit. Ceterum introductus monachus, poſt traditas quas a Briennio attulerat literas, propius accedere juſſus, ut ſecreta mandata coram exponeret, dum rex chartam denuo ab eo porrectam attentis oculis percurrit, promptum ſubito e manica cultrum magna vi connixus in imum ventrem immittit: quo ictu inopinato perculſus rex cultrum in vulnere relictum propria manu educit, eoque percuſſorem ſupra oculum laevum ferit. Tum [a] Monpeſacus Loniacus et Joannes [b] Levius Mirapicenſis, qui aderant, hominem ictu regis attonitum ſuperante ira prenſum humi ſternunt, ſtatimque innumeris vulneribus confoſſum interficiunt. Tum in mortuum tanquam paricidam lata ſententia, corpuſque crate tractum atque ad horrorem ſpectaculi a quatuor equis diſcerptum, ac poſtremo igni omnino abolitum eſt, cineribus in proximum profluentem projectis.

IX. Rex a chirurgis curatus cum clyſtere indito ſanguinem non miſiſſet, convaleſcere ex vulnere poſſe creditus eſt; datiſque ad praefectos et principes amicos literis ea ſpes ſparſa; quae mox evanuit. Nam cum Kalendis Sextilibus mane vulneratus eſſet, ſub noctem febre violenta correptus eſt; ſenſimque collabentibus viribus ad aſtanteis converſus, Non me brevis aevi queror, o amici; ſatis diu ad gloriam et ad ſalutem vixit, qui in Deo moritur; plura luſtra victuro, plura quae noluiſſem videnda, patienda, facienda erant. In hoc aeſtu rerum, expertus loquor, multa nos ducunt, plura trahunt coguntque; minimum cupiditates et libido in ſummo faſtigio vindicant, in quo alieno potius quam ſuo arbitrio res eunt. Quae non foeda, horrenda, et aſpera tranſvolarunt oculos meos? quid non injuriarum ac contumeliarum nimis libenter pertuli, ut pacem inter conſentienteis in religione ſervarem, et fundendi ſanguinis neceſſitatem vitarem? quae omnia in contemptum noſtrum, hoſtibus in audaciam verterunt. Nam quo res tandem evaſit, ut ne mihi quidem magiſtratus jure in perduellionis et laeſae majeſtatis peractos reos, et patriae quietis perturbatores, impune uti licuerit? quas turbas, quos motus toto regno unius atque alterius publice convicti juſta poena excitavit, vidiſtis omnes. Ad tot ſcelera etiam paricidium additur. Nec ſane tam lethale vulnus, quod mihi inflictum eſt, dolet, quam quod ſacrum ordinem, atque adeo Francicum nomen, pietate erga reges ſuos patriamque ſemper olim praecipuum, morte mea ſceleratum facturus ſum. Hoc me ſolatur, quod in oculis veſtris dolorem ex indigna principis veſtri nece conceptum, et in dolore paratos ad regium nomen tuendum et libertatem patriae defendendam animos, videre videor. De morte mea ulciſcenda non valde angor; ea Deo curae erit, in cujus ſchola educatus inimicis parcere a puero didici; in altero ut conſtanti animorum concordia perſeveretis, vos per patriae charitatem, per majorum cineres oro obteſtorque; ſicque vobis perſuadeatis, in concordia veſtra regni ac Francici nominis ſalutem poſitam eſſe. Cum vos alloquor, univerſam, quae in caſtris et regno eſt, nobilitatem compello. Ceteros ordines nihil moror; nam ſacer ordo, quem tantopere colui, et cujus ut pars eſſem multa infra dignitatem meam feci, falſae religionis praeſumpta opinione deceptus, jampridem plebi furenti ad rebellionem praeit. Veſtrum eſt, hoc eſt, ad nobilitatem pertinet, legitimum regem tueri, et, ſi deſit, idoneum regno dare. Navarrum habetis, ut jure proximum, ita dignitate eminentem; quem ſi non legitima ſucceſſio ad regnum vocaret, dignitas, quam ſecundum me in exercitu primariam obtinet, me ſublato imperatorem faceret. Hic et ſumma animi aequitate praeditus, et longo rerum uſu abunde inſtructus, inenarrabili Dei cuncta moderantis providentia contra multorum ſententiam mecum reconciliatus,

et

INTERPR. [a] *de Montpezat Sr de Longnac.* [b] *de Levis Sr de Mirepoix.*

et in hoc exercitu cum ſummo imperio conſtitutus videtur, ut labantem regni fortunam virtute ſua fulciat. Huic, ſi regnum ſalvum cupitis, quam debetis obedientiam praeſtate. Hoc ſi non fides, at periculum proprium a vobis exigit: quid enim meae necis auctores de vobis decreturos putatis, qui ſtante nobilitate de nefariis ſuis conatibus ad exitum perducendis deſperant? qui tot proceres fide et beneficiis mihi obnoxios ultionem metuentes poſt mortem meam ad internecionem perſequentur. Nec vos religionis cauſa terreat: hic error me diu tenuit, et inextricabileis in errores induit. Ex religionis cauſa, quae fortaſſe ab initio fuit, in factionem itum eſt: eam regni ordinum arbitrio permittite, hocque fixum ratumque animo tenete, religionem, quae a Deo mentibus inſinuatur, ab hominibus non imperari. Jamque chariſſimi amici valete, nam me deficere ſentio, et omiſſis lachrimis pro me apud Deum nunc et poſt mortem meam preces fundite. Quibus dictis cum ſacerdos, qui ei a ſacris confeſſionibus erat, eum moneret, de diplomate quodam pontificio contra ipſum promulgato rumorem percrebuiſſe, et ut ei ſatisfaciat ad abſolutionis beneficium efficaciter percipiendum opus eſſe oſtenderet; ille et ſe id ignorare affirmavit, et, ſi ita eſſet, religioſe ſatisfacturum promiſit. Qua de re publicum inſtrumentum biduo poſt confectum eſt, a cardinali [a] Gondio Pariſienſi epiſcopo confirmatum, et Caroli [b] Aureliani Franciae prioris, [c] Joannis Ludovici Nogareti Eſpernonii, Armanni [d] Bironi equitum tribuni, Rogerii [e] Bellagardii hipparchi, Joachimi [f] Caſtrovii ſtipatorum corporis praefecti, Franciſci [g] Doi Peninſulae Franciae praefecti, Caroli [h] Balſaci Claromontani itidem ſtipatorum corporis praefecti, Martini [i] Ruzaci a ſecretis epiſtolis, Stephani [k] Bellaquae, qui ei abſolutionem impertivit, et Ludovici [l] Paradae eleemoſynarii manu ſubſcriptum. Secundum haec ſacro viatico procuratus paulo poſt placide vitam finivit, cum XXXVIII annos, X menſeis, dies XIII vixiſſet, XV annos, menſeis II regnaſſet: princeps raris ingenii et corporis dotibus ornatus, quas ignavo otio et per deſides voluptates fere corrupit: nam fuit majorum religionis apprime tenax, et juſtitiae acer vindex; ad haec ſumma prudentia et facundia gravi praeditus: et elucebat in ore ejus digna imperio majeſtas, comitate et humanitate ſingulari condita. Sed inter omneis ejus virtutes una excellebat, quae, in aliis principibus admirabilis, ipſi exitioſa fuit, dum modum in ea nullum ſervat, et, immodicis profuſionibus ut ſatisfaceret, nullum tributis et novis vectigalibus modum facit: qua re ſibi odium apud populum conciliavit, nec multum gratiae ab iis in quos immenſas largitiones contulit meruit, beneficentiam naturae potius ſponte currenti quam judicio tribuentibus. Itaque exhauſto aerario et amiſſa populi benevolentia, affectatis ad haec vitae humilioris et ad monaſticam accedentis exercitiis, in contemptum ſuorum incidit, et animos tam externis quam internis hoſtibus fortunae Gallicae inſidiantibus ad res in regno miſcendas fecit. Proteſtanteis irreconciliabili odio uſque ad ultimum vitae ſpiritum, quanquam contra nonnulli calumnientur, proſecutus eſt, eoque erga Lotharingos, qui Catholicorum cauſam tuendam ſuſceperant, initio amore pronior; eorumque in gratiam praecipuus auctor et ſuaſor Pariſienſis lanienae fuiſſe creditur, de qua et gloriari ſaepius auditus eſt. Poſtea, ubi ad regnum venit, quietis cupidus, nec minus propterea iiſdem Proteſtantibus infeſtus, qui bello huc uſque eos Carolo rege perſecutus fuerat, per pacem labefactare inſtitit. Quod conſilium cum non probarent Guiſiani, ſuſpectam ex eo hominum antea amiciſſimorum ambitionem habere et paulatim ab iis alienari coepit, donec

INTERPR. [a] *de Gondy evêque de Paris.* [b] *d'Orleans grand prieur de France.* [c] *Jean Louis de Nogaret de la Valette duc d'Eſpernon.* [d] *le mareſchal de Biron.* [e] *de Bellegarde grand ecuyer.* [f] *de Chaſteauvieux capitaine des gardes du corps.* [g] *d'O gouverneur de l'Iſle de France.* [h] *de Balſac Sr de Clermont.* [i] *de Ruzé ſecretaire.* [k] *de Belleau.* [l] *de Parade.*

CIƆ IƆ LXXXIX. HENRICUS III. donec vi ab iiſdem coactus conſilium armorum reſumpſit: quorum deponendorum potius quam belli adverſus Proteſtanteis gerendi dum occaſionem quaerit, alteri bello cum Guiſianis ac foederatis ſe implicuit; quod quo magis vitatum cupit, et foeda pace poſt ignominioſam a Lutetia fugam componere feſtinat, novis ſe rurſus difficultatibus ſero involutum ſenſit, malo per diſſimulationem inveterato, nec jam poſt longam patientiam remedia admittente; tandemque conſilium, alioqui fortaſſe ſalutare, ſi in tempore captum fuiſſet, praepoſtera prudentia dilatum ex deſperatione intempeſtive repetiit. Sic autem ejus ingenium erat, ut plus affectus privatos quam regni ſalutem, plus alios quam ſeipſum diligeret; ita in dando beneficus, et in ſublevandis tenuiorum fortunis humanus, ut ſemper ſe excuſaret, et cum modeſtos pudore oneraret, impudenteis etiam largitionibus ſpem ſuperantibus laſſaret, nunquam tamen ſibi ſatisfaceret. Res magnas otio deditus non facile aggreſſus eſt, in capiendis conſiliis lentus, fatali tarditate potius quam metu; futuri non improvidus, ſed praeſentibus intentus ad futura negligens, ac praeclaras rerum agendarum occaſiones plerumque omittens; in periculis ſubeundis ſegnis, in mediis intrepidus, praeteritis ſecurus. Ut ſuis gratificaretur, ſummo famae et regni detrimento, turpiſſimum dignitatum primariarum et praefecturarum mercimonium inſtituit, abolitis virtutis praemiis, et porta per foedas nundinationes ad proditiones, quae inde ſecutae ſunt, aperta. Hoc et iniquo fato fuit, ut fere quae chariora habebat illi in perniciem verterent: nam et ab iis fere, quos opibus et honoribus invidioſe amplificavit, gravia damna accepit; et cum monachorum ordines praecipua veneratione ſemper coluiſſet, poſtremo a monacho, cum minus putabat, interfectus eſt. Nuſquam tam magnam de principe ullo praeceptam omnium opinionem tam diſpar eventus ſecutus eſt. Nam ex ephebis egreſſus ſtatim exercituum dux creatus eſt; partiſque anni fere curriculo ingentibus victoriis [a] Baſſacenſi et Monconturiana feliciſſimi imperatoris laudem meruit. Dein, fama creſcente, de matrimonio ejus cum Angliae regina actum; et res parum ab exitu abfuit. Poſtea, cum regina parens, ut praedicto ſibi ſive ſuo ſive filiorum fato ex animi ſententia defungeretur, neque filios alterum alteri in idem regnum ſuccedenteis, turbato naturae ordine, aſpicere cogeretur, per Franciſcum [b] Noallium ad Portam Othomanicam de [c] Algeriae regno in Africa ei Selimi gratificatione concedendo egit; ad quod et Sardiniam proximam ſe addituram ſperabat, quam Philippus pro regni Navarrae compenſatione traditurus eſſet, et ipſa a Navarro aliis ditionibus in regno conceſſis permutationis titulo comparatura. Sed inter haec, electo illo in regem Poloniae, negotium inchoatum omiſſum eſt; et ipſe perhonorifice in Poloniam profectus, interveniente ſub id Caroli fratris morte revocatus, feſtinato diſceſſu regnum, quod Franciſco alteri fratri ſervare poterat, minus honorifice amiſit. Poſtremo, ad tot regna ſeu deſtinatus ſeu vocatus, vix paternum et avitum retinere potuit; ejuſque poſſeſſione paene tota a ſuis dejectus, antequam in illud reſtitueretur, ipſa quoque vita ab iiſdem ſpoliatus eſt. Procera fuit ſtatura et erecta, aſpectu gravis, alloquio comis, in audiendo patientiſſimus, in reſpondendo moderatus, feſtivus inter familiareis, in publico ſerius. Apparatus et pompas in omni re adfectavit: cum ſenatum ex proceribus et aliis, qui circa ipſum ſunt, recenſeret, palliis et veſtibus ſenatores ex holoſerico villoſo hyeme, raſo aeſtate amictos, cum pileis, cum antea galeros geſtarent, conſiſtorium ingredi juſſit. Valetudine firma fuit, quam cum per intemperantiam juvenilis aetatis aliquantum labefactaſſet, ordinatiore vita poſtea inſtituta reſtituit, conſilio uſus Chriſtophori Thuani, quem familiariter nonnunquam domi inviſebat, ſenis optimi et candidis moribus praediti colloquio oblectari prae ſe ferens; qui ab

eo

INTERPR. [a] *de Baſſac & Montcontour.* [b] *de Noailles.* [c] *Alger en Barbarie.*

eo interrogatus, cur tam proſpera valetudine uteretur, reſpondere ſolitus erat, id ex eo provenire, quod cum bene valenti corpore natus eſſet, ſemper eodem vitae tenore uſus eſſet, cibum et ſomnum ſtatis horis caperet, eadem hora ſurgeret, eodem fere eſculentorum et poculentorum genere ac modice uteretur: quod et rex ſedulo ab eo tempore fecit. Bis tantum in die, ſed copioſe, vaſto quippe corpore erat, cibum ſumebat. Vinum craſſius, ſed octo ad minus aquae partibus dilutum, bibebat: ſtatis deambulationibus corpus citra violentiam exercebat. Raro proinde aegrotare viſus, niſi quod nonnunquam melancholico morbo ſub hyemem vexabatur, domeſticis tantum noto, qui tractabile ejus reliquo anno ingenium intenſis frigoribus moroſum et difficile experiebantur. Tunc enim omiſſis voluptatibus parci ſomni erat, ad totam noctem vigilans et temporius ſurgens quatuorviros a ſecretis epiſtolis et cancellarium tractandis attentius negotiis fatigabat, res ad diſciplinam revocabat, et edicta ſevera condebat. Id diligenter a Philippo [a] Huralto Cevernio cancellario, qui ejus pueritiae admotus fuerat, notatum, et mihi narratum paulo ante Guiſii mortem memini, cum ad [b] Eclimontiam arcem in Carnutibus, in aulam tendens, ad eum divertiſſem; inſuperque praedictum, fore, ut rex, ſi Guiſius ulterius eum laceſſere pergeret, illum ſine ſtrepitu quadam die in cubiculo interficeret: nam ejus ingenium hoc anni tempore facile irritari, et paulum a furore abeſſe. Tanti taliſque regis mortem optimi omnes ac pacis ſtudioſi in Gallia doluerunt, quod per eam res in ſummum diſcrimen adductas viderent, animis populorum haud facile ad obedientiam ſub Navarro ob religionis diſſidium coalituris. Petrus [c] Aerodius, cauſarum criminalium Andegavi praetor, eam libro valde gravi deploravit. Foederati contra ultra modum laetati ſunt, quippe fautorem et propugnatorem Philippum potentiſſimum principem aperte habituri, qui prius, rege ſuperſtite, tantum ſimulate et lente res eorum in occulto adjuvabat; eoque amentiae in urbe provecti ſunt concionatores, ut Clementis facinus Judithae, Holopherni regem, civitatis utriuſque liberationem inter ſe compararent, Clementem ipſum tanquam martyrii corona inſignem libris editis publice laudantes, ejuſque imaginem paſſim oſtentantes. Repertus eſt etiam qui in majore urbis templo ei ſtatuam erigendam proponeret, abolitis regum, quae in eo viſuntur, tanquam profanis imaginibus: cumque exercitus [d] Fano Clodoaldi diſceſſiſſet, quidam eodem furore perciti ad locum in quo Clemens ſupplicio affectus fuerat profecti ſunt, et ſolum, ut erat adhuc cruore tinctum ac madidum, fodientes, quando nullas alias cadaveris flammis conſumpti reliquias colligere poterant, glebas inde excretas in naviculam, qua vecti fuerant, impoſuerunt, ut ex iis martyrii trophaeum ad adorationem in urbe exſtruerent: ſed, vento vehementi ſuborto, navis ferendo oneri impar cum reliquiis et vectoribus ita ſubmerſa eſt, ut nemo ex iis enataverit.

X. VERUM haec fortaſſe in hominibus ex recenti conſternatione in laetitiam inſperatam ſolutis excuſari poterant. In pontifice longe a nobis poſito, qui tanquam ex ſpecula, ab omni pravo affectu alienus, de rebus noſtris ſanius judicare et decernere potuit, ſumme inſolens et paſtorali moderatione indignum viſum, quod de Clemente et rege praeconium ejus paulo poſt a foederatis Lutetiae publicatum eſt. Siquidem poſtquam de regis morte Romae allatum eſt, ille in conſiſtorio III Eid. Septembr. habito praemeditatam orationem habuit, qua factum Clementis operi aſſumptae a Domino carnis et reſurrectionis ejuſdem myſterio ab Habacuco vate praedicato, propter magnitudinem et rei admirationem, comparat. Tum virtutem hominis, animi robur, et ferventem erga Deum amorem ſupra Eleazarum et

Juditham

INTERPR. [a] *Hurault de Chiverny.* [b] *Eclimont au pays Chartrain.* [c] *Ayrault lieutenant criminel d'Angers.* [d] *S. Cloud.*

CIƆ IƆ LXXXIX.
HENRICUS III.

Juditham multis verbis extollit; ex eoque colligit, hoc niſi certa divinae providentiae ordinatione ac auxilio confici non potuiſſe; neque vero ipſum crediturum fuiſſe, niſi fidem ad obſequium Chriſti flexiſſet, qui ratione omnem fidem ſuperante Pariſienſem civitatem liberaſſet, et graviſſima regis peccata puniviſſet, eumque tam infauſta morte e medio ſuſtuliſſet: ſe vero id antea animo providiſſe, ac [a] Jouſae, Lenuncurio, Gondio cardinalibus, et Piſanio marchioni ipſius oratori ſaepius praedixiſſe, fore, ut, quemadmodum eſſet familiae ſuae ultimus, ita aliquem inſuetum et dedecoroſum vitae exitum habiturus eſſet; itaque indignum iis officiis quae imperatoribus ac regibus exhiberi ſolent; quippe ſacrae ſcripturae auctoritate prohiberi, ne quis pro eo, qui in peccato ad mortem, hoc eſt in Spiritum Sanctum admiſſo, quale regis peccatum fuit, moritur, preces faciat. Contra hoc ſcriptum, quod ſupprimi potius quam publicari famae ipſius Sixti ac ſanctae ſedis dignitatis interfuit, editus eſt liber, Anti-Sixti titulo, Latine; et Gallica declamatio, [b] Fulminantis nomine; acerbior illa quidem, ſed tali oratione prorſus digna; quibus et regis cauſa multis rationibus defenditur, et multa impia et abſurda in illa Sixti oratione notantur; ad extremum, [α] ſuperbo ſeni petulantia ſua exprobratur, qui, cenſurae iniquiſſimae fulmine in immerentem vibrato, funeſtiſſimam tragoediam in Gallia excitaſſet, et nunc jacenti ſumma impietate inſultaret, et ipſe lepus mortuo leoni barbam velleret.

XI. TURBATIS apud nos rebus, Belgium, Hiſpania, et aliae Europae partes minime quieſcebant. Parmenſis, attrito ſuperioris anni infelici ad Bergas obſidione exercitu, miſſas in hyberna copias ex laboribus reficiebat, cum excurrentibus Ordinum copiis nunciatum eſt, loca pleraque circa [c] Antuerpiam ferro flammiſque ab iis vaſtata, et turmam equitum, cui [d] Camillus Montius praeerat, in hoſpitio deprehenſam ac armis et equis exutam. Cautius inde juſſi ſtationes habere, et inſidias, quae ab hoſte recenti contra feſſos ſtruebantur, vitare. Tum, ut ſumptibus parceret, Germanos equites dimittit, et partem eorum ductore Hieronymo Collalto comite, qui prius Joannis [e] Manricis legatus fuerat, in Galliam [f] Meduanii crebris flagitationibus exoratus ablegat. Miſſus et in Galliam Ericus Brunſvicus, Erici ante quinquennium [g] Ticini extincti naturalis filius. Cum vero de [h] Tergoenſi inſula intercipienda a locorum peritis ſpes facta eſſet, deſtinatus ad eam expeditionem Philippus [i] Eemondanus comes, qui cum IV Belgarum et III Hiſpanorum, V Germanorum CIƆ, et VII cataphractorum equitum turmis in CL plana navigia impoſitis Februario ineunte ſolvit, praemiſſis CIƆ IƆ delectis Italis; quibus primus cum claſſe hoſtili ante exſcenſionem conflictus fuit, in eoque inter alios praecipue excelluerunt Cornelius [k] Gaſparinus Lucenſis, Quirinus [l] Fabrianenſis, Marcus [m] Magdalena Romanus, et Barnabas [n] Barbovus Mediolanenſis, qui primi in naveis hoſtium inſilierunt, ſed irrito tandem conatu. Nec felicior expeditionis ſucceſſus fuit, inſulanis majore numero ac virtute, quam putabatur, ſe defendentibus. Aliis et locis tumultuatum. [o 1] Gertrudis-mons in limite Atuatico poſitum oppidum, [p] Meruvanae ſive Vlaccenſi regioni, quae [q] Rheno et Moſa quodammodo interluitur, aſcriptum, e regione [r] Dordraci Batavos ſpectat, et ad [s] Arauſionenſeis principes pertinet, piſcatione tam copioſa fructuoſum, ut uno die plerumque XVIII CIƆ ſturionum, ſalmonum, et elſetanorum

VAR. LECT. [α] ſuperbo et amenti ſeni *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *les cardinaux de Joyeuſe, de Lenoncour, & de Gondy.* [b] *la Fulminante.* [c] *Anvers.* [d] *Camillo del Monte.* [e] *Manriquez.* [f] *le duc de Mayenne.* [g] *Pavie.* [h] *l'Iſle de Tergoes.* [i] *d'Egmond.* [k] *Gaſparino Lucquois.* [l] *da Fabriano.* [m] *Magdaleno Romano.* [n] *Barbovo Milaneſe.* [o] *Gertruydenberg en Hollande ſur la frontiere de Brabant.* [p] *la Merwe ou Vlack.* [q] *le Rhin & la Meuſe.* [r] *Dort.* [s] *les princes d'Orange.*

NOT. [1] Gertruydenberg eſt ſitué ſur la vieille Meuſe, ou l'eau qui vient de la Merwe & Meuſe, & paſſe au travers du pays inondé, à l'oppoſite de Dordrecht. *Vide* Meteren, *p.* 315. M. de Thou a pris ſa deſcription du Meteren Latin. *Put.*

elſetanorum piſcium in eo tractu capiantur. Ejus praeſidiarii fere veterani milites, ex variis nationibus conflati, factione Anglicana, de qua ſupra diximus, res per illa loca turbante, ab obſequio Ordinum ac [a] Mauritii et [b] Hohenloi ejus vicarii paulatim ſe alienaverant; et ſuperiore anno tumultuanteis edicto menſe Martio ſcripto Hohenlous acerbe [1] perſtrinxerat, quod vulgo in ore haberent, ſe potius Hiſpani quam Anglorum partes ſecuturos: id amiſſis nuper [c] Sluſis et irritae [d] Bracelae obſidioni cauſam dediſſe, eoque pertinere, ut violata fide praeſidiarii toto Belgio ab Angliae regina deficerent. Tandem a Peregrino [e] Berteio Willoughbeio ſummo Anglicarum copiarum tunc in Belgio imperatore aliquot poſt menſibus numerato ſtipendio placati ſunt, accepta ab iis arce, quam mox ille Joanni [f] Wingfeldio ſororio ſuo commiſit. Ad conditiones utrinque dictas cum alias addidiſſent Ordines, neque de iis conveniri poſſet, rurſus praeſidiarii tumultuari, et, nequicquam Willoughbeio ut quieſcerent annitente, Gertrudbergenſibus oppidanis arma eripere, naveis praeternaviganteis ſpoliare, pecuniam ex teloneis et portoriis publicis contractam intervertere, vicinae regioni collationem privata auctoritate imperare, edicta Ordinum ac diplomata lacerare et patibulis ignominioſe affigere, denique omnia hoſtiliter agere. Venerat ſub id in Belgium Joannes [g] Norriſius, ut cum Ordinibus de expeditione in Hiſpaniam decreta ageret. Is nullum officium omiſit, quo eos Ordinibus conciliaret: cumque iis perſuadere conaretur, ut aut ad Hiſpanienſem expeditionem ſecum, aut ad [h] Wachtendoncham, quae tunc obſidebatur, liberandam proficiſcerentur, nihil a tumultuantibus impetrari potuit; fixum quippe ſibi eſſe reſpondentibus, hoſti potius quam Ordinibus aut Mauritio militare. Quae omnia cum ad manifeſtam defectionem pertinerent, habita deliberatione Mauritius locum obſidione cingit Eidibus Martiis, denunciato prius praeſidiariis, ſe intellexiſſe Wingfeldium alioſque belli duces cum Parmenſi tranſigere velle; eoſque ab hoc infamiae pleno conſilio dehortatur, propoſitis aequiſſimis conditionibus. Interceſſerat et civitas Dordracenſis, miſſis legatis; et Willoughbeius, qui ſororium monebat, ut inde ſe reciperet potius quam nomen ſuum tanta infamia commacularet. Verum ille praefracte reſpondit, praeſidiarios, quibus fidem de non deſerendis illis dederat, in propoſito perſeverare, ut potius ab hoſte quam ab Ordinibus aut Mauritio conditiones accipiant: quod vero a Mauritio inſimuletur, quaſi nulla regionum harum charitate tanquam homo peregrinus, potius privati lucri et commodi ſpe, ducatur, eos qui talia de ſe ſpargant peſſime mentiri, idque ſe enſe ſtricto tueri paratum aiebat; nam ſe cum praeſidiariis pro regina et communi bono oppidum eo uſque defenſurum, quamdiu annona non deficiet: in menſem de ea tantum ſibi proſpectum; quo elapſo, ſi novo commeatu non juvetur, aut aliter ei ſuccurratur, ex neceſſitate conſilium capturum, ac poſtremo facturum quae alias libenter facturus non eſſet. Interea ſumma vi ſed infelici exitu oppidum a Mauritio oppugnatur, quippe deſideratis in illa obſidione compluribus ex primariis belli ducibus, et in iis [i] Villerſio ſummo caſtrorum praefecto, fide, et militaris rei inter omneis qui Ordinibus militabant peritiſſimo, Hadriano [k] Cornelio bellicae navis praefecto, [l] Brederodo, [m] Landa Mauritianorum ſtipatorum praefecto, aliis amplius L. Edita nihilominus ingenti murorum ruina, cum oppugnationem facturus eſſet Mauritius, de conditionibus agi coepit,

INTERPR. [a] *le comte Maurice de Naſſau.* [b] *le comte de Hohenlo.* [c] *l'Eſcluſe.* [d] *Brackel.* [e] *Bertie baron Willoughby de Eresby.* [f] *Wingfield.* [g] *Norris.* [h] *Wachtendonck.* [i] *de Villers mareſchal de camp.* [k] *Cornelifſen.* [l] *Walſfaert de Brederode.* [m] *Landas.*

NOT. [1] Imo ipſi Hohenloum perſtrinxerant, quaſi is qui id dixiſſet: nam praeſidiarii Gertrudiſbergae plane ad id tempus Anglicanae erant factionis, quanquam poſtea Hiſpanicas partes ſecuti ſunt. *Put.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

coepit, ſed ſimulate; quippe cum interea cum Parmenſi, qui [a] Bredam uſque proceſſerat, transigeretur: exortaque ſubito tempeſtate, quae, ne certi tormentorum ictus e navibus dirigerentur, impediebat, rurſus novae conditiones a Mauritio propoſitae, veniaque praeteritorum et oblivio promiſſa, modo in fide permaneant. Sed obfirmatis animis nihil actum; tandemque ipſi, XV menſium ſtipendium pacti, locum Parmenſi dedunt, inſuper conditiones alias oppidanis haud intolerabiles; quippe illis ſpatium duorum annorum conceſſum, quo deliberent, an manere in oppido an abire velint, quo tempore nulla vis conſcientiis eorum afferretur: privilegia et immunitates confirmatae; militi praeteritorum gratia facta, cautione inſuper praeſtita, ut eadem gratia in imperiali ditioni ſubjectis ditionibus, [b] Leodicenſi puta, Colonienſi ac ſimilibus, fruatur. Et, ut magni ſe facere militis veterani virtutem oſtenderet Parmenſis, ad XV menſium ſtipendium alia quoque V adjecit, [c] Wingfeldio et Carolo [d] Honingo Anglis copia facta, ut cum familia et omni ſupellectile ſua quo vellent ſe reciperent. Id actum Bredae IV Eidus Aprileis. Ii poſtea et ceteri alii duces, quorum nomina ad IↃ CL edita ſunt, ſevero admodum edicto tanquam perfidi et ſcelerati proditores ab Ordinibus proſcripti fuerunt, et ſuſpendii poenae addicti; L florenorum ei qui militem adduxiſſet, qui ductorem C florenorum ſumma, ac inſuper captivi bonorum poſſeſſione, pro praemio conſtituta. Nec meliore conditione ii apud hoſtem fuerunt: nam, quamvis magnis honoribus a Parmenſi affecti, vulgo inter commilitones deſpecti et communi dicterio mercatores vocabantur. Cum vero edictis illis [e] Willoughbeii mentio facta fuiſſet, ille, ad decus ſuum id pertinere exiſtimans, apologeticum Gallice et Belgice ſcriptum evulgavit, quo Ordinum incuriam et iniquitatem multis in rebus perſtringebat: ſed, conquerentibus de eo apud reginam Ordinum delegatis, ſcriptum prohibitum eſt, et exemplaria omnia juſſu reginae ſuppreſſa. [f] Gertrudbergae oppido ita dedito Carolus Mansfeldius praeſidium impoſuit, et inde [g] Hueſdae oppido Brabantiae juxta Gertrudbergam caſtra admovit, cui [h] Famarſius cum valido praeſidio praeerat; et [i] Bommelenſem regionem ingreſſus caſtella vicina [k] Hemertii et Bracelae in poteſtatem redegit, nec non et [l] Sevenbergam; quae mox propter aquarum inundantium incommoditatem deſerere coactus eſt. Tentata et aſtu Bommela, ſed irrito conatu; comprehenſique in urbe quidam ſuſpecti, cum quibus Mansfeldius ſecreta conſilia agitabat, capite luerunt. Eodem tempore et III equitum turmae, quae Ordinibus militabant, ad [m] Oſſam prope Silvam-ducis a praeſidiariis Gertrudbergenſibus profligatae ſunt, [n] Riſorio et Ceinskio ducibus captis. Ad [o] Heilae dein, ex adverſo munitionis cui [p] Crepacordiae nomen, in Bommelenſi inſula arcem poſita caſtra: et poſt IↃ CCCC tormentorum ictus diſploſos locus a [q] Sidenburgio praefecto deditus eſt IX Kal. Octobreis, multum reclamantibus praeſidiariis, quorum major pars caeſa: ipſe inde in Parmenſis caſtra tranſiit. [r] Roſſemum itidem praeſidiariorum ignavia amiſſum. Interim Hueſdam commeatus a [s] Mauritio, Hohenloo, et Solmenſi copioſus importatus eſt: quo cognito Mansfeldius obſidionem ſolvit. Ad [t] Lovenſtenium in ima inſulae ora poſtremo extructa a Parmenſi munitio eſt, ea ſpe, ut per eam Lovenſtenium ad deditionem compelleret: ſed aquarum incommoditate preſſus locum deſerere itidem coactus eſt. Inde, cum ſatis in Atuaticis actum putaret, [v] Moſa tranſmiſſo [w] Tiletanam ditionem invadere decrevit, qua in poteſtatem redacta ad [x] Buram et Ultrajectum ſibi viam ſterneret. Sed Hiſpanorum exorta ſolemnis ſeditio conatus ejus interturbavit, qui [y] Mansfeldium ad eos ad officium cogendos miſſum injurioſe

INTERPR. [a] *Breda.* [b] *de Liege & de Cologne.* [c] *Wingfield.* [d] *Honing.* [e] *le lord Willoughby d'Eresby.* [f] *Gertruydenberg.* [g] *Heuſden.* [h] *de Famars.* [i] *l'Iſle de Bommel.* [k] *Hemert & Brackel.* [l] *Sevenberghe.* [m] *Oſch prés de Bois-le-duc.* [n] *les capitaines Riſoire & Chinski.* [o] *Heyl.* [p] *Crevecœur.* [q] *de Sidenbourg.* [r] *Roſſem.* [s] *les comtes Maurice de Naſſau, de Hohenlo, & de Solms.* [t] *Louwenſtein.* [v] *la Meuſe.* [w] *l'Iſle de Thiel.* [x] *Buren & Utrecht.* [y] *le comte de Mansfeld.*

injurioſe diſploſis tormentis repulerunt, et [a] Graviam ſe receperunt. Parmenſis CIↃ IↃ LXXXIX.
diſſoluto exercitu [b] Hemertii et Heilae arces, aliaſque ad oſtium [c] Diſae munitiones HENRICUS III.
juxta [d] Silvam-ducis exſtructas, milite et commeatu firmare pro tempore ſatis habuit. Ipſe adverſa valetudine cum in dies magis ingraveſcente adflictaretur, ne ſibi tempus illud periret, ad [e] aquas Tungrenſeis proficiſci ſtatuit, et [f] Monfortium haud longe a [g] Ruremunda infra [h] Trajectum conceſſit.

XII. AD morbum naturalem acceſſerat dolor conceptus ex Alexandri cardinalis patrui morte. Is ſummae in purpuratorum collegio auctoritatis, jam totos LV annos magnitudinem a Paulo III in ſua familia fundatam ſumma prudentiae et ingenii in explicandis negotiis opinione tuebatur, literarum et literatorum, atque adeo praeſtantium artificum, ſculptorum, pictorum et architectorum fautor eximius. Vix vigeſimum annum egreſſus ſummas legationes ſub avo conciliandis Caeſari ac Franciſco obivit. Poſt avi mortem ob parentis calamitatem varia fortuna jactatus, cum in Henrici II benignitate honoratiſſimum habuiſſet perfugium, poſtea, Octavio fratre cum Caeſare reconciliato, mutavit, et partes noſtras deſeruit; Auſtrii nominis, cui frater familiae ſuae princeps tanta per adfinitatem neceſſitudine conjunctus erat, fortunam tota vita ſecutus. In illo otio pulcherrimam et magnitudine ac rara fabricae elegantia viſendam Caprarolae arcem XXX ab urbe milliaribus extruxit. Dein ad pietatis exercitia aetate inclinata verſus, [i] baſilicam B. Silveſtri in Soractis monte, in [k] Faliſcis D. Anaſtaſii templum coenobiumque ad [l] aquas Salvias, B. Virginis aedem ad [m] Cryptam-ferratam, et auguſtiſſimum delubrum in [n] Vulſinienſi lacu, templum item beatis Laurentio et Damaſo dicatum ſua impenſa aedificavit, inſtauravit, ornavit: ac poſtremo magnificentiſſimam illam Jeſu aedem in urbe erexit, et ſodalitii cognominis patribus attribuit: ubi, cum VII Non. Mart. paulo ſeptuagenario minor deceſſiſſet, inſigni pompa funeratus eſt, a Petro [o] Magno luculenta oratione laudatus. Extant et Fr. [p] Bencii et Julii Nigroni orationes de eo funebres. Sed, praeter patrui obitum, multo magis Parmenſem urebant [q] Paſtrani ducis et Aſculani principis, Hiſpania ad eum vexandum et obſervandum miſſorum, calumniae, quibus ſe traduci apud Philippum per amicos intelligebat. Illi ſiquidem, ut jactatum fuit, Friderico Perrenoto [r] Campaniaco inſtigante, eum inſimulabant, quod claſſi ingenti ſuperiore anno ad [s] Caletum appulſae in tempore praeſto non fuiſſet; cum paulo ante de pace inter delegatos utriuſque partis ageretur, et Campaniacus urgeret ut cum Anglis conveniretur; ſic enim fore, ut, illa claſſe in tutum deducta, ad Bataviae et Zelandiae expeditionem cuncta commode inſtrui poſſent: quod per Joannem [t] Richardotum Arteſiae praeſidem hominem ſibi addictum tam ſalutare conſilium rejeciſſet, ſpe temere concepta de Anglia ſubjuganda, quod ita facile futurum ex [v] Joannis Auſtrii commentariis didiciſſet: quod denique contra belli ducum ſententiam poſtea [w] Bergarum ad Somam obſidionem eadem animi ſive imprudentia ſive obſtinatione ſuſcepiſſet, et ingens damnum cum dedecore conjunctum ab ea diſcedens accepiſſet. Haec ad Parmenſem per Eugeniam Claram Iſabellam Hiſpaniae infantem, quae ipſi impenſe in occulto favebat, perlata, occulto moerore animum ejus angebant, qui poſtremo in apertam contra Campaniacum indignationem, nam in Paſtranum et Aſculanum iram premere cogebatur, erupit; quem Belgio, nulla valetudinis et aetatis accepta excuſatione, faceſſere, et in Sequanos ſe recipere coegit, miſſo mox in Hiſpaniam Richardoto, qui crimina Parmenſi objecta coram Philippo dilueret.

XIII. INTEREA

INTERPR. [a] *Grave.* [b] *Hemert & Heyl.* [c] *Deynſe r.* [d] *Bois-le-duc.* [e] *eaux de Spa.* [f] *Monfort.* [g] *Ruremond.* [h] *Maeſtricht.* [i] *l'egliſe de S. Silveſtre ſur le Mont S. Oreſte.* [k] *patrimonio di San Pietro.* [l] *alle tre fontane* al. *aqua Salvia.* [m] *Grotta ferrata.* [n] *lago di Bolſena.* [o] *Magno.* [p] *Bencio & Negrone.* [q] *le duc de Paſtrana, & le prince d'Aſcoli.* [r] *le Sr de Champigny.* [s] *Calais.* [t] *Richardot preſident d'Artois.* [v] *Don Juan d'Auſtriche.* [w] *Bergen-op-zoom.*

XIII. INTEREA Marcus [a] Ria Varanboni marchio, Geldriae praefectus, jam diuturna obſidione [b] Blienbecam arcem a Martino Schenkio occupatam premebat, erecto tumulo, ex quo continua diſploſione obſeſſos infeſtabat: quae tandem, diſſidentibus inter ſe militibus, cum nemo eſſet qui cum plena auctoritate praeſidio praeeſſet, et Schenkius promiſſa auxilia non ſummitteret, exeunte Junio dedita eſt. Circa id tempus Batavi et Zelandi, ut liberam navigationem ſervarent, et oram maritimam contra piraticas excurſiones tuerentur, XX naveis militareis aedificari in [c] Amaſi, Rheni, Moſae, Wahalis, et Lekae aeſtuariis curarunt, LX ac C amphorarum capaces; quibus minores aliquot adjunxerunt, Pinaſſas vulgo dictas, quae remigio agebantur. Earum ope defenſae naves Anglicanae et Gallicae mercibus onuſtae tuto commeabant, et piſcationes liberae praeſtabantur, claſſe illa in Flandrico litore circa [d] Sluſas, Neoportum, et Dunkerkam ad arcendas illorum locorum depraedationes oberrante. Ac tunc accidit, ut Jacobus Antonius [e] Harlemienſis, qui Dunkerkanum tractum ſervabat, cum ſua nave a pluribus hoſtium circa Caletum circumveniretur; qui cum ſe ſumma virtute diu, aliis, quae in proximo erant, navibus opem non ferentibus, defendiſſet, poſtremo, ubi nullam ſaluti viam ſupereſſe vidit, ex deſperatione conſilium audax ac generoſum cepit, et manibus ferreis in naveis utrinque injectis cum ad manus ventum eſſet, incenſo pulvere tormentario victores victoſque eadem pernicie conſumpſit. Paulo ante Gul. [f] Ludovicus Naſſovius Friſiae praeſes, fruſtra aſtu tentata [g] Delfiziela, [h] Reidae munitionem in peninſula ex adverſo [i] Emdae in Amaſo poſitam, poſt pulſationem factam vi expugnaverat; captamque denuo firmaverat, et foſſa ducta locum in inſulam redegerat. Capta et eodem victoriae curſu alia circum munimenta, Franciſco Verdugo, qui provinciae Philippi nomine praeerat, viribus ad reſiſtendum impare; cui propterea ſummiſſae III equitum et VII peditum a Parmenſi cohortes cum pecunia in militis ſtipendium: de quarum adventu certior factus Schenkius, eas juxta [k] Weſaliam ad [l] Lippae ericeta III Eid Sextileis adſecutus, in ipſius Varanboni conſpectu cecidit, pecunia etiam, quae militum ſtipendio deſtinata portabatur, erepta. Hoc ſucceſſu elatus, ut jacturam Blienbeka amiſſa acceptam ſarciret, ad [m] Neomagum intercipiendum animum adjecit, XX magnis ac parvis navigiis et V pontonibus egregie tormentis ac milite inſtructis in Wahalim immiſſis, et equite per terram ire juſſo. Hoc paratu, tertio poſt victoriam die ex propugnaculo a ſe exſtructo, cui vulgo [n] Specillo ſive Speluncae vulpinae nomen, ſolvit, ut ſub veſperam ad locum deſtinatum veniret. Verum vento remittente, et elatiore aqua quam ut naveis, in quibus remigii nullus uſus erat, contis propellere poſſent, ſomnolentis ſuis, jam illuceſcente aurora ſerius appulit. Pontones vi remigii celerius iter confecere: quibus impoſiti milites cum in Neomagi conſpectum veniſſent, protinus ab oppidanis ad arma conclamatum. Nihilo ſecius Schenkius minime cunctandum ratus vim facit, et, cancellis ferreis vicinorum aedificiorum refractis, cum paucis ingreditur, forum, ſi ſui in tempore adveniſſent, occupaturus. Sed cum illi tardarent, deficientibus qui intraverant, et oppidanis ac praeſidiariis gnaviter manu et tormentis rem gerentibus, jam claro die ſe ad pontones recipere coactus eſt: ubi dum confuſe cuncti periculum veriti inſiliunt, is quo Schenkius vehebatur nimio pondere depreſſus eſt, et ipſe cum multis aliis ſubmerſus; vir impiger, ſtrenuus et aſtutus, liberalitate ſupra conditionem profuſus, qua militum animos ſibi admodum devinxerat: maximis rebus geſtis in illa aetate clarus dux, nondum enim quadrageſimum annum exceſſerat; cui, ob inſignem

virtutem

INTERPR. [a] *de Rie marquis de Varambon gouverneur de Gueldre.* [b] *Blienbeck.* [c] *l'Ems, le Rhin, la Meuſe, le Wahal, & le Leck.* [d] *l'Eſcluſe, Nieuport, & Dunquerque.* [e] *de Harlem.* [f] *le comte Louis de Naſſau.* [g] *Delfziel.* [h] *Rheyde.* [i] *Embden.* [k] *Weſel.* [l] *la Lipperheyde, ou landes & bruyeres de la Lippe.* [m] *Nimegue.* [n] *la Lunette ou le trou du Renard.*

virtutem et militaris rei ſcientiam, ſumma caſtrorum praefectura, quam Villerſius adminiſtrabat, ab Ordinibus deſtinabatur. In cadaver Wahali eductum, et ex vulneribus, quae multa inſignia habebat, agnitum, oppidani, morte ejus non ſatiati, immani ferocia ſaevierunt: nam in quatuor partes corpus diſſecuerunt, eaſque ad quatuor urbis regiones patibulo ſuffixerunt, capite in S. Antonii turri erecto; unde poſt paulo Varambonii juſſu, ut defuncti militibus, acerrimis mortis ducis ſui vindicibus, in innocenteis plerumque Neomagenſeis ſaeviendi occaſio praeriperetur, ſublatum eſt, et cum reliquo corpore ciſta incluſum et in turri quadam aſſervatum eſt, quouſque Mauritius, urbe in poteſtatem redacta, illud pompa militari magnifice in primario templo ex adverſo ſummi altaris in Geldriae ducum monumentum inferri curavit. Mortuo Schenkio, Gebbardus [a] Truchesſius quondam archiepiſcopus [b] Colonienſis, cum, rebus acciſis ſuis, ſpem omnem, quam in Schenkii virtute repoſitam habebat, praeciſam videret, ex Batavia in Germaniam migravit, ut per amicos ac propinquos aliquam fortunae afflictae ſublevandae rationem iniret. Nec multo poſt Octobri exeunte Gulielmus Naſſovius [c] Soldincampiam munitionem in oſtio Reedipienſi exſtructam vi expugnavit, caeſis XXC praeſidiariis, in [d] Verdugi veluti conſpectu; qui, cum ſuis ſuppetias ferre non poſſet, copias in paludem ad [e] Groeningenſem viam Naſſovio intercludendam deducit. Adolfus [f] Nuenarius Meurſiae comes, qui poſt Schenkii mortem eodem fere belli genere Hiſpanos in illo tractu vexabat, cum exeunte Sextili proximo cum Lochemi praeſidiariis in pagum Weſtfaliae [g] Monaſterienſi epiſcopo ſubjectum, cui [h] Grevae nomen, et in quo tunc nundinae celebrabantur, improviſus deſcendiſſet, ac praedonis potius more quam militari aſtu diripuiſſet, abductis ad CIↃ equis, paulo poſt ad Schenkianos milites, qui tumultuabantur, ſedandos Arnhemium III Non. Octobr. profectus, miſerabili caſu periit, dum pulverem tormentarium in baſilica urbis inter eos diſtribuit, ſcintilla forte candelae decidente, qua totum aedificium correptum, ruinaque ejus ipſe obrutus eſt. Ad [i] Berkam ſaepius antea invecta a Schenkio annona firmatam oppugnatio ſemper interea durabat, a variis Hiſpanorum ducibus eo ſubinde miſſis continuata: cumque Jo. Philippus [k] Eberſtenius comes, [l] Poetlitizius regulus, et Franciſcus Veerus eques Anglus cum CC equitibus et II CIↃ peditum eo proficiſcerentur, auxiliaribus et commeatu locum firmaturi, et Colonienſis epiſcopi caſtellum in itinere tormentis verberatum vi cepiſſent, tranſmiſſo illic Rheno cum Varambonio a tergo cum exercitu integro inſequente, in quo IↃ CCC pedites, IↃ equites erant, conflixerunt. Initium pugnae cum Veero, qui IV Anglorum vexilla et Chriſtophori [m] Wolfii turmam penes ſe habebat, factum; qui diu cum magna virtute hoſti reſtitiſſet, accurrentibus auxilio relictis copiis, acerrime totis viribus utrinque certatum eſt, tandemque Varamboniani victi ceſſere, X peditum ſignis amiſſis, et III turmis equitum proſtratis. Deſiderati ex iis amplius IↃC, partim interfecti, partim flumine hauſti. Dum adhuc confligerent Mansfeldius ſupervenit cum LXX vexillis; et cum auxiliareis, curribus tectos et eruptione ab obſeſſis facta in tempore defenſos, quo minus commeatum in urbem inferrent impedire non poſſet, eos nequicquam in reditu intercipere conatus eſt. Verum ii alia qua venerant via incedentes, et ad [n] Reenſe munimentum tranſmiſſo Rheno, periculum evaſerunt. Inde totis viribus oppugnari Berka coepit; tandemque poſt arctiſſimam trium menſium obſidionem, Ordinibus ſumptus in loci a ſe tantopere remoti defenſionem gravantibus, deditione recepta eſt, ineunte anno proximo.

INTERPR. [a] *de Truchſes.* [b] *de Cologne.* [c] *le fort de Soltcamp à l'emboucheure du Reediep.* [d] *Verdugo.* [e] *de Groningue.* [f] *de Newenar comte de Meurs.* [g] *de Munſter.* [h] *Greve.* [i] *Rheinbergen.* [k] *d'Eberſtein.* [l] *le baron de Potliz, & le chevalier Vere.* [m] *Wolff.* [n] *Rees.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

proximo. Eadem hac hyeme, cum commeatus a III Germanorum vexillis duce [a] Maldizio [b] Stenebergam Antuerpia importaretur, Marſilius [c] Baxius, cum ſua et Pauli fratris, qui Bergis ad Somam praeerat, equitum alis, et LXX delectis ſcloppetariis, inſidias venientibus in ericeto ſtruit; acrique conſerto proelio, nam Maldiziani ſe curribus defendebant, tandem Baxiani non citra jacturam victoria potiti ſunt. Ipſe Maldizius captus eſt cum CC e ſuis, partim militibus, partim lixis, inſtitoribus: ab ruſticis I vexillum integrum captum et ad Mauritium miſſum, reliqua duo lacerata ſunt.

XIV. Hoc anno Angli, ut virtutem ſuam non ſolum in repellenda injuria, quod ſuperiore anno fecerant, ſed etiam in inferenda Hiſpanis oſtentarent, expeditionem in Hiſpaniam ſuſceperunt, inſtigante Antonio exule, qui ſe legitimum Luſitaniae regem perhibebat, vique ab Hiſpanis expulſus in regnum reſtitui petebat. Is autem magna aſſeveratione affirmabat, Luſitanos, ſimul ac ſe cum claſſe ad litus ſuum appulſum intelligerent, mox excuſſo Hiſpanorum jugo in ſua caſtra tranſituros. Re in reginae concilio agitata ſic diſputabatur: regem Hiſpaniae, atque adeo Hiſpanos, nullibi quam domi imbecilliores eſſe; quippe viribus huc illuc diſtractis, et munitionibus praecipuis in Italia, Belgio, Indiis, et locis Hiſpaniae ſuſpectis milite Hiſpano plenis, et ita tota provincia ad inopinatos caſus milite vacua ac debili: igitur ipſos in ipſa Hiſpania invadendos; ſic enim melius conatus ejus externos impediri poſſe: ſic olim Romanos Scipionem in Africam ablegaſſe, cum hoſtem in Italia haberent, ut ea ratione Carthaginienſeis ad revocandum Annibalem compellerent; et generoſum juxta ac ſalutare conſilium eventus proſperos habuiſſe. Expeditionis duces fuere Joannes [d] Norriſius et Franciſcus [e] Dracus, virtute militari clariſſimi equites; qui, acceptis a regina CXXX florenorum CIↃ, et commodatis aliquot regiis navibus, reliquos ſumptus de ſuo ſuppleverunt, decreto regia auctoritate facto, ut praedam omnem bello partam inter ſe dividerent. His conditionibus XIV legiones conſcribunt, quarum aliae X, aliae tantum VIII cohortibus conſtabant, quibus ſingulis ſinguli tribuni praepoſiti; inter quos praecipui fuere Gualterus [f] Ebroicus Eſſexiae comitis frater, qui et equitibus IↃ praeerat; Rogerius [g] Gulielmius eques, Edvardus et Henricus Norriſii fratres, [h] Jacobus Hailſus quaeſtor, Thomas Sidneius, Philippi ad Zutfaniam ante triennium occiſi frater, Edvardus [i] Wingfeldius, [k] Lanus delectuum habendorum curator, [l] Untonus, Brettus, Huntleius, omnes Angli, et Nicolaus [m] Metkerkius Adolfi Flandriae praeſidis filius cum legione auxiliari a Belgii Ordinibus Norriſio decreta. Rebus ita inſtructis [n] Doveram ad claſſem contendunt, ubi eodem tempore LX naveis Batavas onerarias, quibus maxime egebant, ſalis emendi gratia [o] Rupellam naviganteis, ad militem Plimoutham tranſportandum claſſi ſuae adjunxerunt. Plimoutham profectis rurſus ſe conjunxit Thomas [p] Fennerus rei maritimae praefectus, cum Gulielmo fratre vicario ſuo et XXII navibus. Heic cum ventus illos adverſus diutius ſpe detineret, ne tempus illud periret, militem tironem tribuni exercebant, et caſtra metari, ſequi ſigna, cum hoſte congredi, ſe recipere, per turmas hinc inde crebro concurrere, decurrere, rurſus certamini ſe immiſcere, cuneum et phalangem facere, locum tenere, ſeque in orbem colligere a centurionibus docebantur; item, ne ſine imperio ducum in hoſtem tenderent, aut pulſi loco cederent, ut in acie quiſque ſuos ordines agnoſceret. Tandem re frumentaria curata, cui [q] Dorrellus praepoſitus erat, africo flante expanſis velis ſolvunt XIV Kalendas Maias. Claſſis univerſa conſtabat VI navibus regiis, XX bellicis et CXL onerariis, omni re inſtructis. In praetoria erant imperatores Norriſius et Dracus, Antonius

Luſitaniae

INTERPR. [a] *Malditz.* [b] *Steenberghe.* [c] *Baex.* [d] *Norris.* [e] *Drake.* [f] *d'Evreux.* [g] *Williams.* [h] *le chevalier Jacques Hales treſorier.* [i] *Wingfield.* [k] *Lane.* [l] *Unton, Brett, & Huntley.* [m] *Meetkercke.* [n] *Douvre.* [o] *la Rochelle.* [p] *Fenner.* [q] *Marmaduke Dorrell commiſſaire general des vivres.*

Luſitaniae rex et Emmanuel ejus filius, [a] Burgus Hiberniae regulus, [b] Cromwellius, [c] Warburtonus, alii e nobilitate. Robertus Ebroicus Eſſexiae comes adoleſcens magni animi, omnibus domeſticis deliciis valere juſſis, reginae gratia, in qua florebat, carere maluit, quam committere ut illuſtri adeo expeditioni non intereſſet; raptimque inſalutatis amicis ex aula ſe proripuit, et [d] Falmouthae haud longe a Plimoutha Gualteri fratris navem, quae ipſum opperiebatur, conſcendit, vix tandem poſt varias tempeſtates claſſem adſecutus. Ea biduo poſtquam ſolvit in [1] Axantae conſpectum venit, ac poſtridie, flante coro, Hiſpaniam verſus iter intendit, et vulturno proceloſo incumbente IX Kalendas Maii ad Galeciae promontorium, cui vulgo [e] Ortingallae nomen, curſum direxit, ac poſtridie ſub meridiem [f] Coronam appulit, quam Cluviam Sulpitiam nonnulli, alii Caronium Ptolemaei eſſe dictitant. Ad orientalem partem cum in anchoris aliquandiu Angli ſtetiſſent, poſt tormentorum diſploſionem ab Hiſpanis ex oppido et arce factam VIII CIↃ militum in terram citra certamen exponunt, et, poſt leveis utrinque aſſultus, duo tormenta in clivo montis oppido oppoſiti aegre collocant, quorum diſploſione triremes Hiſpanae, quae in portu erant, diſſipantur. Praetoria in ſtatione manſit, cui Martinus [g] Ricaldus praeerat, cum II navibus bellicis, et totidem onerariis, quae impetum Anglorum ſuſtinerent. Coronae duplex oppidum eſt; alterum ſuperius in declivi montis poſitum arce et moenibus firmatum, cui inferius, [h] Peſcariam vulgo vocant, ab ima parte moenibus conjungitur, a ceteris mari peninſulae ſpecie alluitur, cui Joannes Luna praeerat. Tribus partibus locus oppugnatus. Fennero et Huntleio negotium datum, ut cum IↃ delectis in lintreis et ſcaphas impoſitis vim a maris parte facerent. [i] Brettus et Untonus ab orientali cum CCC, Richardus [k] Wingfeldius et Sampſonus cum IↃ ab occidentali ſcalas admovere juſſi. Wingfeldius et Sampſonus, re ſtrenue geſta, a defenſoribus poſtremo repelluntur: Fennerus et Huntleius lintribus junctis impigre partem commiſſam occupant; nec non Brettus et Untonus feliciter partem muri orientalem tranſcendunt, praeſidiariis in ſuperius oppidum compulſis. Multi in oppido capti, et in iis Joannes Luna. Anglis oppido inferiore potitis, et praeda militi conceſſa, hoſpitia per metatores deſignantur. Magna apparatuum bellicorum vis in oppido reperta; ſed incendio fortuito exorto, quod vix tandem ab Anglis reſtinctum eſt, major pars conſumpta. Dum haec fiunt, qui in ſuperiore oppido erant Hiſpani ad CIↃ IↃ ſucceſſus ignari praecipiti gradu ſe ejiciunt, ut Anglos propellerent; quos Norriſius cum VI cohortibus excipiens fudit, et diu palanteis inſecutus eſt. Inde juſſi qui ſuperius oppidum tenebant, in quod ſe Joannes [l] Paceccus Cerralbi marchio provinciae praeſes incluſerat, deditionem facere, cum recuſarent, tribus partibus locus oppugnatur. Ad aquilonarem partem directa IV tormenta, quibus diſploſis aggeres ac doliaria munimenta feſtinato opere ſtructa corruunt, et tormentarios nudos ad hoſtium ictus exponunt. Heic [m] Spencerus, Edvardi Norriſii, qui rei tormentariae praepoſitus erat, vicarius, interficitur. Cum deditio imperaretur, tubicen a Joanne Norriſio miſſus globulo a milite Hiſpano petitus fuerat; quem Paceccus ſtatim, quod contra belli leges feciſſet, pro muri pinnis ſuſpendi juſſit, addito elogio. Quod cum initio ignoraret Norriſius, inſolito ſuſpenſi hominis ſpectaculo irritatus, a Pacecco petierat, an per contemptum et ad ludibrium captivum Anglum expoſuiſſet: ſed, cognito quod erat, jure belli cum eo tranſactum fuiſſe intellexit: quod tamen non tam humanitati Hiſpanorum quam prudentiae tributum eſt, qui

Joannis

INTERPR. [a] *le lord Burgh.* [b] *Cromwell.* [c] *Warburton.* [d] *Falmouth.* [e] *cap d'Ortegal.* [f] *la Coruña.* [g] *Recalde.* [h] *la Peſcaderia.* [i] *Bret & Unton.* [k] *Wingfield & Sampſon.* [l] *de Pacheco marquis de Cerralvo.* [m] *Spencer.*

NOT. [1] Axantos Plinio et Uxantiſſena Antonino, integro nomine nunc *Uſhant* vocatur. Eſt inſula Armoricae ſive Britanniae noſtrae, corrupte vero nunc *Iſle d'Ouëſſant.* *Put.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

Joannis Lunae apud Anglos captivi vitae metuebant. Tunc et actum de permutatione utrinque captivorum: ſed cum nihil a rege in mandatis habere ſe Pacecus reſpondiſſet, nihil actum eſt. Cum fruſtra per biduum tentata eſſet oppugnatio, ruina edita et cuneo acto, de ſolvenda obſidione ad concilium ducum relatum eſt, rurſuſque repeti oppugnationem placuit. Itaque ruina majore edita et acto cuneo rurſus vis facta IV Non. Maii, Antonio [a] Wingfeldio et Sampſono ad cuniculum, et Richardo Wingfeldio et [b] Philpoto ad ruinam ire juſſis; caſuque inſperato Angli cum damno repelluntur, majore parte muri, dum enituntur, in eos incumbente; quod, alioqui detrimentoſum alio tempore, tunc obſeſſis ſalutare fuit. Deſideratus [c] Sidenhamus ſtrenuus centurio cum XX militibus in ea ruina, praeterea L interfecti. Interea [d] Dracus, qui in claſſe remanſerat, copioſum commeatum et apparatum bellicum ex oppido inferiore in naveis deferri curabat. Dum diſceſſum parat, a pabulatoribus capto Hiſpano cognitum eſt Andradae et Altamirae comites haud procul ad [e] Burgum oppidum cum delectis copiis conſediſſe. Eo mox [f] Norriſius imperator pugnandi cupidus ducit, V legionibus Draco relictis, quibus claſſem et oppidum ſervaret. Ipſe ſic aciem inſtruit: Edvardus frater cum ſua, Gulielmii et [g] Sidneii legionibus primum cornu ducebat; ipſe cum totidem legionibus, ſua, [h] Lani, et Metkerkii, in media acie ſtabat; ultimum agmen Henricus frater cum ſua, [i] Huntleii, et Bretti legionibus ducebat. Ita incedentes ad amnem veniunt, qui ponte lapideo XXC circiter paſſus longo, III lato, jungebatur. Hiſpani citeriorem partem tuebantur, vallo et foſſa ſe continentes, ſatiſque actum exiſtimantes ſi Anglos haud diu in externo ſolo duraturos mora citra proelii aleam frangerent. Et Norriſius omnis morae impatiens protinus Edvardum fratrem pontem ſuperare jubet: quod et ille ſtrenue admodum fecit, [k] Fulfordo et Hindero praeſtanti virtute centurionibus ſecum aſſumptis; nam plures uno ordine propter pontis anguſtias ſimul incedere non poterant: reliqui manipulares ternatim ſubſequebantur. In ponte acriter pugnatum, cum per III CIↃ hoſtium obvia perrumpendum eſſet. Edvardus dum ardentius in Hiſpanos fertur, pede lapſus et amiſſa galea, graviter in capite ſauciatur, ac prope a periculo majore abfuit, niſi frater praeſto fuiſſet. Vulnerati et Fulfordus, [l] Bartonus, et Hinderus, fortiter cum hoſte cominus pugnantes. Tandem vallum in imo ponte erectum ſuperant Angli, et magna ſtrage hoſtem huc illuc dejiciunt. IↃ CC ex iis caeſos ipſi memorant, cum [m] Cooperum centurionem et Hibernum quendam nobilem amiſiſſent: Hiſpani CC tantum fatentur. Dum ex conflictu redeunt Angli, Metkerkius aliquot Hiſpanos in monaſterio abditos aggreditur, et ad CC caedit. Captum praetorium vexillum et omnis ſupellex pretioſa, ac cetera impedimenta. Addunt Angli, ut ſuorum virtutem contra Hiſpanos extollant, tantum primam aciem ea die pugnaſſe, cum hoſtes in caſtris X CIↃ armatorum haberent. Poſtridie tormenta et milites in naveis reducti; [n] Coronaeque oppido inferiore funditus deleto, Nonis Maii diſceditur. In claſſe cum conſultaretur, [o] Cantabria a tergo relicta repetenda, an in Luſitaniam ducendum eſſet, inſtante Antonio rege ſententia haec tenuit, ut Luſitania peteretur. Itaque ſublatis anchoris per [p] Cigargam et Mongiam ad [q] promontorium Celticum ſexto poſt die appellitur; quo et obviam habuerunt [r] Eſſexiae comitem cum Philippo Butlero equite. Triduo poſt [s] Berlinga apparuit: inde ad [t] Penicam veniunt, mari undoſo et turgido. Heic deſcendere cum IↃ delectis juſſus Sampſonus dum ſe inſtruit, Eſſexiae comes, hoſtem in litore deſcenſum prohibiturum conſpicatus, ut moram aliquo operae pretio penſaret, non exſpectato

imperatoris

INTERPR. [a] *Wingfield & Sampſon.* [b] *Philpot.* [c] *Sydenham.* [d] *Drake.* [e] *Burgo.* [f] *Norris.* [g] *Sidney.* [h] *Lane & Meetkercke.* [i] *Huntley.* [k] *Fulford & Hinder.* [l] *Barton.* [m] *Cooper.* [n] *la Coruña.* [o] *Biſcaye.* [p] *Siſarga & Mongia.* [q] *le cap de Finiſterre.* [r] *Eſſex.* [s] *Berelenga.* [t] *Peniche.*

imperatoris juſſu, in mare pectore tenus cum paucis virtutem ejus aemulantibus inſilit, magno vitae diſcrimine, quippe cum ſimul in fluctibus conſiſtendum et cum hoſte pugnandum eſſet. Dum pugnatur, Sampſonus ſuos exponit, continuoque recedente hoſte ad arcem ducit, quae mox Antonio regi ſe dedidit. Bartonus cum praeſidio ei impoſitus: tum edicitur, poena capitis propoſita, ne quis Luſitanum dicto factove laedat, aedificia incendat, agrum vaſtet, maxime ne templa, coenobia, et alia loca cultui divino dicata, ſpoliet aut profanet. Heic plerique e ſacro ordine ac monachi inprimis cum inermi turba confertis agminibus occurrunt, et regis Antonii ad pedes venerabundi procidunt; nemo ex nobilitate, quod exuti armis et datis obſidibus ac in Caſtellam miſſis metu praepedirentur. Habita conſultatione decretum inter duces belli fuit ut [a] Oliſſiponam duceretur, quae haud amplius quam XL CIↃ paſſuum hinc aberat. Ita vero imperatores inter ſe componunt: Dracus cum claſſe, apparatu bellico, et annona eo tendat, et ad [b] Caſcalium conſidat, ad ſubita cum VI legionibus praeſto futurus: Norriſius cum ceteris legionibus tripertita acie per terram incedat. Tertiis caſtris ad Sebaſtiani-fanum ventum; ubi et intellectum claſſem vento ſecundo uſam ad Caſcalium appuliſſe. Inde biduum progreſſi ab exploratoribus cognoſcunt Albertum cardinalem Auſtriacum, qui proregis titulo [c] Luſitaniae praeerat, cum Petro Henrice [d] Acebedio Fontium comite, qui rem bellicam ſub eo adminiſtrabat, urbe exiiſſe, ut ſimul copias luſtrarent, et caſtris idoneum locum caperent. Nihilominus urbi propinquant, nemine contra egreſſo; tantum a Gabriele [e] Nonio arcis praefecto aliquot tormentorum ictibus veluti ſalutantur. Poſtridie, hoc eſt IX Kal. Junias, in ſuburbio, cui Bonae-viſtae nomen, hoſpitia nemine reſiſtente ſibi ſumunt. Fontanus V CIↃ Hiſpanorum, IV legiones oppidanorum, penes ſe habebat; in portu XII triremeis et majorem praetoriam, ac praeterea VI naveis bellicas. Levibus proeliis Anglos laceſſere, neque de ſumma decernere, illi propoſitum erat. Itaque cum Norriſius aliquot dies fruſtra eo in loco commoratus eſſet, et aliquot eruptionibus damnum grave accepiſſet, [f] Bretto et Carro centurionibus deſideratis, creſcente in dies numero hoſtium, decreſcentibus ſuis, nec novi motus, quod Antonius rex fruſtra ſperaverat et aſſeveranter promiſerat, ſigna apparerent, exercitum inde deducere decrevit. Dies tamen una miſeri regis precibus condonata eſt, quae ſi nihil novi pareret, ad diſceſſum ſe cuncti compararent. Igitur poſtridie caſtra mota, et poſt aliquam ex triremibus diſploſionem, nemine ultimum agmen laceſſente, Angli ſub veſperam Caſcalium veniunt, CCC equitibus Hiſpanis ſemper ſe ad latus oſtendentibus, neque cominus rem gerentibus. Ibi conſultatum quid facto opus eſſet. Variae dictae ſententiae; cum alii inſulas petendas cenſerent, alii, ſi commeatus ex Anglia portaretur, et Dracus cum claſſe [g] S. Juliani arcem praeternavigaret, Oliſſiponam repetendam dicerent. Re infecta dimiſſo concilio altera die ab exploratoribus affertur, Fontanum haud amplius duobus paſſuum CIↃ a caſtris Anglorum cum VI CIↃ peditum, et IↃ equitibus conſidere, ac paſſim jactare verbis, literis, et libellis editis exercitum Anglorum Oliſſiponae caeſum fugatumque. Inde concepta indignatione Norriſius ſtatim literas propria manu ſubſcriptas et ſigillo firmatas ad Fontanum per tubicinem mittit, quibus ſignificabat, ſe poſtridie ſub meridiem cum exercitu venturum, ut armis non verbis hujuſmodi mendacia redarguat; ipſe modo advenientem praeſtoletur: unum hoc ab ipſo petere, velit facere periculum, Anglus an Hiſpanus ſe prior in pedes conjiciat. Per eundem tubicinem [h] Eſſexius Fontanum ad ſingulare certamen provocat, aut alium ſuae

INTERPR. [a] *Lisbone.* [b] *Caſcaes.* [c] *Portugal.* [d] *d'Açevedo comte de Fuentes.* [e] *Nuñez.* [f] *Bret & Carr.* [g] *Caſtel San Gean.* [h] *le comte d'Eſſex.*

ſuae conditionis Hiſpanum; et alias duelli, quas ille eligat, conditiones proponit; ac, ne vis tubicini fieret, idem Joanni Lunae captivo ſe facturum edicit. Tum luſtrato exercitu IV CIↃ ſanorum militum tantum numerata, cum quibus Norriſius aciem inſtruit. Sed nuſquam comparente hoſte, tantum levibus proeliis aſſiliente eminus equitatu, poſt tubicinis ſine reſponſo reditum, Angli in caſtra, jam inclinata die, ſe recipiunt. Inde ad [a] Caſcalii arcem jactus agger ac diſpoſita tormenta; quorum conſpectu territi praeſidiarii mox locum dedunt. Heic Angli LX naveis maritimarum Germaniae civitatum mercibus et annona onuſtas, praeternavigata a tergo Scotia et [b] Hibernia in Hiſpanorum uſum advenienteis, et XX Armoricanas Oliſſiponam ituras capiunt, militem in eas imponunt, et Batavicas dimittunt, frumento pro ſtipendio dato; cum quibus Gualterus [c] Ebroicus et Thomas [d] Sidneius in Angliam revertuntur. Nec multo poſt Eſſexius ipſe, cum nihil ultra memorabile actum iri provideret, vela in patriam fecit. [e] Sampſonus cum VII navibus miſſus, ut [f] Bartonum [g] Penicae impoſitum exciperet, et tormenta bellica ſecum auferret. Tum Caſcalii arx igne pulveri tormentario ſubjecto evertitur. Plattus et Croſſus ſub id cum commeatu ad claſſem ex Anglia venerunt; ſed, jam graſſante inter milites populari morbo, a conſilio diſcedendi minime propterea deſtiterunt. Igitur ſpirante libanoto VII Eid. Junias ad [h] Baionam curſum intendunt. In itinere cum IX Hiſpanis triremibus confligunt; quae, ſoluto certamine, duas Germanicas naveis, quibus [i] Maxei vicarius et [k] Minchonus centurio praeerat, adortae, cum diu ancipiti pugna, et nunc ad has nunc ad illas partes inclinante victoria, conflixiſſent, igne repente coorto Germanicae conflagrarunt, nequicquam Draco annitente ut laborantibus ſubveniret, quippe ſereno coelo et mari torpido. Tandem repulſae triremes, quae, tanquam re feliciter geſta victrices, ad ſuos in portum ſe receperunt. Inde claſſis ad Baionarum inſulas ac [l] Vigae conſpectum venit: quo animadverſo oppidani omnia ſua exportant, et tamen ſe ad defenſionem in ſpeciem parant. Dracus, CIↃ IↃ expoſitis militibus qui ſuburbium peterent, ipſe cum Richardo [m] Wingfeldio in alteram oppidi partem fertur, [n] Fennero ex navibus rem tormentis gerente. Mox defenſoribus dilapſis oppidum Anglis patuit; qui, miſſis qui agrum vicinum incendiis et praedis vaſtarent, poſtridie incenſo oppido ad naveis redeunt. Dracus ventum et aeſtum nactus, milite catervatim intermoriente, cum majore claſſis parte in Angliam XI Kalend. Quintil. pervenit. Norriſius ſerius profectus, aliquanto tempore in colligendo milite et aquatione facienda conſumpto, magnis procellis agitatus, vix tandem V Non. Quintil. [o] Plimoutham appulit. Ex XIII CIↃ, quae navibus impoſita fuerant, vix VI CIↃ in patriam reverterunt, exceptis illis qui in Galliam conceſſerunt.

XV. POSTEA graves Germanorum exortae querelae, ob naveis ſuas ab Anglis interceptas; quibus apologetico libro reſponſum eſt. Eo regina juſtas ac neceſſarias belli, ad regnum ac propriam ſalutem tuendam contra Hiſpanos ſuſcepti, cauſas ediſſerit, fruſtraque omneis pacis rationes cum iis initas dicit; ac propterea praedixiſſe Hamburgenſibus, ne naveis frumento bellicove apparatu onuſtas in Hiſpaniam veherent; alioqui fore, ut, quamvis ſe neutros dicerent, apud ipſam excuſatio non eſſet valitura, et privilegia iis in Anglia conceſſa revocaret: quamobrem jure ſuo feciſſe, quod cum ſaepius de eo in conſeſſu maritimarum civitatum conqueſta ſit, nihil tamen variantibus ſententiis hactenus a delegatis ſit decretum. Pluribus conventibus ſuper ea re habitis, cum nihil decerneretur, pro decreto patientia Hanſeaticorum accepta eſt, qui hujuſmodi naveis in claſſiarios Anglos incedenteis ſiſti permiſerunt, hac tamen conditione, ut quicquid inde damni ab Anglis infertur, ad

certam

INTERPR. [a] *Caſcaes.* [b] *Irlande.* [c] *d'Evreux.* [d] *Sidney.* [e] *Sampſon.* [f] *Barton.* [g] *Peniche.* [h] *Bayone.* [i] *le capitaine Maxey.* [k] *le capitaine Minchon.* [l] *Vigo.* [m] *Wingfield.* [n] *Fenner.* [o] *Plimouth.*

certam rei memoriam in acta publica referretur. Ad ſuperioris libelli confutationem ſcriptum poſtea prodiit Antuerpiae admodum vehemens et virulentum, ut non tam pro libertate navigationis et in Germanorum cauſa defendenda, quam ad reginae nomen proſcindendum, in Hiſpanorum gratiam, ab homine Philippi partibus addicto editum videatur. Sic tamen rerum peritiores exiſtimabant, imprudenter a regina atque adeo ab Anglis factum eſſe, ut tam alieno tempore civitates Vandalicas, cum Poloniae, Daniae, ac Sueciae regibus ſocietate conjunctas, exigui lucri cauſa irritaverint: nam inde evenire poſſe, ut ad tantam injuriam ulciſcendam Hiſpanum annona navibus et apparatu bellico juvent, quibus ille inſtructus novam claſſem inſtruat, et rurſus Angliam feliciori fortaſſe exitu adoriatur. Ad hoc exemplum, ex ultima gentis origine repetitum, adducebatur, Danos olim et Saxones ob conſimilem injuriam gravi bello Britanniam vexaſſe, cujus is exitus fuerit, ut illi genti ſubjugatae tributum impoſuerint, cui Denario Danico ob id nomen, quod uſque ad Gulielmi nothi noſtratis tempora, qui populos eos in libertatem Gallicam aſſertos ſervili penſione ſolvit, ut ex Anglicanis annalibus conſtat, pependerint.

XVI. IN Germania apud Rodolfum Caeſarem Proteſtantium principum legati pro collegii [a] Argentinenſis ſodalibus hoc anno interceſſerunt, ne per cenſuras cum illis ageretur, ob fructus Catholicorum ab iis perceptos, ſed negotium per delegatos judices non ſuſpectos amice tranſigeretur. Poſtulatum et ut [b] Aquiſgranenſium diſſidia, quae inter Catholicos et Proteſtanteis ſuborta fuerant, et civitatis quietem non mediocriter labefactabant, itidem amice componerentur. Ad haec a Caeſare reſponſum, poſtulata eorum ſibi curae fore, et de iis in proximis comitiis aut per delegatos ſuos actum iri. Interea ad Philippum de Aquiſgranenſium cauſa ſcribit, et quid Proteſtantium Imperii ordines vellent ſignificat, monetque ut remedia, quae in ſua poteſtate eſſent, ſerpenti malo adhiberet. In eam civitatem, ut vicinam, et ob privilegia a Carolo noſtro olim conceſſa maxime liberam, Belgae et alii vicini populi ob religionis cauſam patria exulantes ſe contulerant, et fortunarum ſuarum domicilium in illa, tanquam in tutiſſimo portu, collocaverant; jamque in tantam multitudinem excreverant, ut numero ſuperiores Catholicis jus dare poſſe viderentur. Itaque et privata auctoritate ad preces et conciones jam conveniebant, magna Catholicorum offenſione, qui, citra Caeſaris et Philippi voluntatem et aſſenſum, quidquam in religione in civitate poſſe innovari negabant. Jamque Caeſar multa gravia adverſus eos edicta propoſuerat, de quibus in ſuperioribus diximus. Cum non parerent, et variis excuſationibus libertates et immunitates ſuas cauſati tempus extraherent, aliud incidit, quod majores illis animos ad perſeverandum in propoſito fecit. Exeunte quadriennio a capta Antuerpia, quod Proteſtantibus a Parmenſi conceſſum fuerat ad deliberandum, ad ſacra majorum redire et in urbe manere, an alio migrare vellent, quo caſu libera illis bonorum poſſeſſio et eorum alienandorum jus permittebatur, multi in diverſa loca conceſſerant; ſed plerique ob commoditatem Aquiſgrani larem figere decreverant, ab aliis Belgis, qui jam in civitate erant, invitati, quo libertatem in ea jam a ſe uſurpatam facilius ſervare et retinere poſſent. Quod cum provideret Parmenſis, veritus ne tot hoſteis Belgio exactos tam vicinos habere cogeretur, qui, ſalvis in Belgio bonis, exilium tolerantes, inde aliquando in Belgium vim facturi eſſent, Philippo auctor fuit, ut edictum contra Aquiſgranenſeis et Belgas ad eam urbem ſe recipienteis conderet; quo tanquam Aquiſgranenſium civitatis tutor, hos enim titulos Brabantiae et Limburgi duces jamdiu ſibi ſumpſiſſe aiebat, iis pervicaci audacia exprobrata, qui, ſpretis Caeſaris mandatis, et [c] Clivenſis ac [d] Colonienſis archiepiſcopi vicinorumque principum, a Caeſare, ut de ipſorum diſſidiis cognoſcerent,

INTERPR. [a] *de Strasbourg.* [b] *ceux d'Aix la Chapelle.* [c] *le duc de Cleves.* [d] *de Cologne.*

CIↃ IↃ LXXXIX. cognoſcerent, delegatorum, monitis, nulla inſuper ſuorum delegatorum ad ipſos
HENRICUS III. miſſorum ratione, contra pacta et conventiones de vetere religione ſarta tecta ſervanda, nec aliis novis admittendis, ſecum initas, Catholicam Apoſtolicam Romanam religionem abolere, perniciosam Calvinianam ſectam aliaſque novas introducere, ſenatum ex hominibus ſuae factioni addictis conſtituere, ſubditos ſuos e Belgio exulanteis recipere, et ita pacta cum deceſſoribus ſuis conventa violare, quamvis ſaepius amice moniti, pergerent: ea propter ſe privilegia omnia, libertates, immunitates, quae a Brabantiae et Limburgi ducibus acceperunt, ſuſpendere pronunciat; inſuperque declarat, mentem ſuam non fuiſſe, cum ſubditis ſuis e Belgio diſcedendi, et in locis liberis, atque, ut vocant, neutralibus, habitandi ac bonis ſuis fruendi poteſtatem fecit, ut ea in urbe commorari poſſent: itaque mandat, ut aut domum redeant, majorum in religione victuri, aut alio commigrent, intra XL dies a publicatione edicti [a] Antuerpiae et Trajecti facta; alioqui fore, ut bona eorum tanquam perduellium fiſco addicantur. Id actum [b] Bincii a Parmenſi, cum ab [c] aquis Tungrenſibus rediret IV Eidus Decembreis: unde varii exorti in ea civitate motus. Poſtulatum itidem ab Auſtriae ac Viennae praecipue ordinibus fuerat, ut Auguſtanae confeſſionis libera profeſſio, ſicuti ceteris Germaniae ordinibus, ſibi concederetur; quorum item petitiones Caeſar generali reſponſo eluſit, amplius de iis deliberandi ſpatio ſibi ſumpto.

XVII. MAGIS illum ſolicitum habebat de fratris Maximiliani libertate cogitatio, quem Poloni non aliter dimiſſuri videbantur, niſi juri, quod in Poloniae regnum ſibi arrogabat, expreſſe renunciaret: quod ille facere cum detrectaret, magnis difficultatibus negotium illud involvebatur. Delegati ab utraque parte [d] Beutenae convenerant in [e] Quadorum et Sarmatiae finibus; et pontifex Hippolytum Aldobrandinum cardinalem, Philippus Veſpaſianum Gonzagam Sabionetae ducem eo miſerant. Quorum interventu tandem in has conditiones conventum eſt, ut praeteritarum utrinque offenſionum oblivio ſanciretur, damnorum et injuriarum mutua compenſatione facta; Maximilianus ſine pretio liber menſe Quintili ex Polonia dimitteretur; titulo regis Poloniae deinceps abſtineret; [f] Libloam [g] Joannis Cepuſii arcem cum omni apparatu bellico, oppidis et pagis adjacentibus, reſtitueret; pacta antiqua et foedera inter Poloniae, Pannoniae, et Bohemiae regna, atque adeo domum Auſtriacam, inſtaurarentur; Maximilianus, poſtquam ditiones Caeſareas attigerit, tranſactionem hanc jurejurando et inſtrumento confecto firmaret. Hae conditiones ad regem et ſenatum perlatae in comitiis Warſavienſibus menſe Martio recitatae ſunt, et cum adprobatae eſſent, Lublini menſe Maio inſequenti a Sigiſmundo Poloniae rege, Junio deinceps [h] Pragae a Rodolfo Caeſare, ſacramento pariter firmatae ſunt. Secundum haec Polonus Maximilianum officioſe inviſit ac ſalutavit: viciſſim Maximilianus pro officioſa humanitate gratias egit, ſed majeſtatis titulis erga ipſum abſtinuit, cum Auſtriacis jus eſſe diceret, ut regum neminem, Caeſare excepto, his titulis decorarent. Itaque utrinque Serenitatis titulis contenti ſermones diu conſeruere. Poſtea dimiſſus Maximilianus, et Polonis delectis ad Quadorum fineis deducendus committitur; qui, Pannonios pacem ratam non habuiſſe cauſati, Maximilianum in cuſtodia aliquanto tempore retinuerunt. Sed ingruente a Tataris, quos Moſci incitabant, et Turcis a tergo bello, ne Polonis ſimul cum tot hoſtibus res habenda eſſet, cautione ab Auſtriacis accepta de Pannoniorum aſſenſu ſecuturo, Maximilianus dimittitur. Verum ubi ad Quadorum fineis pervenit, et de pactis firmandis, ſicuti convenerat, interpellatus, cauſas ſe juſtas et graveis habere, cur iis non ſubſcriberet,

INTERPR. [a] *Anvers & Maeſtricht.* [b] *Bins.* [c] *eaux de Spa.* [d] *Beuthen.* [e] *Sileſie & Pologne.* [f] *Libloa.* [g] *Jean de Scepuſe.* [h] *Prague.*

ſubſcriberet, cauſatus recuſavit, et nihilominus a Caeſarianis copiis, quae illum excepturae venerant, validioribus vi oſtentata, ſi Poloni eum cogere vellent, minus honeſte ſe ex Polonorum manibus extricavit. Nam quorſum attinebat, conditiones a Caeſare fratre religioſe juratas, et tot principum interventu firmatas, ratas non habere, ſi regios titulos, quibus per eas renunciare tenebatur, ipſe viribus impar tueri non poterat?

XVIII. In comitiis Warſavienſibus et alia capita propoſita: ut legitimae ac liberae regum electionis formula conſtituatur, proſpiciaturque ne ſciſſis partium ſtudiis in ſuffragiis ferendis inteſtini deinceps motus ſuboriantur: Livonia inter Polonos et Lithuanos non dividatur, ſed integrum regni membrum maneat, et per vices a Polonis et Lithuanis adminiſtretur; quod et tenuit. De Rigenſium et rebellione in comitiis relatum. Nec multo poſt delegati a rege tribunum et ſyndicum civium, ante triennium a rege Stephano proſcriptos, capitis ſupplicio affecerunt, duobus conſulibus priſtinae dignitati ac fortunis reſtitutis. Caſtellum item ad Duinae oſtium, de quo tamdiu altercatum fuerat, ſolo aequatum. Agitatum et de templo patribus Jeſuitis reſtituendo et Kalendarii Gregoriani receptione negotium: ſed, deprecante urbis ſenatu ac paſtorum presbyterio, pro quibus Paulus Oderbornus orationem habuit, res dilata et ad regni comitia rejecta eſt: in quibus et tunc actum de Coſacorum licentia refraenanda, et Tataris penſione ſoluta placandis; nam utroque fieri, ut regni fines ad incurſiones et vaſtationes, magno popularium ad foedam ſervitutem plerumque abductorum detrimento, exponantur, et Turci ex ea occaſione magna damna inferant: quod et tunc accidit. Nam cum Coſaci illi, qui alias Uſcochi et Marteloſſi et Niſovii vocantur, genus hominum ex praeda in confinibus Turcici imperii et Chriſtiani orbis viventium, ſub id in Tataricam ditionem improviſi irrupiſſent, et quaſdam naveis ad Ponti Euxini litus ſtationem habenteis diripuiſſent, et ut nuper [a] Benderiam, ſic [b] Coſloviam nundinis celebre emporium, in [c] Taurica Cherſoneſo, menſe Junio, mercatoribus ac tabernis ſpoliatis ac oppidanis magnam partem occiſis, incendiſſent; Tatari tantam injuriam ulturi, inſtigantibus Turcis, cum LXX CIↃ equitum tranſmiſſo [d] Boriſthene inter Leopolim, Polonicae Ruſſiae metropolim, et lacum Amadocam caſtra metantur, et excurſionibus circumjacentia loca late vaſtant: quod maturandae Maximiliani liberationis in cauſa fuiſſe creditur. Eo miſſus Joannes Sarius [e] Samoſcius regni cancellarius et exercituum imperator, qui [f] Leopolim et Camenicium Podoliae caput, Chriſtiani orbis ab ea parte propugnacula, diligenter munivit; non Tatarorum metu, qui levibus proeliis fere, nunquam ſtataria pugna certant, raro, niſi a Turcis juſſi, ad obſidiones urbium haerent; ſed quod intellexiſſet, purpuratum cum magno exercitu in Walachiam deſcendiſſe, ut, ſi Tatari impreſſionem acrem in Polonos felici ſucceſſu feciſſent, ex occaſione conſilium caperet. Ruſſi cum Coſacis conjuncti adventu Samoſcii confirmati magnis animis in Tataros ducunt, et vario eventu certant, Jacobo Struzio Camenicenſi praefecto ſemel cum damno repulſo. Poſtea ſemel atque iterum plus CIↃ IↃ ex ſuis amiſſis caeſi Tatari, ac majore rurſus damno ad [g] Bacatoviam arcem, in qua forte Samoſcii ſoror tunc erat, [h] Tyrae fluvio impoſitam, affecti ſunt; quam cum primo impetu capere ſperaſſent, deſideratis amplius e ſuis II CIↃ, turpi fuga dilapſi ſunt. Mox in Tyrae tranſitu eos adorti Coſaci acri conſerta pugna fuderunt, V CIↃ ex iis occiſis, et recepta omni praeda ac bis mille captivis. Ad extremum laborantibus ſuis ipſe Tatarorum ſummus princeps cum numeroſiore exercitu ſupervenit;

INTERPR. [a] *Bender.* [b] *Coſlow.* [c] *Tartarie Precopenſe.* [d] *le Nieper.* [e] *Zamoyski.* [f] *Luwow* Germ. *Lemberg,* & *Kaminieck.* [g] *Bakatow.* [h] *le Nieſter.*

CIϽ IϽ LXXXIX. HENRICUS III. ſupervenit; et Polonos, Ruſſos, et Coſacos ſucceſſibus ſuperbienteis cum in inſidias pertraxiſſet, ſuo cum damno ſenſit, quam periculoſum ſit cum iis rem habere, qui nullam niſi in deſperatione ſpem ſalutis reponunt: ſiquidem illi undique circumventi, cum ſe mutuo ad pugnam fortiter capeſſendam et mortem honeſtam potius quam duriſſimam ſervitutem ſub irreconciliabili hoſte ſubeundam cohortati eſſent, tanto impetu in Tataros ruunt, ut, acie in qua Chanus ſtabat perrupta, et equa qua vehebatur interfecta, ipſoque graviter vulnerato, filio etiam ejus in pugna occiſo, ceteros in fugam verterint. Deſiderata amplius V CIϽ. Ex ſtrage ſuperſtites circiter IϽ CCC cum ad proximam ſylvam receptum habuiſſent, vix tridui oppugnatione cum omni rerum inopia premente exiiſſent, caeſi ac deleti ſunt. Inde Coſaci jam metu utrinque ſoluti, nam quid iis poſt tantam victoriam vel per Polonos non liceret? in Tataricam ditionem ſe effundunt, et agrum populabundi late ferro flammaque vaſtant. Quibus confectis Samoſcius ad purpuratum, qui in Tyrae proximi ripa caſtra occaſionem opperiens habebat, ſcribit; et, de vetere foedere violato queſtus, hoſtis an amicus veniſſet rogat. Is vero, Tatarorum caſu territus, imperatorem ſuum non alienum a pace cum Poloniae rege tuenda oſtendit, ſi modo Coſaci, a quibus tot injurias ſubditi ejus paſſi eſſent, ſuppliciis affecti omnino delerentur, et arces quaedam in finibus poſitae diruerentur. Ea de cauſa miſſus Paulus [a] Uchanſcius Belſenſis Palatinus; qui cum ante mandata expoſita Conſtantinopoli obiiſſet, Nicolaus [b] Zizovius collega adjunctus ad Portam cum purpuratis egit, et duriſſimas conditiones a Turcis ad ſenatum retulit. Tataris praeter injurias a Coſacis illatas in Podoliam deſcendendi creditum eſt incitamento fuiſſe Moſcum, Succi viribus Polonorum adjuti arma veritum. Siquidem hoc anno Joannes Sueciae rex, [c] Upſaliam Februario menſe indictis ordinum comitiis, auxilia et pecuniam ad bellum adverſus Moſcos gerendum impetraverat, et inde cum Gunilla uxore, filio Joanne infante, exercitu, in Livoniam longo navium ordine tendens [d] Revaliam ineunte Sextili appulit. Navibus egreſſus cum gynaeceo et comitatu aulico pedes per pontem praelongum ſine tubis et tympanis in arcem perrexit. Ad eum exeunte eodem menſe Sigiſmundus filius venit, ut in commune de bello adverſus Moſcos gerendo conſultaret. Dein ubi per literas Samoſcii Tatarorum et Turcorum in Podoliam irruptionem cognovit, miſſi in Ruſſiam de pace legati [e] Axyllus comes, Nic. [f] Bielcus et Chriſtianus Gabrielius; qui, ad ripas [g] Bluſi amnis ex [h] Pelbaſſo lacu emergentis ſeſquimilliare a Narva profecti, Moſcicos legatos [i] Joannem Fedrovitium, Demetrium Joannis filium, Beremiſium, Fentelinum Druſeminum conveniunt: et cum illi [k] Narvam Ruſſicam, Jamogrodium, Coporiam, Kexholmiam, ac ceteras ante novennium a Suecis occupatas arces repeterent, et, ut belli cauſae praeciderentur, grande pretium pro iis offerrent, Sueci contra per mandata ſua ne oppidulum quidem unum reſtituere ſibi licere reſponderent, nihil inter eos actum; tantum induciae pactae Eid. Octobrib. quae Nonis Januarii proximis exirent. Igitur Moſcus de bello a conjunctis regibus ſibi metuens, ut eorum vireis divideret, foedus cum Tataris iniverat, L CIϽ Hungaricorum donativum pactus, ut in Ruſſiam Polonicam infeſtis agminibus impreſſionem facerent, ne Poloni in ſuo occupati Suecum juvare ex Livonia Moſcos oppugnantem poſſent.

XIX. TURCI et ad eaſdem contra Polonos incurſiones ſtimulabant Tataros, iiſdem injuriis irritati, Sigiſmundum cum Auſtriacis, quos tanquam irreconciliabileis hoſteis capitali odio proſequuntur, conveniſſe indignati. Ipſi, quo minus per ſe ipſi gererent,

INTERPR. [a] *Uchanski Palatin de Belz.* [b] *Zizow.* [c] *Upſal.* [d] *Revel.* [e] *Axille.* [f] *Bielke & Gabrielis.* [g] *Pluſa r.* [h] *lac de Peibas.* [i] *J. Fedrowitz, Demetrius Juanowitz, Beremiz, & Fentelin Druſemin.* [k] *Iwanogrod, Jammogrod, Coporia, & Kexholm.*

gererent, multis incommoditatibus tam domi quam foris retardabantur: nam paulo ante Ferhates purpuratus, poſt Oſmanis mortem bello Perſico ſummus dux creatus, dum commeatum in munitiones per Armeniam ſtructas importat, a Perſis, quibus ſe Tatari Circaſſi a Turco alienati et nuper cum Perſis foederati adjunxerant, gravi jactura affectus fuerat, et amiſſis IV CIↃ Erzirumum propere ſe receperat, miſſis ad Portam veredariis, quibus auxilia ſummitti petebat. In Syria et novi motus exorti a novae ſectae inter Mahumetanos devotis hominibus non mediocriter Turcos turbabant; quod malum jam totam Judaeam et Aegyptum pervagabatur: contra quos Aſſan [a] praetorianorum praefectus cum claſſe dux deſtinatus eſt.

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS III.

XX. SED major rerum moles in urbem imperii caput, atque adeo in ipſum Amurathem, incubuit, obſtinatis ad repentinam ſeditionem praetorianis, qui nunquam placari potuerant, niſi eo quem poſcebant ad poenam dedito. Is fuit [b] Ebraimes Graeciae praetor, homo vafer, qui a puero in interiore aula educatus, aſſiduitate, obſequio, et gratioſis officiis ita ſe in arctam principis familiaritatem inſinuaverat, ut Sinanis, qui commendatione Sultanarum paulo ante priſtinae ſummi purpurati dignitati reſtitutus fuerat, potentiam gratia apud dominum ſuum aequaret; et prae illo [c] Siauſes, qui ſororem, et Ebraimes nuper ab Aegypto revocatus, qui filiam Amurathis in matrimonio habebat, a praecipuo gratiae loco ſummoti viderentur: nam et omnibus horis ad eum adire, colloqui, cum ipſo, cum ad venationem accipitrariam exiret, equitare, palam ſermones ſerere, et, dum alii ad locum deſtinatum exſpectarent, ad latus ſemper haerere, et falconem pugno geſtandum porrigere. Inde livor et ex eo natum odium. Sed nihil aeque illi nocuit, quam, quae illum apud Amurathem maxime commendabant, exquiſitae alieni per fas nefaſque corradendi et rapiendi artes; quibus congeſta immenſa pecunia et large donabat, et inſatiabilis avaritiae principem paſcebat. Inter eas inſigne commentum fuit monetae adulteratae et decurtatae, qua ſtipendia militum et aliorum miniſtrorum ſalaria et honoraria defraudabantur. Inde capta occaſione aemuli praetorianos per principis inertiam jam ſolutius agenteis incitant, qui ad V CIↃ facto agmine palatium regium circumſtant IV Nonas Aprileis, Ebraimem ad poenam depoſcentes, et petentes ut rei monetariae vitium emendaretur. Ad ſubitum ſtrepitum Sultanus excitatus, cum augeſcere motum videret, ultro ad eos prodit, et verbis temperatis bene de ſua gratia ſperare et a violentia temperare jubet, V CIↃ aſprorum ſingulis pollicitus, et additis ad ſtipendium dietim procedens III aſpris. Cum non quieſcerent et extrema quaeque minarentur, habito cum fidis conſilio, quamvis invitus faceret ut hominem chariſſimum a ſuo veluti complexu avulſum ad indignam mortem abduci pateretur, inſuper ad famam pertinere exiſtimaret, ne in ſummo abſolutae dominationis faſtigio conſtitutus de eo a ſuis dejectus videretur; tamen majus periculum veritus, quod, ni morem tumultuantibus gereret, inſtabat, rumores ſuae et imperii ſaluti ad praeſens poſthabuit, ultione tantae injuriae in commodius tempus dilata; et poſt IV horarum altercationem edicto tandem propoſito miſerum Ebraimem, qui gratiae domini ſui primo confidens praetorianorum minas ridebat, dein, ubi de capite ſuo ſententiam ferri vidit, anxius inter ſpem metumque fluctuabat, morti probroſae addixit; ſtatimque pro Divano ſub veſperam productus, ipſo Amurathe, qui ultionem olim meditabatur, poſt velum ad ſpectaculum ſedente, et ex vultu cujuſque aſtantium gaudium et triſtitiam notante, ac coram omni populo ſecuri percuſſus eſt: illuſtri in eos exemplo, qui unius principis gratiam, quam plerumque foedis et iniquiſſimis officiis demerentur, contra univerſorum odium aeſtimant; cum potius imitari illos debeant, qui ad ſupremos honores evecti ſic in magiſtratu ſe gerunt, ut

ſemper

INTERPR. [a] *Aga des Janiſſaires.* [b] *Ebraim Beglerbey de la Romelie.* [c] *Siauſes.*

CIↃ IↃ LXXXIX. ſemper illum deponere parati ſint, nec ad privatam fortunam, ſi ſors ita tulerit, redire exhorreſcant: nam alioqui ferme evenire, ut aut refrigeſcente gratia ad liberam tot hominum, quos offenderunt, ultionem exponantur, aut etiam invito principe, ut tunc accidit, ex publica indignatione motu ſuborto ad ſupplicium rapiantur: ſic enim exiſtimare illos oportet, quod Turcico imperio, cujus adeo ſevera et ſupra omneis omnium principum dominationes aſtricta diſciplina eſt, accidit, id cuivis poſſe accidere; nec tutius praeſidium adverſus externas injurias in magiſtratu et poſt abdicatum magiſtratum parari poſſe, quam ſi ad bonam conſcientiam publica benevolentia accedat. Sopitum utcunque praetorianorum motum miſerabilis caſus VI poſt die ſecutus eſt, ab his inter eos, ut creditur, excitatus, qui Amurathem ultorem metuentes novis turbis materiam quaerebant, ut per eas prioris motus memoriam inducerent. Igne ſive injecto in Judaei domum, ſive fortuito enato, late incendium in vicinas Judaeorum domos ſpargi coepit. Eorum opes teloneis et portoriis redemptis in immenſum creverant, quibus jampridem praetoriani genus hominum praedae avidum inhiabant. Igitur ad eum caſum quaſi claſſico vocati accurrunt, ex incendii occaſione aut Judaeorum domos expilaturi, aut eo reſtincto donativum accepturi. Reſtincto eorum diligentia cum illud poſcerent, praefracte a praefecto ipſorum negatum eſt, recentem ſeditionem illis amare exprobrante, et eorundem protervia factum dicente ut ignis accenderetur. Qua increpatione illi exacerbati priſtinos animos reſumunt, et ignem extinctum jam aperte accendunt; qui ventilante aura glomeratus, cum nemo propter praetorianorum inſolentiam auxilio accurreret, III CIↃ domorum brevi tempore depaſtus eſt. Inde ad praedam verſi Hebraeorum domos diripiunt, et nullo non avaritiae et libidinis genere in obvios quoſque ſaeviunt; vixque tandem Boſniae purpurati, qui poſt Ebraimis mortem Graeciae praetor creatus erat, hominis gratioſi a Sinane miſſi interventu licentia compreſſa eſt, incendio non ope humana, ſed ponente vento et dirutis vicinis domibus, cum non haberet unde aleretur, reſtincto. Quinquies centies centenis aureorum CIↃ jactura ea aeſtimata fuit. Sed exemplum jactura pejus metuebant inter eos prudentiores, quippe qui viderent hoc caſu palam factum eſſe, quantum potentia praetorianorum, in quibus robur imperii hactenus poſitum eſt, ut ad ejus ſalutem, ſic corruptis animis ad perniciem momentum habeat. Ad has cladeis acceſſit et Maurorum [a] Tripolitanorum in Africa defectio, qui Turcorum dominationem peroſi, ut eſt ea gens novitatum cupida, eos urbe ejecerunt Junio inſequenti, multis etiam interfectis: qui evaſerunt ad vicinam munitionem ſe receperunt, protinuſque Conſtantinopolim miſerunt, qui quid actum eſſet docerent, et auxilia adverſus rebellanteis Mauros quamprimum, antequam malum latius ſerperet, ſummitti peterent. Viciſſim Mauri [b] Melitam ad Hieroſolymitani ordinis principem ſcribunt, et ſuppetias adverſus Turcos poſtulant, fidem et obſequium polliciti, ſi contra communem hoſtem defenderentur. Itaque miſſus fuit [c] Beccaria eques, ut coram de ſtatu rerum cognoſceret, et ſi quid ad res Turcorum turbandas ex hac occaſione lucrari poſſent, pertentatis Afrorum voluntatibus ac opibus, diligenter inſpiceret. Interim Aſſan [d] praetorianorum praefectus, majore ſeditioſorum parte claſſi impoſita, Syria omiſſa in Africam deſcendit; multumque vi et aſtu laboravit, antequam gentem turbidam ad ſolitam obedientiam poſſet inflectere.

HENRICUS III.

XXI. AD propiora ut redeamus, nuptiae ſuperiori anno cum Jacobo VI Scotorum rege pactae, [e] Croneburgi XIII Kalend. Septembr. celebratae ſunt, et Anna Friderici II Daniae regis filia ac Chriſtiani IV ſoror ei abſenti, uſurpato inter principes more,

INTERPR. [a] *de Tripoli en Barbarie.* [b] *Malte.* [c] *le chevalier Beccaria.* [d] *Aga des Janiſſaires.* [e] *Kronenburg.*

more, deſponſata. Georgius [a] Kethus, magnus regni Scotici tribunus et Marriae praeſes, Jacobi nomine cum ſponſa, paſtore verba praeeunte, contraxit, eamque ſolemni ceremonia in lectum communem accepit. Quo facto illa cum XIV navium Danicarum egregie inſtructarum claſſe in Scotiam ſolvit: ſed adverſis ventis jactata, cum ad [b] Aſloenſem Norvegiae ſinum deſcediſſet, Jacobus juvenis, tam longae morae impatiens, ex Scotia protinus conſcenſa claſſe Aſloiam contendit, et cum nova ſponſa nuptias jam contractas conſummavit Eidibus Novembribus. Inde cum ſolito maturius hyeme ingruente in Scotiam reverti non poſſet, terreſtri itinere Croneburgum ad ſocerum perrexit; ubi et reliquam hyemem exegit. Initio anni in Dania cum [c] Holſatiae nobilitas conveniſſet, ut jusjurandum ſolemni ritu regi et ejus gentilibus Holſatiae ducibus praeſtaret, aliquandiu altercatum fuit, quod nobilitas ante omnia privilegia et immunitates ſuas amplius declarari, jus venandi in coenobiorum ſylvis integrum relinqui, et epiſcopi [d] Slevicenſis liberam electionem praeſulibus et provincialibus deinceps permitti, peteret. Verum regni tutores tenuerunt, ut, donec rex adoleviſſet, haec capita ſalvo partium jure indeciſa ſeponerentur; neque propterea jurisjurandi praeſtatio diutius differretur. Poſtea, regni comitiis [e] Hafniae celebratis, Slevicenſis principatus et [f] Fimbriae inſulae ditio, beneficii titulo, a Chriſtiano rege et Danico ſenatu Holſatiae ducibus ſolemni ceremonia collata eſt. Per legatos res acta Nonis Junii: officio defuncti ſunt Henricus Rantzovius regis in Holſatia vicarius pro rege; pro Philippo ac fratribus Holſatiae ducibus ac Joanne ſeniore regis patruo Detelevius Rantzovius, Gaſpar [g] Hoierus Friſiae Eidorenſis praefectus, et [h] Sunderburgenſis praefectus, ac Petrus [i] Gundelfingerus.

XXII. Hoc anno VI Nonas Maii fatis conceſſit in Saxonia proxima Julius Brunſvicus, cum XXI annos ditionem a patre homine impacato acceptam in ſumma tranquillitate rexiſſet, et ex Martis officina eam in Muſarum domicilium transformaſſet, fundata [k] Helmaeſtadii academia, quam honorificentiſſimis ornatam privilegiis vectigalibus ampliſſimis locupletavit, ſicuti ſuo loco diximus. Ut ad viros doctrina inſigneis veniamus, abſtulit hic annus tot cladibus funeſtus Franciſcum [l] Roaldeſium [m] Marſilliaci in Rutenis humili municipio natum, virum in quo pietas et morum candor cum rara doctrina certabant. Is juri utrique [n] Divonae Cadurcorum primum cum Antonio [o] Goveano, dein [p] Valentiae Cavarum, ubi ei, nec non Jacobo Cujacio, qui illum omnis antiquitatis reconditae locupletem penum appellare ſolitus erat, operam navavit; ac poſtremo Toloſae, quo a Jo. Stephano Durantio evocatus fuerat, ad multam aetatem laude cum ſumma profeſſus, alienam potius induſtriam juvare quam proprio nomine inclareſcere voluit, nullis fere editis ſcriptis, cum quotidie ſuper graviſſimis juris quaeſtionibus et rei antiquariae arcanis, coram et per literas, a doctiſſimis viris conſuleretur. Tandem, moerore ex indigna ampliſſimi et amiciſſimi viri nece concepto, ibidem paulo poſt ſeptuagenario major Octobri menſe obiit, hoc unum in morte alioqui minime moleſta ſibi dolere dictitans, quod urbem, quam puer tanquam humanioribus literis inimicam vitaverat, ſenex inhumana tanti ſenatoris caede ſceleratam aſpicere et in ea ſpiritum emittere cogeretur. [α] Ex noſtris poſt eum commemorandus venit Chriſtophorus [q] Plantinus Turonenſis, qui, ſecundum

VAR. LECT. [α] Ex noſtris poſt eum commemorandus venit Chriſtophorus Plantinus, cujus quo humiliora initia, eo majore commendatione digna memoria eſt; cum is unus induſtria et aſſiduo labore effecerit quod multi opibus ac commoditatibus magnis freti vix praeſtare potuerint. Is apud nos

INTERPR. [a] *Keith grand mareſchal d'Eſcoſſe, & ſheriff du comté d'Aberdeen ou Marr.* [b] *golfe d'Anſlo.* [c] *Holſtein.* [d] *de Sleſwick.* [e] *Copenhague.* [f] *l'Iſle de Femeren.* [g] *Hoier gouverneur de Friſe delà la riviere d'Eydor* vulgo *Strant Freſen.* [h] *de Sunderborck.* [i] *Gundelfinger.* [k] *Helmſtadt.* [l] *Roaldez.* [m] *Marſillac en Rouergue.* [n] *Cahors.* [o] *Govea.* [p] *Valence en Dauphiné.* [q] *Plantin de Tours.*

ſecundum Manutios, Stephanos, Frobenios, et Oporinum, maxime rem literariam juvit libris innumeris, et inter alia Bibliis, ad Complutenſe exemplar, ſed longe majore operarum elegantia, auſpiciis Philippi Hiſpaniarum regis editis: quae editio illi quam glorioſa tam detrimentoſa fuit, praepoſtera miniſtrorum Philippi diligentia, qui pecuniam in id a rege collatam dum aſperius exigunt, Plantinum aliunde pecunia ab amicis mutuo ſumpta jam gravatum paene merſerunt. Vixit annos LXXV; obiit Antuerpiae Kalendis Quintilibus, in majore urbis aede honorifice ſepultus. In Germania III Eid. Mart. obiit Joannes [a] Sturmius, [b] Sleida, quae eadem Sleidani hiſtorici patria fuit, in Ubiis natus, eloquentiae profeſſor eximius, quam doctiſſimis ſcriptis illuſtravit, diu [c] Argentinae, magna cum prudentiae et eruditionis laude, ſcholam moderatus; in qua ſibi vivo, ſed ob ingraveſcentem aetatem impari, nam octogeſimum annum exceſſerat, Melchiorem Junium gratiſſimum diſcipulum a ſenatu ſubrogari petierat et obtinuerat. Hunc praeceſſit Henricus Mollerus, vir in Hebraicis doctiſſimus, et magni inter ſuos nominis theologus; qui cum diu [d] Witembergae docuiſſet, dein Hamburgi larem fixiſſet, paulo ſexagenario minor ex hac vita migravit VI Kalend. Decembreis. Poſt hos recenſebitur Martinus [e] Cromerus Warmiae in Boruſſia epiſcopus, inſignis rerum Polonicarum ſcriptor; qui cum patriam et conſilio et monumentis editis plurimis juviſſet et illuſtraſſet, jam ſenex III Eid. Mart. animam Deo reddidit; cui in epiſcopatu illo ſuffectus eſt Andreas Bathorius cardinalis, Stephani ultimi regis ex Andrea fratre nepos, et per delegatos regios in poſſeſſionem menſe Maio proximo miſſus, fruſtra frementibus Boruſſis, qui ex ſua gente hominem, non exterum, ad eam dignitatem provehendum fuiſſe per jura ac privilegia ſua diſputabant. Ex ea natione, quippe [f] Regio-monte Boruſſiae oppido natus, Patavii obiit valde ſenex Melchior [g] Guillandinus, egregie literis a puero imbutus. Praecipue in hiſtoria naturali ingenium exercuit, et in rei herbariae ac foſſilium cognitione excelluit, ob id pleriſque peregrinationibus in Graeciam et Aſiam ſuſceptis; in Africa aliquandiu etiam captivus, ubi calamitatem ſuam in commodum vertit,

nos in Turonibus loco obſcuro et in tenui re natus, cum exiguum literarum ſenſim haberet, Lutetiam venit, et compingendis primo libris operam dedit. Mox ingenio ſuo ſive genio fretus digniora agitare coepit; et praeſentis conditionis pertaeſus, flagrantibus in Gallia bellorum incendiis, Antuerpiam conceſſit, tunc celeberrimum univerſi orbis emporium: ubi quorundam liberalitate adjutus ad typographicam animum adjecit, ejuſque periculum aliquot libellis rara characterum elegantia editis fecit. Inde cum tempore animus crevit et induſtria, ſerioque literas ipſe tractare coepit, doctorum Belgarum ſive familiaritate ſive felicitate ingenii Latine ſcribendi peritia ſibi comparata; ac ſecundum Manutios, Stephanos, Frobenios et Oporinum maxime rem literariam juvit, libris innumeris et inter alia Bibliis ad Complutenſe exemplar, ſed longe majore operarum elegantia, auſpiciis Philippi Hiſpaniarum regis editis: quae editio illi quam glorioſa tam detrimentoſa fuit, praepoſtera miniſtrorum Philippi diligentia, qui pecuniam in id a rege collatam dum nimis moroſe exigunt, Plantinum aliunde pecunia ab amicis mutuo ſumpta jam gravatum paene merſerunt. Tamen innata ſive animi magnitudine ſive moderatione injurioſam illam jacturam vir optimus conſtantiſſime tulit, et ſe publicae gratulationis conſcientia his in miſeriis generoſe ſolatus eſt. Verum cum paulatim creditoribus ſuis ſatisfaciens ex ea calamitate emergere inciperet, Antuerpiana direptione ſub id ſecuta, omnino bonis everſus eſt; ita ut, licet accedente ad inopiam ſenio, nunquam tamen ad extremum uſque ſpiritum laudabile penſum intermiſerit; quanquam quae ex ejus officina poſtea prodierunt minore cura et elegantia elaborata ſint. Alioqui ſic tota vita ſe geſſit Plantinus, ut cum operarum atque adeo rei domeſticae diligens diſpenſator eſſet, tamen majorem gloriae et utilitatis ex eo ad rempublicam redundaturae rationem habuiſſe videatur. Huic arcta cum Jo. Goropio Becano profeſſione medico, ante XVII annos vivis exempto, amicitia interceſſit; qui homo egregie doctus mire ingenio ſuo abuſus eſt, dum in patriae ſuae antiquitate illuſtranda impudenter nugatur, et interim varias ac certiſſimas ſacrae atque adeo omnis antiquitatis origines evertit; ob id a viris doctiſſimis Joſepho Scaligero et Iſaaco Caſaubono non immerito exagitatus. Hujus tamen ſcripta Plantinus, ſive id amicitiae hominis dilectiſſimi datum, ſive quod ita ſentiret, ſumma cura, et dum viveret Goropius et poſt ejus mortem, publicavit. Verum ut in aliis affectibus, ſic et in nimio amore quaedam caecitas eſt, quae facit ut vitia in amicis aut conniventibus oculis praetereamus, aut tanquam naevos in pulchro corpore aſpiciamus. Vixit annos LXXV Plantinus; obiit Antuerpiae Kal. Quintilibus, in majore urbis aede honorifice ſepultus. *MS. Reg.*

INTERPR. [a] *Sturm.* [b] *Sleiden au pays de Cologne.* [c] *Strasbourg.* [d] *Wittenberg en Saxe.* [e] *Cromer évêque de Warmie en Pruſſe.* [f] *Konigsberg en Pruſſe.* [g] *Guillandino.*

vertit, multarum rerum pleniori percepta cognitione, quam ſi fuiſſet in libertate: ac poſtremo Patavium tanquam amoeniſſimum ſtudiorum domicilium ſe contulit, ubi horti publici curam a ſenatu commiſſam magna eruditionis opinione adminiſtravit, variis cum Jo. Petro [a] Matthiolo Senenſi, cujus opus de plantis toties ac tot linguis recuſum eſt, concertationibus digladiatus. Pauca tamen, cum multa exſpectarentur, ejus extant ſcripta, et inter ea commentarius de papyro ad C. Plinium editus; in quo tamen virum tantae exiſtimationis multoties hallucinatum eſſe, eruditiſſimus Joſephus Scaliger contrario ſcripto demonſtravit. Nec merita laude fraudandus in eadem urbe, ex qua ipſe ortus erat, denatus Jacobus Zabarella comes, hos enim titulos a Maximiliano Caeſare majoribus ſuis conceſſos retinebat, diu philoſophiam magna cum laude in illa toto orbe Chriſtiano celeberrima academia profeſſus, ac primum in Bernardini [b] Tomitani locum ſuffectus, poſtea Archangelo [c] Mercenario Picenti collega adjunctus; quo ante XVI annos vivis exempto, in eodem munere ad extremum perſeveravit; atque hoc anno, poſt edita complura in Ariſtotelem ſcripta, debitum naturae perſolvit VIII Kalendas Novembreis, ab Antonio [d] Ricobono Rodiginio copioſa oratione laudatus. Majore praeconio dicendus Andreas [e] Dudithius ab Horekovizza, aliquando etiam [f] Sbardellatus a materno genere, mater illi quippe nobilis eo nomine Veneta, cognominatus; vir natalium claritate, ingenio omni ſcientiarum genere exculto, judicio, rara Latine ſcribendi dicendique facultate, in negotiis explicandis prudentia ac ſolertia praeſtans; adhaec totius corporis forma, geſtu, et oris renidentis gravitate conſpicuus; comitate, vitae innocentia omnium, qui unquam eum viderunt, gratiam promeritus. Natus eſt anno hujus ſaeculi CIↃ IↃ XXXIII Non. Febr. Budae in Hungaria, aut Budae proximo caſtello. Primum literarum tirocinium Patavii fecit; et in Italia P. Manutium, Fr. Robortellum, C. Sigonium, O. Panvinium, P. Victorium partim audivit, partim amicos et familiareis habuit. Tantus vero Tullianae eloquentiae ſive admirator ſive ſectator fuit, ut totum Ciceronem ter propria manu deſcripſerit. Patavii tunc Stephanus Bathorius, poſtea in Poloniae regem electus, erat, cum quo ſubortae jam tum occultae ſive aemulationes ſive ſimultates, quae cum aetate creverunt. Inde in Angliam Reginaldum Polum cardinalem abeuntem cum Aloiſio Priulo ſecutus eſt, cujus et vitam a Ludovico Beccatello Italice ſcriptam eleganter Latine vertit. Demum ex Anglia Lutetiam venit, et illic ſub optimo doctore Angelo Caninio [g] Anglarenſi, non ſolum Graecae linguae et Hebraicae ſed etiam Orientalium peritiſſimo, denuo intermiſſis per illas peregrinationes ſtudiis operam dedit. In Pannoniam ſuam reverſus, atque in aulam Caeſaream, quanquam admodum juvenis, ob admirabilem eruditionem et morum ſuavitatem [h] Tinnienſis epiſcopus creatus, ac poſtea [i] Quinqueccleſienſis deſignatus fuit; magnaſque legationes ſub Ferdinando jam tunc, et poſtea ſub Maximiliano atque etiam Rodolfo, ſumma felicitatis et prudentiae laude obivit. Inter haec Tridentino concilio interfuit, et Hungariae ſacri ordinis nomine varias orationes ad patres habuit; quarum duae, altera de communione ſub utraque ſpecie, altera de ſacerdotum conjugio, tunc per Germaniam publicatae ſunt. Poſtea, Sigiſmundo Auguſto Poloniae rege mortuo, in electione novi regis ſedulam operam Maximiliano Caeſari navavit; nullumque in ea petitione acriorem adverſarium Jo. Monlucius Valentiae epiſcopus, ut ex ipſo ſaepius audivi, quam Dudithium expertus eſt. Tantas tamque laudabileis animi dotes in religione levitas obſcuravit; nam, ſacris majorum relictis, Proteſtantium doctrinam amplexus

eſt;

INTERPR. [a] *Matthioli Seneſe.* [b] *Tomitano de Padoua.* [c] *Mercenario della Marca d'Ancona.* [d] *Riccobuono da Rovigo.* [e] *Dudith de Horekovizza.* [f] *Sbardelato.* [g] *de Anghiari nel Milaneſe.* [h] *de Tina.* [i] *de Petſcheu*, al. *Cinq Egliſes.*

CIϽ IϽ LXXXIX. HENRICUS III.

eſt; atque ut illi inter ſe per Germaniam ac praecipue per Sarmatiam ſtudiis et opinionibus diviſi erant, ita nunc ad has, nunc ad illas partes propendens diu fluctuavit, neutris propterea acceptus, cum et a Catholicis, quod primam fidem irritam feciſſet, ubique exagitaretur, et inter Proteſtanteis quaſi emanſor haberetur. In eo autem fluctuationis ſalo haerens hoc temperamentum ſervabat, ut nemini, qui viam veritatis ac ſalutis pectore non ficto aut ambitioſe rimaretur, gravius ſuccenſendum putaret, neque eos qui in religionis quaeſtionibus hodie tantopere exagitatis erroneam opinionem tuerentur, modo turbulenta abeſſet pertinacia, poenis atrocioribus dignos cenſeret: qua de re contrariae extant luculentae Theodori Bezae et ipſius epiſtolae. Ejerata epiſcopa, in uxorem virginem e reginae gynaeceo e [a] Straſſia familia primum duxit, de qua res non indigna relatu memoratur. Cum adhuc epiſcopus eſſet Dudithius, in Poloniam a Maximiliano legatus, et ad Infantem pontificio ornatu in gynaeceum, in quo pleraeque nobiles virgines erant, admiſſus, uni ex illis non prius ſibi viſae ruborem expreſſit, tanta circumſtantium admiratione, ut, digreſſo legato, Infans ſtatim ab ea quaeſierit, quid cauſae eſſet cur in legati ingreſſu tam apertum commoti animi indicium dediſſet. Illa vero, cum initio alia atque alia cauſata ſe excuſaſſet, ad extremum inſtante Infante reſpondit, heſterna nocte in ſomnis viſum hominem a patre matreque virum ſibi deſtinatum, tota corporis et oris ſpecie, excepto ſacerdotali amictu, tam legato ſimilem, ut memor ſomnii tam manifeſte erubuerit. Quod pro tempore ab Infante et ipſa virgine neglectum, vanitatem ſomniorum ridentibus; eoque magis, quod inter dignitate epiſcopali virum et virginem illam nuptias coire poſſe tunc vero ſimile non fiebat. Res nihilominus biennio poſt exitum habuit, cum pater in Caeſaris aulam, Poloniae regis juſſu, profectus, cum Dudithio tunc adhuc rei ignaro, qui jam de nuptiis cogitabat, de filia ei in matrimonium danda convenit. Qua mortua alteram ex illuſtri in Polonia familia, atque adeo famoſorum [b] Sboroviorum ſororem, Joannis [c] Tarnovii comitis viduam duxit, matronam lectiſſimam, ex qua prolem ſuſcepit. Ob id Romam cum citatus non comparuiſſet, ac propterea proſcriptus eſſet, non tamen Maximilianus, quamvis a pontifice monitus, ob id ejus colloquio abſtinuit, aut opera uti deſtitit: ſed cum Bathorium et Suecum a Sboroviis ipſis ſororiis praelatos Auſtriacis, quibus inſerviebat, moereret, divenditis quae in [d] Pannonia et Polonia habebat bonis, in [e] Quados cum bona Rodolfi Caeſaris gratia conceſſit; contractoque [f] Wratiſlaviae domicilio grandem pecuniam Caeſari, quam felici conſilio incertum, mutuo dedit, modica ex ea uſura laute ſplendideque victitans; in eoque otio ad priſtina ſtudia revolutus, praecipue in mathematicis ingenium exercuit, et arctam cum Joanne [g] Praetorio Joachimico harum ſcientiarum clariſſimo in [h] Altorfiana [i] Norembergenſis reipublicae academia profeſſore, quem inter domeſticos aliquando ſtudiorum comitem haberet, amicitiam renovavit, ac per literas tota reliqua vita coluit. Placida, et qualem praedixerat ſaepe ac ſibi optarat, morte obiit VIII Kalendas Martias, amicis liberiſque circumſtantibus, cum non totis duabus horis decubuiſſet, medicis, ut fit, de genere morbi diſſidentibus, cum alii pulmonis abſceſſum, alii apoplexiam eſſe differerent; integroſque animi ſenſus ad extremum vitae ſpiritum retinuit, Chriſtum ſalutis noſtrae propitiatorem perpetuo invocans. Biduo ante, quod multis admiratione dignum videbitur, ad Praetorium, quem compatrem familiari compellatione nominabat, literas dederat, quarum in ima clauſula poſt pleraſque non vulgares de rebus mathematicis quaeſtiones, quas ei ſolvendas proponebat, propria manu haec verba adſcripſerat; *Eclipſis lunae* XV *hujus menſis incidit in Aquarium,*

qui

INTERPR. [a] *Straſſen.* [b] *Zborowski.* [c] *de Tarnow.* [d] *Hongrie.* [e] *Sileſie.* [f] *Breſlau.* [g] *Praetorius de Joachimſtal.* [h] *d'Alterff.* [i] *de Nuremberg.*

qui meus horoſcopus eſt; ſi vera eſt aſtrologia, mortem mihi adfert, aut graviſſimum aliquem morbum. Tu quid cenſes? In omen et proximae mortis acceptum, quod pridie quam moreretur, cum nondum fatali morbo correptus eſſet, de miſero quodam, quem ſaepe ſublevare ſolitus erat, quaerendo famulis mandarat; nam repoſcenti cum illi hominem non repertum reſpondiſſent, Cras, inquit, mihi eum ſublevare fortaſſe non erit integrum. Ultimus dicetur Ludovicus Guicciardinus Jacobi filius, Franciſci celeberrimi et hominum praedicatione digniſſimi hiſtoriarum ſcriptoris nepos: ipſe Belgii accuratiſſima deſcriptione optime de illis provinciis, in quibus conſenuit et mortalitatem exuit, meritus, hoc anno XI Kalend. April. aetat. LXVI deceſſit. Is pro ſalutari conſilio, quod et ſcripto complexus fuerat, de abolenda quadrageſima malam gratiam olim ab [a]Albano retulerat, in carcerem ignominioſum ob id conjectus. Quod Albanus poſtea excuſavit, cum diceret, non tam ob conſilium optimo viro ſuccenſere, quam quod illud juſſu ſuo (nam fatebatur) cum ſcriptis mandaſſet, non per ipſum ſcriptorem, ſed per alias manus in ſuas, praepoſtera perfidi hominis gratiam ſuam aucupantis diligentia, illud perveniſſet.

CIƆ IƆ LXXXIX.
HENRICUS III.

INTERPR. [a] *le duc d'Albe.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS SEPTIMUS.

EPITOME.

CONSULTATUR in caſtris de ſucceſſione; et ſaniore ſententia qui erant, eam legitimo heredi deferendam protinus cenſebant. Alii rem integram ad comitiorum regni convocandorum arbitrium rejiciebant. II. Proxima de ſede ac receptu primis regni auſpiciis deligendo conſultatio fuit. Et placebat multis, ut Navarrus Ligerim cum iis quas habebat copiis verſus tenderet, et Caeſarodunum Turonum peteret, et inde rerum gerendarum omina captaret. Alii receſſum fugam interpretaturum hoſtem dicebant, et ad famam pertinere, ut in veſtigio ſi poſſet maneret: recenteis in caſtris Helvetiorum copias eſſe; quas ſi retinere ad aliquot menſeis queat, citra periculum manere et decus tueri poſſet. III. Sancii interventu Helvetii operam ſuam deferunt. IV. Sanior pars obtinuit, et Navarrus ab omnibus magno procerum conſenſu rex ſalutatur. V. Obſequium detrectanteis ſevere alloquitur, et poteſtatem abeundi facit. VI. De loco adhuc ambigebatur, ſuſpecta tum maxime praefectorum fide. VII. Aemarus Caſtus regem anxietate ſolvit, Dieppa, quam tenebat, in regis manus ſine conditione conſignata. Gaſpar Peletus Veruna, qui arcem Cadomenſem tenebat, Caſti exemplum ſequitur, et inferioris totius Neuſtriae regem potentem facit. Hinc praecipuae toto belli tempore regi opes. Novumcaſtrum a Guitrio et Haloto receptum. De Rotomagi jam tum obſidione actum. VIII. Meduanius ad urbes foederatas ſcribit, et ad Philippum, et aperte ab eo auxilia in cauſa religionis petit. Promulgatum et nomine Meduanii diploma, quo de obedientia regi ſuo Catholico, hoc eſt cardinali Borbonio, proteſtabatur; quem ſub id rex Chinonia arce in Pictones tranſtulit, et Fontenaii-comitis Carolo Eſcalario Bolaio cuſtodiendum commiſit. IX. Burdigalae ſenatus-conſultum pro pace regni conditur. Toloſae ſenatus-conſultum factum, quo ut in gaudio publico ſupplicationes decretae, mandatumque ne Navarrus pro rege recipiatur. X. Meduanii cum Parmenſi Bincii in Hannonia colloquium. XI. Rex Darnetalio profectus ad Arcas conſedit, et caſtra munit. XVI Kal. Octobr. levibus proeliis proſpere a rege certatum. Infelicius poſtridie a Meduanio pugnatum. XI Kal. Octobr. demum totis viribus certatur, et in certamine illo ad CCCC ex hoſtibus ceciderunt: multi capti. Tandem Meduanius ab obſidione diſceſſit. XII. Rex cum IV CIↃ Anglorum, aſſumptiſque Sueſſionis et Aumontii copiis, Lutetiae ſuburbia Kal. Novembr. expugnat. Meduanius ad rei famam cum equitatu ad urbem venit. XIII. Bonivetus ad Bretolium oppreſſus, et poſt deditionem interfectus. Iſſodunum in Biturigibus in fidem regis adactum. Granpratenſis comes in Campania prope Vitriacum hoſtem profligat, et adverſo proelio cum Sanpaulo commiſſo vulneribus acceptis deceſſit. Fara ad Eſiam a Menelei marchione intercepta ac direpta. XIV. Gul. Jouſa Toloſa pellitur. Ratiaſti Lemovicum res turbant, quas Annas Levius Ventadurius compreſſit. XV. Lutetiae qui jus dicebant, decretis in regios inſaniunt. XVI. Caeſaroduni Turonum detecta conjuratio. Conſcii ſupplicio affecti. Carolus Borbonius cardinalis captivus poſt quadrimeſtre ex occaſione rex vocatus. Decretum de ea re factum.

XVII. Pontifex

XVII. *Pontifex cardinalem Cajetanum in Galliam legat, non expectato Franc. Lucemburgici Pinaei ducis, cum principum mandatis ad eum miſſi, ad urbem adventu.* XVIII. *Rex relictis ſuburbiis Stampas concedit. Aloiſia Henrici* III *vidua de paricidio deceſſoris ſui vindicando regem per libellum et literas interpellat. Rex Caſtellodunum venit; ibique legati Helvetiorum auditi foedus cum ipſo renovari petunt.* XIX. *Quid Venetiis actum ſit ad primum paricidii Henrici* III *nuncium. Inde ſponſiones, inde comploratio.* XX. *Gaſp. Schombergii et Jac. Aug. Thuani in Italia negotiatio. Vindocinum obſeſſum, expugnatum.* XXI. *Inde rex Caeſarodunum in Turones excurrit, et a Joanne Mocenico oratore Veneto rex Franciae ſalutatur. Vindini Cenomanorum obſidio, et deditio ſecuta. Alia loca in fidem accepta. Conventus regni Februario indicti, in Eid. Mart. rejecti. Helvetii accepta pecunia dimittuntur.* XXII. *Sabaudi poſt Henrici* III *mortem ad ſenatum Gratianopolitanum literae. Bellum a Sabaudo in Provinciam tranſlatum. Valetae in Provincia res geſtae. Bellum Genevenſe recrudeſcit.* XXIII. *Caſtrum-Briandi a Dumbarenſi receptum. Alençonium, Argentanum, et Damfronium recepta. Ad Faleſiam poſita caſtra. Admotis tormentis oppidum captum ac direptum; arx inferior paulo poſt dedita. Lexovium itum, quod admotis tormentis a Loncampio deditum eſt. Alia loca in Neuſtria in fidem accepta.*

EX AUCTORIBUS,

Nicolai Harlaei Sancii diario, Regia militari ephemeride, Actis utrinque publicatis, Actis probatoriis, Archivis curiae Pariſienſis, Jac. Aug. Thuani relationibus, Annae Levii Ventadurii adverſariis, Bernardi Nogareti Valetae ephemeride.

LIBER NONAGESIMUS SEPTIMUS.

POST Henrici III in medio victoriae curſu erepti mortem, varie animi omnium, qui in caſtris erant, affecti ſunt. Major et ſanior pars ſic exiſtimabat, nullam publicae ſalutis ſpem ſupereſſe, niſi ſervato legitimae ſucceſſionis ordine; a quo ſi diſcederetur, quot provinciae, urbes, locorum praefecturae in florentiſſimo Franciae regno numerantur, tot reges, hoc eſt, teterrimos in eo exorituros tyrannos: excluſo quippe eo cui regnum lex defert, id cuique juris in eo fore, quod vis et fortuna ipſi dederit: itaque, ad vitandam eam ſciſſuram, Navarro ab univerſis obedientiam tanquam legitimo heredi praeſtandam, quem ex ultima Aquitania evocatum et cum rege nuper reconciliatum fuiſſe par ſit credere, ut rex, dum in vivis eſſet, per eum res adminiſtraret, et mortuus generali Franciae lege eum in poſſeſſionem regni mitteret: nec obſtare cauſam religionis, cui majus a regni ſciſſura, dubio procul Navarro excluſo ſecutura, quam ab ipſo Navarro periculum immineat, cujus et aliis rebus perſpecta fides et aequitas nihil gravius de eo ſuſpicari ſinat: ſervato regno, religionis ſecuritati pariter conſuli, quam regno everſo periclitari neceſſe ſit: nam ſectarios, per ſe nunc ſtante univerſo regno debileis, diſſoluto imperio et ſingulis regni partibus a reliquo corpore diviſis, potentiores futuros: et vero quem ignorare religionis cauſam a factioſis obtendi ad turbas ciendas, et fucum ea vulgo imperito fieri ad alendas ſeditiones? Exemplo eſſe recentem defuncti regis fortunam, in cujus perniciem

CIƆ IƆ LXXXIX.
HENRICUS IV.

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS IV.

perniciem recidit bellum contra ſectarios ſuſceptum: an juſtius fore contra Navarrum? mutata perſona nihil de conſilio et voluntate factioſorum mutatum: quid quod ipſi indigni ſint Francico nomine, ſi caedem tam indignam ſinant inultam? quem vero certiorem ultorem ſperari poſſe, quam eum qui regni lege ad ſucceſſionem vocatur? itaque Deum, qui Navarrum quaſi manu ducat, et ipſi ducem ſequantur, et, accepta fide de religione majorum tuenda, pro rege agnoſcant; in fide quippe, et prompto ſine tergiverſatione obſequio, regni ſalutem et religionis conſervationem verti. Alii contra diſputabant; conſcientiae et Deo ante omnia ſatisfaciendum, apud quem potior ſemper et antiquior religionis cauſa eſſet: quod de periculo objicitur, de eo ſecuros vere pios et Chriſtianos eſſe; quippe qui firmiter tenere debeant, primum omnium regnum Dei quaerendum; ſic enim fore, ut Deus omnia ad vitam feliciter et tranquille degendam prolixe eis largiatur: Deum, qui deſponſatae ſibi ante ſaecula eccleſiae ad finem ſaeculorum ſemper praeſto futurus ſit, nunquam ſuos deſerere: ejus proinde curae ulteriora relinquenda. Haec ſpecioſe ab iis, qui occaſionem a caſtris diſcedendi quaerebant, vulgo jactabantur. Multi inter eos neutri parti ex animo addicti, et tantum ad privatam vitae ac rerum ſuarum ſecuritatem reſpicientes, tutius atque etiam honeſtius manere in caſtris cenſebant, ubi nobilitas eſſet; quae bello accenſo ceteris ordinibus in regno praevaleret: igitur nullibi commodius exſpectari poſſe, dum fortuna de rerum ſumma decernat; tunc enim integrum fore, quo proelii alea inclinaverit, eo ſe cum victore conferre: nam ſemper ad civitates iis qui volent apertum fore perfugium.

II. INTER hos aeſtus rex novus [a] Meudonii, ubi hoſpitium habebat, de ſuorum voluntate dubius, conſultabat cum Joanne [b] Laſinio Bellovaſio, Joanne [c] Calvimontio Guitrio, Jacobo [d] Segurio, aliis, quid facto opus eſſet; et multi ita cenſebant, tutiora conſilia primis regni auſpiciis novo principi ſequenda eſſe, et cum fidis, quas retinere poterit, copiis [e] Ligerim petendum, ut [f] Caeſarodunum, qua in civitate cuncta regni ornamenta et inſignia a deceſſore ſuo depoſita ſint, ac reliqua oppida circumpoſita praeſidio et praeſentia ſua firmet, et vallo hoc veluti oppoſito omnem [g] Aquitaniam a tergo ſervet, bellumque inde in citeriorem regionem tanquam ex tuto poſtea transferat. In eam ſententiam inclinare primo videbatur rex, qui tutius exiſtimabat citeriorem regionem ad tempus relinquere, ut ulteriorem trans Ligerim ſervaret, quam committere ut, dum ambas retinere cupit, de utraque amittenda periclitaretur. Sed contra pugnabat Guitrius, vir gravis et dicendi validus, ac fortitudine pariter et prudentia clarus, qui receſſum regis hoſteis fugam et metum interpretaturos dicebat: atqui prima belli initia fama conſtare, et aliquid fortunae committendum, ut favor hominum novo imperio firmando neceſſarius concilietur: neque vero tantum periculi ſubeſſe, quantum primo occurſu appareat; ſupereſſe quamplurimos e nobilitate, quae citra Ligerim domicilium habet, bene erga regem affectos; qui, ſi rex in veſtigio maneat, ad decus, quo maxime ducuntur, pertinere putabunt, ne ipſum tam vicino hoſte deſerant; alioqui protinus diſceſſuri, ſi rex ullo diffidentiae ſenſu tangi ſe manifeſtum faciat, et citeriorem regionem, in qua illi fortunas omneis ſitas habent, deſerat: praeterea auxiliarem Helvetiorum exercitum adhuc recentem, ſi rex ad Ligerim Sequana relicto contendat, protinus abeundi, quaſi morte deceſſoris ſui mandatis finitis, copiam petiturum; quem, ſi rex maneat, [h] Sancii interventu, qui plurimum auctoritate et gratia apud eos valeat, in caſtris retineri poſſe ſpes ſit; idque tentari debere, antequam rex de ſumma rerum deliberet.

III. JUXTA

INTERPR. [a] *Meudon.* [b] *de la Fin Sr de Beauvoir la Nocle.* [c] *de Chaumont Sr de Guitry.* [d] *de Segur.* [e] *la Loire.* [f] *Tours.* [g] *Guienne.* [h] *de Harlay Sancy.*

III. Juxta Guitrii ſententiam placuit, antequam quidquam decerneretur, ut cum Helvetiis ageretur. Et accidit forte, ut idem Sancio, licet minime ante monito, in mentem venerit, quod ab ejus fide et officio exſpectari debere aiebat Guitrius. Nam is, audita regis morte, ſtatim Helvetiorum duces in concilium vocaverat, et acri habita oratione in eorum fide et conſtantia regis regnique ſalutem repoſitam oſtenderat, quam Gallica nobilitas, erga novum regem bene animata, ſed inopinatis civitatum motibus territa, ultro ſecutura eſſet, alioqui a caſtris diſceſſura, et huc illuc, ut privatae ſecuritati conſuleret, republica deſerta, dilapſura. Itaque per foederis religionem eos obteſtatus fuerat, ut in caſtris manerent, et regi operam ſuam ad aliquod tempus addicerent; ita rem Helvetiorum civitati non ſolum utilem, qui magnum ſemper in incolumitate Francici regni ad res ſuas praeſidium repoſuerint, ſed honorificam et ad omnem poſteritatem memorabilem facturos, ſervato tanto regno a praeſenti exitio, cujus ſalus non ſolum ad Gallos ſed univerſum orbem pertineat: nam procul dubio regem ex ipſorum deliberatione rebus ſuis conſilium capturum, et laeti aut contra triſtis rerum ſuarum ſucceſſus augurium ſumpturum. Erant inter eos qui minus bene affecti cum palam contra dicere non auderent, cauſati nulla ſe a civitatibus ſuis mandata habere, et quae haberent regis morte exſpiraſſe, ad eas ante omnia referendum dicebant. Sancius contra tendere, his maxime rationibus; Helvetios non tam cum Henrico III quam cum corona Francica contraxiſſe, quae nunquam intermoriatur, ſed legitima ſucceſſione ad Henricum Borbonium devoluta ipſum regem effecerit: nam regem nunquam in Franco-Gallorum imperio mori; ſed mortuum vivo regnum tradere: proinde foedus adhuc durare: neque tamen impediturum regem, quo minus officio ſuo ſatisfaciant, et e ſuo numero quidam delegentur, qui ad civitates ſuas referant: interim petere, quod citra violati foederis notam negari non poſſit, ut ſub ſignis maneant, et ad aliquot menſeis, dum reſponſum a ſuis civitatibus acceperint, operam regi novo addicant, neque toto eo tempore ſtipendium ab eo petant; nam rebus adeo turbatis intempeſtivam eam fore petitionem, et novis motibus cauſam praebituram. Rogatis ſententiis cum variarent, Sancius per amicos ac ſibi fidos inter eos metum injecit, ſi a caſtris diſcederent, fore, ut, infeſtis in itinere urbibus, iniquas ab hoſte conditiones et Helvetico nomine indignas accipere cogerentur. Quae praecipua cauſa fuiſſe creditur, ut maturius in hoc decretum conſentirent, et ad novum regem ſalutandum e veſtigio profecti ei ad duos menſeis operam ſuam addicerent, interimque delegatos ad civitates ſuas mitterent, nova mandata ab iis accepturos. Hoc impetrato facile fuit, ut de non petendo ſtipendio aſſentirentur; nam alioqui ingratam fore gratiam, quam manentes in caſtris a rege inituri erant: et ſciebant regis rationes non ferre, ut praeſens pecunia eis numerari poſſet. Igitur Sancius cum XL ex iis protinus conſcenſis equis ad regem contendit, obviumque in itinere Guitrium habuit, ad ipſum a rege miſſum; qui, cognito ex Sancio quid cum Helvetiis egiſſet, et jam confectum eſſe negotium de quo ſpem regi fecerat, et cujus cauſa ad ipſum proficiſcebatur, poſt gratulationes et complexus in tali re utrinque datos, mox ad regem revolat, Sancio cum Helvetiis lentiore gradu ſubſequente. Rex ad nuncium non ſolum gaudio ingenti exſiliit, ſed, cunctis in Guitrii ſententiam deſcendentibus, omiſſo Ligerim petendi conſilio, in citeriore regione manere decrevit; compoſitoque ad gratulationem vultu, ultro obviam Sancio et Helvetiorum ducibus proceſſit; et complexu Sancium dignatus, porrectaque belli ducibus perhumaniter dextra, gratias prolixe egit, et, nunquam ſe immemorem fore pollicitus, ſalutem ſe illis regni ſuamque debere ingenue profeſſus eſt; atque inde nulla interpoſita mora [a] Fanum-Clodoaldi tendit, ad

CIϽ IϽ LXXXIX.
HENRICUS IV.

INTERPR. [a] *S. Cloud.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS IV.

ad [a] Tilianas aedeis in imo municipio poſitas, quia [b] Gondianae ſuperiores, in quibus rex mane deceſſerat, triſti apparatu occupatae erant, ſumpto hoſpitio.

IV. Ibi ad eum procerum et nobilitatis concurſus factus; ſtatimque ipſe lugubrem veſtem more regum induit, omni ſupellectile violacei coloris, quae deceſſori ſuo ob parentem in luctu degenti inſervierat, in uſum ſuum accommodata, ut nihil praeter perſonam in aula mutatum videretur. Verum adhuc de religione haud occulta murmura erant; et quanquam in tanto caſu divina providentia proſpectum cuncti faterentur, ut tantus taliſque princeps, ne ſucceſſio in incerto eſſet, regno afflicto contingeret, tamen de ea amplius ſibi caveri petebant. Itaque poſt meridiem in Gondianis aedibus proceres et ſacri conſiſtorii aſſeſſores, qui aderant, fere militares viri, conveniunt; et conſultatione habita non idem initio ſenſerunt. Nam inter eos reperti ſunt, qui rem integram ordinum regni ob id convocandorum arbitrio permittendam cenſebant, neque interea quidquam faciendum quod libertati comitiorum praejudicaret; et ii regem novum adhuc Navarrum vocabant, quem tot gradibus a ſucceſſione remotum aiebant, ut ejus gratia quidquam temere decerni debere, praeſertim cum univerſi regni diſcrimine et exitio, conſtanter negarent. Alii, qui non longe ab ea ſententia aberant, tamen, ne novi regis jus omnino in dubium revocare viderentur, ſic exiſtimabant, rem omnem ordinum quidem auctoritati ſubjiciendam, ceterum ipſi tanquam ſupremo exercitus imperatori interim parendum. Cum major pars ſine conditione aut dilatione ulla eum regem ſalutandum cenſeret, alioqui cunctantibus multa incommoda accidere poſſe, et factiones jam in regno excitatas incerta ſucceſſione coalituras, ſicque expugnatu poſtea difficiliores fore; tandem haec ſententia tenuit, quae Henrico Borbonio, tanquam legitima ſucceſſione ad regnum vocato, fidei jusjurandum praeſtandum cenſebat, accepta ab eo prius cautione. Ea, fide ac verbo regis, ſic uſus eſt inter principes, promittebat rex ſe religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam inviolatam ſervaturum; nihil in ipſa aut illius diſciplina novaturum aut mutaturum: bona et dignitates ſacras, ſicuti ſemper antea factum fuiſſet, inter perſonas idoneas et Catholicae religioni addictas diſpenſaturum. Tum, quod priuſquam ad regnum vocaretur ſemper proteſtatus fuerat, denuo repetit; ſe paratum, quod ad religionem attinet, boni ac legitimi concilii generalis ſive nationalis, quod intra ſemeſtre, ſi fieri poterit, convocandum curabit, decretis ſtare: interea nullius alterius quam religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae toto regno publicum uſum futurum, niſi iis locis quae nunc a Proteſtantibus tenentur, ſicuti pactis inter ſe et Henricum III conventis menſe Aprili ultimo cautum fuerat; idque locum habiturum, donec aliter pacificatione generali in regno aut ab ordinibus regni intra ſemeſtre convocandis decretum fuerit. Inſuper cautum, ut urbibus ac arcibus in bello capiendis nulli niſi Catholici praeficiantur, niſi in iis de quibus aliter pactis cum defuncto rege initis convenit: nulli item ad dignitates, praefecturas, publica munia in urbibus niſi Catholici admittantur, exceptis ſemper iis locis quae a Proteſtantibus occupantur. Poſtremo additum, ut dignitates, privilegia, praerogativas, libertates, bona, principibus, ducibus, paribus, primariis regiae coronae miniſtris, proceribus, nobilibus, ac ceteris fidis ſubditis inviolata ſervaret, et ſpeciatim fidos regis defuncti miniſtros commendatos haberet, operamque daret ut deteſtandi paricidii in illum patrati ſevera, et quae poſteritati in exemplum eſſet, publica expiatio fieret. Cautione accepta viciſſim principes regii ſanguinis, duces, pares, regiae coronae officiales, proceres, ac nobiles, Henricum IV Franciae et Navarrae regem ſecundum leges regni in principem legitimum agnoſcunt, eique fidem obſtringunt, ſuamque operam, vitam, facultates ad exterminandos

INTERPR. [a] *la maiſon de Du Tillet.* [b] *la maiſon de Gondy.*

exterminandos perduelleis, qui tyrannidem in regno adfectant, prolixe deferunt, conditionibus ſupra commemoratis, ut ordines regni convocandos curet, et iis praeſertim quae ad religionem ſpectant ſatisfaciat; interimque orant, ut cum bona ejus gratia ipſis liceat delegatos e ſuo numero ad pontificem mittere, qui eum de jurejurando *praeſtito*, et quas ob cauſas id fecerint, plenius edoceant, ab eoque impetrent, quod *utile* ac neceſſarium rei Chriſtianae, regis regnique incolumitati ac bono, *cenſuerint*. Ad extremum ſuppliciter regem obſecrant, tanquam ſupremum juris inter *ſuos* diſpenſatorem ac communem omnium parentem, ad quem ſuorum bona et *mala* pertineant, ut abominationis, perduellionis, ac perfidiae pleni paricidii contra defunctum regem optimum principem ſuum admiſſi dignam et ad poſteros memorabili exemplo ultionem perſequatur. Haec acta pridie Nonas Sextileis, publico etiam inſtrumento confecto, cui inde rex, inde Franciſcus Borbonius [a] Contii princeps, Franciſcus Borbonius [b] Monpenſeriae dux, Henricus [c] Aurelianus Longavillae, Franciſcus [d] Lucemburgus Pinei, Ludovicus [e] Roanus Monbaſonii duces, Armannus [f] Bironus, Joannes Aumontius equitum tribuni, Joachimus [g] Dintevilla Campaniae propraefectus, Nicolaus et Ludovicus [h] Angennaei fratres, Joachimus [i] Caſtrovius, Carolus [k] Balſacus Claromontius, Joannes [l] Dous Manovius ſtipatorum regiorum praefecti, Franciſcus [m] Pleſſius Richelius ſummus regii hoſpitii praefectus, Carolus et Franciſcus [n] Martelli, [o] Rentius, Gilb. [p] Cureus, alii ſubſcripſere. Multi ex iis qui aderant proceribus, quanquam factum ſummopere probarent et urgerent, ne loci et ordinis ſui praerogativae, qua de re nunquam quidquam certi apud nos definitum fuit, praejudicium facerent, non ſubſcripſere; et in iis Joannes Ludovicus [q] Nogaretus Eſpernonius, qui poſt Bironum et Aumontium, quos ille tanquam dux et Franciae par dignitate anteibat, nomen ſuum ſcripto apponere recuſavit; cum illi contra, quod in exercitu eſſent, pro ratione muneris imperium in ceteros belli duces habere prae ſe ferrent, ideoque in ſubſcribendo primum locum poſt principes familias ſibi deberi contenderent: quod et obtinuerunt.

V. ESPERNONIUS mox domeſtica negotia cauſatus, propter quae jam a rege defuncto abeundi licentiam impetraſſet, cum ſuis et pleriſque aliis occaſionem quaerentibus diſceſſit; et facto per [r] Turones itinere [s] Lochias venit, arcem praecipuam regni [t] Sallermio a ſe commiſſam; atque inde per [v] Pictones [w] Enguliſmam ſe contulit, non ſine occulta regis exemplum veriti offenſione, cujus tamen ille ſenſum ſumma prudentia diſſimulavit. Pleriſque exemplo Eſpernonii diſcedendi ab exercitu copiam flagitantibus rex frequenti coetu infit: Quae mihi rex piae memoriae deceſſor meus mandata dederit, et moriens commendaverit, meminiſtis omnes; inter quae hoc praecipuum fuit, ut meos ſubditos Catholicae Romanae et religionis reformatae aequabili in libertate tuerer, quouſque legitimi oecumenici aut nationalis concilii auctoritate de hoc diſſidio decretum eſſet: id me religioſe ſervaturum recepi, et quae jurejurando firmavi, ſervare mihi prima religio eſt. Id eo dico, quod intellexerim quoſdam in exercitu meo eſſe, qui ſibi non integrum eſſe conſcientia ſalva clamitant mihi operam navare, niſi religionis Catholicae confeſſionem amplexus fuerim: me tam puſilli animi eſſe ſcilicet ſibi perſuadentes, ut religionem meam ejerare et datam fidem violare hac ratione cogant. Atqui profiteor coram vobis univerſis ob eam cauſam huc vocatis, malle mihi hunc diem ſupremum illuceſcere,

INTERPR. [a] *Conti.* [b] *Montpenſier.* [c] *d'Orleans duc de Longueville.* [d] *de Luxembourg duc de Piney.* [e] *de Rohan duc de Montbazon.* [f] *les mareſchaux de Biron & d'Aumont.* [g] *de Dinteville lieutenant de Roy en Champagne & Brie.* [h] *d'Angennes.* [i] *de Chaſteauvieux.* [k] *de Balſac Sr de Clermont d'Entragues, capitaine des cent archers de la garde du corps.* [l] *d'O Sr de Manou, capitaine de la garde Eſcoſſoiſe.* [m] *du Pleſſis Richelieu, grand prevoſt de l'hôtel.* [n] *Martel.* [o] *le baron de Renty.* [p] *de la Curée.* [q] *Nogaret de la Valette duc d'Eſpernon.* [r] *Touraine.* [s] *Loches.* [t] *de Sallerm.* [v] *Poictou.* [w] *Angouleſme.*

CIƆ IƆ LXXXIX. HENRICUS IV.

illuceſcere, quam committere ut in fide nutaſſe, aut religioni quam hactenus profeſſus ſum, antequam per concilium legitimum, cujus auctoritati me ſummitto, inſtructus fuero, renunciaſſe dici poſſim. Quapropter qui ita ſentiunt, ex exercitu meo, ut libet, diſcedant; nam plus praeſidii in c Francici nominis ſtudioſis, quam in cc hujuſmodi, pono: quippe bonos Deus adjuvat. At illi hoc dicunt, quia jampridem regni hoſtibus fidem addixerunt, et locis iis comparere reformidant, in quibus verae virtutis ſit periculum. Petant illi, cum volent, abeundi copiam; nec enim tam parati ſunt id facere, quam ego libenter illis ſum conceſſurus: unum id mihi dolet, quod rem nomini Gallico probroſam fecerint: nam quando me omnes reliqueritis, quod vix credo, ſat amicorum habeo, quorum ope magno cum dedecore veſtro regium nomen tueri poſſim; et quando illi rurſus me deſererent, at nunquam Deus me deſeret, qui me, vos teſteis appello, a pueritia mea quaſi manu duxit, et ingentibus ac captum humanum ſuperantibus beneficiis cumulavit: nec enim major aut miraculo propior erga Davidem Dei beneficentia apparuit, quam cum me, praeter omnium opinionem, per tot labores ac diſcrimina in ſolio collocavit; ut dubitare minime debeam, quin me idem, qui ad regnum, perruptis tot objicibus vocavit, in eo conſervet, et contra omnes inimicorum inſultus defendat, non mea cauſa, ſed ut tot animarum, opem ipſius implorantium et ſub intolerabili diriſſimorum tyrannorum jugo gementium, ſaluti conſulat, in quibus liberandis opera mea uti dignatus eſt. Valeant ergo buccinae iſtae ſeditionum; et ita ſibi perſuadeant, non regnum Franciae, imo nec totius terrarum orbis imperium, tanti apud me eſſe, ut eorum quaerendorum cauſa a religione, quam a teneris annis tanquam veram cum lacte matris imbibi, deficere, et aliam quam quae a concilio legitimo conſtituetur, ſicuti praedixi, fidem amplecti velim. Gallum me ſcitis, ſinceris et ingenuis moribus praeditum, et ab omni diſſimulatione alienum; atque per XVII amplius annos, ex quo Navarrae regno praefui, ita me ſemper geſſi, ut de fide mea ambigi non poſſit; quanquam non defuerint occaſiones, quibus de inimicis, a quibus tam indigne injuriis affectus fueram, ultionem caperem. Praeterea apud vos perpendite, quam durum et acerbum mihi, qui rex veſter ſum, et liberam vobis religionem relinquo, eſſe debeat, quoſdam inter vos ex infimo ordine eſſe, qui inconſiderate me ad frivolas opiniones ſuas vi cogere conentur. Id quam aequum ſit, non ſolum vos ſed univerſos regni ordines judices facio; ſimulque oro, ut me precibus veſtris apud Deum juvetis, ut mea conſilia, et cogitationes, et conatus dirigat, et ſi quid peccatum a me fuerit, nam me hominem agnoſco, aut officio meo defuerim, id ut mihi emendare, praeeunte ſemper Spiritu Sancto, ad Jeſu Chriſti regni incrementum, Franciae tranquillitatem, et populorum mihi commiſſorum levamentum, benignitate ſua concedat. Ludovicus [a]Hoſpitalius Vitrius, una cum aliquot aliis e nobilitate, omnino a regis partibus defecit, ſcrupulo conſcientiae attineri ſe dictitans; et [b]Dordingae arcem in Belſia a rege deceſſore nuper acceptam, tam deteſtandae caedis ultione oblivioni tradita, ne quid ex ea defectione lucrifacere videretur, deſeruit; quae ſtatim a Jacobo [c]Argentio Ferrarienſi [d]Nemoroſii ducis domeſtico occupata eſt. Cautionis a rege datae, et jurisjurandi ſecundum eam a principibus, ducibus, ac belli ducibus praeſtiti, inſtrumenta [e]Caeſaroduni in ſenatu XIX Kal. Septembr. recitata et magno omnium plauſu promulgata ſunt; eorumque exempla in omnes regni provincias miſſa multos in officio continuerunt.

VI. Rex, ordinatis pro tempore rebus et conciliatis procerum animis, a religioſo officio prima regni auſpicia fecit; veritusque ne conjuratorum furor, ut in vivum

immani

INTERPR. [a] *de l'Hoſpital Sr de Vitry.* [b] *Dourdan en Beauſſe.* [c] *Argenti Ferrarois.* [d] *le duc de Nemours.* [e] *Tours.*

immani paricidio, ſic in mortuum ſacrilega impietate ſaeviret, corpus regis demortui ante omnia in tutum deducere ſtatuit, et cum exercitu [a] Compendium petit, capto in itinere [b] Meulanto, Giſſortio, et Claromontio in Bellovacis. Compendii corpore depoſito in [c] S. Cornelii aede, conſultatum inter proceres ac belli duces quid facto opus eſſet: et placuit, ut, quoniam hoſtis nuſquam compareret, copiae dividerentur. Pars Longovillano Picardiae praeſidi attributa, qui pleroſque e nobilitate illius provinciae penes ſe habebat; pars Aumontio in Campaniam proximam ducenda traditur, quo et urbibus foederatorum incommodaret, et nobilitate domum remiſſa eam veluti in caſtris retineret, alioqui non redituram, niſi armorum regiorum ducem in ſua provincia haberet. His et injunctum, ſi hoſtis in utramvis provinciam cum exercitu incumberet, ut ſibi mutua ope praeſto eſſent. Tertiam et majorem exercitus partem ſibi rex ſumpſit, retentis penes ſe Contio principe, Monpenſerio, [d] Carolo Aureliano notho Franciae priore levis armaturae praefecto, Birono equitum tribuno, Carolo [e] Momorantio Danvilla Helveticarum copiarum duce, Franciſco Tugio Riuſio caſtrorum praefecto, Franciſco Colinio Caſtellionaeo qui peditatui Gallico praeerat, Jacobo Nompari Caumontio Forcaeo, et pleriſque e nobilitate. Erant omnino in exercitu mille equites egregie armati, Helvetiorum II legiones, et III CIↃ peditum Gallorum: cum quibus, omiſſo de Ligeri et Caeſaroduno petendo, quo conventum ad Octobrem exeuntem indixerat, conſilio, ne longius a tergo [f] Pontem-Eſiae, Silvanectum, Stampas, Meulantum nuper receptas urbes relinquere cogeretur, et ad inopinata receptum terra marique tutum haberet, in Neuſtriam proximam deflexit; partim ut ampliſſimae provinciae, ex cujus proventibus toto belli tempore maxime ſublevatus eſt, nobilitatem et populareis praeſentia ſua firmaret; partim ut, dum ſimulat aliquid ſe contra urbes in ea foederatas moliturum, hoſteis a locis quae circa Lutetiam retinebat oppugnandis revocaret, ſpatiumque interim ſuis ad ea munienda concederet. Igitur Sequanae ripam legendo ad [g] S. Petri pontem deſcendit; ubi dum eſſet, [h] Roletus [i] Pontis-arcuenſis, quod eſt oppidum Sequanae impoſitum IV ſupra [k] Rotomagum leucis, ad quod uſque maris aeſtus excurrit, praefectus ad eum venit, fidem et obſequium deferens.

VII. INDE rex [l] Dernetalii, quod eſt municipium haud longe ab urbe pannificio nobile, cum caſtra metatus eſſet, cum CCCC delectis equitibus Dieppam uſque excurrit, oppidum maritimum portu commodum, et ad auxilia, quae ex Anglia et Batavia exſpectabantur, excipienda opportunum, quod ab Aemaro [m] Caſto equite Hieroſolymitano cum [n] Jouſis proxima cognatione conjuncto tenebatur. Is inſigni probitate vir, nec plus virtute quam incorrupta fide, quod illo tempore rariſſimum erat, praeſtans, per Philippum [o] Canaium Fraxineum illac ex Anglia appulſum renunciari regi curaverat, locum, ſi eo ad receptum uti vellet, ſemper paratum fore, ſine ulla conditione: quod fere ubique praefecti tunc faciebant, qui in locis fidei ſuae creditis potentiorem ſe, ac denique principem ipſum, cujus ea erant, niſi prius cautione accepta aut ingens pretium pacti, recipere recuſabant. Rex etſi primis regni auſpiciis cuncta merito ſuſpecta haberet, fide praeſertim Aemari nondum perſpecta, tamen rebus ſuis maxime conducibile ratus, ſi locum in ea provincia haberet, in

quo

INTERPR. [a] *Compiegne.* [b] *Meulant, Giſors, & Clermont en Beauvoiſis.* [c] *l'Egliſe de S. Corneille.* [d] *Charles batard de Valois fils naturel du roy Charles* IX, *duc d'Angouleſme, grand prieur de France, & colonel general de la cavallerie legere.* [e] *de Montmorency Sr de Damville troiſieſme fils du Conneſtable colonel des Suiſſes, 'F. de la Tugie Sr de Rieux mareſchal de camp, Fr. de Coligny Sr de Chaſtillon, Jacques Nompar de Caumont Sr de la Force.* [f] *Pontoiſe, Senlis, Eſtampes.* [g] *le village du Pont S. Pierre.* [h] *du Roulet.* [i] *Pont de l'Arche ſur Seine.* [k] *Rouen.* [l] *Darnetal.* [m] *le commandeur de Chaſtes.* [n] *de Joyeuſe.* [o] *de Canaye Sr de Freſnes.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS IV.

quo tanquam in tutiſſima ſtatione tempeſtatem, dum deſaeviret, ſpectans, de ſumma rerum extra diſcrimen poſitus poſſet decernere, periculum facere et an facta verbis reſponderent ipſe coram experiri voluit. Caſtus, qua erat prudentia et aequitate, regis anxietatem ſenſit; et, cum fidem ſuam ei approbare curaque hac illum exſolvere cuperet, ultro obviam cum omni praeſidio, quod penes ſe habebat, extra oppidum proceſſit; ac, rege demiſſe ſalutato, vacua omnia ſe domi reliquiſſe dicit; arcem et oppidum patere; mitteret quos vellet; non ſe prius in urbem rediturum, quam rex impoſito praeſidio utrumque arbitrio ſuo firmaſſet. Ad quae rex ſumma humanitate reſpondit, Quod de fide tua dubitaſſe tibi videor, ideoque conditiones, quas alii impudenter petunt, tam prompta modeſtia mihi offers, malo me excuſare quam negare, temporum iniquitate factum eſſe, ut non temere cuiquam confidere debeam: verum, cum nunc abunde de tua egregia voluntate tam illuſtri teſtimonio mihi conſtet, reliquum eſt, ut fidem tuam, tanta mihi ſinceritate et propenſione oblatam, eadem fiducia ac candore ſequar. Nec vero magis dubio et neceſſario tempore periculum ejus facere potui: itaque ſi mihi in toto meo exercitu quaerendus eſſet, cui cuſtodiam oppidi arciſque committerem, non alium quam te deligere poſſem: igitur te tuoſque oppido et arci reſtituo, et officio tuo, ut antea, fungi jubeo; ſicque tibi et omnibus, qui nunc ſunt et poſt erunt, hodie teſtatum volo, tuae fidei meam et univerſi regni ſalutem deberi. Quibus dictis Caſtum incredibili cum benevolentiae ſignificatione arctiſſime complexus, cum eo ſemper incedens ad urbem venit, incredibili civium, regi fauſta omnia comprecantium, plauſu et laetitia. Exemplo mox Caſti Gaſpar [a] Peletus Veruna, [b] Cadomi et arcis in eo munitiſſimae praefectus et cum Caſto cognatione junctus, fidem et obſequium regi per legatos prolixe detulit; ſicque totam inferiorem [c] Neuſtriam toto belli tempore rex pacatam habuit, ingenti pecunia in belli uſus ex ea ſemper proveniente. Dum Dieppae eſſet, cognito [d] Novum-caſtrum VII inde milliaribus in [e] Caletenſi pago poſitum, quod a [f] Caſtellione e provinciali nobilitate tenebatur, multum hinc inde commeantibus incommodare, per Guitrium et Franciſcum Momorantium [g] Halotum in poteſtatem redegit, ruſticis ad IↃ CC caeſis, qui auxilio obſeſſis venerant. Dieppenſes hac moleſtia liberati, in ſpem majorem erecti, de [h] Rotomago capiendo mentionem injecerunt, operam et opes ſuas in eam obſidionem ultro deferentes: quam conditionem ille minime aſpernatus, etſi non ignoraret hoc rerum ſtatu rem confectu difficilem, nec temere tentandam, tamen quod ad famam pertinere exiſtimaret, ſi quid contra hoſtem moliturus crederetur, de ea ad belli duces, quos in caſtris reliquerat, ſe relaturum promiſit; protinuſque [i] Dernetalium cum reverſus eſſet, re cum [k] Monpenſerio et Birono communicata, placuit, ut omnia quaſi ad veram obſidionem pararentur; ita enim fore, ut hoſtes ab obſidione horum locorum, quos circa Lutetiam tenebat, averteret. Secundum haec molatrinae circum everſae et incenſae, magno urbis incommodo. Nec falſus opinione ſua fuit rex: nam [l] Aumalius et Briſſacus, qui cum copioſo equitatu Rotomagi erant, ſtatim ad [m] Meduanium ſcribunt, et ut omni alia re omiſſa ſuppetias obſeſſis ferat rogant. Nec ille periculum non ſolum urbis ſed eorum contempſit, continuoque cum numeroſo exercitu per [n] Medontam facto itinere [o] Vernonium venit, cum III CIↃ equitum, XV peditum.

VIII. Is poſt regis mortem, cognito paricidae jam interfecti ſupplicio, captivos in urbe pridie comprehendi juſſos carcere emiſerat, manifeſto indicio eos a foederatis captos,

INTERPR. [a] *de Pelet Sr de la Verune.* [b] *Caen.* [c] *Normandie.* [d] *Neufchaſtel.* [e] *pays de Caux.* [f] *de Chaſtillon gentilhomme du pays.* [g] *le Sr de Halot.* [h] *Rouen.* [i] *Darnetal.* [k] *le duc de Montpenſier, & le mareſchal de Biron.* [l] *le duc d'Aumale & le comte de Briſſac.* [m] *le duc de Mayenne.* [n] *Mante.* [o] *Vernon.*

captos, ut vitae Clementis obſides eſſent; continuoque ad civitates et praefectos ſcripſerat, quod accidiſſet, non cujuſquam conſilio aut impulſu, ſed numine ac inenarrabili Dei providentia factum dictitans, qui cauſam ſuam ab hominibus in religionem conjuratis oppreſſam ac prope deploratam, inſperato beneficio et miſſo coelitus auxilio, protexiſſet; eoque magis cunctos, qui religioni et regni ſaluti conſultum cupiunt, eniti debere, ut oblato Dei beneficio recte utantur, neque tam praeclaram de Deo hominibuſque bene merendi occaſionem ſibi perire ſinant: antea cum occultis Dei hoſtibus rem fuiſſe, nunc aperte cum ſectariis bellum geri: nec dubium relinqui, quin Philippus Hiſpaniarum rex, ut potentiſſimus et unicus Catholicae religionis defenſor, antea in occulto favens, nunc palam piae cauſae patrocinium ſuſcipiat; quippe qui nullo amplius ſcrupulo attineatur, rege extincto, cujus contemplatione ſubminiſtrandis aperte auxiliis retardari potuit, ne potius alieni invadendi cupiditate quam pietate ipſa duci videretur, eaque re ſibi publicum ceterorum principum odium concitaret. In eandem ſententiam ad ipſum Philippum ſcripſerat; cumulatiſque in eum [α] ſervili aſſentatione propugnatoris verae religionis titulis, rogabat, ut immenſas ipſi a divina bonitate tanquam digniſſimo opes conceſſas ad florentiſſimum regnum a ſectariorum tyrannide liberandum benigne elargiretur: hoc a ſua pietate cunctos in Gallia Catholicos exſpectare, ac ſperare ut ejus beneficio priſtinam libertatem et dignitatem recuperent. Tum diploma tam ſuo, tanquam regii ſtatus vicarii, quam concilii unionis Lutetiae inſtituti, quouſque generalia regni comitia peragi poſſint, nomine promulgandum in ſenatu VII Eid. Sextil. curat; quo cunctos principes, proceres, alioſque, tam e nobilitate quam ſacro ordine, monet, hortatur, rogat, ut, quando ſingulari Dei providentia ac juſtitia factum ſit, ut ab ejus qui ſectarium venenum in regno male conſultus fovebat imperio liberati ſint, obedientiam regi ſuo Catholico, cardinalem Borbonium intelligebat, tanquam legitimo ac naturali principi debitam, conjunctis ſecum viribus et conſiliis, praeſtarent, fidemque apud praefectos provinciarum publicis actis obligarent, ſe in Catholica Apoſtolica Romana religione victuros ac morituros, pro ea amplificanda laboraturos, neque ſectarios ope, gratia, aut conſilio adjuturos: quod ſi facerent, plenam bonorum, dignitatum ademptam poſſeſſionem ſuo beneficio recuperarent. In eandem ſententiam literae ad praefectos provinciarum biduo poſt datae. Quo cognito rex, qui cardinalem Borbonium in [a] Chinonia arce ad Vigennam captivum tenebat, quo illum deceſſor ejus ſub Franciſci [b] Regii Chavignii viri perſpectae fidei cuſtodia miſerat, veritus ne propter Chavignii ſenium et caecitatem minus diligenter ſervaretur, protinus cum eo per Philippum [c] Mornaeum Pleſſium agit, et captivum ab ipſo receptum longius amandat, ac [d] Fontenaii Pictonum a Carolo [e] Eſcallardo Bolaio loci praefecto viro ſtrenuo ac ſibi fido cuſtodiendum tradit.

IX. BURDIGALAE cum ſummo imperio praeerat Jacobus [f] Gobio Matignonus equitum tribunus, eamque urbem ad defectionem alias ſpectantem [g] caſtri Trompetae, quanquam non ita firmi, metu in officio hactenus continuerat. Poſt Henrici III mortem cum ob religionis cauſam et ſenatum et decurionum collegium, cujus ipſe princeps erat, a rege alieno eſſe animo cerneret, vir prudens, vim adhiberi intempeſtivum ratus, aſtu cum ſenatu agit; et ad regis tanquam legitimi heredis auctoritatem conſtituendam quadantenus conducere exiſtimans, ſi ſenatus elogio deceſſoris ſui memoria cohoneſtaretur, in curiam venit, et ſenatus-conſultum condi curavit; quo

VAR. LECT. [α] ſervili aſſentatione *deſunt* Ed. Gen. 1620; *ſed* Ed. Gen. 1626 *inſeruntur e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *deſumpta.*

INTERPR. [a] *Chinon ſur la Vienne.* [b] *le Roy Sr de Chauvigny.* [c] *de Mornay Sr Du Pleſſis.* [d] *Fontenay en Poictou.* [e] *Eſchalard Sr de la Boulaie.* [f] *de Goyon mareſchal de Matignon, gouverneur de Bourdeaux.* [g] *Chateau Trompette.*

ↀ Iↀ LXXXIX. HENRICUS IV. quo de triſti ac lamentabili regis morte curia certior facta, audito et poſtulante cognitore regio, ac praeſente et ſententiam dicente Matignono equitum tribuno, archiepiſcopos, epiſcopos, decuriones jurisdictioni regiae ſubjectos hortabatur, ut pro rege defuncto, pro regni tranquillitate ac ſalute ac religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae preces facerent; mandabatque praefectis, magiſtratibus ac conſulibus urbium, ſedulo viderent ne quid in religione ac publica quiete innovaretur, edicta anno ſuperiore Julio et Octobri menſe [a] Bloeſis in ordinum comitiis facta, inſuper diplomata deinceps Decembri et Aprili proximo condita et in curia promulgata, diligenter ſervarentur; poſtremo nobilibus, civitatibus, aliiſque quibuſcunque praefectis, belli ducibus, qui arma contra regem defunctum ſumpſerant, ut ab armis diſcederent, et ad quietem domi ſe conferrent, vitamque ad praeſcriptum edictorum ac ſenatus-conſultorum commemoratorum inſtituerent, quouſque Deus pro gratia ac miſericordia ſua de optima regni adminiſtrandi ratione et cauſa religionis conſtituenda decreviſſet. Id actum claſſibus convocatis XIV Kalendas Septembreis, nuſpiam regis facta mentione; quod quanquam Matignonus valde exoptaret, nunquam a ſenatu impetrare potuit: qui tamen hujus ſenatus-conſulti auctoritate fretus, negotii ulterius promovendi occaſione in commodius tempus rejecta, Aquitaniam, exceptis urbibus pauculis quas foederati tenebant, in officio continuit. Longe diverſum ſenatus conſultum fuit, quod Toloſae triduo poſt, claſſibus itidem convocatis, factum eſt; quo curia, haec enim ejus verba fuere, intellecta ſtupenda et formidanda Henrici III morte, iterum mandat cunctis principibus, praeſulibus, proceribus, aliiſque cujuſcunque dignitatis ac conditionis ſint, ut conſilia, opes, vireis ad religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam conſervandam, et ſalutem principum, procerum, civitatum pro eadem cauſa unitarum, conjungant; epiſcopos, paſtoreſque hortatur, ut pro Lutetiae aliarumque regni civitatum liberatione publicas preces faciant, ſtatuitque ut quotannis Kalendis Sextilibus pro tanto beneficio publicae ſupplicationes celebrentur; gravibuſque poenis propoſitis inhibet, ne qui Henricum Borbonium ſe pro rege Navarrae gerentem pro rege agnoſcant, auxiliove aut conſilio juvent; ac cunctis epiſcopis ac paſtoribus injungit, ut bullam [α] Sixti V iterum promulgandam et diligenter ſervandam curent: cujus vi illum curia ob crimina notoria ac manifeſta in diplomate commemorata denuo indignum et incapacem pronunciat, qui unquam in regnum Franciae ſuccedat.

X. INTEREA Meduanius in Belgium excurrit; et cum Parmenſi, qui ſub id ex [b] aquis Tungrenſibus in [c] Hannoniam venerat, [d] Bincii in arcano collocutus, facta ſpe ab illo de ſuppetiis brevi in Galliam mittendis, ad exercitum revolat. Igitur ubi Vernonium venit, rex, ex obſidione ſimulata id jam conſecutus, ut nihil hoſtis contra loca a tergo relicta moliretur, protinus vaſis conclamatis [e] Dernetalio diſcedit, et in [f] Eſſuos deflectit, ampliſſimam [g] Caletenſis pagi regionem, quam Catharina [h] Clivia Guiſii vidua comitatus et pariatus titulo poſſidebat; et tertiis caſtris [i] Eſſuorum oppidum ad Betunam amnem ſitum venit, arce, quae a [k] Lanoio cum CCCC praeſidiariis tenebatur, firmatum; et locum, antequam vallum duceretur et tormenta admoverentur, deditione capit, praeſidiariis libere abire permiſſis, et oppido a direptione ſervato; in quod ingredi juſſus [l] Caſtellionaeus militem ab omni injuria et praeda abſtinuit.

XI. REX ad [m] Treportium quadrantem leucae infra oppidum, portu commodiſſimum locum, ea die hoſpitium habuit; ibique primum cognovit Meduanium, qui

tranſmiſſo

VAR. LECT. [α] Sixti V, tanquam jure contra eum decretam, iterum *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Blois.* [b] *eaux de Spa.* [c] *Hainaut.* [d] *Bins.* [e] *Darnetal.* [f] *le comté d'Eu.* [g] *pays de Caux.* [h] *de Cleves.* [i] *Eu ſur la Bethune.* [k] *de Launoy.* [l] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [m] *Treport.*

tranſmiſſo [a] Sequana ad [b] Gornaeum paulo ante a [c] Longovillano captum municipium caſtra poſuerat, majores quam putarat copias ſecum trahere: nam Chriſtophorus [d] Baſſompetra cum III Germanorum equitum vexillis, Joannes [e] Monlucius Balagnius cum [f] Cameracenſis provinciae delectibus, Henricus [g] Lotharingus Muſſipontanus marchio cum CIↃ equitibus et II CIↃ peditum ſupervenerant, et Parmenſis delectum equitatum et peditatum auxilio ſub id ſummiſerat. Quae omnia regi praeter ſpem acciderunt. Itaque ſtatim ad Longovillanum et Aumontium ſcribit, periculique in quo verſetur monitos, ut ſibi cum maximis quam fieri poterit copiis praeſto ſint, jubet. Ipſe adverſus ſubita invictus praeſenti animo cuncta ex ducum belli conſilio ordinat, et ad [h] Arcas, quod eſt municipium leuca ac ſemi a Dieppa diſſitum, minime muro cinctum ſed arce munita firmatum, caſtra metatur. Dieppa egredientibus colles duo occurrunt, a [i] Betuna amne, qui Eſſuorum oppidum alluit, et in quem leucarum II ſpatio maris aeſtus refluit, diviſi: dextrum latus palus occupat, et prata fere ſemper irrigua ab utraque amnis ripa ad pedem uſque collis porrecta. Ad laevam Arcuenſe municipium jacet; et alteri colli impoſita arx, quae planitiem ſatis latam in ſummo colle ſe aperientem deſpicit. Hunc locum caſtris muniendis idoneum rex, cum Dieppam primum iret, notaverat; quem tunc ex Bironi conſilio feſtinatis operibus munivit; triduoque tanta alacritate in id incubuit miles, ducibus exemplo ſuo praeeuntibus, ut foſſa, qua minimum, VIII pedes alta undique ſpatium caſtris deſtinatum amplexus ſit, impoſitis Helvetiis, qui locum, dum amplius muniretur, tuerentur. In arcem deſuper imminentem comportata tormenta, quae omneis ad caſtra aditus infeſtos continua diſploſione reddebant. Ad eam partem, qua arx municipium ſubjectum habet, duo illi colles jam depreſſiores in vallem deſinunt; in qua pars equitatus collocata fuit, undique a diſploſione hoſtili tuta, et ad excurſiones contra peditatum, ſi quidem ad vallum uſque regium progreſſus eſſet, expedita. Munitis in hunc modum caſtris rex, quanquam viribus inferior, ſe facile adverſus numeroſiorem hoſtem tutatus eſt. Jam Meduanius Gornaeum, capto A. [k] Borbonio Rubenprato, qui loco praeerat, et aliis ducibus, [l] Novum-caſtrum et Eſſuorum oppidum nuper a rege capta loca receperat, certa ex ſucceſſu fiducia Arcas eodem impetu capi poſſe. Verum ubi ab exploratoribus cognovit regem in altero colle, qui via recta incedenti occurrebat, tanta diligentia ac induſtria ſe muniviſſe, longo circuitu capto ſupra Arcas Betunam ſuperat, et in oppoſitum collem tranſit. Quo animadverſo rex, veritus ne hoſtis in municipium ſubjectum vi facta Dieppam inde tenderet, mediuſque inter oppidum et regia caſtra ſuburbium, cui [m] Poleto nomen, ſpatioſum et hoſpitiis commodum, adhaec portui imminens, occuparet, municipium ab ea parte vallo ducto et legione Helvetica impoſita firmat; tormentiſque directis et ſtatione ex delecto peditatu Gallico ad ſacellum ſeu [n] noſocomium CIↃ paſſibus diſſitum collocata, hoſti aditum intercluſit, ne ex vico, cui [o] Martini-eccleſiae nomen, in adverſa amnis interjecti ripa poſito, ad Arcas infeſto agmine perrumperet; eodemque tempore ad Poletum undique apertum foſſam duci imperat, quae molatrinam in capite ejus poſitam cingeret, in eaque cavam ac depreſſam viam amplecti, munitionibus ex palis et doliis ad hos aditus exſtructis. Quae omnia ſumma oppidanorum et militum alacritate ac diligentia, nullo cogente, tridui ſpatio adminiſtrata ſunt: moxque [p] Caſtellionaeus et cum eo [q] Guitrius eo miſſi cum

INTERPR. [a] *la Seine.* [b] *Gournay.* [c] *le duc de Longueville.* [d] *de Baſſompierre.* [e] *de Montluc Sr de Balagny.* [f] *le Cambreſis.* [g] *de Lorraine marquis de Pont à Mouſſon.* [h] *Arques.* [i] *Bethune r.* [k] *de Bourbon de Rubempré.* [l] *Neufchaſtel & Eu.* [m] *le Pollet.* [n] *la Maladerie.* [o] *le village de Martingliſe.* [p] *de Coligny Sr de Chaſtillon.* [q] *le Sr de Guitry.*

cum delecto peditatu. Meduanius collem regiis caſtris oppoſitum inſedit Eidibus Septembribus, triduoque, quamvis a [a] levi regis armatura laceſſeretur, ſe vallo continuit, ut appareret ad impetum totis viribus faciendum ſervatas copias parare. Igitur XVI Kalend. Octobr. aciem inſtruit, et ſummo mane partem peditatus Poletum verſus cum parte equitatus incedere, peditatum reliquum et majorem levis armaturae partem Martini-eccleſiam occupare, jubet. Qua re cognita rex protinus, relicto Arcis [b] Birono, hoſtem antevertit, Poletum profectus; locatiſque ante foſſam delectis, totum diem cum hoſte levibus proeliis, deteriore ſemper ejus conditione, conflixit, jam tum augurio de univerſo rerum ſucceſſu utrinque capto, cum exiguo numero vincere, hoſtes numero potiores e pugna inferiores ſemper diſcedere cernerentur; ut Deum his ob cauſae iniquitatem arma e manibus excutere, illis pro patria et principe pugnantibus contra animos facere, appareret. Sub veſperam Meduanius receptui cani imperat, feſſis ſuis, et ad pagum proximum IV legionibus hoſpitium attribuit, loco admodum incommodo, quippe aedificiis in hoſtium conſpectu a regiis igne ſubjecto deſtructis. Poſtridie ad Arcas infelicius ab iiſdem pugnatum eſt. Nam Martini-eccleſia egreſſi ad certamen, ut in alteram ripam Arcis ſubjectam tranſcenderent, a milite per ſepes diſpoſito continuis ſcloppetorum diſploſionibus, et ex [c] noſocomio, ubi Bironus erat, infeſtati, poſtremo cum damno repulſi ſunt, [d] Carolo Aureliano Franciae priore, qui levi armaturae praeerat, et Carolo Momorantio [e] Danvilla egregie rem gerentibus. Plus CL ex hoſtibus deſiderati; [f] Monaſterius Nemoroſii vexillifer, et [g] Vetuſpontius capti. Poſt eam jacturam cum ſe hoſtes totum biduum caſtris continuiſſent, noſtri ex Poleto ultro progreſſi vicum proximum aggrediuntur, hoſtemque, occiſis plus C, loco pellunt. Diverſaque parte et eadem die directis contra noſocomium et vallum ſubjectum III tormentis, cum hoſtis aliquandiu nullo operae pretio fulminaſſet, rex ad omneis caſus intentus eo duas machinas convehi curavit; quarum contraria diſploſione infeſtati qui in vico erant, cum ad omnes injurias expoſiti nuſquam tuto poſſent conſiſtere, ad extremum equitatu et impedimentis praemiſſis locum deſerunt. Inde vis omnis omiſſo Poleto in noſocomium verſa, quod tribus diverſis diebus oppugnatum eſt irrito conatu. Tandem XI Kal. Octobr. ante diem omneis copias ſummo ſilentio in aciem inſtruunt, et, nullo tympanorum pulſu aut tubarum ſonitu edito, amnem interpoſitum tranſeunt. Rex viciſſim, id quod erat conjiciens, cum Birono, adductis ſecum IƆ equitibus, ad noſocomium venit; et ante vallum Arcis ſubjectum, foſſam ab eo bis mille paſſibus diſſitam a ſummo colle in imum pratum ultra noſocomium duci jubet, ut hoſti propior factus tandem eum a vallo, quod tuendum ſuſceperat, removeret. Noſocomium illud ad eam partem, qua hoſtis venturus erat, duas planities objectas habet, quarum altera lucum in ſummo colle aſſurgentem, altera ſubjectum pratum reſpicit, ambas confragoſo et profundo calle diviſas, qui utrinque ſepibus praealtis cingitur. A tergo alterum pratum ſubeſt, quod a collis radicibus uſque ad vallum municipio praetenſum porrigitur. Jam albeſcente aurora rex hoſtem propinquum conſpicatus in noſocomium IƆ CCC ſcloppetarios immittit, et foſſam tumultuario opere inchoatam, II Germanorum peditum et totidem volonum Helvetiorum cohortibus, aliquot Gallicis ſignis adjunctis, firmat. Tum infra noſocomium tria levis armaturae vexilla locat, quae Joannes [h] Aramburius, Lorgeus Mongomerius, et Furnarius ducebant, quibus Franciae prior cum ſummo imperio praeerat.

INTERPR. [a] *la cavallerie legere.* [b] *le mareſchal de Biron.* [c] *la Maladerie.* [d] *Charles batard de Valois fils naturel de Charles* IX, *grand prieur de France, colonel de la cavallerie legere.* [e] *le Sr de Damville.* [f] *le Sr du Moneſtier Cornette de monſieur de Nemours.* [g] *le jeune Vieuxpont.* [h] *d'Aramburu, de Montgomery Sr de Lorges, & le capitaine Fournier.*

praeerat. Iis laborantibus ſuccedere juſſi cum ſuis cataphractorum equitum alis Jacobus Nompar [a] Caumontius Forceus, Carolus [b] Martellus Baccavilla, Grimovilla Larcantius; et paulo inferius Condaci et Contii Borboniorum principum alae, et rurſus paulo ſupra Bironus cum [c] Caſtellionaei et Malignii alis ac delecta nobilitate. Ubi factum certamini initium, Joannes [d] Babous Sagonae comes, qui levi armaturae hoſtili praeerat, cum CCCC equitibus in eos incubuit; qui a III illis equitum cataphractorum vexillis in aliud, quod ſubſequebatur, equitum agmen poſt acre certamen compulſi ſunt, in quo Sagona prioris Franciae, tanquam poenas de regis patrui paricidis repoſcentis, propria manu mactatus fuit. Inde cum rurſus ſe noſtri collegiſſent, ad [e] praetorium uſque vexillum perruperunt. Helvetiis cum ſummo imperio praeerat Danvilla; qui cum legione, quam Gaſpar [f] Galatius ducebat, extra vallum, quod ab altera Helvetiorum legione ſervabatur, proceſſerat, ut regios ex pugna ſe recipienteis exciperet: quod ille opportune admodum ac ſtrenue fecit, ſpatio colligendi ſe ac ordines reſtituendi, dum inſequentis hoſtis impetus ſuſtinet, palantibus conceſſo. Nec vero hoſtis, cognita Helvetiorum fiducia, adeo acri cum irruptione invectus eſt, a [g] ſcloppetariis, quos Danvilla per ſepes diſpoſuerat, et continua ex [h] arce et ex altera amnis ripa tormentorum diſploſione infeſtatus. Alterius impreſſionis tempore Germani, qui hoſti militabant, ſive longius voto provecti, ſive molientes proditionem, ſive re vera ad regem transfugere cupientes, ad primum illum tumultuario opere ſtructum aggerem acceſſerant, dextraſque ſuſtulerant in deditionis ſignum: quibus nimia credulitate ab iis qui in aggere erant primo fides habita. Tum ſuperveniente Birono rei ignaro, cum impetum in eos tanquam hoſteis facere paratus eſſet, illi vim deprecati deditionem jam ſe feciſſe teſtati ſunt; ulteriuſque progreſſi ad locum uſque in quo rex erat venerunt: cumque rex in eos impetum facere vellet, tertio de deditione proteſtati tantum petierunt, ut ſibi de ſtipendio a Meduanio debito caveretur, idque rex ſe exſoluturum promitteret. Ita repreſſo impetu illi ad Bironum, ut cum eo agerent, remiſſi: ſed incumbente hoſtili equitatu verſis in regios armis lucum occupant, et infeſta ſcloppetorum diſploſione in Bironi agmen fulminant, ipſo Birono ex equo dejecto, ita ut regii aggerem atque adeo noſocomium deſerere coacti ſint, ſpoliatis qui in aggere erant militibus, et captis II Germanorum ſignis, atque Helvetiorum volonum uno. Neque tamen de inſigni perfidia illa multum diu hoſtis gloriatus eſt, Monpenſerio mox cum vexillo equitum ſuo et altera ala laborantibus ſuis ſuperveniente, et Caſtellionaeo cum IƆ ſcloppetariis recentibus. Quibus conſpectis hoſtes aggerem et noſocomium ſtatim deſeruerunt; in quae rex e veſtigio machinas comportari juſſit, quarum diſploſione Helvetica hoſtium legio, quae cum equitatu delecto ultimum agmen claudebat, multum damni accepit. Deſiderati ex hoſtibus amplius CCCC, et in iis praeter Sagonam Jacobus [i] Agutius Santandreanus regulus Saltuenſis comitis frater, Claudius [k] Caſtelletus Duillius ex Lotharingica nobilitate [l] Muſſipontani marchionis alae vexillifer, alii tribuni: capti Franciſcus [m] Serilliacus Avertonus Belinius caſtrorum praefectus et Ludovicus [n] Bellovallius Tremblacurius. Pauciores ex noſtris occiſi, et in iis magni nominis [o] Joſias Rupifulcaudius Ruſſii comes, egregiae virtutis et amoeniſſimi ingenii adoleſcens: graviter vulnerati Larchantius et Carolus Martellus Baccavilla, qui ex vulneribus paulo poſt deceſſit. Hercules [p] Roanus Rupifortii comes Monbaſonii ducis, qui cum rege pugnabat, frater, et Jacobus [q] Bellovallius Rivaudius, cum

Germanos

INTERPR. [a] *de Caumont Sr de la Force.* [b] *Martel de Bacqueville, & Grimeville Sr de Larchant.* [c] *de Coligny de Chaſtillon, & de Maligny.* [d] *de Babou comte de Sagone.* [e] *la Cornette blanche.* [f] *le colonel Galaty.* [g] *arquebuſiers.* [h] *du Chateau.* [i] *d'Agout baron de S. André, frere du comte de Sault.* [k] *du Chaſtelet Sr de Duilly.* [l] *le marquis de Pont à Mouſſon.* [m] *de Faudoas dit d'Averton Sr de Serillac, comte de Belin au Maine, mareſchal de camp.* [n] *de Beauvau Sr de Tremblecour.* [o] *Joſue de la Rochefoucaud comte de Roucy.* [p] *de Rohan comte de Rochefort.* [q] *de Beauvau Sr du Rivau.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS IV.

Germanos deditos putarent, ab iiſdem inſigni proditione capti ſunt. Rem longe aliter narrant foederati, non ex vero, ſed ad vulgi gratiam omnia fingentes; nimirum ex regiis altera impreſſione plus IↃ interfectos, tantaque clade perculſos Helvetios et Germanos qui regi militabant, ut VI Helvetiorum cohortes, II Germanorum, et in iis Argentinenſis, ſigna ſua victori tradiderint: Belinium vero et Tremblacurium, dum de conditionibus cum iis agerent, incumbente noſtrorum globo captos fuiſſe, et Bironum, quem captum fingebant, hoſtium manibus interim ſe extricaſſe. Conſtat certe regem campo potitum eſſe, et Meduanium, cum numero copiarum longe vinceret, repetitis ſaepius certaminibus a minore numero ſemper caeſum ac loco pulſum fuiſſe, victricemque regis fortunam veritum deinceps a pugna abſtinuiſſe. Ita biduum elapſum. Demum VIII Kalendas Octobreis, qui in Dominicam incidebat, capto circuitu Meduanius ſummo ſilentio per collem averſum caſtra movet, et tertiis caſtris inter [a]Arcas et Dieppam in adverſa collis parte conſedit. Quo cognito rex, [b]Garda Arcis cum parte legionis ſuae impoſito, cum reliquo exercitu Dieppam tendit; et parte copiarum per vicinos vicos diſtributa, majorem penes ſe in ſuburbiis retinet; tumulumque haud amplius CCCC paſſibus ab hoſtium vallo diſtantem occupat et foſſa munit; ut ambiguum eſſet, utri oppugnarent, aut oppugnarentur; cum hoſtes ſuperiores numero ſe vallo ſine ſtrepitu continerent, regii contra, qui verius peti et obſeſſi videbantur, alteros crebris velitationibus ſemper laceſſerent. Cumque tandem hoſtes Arcas verſus excurriſſent, inde cum damno a Garda repulſi ſunt, plus C e ſuis amiſſis. Poſtea directis eminus VIII tormentis in primas ſuburbii domos aliquot ictus ejaculati ſunt, qui ſummas tantum tegulas, ut e longinquo, perſtringebant. Rex contra diſploſione adverſus ipſorum machinas facta rotas earum confregit, ſic ut illi pejora veriti eas reducere coacti ſint. Tum duo majora tormenta rex CIↃ paſſuum ſpatio promoveri extra vallum jubet; quorum diſploſione cum equeſtrem ſtationem ab ea parte poſitam magna jactura afficeret, tandem III Nonas Octobr. Meduanium ab obſidione diſcedere compulit. Dum hoſtis vi aperta rem gereret, ſenatus Rotomagenſis auctoritatem ſuam interponit; et decreto IX Kalend. Octobr. facto omnem auctoritatem ſenatoribus, [c]rationalibus, vectigalium curiae et quaeſtorum tribunali, [d]Cadomum, Arcuenſem-pontem, Dieppam, et Audomaripontem tranſlatis, abrogat; decreta contra nobilitatem, quae ſacrae unioni operam dat, facta revocat; cunctis ut edictum a Meduanio Nonis Sextilibus conditum ſervent injungit; eos qui id facere detrectant divinae humanaeque majeſtatis laeſae reos, atque adeo Dei et nominis Francici hoſtes, ac poſteros, eoſque omnibus juribus, privilegiis, nobilitate, dignitatibus excidiſſe pronunciat, ac bona illorum fiſco addicit: mandat univerſis, qui arma ferre poſſunt, ut pro conſervatione religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae ad exercitum cum armis veniant, dato negotio vicecomitibus ut deſcriptionem faciant eorum qui poſt publicatum decretum domi remanſerint, ut in eos tanquam contumaces et piae cauſae deſertores legibus agatur.

XII. SUB id IVCIↃ Anglorum, duce Rogerio [e]Gulielmio, a regina Dieppam appulerunt, cum prius [f]Edvardus Staffordus cum annona et pecunia in tempore ſubminiſtrata in caſtra regia veniſſet. Meduanius, declinato [g]Sueſſionis, Longovillani, et Aumontii, qui auxilio regi venientes conjunctis copiis incedebant, occurſu, ad [h]Somonam tendit. Rex, relicto Dieppae Birono, cum delectis obviam auxiliaribus procedit; et, antequam Meduanius Somonam tranſmiſiſſet, ſub ejus oculos [i]Eſſuorum oppidum et Gamachiam ad Heptam amnem ſitum caſtellum cepit; et, poſt aliquot

INTERPR. [a] *Arques.* [b] *de la Garde meſtre de camp.* [c] *le chambre des comptes, cour des aydes, & bureau des treſoriers de France.* [d] *Caen, Pont de l'Arche, Dieppe, & Ponteau-de-mer.* [e] *Williams.* [f] *le chevalier Edward Stafford.* [g] *le comte de Soiſſons, le duc de Longueville, & le mareſchal d'Aumont.* [h] *la Somme.* [i] *Eu, & Gamache ſur Epte.*

aliquot dierum moram reficiendo militi Dieppae factam, XII Kalend. Novembr. inde diſcedit: intellectoque Meduanium ad limitem proficiſci, cum Parmenſi de tradendis aliquot pignoris loco Picardiae oppidis acturum, ut eum ab itinere ſuſcepto et a tam damnoſo Galliae propoſito revocaret, Lutetiam verſus exercitum ducere conſtituit; et, tranſmiſſo ad [a] Meulantum [b] Sequana, [c] Balneum venit exeunte menſe; diſtributiſque ad [d] Montem-rubrum, Jentilliacum, Iſſiacum, Gerardi-vallem, quae ſunt vicorum urbi vicinorum nomina, copiis, ipſe vallum ſuburbiis circundatum cum primariis ducibus luſtravit; et poſtridie, qui in Kalendas Novembreis incidebat, ea aggredi ſtatuit. Ita autem ordo compoſitus. Ad ſanctorum [e] Victoris et Marcelli ſuburbia qui vim faceret Bironus equitum tribunus deſtinatus cum Carolo filio, Joanne [f] Calvimontio Guitrio; eique attributa IV CIϽ Anglorum, cum II Gallorum legionibus et I Helvetiorum. Joannes Aumontius equitum tribunus ſecundum agmen ducebat, in quo erant IV Gallorum legiones, II Helvetiorum, quibus Carolus Momorantius Danvilla praeerat, et IV volonum cohortes. Additi ei Rogerius [g] Sanlarius Bellogardius hipparchus, et Franciſcus [h] Tugius Riuſius caſtrorum praefectus; aliique e praecipua nobilitate ad ſanctorum Jacobi ac Michaelis ſuburbia vadere juſſi. Tertium agmen X legionibus Gallorum conſtabat, I Germanorum, quam Theodoricus Schombergius ducebat, et I Helvetiorum, quibus praepoſiti Franciſcus [i] Lanovius et Franciſcus Colinius Caſtellionaeus, qui ad S. Germani ſuburbium et [k] Buſſianam ac Nigellanam portas impreſſionem facerent. Singulis agminibus II tormenta et totidem colubrinae, praetereaque e nobilitate delecti attributi, qui egregie armati, ſi quid inopinati accideret, praeſto eſſent, et pedites cum ceteris pugnarent. In totidem agmina rex equitatum diviſerat, quorum praecipuum ſibi ſumpſerat; aliis II Carolum [l] Sueſſionum comitem et [m] Longovillanum praefecerat. Ante diem cum vis facta eſſet, poſt ortum ſolem etiam coelo admodum nebuloſo pugnatum eſt, horaeque ſpatio regii ſuburbiis potiti ſunt, paucis e ſuis deſideratis, et in iis Gedeone [n] Viennenſi, Claudii Antonii Claravantii ſaepius a nobis commemorati filio, magnae ſpei adoleſcente. Ex defenſoribus plus IϽ CCC interfecti, complures capti; in quibus fuit [o] Edmundus Burgonius Dominicani ſodalitii prior lorica armatus, frequentibus concionibus poſt regis necem factum dilaudaſſe apud populum convictus. Longe maxima caedes facta in [p] Sangermano ſuburbio; et ad Turnonii vici trivium amplius CCC in acervum veluti cumulatorum, dum undique cuncti obſtinate certant, cadavera numerata ſunt; tantuſque pavor Pariſienſium fuit, ut ſi maturius tormenta ad portas, antequam intus munirentur, perfringendas adveniſſent, urbs eodem impetu capi potuerit. Lanovius ardore pugnandi provectus cum ad Nigellanam portam veniſſet, infra [q] turrem fluvio impoſitam, qua humilius vadum eſt, in Sequanam cum ſuis deſcendit, et vix repetito regis imperio, quo minus illac in urbem penetraret, revocatus eſt. Qui ſuperfuerunt defenſores ad B. Germani coenobium ſitu firmum ſe receperunt, et, cum totum diem reſtitiſſent, ſub veſperam deditionem fecere. Praeda ſuburbiorum militi ceſſit, cautumque in illa diripiendi licentia ne loca ſacra ſpoliarentur, aut illo die ſolemnis feſtivitas in templis intermitteretur, quibus frequentes proceres tanquam in alta pace interfuerunt. Interea Meduanius, qui ad Belgicum limitem excurrerat, ut cum Hiſpanis de belli gerendi ratione

INTERPR. [a] *Meulant.* [b] *la Seine.* [c] *Bagneux.* [d] *Montrouge, Gentilly, Iſſy, & Vaugirard.* [e] *fauxbourgs de S. Victor & de S. Marceau.* [f] *de Chaumont Sr de Guitry.* [g] *de S. Lary de Bellegarde grand ecuyer.* [h] *de la Tugie Sr de Rieux, mareſchal de camp.* [i] *de la Noüe, & de Coligny Sr de Chaſtillon.* [k] *les portes de Buſſy & de Neſle.* [l] *de Soiſſons.* [m] *le duc de Longueville.* [n] *de Vienne fils du Sr de Clervant.* [o] *Edme Burgoin.* [p] *fauxbourg S. Germain, & rue de Tournon.* [q] *tour de Neſle.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS IV.

ratione conſultaret, cognito regis conſilio, ſibi protinus acceleratis itineribus revertendum duxit, veritus ne per abſentiam ſuam aliqua in urbe perturbatio exoriretur. Id cum animo provideret rex, antequam ſuburbia caperet, Gulielmo Momorantio [a]Thoraeo, qui [b]Silvanecti erat, ſedulo mandaverat, ut [c]Fanum-Maxentii, qua [d]Eſia Meduanio revertenti tranſmittendus erat, milite muniret, et ad paucos dies tranſitum ipſi impediret. Verum, Thoraeo ex morbo in lectum decumbente, res ſegniter ab iis quibus commiſſa fuerat adminiſtrata eſt; nulloque impediente Meduanius illac traduxit, et poſtridie quam ſuburbia capta ſunt per ulteriorem partem urbem intravit. Quo intellecto rex, qui citra urbis ipſius exitium, quod vitatum cupiebat, vim ad eam amplius fieri non poſſe animadverteret, cum totum diem ibi haeſiſſet, poſtridie quam Meduanius advenit vaſa conclamari jubet, et, inſtructo in aciem exercitu, diu ſuos in Pariſienſium conſpectu ſub ſignis tenuit, opperiens ſi qui forte ex hoſtibus ad pugnam inſtructi exirent. Cum nemo egrederetur, ſub meridiem ad iter ſe accingit, et [e]Montem-Lerici primis caſtris venit. Et quia multi interfecti in ſuburbiorum direptione, multi capti, qui vitae metuentes vix ſe grandi pretio redemerunt, ut viduis et uxoribus eorum, quarum querelis omnia ſtrepebant, aliqua ex parte in ſpeciem ſatisfieret, Henotici concilii decreto ſtatutum eſt XII Kalend. Decembr. ut exacta deſcriptio captivorum et pretii pro iis numerati, item eorum qui inibi occiſi eſſent, a delegatis fieret, et ex bonis ſectariorum aut fautorum, quae nondum annotata eſſent, et quorum diligentem perveſtigationem iis facere permittebatur, publice venundandis jacturae ab iis acceptae luerentur. Atqui nullum angulum quantumvis ſecretum in privatorum domibus non ſcrutati antea fuerant [f]Sexdecimani et eorum aſſeclae, ut exceptione illa plane ſibi illuſum miſeri homines merito exiſtimaverint. Ceterum caſu illo valde perculſi ſunt Pariſienſium animi, paulo ante in ſpem rei confectae erecti; cum rex Dieppae obſeſſus et jam captus, brevique manibus poſt tergum revinctis adducendus, crebris a Monpenſeria appoſitis tabellariis nunciaretur: nam eo veſaniae miſera plebs a factionis illius emiſſariis decepta venerat, ut cum elabi non poſſe ſibi perſuaderet, conductis ab otioſa juxta et credula foeminarum multitudine magno pretio domibus per vicos quibus ducendus erat, et inſtructis magno paratu feneſtris, ex quibus triumphum ante victoriam ſpe ſtolida praeceptum aſpicerent. Spem excitatam auxerat, quod allata III ſigna fuerant, noſtris adempta, de quibus diximus; quorum numerum Monpenſeria, ut victoriam magis extolleret, impudenti commento multiplicaverat, additis XI ex arcis more ſuo depromptis, et VI equitum vexillis.

XIII. TUM eodem tempore alia atque alia de felicibus unionis ſucceſſibus, ſeu vera, ſive ex vero trahentia, ſive omnino falſa, undique nunciabantur: Henricum [g]Guſerium Bonivetum in [h]Bellovacis, cum Henoticis multa damna dediſſet, ad [i]Bretolium antiquo coenobio nobile municipium a Florimondo [k]*Halvinio* Pienna compulſum; et cum in publici hoſpitii granarium confugiſſet, in eoque ſe obſtinate cum paucis e ſuis defenderet, igne in foenum immiſſo, ad extremum fumo paene exanimatum ſe dediſſe, et nihilominus a foederatis interfectum eſſe, et caput ejus conto ſuffixum ab ipſo Pienna [l]Bellovacum ad paſcendos plebis efferatae oculos allatum. Quod ejus ut bene erga religionem animati factum eo impenſius a concionatoribus praedicabatur, quod proximam, quae ipſi cum Boniveto, ſiquidem utriuſque parentes fratres uterini erant, intercedebat, cognationem religionis cauſae poſthabuiſſet: et hoc verum erat. His falſo addebant, [m]Sueſſionem, Longovillanum, et Lanovium,

INTERPR. [a] *de Thoré.* [b] *Senlis.* [c] *S. Maixent.* [d] *Oyſe r.* [e] *Montlehery.* [f] *les Seize.* [g] *Gouffier de Bonnivet.* [h] *le Beauvoiſis.* [i] *Breteuil.* [k] *d'Hallwin Sr de Pienne.* [l] *Beauvais.* [m] *le comte de Soiſſons, le duc de Longueville, & le Sr de la Nouë.*

Lanovium, qui auxiliareis regi copias ducebant, a [a] Nemoroſio in itinere caeſos; II legiones exeunte Septembri nuper ab eodem profligatas: captam ab [b] Aumalio equite Hieroſolymitano ingentem navem Britannicam, quae militem, annonam, et pecuniam large *Dieppam* portabat: Germanos equites in [c] Cenomanis juxta Conarreum a [d] *Briſſaco* armis et equis ſpoliatos: in [e] Provincia auxiliareis ab Henrico [f] Momorantio Septimaniae proximae praeſide copias Bernardo Nogareto Valetae miſſas ab [g] *Ampuſio* interceptas. Et ſane his initiis res ubique in ancipiti erant. In [h] *Biturigibus* Cubis Franciſcus [i] Grangius Montinius regis auſpiciis res ſemper antea feliciter geſſerat; et [k] Gamachius paulo ante Quintili exeunte [l] Iſſodunum primariam ſuperioris regionis urbem, ope quorundam oppidanorum regiis partibus ſtudentium interceptam, regii nominis effecerat, [m] Mateſelonio, qui Cl. [n] Caſtrei provinciae praeſidis nomine ei praeerat, graviter vulnerato et capto. Quem ſucceſſum urgens, cum fruſtra [o] Vierzonum, quippe nullis fultus tormentis, tentaſſet, copias contra [p] Pratenſe coenobium ſibi a rege olim conceſſum vertit, locum II ab Iſſoduno leucis ſitu firmum, quem [q] Vauverilla praeſidio tenebat. Eo cum C delectis equitibus et CC ſcloppetariis profectus, ducto ſecum Florimondo [r] Podio Vatano juniore et Ludovico [s] Gaucurio, cum in eo eſſet ut vim faceret, Joannes [t] Barrenſis Neovius, qui per Caſtrei abſentiam provinciae praeerat, praeſidiarios [v] Magduno Biturigum et aliis vicinis locis evocat, et ad [w] Florentis-fanum venit; aſſumptiſque ſecum L Epirotis equitibus ductore Ludovico ad coenobium tendit, et conſerto protinus certamine Gamachium fundit, ipſumque capit, Gaucurio lethaliter vulnerato: multi praeterea capti et [x] Avaricum ducti. Nec incruentum fuit certamen: nam [y] Menovius ex adverſa parte lethaliter ſauciatus fuit, et aliquot Epirotae equites interfecti. Id actum III Nonas Sextileis. Sub id Joannes Ludovicus [z] Rupifulcaudius Randani comes Arvernorum praeſes, qui, a [aa] Fulvia Pica parente et Franciſco fratre epiſcopo [bb] Claromontano perſuaſus, res foederatorum in ea provincia gerebat, literas ad urbes, quae regiis partibus addictae erant, poſt regis mortem [cc] Rigomago dat, Eidibus Sextilibus, quibus eas enixe hortabatur, ut ad religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae conſervationem ſacrae unioni a ceteris urbibus juratae nomen darent. In Campania vero acriter utrinque certatum eſt. Antonius Sanpaulus, ſuis et Lotharingiae ducis copiis fretus, cum inter [dd] Eſpernaeum et Catalaunum conſediſſet, ut [ee] Remenſium vindemiam colligentibus, qua fere opes eorum conſtant, praeſto eſſet, Rob. [ff] Jouſa Granpratenſis comes, cum quo erant Cl. [gg] Torteronus ejus frater, Steus, Renatus Aſpramontius Vendius, Netencurius Valbecurtius, [hh] Lopius, Turrius, alii [ii] Sedano ab ipſo accerſiti, cognito [kk] Vitriaci Francici praeſidiarios duce [ll] Hedovilla [mm] Vitriacum-crematum, cui [nn] Aumontius exiguum praeſidium reliquerat, campeſtribus aliquot machinis ſecum ductis obſediſſe, auxilio laborantibus ſupervenit, et nec-opinato hoſteis aggreſſus fundit: ei mox ſe [oo] Carolus Ruſſius Termenſis regulus cum legione ſua conjunxit. Cumque Sanpaulus ſuorum clade irritatus cum CIↃ IↃ peditibus delectis et CCCC equitibus in armis comparuiſſet, Granpratenſis vir generoſus, poſt dirutam Vitriaci-cremati arcem, cum ſuis pari fere numero exit, et lata planitie

INTERPR. [a] *le duc de Nemours.* [b] *le chevalier d'Aumale.* [c] *au Maine prés Conarré.* [d] *le comte de Briſſac.* [e] *Provence.* [f] *le duc de Montmorency, gouverneur de Languedoc.* [g] *le Sr d'Ampus.* [h] *Berry.* [i] *de la Grange Sr de Montigny.* [k] *de Gamaches.* [l] *Iſſoudun.* [m] *de Mateſelon.* [n] *de la Chaſtre, gouverneur de Berry.* [o] *Vierzon.* [p] *l'abbaye de la Prée.* [q] *de Vauverille.* [r] *du Puy Sr de Vatan.* [s] *de Gaucour.* [t] *de Neufvy le Barrois, lieutenant general en Berry.* [v] *Meun ſur Yeure.* [w] *S. Florent.* [x] *Bourges.* [y] *le Sr de Meſneuf.* [z] *de la Rochefoucaud comte de Randan, gouverneur d'Auvergne.* [aa] *Fulvia Pic de la Mirandole.* [bb] *l'evêque de Clermont, depuis cardinal de la Rochefoucaud.* [cc] *Riom.* [dd] *Eſpernay & Chaalons.* [ee] *de Reims.* [ff] *de Joyeuſe comte de Grandpré.* [gg] *le Sr de Tourteron, d'Eté, d'Aſpremont Sr de Vendy, & Jean de Nettancourt Sr de Vaubecourt.* [hh] *de Louppes & la Tour.* [ii] *Sedan.* [kk] *Vitry le François.* [ll] *de Hedouville.* [mm] *Vitry-le-bruſlé.* [nn] *le mareſchal d'Aumont.* [oo] *Charles de Rouſſy baron de Termes.*

planitie inter Vitriacum et Amandi-fanum aciem inſtruit, altera poſt meridiem; a qua uſque ad veſperam obſtinate utrinque pugnatum eſt. Dubia fuit victoria, niſi quod ex regiis primarii duces aut lethaliter vulnerati aut capti ſunt. [a] Granpratenſis XVIII acceptis plagis cum [b] Catalaunum relatus eſſet, aliquot poſt dies deceſſit. Capti [c] Torteronus, [d] Voius, Netencurius, Bolendrius, cujus frater ea pugna deſideratus eſt. Id actum VIII Eidus Octobreis. [e] Termenſis cum legione ſua fere integra ad proximum vicum ſe recepit, poſtridie pugnam repetiturus: ſed [f] Sanpaulus, quod evenit veritus, ne auxilia Catalauno ſummitterentur, machinas [g] Fano-Deſiderii advehi imperat; quibus Termenſem loco debili concluſum, antequam ſuppetiae ferrentur, ad deditionem cogeret: quod tamen tanta celeritate fieri non potuit, quin prius Joachimus Dintevilla et Philippus Thomaſſinus cum recenti milite ſupervenerint, et Termenſem Sanpaulo diſcedente incolumem cum machinis Catalaunum reduxerint. Hoc ſucceſſu debilitatis noſtris mox Vitriacum crematum a Sanpaulo receptum eſt. Eodem menſe [h] Fara Veromanduorum ad Eſiam, quae ab Antonio [α] [i] Eſtraeo debili praeſidio tenebatur, aſtu intercepta eſt. Oppidum aliquando Michael [k] Goius Darſius tenuerat, cum Condaeus ante decennium locum occupavit; aditusque locorum notos habebat, et ſecreta cum oppidanis quibuſdam conſilia agitabat. Is igitur cum ſacrifico quodam rem componit; et, per locum arci vicinum, quo raras excubias fieri notaverat, ingreſſum pactus, Florimondum [l] Halvinium Menelei marchionem conſilii certiorem facit, qui, recenti Boniveti cognati caede ſuperbus, cum legione ſua per Picardiam late graſſabatur. Nec ille Darſio defuit; ſed mox cum [m] Buchavanio, Mevillerio, Brollio, et paucis e nobilitate, qui eum ſequebantur, eo profectus, XVII Kalend. Novembr. ſub horam V matutinam ſcalas ad locum condictum admovet, nullo oppidanorum aut praeſidiariorum ſenſu; ſicque intra urbem acceptus nullo negotio ac fere citra certamen eam in poteſtatem redegit, Eſtraeo capto, [n] Soecurio, et Gaſparis Schombergii liberis, qui nondum arma ferre poterant. Ingens aulaeorum, ſtragulorum, aureae argenteaeque ſupellectilis ac gemmarum vis in oppido reperta, a provinciae proceribus, qui maxime omnium ex omni Galliae nobilitate laute et magnifice habitant, et aliis in illud tanquam tutiſſimum locum undique comportata. Schombergius ipſe ſub motus initia ſuam, quam ampliſſimam in [o] Nantolia arce habebat, illuc convehendam curaverat: cujus grandior natu filius cum fuga poſtea evaſiſſet, minimus, vix decennis, majore inhumanitate an perfidia incertum, a Darſio multis beneficiis Schombergio patri obnoxio retentus eſt, ac vix tandem, cum Meduanius eo veniſſet, ſeu pudore ſive infirmae aetatis miſericordia ſubeunte, liberatus.

XIV. PAULO ante Toloſae tumultuatum eſt, auctore eodem illo, qui primi motus et lanienae in ea editae incentor fuerat, Urbano [p] Convenarum epiſcopo; qui cum ob ſcelera priora bonis omnibus merito inviſus, tum maxime ſuſpectus eſſe coeperat, ob religioſum ſodalitium Dominici corporis nomine ab ipſo inſtitutum, cujus praetextu, perditiſſimo quoque ex plebis faece in ſocietatem aſſumpto, ſecreta cum Hiſpanis conſilia jungebat. Itaque Gulielmus [q] Jouſa equitum tribunus, qui paulo ante exeunte Sextili inducias cum Henrico [r] Momorantio provinciae praeſide fecerat, in urbem evocatur; et, poſt maturam ſenatus et univerſorum ordinum deliberationem,

VAR. LECT. [α] Eſtraeo, homine ſecuro, debili *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *le comte de Grandpré.* [b] *Chaalons.* [c] *Claude de Joyeuſe Sr de Tourteron, comte de Grandpré, aprés la mort de ſon frere aiſné.* [d] *de Vouy, de Nettancour de Vaubecourt, & de Bolendre.* [e] *Charles de Rouſſy baron de Termes.* [f] *le Sr de S. Paul.* [g] *S. Diſier.* [h] *la Fere en Vermandois ſur Oyſe.* [i] *d'Eſtrées.* [k] *de Gouy Sr d'Arſy.* [l] *de Hallwin marquis de Meignelers.* [m] *de Bouchavanes, de Mevilliers, & de Brouilly.* [n] *de Soyecourt.* [o] *Nanteuil.* [p] *de Comminges.* [q] *le mareſchal de Joyeuſe.* [r] *le duc de Montmorency, gouverneur de Languedoc.*

deliberationem, ipſe generalis urbis et totius Septimaniae praefectus cum plena poteſtate declaratur, omni imperio aliis abrogato; cenſuraeque paſſim promulgantur in eos qui cum Hiſpanis conſilia in regni perniciem agitare dicebantur. Quae omnia cum in ſe decerni ſentiret Convenarum epiſcopus, poſt longam diſſimulationem vim extremam parat, et in [a] inſulam Tuniſiam cum cucullato fratre factioſorum anteſignano ſecedit; evocatoque [b] Becato et Monderato legato ſuo, qui mox ſuis praeſto fuerunt, Kalendis Octobribus in urbem redit; et ad [c] Albatae habita ad populum per cucullatum concione, qua diras in regium nomen et pacificandarum rerum ſtudioſos evomebat, e veſtigio prodit lorica tectus et gladium ſtringens, praeeunte ſemper cucullato, altera imaginem Chriſti cruci affixi geſtante, altera enſem nudum rotante, cum IV aliis monachis concionatoribus, quos circiter L ex vulgi ſentina ſequebantur. Ita per urbem diſcurſant: tintinnabulis undique, ut in ſeditione, per templa perſonantibus, ad arma conclamatum, ſparſo rumore quaſi religionis cauſa et omnium ſalus ageretur, et Jouſa cum ſectariis conſpirans eos in urbem ad religionem majorum abolendam et civium perniciem introducere decreviſſet. Id in charta perſcriptum epiſcopus ſublata manu per urbem circumferebat, ut a vulgo conſpici poſſet. Hac pompa incedentes ad aedeis publicas vadunt; quas cucullatus imagine, quam geſtabat, ſumma impietate pulſatas aperiri juſſit. Interea Jouſa cum primoribus urbis ad S. Stephani ſe contulerat, ſtatione ad diſturbandos primos ſeditioſorum impetus in proximo collocata. Poſtridie cum ſenatus ad eum conveniſſet, ut ad placandam plebem in commune conſulerent, rei gnarus epiſcopus ad Albatam ſuos cogit, et cum IϽC circiter armatis, ubique pulſatis tintinnabulis, ad S. Stephani progreditur, interminatus, niſi ſine mora Jouſa urbe excederet, fore, ut omnes ſuſpectorum, qui cum eo erant, domos diriperet ac incenderet. Quo metu perculſi qui circa Jouſam erant, ei auctores fuerunt, ut, quo plebs placaretur, ad tempus urbem relinqueret. Cum eo egreſſi Joannes [d] Bertrandius praeſes, et aliquot inſigniores ſenatores ac urbis cives. Victoria tanta, ut ſibi videbatur, potitus cucullatus iter perſequitur, et ex diſcurſatione ſupplicationem armatam cum epiſcopo inſtituit, lorica ſumpta et praeeuntibus IV monachis cum totidem crucibus; ad quos ſe ex ſacro ordine addicti [1] et Jeſuitae inprimis aggregaverant, et CC circiter ex vili plebe ſtrictis gladiis ac rubiginoſo ferro ſcurriliter armati. Ad latus cucullati Joannes [e] a Paulo praeſes lorica tectus et ſerica toga damaſcena ſuperindutus, [f] Barretus ſenator, et alii ejuſdem farinae homines, confuſis ordinibus incedebant. Ipſe ſacroſanctam imaginem manu geſtans, et ſubinde nunc in hanc nunc in illam partem os vertens, Eruntne, inquiebat, qui huic ſacrae militiae nomen dare recuſabunt? ſi qui erunt qui ignavi ſedebunt, eos impune domi occidendi vobis plenam poteſtatem facio. Poſt longam circuitionem dilapſa jam turba, quidam ex iis, nondum exſatiata rabie, ad archiepiſcopaleis aedeis, in quibus Jouſa habitabat, deflectunt, eaſque diripiunt; nec domibus eorum qui Jouſam ſequebantur pepercerunt. Inde ad epiſcopi Convenarum aedeis redeunt; et, aqua luſtrali aſperſis parietibus, diras regio nomini imprecati, gratias ſe Deo agere proclamant, quod illa die a ſectariorum peſte et Jouſae conatibus urbem liberaſſet. Jouſa contra, tanta injuria irritatus, proceres provinciae, ut ſibi praeſto ſint, continuo evocat; et, ſenatu in proxima urbe conſtituto, cum hoſtiliter cum Toloſanis agere apud animum ſuum conſtituiſſet, veriti factioſi ne ex ea occaſione regii majores vireis in [g] Septimania acquirerent, ſenatus nomine ad

INTERPR. [a] *l'Iſle de Tunis.* [b] *de Becat & de Monderat.* [c] *Egliſe de la Dalbade.* [d] *le preſident Bertrand.* [e] *de Paul.* [f] *Barret.* [g] *Languedoc.*

NOT. [1] *dele* et Jeſuitae inprimis. *Put.*

CIↃ IↃ LXXXIX.

HENRICUS IV.

ad eum mittunt, et concordiae ineundae rationem expoſcere prae ſe ferunt. Ille vero non aliis conditionibus in gratiam cum iis rediturum ſe aiebat, niſi epiſcopus [a] Convenarum, quem Antichriſtum ſtomachoſe appellabat, ejuſque emiſſarii dederentur; ipſe cum valido praeſidio in urbem reciperetur; et ſenatores aliique urbis primores, qui ſe ſequebantur, bonis et priſtinae dignitati reſtituerentur. Quod cum rebus initio turbatis obtineri minime potuiſſet, re infecta tunc diſceſſum eſt. Paulo poſt et magnus [b] Ratiaſti Lemovicum motus exortus, diſpari longe exitu compoſitus. Provinciae praeerat adoleſcens natalibus et opibus illuſtris Annas [c] Levius Voltae comes, ei a rege poſt Guiſianorum caedem impoſitus; qui [d] Brivatum, quod Edmondo [e] Altafortio inſtigante rebellaverat, ſcalis admotis ſumma felicitate ceperat Eidibus Aprilibus ultimis, caeſoque praeſidio tantum de ſe terrorem ſparſerat, ut [f] Tutelenſis civitas mox regium nomen amplexa ſit, et qui ex foederatis [g] Monaſterienſem et Bellacaſſaneam munitiones tenebant, eas deſeruerint. Miſſus eo fuerat paulo ante [h] Mericus Vicus libellorum ſupplicum magiſter, ſolerti vir ingenio ac perſpectae fidei, conſultor Annae datus: qui Ratiaſti, quod eſt regionis caput, commoratus, cum, urbe, quae huc uſque nutaverat, factionibus ſciſſa, provideret fore ut regium nomen, accedente praeſidis praeſentia et auctoritate, facile in ea praevaleret, Annam monet ut ad urbem veniat, ſed exiguo comitatu, ne populo feroci ac ſuſpicaci cauſam tumultuandi praeberet. Quod ille non ſegniter fecit, ſub id fere tempus quo de regis morte allatum eſt: quem nuncium ille prudenter preſſit, quouſque animos primorum civium pertentaſſet; quibus conciliatis deteſtandum paricidium evulgat, ejuſque magnitudine exaggerata cunctos ad ultionem ejus incitat, et ut Henrico IV legitimo regni heredi jam ab exercitu ſalutato fidem addicerent magno aſtantium aſſenſu impetrat. Ab eo tempore res in urbe pacatae fuere, donec contraria factione adulta Henricus [i] Martonius urbis epiſcopus, re prius cum factioſis civibus, dein cum Ludovico [k] Pompadoreo, Georgio [l] Villoclaro Guerchio, [m] Gimelii regulo, [n] Reſtiniaco, Sella, Capella-bironio, ac ceteris provinciae proceribus communicata, externis copiis diem condicit ad Eidus Octobreis, quibus ad ſuburbia urbis convenirent, quae dies in Dominicam incidebat. Eodem die cum Annas ad aedeis publicas divertiſſet, IↃ CC circiter armati ipſius aedeis circumſtant, libertatem et crucem inclamantes; et, cum eum domi non reperirent, munitiones ex doliis ſtruunt, et S. Michaelis templum occupant; ex II conſulibus alterum interficiunt, alterum graviter vulnerant. Quo cognito Annas minime ſe deſeruit, ſed, Vico annitente, qui ei ſemper praeſto fuit, portam urbis occupat, auxiliaribus, de quorum adventu inaudiverat, intercluſo ingreſſu. Inde ad aedeis publicas revertitur; ſignoque dato ex primoribus urbis IↃ egregie armati ad ipſum ſe aggregant; quibus fretus oppoſitam turbam invadit, et poſt acre certamen diſſipata plebe tandem ſuperior evaſit. Tum intellecto auxiliareis ad ſuburbia veniſſe, poſtridie ſummo mane in eos vim facit, aliiſque portis occupatis eos retro cedere compellit. Continuo comprehenſi in urbe ſeditionis auctores; qui, militari judicio ad mortem damnati, ante Annae aedeis ſupplicio publice affecti ſunt. Epiſcopo dein cum Pompadoreo abſcedente, civitas, quae altera urbis pars epiſcopali palatio firmata [o] Vigenna amne ab ea dividitur, victori patuit; ſuſpectique aemulis inſtigantibus deſcripti, eorumque nomina ad regem miſſa; qui poſtea grandi pecunia, cujus penuria tunc in caſtris maxime laborabatur, in belli uſus expendenda mulctati ſunt.

XV. INTER

INTERPR. [a] *Comminges.* [b] *Limoges.* [c] *de Levis comte de la Voute, fils de Gilbert* III *comte de Ventadour, gouverneur du Limouſin.* [d] *Brives.* [e] *de Hautefort.* [f] *Tulle.* [g] *les forts d'Emouſtiers & Belchaſſagne.* [h] *Emery de Vic.* [i] *de la Martonie.* [k] *de Pompadour.* [l] *de Villequier de la Guerche.* [m] *le baron de Gimeil.* [n] *de Reſtignac, de Selles, & la Chappelle-Biron.* [o] *la Vienne.*

XV. INTER has turbas ſenatus, qui Lutetiae jus dicebat, quantum poterat, auctoritatem ſuam tuebatur. Itaque convocatis univerſis claſſibus, poſtulante cognitore regio, quo licentiae inter ſuae factionis homines graſſanti occurreretur, III Eid. Septembr. ſenatus-conſultum factum eſt; quo, poſt ſancitam unius Catholicae Apoſtolicae Romanae religionis confeſſionem, ne quis haereticos eorumque fautores conſilio, auxilio, aut ope, ulla re, collatione pecuniae quovis modo aut praetextu facta juvet, prohibetur; qui contra fecerit, pro divinae et humanae majeſtatis laeſae reo habeatur: inſuper, ne qua vis cuiquam fiat, aut in cujuſquam bona aut perſonam in urbe manus injiciantur, niſi cum expreſſo magiſtratus mandato; praeterea ne coitiones in urbe ſine magiſtratus ejuſdem auctoritate celebrentur, aut ullae collationes imperentur, niſi eae prius convocato urbis concilio decretae fuerint: ne item libelli famoſi vaenum proſtent: cuncti juſtitiam ac ejus miniſtros revereantur.

XVI. PAULO ante ingens conſpiratio [a] Caeſaroduni Turonum detecta fuit ineunte Septembri, incentore Roberto [b] Cheſſaeo Franciſcano et Aegidio [c] Vergerio olim urbis praetore, qui Meduanio ſuburbiorum invadendorum Maio proximo auctor fuerat, et poſt irritum conatum [d] Vindocinum conceſſerat; ubi in arctam Cheſſaei familiaritatem venit, et hominem alioqui gloriolae potius quam turbarum cupidum, et antea erga regem defunctum bene animatum, tunc vero mutatis temporibus a regio nomine alienum, facile impulit, ut vehementibus ac aſſiduis ad populum concionibus res acerbaret, et per ejuſdem ſui ordinis monachos, qui complures [e] Bloeſis et Caeſaroduni erant, novas turbas excitaret. Nam habebat ipſe e plebe multos in urbe, in qua cum aliqua auctoritate et aequitatis extra factionem opinione diu jus dixerat, ſibi addictos, quos occaſione data minime ſibi defuturos confidebat. Igitur Renato [f] Marrio Bloeſis evocato, perditae vitae adoleſcenti, cui libere Caeſarodunum commeandi facultas erat, facile perſuaſerat, ut ſe generoſo de urbe a ſectariorum jugo liberanda, ſic regios magiſtratus vocabant, conſilio accingeret: qui rerum inexpertus, nec ſceleris magnitudine aut periculo ſatis penſitato, Caeſarodunum profectus, cum vilibus hominibus, quos illi Vergerius nominaverat, capita confert, et apparitore quodam inter alios nomine [g] Corvo. Sic autem res componitur; ut ſolemni inter eos ac recepto more ſectarios ad urbem diripiendam veniſſe jactarent, eoque ſigno ſeditionis dato arma conjurati caperent, et Carolum Borbonium [h] Vindocinum et Philippum Lenoncurium cardinaleis, alioſque regii conſiſtorii proceres, Jacobum [i] Faium Speſſaeum curiae praeſidem, et Ludovicum [k] Servinum regium patronum, maxime ſibi, ut aiebant, infeſtum, denique Aegidium [l] Sovraeum Turonum praefectum, alioſque urbanos magiſtratus de medio tollerent, et hinc Claudium [m] Caſtreum, inde Georgium [n] Villoclarum Guerchium, quibus dies condicta erat, cum ſuis venturos intra urbem admitterent, et urbem in poteſtatem redactam foederi ſacrae unionis addicerent. Erat in urbe Florens [o] Guiotus Eſſartius, unius e tribus, quas rex praeſidio impoſuerat, cohortis praefectus; qui [p] Salmuria a rege amotus, ut ea Navarro conſignaretur, cum id poſt regis mortem, a quo ingentia praemia, ut aiebat, exſpectabat, iniquo animo ſe ferre ſimularet, in conſcientiam facti a foederatis acceptus eſt; iſque omnia, ordine et tempore quo convenerant, Vindocino cardinali et Sovraeo aperit. Ex quo re cognita, et, quanquam incertis initio probationibus, tamen ſuſpicione ex Corvi illius, quem dixi, ſub id tempus fuga concepta, Marrius ſimulato habitu comprehenditur, et literis interceptis et teſtibus convictus, poſtremo quaeſtioni ſubjectus, cum rem confeſſus eſſet, ad mortem damnatur,

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *de Cheſſé cordelier.* [c] *du Vergier, lieutenant general de Tours.* [d] *Vendoſme.* [e] *Blois.* [f] *Marrier.* [g] *Corbeau.* [h] *les cardinaux de Vendoſme & de Lenoncourt.* [i] *de Faye Sr d'Eſpeſſes.* [k] *Servin avocat du Roy.* [l] *de Souvré, gouverneur de Touraine.* [m] *de la Chaſtre.* [n] *de Villequier vicomte de la Guerche.* [o] *Guyot de l'Eſſart.* [p] *Saumur.*

CIↃ IↃ LXXXIX. HENRICUS IV.

damnatur, corpuſque ejus in IV partes ſectum, quae totidem patibulis ad portas urbis affixae ſunt. Capti et conſcii ab eo nominati, et in iis N.[a] Tornator Sanmartiniani collegii ſodalis; qui ob atrocitatem criminis cum ſe praeſcriptione fori nequicquam defendiſſet, privilegio indignus pronunciatus eſt, et cum aliis IV ad mortem damnatus; ſed ob ſacerdotalis dignitatis reverentiam, [b] Vindocino intercedente, diu in carcere aſſervatus, ac tandem liber dimiſſus eſt. Inde arrepta a foederatis occaſio regios calumniandi, quaſi in ſacerdotes et vitam religioſam profeſſos, nullo dignitatis ſacrae reſpectu, et praevalente adverſus leges odio, ſaevirent. Itaque Lutetiae ſenatus-conſultum factum eſt itidem III Eidus Septembreis, quo, ut querelis ſeditioſorum, bonos Catholicos, ut aiebant, ob religionis cauſam [c] Caeſaroduni Turonum diris poenis vexari et ad mortem damnari a judicibus quiritantium, ſatisfieret, audito cognitore regio, qui ab illorum judicum tanquam poteſtatem non habentium ſententiis appellare ſe profeſſus eſt, judicia illa omnia revocantur; et gravibus poenis ſancitur, ne quid a quibuſcunque judicibus in Catholicos ob religionis Catholicae et unionis cauſam decernatur; partibus, ut ab hujuſmodi judicibus appellent, et judicibus ſeu delegatis diem dicant quo ſe ſenatui ſiſtant, ad cognitoris generalis poſtulata reſponſuri. Inde ſumptis majoribus animis, qui unionis concilium in urbe celebrabant, edictum ipſo eodem die condunt, idque tubicini Caeſarodunum ad ſenatum perferendum dant; quo, conſiliariorum unionis et praefecti mercatorum ac aedilium urbis nomine, judicibus, qui Caeſaroduni ſunt, denunciant, niſi a crudelitate, quam in Catholicos, ac praecipue contra eccleſiaſticos, hactenus exercent, deinceps abſtineant, fore ut religionis Catholicae Apoſtolicae Romanae ac patriae in bello contra ſectarios decreto deſertores habeantur, in eoſque tanquam hoſteis declaratos, eorum uxores, liberos, cognatos, ac bona proſcriptionibus et jure talionis, eadem prorſus ratione qua erga alios utuntur, ſevere animadvertatur. Tubicen Caeſarodunum profectus cum a [d] Papilione cohortis urbanae ductore captus eſſet, [e] oſtiario ad eum ſenatus mandatu miſſo, ut quid ferret ex ipſo cognoſceret, ubi de mandato ejus ſcriptis comprehenſo conſtitit, Jacobus [f] Gueſlaeus cognitor regius intervenit, et multa de perduellionum hujuſmodi temeritate et pervicacia dixit, qui non ſatis habuerint praetextu religionis omnem Galliam commoviſſe, ſicarios contra regem ſubornaſſe, niſi et erroneam Wiclevi, Joannis Huſſi, et Bohemorum ſententiam a concilio Conſtantienſi damnatam renovarent; nimirum licere ſubditis ab obſequio principis arbitrio ſuo diſcedere: etiam ad haec additas calumnias, et pleraque injurioſe et praeter verum ab iis evulgari, ut cum curiam parium, legitime ob ipſorum rebellionem Lutetia Caeſarodunum a rege tranſlatam, in Catholicos inclementer multa ſtatuere blaterant: nam quod nuper in quoſdam religioſos et ſacerdotes animadverſum ſit, id jure factum ad refraenandos truculentae conjurationis jam jam parturientis effectus; et tantum VI ex omni conſciorum numero ſupplicio affectos, prius et ſcripto et teſtibus et ipſorum confeſſione convictos: nimirum [g] Cheſſaei, qui nunc Vindocini concionatur, et [h] Vergerii exulis inſtigatu, qui facinus Renato [i] Marrio Franciſcano Bloeſenſi juveni deploratae nequitiae perſuaſerunt, ſubornatos ſicarios, qui regii ſanguinis principes, cardinaleis, praefectum urbis, primores ſenatus, alioſque magiſtratus ſeditione excitata de medio tollerent; ipſum Marrium cum obſoleto et a profeſſione ſua alieno amictu repertum, ac proinde fori praeſcriptione, a qua alioqui minime excluſus fuiſſet, indignum judicatum, morte crimine digna plexum: at unum ex iis Sanmartiniani collegii ſodalem, ob ſacerdotii reverentiam, quamvis morti adjudicatum, tamen adhuc carcere attineri, donec rex

INTERPR. [a] *le Tourneur chanoine de S. Martin.* [b] *le cardinal de Vendoſme.* [c] *Tours.* [d] *Papillon.* [e] *Huiſſier.* [f] *de la Gueſle procureur general.* [g] *de Cheſſe.* [h] *du Vergier.* [i] *Marrier Cordelier de Blois.*

rex pro aequitate ſua de ipſo ſtatuerit: an propterea ſenatum in ſeveritate peccare, aut adeo quidquam contra leges facere, quod exploratores, quod proditores et emanſores, quod denique vitae alienae inſidianteis poena capitis dignos cenſuerit? non enim qui talia ſuadent, probant, perpetrant, ab eccleſia Catholica Apoſtolica Romana, quod impudenter jactant, edoctos, ſed ex ſentina Mahumetana venenum illud hauſiſſe; atque adeo ex illa colluvie propagatos, qui B. Ludovici temporibus, cum virtute aperta non poſſent, ad principes Chriſtianos ex inſidiis interficiendos ſe devovebant; et nunc, nondum reſtincta cruoris humani ſiti, regiae ſtirpis proceribus B. illius Ludovici nepotibus inſidiari: nihilominus per calumnias et falſos rumores praeoccupatis ingeniis, multos ſecus de rege ejuſque familia, ac proceribus qui regias partes ſequuntur, atque adeo de ſenatu, exiſtimare; ac proinde petere, ut per apparitorem Lutetiam mittendum declaratio de religione Catholica Apoſtolica Romana conſervanda pridie Nonas Sextileis a rege facta, et decimo poſt die in ſenatu promulgata, inſuper ſenatus-conſulta de concionatorum, mendicantium ordinum, aliorumque vitam monaſticam profeſſorum ac theologorum officio, ac debita regi obedientia, in ea urbe promulgentur. Haec et alia Gueſlaeus cum poſtulaſſet, ſenatus decernit, ut declaratio memorata, inſuper ſenatus-conſulta per tubicinem Lutetiae promulgentur; judicibus et magiſtratibus urbanis, ne ſenatus, curiae vectigalium, et praefecti mercatorum ac aedilium nomen ſibi ſumant, aut ulla mandata, denunciationes aut diplomata faciant; Pariſienſibuſque et aliis tributariis ne iis obediant, aut pecuniam in belli ſumptus aut alias res expendendam conferant, inhibet; mandatque univerſis, ut hujuſmodi mandata impediant, vi armata et pulſatis paſſim tintinnabulis plebem ruſticam contra eorum executores concitent; quos tanquam laeſae majeſtatis reos omni dignitate nunc et in poſterum indignos pronunciat, eorumque bona proſcribit, parte tertia iis reſervata qui ipſos capient, et vivos ſeu mortuos juri ſiſtent. Inſuper ſtatuit, ut, ſi per Pariſienſium rebellionem tubicen juſtam promulgationem in urbe facere prohibeatur, proximis locis, ad quae accedi tuto poſſit, ea fiat, tantaeque efficaciae habeatur, ac ſi Lutetiae facta eſſet: tubicen Lutetia miſſus tantiſper in cuſtodia retineatur, donec rex de re tota certior factus de eo ſtatuerit. Id actum IV Kalendas Octobreis. Quo eodem die ſenatus-conſultum aliud factum, quo decretum eſt, cognitore regio poſtulante, ut teſtamentorum, donationum, aliorumque contractuum inſinuationes fieri ſolitae in juriſdictione locorum, ubi bona de quibus agitur ſita ſunt, aut partes contrahentes domicilium habent, ſi propter rebellionem ad ea tutus acceſſus non ſit, in archivis curiae fiant, tantumque valeant ac ſi in locis conſtitutione regia praeſcriptis factae eſſent. Jam quadrimeſtre fere a morte Henrici III exierat, et, bacchantibus immani laſcivia ubique foederatis, regium nomen calcabatur; et cum cardinalis Borbonii jus initio in regni ſucceſſione olim rege ſuperſtite contra regni jura adverſus Navarrum tam animoſe defendiſſent, tamen ejus captivi, quaſi amplius in vivis non eſſet, mentio omnis ex foederatorum animis omnino obliterata fuerat; et ſenatus-conſulta et decreta ac diplomata publica tantum curiae, concilii unionis, aut [a] Meduanii nominibus praeſcribebantur. Cumque, ut miſeri hominis ludibrio hactenus habiti memoria renovaretur, a ſuis de penſione illi e publico attribuenda ſermo injectus fuiſſet, ac libellus ea de re confectus ab Antonio [b] Hotomano unionis concilio oblatus eſſet, quo cardinalis Borbonii tanquam regis nomine id ſuppliciter petebatur, Hemarus [c] Hennequinus Redonum epiſcopus, qui tunc praeſidis officio in conſeſſu fungebatur, intempeſtiva ſeveritate Hotomanum increpuit, quod parum convenientibus regio faſtigio verbis libellum concepiſſet;

INTERPR. [a] *le duc de Mayenne.* [b] *Hotman.* [c] *Hennequin evêque de Rennes.*

concepiſſet; non enim decere, ut rex qui ſit ſupplicibus verbis coram ſubditis ſuis agat. Cum igitur Hotomanus mox emendato errore inſtaret, ut petitioni ſuae ſatiſfieret, nec referre multum diceret, per libellum an verbo, quod petebatur, ab iis obtineretur, modo obtineretur; poſt longam deliberationem, quaſi res in ſcena ageretur, ridicule reſponſum eſt, tanta belli mole incumbente rationes aerarii non ferre, ut cardinali regi penſio de publico procederet; ceterum curaturos Henoticos, ut ampliſſima ejus ſacerdotia, quae a Dei regnique hoſtibus occupari cauſabantur ſui, ipſi quamprimum reſtituerentur; ex quorum opimis vectigalibus vitam et ſumptus familiae alendae neceſſarios uſque ad belli exitum toleraret. Qua re majeſtati regiae ac inprimis regii ſanguinis familiae illudi cum univerſi viderent, plerique indignarentur, paſſim murmura ut inter confuſos exaudirentur; ex cauſa religionis, quae ordine agi debuit, omnium rerum perturbationem induci, incerta regni ſucceſſione, et interregno, quod maxime vitatum oportuit, affectato, ut per illud omnia impune liceant, et religio, quae niſi ſalvo regno ſervari non poteſt, eo in partes lacerato, in periculum vocetur: id ſaepius ab adverſariis praedictum, nec vulgo creditum; nunc quid dicturos eos, aut quid vulgus non crediturum, cum videant regii ſanguinis familiam omnino explaudi, omnia ſine rege ac ſine lege inter foederatos agi? ſi enim Navarrus et ſuccedendi ordine a patruo excluditur, quod rege ſuperſtite nuper diſputatum fuit, et alioqui ob ſectarii veneni malum merito indignus ſucceſſione habetur, cur cardinalem Borbonium nunc negligi, ac, veluti et ipſe indignus ſit, injurioſe praeteriri? annon jam omnibus manifeſtum fieri, non religionis cauſam, quod adverſarii ſemper nobis objecerunt, hoc bello agi, ſed regnum ipſum peti, ut illud, cujus ſalutem ipſi cupere prae ſe ferant, aut inter partes Hiſpanorum arbitrio diſtractum pereat, aut in externam familiam, quod Franci ſemper exhorruerunt, transferatur? Haec non inſcio Meduanio jactabantur; qui etſi interregnum malebat, et ſciebat ita pontifici placere, ut de rege in regno ipſius auctoritate conſtituendo, quaſi certus eſſet nullus, res integra ad legati in Galliam deſtinati adventum ſervaretur, tamen invidiam veritus, et Hiſpanorum factionem, quae incerta ſucceſſione in regno quotidie creſcebat, labefactatam cupiens, ſenatus-conſultum condi curat, quo, poſtulante cognitore regio, convocatis univerſis claſſibus, decernitur, ut ab omnibus regni ſubditis, cujuſcunque conditionis ſint, Carolo x tanquam legitimo regni heredi fides et obſequium deferatur; cui omnes vitam, opes impendere teneantur, ut eum e captivitate, in qua detinebatur, in libertatem aſſerant, manente interim penes Meduanium vicarii generalis titulo et auctoritate, quouſque rex in plenam libertatem aſſeratur: ejus nomen deinceps in omnibus ſenatus-conſultis et actis publicis inſcribatur, et moneta publica cum ejus item nomine et effigie cudatur. Id actum xi Kalendas Decembreis. Et octavo poſt die rurſus ſenatus-conſultum fit, quo principes, pares, equitum tribuni, proceres regiae coronae publica munia exercentes, praefecti provinciarum, ad comitia ordinum in proximum Februarium Meduanii auctoritate Metioſedum, hodie [a] Melodunum, indicta conveniant, de rege liberando, religione Catholica Apoſtolica Romana in regno conſervanda, aliiſque rebus ad ſalutem publicam ſpectantibus in commune conſultaturi.

XVII. Festinata comitiorum indictio ad accelerandum adventum Henrici [b] Cajetani cardinalis, quem foederati verebantur ne remorarentur literae a Franciſco [c] Lucemburgico Pinei duce ad pontificem ſcriptae, quibus cum orabat, principum et procerum regni qui cum rege erant nomine, ne, ante adventum ſuum ad urbem, legatum in Galliam deſtinatum mitteret. Quibus acceptis cum ſpem initio feciſſet pontifex, adventum ſe Lucemburgici exſpectaturum, a quo de ſtatu rerum regni

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *Gaetano.* [c] *de Luxembourg duc de Piney.*

regni edoceri expetere prae ſe ferebat, nihilominus inſtante Lazaro [a] Coqueleio, qui periculum in diuturniore mora, a noſtris, ut aiebat, de induſtria ad res perturbandas affectata, eſſe oſtendebat, Cajetanus acceptis pontificis mandatis ejuſdem juſſu in viam ſe dedit exeunte Octobri; et cum [b] Lugdunum veniſſet, aliquandiu in ea urbe et poſtea [c] *Divione* commoratus eſt, copias idoneas, a quibus per Galliam tuto deduceretur, in dies exſpectans. Hujus mandatis, Eidibus ejuſdem menſis Romae datis, pontifex, multa magnifice de florentiſſimo hoc regno praefatus, commemoratis etiam regum erga ſanctam ſedem meritis, quorum memoriam nulla unquam obſcurabit vetuſtas aut delebit oblivio, viciſſim ſanctae ſedis in reges Galliae tanquam chariſſimos ſanctae Romanae eccleſiae filios plurimis beneficiis, paternaeque charitatis ac mutuae benevolentiae non obſcuris ſignificationibus; tunc deplorata praeſentis ſtatus calamitate, ſe deceſſorum ſuorum veſtigiis inhaerentem, ut tantis malis remedium idoneum afferret, habita cum S. collegii ſenatoribus matura deliberatione, Cajetanum cardinalem ad regnum Franciae delegaſſe dicit, ut divina aſpirante gratia evellat, deſtruat, diſperdat, diſſipet, aedificet, atque plantet, prout ad Dei optimi maximi gloriam ſalutemque animarum in Domino ſalubriter cognoverit expedire; conſiliiſque optimis inſtructus in cunctis ac ſingulis regni partibus Catholicam fidem tueri, et haereticos ad unionem et ſanctae matris eccleſiae gremium reducere procuret; ac poſtremo efficiat, ut cuncti in eo regno, Catholicae religionis cultu ubique reſtituto, et publica pace ac tranquillitate parta, ſimul ſub uno, eoque bono, pio, ac vere Chriſtianiſſimo rege vitam ſecuram degere, et eidem omnipotenti ac clementiſſimo Deo gratias agere valeant immortaleis. Ad extremum principes, proceres, ac cunctos regni ordines per viſcera miſericordiae hortatur, obſecrat, et obteſtatur, ut, memores verae et Catholicae majorum ſuorum pietatis, haereſim peſtem, quam ab aliis provinciis tam ſaepe antea propulſarunt, nunc demum a ſuis cervicibus omni ſtudio depellant, et exitialis hydrae in animarum pretioſo Chriſti ſanguine redemptarum perniciem toties renaſcentia capita tandem aliquando amputent et praecidant; diſſidiorum inter ſe ac diſcordiarum fibras ac radices penitus evellant, eaſque perpetua oblivione ſepeliant; unanimique conſilio depoſitis armis, veraque pace conſtituta, ac Dominico grege veluti in unum ovile reducto, uni vere Catholico et legitimo regi debitam obedientiam praeſtent: inprimis deſignatum legatum qua par eſt reverentia excipientes, ac debita honorificentia proſequentes, ſic ejus ſalubribus monitis ac mandatis obtemperent, ut, praeter eos quos in hac mortali vita fructus capient, coeleſtis etiam ac ſempiternae gloriae praemia a benigno ſolidorum bonorum largitore Domino haud immerito exſpectent. Nullam miſeri cardinalis captivi cum his mandatis fieri mentionem, tantum ambigua quaedam de legitimo rege verba addita viderent, ſic judicabant qui inter foederatos aequiores erant, id agi ut familia regia omnino expungeretur: quorſum enim rem in incerto relictam, atque adeo praeteritum cardinalis Borbonii nomen, qui rex illis certus eſſe debuit, ſi quidem Navarrus ob eas quas obtendebant cauſas ſucceſſione indignus habebatur? Itaque ex eo aucta inter ipſos murmura, quae nec ſenatus-conſultorum recenti promulgatione compeſci potuerunt; quippe ea potius facta ad placandos in praeſens bonorum animos interpretabantur, quam quod ita pontifici, et iis qui ejus auctoritate res in regno adminiſtrabant, propoſitum eſſet, multique ob id ſenſim a foederatorum partibus alienari coeperunt. Interea [d] Lucemburgus cum mandatis principum ac procerum, qui circa regem erant, in caſtris ad [e] Nuellium tertio ab urbe lapide XVII Kalendas Septembreis Ludovici [f] Revolii regi a ſecretis epiſtolis manu

INTERPR. [a] *Coqueley.* [b] *Lyon.* [c] *Dijon.* [d] *le duc de Piney.* [e] *Neuilly.* [f] *d. Revol.*

manu ſubſcriptis, juxta gratiam illis a rege, cum illi obedientiae jusjurandum dixerunt, factam, ad iter ſe accinxerat; qui, per Helvetios ac Rhaetos facto itinere, ſerius in Italiam pervenit, et Venetias primum, dein Ferrariam, Mantuam, et Florentiam divertit, ut illuſtriſſimum ſenatum, et principes illos, ad quos a rege novo literas habebat, ſalutaret, et literas commendatitias ab iis ad pontificem, alioſque, ad cauſam regni, cujus ſalus ad ipſos et univerſam Italiam pertinebat, adjuvandam obtineret.

XVIII. Rex vero poſt capta ſuburbia cum [a] Lerici-montem proceſſiſſet, cognito Alexandrum [b] Caſtellonovum Claromontii in Lodevenſi Septimaniae dioeceſi comitem, juvenem ſplendore familiae quam prudentia in illa aetate meliorem, ad foederatorum partes defeciſſe, et [c] Stampis ſeu fortuna ſeu conſilio cum L circiter e nobilitate ſe incluſiſſe, primis caſtris ſub veſperam Nonis Novembribus eodem venit. Ferebatur Claromontium certam ſpem de auxiliis a Meduanio ſummittendis concepiſſe; idque ex literis interceptis conſtabat: quod et ſpem regi fecit, poſſe cum Meduanio ex ea occaſione confligi. Capta primo impetu ſuburbia, et mox urbs ipſa a praeſidiariis deſerta eſt, qui in arcem cum omni nobilitate ſe receperunt. Cum nuſquam promiſſa auxilia comparerent, biduo poſt fit deditio, his conditionibus, ut VIII ex primariis captivi remanerent, et, ut dimitterentur, totidem ab hoſte captos tunc nominatos dimitti curarent. Claromontio tamen et duobus tribunis ea a rege gratia facta, ut libere accepta fide abire permitteretur. Urbis exiguo tempore jam ter captae ac direptae rex miſertus, ejus cuſtodiam oppidanorum fidei commiſit, deſtructa arce, ne amplius graſſantis militis ludibrio obnoxia eſſet. Cum adhuc Stampis eſſet, literas ab Aloiſia defuncti regis vidua accepit, adjuncto libello, quo regem et proceres, qui cum rege erant, de deteſtando regis deceſſoris ſui paricidio vindicando interpellabat, deque eo juris via ſibi ſatisfieri inſtanter poſtulabat. Ea jam de re literas ad regem dederat VIII Eidus Septembreis. Tunc vero recitato palam in procerum conſeſſu libello magna animorum commotio exorta eſt, a lachrimis ubertim profuſis facto initio; quas omnium mox indignatio ſecuta eſt, ad juſtam ultionem paratorum. Rex libellum ad ſenatum remiſit ad probationes conficiendas, ut iis confectis ipſe coram de iis cognoſceret, et judicio intereſſet; prius praefatus laudare ſe reginae ſororis pietatem ac moderationem, quae contra divini humanique juris violatores jure experiri non recuſaret: ceterum ipſe aliam ejus ultionis armis faciendae rationem ſibi ſervare. Poſtea, cum hoſtem nuſquam ſe commovere cerneret, copias dividit, et partem [d] Longovillano et Lanovio attribuit, cum qua in Picardiam ſe conferrent, ut provinciam in officio continerent. Annam [e] Angluriium Givrium, qui cum delectis copiis paulo ante Pariſienſem expeditionem venerat, in Briam pariter remittit. Ipſe Ligerim verſus ad res illarum provinciarum ordinandas proficiſcitur, et per [f] Belſiam facto itinere, ac [g] Janvilla recepta, [h] Caſtellodunum divertit; ubi ad eum venerunt [i] Helvetiorum tribuni, qui poſt regis mortem ad pagos ſuos profecti erant, ut quid eorum voluntatis eſſet hoc rerum in Gallia ſtatu coram cognoſcerent, et ad regem referrent. Ii ergo retulerunt, ſuos pagos in fide, quam deceſſori ſuo jurarunt, cum ipſo manere decreviſſe, ac jubere ut militares copiae, quae in exercitu ejus ſint, eidem operam navare pergant, ac cupere ut foedera cum felicis memoriae regibus Franciae inita cum ipſo renoventur. Cum iis venerat Jacobus Auguſtus Thuanus, qui Veronae iter cum Gaſpare Schombergio [k] Tridentum tendente diviſerat, et per [l] Rhaetos, Tigurinos, Baſileam, Sequanos, Lingones, periculoſo ſemper itinere Helvetiorum duces ſecutus fuerat, et quid poſt regis exceſſum in Italia actum eſſet coram regi expoſuit.

INTERPR. [a] *Montlehery.* [b] *de Caſtelnau comte de Clermont de Lodeve en Languedoc.* [c] *Eſtampes.* [d] *le duc de Longueville, & le Sr de la Nouë.* [e] *d'Anglure de Givry.* [f] *Beauſſe.* [g] *Janville.* [h] *Chateaudun.* [i] *les colonels des Suiſſes.* [k] *Trente.* [l] *pays des Griſons, Zurich, Baſle, la Franche-Comté, & Langres.*

XIX. Ita autem res habet. Intellecta regis morte cum Venetiis eſſet, primo minime nuncio addita fides: nam Joannes [a] Mocenicus Venetus orator, qui rege ad exercitum proficiſcente [b] Caeſaroduni Turonum cum concilio remanſerat, cum ad primam rei famam id ſcripſiſſet, et longe ab exercitu, ubi rex deceſſerat, abeſſet, prudentiores exſpectandum cenſebant, dum repetitis Mocenici literis id confirmaretur. Interim, more inter Italos recepto, crebrae ſponſiones factae: et quanquam [c] Mediolano, Ferraria et Florentia, ipſo eodem tempore idem conſtanter nunciaretur, auctus tamen ſponſionum aeſtus; comploratione inde exorta quaſi in reipublicae funere, inde indignatione et ira in Dominicanos; ita ut cum ſub veſperam quidam ex nobilitate juvenes in duos ex eo collegio vaganteis incidiſſent, alterum male acceptum male mulctaverint, alterum in majorem canalem non ſine vitae diſcrimine praecipitem dederint, et inſtitutam ob id mane apud ſenatum querimoniam patres ſolita prudentia eluſerint, cum dicerent, parum convenire religioſam vitam profeſſis a domo ſua per noctem vagari, neque in libera civitate, ad quam tot nationes confluerent, eo tempore injurias et laſciviam penitus poſſe prohiberi. Ea facies urbis fuit a XIX, quo literae primae Mocenici allatae ſunt, uſque ad XII Kalend. Septembreis, quo ſecundae ab eo venerunt, quibus et omnem dubitationem tollebat, et inſuper addebat, Navarrum a principibus, proceribus, ac belli ducibus ſummo conſenſu regem ſalutatum tanquam legitimum heredem, et univerſum exercitum in verba ejus adactum: quod ingentem dolorem ex morte deceſſoris ſui conceptum non ſolum ſtatim deterſit, ſed in certam ſpem ſenatum haerentem adduxit, fore, ut regnum florentiſſimum et toto Chriſtiano orbe primarium, quod veluti inter ceteros principes, ne a potentiori opprimantur, Juris ſtateram tenet, et aequilibrium Fortunae quodammodo moderatur, quodque ictu illo concidiſſe omnino ſapientiores putabant, Navarri virtute tot adverſitatibus perſpecta erigi, et priſtinum vigorem ac robur recuperare poſſet. Sic enim judicabant, ſi regnum ſervari poſſet, non niſi ſervato legitimae ſucceſſionis ordine ſervari poſſe; ad quam cum jure legitimo Navarrus vocetur, prudentiſſime feciſſe principes ac proceres, qui regni ac ſuae ſaluti proſpicientes jus illi ſuum ſervarunt: eam vero de Navarro ejuſque virtute non modo inter Francos ſed apud externas gentes conceptam omnium opinionem eſſe, ut quod ille ad communem ſalutem praeſtiturus non ſit, a nemine in toto regno ſperari aut exſpectari queat: conſenſum denique principum, procerum, ac nobilitatis Gallicae ſpem certam facere, ut regnum paene collapſum denuo inſtaurari poſſit: nam ſi nullus certus regni heres eſſet, ad eos vere pertinere regis deligendi arbitrium: itaque cum in eum et jure ſubnixum et vere regio faſtigio dignum unanimiter conſenſerint, dubium non eſſe, quin fauſta ac felicia futura ſint illius inaugurationis auſpicia; ac debere omnes, qui regnum Francicum ſalvum cupiunt, de eo bene ominari, et conſilio, gratia, commendatione, opibus, legitimi regis tanta virtute praediti et tam laudabili nobilitatis conſenſu in ſolio conſtituti fortunam adjuvare. His rationibus cum per biduum in ſenatu Veneto diſſertatum eſſet, libertate facta ut contra diſſerere liceret, quod in ea republica fieri conſuevit, nemo repertus eſt qui Navarrum pro rege Franciae non agnoſcendum diceret. Tantum fuere, qui ob religionis impedimentum, et pontificis nimium vicini offenſionem, de illo agnoſcendo deliberationem ad tempus ſuſpendendam conſulerent. Idque maxime urgebat Sabaudiae ducis orator: et tunc forte Philippus, poſt intermiſſum illud per XVII annos officium, cenſurae a pontifice contra regem decernendae, ut putatur, gnarus, oratorem Venetias miſerat, qui cum Caeſareo legato inſtabat, ut Navarri tanquam regno

CIϽ IϽ LXXXIX.

HENRICUS IV.

regno

INTERPR. [a] *Mocenigo.* [b] *Tours.* [c] *Milan.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS IV.

regno indigni nuper a pontifice pronunciati nulla ratio haberetur. Nec legatus pontificis ſibi deerat, qui a Philippico incitatus per prenſationes nihil reliqui faciebat, quo ſenatum a tam prudenti conſilio dehortaretur, minis ſubinde additis: nam fore, ſi ſenatus Navarrum regem Franciae agnoſceret, ut ipſe Venetiis relictis Romam diſcederet, et pontifex ob neglectas ipſius cenſuras in ſenatum ipſum cenſuris ageret. Ad quae ſic ſenatus nomine reſpondebatur: minime pontificis cenſuras negligi; ceterum maxime reipublicae intereſſe, ut rex certus in Franciae regno eſſet, quem ipſi comiter colerent: cum autem eum videant Navarrum eſſe, non poſſe non cum ipſo eandem, quam cum deceſſoribus ſuis exercuerunt, amicitiam colere; praeſertim cum intelligant iſtic cardinaleis ipſos, qui pontificis conſiliarii ſunt, eum Franciae regem ſalutaſſe, et tanquam legitimo regni heredi obſequium detuliſſe: quod ad religionis negotium ſpectat, id non ad ſe ſed ad pontificem pertinere; et cupere, ac maximopere ipſum obſecrare, ut inſtruendi Navarri gnaviter curam ſuſcipiat: ſibi tantum res ſuas curae eſſe, quae non patiuntur ut diutius in incerto deliberationum ſalo conſilia ipſorum fluctuent: proinde oratum pontificem velle, ut ſuas tam juſtas rationes in bonam partem accipiat, neque propterea ſeverius ſecum agat; alioquin fore, ſi praeter jus aliquid contra ſe intempeſtive decernat, ut cenſuras, quas falſo ſpernere dicuntur, ſerio negligere cogantur. Secundum haec fit decretum de Navarro jam tum pro rege Franciae agnoſcendo; ac poſtridie quam decretum factum eſt, magno omnium conſenſu, referente M. Antonio Barbaro S. Marci procuratore, decernitur, ut quam primum ad eum ſcriberetur, et literis Chriſtianiſſimi regis titulus apponeretur; mandaturque Moccnico oratori, ut prima occaſione literas ſenatus nomine regi offerret, ac nova mandata, quibus jubebatur in regis comitatu oratoris munere defungi, quouſque alius in ejus locum mitteretur. Id Andreae [a] Huralto Meſſio regio apud Venetos oratori, qui nondum literas et mandata a novo rege acceperat, a ſenatu ſignificatum; rogaturque, ut nihilominus Venetiis maneat; nam ei eundem honorem, quem Henrico III ſuperſtite, a ſenatu habitum iri. Id ſumma, et quae in omnium oculis cernebatur, exultatione et alacritate actum, quaſi in regni, quod magno reipublicae damno everſum putabatur, inſperata ſalute; publicamque laetitiam ſecuta laſcivia eſt: et cum ſub id in pictoris officina forte vetus tabula pulvere paene obliterata reperta eſſet, quae Navarri effigiem referre dicebatur, non ſolum ea producta, ſed ex eadem parvo temporis ſpatio innumerae feſtinata opera expreſſae et publice proſtare juſſae, atque etiam ad ſcalas Palatii S. Marci, facta a quibuſdam e nobilitate fiducia, a pictoribus expoſitae ſunt, ut ea contumelia, ſicuti aiebant, Philippico aliiſque legatis Gallico nomini infeſtis, quibus ſenatum adeuntibus illac tranſeundum erat, bilem moverent: tantuſque licitantium et ad ſpectaculum confluentium concurſus per aliquot dies fuit, ut deſiderio ementium vix ſatisfieri poſſet, ac repente urbs tota Navarri imaginibus inſcite plerumque factis repleta ſit.

XX. Inde Thuanus a Schombergio monitus Veronam venit, ab eoque accerſitus Mantuam, quo ille jam venerat, tendit; et, conſultatione inter eos habita, cum ambo Veronam rediiſſent, mox ſuperveniente Meſſio, rurſus cum eo Mantuam repetierunt, et cum Vincentio Mantuae duce, qui interim literas a magno Etruriae duce uxoris patruo acceperat, capita contulerunt. Summa conſultationis fuit, ut cum ſenatu Veneto, qui amicitiam cum novo rege aperte profeſſus fuerat, ipſi, qui aperte non poſſent, neque vero pro tempore deberent, in arcano conſilia conjungerent, et omni ope res regis in Italia, ac praecipue Romae, adjuvarent, et foederationem Philippi cum Helvetiis, quae apud Quinquepagicos a pontificio legato et Leone [b] Scoto ſenatore Pariſienſi ab Henoticis antea Lucernam miſſo, Ludovico [c] Fiſero illo,

INTERPR. [a] *Hurault Sr de Meſſe.* [b] *de l'Eſcot conſeiller.* [c] *Phiſſer colonel des Suiſſes.*

illo, de quo jam ſupra dixi, inſtigante, urgebatur, impedirent, pecunia aliqua ſummiſſa ad eos in praeſens placandos; factaque ſpe de grandi aere, quod illis debebatur, exſolvendo, melius in poſterum ſperare tumultuanteis juberent. Et quoniam magnus Etruriae dux pecuniam regi defuncto promiſſam, ac jam in Germaniam ad delectus habendos miſſam, revocato equite Guicciardino, penes ſe retinuerat, ut nihilominus fidem ſuam et egregiam voluntatem novo regi approbaret, datum negotium Thuano in Galliam redeunti, ut de matrimonio Mariae Franciſci fratris filiae cum aliquo e regiae ſtirpis principibus, iſque Henricus [a] Dumbarum princeps deſignabatur, faciendo mentionem regi injiceret; quod veluti pignus tacitae magni ducis cum ipſo amicitiae eſſet, et ex quo eaſdem commoditates, quas defunctus rex ab ipſo ſperaverat, percipere poſſet: nam CCC aureorum CIↃ ſe nepti pro dote numeraturum, quae rex in ſuos uſus poſſit convertere, aſſignatis in [b 1] Novempopulonia, ubi ampliſſimas poſſeſſiones habet, aliquot ditionis ſuae oppidis. Addidit Mantuae dux, cupere ſe valde, propter arctam quae Ludovico Gonzagae [c] Nivernio patruo et ipſi cum rege neceſſitudinem intercedebat, ſiquidem Franciſca et Anna [d] Alençoniae Ludovici regiſque aviae ſorores erant, ut rex patruum commendatum haberet, ignoſceretque, ſi ob religionis ſcrupulum minus ipſi antea aequus fuiſſet, et nunc adhuc ob eandem cauſam haereret: nam ſe mandaturum Ferdinando [e] Ghigioni procuratori in Gallia ſuo, quem in aulico comitatu manere juſſerit, ut cum eo agat, ipſumque, cum plene ſibi de ſcrupulo ſatisfecerit, regi conciliet. Ita dimiſſo conventu Gallici legati Veronam redeunt, partitoque itinere Meſſius Venetias repetit, Schombergius in Germaniam tendit, ambo novi regis mandata opperituri: Thuanus, cum alia mandata a Schombergio de rebus Germanicis accepiſſet, in Galliam properans, in itinere [f] Soloturnum divertit, ut Nicolaum [g] Brulartum Sillerium conveniret, et quid in Italia actum eſſet cum coram edoceret; inde iter in Galliam perſequitur, et [h] Caſtelloduni cum rege prolixum colloquium [α] habuit. Caſtelloduno rex XVIII Kalend. Decembr. digreſſus alteris caſtris [i] Mellacum venit, praemiſſis qui [k] Vindocinum obſidione cingerent. Capta primo die ſuburbia. Locum oppido et arce firmum tenebat Jacobus [l] Mallius Benchartius, olim ab ipſo rege, antequam regnum adeptus eſſet, impoſitus; qui ad inſignem erga regem defunctum perfidiam, etiam ſceleratam contra [m] Sueſſionem fraudem adjecerat. Urbs ad [n] Ledum ſita eſt, foſſa et muro firmo cincta: in ſummo arcem ſaxo impoſitam habet, undique, qua parte urbem ſpectat, praerupto, qua campos foſſa profunda muro et turribus vallatam; per quam expeditum regi viſum ut impetus fieret, cum Benehartius ſemel atque iterum, evocato ad colloquium Franciſco [o] Pleſſio Richelio hoſpitii regii praefecto, propoſitis conditionibus ſpem regis ludificaſſet. Itaque poſtridie tandem advectis tormentis ad turreis duas arcis verberatio dirigitur, eo conſilio, ut iis apertis murus interjectus pulſaretur. Sed cum, foramine in altera earum facto duorum aut trium militum vix capaci, impreſſio a noſtris facta eſſet, enitentibus in ſummam turrem militibus interius vallum ſubjectum defenſoribus vacuum occupatur, qui per portam arcis trepida fuga in urbem ſe ejiciunt; quibus immiſti noſtri fere citra certamen

VAR. LECT. [α] habuit: et rex accurate ad omnia reſpondit eleganti ac memoratu digniſſima oratione, quam referri ob tempora quae mutarunt aut ſuperfluum aut parum ad propoſitum nobis viſum eſt. Caſtelloduno *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.* Vid. Thuani Vitam, *p.* 112.

INTERPR. [a] *de Dombes.* [b] *Gaſcogne.* [c] *le duc de Nevers.* [d] *d'Alençon.* [e] *Ghiſone.* [f] *Soleurre.* [g] *Brulart Sr de Sillery.* [h] *Chateaudun.* [i] *le village de Mellay.* [k] *Vendoſme.* [l] *de Maillé Benehard.* [m] *le comte de Soiſſons.* [n] *le Loir.* [o] *du Pleſſis de Richelieu, grand prevoſt de l'hôtel.*

NOT. [1] Novempopulonia. *Vide Scal.* La Guienne comprend le Poictou, Saintonge, & le Bourdelois, ou plus proprement le ſeul Bourdelois. Delà Bourdeaux juſqu'aux Pyrenées tout eſt Gaſcogne, où ſont ces neuf peuples qui ont donné le nom à la province. *Put.*

certamen arce et oppido intra trihorium potiuntur. Mox ingreſſi Carolus Bironus caſtrorum praefectus, et Franciſcus Colinius Caſtellionaeus, qui peditatui praeerat, ut militem ad praedam diſcurrentem reprimerent, et templa ac foeminas ab injuria tuerentur. Capti Benchartius, et ille, de quo modo dixi, Robertus [a] Cheſſaeus Franciſcanus: et hic quidem tanquam defectionis auctor, oppidanis ipſis eum ad poenam depoſcentibus, carnifici laqueo ſtrangulandus traditur, mortemque ſumma oris et animi tranquillitate pertulit. Sed quanta illius conſtantia, tanta in Benehartio mentis conſternatio fuit, poenam deprecantis, et ultro ad Bironi pedes provolventis ſe; qui ſupplicem averſatus indignum eum eſſe pronunciavit qui viveret, quippe qui nec defendendi ſe aut dedendi rationes inire potuiſſet: quibus dictis miſero alvus ſolvi coepit, vixque ejulabundus et lachrimas viro indignas fundens in plateam perduci potuit, ubi juxta Cheſſaeum ſecuri percuſſus [α] eſt. Severitatis tempeſtive contra paucos exercitae exemplum profuit, praeſidiariis, qui [b] Laverdinum ac Montorium Vindocini principatus caſtella et [c] Caſtrum ad Ledum in Cenomanis tenebant, protinus deditionem ad primam denunciationem facientibus.

XXI. Rex cum XII tantum leucis a [d] Caeſaroduno abeſſet, eo excurrit multa nocte, urbem ad facium lucem ingreſſus, populo ad laetum ſpectaculum et luminibus paſſim accenſis per vias effuſo; ubi ante alios Vindocinum gentilem et Lenoncurium cardinaleis complexus inter feſtas acclamationes noctem exegit. Poſtridie a ſenatu delegatos audivit; pro quibus verba fecit Achilles [e] Harlaeus ampliſſimi ordinis princeps, qui nuper poſt regis obitum moleſto carcere liberatus fuerat, depenſis X CIƆ aureorum, multa gratulatione a rege [β] exceptus. Auditus et Joannes Mocenicus orator Venetus, qui ſenatus nomine literas regi porrexit, rogavitque ut excuſatum eum haberet, quod non delegatos ad ipſum ſalutandum pro more miſiſſet; nam difficultates itinerum et hyemis incommoda in cauſa eſſe, cur tam cito legatio ad eum adornari non potuerit; interim noluiſſe committere ut diutius officium inter reges et ſenatum uſurpari ſolitum intermitteretur, ac juſſiſſe ut ipſe, qui in regis comitatu novis acceptis mandatis manere jubebatur, eo officio cum ipſius gratia defungeretur. Excuſationem in bonam partem accipere rex prae ſe tulit; et, quid in Italia ac Venetiis actum eſſet gnarus, gratias pro tam obvia ſenatus erga ſe regnumque voluntate prolixe egit. Ad famam adventus regis [f] Marollius, qui [g] Montem-Ricardi ad Carim in Turonibus tenebat, locum dedidit. Rex, rebus in urbe conſtitutis, exercitum ad [h] Vindinum Cenomanorum civitatem ire juſſit, praemiſſo Philippo [i] Angenneo Fargio inde perfidioſe exacto, et nuper carcere, quo Luteriae cum Achille Harlaeo attinebatur, liberato, ſummae virtutis duce; qui prima impreſſione ſuburbia, quae ampliſſima ſunt, et magnis operibus a foederatis munita fuerant, cepit, igne prius a praeſidiariis juſſu Urbani [k] Lavalli Boſcodelfini, qui urbi praeerat, immiſſo, qui, [l] valetudinario et Cluſurae monaſterio exceptis, omneis omnium privatorum domos depopulatus eſt. Ignis et in S. Joannis ſuburbium trans [m] Sartam injectus eſt, qua parte minus urbi metuendum erat. Incendio utcunque

poſt

VAR. LECT. [α] eſt. Captus in direptione urbis et Sept. Florens Chriſtianus, vir amoeniſſimo ingenio et duarum linguarum, quibus ſcitiſſime multa poetica panxit, peritiſſimus, olim regis ipſius praeceptor; qui cum familiam in ea urbe collocaſſet, quanquam ut religione, ita conſiliis ab ea factione alienus, tamen violentiae temporum cedere et Benehartii voluntati ancillari coactus fuerat. Mox tamen, amicis qui cum rege erant inſtantibus, Petro Delbenio, Joanne Thumerio et Jacobo Auguſto Thuano, libertati reſtitutus eſt, CIƆ aureis ex regia pecunia Brignelio legionis tribuno, qui eum ceperat, depenſis. Severitatis *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] exceptus, et grandioris fortunae promiſſis oneratus. Auditus *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Cheſſé cordelier.* [b] *Laverdin & Montoire au duché de Vendoſme.* [c] *Chateau du Loir au Maine.* [d] *Tours.* [e] *de Harlay premier preſident.* [f] *de Marolles.* [g] *Montrichard ſur le Cher en Touraine.* [h] *le Mans.* [i] *d'Angennes Sr du Fargis.* [k] *de Laval de Bois-Dauphin.* [l] *l'hoſpital & l'abbaye de la Couſture.* [m] *la Sarte.*

poſt foedam vaſtitatem reſtincto, per biduum munitiones ſuburbanae a Carolo Birono et Caſtellionaeo captae ſunt; et rex, qui [a] Caeſaroduno profectus alteris caſtris [b] Ivraeum epiſcopi caſtellum v Kalend. Decembr. venerat, ad Cluſurae monaſterium ſibi hoſpitium ſumpſit, ratus longiorem fore obſidionem, et defenſores poſt tot domorum ruinas alioqui auctoribus probroſas obſtinate reſtituros: qui tamen quinto poſt die, verberatione ad quaſdam turreis facta, colloquium praeter regis ſpem popoſcerunt. Erant in urbe c circiter e nobilitate et xx peditum ſigna. Venerat et [c] Bernardi-Firmitatem Briſſacus cum II legionibus obſeſſis ſuppetias laturus; qui, cognito defenſores colloquium popoſciſſe, retro ceſſit, et in equitum Germanorum hoſpitium incidens quoſdam equis ſpoliavit, nullo praeterea operae pretio facto. Tandem in conditiones admodum honorificas conventum eſt, quod alioqui rex pulvere et pilis tormentariis deſtituebatur. Cum fremerent oppidani, et quorſum tot ruinae editae eſſent, deditione tam ſubito ſecuta, indignabundi quaererent, nobiles, qui in urbe erant, et pedites ſuper cauſa inter ſe diſſidebant: nam nobilitas peditem certamen detrectaſſe, peditatus ſe invito nobilitatem ad colloquium deſcendiſſe cauſabatur. Inter has mutuas deditorum exprobrationes deditio fit IV Nonas Decembreis; et juſſus Bironus equitum tribunus, ut militem a praeda abſtineret, urbem armatus ingredi; qui, ad terrorem, quendam in calicis ſacri furto deprehenſum ſtatim in furcam tolli curavit. Ante omnia Fargius praefecturae, unde dejectus fuerat, et Claudius ejus frater urbis epiſcopus priſtinae poſſeſſioni reſtituti ſunt. Mox [d] Bellomontium, Tuvolium, epiſcopi primaria arx, quae a Vido [e] Sangelaſio Lanſaco tenebatur, [f] Sablatum, Lavallum, Guntheri-caſtrum, aliaque circumpoſita caſtella in fidem accepta. Sub id rex, promiſſi nuper regni auſpiciis de convocando procerum frequenti coetu facti memor, in quo de religione conſtituenda et republica ordinanda ex ordinum conſenſu decerneretur, bella ex bellis contumacia foederatorum ſeri cauſatus, quae cum in exercitu aſſiduum civilibus negotiis vacare minime patiantur, conventus jam indictos in Eidus Martias proximas prolatat; intra quod tempus bona ſpe fretus fore praedicit, ut Deus difficultatibus his et aliis ſubinde exorientibus componendis viam inveniat. Quod quaſi oraculum a praeſaga futuri mente profectum poſtea acceptum eſt; nam eo die [g] Euriaca pugna commiſſa eſt, quae dubiam huc uſque regis fortunam in tuto collocavit, et nutanteis ſuorum voluntates in officio confirmavit. In exercitu pecuniae penuria maxime laborabatur; et ut quaeque urbs aut oppidum capiebatur, modica ſumma mulctabatur; atque inde ſtipendium militi externo numerabatur: nam Gallicus tantum pane diurno et ſpe praedae ſuſtentabatur. Jamque Helvetii numero valde imminuti erant; et quia integrum ſtipendium luſtratione ſingulis menſibus facta minime perſolvebatur, et ipſis et regi res maxime detrimentoſa erat. Itaque de Gaſparis [h] Galatii legione dimittenda actum eſt. Sed praeſenti aut certa pecunia opus erat; quam cum rex ad manum non haberet, memor officii nuper a Ferdinando [i] Ghigione Mantuae ducis legato exhibiti, et commendati ſibi ab eo Nivernii, quem ſciebat XXXIII aureorum CIↃ pro portionis hereditariae ſupplemento apud trapezitam [k] Francofurti ad Moenum diſpoſita habere, occaſione ſumpta Thuanum nuper ex Italia reverſum ad ipſum mittit cum mandatis, ut ſummam illam ab eo mutuo acciperet, et praeterea virum dignitate primarium, ob religionis ſcrupulum nonnihil haerentem, ſibi conciliaret, facta ſpe ut eum bello adverſus Sabaudum ad ulciſcendas nomini Gallico factas injurias ſuſcipiendo praeficeret. Igitur Thuanus [l] Vindino profectus, et iter per Turones,

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *Ivray l'evêque.* [c] *la Ferté Bernard.* [d] *chateaux de Beaumont & Tuvoy.* [e] *de S. Gelais de Lanſac.* [f] *Sablé, Laval, & Chateau Gonthier.* [g] *d'Ivry.* [h] *le colonel Galaty.* [i] *Ghiſone.* [k] *Francfort ſur Mein.* [l] *le Mans.*

CIↃ IↃ LXXXIX.
HENRICUS IV.

[a] Turones, Biturigas, hoſtium incurſionibus infeſtum emenſus, [b] Nivernium olim Noviodunum Heduorum venit, a Nivernio perhonorifice ob regii nominis reverentiam, ſumma item benevolentiae ſignificatione ob amicitiam quae ei cum Thuani patre intercesſerat, exceptus. Tum cardinalis Cajetanus jam [c] Lugdunum venerat; ad quem Nivernius literas dederat, orans ut Nivernium diverteret, ubi a ſe neutris partibus addicto, et tantum de religionis conſervatione ac regni ſalute ſolicito, certius de rei Gallicae ſtatu edoceretur: nam pertinere ad ejus prudentiam, cum in Galliam factionibus ſciſſam rerum regni arbitrium auctoritate pontificis ſumpturus venerit, ne conceptam de ipſius aequitate opinionem ad componendas turbas neceſſariam, ſi in has vel illas partes potius inclinaverit, in dubium revocari patiatur: apud ſe licere, ut integris animi affectibus et opinione illa ſalva de re tota certius cognoſcat, et, poſtquam cognoverit, auctoritate qua praeditus eſt decernat: alioquin fore, ſi ad alterum diverterit, ut ab altero pro hoſte habeatur, et ita neutri opera ſua prodeſſe poſſit. Quae tamen monita contempſit Cajetanus, ab iis qui circa ipſum erant perſuaſus, haec ambitioſe a Nivernio fieri, ut rerum arbitrium, quod in legati poteſtate eſſe oportebat, ad ſe contraheret, dictitantibus. Itaque, omiſſo Lugdunenſi itinere, quod Noviodunum Heduorum ducit, ripam [d] Araris legens [e] Divionem petiit. Nivernius vero, cum nondum de ejus conſilio cognoviſſet, quia ſe neutrum profeſſus fuerat, ut in diſſimulatione perſeveraret, de accipiendis regis literis modeſte ſe excuſavit, eaſque minime reſignatas Thuano reddidit, ne, ſi ad eas non reſponderet, ſuperbiae merito argui poſſet: ceterum ſummae, quae petebatur, apocham cum mandato procuratorio libentiſſime obtulit, poſtquam regis nomine ei a Thuano cautum eſt, et belli cum Sabaudo pro [f] Saluciarum principatus recuperatione gerendi ultro ducem ſe praebuit, ejus adminiſtrandi rationes commentario propria manu ſcripto complexus. Cum autem, licentia quidvis loquendi inter concionatores graſſante, Arnoldus [g] Sorbinus, Nivernenſi epiſcopatu olim a rege defuncto donatus, coram ipſo Nivernio nonnihil eum pupugiſſe videretur, quod aures haereticorum mangonibus, ſic regios miniſtros vocabat, nimis facileis praeberet, ab eodem, injuriam ſibi ac regi factam non ferente, publica concione, cui Thuanus interfuit, recantare coactus eſt.

XXII. Nec Sabaudus interim ceſſabat; qui, intellecta regis morte, cum res in regno confuſas videret, mox in ſpem venit privati compendii ex propinqui regni everſione captandi. Itaque [h] Jacobium regulum rei tormentariae praefectum et [i] Duvitium curiae Camberitanae aſſeſſorem [k] Gratianopolim, quae, Carolo [l] Simiena Albinio annitente, ad foederatorum partes inclinabat, mittit, cum fiduciariis ad ſenatum literis: per quos admiſſos, poſt doloris in morte regis accepti publicam teſtationem, et honorifice delata benevolentiae mutuae officia, rogat inſtatque, ut in regni ſucceſſione ſui tanquam regis ultimi amita prognati ratio haberetur: eos quippe, qui proxime conſanguinitate cenſentur, aut ob ſectarii mali vitium jure ſuo omnino excidiſſe, aut quia ſectariis faveant et adhaereant ſucceſſione indignos eſſe: ſibi animos et vires ad tuendum jus proximitate delatum et proprias et a ſocero communicatas ſufficere, et ad regnum tantum capeſſendum magnam viciniae opportunitatem eſſe: quapropter cum praecipua eſſe debeat apud eos religionis et tranquillitatis publicae cauſa, quae, ſi alios admittant, in manifeſtum periculum devocentur, conſultum videri, ut mature in commune conſulant et oblatas conditiones amplectantur, ceteris exemplo ſuo ad firmiandam regni quietem praeeuntes. Ad haec

ſenatus,

INTERPR. [a] *Touraine & Berry.* [b] *Nevers.* [c] *Lyon.* [d] *la Saone.* [e] *Dijon.* [f] *le marquiſat de Saluces.* [g] *Sorbin.* [h] *Jacob general de l'artillerie.* [i] *le Sr Duvizio conſeiller au ſenat de Chambery.* [k] *Grenoble.* [l] *de Simiane Sr d'Albigny, quatrieme fils de Bertrand Rambauld de Simiane V du nom baron de Gordes, eneral de la cavallerie, & lieutenant general des Etats du duc de Savoye delà les Monts.*

ſenatus, poſt actas pro benevoli animi tam ingenua declaratione gratias, reſpondit; quod petat, rem hujuſmodi eſſe, ut a ſe ſeparatim nihil ſuper ea decerni poſſit; cumque ad univerſa regni comitia pertineat, et ea perendie celebrari debeant, potius eſſe ut tanti momenti deliberatio in tempus illud diffindatur: neque enim dubitare, quin is a comitiis legitimus regis defuncti ſucceſſor deligatur, qui et religionis cauſam et regni tranquillitatem ſartam tueatur: interea valde ipſum orare, ne militem in Delfinatum immittat, ne, turbatis ex ea occaſione inter Alfonſum [a] Ornanum et Diguierium induciis, quies provinciae, per eas a bellicis incommodis reſpirantis, ſolicitetur. Ita dimiſſi legati cum ſperatum a ſenatu reſponſum non retuliſſent, Sabaudus ex Albinii conſilio, ſepoſita ad tempus Delfinatus cauſa, in [b] Provinciam proximam bellum tranſtulit, ut inde oſtentatione virium facta vicinas provincias citra armorum vim ad juſſa capeſſenda cogeret. Bernardus [c] Nogaretus Valeta, qui ſummo cum imperio regis nomine praeerat, Sextili medio ad [d] Lambeſcum caſtra poſuerat, quod eſt Guiſianae ditionis municipium; et loco potitus tormenta ad arcem, quae a [e] Balatio cum CC praeſidio tenebatur, admoverat. Facta verberatione cum colloquium poſceretur, [f] Onufrius ab Hiſpania Rameſortius mittitur, qui cum obſeſſis de deditionis conditionibus tranſigeret. Dum iret ictu majoris ſcloppeti lethaliter ictus colloquium abrupit; et Valeta, fidem violatam cum amiciſſimi ſibi ducis pernicie indignatus, vim extremam tentat, et, capta impetu arce ac trucidatis ad unum defenſoribus, locum prius direptum ferro et incendio vaſtat. Inde miſſus [g] Stampenſis, qui a [h] Peraldo Belloquadri in proxima Septimania praefecto et primario Henrici [i] Momorantii provinciae praeſidis duce ac genero auxiliares copias peteret: quibus a Momorantio impetratis, et c ſcilicet delectis equitibus [k] Rhodanum, qui interjacet, tranſire juſſis, cum [l] Taraſconem peteret, ingreſſu ab oppidanis prohibitus eſt; indeque occaſione capta Gaſpar [m] Ponteveſius Carſii comes, qui in propinquo erat, occurrens, ſolutos et nihil tale cogitanteis aggreſſus, partem cecidit, partem cepit, in iiſque Stampenſem ipſum: multi et in Rhodano proximo, dum natatu evadere conantur, rapidis vorticoſi amnis undis hauſti ſunt. Hunc caſum graviter tulere ex nobilitate complures qui Taraſcone erant, in occulto regiis partibus faventes; qui, ut oppidum in poteſtate haberent, monito prius Peraldo, qui Belloquadri in adverſa Rhodani ripa praeſidium habebat, ut tempore condicto ſibi cum auxiliaribus praeſto eſſet, hoc aſtu uſi ſunt. Lucus erat haud hinc longe, quo tectus Carſius ſub moenia uſque oppidi improviſus venerat, et auxiliareis Septimania miſſos ceciderat. Eum urbi non mediocriter incommodare oppidanis oſtendunt, et periculum ſubeſſe, niſi ille quamprimum excidatur, ne Valeta ob ſuorum cladem irritatus eadem commoditate utatur, et oppidum inſidiis intercipiat. Exemplo recenti territi oppidani temere fidem monitis habuere, et, praecipitata, ut inter plebem, deliberatione, ad lucum excidendum cum ſecuribus conferto agmine urbe exeunt; ſtatimque nobiles oppido vacuo potiti portas claudunt, et, comparentibus ad horam condictam Peraldianis, oppidanos poſt lucum exciſum revertenteis excludunt, nec niſi exarmatos et poſt fidem Valetae datam admittunt. Hoc ſucceſſu Joannes [n] Garda Vincius, qui foederatis in provincia ſe ducem praebuerat, perculſus, a Sabaudo auxilia poſcit; qui, Gratianopolitanum reſponſum expectationi non reſpondere aegre ferens, copias in Delfinatum deſtinatas in Provinciam mittit duce Alexandro Vitellio. Cum eo erant III levis armaturae turmae, et totidem ſcloppetariorum equitum. Majores ex Hiſpania copiae expectabantur; et partem ſuarum illi

occupabat

INTERPR. [a] *le colonel d'Ornano, & le Sr de Leſdiguieres.* [b] *Provence.* [c] *de Nogaret de la Valette, gouverneur de Provence.* [d] *Lambeſc.* [e] *le capitaine Balaty.* [f] *Onufre d'Eſpagne Sr de Rameſort.* [g] *le Sr d'Eſtampes.* [h] *du Perault gouverneur de Beaucaire en Languedoc.* [i] *le duc de Montmorency, gouverneur de Languedoc.* [k] *le Rhoſne.* [l] *Taraſcon.* [m] *de Pontevez comte de Carces.* [n] *de Garde Sr de Vins.*

occupabat bellum Genevenſe, quod poſt [a] Sancii diſceſſum intellecta regis morte mox recruduit. Principium a [b] Bona factum; quam amiſſam cum recuperare in animo haberet Sabaudus, caſtra ad [α] eam ponit. Eſt autem Bona oppidulum tres leucas Geneva diſtans ad orientem hybernum, in duas partes, nempe ſuperiorem et inferiorem, diſtinctum. Superior muris antiquis cincta, inſultus ſubitos ſcalarum repellere potens, ſed tormentorum et recentium belli artium vim ſuſtinere neſcia: inferior, ſuburbium, tunc temporis undique obvium et paulo ante flammis vaſtatum. Poſt diſploſos contra Bonam ſuperiorem CC ictus, Johannes Aubertus praeſidiariorum CCC Genevenſis reipublicae nomine praefectus, conſilio cum belli ducibus habito, ad colloquium hoſtes invitat, et delegatis a Sabaudo deditionem offert, ea conditione, ut obſeſſi inermes Bonam relinquerent intra veſperam, et in tutum ducerentur. Qua accepta, locum Sabaudus deditione recepit XI Kalendas Septembris. Quum ex Bona ſuperiori in clivo ſtructa in inferiorem Aubertus cum praeſidiariis CCC, eorumque ducibus et Gulielmo [c] Mognaco Marſio paſtore, deſcenderent, clamor auditur militum quorundam conquerentium de igne ab obſeſſis ante diſceſſum doliolo nitrati pulveris appoſito, ad quod Hiſpani et Itali nonnulli accedentes laeſi aut interfecti fuiſſent. Inde tumultus horrendus in Aubertum et ſuos inermeis in inferiori Bona trucidatos, paucis quibuſdam noctis beneficio elapſis. Inde Sabaudus [d] Cluſuram verſus iter inſtituit, in [e] Gexenſem praefecturam deſcenſurus; quibus locis nullo non libidinis, crudelitatis, et avaritiae genere ſaevitum eſt. XXC amplius pagi incendiis et rapinis vaſtati; in iiſque nulli ſexui et aetati parcitum. Cum haec intemperies ad exeuntem Septembrem duraſſet, graſſantibus jam in exercitu ejus contagioſis morbis, antequam eum dimitteret, [f] Verſoviam in ripa lacus Lemanni munire inſtituit. Locus hic vaſtus olim frequens municipium fuit, II a Geneva leucis, eamque hinc ad meridiem oppoſitam, hinc [g] Thononii praefecturam et lacum ad orientem habet; [h] Juram montem ad occaſum, ad ſeptentrionem [i] Vaatenſem regionem ſpectat. Verſovia cognomine amne ex montibus proximis labente alluitur, unde loco nomen; quae in duos canaleis ſecta altero medium municipium dividit, altero muros jungens Genevam verſus tendit. Arx in eo firma olim et praealti muri vetuſtate collapſi, quos reficere et aggere munire ad fraenandam Genevam Sabaudus intendit; opuſque hominum numero ſumma diligentia feſtinatum eſt, verſus lacum tumulo excitato, in quo II minores machinas collocavit, quae tranſitu navigia ac biremeis Genevam tendentes infeſtarent. Loco munito et omni re inſtructo, cui [k] Fano-Mauritii nomen inditum, [l] Serranus regulus cum IↃC delectis imponitur, convectis eodem IV tormentis cum omni apparatu bellico; et quod munitionibus inchoatis deerat, foſſorum diligentia approperabatur. Sabaudus, his actis, per [m] Allobroges facto itinere trans Alpeis abit Octobri exeunte. Genevenſes, qui novam munitionem cervicibus ſuis tanquam jugum impoſitam viderent, Sabaudi diſceſſu de ea recipienda et evertenda, antequam magis firmaretur, conſilium protinus ineunt,

et

VAR. LECT. [α] eam ponit, et poſt diſploſos CC ictus locum deditione recipit XI Kalend. Septembr. in quo CCC circiter praeſidiarii erant; qui, quanquam fide de incolumitate data, ad unum omnes cum Auberto ipſorum duce ac paſtore in ſuburbio trucidati ſunt. Aubertus is inſigni civitatis imprudentia loco impoſitus fuerat, homo ab omni rei bellicae uſu alieniſſimus; qui ante decennium ob adulterii ſuſpicionem ſenatu motus, totum illud tempus quod ſecutum eſt obſcurus et inglorius tranſegerat, neque in illa ſua praefectura rei alius niſi congerendarum opum fuiſſe dicebatur ſtudioſus. Helvetii interea, hoc eſt Bernates, ſedebant otioſi, qui ſub id in occulto cum Sabaudo pacti domum ſe receperant, ea ſpe, ſicuti multi credunt, ut Genevenſes extrema deſperatione adacti arbitrio ſe ipſorum tandem permitterent. Inde Sabaudus *Ed. Gen.* 1626. *in quibuſdam exemplaribus*, et *MSS. Reg. et Samm.*

INTERPR. [a] *de Harlay de Sancy.* [b] *Bonne.* [c] *de Mogne Sr de Marſy.* [d] *Pas de la Cluſe.* [e] *bailliage de Gex.* [f] *Verſoy.* [g] *bailliage de Thonon.* [h] *le Mont Jura.* [i] *pays de Vaux.* [k] *S. Maurice.* [l] *le baron de la Sarra.* [m] *Savoye.*

et copiis VII Eid. Novembr. diem ad veniendum condicunt; et ſub veſperam cum IϽ ſcloppetariis, CC volonibus, II ſcloppetariorum equitum ac totidem cataphractorum alis, [a] Lurbinio duce, qui regis nomine militaribus copiis in urbe praeerat, poſt vota nuncupata ad expeditionem proficiſcuntur, comportatis ſecum crepitaculis, ſcalis, et trabibus ad pontem in amne ſtruendum idoneis. Poſtridie cum albeſcente die amnem juxta molatrinam ſine tumultu tranſiiſſent, poſtremo in Verſoviae conſpectum veniunt; et, poſt preces iterum paſtore praeeunte conceptas, quadripartito copias dividunt. Pedites praemiſſi portam verſus, quae in [b] Vaatenſem regionem exit; qua parte crepitacula admovenda erant: equitatus major pars itinera inſedit; pars comportatis ſcalis alio miſſi; pars, duce ruſtico locorum gnaro, ad locum inter vicum et lacum deducti, qui aſcenſu facilis erat; primuſque ruſticus in eum inſiliit. Stationarii alto ſopore obruti quieſcebant, heſterna vigilia feſſi; quippe nocte tota varii ignes in coelo viſi et pro malo augurio accepti eos terruerant. Sed cum periculo ſibi defuncti viderentur, a Genevenſibus ex improviſo oppreſſi ſunt. Ibi aliquandiu pugnatum, belli ducibus militi animos facientibus: verum illi magna ſtrage edita poſtremo disjecti; qui ſuperfuerunt, cum [c] Serrano in arcem ſe receperunt: nam eodem tempore aperta crepitaculis admotis [d] Copetana porta admiſſi pedites obvios quoſque trucidabant; et qui per ſcalas in locum invaſerant, non minore vi obvia cuncta ſternebant. Ex hoſtibus circiter CCC interfecti. In arce IV tormenta erant cum omni bellico apparatu: ſed deficiente annona, quae in municipio aſſervabatur, obſeſſi brevi ad extremas anguſtias redacti ſunt. Serranus tamen, miſſis circum qui auxilia ex vicinis praeſidiis accerſerent, tormentis diſploſis in Genevenſeis detonabat, exiguo ipſorum damno; quippe tecti foſſae ſucceſſerant, et locis idoneis defendebantur. Cum biduum animum obfirmaſſet Serranus, neque auxilia comparere cerneret; poſtremo averſa aqua, qua maxime egebat, de deditione agere coepit. Conditionibus conventum, ut milites armati, fune extincto, tympanis in humeros ſublatis, cum II ſignis complicatis et omni impedimento dimitterentur; omneſque [e] Gexium in tutum deducti ſunt. IV tormenta majora et II minora cum omni apparatu bellico ac II ſignis Genevam advecta; complures item Turci et alii remigiis addicti, quorum opera Sabaudi in munitionibus exſtruendis uſi fuerant. Iiſdem poſtea itidem ad opera publica uſi Genevenſes, ac poſtremo Turcos dimiſerunt, ut eorum imperatorem raro gratiae exemplo ad Chriſtianos eadem humanitate tractandos invitarent. [f] Verſovianae munitiones deſtructae, incenſis itidem vici domibus, ne hoſti rurſus uſui eſſe poſſent: atque ita libera per lacum navigatio reſtituta eſt. Reliquum anni velitationibus et excurſionibus exactum. Ad [g] Arvae munitionem cum caſtra poſituri crederentur Sabaudi, ab incepto deſtiterunt. Capti quidam, qui clandeſtina cum hoſte conſilia agitare convicti Genevae capite luerunt: quidam ob eaſdem ſuſpiciones ſolum vertere coacti. Verſis interea in [h] Provinciam Sabaudi armis, cum Valeta, qui [i] Tolonii erat, etiam de arce in poteſtate habenda cogitaret, diſſimulationem praefecti contrario aſtu eluſit. Eam [k] Berra cum praeſidio CC tenebat, qui ſtipendia a Sabaudo accipiebant. Id in occulto fiebat, et invidiam veritus praefectus cum Valeta amicitiam in ſpeciem honorifice colebat. Itaque crebro ad eum ventitabat, et ad menſam ab ipſo accipiebatur: viciſſim et Valetam ad viſendas munitiones arcis, duplicatis diligenter ſtationibus, invitaverat. Hoc autem aſtu uſus eſt Valeta. [l] Montaltum, cujus virtuti ac induſtriae multum tribuebat, e vicino praeſidio evocat, et, injecto de arcis munitionibus inter pocula coram ipſo Berra ſermone,

cum

INTERPR. [a] *le Sr de Lurbigny.* [b] *pays de Vaud.* [c] *le baron de la Sarra.* [d] *la porte de Copet.* [e] *Gex.* [f] *les forts de Verſoy.* [g] *le fort d'Arve.* [h] *Provence.* [i] *Toulon.* [k] *le Sr de Berre.* [l] *de Montault.*

cum eas tanquam perite inſtitutas ſummopere laudaret, et ſibi dolere diceret quod Montaltus minime praeſens cum ipſe eas luſtraret interfuiſſet, Berra ultro ad viſendas eas Montaltum invitavit; qui cum XX delectis ſubtus armatis eo profectus, ut omnem ſuſpicionem tolleret, ubi arci propinquavit, eos ſubſiſtere jubet: ipſe cum uno et altero admiſſus in prima ſtatione ſimulato repente morbo, quaſi lethale deliquium paſſus, concidit; moxque ſtationarii confuſi ad eum quaſi mortuum decurrentes jacentem in proximum cubiculum intulerunt. Quae dum caſu inopinato attonitis cunctis confuſe adminiſtrabantur, et alius alio, nihil minus quam de inſidiis cogitantes, excurrit, in eo tumultu qui foris remanſerant, imprudenter a paucis, qui in ſtatione remanſerant, ſinguli admiſſi ſunt: quos ubi Montaltus circa ſe vidit, repente excitatus arma proxima corripit; ſociique ſigno accepto ſcloppetos, quos in occulto habebant, expediunt, et gladios accinctos ſtringunt, confuſoſque ac ſolutos partim ſternunt, partim intra arcem cogunt; moxque porta occupata Valetam, qui eventum in proximo opperiebatur, admittunt, et ita arce potiuntur.

XXIII. INTER haec rex [a]Lavallum profectus fuerat, opulentiſſimum in Cenomanis oppidum, a quo illuſtriſſimae in regno familiae nomen; ubi obvium habuit, magnaque benevolentiae ſignificatione excepit, Henricum Borbonium [b]Dumbarum principem, ex [c]Armoricana provincia, cui praeerat, cum delecta nobilitate venientem. Captum ab eo in itinere [d]Briandi caſtrum. Ibi aliquot dies commoratus [e]Meduanam tendit, remiſſo in provinciam Dumbarum principe, et Aumontio in Campaniam remiſſo, ut auxiliaribus e Germania venientibus praeſto eſſet. Praemiſſus fuerat [f]Alençonium cum exercitu Bironus, urbem in Aulercis primariam, quam Renatus [g]Sandionyſius Hertraeus obſidione cingere juſſus eſt. Eam [h]Lagous cum praeſidio tenebat; qui deditionem facere cum recuſaret, omnia ad obſidionem comparantur: urbs, admotis tormentis, quae vix tandem ob viarum luto corruptarum difficultatem advecta ſunt, ſtatim ab oppidanis dedita, Lagoo in arcem cum CCC circiter ſe recipiente. Rex ſeptimo poſt Bironi adventum die, hoc eſt XVIII Kal. Januarias, ad exercitum acceſſit; quo cognito Lagous, majus periculum veritus, cum nulla auxilii ſpes eſſet, poſtridie vitam et res ſalvas ſibi ſuiſque pactus locum tradidit. Perhumane cum oppidanis actum, qui rebus foederatorum favere ſuſpecti erant. Hertraeus arci cum praeſidio impoſitus, urbis cuſtodia oppidanis relicta. Inde [i]Faleſiam itum; et in itinere [k]Argentanum receptum, quod a III ſignis a Briſſaco impoſitis tenebatur. Ubi dum eſſet adfertur de tumultu [l]Damfronii, quod eſt Aulercorum oppidum haud hinc longe, excitato, diſſidentibus oppidanorum de republica ſententiis; quos ut conciliaret [m]Vernicus arcis praefectus in oppidum deſcenderat, ut alteri parti praeſto eſſet. Inde occaſione ſumpta qui regi favebant ipſum comprehendunt, et arcem eo oppreſſo aſtu capiunt, ſtatimque id regi per fidos ſignificant; qui ſuppetiis in tempore ſummiſſis ſuos juvit, et locum ac oppidanos, ſancita praeteritorum oblivione, nullaque praeterea mulcta inflicta, in fidem accepit. Faleſia in clivo munitum ſitu oppidum, et aquae inexhauſtae ſtagno ab ima parte circundatum, arcem ſecundum [n]Cadomenſem omnium provinciae firmiſſimam habet. In eam Briſſacus ejus praefectus pretioſae ſupellectilis, quae ex arcis [o]Andegavenſis direptione reliqua erat, partem majorem comportari curaverat, eoque majoribus animis locum tuendum ſuſceperat, [p]Picardi equitis legione ſubnixus; qua ſe non ſolum quae rex obſideret defenſurum, ſed etiam loca ignavia ſociorum, ut aiebat, amiſſa recuperaturum, jactabat. Praemiſſus Carolus [q]Bironus cum delectis peditum et equitum copiis, qui noctu in tempore advenit, ut [r]Gibracum, quod eſt veluti ſuburbium

Faleſiae

INTERPR. [a] *Laval au Maine.* [b] *de Dombes.* [c] *Bretagne.* [d] *Chateau-Briand.* [e] *la ville de Mayenne.* [f] *Alençon.* [g] *de S. Dennis Sr de Hertré.* [h] *le capitaine Lago.* [i] *Falaiſe.* [k] *Argentan.* [l] *Domfront.* [m] *le baron de Vernic.* [n] *Chateau de Caen.* [o] *d'Angers.* [p] *le chevalier Picard.* [q] *le baron de Biron.* [r] *bourg de la Guibray.*

Faleſiae annexum, nundinis tota provincia nobiliſſimum, ſervaret: nam oppidani egreſſi in eo erant, ut illud, ne regis commodo eſſe poſſet, incenderent; qui in urbem compulſi privatas tantum domos moenibus viciniores igne conſumpſerunt. Loco a rege luſtrato, placuit ut ad arcem oppugnatio fieret; qua capta urbem in poteſtate ſtatim futuram, facto ab urbe initio difficiliorem arcis obſidionem ſecuturam apparebat. Ex rupe imminente ſaxis horrida, interjecta profunda et undique praerupta foſſa, in arcem deſpectus erat. Directae ab ea parte II colubrinae infeſta verberatione obſeſſos per arcem ad interius domicilium, quo ſe Briſſacus incluſerat, commeanteis infeſtabant. Paulo infra duobus locis rex tormenta diſpoſuerat, quibus turreis oppoſitas dejiceret, iiſque dejectis ad muri verberationem ſe accingeret. Juſſus deditionem facere Briſſacus religione ſe prohiberi reſpondit; ſumpto quippe Dominici corporis ſacramento fidem ſuis obligaſſe, de deditione ſe prorſus non acturum; addiditque ſe poſt ſemeſtre amplius reſponſurum. Quo reſponſo accepto rex irritatus retulit, menſeis ad totidem dies ſe contracturum; intra quos illum, ſed magno ſuo cum damno, religione ſoluturus eſſet. Nec verbis eventus defuit: nam admotis tormentis poſt CCCC ictuum diſploſionem cum alterius turris, quae murum pulſandum cingebat, faſtigium concidiſſet, in altera foramen factum eſſet, ſingulorum hominum ad ingrediendum capax, rex, non exſpectato dum murus pulſaretur, quoſdam in turrem ſubire juſſit, ſi forte ſe in ea ad aliquod tempus tegere poſſent, ſuis ſtatim edita ruina vim facturis ex ſuperiore loco praeſto futuri: qui cum nullos defenſores in ea reperiſſent, ſigno aliis, ut ſe ſequerentur, dato, ſinguli contis attracti in ſuperius tabulatum enituntur; tandemque ex turre in arcem penetrant, et per anguſtum in muro interiore callem ſinguli incedentes, relicto ad laevam ac devitato interiori domicilio, ad portam, quae in oppidum ſubjectum ducit, tendunt, eaque refracta citra certamen oppidum capiunt ac diripiunt, praeſidiariis, qui in interiore domicilio erant, ob infeſtam colubrinarum, quas dixi, per interjectum ſpatium pilas ejaculantium verberationem loco ſe movere non auſis; contra quos e veſtigio impetus verſus: cumque illi deditionis conditiones proponerent, rex ullas alias, quam ſi ſe arbitrio ipſius committerent, accepturum negavit. Tandem a Briſſaco impetratum, ut regem data fide convenire poſſet; eademque facilitate, qua a clementiſſimo principe ad colloquium admiſſus eſt, ab eo obtinuit, ut ipſe ac XV ex omni numero eximerentur, qui vita ſalva captivi apud eum remanerent, ceteris arbitrio ejus relictis; ex quibus pauci merita poena ob alia delicta affecti: nam ſceleratiſſimi quique et judiciorum ſeveritatem metuentes ad foederatorum partes ſe applicaverant, ſpe impunitatis, quod illis paſſim a clamoſis concionatoribus large promittebatur. Supellex pretioſa Briſſaci Carolo Birono in praedam regis dono ceſſit. Inde [a] Lexovium itum, quod a [b] Loncampio tenebatur, epiſcopali ſede nobile; quod admotis tormentis, antequam diſploderentur, deditum eſt: eodemque tempore [c] Pons-Adaemari, Pons-Epiſcopi, et Noviomagus Baiocaſſium civitas in fidem accepta. [d] Honflorium reſtabat, quo minus toto maritimo tractu citra [e] Sequanam rex potiretur, quod eſt in aeſtuario fluminis illius ſitum caſtellum, collibus undique veluti concluſum. Id Thomas [f] Bertonus Grillonius eques Ludovici frater tenebat valido praeſidio; quod ſubinde illi recens, cum commeatu et apparatu bellico, [g] Franciſcopoli et ulteriori [h] Caletenſi pago ab Andrea [i] Brancatio Villario ſummittebatur. Aliquandiu in ea obſidione rex haeſit; promotoque ad foſſam vallo, nihil tamen profectum, donec navigio in mare depreſſo portus obſtructus eſt, et ſublata commercii inter Grillonium et Villarium commoditas. Tunc de conditionibus agi coepit, et induciae

ob

INTERPR. [a] *Liſieux.* [b] *de Lonchamp.* [c] *Ponteau-de-mer, Pont l'Eveſque, & Bayeux.* [d] *Honfleur.* [e] *la Seine.* [f] *Berton chevalier de Grillon.* [g] *Havre-de-grace.* [h] *pays de Caux.* [i] *de Brancas de Villars.*

ob id pactae; quibus durantibus [a] Bellofontanus ex provinciae nobilitate vir ſtrenuus, et caſtrorum praefecti olim bellis Belgicis ſub Franciſco Brabantiae duce munere defunctus, dum trans velum in ſuburbio vicino, ne obſeſſi ictibus certis in noſtros ultro citroque commeanteis collimare poſſent, ſuſpenſum vagatur, publica fide tutus, ſumma perfidia a milite in inſidiis collocato, qui ſtaturae et veſtimenti ſimilitudine deceptus regem rebatur, pila emiſſa interfectus eſt: moxque eo concidente vox e proximo audita exultationis plena, quaſi rex haberet. Quod cum ſevere ulciſcendum plerique cenſerent, rex, ſive loci potiundi quamprimum cupidus, ſive ingenita clementia, conſtanter diſſimulavit, et honorificis maxime conditionibus cum Grillonio tranſegit. Joannes [b] Durfortius Bornius tormentorum praefectus majoris ſcloppeti ictu graviter vulneratus fuerat; cumque ex vulnere decumberet, [c] Rentio rem tormentariam adminiſtrare juſſo, accidit, ut tormentarii imprudentia, dum [d] Ferrerius [e] Amblevillae frater regis juſſu cum amico ad colloquium egreſſo ſpatiaretur, machina diſploſa lethaliter ictus ſit, magno regi ſui relicto deſiderio. [f] Tuccia et arx haud hinc longe in fidem accepta, praecipitatis conditionibus, quod rex ſuis ad [g] Meulantum laborantibus ſuppetias quamprimum ferre ſtatuiſſet.

INTERPR. [a] *de Belfontaine.* [b] *de Durfort Sr de Borne.* [c] *le Sr de Renty.* [d] *de Ferrieres.* [e] *d'Ambleville.* [f] *Toucques.* [g] *Meulant.*

JACOBI

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS OCTAVUS.

EPITOME.

PONS Eſiae a Meduanio captus. Obſidionis Meulanti exacta deſcriptio. Vernolium in Perticenſi agro a Sueſſione in fidem acceptum. II. *Sancius ad Imperii principes amicos in Germaniam remiſſus ad auxilia maturanda.* III. *Monbarri irrita obſidio.* IV. *Lucemburgicus Romam venit, et mandata pontifici coram exponit. Pontificis ambiguum reſponſum.* V. *Cajetanus legatus Lutetiam venit. Rex ſuper ejus adventu diploma ad ſenatum mittit, et ſecundum illud ſenatus-conſultum factum; cui contrarium decretum ſtatim Lutetiae conditum. Sorbonici collegii contra regem cenſura. Cajetani ad epiſcopos qui regis partibus favebant literae.* VI. *Conditum et a Pariſienſibus decretum, quo Carolo* x *obedientiam praeſtare cuncti jubentur.* VII. *Philippi eodem tempore evulgatum diploma, quo ſtudium ſuum in conſervanda Catholica religione teſtabatur, operamque ad Carolum* x *liberandum ſuam offert.* VIII. *Lugduni detecta conjuratio de urbe Henrico Momorantio tradenda. Arx Rotomagi intercepta et ſtatim dedita. Edmundus Burgoinus Dominicanus in ſuburbiis urbis captus Caeſaroduni ad mortem damnatur.* IX. *Caſtra ad Drocum poſita pridie Kalendas Martias. Poſt irritam oppugnationem deducta tormenta.* X. *Ad Andreae-fanum regia acies inſtructa. Ejus ordo. Meduanius ſuos ex adverſo neceſſitate victus inſtruit. Ad regem victoria inclinat. Meduanius dilabentibus ſuis deſertus ad Medontam receptum habuit.* XI. *Meduanius Medonta profectus, quae ſtatim regi patuit, Fanum-Dionyſii venit, et datis ad Philippum literis ſucceſſum neceſſitate pugnandi excuſat. Ad pontificem eodem die dat literas, eodem quoad ſucceſſum exemplo, ſed ex Hiſpanorum conſilio addita expoſtulatione, quod in tam juſta cauſa neque milite neque pecunia ab eo juvetur.* XII. *In Arvernis a regiis ad Iſſoriacum feliciter pugnatum.* XIII. *Bironi cum Cajetano cardinali ad Noſiacum colloquium. Injecti de pace inter regem et Meduanium ſermones.* XIV. *Corbolium et Latiniacum regi deduntur. Res feliciter in Mediomatricibus a Sobolio et Realio geſtae. Lanſaci copiae in Cenomanis ad Meduanam caeſae. Pontifex Cajetano per literas ſuccenſet, quod non potius cum Vindocino et Lenuncuriano aliiſque principibus, quam cum Meduanio, capita contulerit.* XV. *In Armorica Maclovii-fani arx a Maclovienſibus intercepta. Ad Melodunum poſita a rege caſtra, et oppidum partim vi captum, partim deditum. Sequanae et Matronae atque adeo Igonnae impoſita minora oppida in fidem accepta. Ad Agendicum Senonum civitatem fruſtra poſita caſtra.* XVI. *De induciis Cajetanus interventu Cenetenſis epiſcopi cum Birono agit, quo, mora interpoſita, interim commeatus Lutetiam copioſior importaretur. Regis cum Cenetenſi occurſus et ſermones.* XVII. *Vernolium in Perticenſi agro a Carolo Fr. Roſſello Medavidio interceptum. Legiones Tavanii vicecomitis a Monpenſerio, et Ponſenaci a Car. Humerio caeſae. Res item feliciter a Realio ad Felinum in Mediomatricibus geſta. Pontificis cum Olivare Philippico oratore acerbae contentiones. Rex Calas S. Botrudis venit, et Lutetiam uſque cum delectis progreſſus ad S. Martini ſuburbium certat. Charentonii et S. Mauri Foſſatenſis pontes ad Matronam occupantur. Eſiae pontes itidem capiuntur.*

capiuntur. Firmitas Bernardi regi ab oppidanis vindicatur. XVIII. *Carolus Borbonius cardinalis ſenior Fontenaii moritur; ejuſque regis ad ludibrium creati morte, incerta inter foederatos ſucceſſio jacet.* XIX. *A Sexdecimanis collegium Sorbonicum de ſucceſſione conſulitur. Decretum a Cajetano cardinali legato, et aliis qui cum eo erant, probatum.* XX. *Supplicationes ad plebem deludendam inſtitutae, in quibus ordines ſacri armati magna piorum offenſione incedebant. Urbs ad anguſtias ſummas redacta; in qua cum ſummo imperio Nemoroſius erat, et Bernardinus Mendoza omnia ſumma cum Cajetano faciebat, ut plebs ad perniciem obduraret.*

Ex auctoribus,

Joachimi Berengavillae relatione, Regia ephemeride militari, Lutetiae obſidionis diario ab obſeſſis ſcripto, Franciſci Lucemburgici literis, Actis publicatis, Archivis curiae Pariſienſis, Meduanii literis interceptis, A. Cicarella.

LIBER NONAGESIMUS OCTAVUS.

CIↃ IↃ XC.

HENRICUS IV.

MEDUANIUS poſt Dieppenſem expeditionem cum re infecta [α] non ſine exiſtimationis jactura ſe recepiſſet, per regis in [a] Neuſtria occupati abſentiam [b] Eſiac-pontem tentat, captata occaſione cum Petrus [c] Mornaeus Buxetus, quem rex defunctus loco impoſuerat, abeſſet: nam, oppido obſidione tam arcta cincto ut auxilia immitti non poſſent, vicarium Buxeti ad deditionem compulit, non ſine occultae fraudis ſuſpicione. Ponte capto ſucceſſum urgens [d] Meulantum tendit, caſtellum exiguum ad Sequanam, quod praeſidio a Joachimo [e] Berengavilla tenebatur, viro ſtrenuo et rei bellicae experto; qui praeter omnium ſpem eo uſque acerrimam oppugnationem ſuſtinuit, donec rex cum rapta manu adveniens Meduanium ab obſidione diſcedere coegit. Locum tenebat [f] Sanmarcus Henoticorum nomine; qui, obſeſſo Eſiac-ponte ab Henrico III ſuperiore anno, ſtatim in regis partes tranſierat. Henrico ſublato novus rex Sanmarco non ſatis fidens Joannem Aumontium equitum tribunum, virum fidei et virtutis perſpectae, eo miſerat, ut locum tranſitu opportunum luſtraret, et quicquid annonae ac rerum ad defenſionem neceſſariarum in eo erat diligenter deſcriberet. Id ille ſumma fide exſecutus Meulanto Berengavillam [g] Cameracenſis legionis tribunum impoſuit, cum ſua, Fontani, Capellae, Guimarii, et Challii cohortibus. Oppidum collem habet impoſitum, in quo olim arx fuit, ejuſque rudera ac maceriae adhuc viſuntur. Domos ſparſas habet ſecundum [h] Sequanae ſubjecti ripam; de cetero humilibus muris ex lapide ac luto coagmentatis cinctum ſine pomoerio ac turribus. Ponte jungitur inſula VI jugerum ſpatio, in qua propugnaculum, quod vulgo vocant, ſitum eſt, quatuor turribus circumpoſitis; quarum primaria [i] Baſtiliae fronti praetenditur; infra duae aliae latus utrinque tegunt; quarta [k] S. Coſmae inſulam reſpicit, vulgo [l] Canina dicta. Tum ponte in alteram Sequanae ripam

VAR. LECT. [α] non ſine exiſtimationis jactura *deſunt* Ed. Gen. 1620, *ſed in* Ed. Gen. 1626 *leguntur*, *e* MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig. *deſumpta*.

INTERPR. [a] *Normandie.* [b] *Pontoiſe.* [c] *de Mornay Sr de Buy.* [d] *Meulant ſur la Seine.* [e] *de Berengueville.* [f] *de S. Marc.* [g] *meſtre de camp du regiment de Cambray: il y fut mis pour gouverneur avec cinq compagnies qui eſtoient la moitié de ſon regiment, la ſienne colonelle, celle des capitaines la Fontaine, la Chappelle, Guimar, & Chailly.* [h] *la Seine.* [i] *la pointe de la Baſtille.* [k] *l'Iſle de S. Coſme.* [l] *la tour aux Chiens.*

ripam tranſitur, cui turris [a] Sanglea dicta ſine ullo alio munimento impoſita eſt: turrique collis imminet, et ab altera parte ex Mariano templo in Baſtiliam deſpectus eſt. Berengavillae prima cura fuit pomoerio et tumulis ad loca idonea erectis locum firmare, in minore ponte, qui oppidum reſpicit, duobus munimentis terra excitatis: continuoque unam ex V cohortibus [b] Piſciacum mittit, [c] Capella ductore, qui pontem Sequanae impoſitum ſervaret. V Eid. Januar. poſt Pontem Eſiae captum Meduanius ad Meulantum caſtra poſuit, tormentis contra [d] portam Bellovacenſem, quam Fontanus tuebatur, directis: contra quam poſtridie C ictibus diſploſis, et dejecta parte muri ac turre non mediocriter quaſſata, tamen ſuperveniente nocte, quae inſtaurandae ruinae impenſa eſt, nihil ab hoſtibus tentatum. Erant omnino IↃC in oppido pedites et XXC equites delecti. Biduo poſt eruptio fit cum XXC ſcloppetariis et XXX loricatis equitibus, tam proſpero ſucceſſu, ut diu regii tormenta hoſtilia in poteſtate habuerint, ac, niſi porta fuiſſet obſtructa, in oppidum ſecum abducere potuerint. Itaque die ſequenti tranſlata tormenta, et ex colle tribus majoribus machinis ac tribus colubrinis in ſubjectum murum valde debilem, quem [e] Guimarius cum ſua cohorte ſervabat, fulminatum. Alia parte ex S. Nicolai coemeterio in turrem quadratam et murum praetenſum diſploſio facta, et XL paſſuum ſpatio ſtrages edita; cumque per eam hoſtes oppugnationem tentaturos appareret, Berengavilla, qui oppidum amplius defendi non poſſe cerneret, nec ſuos deſerere vellet, quaſi ſuis laborantibus praeſto futurus delectos per [f] pontem minorem in oppidum immittit, ita ut ab hoſtibus ad vim faciendam inſtructis conſpici poſſet: quo factum ut illi impetum ſuſtinuerint, et interim defenſores ſe in tutum citra tumultum et jacturam receperint. Hoſtis citra pugnam per ruinam ingreſſus, per templa, ad quae cum uxoribus liberiſque oppidani confugerant, ſtatim diſcurrit, ac quicquid melioris ſupellectilis fuit diripuit: tum munimentum validum ex doliis terra ingeſta contra minoris pontis turrem erigit, quod eruptione nocte proxima facta aggreſſus Berengavilla paene ſuperavit, et uncis ferreis partem majorem dejecit. Tum annonae proſpectum, obfirmatis ad defenſionem praeſidiariis; et delecti ex oppidanis, qui panem et vinum ad praeſcriptum ſingulis admetirentur. Erat intenſum frigus, et, aqua ubique infra et ſupra pontes glacie concreta, facilis hoſti ad munimenta acceſſus patebat; cui incommodo ut ſubſidium pararet Berengavilla, L Helvetiis, quos paulo ante Meduanii adventum intra oppidum acceperat, negotium dat, ut cum dolabris, malleis, ac contis glaciem frangerent, et vallum intra [g] S. Nicaſii inſulam et [h] turrem Baſtiliae praetenſam ad minorem pontem ducerent. Quod illi non ſegniter fecere, magno obſeſſorum commodo: nam in propinquo [i] Nemoroſius navigia diſpoſita habebat, ad militem in inſulam immittendum: acciditque proxima nocte, ut tormentorum fragore muri per ſe debiles magna ex parte corruerint, amplius LX paſſuum ſpatio, ſed mox diligentia Berengavillae terra ingeſta firmati. Obſeſſis, ut in tali anguſtia proſperam hactenus fortunam expertis, alacritatem fecere duo milites, qui nihil coeli injuriam, nihil aquae rigentis globos glacie concretos et rapiditate ſumma anguſto inter pontes flumine contortos veriti, ultro ſe natatu ad navigia invadenda nocte illuni demiſere, inciſiſque funibus et terebris perforatis pleriſque partem demerſere, partem ſecum avexere; quae magno poſtea uſui obſeſſis fuere, aperta per flumen ad excurſiones via: nam hujus beneficio cum reſciviſſet Berengavilla Meduanium in [k] Fraxineae arcis curte partem apparatus bellici reliquiſſe, metatorem equitum alae ſuae cum delectis mittit, qui, aſtu per noctem occupata curte, pulverem et funeis,

INTERPR. [a] *la Sangle.* [b] *Poiſſy.* [c] *le capitaine la Chappelle.* [d] *la porte de Beauvais.* [e] *le capitaine Guimar.* [f] *le petit pont.* [g] *de S. Nicaiſe.* [h] *la tour de la pointe de la Baſtille.* [i] *le duc de Nemours.* [k] *la baſſe cour du Chateau de Freſne.*

funeis, quorum penuriam jam ſentiebant obſeſſi, in tutum avexit. Meduanius inter haec diuturnioris obſidionis pertaeſus XI Kalend. Februar. [a] Jaugium cum ſua legione, in qua CIↃ beſlatores erant, ſuperato ad [b] Medontae pontem [c] Sequana, per alteram ripam ad [d] Murellum pagum tendere jubet, ut [e] Sangleam turrem occuparet. Cum in eo eſſet ut hoſpitium firmaret, [f] Berengavilla cum XXC ſcloppetariis, XXX loricatis, opportune admodum locum invaſit, ac multos ex hoſtibus cepit, pleriſque munitionibus ex doliis ſtructis ſine ſuorum jactura dejectis. Itaque Jaugius longius in templo ſe munire coactus. Sub id miles a rege miſſus natatu ad Berengavillam pervenit, cum literis, quibus de adventu ſuo eum certiorem faciebat. Nec id latebat Chriſtianum [g] Savinium Ronaeum, quem Meduanius cum delectis Jaugium ſubſequi juſſerat. Is ad Sangleam portam III Eid. Febr. poſt IↃ amplius ictus tormentorum diſploſos, et ſtragem plus LX paſſuum in muro editam, totis viribus oppugnationem tentat; quam Berengavilla, ducto intus vallo, ſtrenue admodum in primis ordinibus pugnans ſuſtinuit, ac tandem hoſteis pleriſque ex iis occiſis pepulit; quorum corpora repoſcenti Ronaeo humaniſſime ad ſepulturam conceſſit. Poſtridie per aggerem vis iterum tentata; ſed, directis ad eam partem a praeſidio aliquot levioribus machinis, aggere diſturbati ac ſoluti hoſtes fruſtra fuere. Jamque rege adventante Ronaeus, periculo praevertendum ratus, nocte inſequenti tribus ante diem horis tormenta loco movet, et ad [h] Triellii pontem navigiis diſpoſitis in ulteriorem ripam tranſmiſit, delectis in ultimo agmine relictis, qui regios, ſi vim a tergo facerent, diſtinerent. Tandem Eidibus auxiliaris exercitus apparuit, et rex ipſe cum C. Borbonio [i] Sueſſionum comite, Franciſco [k] Aureliano Fani-Pauli comite, Armanno [l] Birono equitum tribuno, Maximiliano [m] Bethunio Rhonio, [n] Meulantum per portam Sangleae turri ſubjectam ingreſſus eſt; et, praeſidiariis laudatis ac loco luſtrato, in caſtra continuo rediit. Ejus diſceſſu Meduanius ab altera parte, colubrinis ac tormentis in colle et templo ſubjecto diſpoſitis, propugnaculum denuo pulſat; ac poſt IↃ ictuum diſploſionem, dejecto debili muro ac turre quaſſata, vim parat: cui ſuſtinendae impares defenſores ad pilas proximas ponti ſe contrahunt, et hoſtem irruentem ſiſtunt, monito rege, qui ſtatim auxilio occurrit advectis tormentis: quibus loco idoneo ſubjecta porta diſpoſitis pilam ab hoſte occupatam recipit, et ex [o] Nicaſiana inſula immiſſo milite expulit. Tum illata annona, et loco Helvetiorum Germanorum cohorte Berengavillae attributa, machinas in caſtra deducit, jam de [p] Droci obſidione cogitans: acciditque ſub id, ut Meduanius, intellecto Palatium vetus [q] Rotomagi a regiis occupatum, pejora veritus cum parte exercitus eo confeſtim contenderit III Kalendas Martias, navigiis, quae ad vim per flumen faciendam paraverat, partim merſis, partim Sequana ſecundo immiſſis, ne obſeſſi eorum commoditate uterentur. Poſtridie incenſis doliaribus munitionibus oppidum deſertum, ac VI Non. Mart. eodem reditum; ac die inſequenti hoſtis quaſi vim ad pilam turrem facturus copias inſtruit, et foramen templi proximi vicinaſque domos milite firmat. Ibi impreſſione acri a praeſidiariis facta utrinque diu certatum, iſque exitus fuit, ut interea hoſtis ſe receperit. Actae dein pro ſoluta obſidione Deo gratiae, et ſupplicationes a ſacro ordine celebratae, quibus Berengavilla cum ceteris belli ducibus interfuit. Sueſſio eodem tempore a rege miſſus, ut [r] Vernolium in Perticenſi agro reciperet; qui rem ex voto confecit, et acceptum in fidem Theodorum [s] Lignerium, paulo ante foederatorum partes ſecutum, oppido et arci cum valido praeſidio impoſuit.

II. SUB

INTERPR. [a] *Jaulge.* [b] *Mante.* [c] *la Seine.* [d] *le village des Mureaux.* [e] *la tour de la Sangle.* [f] *de Berengueville.* [g] *de Savigny Sr de Roſne.* [h] *le pont de Triel.* [i] *de Soiſſons.* [k] *d'Orleans comte de S. Paul.* [l] *le mareſchal de Biron.* [m] *de Bethune Sr de Roſny.* [n] *Meulant.* [o] *de S. Nicaiſe.* [p] *Dreux.* [q] *Rouen.* [r] *Verneuil au Perche.* [s] *de Ligneris.*

II. SUB id de ſucceſſu rerum haud ſatis proſpere in Germania a Nicolao [a] Harlaeo Sancio geſtarum ad regem allatum eſt. Huic poſt regis mortem ad ſcribendum novum militem in Germaniam miſſo ampliſſima mandata fuerant data, cum literis ad principes *ſcriptis*; quarum haec ſumma erat: Hiſpanos xxx abhinc annis bella civilia in Franciae regno alere ac fovere, eo ſcilicet conſilio, ut florentiſſimo regno *everſo, concepta* ſub Carolo v Caeſare orbis Chriſtiani monarchia, ſub Philippo ejus *filio* aliquando parturiant: nam illud quamdiu integrum et incolume ſtabit, veluti aemulum et oppoſitum a Deo contra immoderatam ambitionem munimentum ſpes eorum retardare, et impedimento eſſe, quo minus alias aliorum minorum principum ditiones, quae ſe patrocinio Imperii tuentur, invadant, et iniqua ſpe jam devoratas omnino deglutiant: id cum ſedulo feciſſent, et regnum continuis tot annorum bellis domeſticis debilitatum quaſi ad maciem adduxiſſent, tamen cum viderent ſupereſſe adhuc in animis hominum inſitum regii nominis cultum, eos Guiſium ſuſcitaſſe gratia inter Catholicos praepotentem, qui arma contra Proteſtanteis deſtinata ultro in regem verteret: poſtea pulſum Lutetia regni metropoli indigne regem, in eaſque anguſtias Guiſii ambitione poſtremo adductum, ut, quo praeſens exitium vitaret, peſte illius ſalutem propriam expedire neceſſe habuerit: poſtea Meduanium fratris conſilium iiſdem animis proſecutum; et quod ille Bloeſis meditabatur, id in Lutetiae conſpectu exſecutum eſſe, ſubornato in regis necem deteſtandae perfidiae ex Dominicanorum ordine monacho: tam horribilis atque ad omnem poſteritatem damnandi paricidii exemplum ad omneis principes ac praecipue Germanicos pertinere; qui ſi juſtas auxiliorum regi a ſuis oppreſſo ſummittendorum rationes habuerunt, ſi ipſum, qui nunc legitima ſucceſſione ad regnum poſt illius mortem vocatus eſt, tam praeſenti ope ſemper antea juverunt, nunc omni ope contendere debere, cum de ulciſcenda tanta injuria et regno ab impiorum ſicariorum peſte aſſerendo agitur, ut quando major quam unquam antea ſpes inſtaurandae in eo pacis affulget, quo minus ea conſtituatur, nihil reliqui feciſſe videantur: hoſteis, qui omnem ſpem in regis morte poſuerant, eo ſublato nihil non aſtu ac fraude molitos, ut, ſparſis inter proceres ac belli duces, qui in regio exercitu erant, diſſidiorum ſeminibus, Catholicorum animos alienarent, et ad ſuas parteis pertraherent: ſed tandem inter eos, magno omnium conſenſu, conventum de obedientia regi praeſtanda, conditione adjecta, ut intra ſex menſeis nihil in religionis negotio, quod praecipue hoſtes urgebant, innovaretur, donec aut procerum aut ordinum conventu habito, aut ex liberi concilii generalis aut nationalis ſententia, de re tota ſtatuatur: quoſdam tamen ſeu ſpe ſeu metu a caſtris diſceſſiſſe; quos rex male erga ſe regnique cauſam affectos libentius dimiſerit, quam illi ipſum reliquerint, quippe pudore confuſi et morſu conſcientiae perfidiam eis exprobrante: regem vero, ob viciniam urbis cum videret malum in dies inter ſuos graſſari, ab ea longius recedere ſtatuiſſe, et in [b] Neuſtriam proximam ſeceſſiſſe, parte exercitus penes ſe retenta, et parte [c] Longovillano duci Picardiae praeſidi, parte Jo. Aumontio equitum tribuno in Campaniam ad excipiendas auxiliareis copias deſtinato attributa: Sancium eam ob cauſam ad ipſos legatum, ut, dum numeroſi exercitus deceſſori ſuo promiſſi ope juvetur, modica auxilia tam neceſſario tempore quamprimum in Galliam deducenda curet, et ccc aureorum CIϽ, quae ſumma itidem promiſſa erat, dimidiam partem praeſenti pecunia ab ipſis accipiat; nam penuria ejus maxime nunc laborare, ac vereri ne ea deficiente inter crebras defectiones miles ſub ſignis diu contineri poſſit: ad hoc celeritate opus eſſe; eundem quippe exitum res habituras, ſi differantur auxilia, ac ſi omnino negentur: nam

INTERPR. [a] *de Harlay Sancy.* [b] *Normandie.* [c] *de Longueville.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

nam inde Lotharingiae ducem, inde Parmenſem regi imminere, nihil reliqui factu-ros, quo cum primis regni auſpiciis, ne res ſuas ſtabilire poſſit, omni ratione impe-diant: interim placere regi, ut reliqua ſummae pars, accedente ad eam quae a ſere-niſſima Angliae regina promiſſa eſt pecunia, ad potentiorem exercitum mox ſcri-bendum ſeponatur; cujus tamen nullus poſtea futurus ſit uſus, ſi rex auxilio prae-ſenti ad continendos in officio ſuos deſtituatur: ampliſſima Sancio ad id a rege da-ta mandata, quibus idonee principibus aliiſque creditoribus cauturus ſit, oppignera-tis regni vectigalibus ac civitatibus, aut, ſi malint, ingenti patrimonio, quod ille ex-tra regni ſucceſſionem in ipſo regno poſſidet, aeri alieno, quod reges deceſſores ſui contraxerunt, nondum obligatum. His mandatis inſtructus Sancius [a] Baſileam venit; et Antonium [b] Moretum Realium cum Gaſpare Schombergio in Germaniam ante regis mortem profectum nactus, cum eo rurſus Heidelbergam tendit, ut cum Joanne [c] Caſimiro, qui tunc ſeptemviratum adminiſtrabat, de communibus rebus capita con-ferret. Re in deliberationem deducta, placuit ut [d] Lentius legionem peditum, Fran-ciſcus [e] Dammartinus CIↃ IↃ equites Germanos quamprimum ſcriberent; quae co-piae condicta die in campis [f] Argentinae ſubjectis ad luſtrationem convenirent. Sub id Heidelbergam venit Arnoldus [g] Frentzius, qui CIↃ IↃ equites diu circa [h] Aquiſgra-num ſub ſignis tenuerat. Delectus hi juſſu Ludovici Gonzagae [i] Nivernenſium ducis habiti fuerant; qui, Antonii [k] Sanpauli per [l] Retelenſem principatum graſſantis, et jam ſe pro duce Retelenſi gerentis, injurioſam petulantiam non ferens, ſuis ſump-tibus permiſſu regis defuncti bellum adverſus eum gerere ſtatuerat: ſed morte ejus ſecuta, cum, mutata rerum facie, quo minus bellum perſequeretur ſe religionis ſcru-pulo attineri diceret, promiſſa in eos delectus pecunia minime repraeſentata fuerat. Itaque Frentzius, veritus ne ea mora ſibi detrimentoſa eſſet, cognito delectus a no-vo rege haberi, operam ſuam ultro Sancio detulit, ſuos jam paratos affirmans; qui tamen interea nimiae morae taedio a ſignis fere dilapſi fuerant. Conditio oblata a Sancio accepta, ipſique Frentzio et Wambacho, qui peditum legionem ſcripturum ſe promiſerat, dies Francofurti ad Moenum, quo amplius in commune conſulerent, dicta. Interea Sancius cum Realio [m] Caſſellas ad Willelmum [n] Heſſum, ſummae prudentiae principem et antiqua foederatione Gallico nomini conjunctum, tendunt; qui quod cum Joanne Caſimiro actum fuerat cum probare ſe oſtenderet, collata ultro pecunia auctor fuit, ut a Norimbergenſibus et Ulmenſibus etiam pecunia mu-tua ſumeretur; in idque literas commendatitias ad eos dedit. Itaque miſſus eo a Sancio Realius cum Ludovico [o] Perroto a regiis epiſtolis, qui rem feliciter confece-runt. Jamque Dammartinus cum copiis praemiſſis Argentinam venerat, et [p] Lenti-ani ſeriatim in dies conveniebant, cum Carolus Lotharingiae dux, re cognita, de iis delendis, antequam armis inſtructi et pecunia accepta ſacramento adacti eſſent, con-ſilium cepit. Itaque, revocato Henrico [q] Muſſipontano marchione filio, qui cum delectis copiis Meduanio in Dieppenſi expeditione praeſto fuerat, et [r] S. marobrigae in Ambianis poſtea ex morbo aliquandiu decubuerat, Sanpaulo et aliis belli ducibus diem quo convenirent Nancii condicit III Kalendas Decembreis. Inde cum Fran-ciſco [s] Valdemontano comite altero filio, Carolo Philippo [t] Croio Havreci marchi-one, votis ad [v] Nicolai-fanum in itinere nuncupatis, [w] Blamontium et Phalsburgum profectus, ac [x] Vogeſo monte ſuperato, [y] Tabernas quintis caſtris venit; ac biduo poſt, hoc eſt Nonis Decembribus, exercitum [z] Waſtenii luſtravit. In eo erant II CIↃ

equites

INTERPR. [a] *Baſle.* [b] *de Moret Sr des Reaux.* [c] *le duc Caſimir.* [d] *le Sr de Lenti.* [e] *le colonel Dammartin.* [f] *Strasbourg.* [g] *Frents.* [h] *Aix-la-Chapelle.* [i] *de Nevers.* [k] *de S. Paul.* [l] *le duché de Rethelois.* [m] *Caſſel.* [n] *le landgrave de Heſſe.* [o] *Perrot ſecretaire.* [p] *le regiment de Lenti.* [q] *le marquis de Pont-à-Mouſſon.* [r] *Amiens.* [s] *de Vaudemont.* [t] *de Croy marquis d'Havreck.* [v] *S. Nicolas.* [w] *Blamont & Phaltzbourg.* [x] *Mont de Voſge.* [y] *Zaberne.* [z] *Waſtenheim.*

equites egregie armati, II CIϽ pedites Galli, quos Antonius Sanpaulus ducebat; totidem Germani, quibus Jacobus marchio Badenſis praeerat. [a] Monſtrolius praefecti caſtrorum munere fungebatur; qui, Sanpaulo praemiſſo, mox cum III levis armaturae turmis et totidem ſcloppetariorum equitum ſubſecuturus, Lentianos inermeis, tranſmiſſo fluvio cui [b] Illae nomen, quo ſe tutos illi putabant, ad [c] Botzemam oppreſſit, et III cohortes ſtatim deditas in fidem accepit, et biduo poſt [d] Betenemii alteras duas. Quod Sancium ab omni re adhuc imparatum, et fruſtra [e] Frentzium et Wambachum, qui ſerius ſpe venere, exſpectantem, turbavit: qui tamen in tali occaſione minime ſe deſeruit, Dammartinoque ac ſuis perſuaſit, quo periculum evitarent, ut relictis carris et impedimentis expediti, aſſumptis quos poſſent ſecum ex peditatu adhuc integris, Baſileam verſus ſe reciperent, et inde per [f] Montis-Pelicardi comitatum ac [g] Sequanos iter [h] Lingones verſus intenderent, quo eos Aumontius cum delectis Gallorum copiis a rege opperiri juſſus erat. Id ab illis haud ſegniter factum, Lentianis, qui ſupererant, et Wambachianis animoſe duces ſuos ſequentibus; qui caudas equorum tenentes fluvios et rivos aquarum inundatione per agrum reſtagnanteis, promiſſis a Sancio confirmati, ſumma alacritate tranabant. Multi ex iis inſequente hoſte vorticibus hauſti; reliqui cum ſe in tutum recepiſſent, poſtea in Galliam pervenerunt, et ſe cum Aumontio conjunxerunt. Sancius interea cum Friderico Wirtembergico Montis-Pelicardi comite agit, et, oppigneratis ditionibus quas rex ex privato patrimonio in [i] Pleumoſiis habebat, grandem pecuniam ab eo acceperat. Inde Argentinam reverſus Frentzianos exſpectaturus, cum illi ſeriatim, non citra periculum, Lotharingicis ſemper inſidiantibus, convenirent, a ſenatu urbis impetravit, ut trans Rhenum novis delectibus hoſpitia aſſignarentur. Cum vero Dammartinus jam ad Galliae limitem perveniſſet, nec ulla ſpes eſſet ut Frentziani cum eo conjungi poſſent, conſulto prius Jo. Caſimiro, e re viſum, ut, ad avertendas Lotharingicorum impreſſiones, Frentzius cum ſuis converſo itinere [k] Metim cum [l] Realio peteret, eaque in urbe, quae continuis hoſtium aſſultibus infeſtabatur, bellum gereret. Igitur Frentzius, luſtratis copiis equeſtribus, quae ad IϽ equites efficiebant, cum Realio per [m] Bipontini principis ditionem iter habuit; atque inde noctu profectus ſumma celeritate poſtridie Metim incolumis cum omnibus ſuis pervenit. Germanorum peditum cohortes, quae Lotharingiae duci nomen dederunt, a Sanpaulo poſtea in Campaniam et Heduos deductae, Cajetano cardinali [n] Divione Lutetiam proficiſcenti attributae ſunt, immani licentia toto eo itinere bacchatae, nulli loco ſacro parcentes, et quadrageſimalis jejunii tempore ab eſu prohibitarum carnium etiam in publico minime abſtinentes. Quod per ludibrium ſalva conſcientia ſe poſſe facere dictitabant; quippe cum penes ſe pontificis vicarium haberent, qui abſolutionis beneficium ipſis quotidie incedendo impertiebatur, et coeli theſauros reſerabat.

III. AUMONTIUS interea, Dammartini ſubnixus copiis, ad [o] Monbarrum in Heduis Nemoroſii caſtellum caſtra ponit, cui [p] Debadetus praeerat cum municipali praeſidio. Cum Aumontio erant Dintevilla, [q] Tavanius, Sipetra, Bellijocus; qui poſt verberationem edita ruina anguſta, et oppugnatione ad eam facta, cum aliquot e ſuis interfectus eſt, dux multorum ſtipendiorum et longo ſolertiae bellicae uſu clarus. Tandem, cum obſidio a VI Eid. Febr. incepiſſet, Kalendis Martiis ſoluta eſt, revocato ſub id Aumontio a rege, qui, poſitis ad [r] Drocenſe oppidum caſtris, rei cum hoſte gerendae occaſionem opperiebatur.

INTERPR. [a] *de Monſtreuil mareſchal de camp.* [b] *Ille r.* [c] *Botzen.* [d] *Bretenen.* [e] *Frents & Wambach.* [f] *Montbeliard.* [g] *la Franche-Comté.* [h] *Langres.* [i] *Flandre.* [k] *Mets.* [l] *des Reaux.* [m] *le duc de Deux-Ponts.* [n] *Dijon.* [o] *Monbart en Bourgogne.* [p] *Debadet.* [q] *de Tavannes, de Cipierre, & de Beaujeu.* [r] *Dreux.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

IV. JAMQUE Franciſcus [a] Lucemburgus Pinaei dux, facto per Helvetios et Rhaetos itinere, in Italiam deſcenderat; ſalutatoque Veneto ſenatu, a quo perbenigne exceptus fuit, ac deinde Mantuae, Ferrariae, Etruriae ducibus, quamvis pleriſque diſſuadentibus, ad extremum, cardinalis [b] Montalti literis fretus, ſine alia cautione publica ulterius progreſſus eſt, et VI Eid. Jan. ad [c] urbem venit: ubi ad colloquium a pontifice admiſſus, ſe Sextili proximo a regiae proſapiae principibus, tribunis equitum, aliiſque primariis regis miniſtris ac proceribus Catholicis, delegatum dixit, ut ſuae ſanctitatis pedes deoſcularetur, eique tanquam ſummo pontifici, Chriſti in terra vicario, et B. Petri ſucceſſori, pia et humili devotione debitos honores deferret. Tum, morae diuturnioris in itinere factae cauſis propoſitis, mandata ſua aperit. Ea erant, ut intelligeret, quibus rationibus inducti illi, a quibus miſſus eſſet, Henricum Borbonium in regem Franciae aſciviſſent, quanquam aegre et ſummo cum dolore factum eſſet ut eum regem agnoſcerent, qui aliam ab ipſis religionem profiteretur, et nuper diplomate pontificis proſcriptus eſſet: id autem in hunc modum accidiſſe: poſt deplorandam regis caedem ictu cultri a Dominicano monacho factam, principes, equitum tribuni ac proceres, qui in exercitu regis erant, in concilium convocatos: heic praeſenti ſtatu rerum conſiderato, et penſitatis ex diſcordia non ſolum ad tranquillitatem publicam, ſed ipſam Catholicam Apoſtolicam Romanam religionem, quam ipſi amplectebantur, redundaturis proculdubio periculis, ſumma animorum conſenſione in eo conveniſſe, ſi ſalvum regnum et cum regno ſervatam religionem cuperent, regi Navarrae tanquam legitimo ſucceſſori regnum Franciae deberi: itaque, cautione ab eo accepta et ipſius manu ſubſignata, cunctos magno concurſu illum regem ſalutaſſe, eique fidei et obſequii jusjurandum juxta regni leges detuliſſe: quo facto, ut ſanctae ſedi Apoſtolicae Romanae ſe devotos approbarent, eique conſilii ſui tam neceſſarii quam regno ac eccleſiae ſalutaris rationem redderent, cum bona regis venia ſe ab illis ad ipſum delegatum, cujus et ſumma pietas et praecipua in regno dignitas perſpecta eſſet, ut eo officio apud ipſum defungeretur: Foederatorum pernicioſis machinationibus factum eſſe, ut, populo, praeter religionis ſpecioſum ab iis ementitum nomen, ad libertatem vana immunitatum et a tributis levamenti ſpe vocato, publica quies in regno rebellionibus turbata ſit: nec contentos armis cuncta miſcuiſſe; et, cum religionis cauſam obtenderent, monacho ſpecie religionis ad principem religioſiſſimum introducto, ipſum de medio ſuſtuliſſe: quod non ſolum univerſos, qui circa eum erant, ad juſtam iram commoverit; ſed ſic exiſtimare illos, id citra horrorem ad pontificis aures pervenire non potuiſſe, quippe quo ſempiterna et ad omnem poſteritatis memoriam victura ſacro ordini infamiae nota impreſſa ſit: in ea ſive indignatione ſive acerbiſſimo dolore hoc proceres primum ſpectaſſe, ut quanta fide principem ſuum, dum in vivis eſſet, coluiſſent, tantam pietatem erga mortuum ſervarent, corpuſque ejus ab injuria ac contumelia, quam impii homines meditabantur, quantum in ipſis eſſet, defenderent: quod ut facerent, opus fuiſſe ut ſub duce certo concordiam tuerentur, neque ſe dividerent: eum ſe regem Navarrae delegiſſe, cui ex militiae diſciplina, quia primam aciem in exercitu ducebat, occiſo imperatore parere tenebantur: ſed juſtiores fuiſſe cauſſas cur ſe illi ſummiſerunt, nimirum quod regio ſanguine prognatus et ſucceſſionis jure regi defuncto proximus eſſet: et, quanquam a majorum religione, in qua ipſi vivere et emori cupiant, alienus, tamen ſi rex a proceribus ſalutatus non fuiſſet, longe pernicioſiſſima, ex neceſſitate, contra Catholicos conſilia proculdubio iniiſſet, arctioremque cum ſectariis foederationem junxiſſet: nunc vero, poſtquam tam propenſam erga ſe Catholicorum procerum voluntatem expertus eſt, ſe meditaretur quaſi communem

INTERPR. [a] *de Luxembourg duc de Piney.* [b] *Montalto.* [c] *Rome.*

communem patrem inter partes gerere, factioneſque, quantum in ſe eſt, tanquam legitimo imperio adverſanteis paulatim ſolvere, ſicque ſe in religionis cauſa affectum oſtendere, ut de errore ſuo admoneri ac doceri potius quam in eo obfirmata voluntate perſeverare velle videatur: proinde ſuam ſanctitatem, quam humiliter poſſint, ipſos orare, ut quod extrema neceſſitate victi majorum religionis conſervandae cauſa fecerint, tanquam prudenter et pro temporum ratione recte factum in bonam partem accipiat, proque ſua prudentia et ſuo erga regnum florentiſſimum affectu, eorum egregiam voluntatem adjuvet, et tanti principis, qui de ſalute ſua ſolicitus doceri ex animo cupit, laudabili deſiderio, meliore quam poterit via et ratione, conſulat: ſic enim rem ſacro faſtigio dignam facturum, Deo gratam, ipſi honorificam; ex qua apud poſteros tantum laudis ac verae gloriae conſecuturus ſit, quanta nunc hodie inter omnes pios invidia merito quidam ex deceſſoribus ipſius laborant, qui ſocordia ſua paſſi ſunt ut regna tota ſe ab eccleſiae unione diviſerint. His aliiſque rationibus inſtando, urgendo, et periculum, quod non ſolum regno ſed etiam religioni diſſoluto imperio impendeat, oſtendendo, pervicit Lucemburgus, ut pontifex, ex eventu noſtrarum rerum conſilium capturus, tandem ad principum ac procerum literas brevieulo reſcripſerit. Hujus haec ſumma erat: pergratum ſibi fuiſſe, quod in maxima moleſtia, in qua ob regni Franciae motus verſabatur, ex literis a Lucemburgo exhibitis, eos Catholicae religionis et publicae regni tranquillitatis reſtituendae ſtudio teneri intellexerit: qua ex re et ſummum gaudium animo perceperit, et peramanter ac humaniter ipſum Lucemburgum exceperit, et nobilitatis Gallicae petitionibus ac illuſtriſſimi legati ſermonibus ſecum pluries habitis, quantum pro honeſtate ac dignitate decuit, ſuas aures benigne accommodaverit: laudare igitur ipſorum in re omnium maxima, et ad regni ſalutem valde neceſſaria, hoc eſt in Catholicae religionis amplificatione, religioſum piumque animum ac conſilium, in eoque ut perſeverent et facta dictis reſpondeant, quod ſperet, hortari; ſic enim rem majorum virtute dignam facturos, tot laboribus et periculis pro fide Catholica tuenda et Romanae eccleſiae dignitate augenda saepius alacri et conſtanti animo aditis perſpecta: a qua minime degenerantes ſi diligenter et fideliter in id incumbant, ut religio antiqua, quod ipſi polliceantur, in regno retineatur, et publica quies ſervetur, viciſſim polliceri, quaecunque ad ſalutem et commoditatem eorum pertinere arbitrabitur, ſe omni ſtudio et officio, prout juſtitia et dignitas exiget, praeſtiturum. Haec poſt nuncium de Euriaca pugna, de qua mox dicemus, ſcripta: quae etſi ambigui plena ſermonis, tamen prudentiores ſic exiſtimabant, pontificem minime ſcripturum fuiſſe, niſi jam tum ſe paraſſet, ut quo ſe fortuna, eodem favorem ſuum inclinaret.

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

V. JAM legatus pontificius Lutetiae propinquabat; famaque ejus adventus ſparſa cum factioſi ſpes magnas de eo excitaſſent, [a] Santionius ex tribunis militaribus urbanis unus, famoſus cauſarum in minoribus ſubſelliis patronus, et alioqui moderato ingenio praeditus, ſive cum factione mutaſſet, ſive ut tempori ſerviret, Nonis Januariis acrem orationem habuit ad ceteros tribunos, qua eos ad rem gnaviter gerendam hortabatur, duce Meduanio et auſpiciis Caroli x ſanctae Romanae eccleſiae cardinalis. Tum de jure ejus, excluſo Henrico Borbonio Navarrae rege Antonii fratris filio, multa addidit, oſtenditque ob ſacerdotium minime cum regno inhabilem: nam Melchiſedecem et regem et ſacerdotem ſimul fuiſſe, et eandem dignitatem in cunctis Judaeae regibus conjunctam uſque ad Herodem Antipam manſiſſe: idem in magno Aethiopiae rege hodie locum habere; et nuper Henricum cardinalem Sebaſtiani

INTERPR. [a] *Sainction avocat au Chatelet.*

Sebaſtiani morte ad regni Portugalliae ſucceſſionem vocatum, non propterea eo indignum fuiſſe habitum: Philippum denique Ludovici Craſſi filium archidiaconum Pariſienſem, cum fratribus ad portionem hereditariam, quamvis ſacris initiatus eſſet, admiſſum. His exemplis ac rationibus contendebat, nihil cauſae eſſe cur non omnes concorditer obſequium cardinali Borbonio tanquam legitimo regni heredi praeſtare tenerentur. Eodem menſe VII Kal. Febr. diploma Cajetano cardinali a pontifice conceſſum Lutetiae in ſenatu recitatur, et, audito ac poſtulante eo qui regii cognitoris partibus fungebatur, promulgatur, et in acta curiae refertur: et aliquanto poſt, VIII Eidus Februarias, itidem poſtulante regio cognitore, publicantur mandata ſpecialia eidem data, Facultates vulgo vocant, quibus, contra jura regni ac libertates, ampliſſima in ſaeculareis juriſdictio in crimine uſurae, falſi, raptus, incendii et hujuſmodi caſibus, juris in cauſis civilibus dicendi, beneficia quaecunque erigendi et inſtituendi, ſtatuta et ordinationes condendi, teſtamentorum faciendorum facultatem concedendi, attribuitur. Secundum haec ipſe legatus ingenti pompa in ſenatum venit; et cum in ſuggeſtum uraniſco ſuperſtructo ornatum, qui regi ſoli reſervatur, conſcendere ambitioſe vellet, Barnabas Briſſonius, qui primas in ſenatu tenebat, manu prenſum retinuit, et in ſubſelliis inferioribus e regione poſt ſe loco ſecundo ſedere juſſit; et poſt gravem de pontificis poteſtate et egregia erga regnum et ſenatum voluntate habitum a legato ſermonem, ipſe dicentem excepit, et prolixa oratione Latina regni magnitudinem et ampliſſimi ordinis auctoritatem extulit. Contra haec Pariſienſium decreta cum rex Non. Januar. ſuper adventu cardinalis Cajetani ſe pro legato pontificio gerentis diploma ad curiam directum emiſiſſet, ſenatus, qui [a] Caeſaroduni erat, partes ſuas interpoſuit, et, cognitore regio in cardinalem Cajetanum tanquam Bonifacii VIII agnatum, Petri Sermonetae ducis, qui Philippo in Belgio militabat, fratrem, Hiſpanienſi factioni addictum, qui, re cum Henrico [b] Guſmano Olivarii comite Philippi apud pontificem oratore communicata, in Galliam legatus deſtinatus, ad urbes tantum a foederatis occupatas divertit, non petita prius, more recepto, a rege venia regnum ingreſſus ſit, non mandata ſua exhibuerit, perorante, enixe prohibuit, ne quis ex plebe, nobilitate, aut ſacro ordine cum regis hoſtibus, ac praecipue cum memorato cardinali, colloqueretur, per ſe vel interpoſitas perſonas cum eo ageret aut conſilia agitaret, ſine expreſſo regis mandato, donec ille juxta leges Franciae, regni jura, libertates ac immunitates eccleſiae Gallicanae, ſe regi ſtiterit, more hactenus recepto; qui aliter fecerit, in perduellionis crimen, ſine ſpe nunc aut in poſterum gratiae, incurriſſe reputetur: inſuper decernit, ut, accepto a curia mandato, liceat cognitori regio in imperia curiae detrectanteis anquirere, et cenſuris eccleſiaſticis ad probationes indagandas uti; mandatque archiepiſcopis ac epiſcopis, ut cenſuras ad id impetratas per dioeceſeis ſuas diligenter publicandas curent. Eodem die conditum ſenatus-conſultum, poſtulante cognitore regio, in receptatores perduellium et eorum qui belli ſpecie publica latrocinia exercebant, poena criminis laeſae majeſtatis in convictos ſancita: inſuper additum, ut arces et domus eorum qui latrones et hoſteis receptaſſent ſolo aequarentur. De ſenatus-conſulto contra cardinalem Cajetanum facto certiores Pariſienſes decretum contrarium faciunt X Kalendas Martias, quo [c] Caeſarodunenſe revocant et tanquam irritum pronunciant, quaſi a judicibus minime poteſtatem legitimam habentibus factum, vetantque ne quis ei obtemperet; cunctiſque, cujuſcunque ordinis ac conditionis ſint, injungit, ut ſanctam ſedem colant ac venerentur, et Cajetano cardinali a pontifice in Franciam legato, ut religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam conſtituat, regi obedientiam, quae ei legitime debetur, conſervet, ſectarium virus exſtirpet,

INTERPR. [a] *Tours.* [b] *de Guzman comte d'Olivarez.* [c] *arreſt du parlement de Tours.*

exſtirpet, et publicam tranquillitatem in regno firmet, debitam reverentiam deferant. Paulo ante, factioſis annitentibus, qui multos injuſti belli taedio pejora in poſterum ominanteis affici cernerent, et concionatores ipſos non uno ore ad populum de illius rationibus loqui atque inter ſe diſſidere aegre ferrent, Sorbonicum collegium ad firmandam pacem et [a] unionem congregatum IV Eid. Februar. poſt celebratum ſacrificium cunctos theologos et ſtudio theologico initiatos rogat hortaturque, ut profeſſionis ſuae primariae memores ſedulo proſpiciant, ne inter ipſos diſſenſiones et ſciſſurae oriantur, quarum occaſione populo offenſio et ipſi theologicae profeſſioni dedecus et ignominia afferatur: et quoniam experimento compertum ſit, inimicum hominem in medio tritici zizania perpetuo ſeminare, et haereticae ac politicae pravitatis homines veritati reluctanteis, corruptos mente, circa fidem reprobos, inducere magiſtros prurienteis auribus, et, juxta Ezechielis imprecationem, pulvillos ſub omni cubito manus conſuenteis, prohibet, ne quis in poſterum ambigue, obſcure, inconſtanter, aut ad gratiam loquatur, ſed quiſque, tum in privatis colloquiis, tum in publicis concionibus, aperte et ſincere ea profiteatur quae ad negotium unionis ſecundum Deum promovendum pertinent, aſtanteis rogando, hortando, et, cum opus erit, acriter increpando, ut in fide conſtanter perſeverent, neque ſe ſeducentium nugis et hominum veritatem averſantium mandatis corrumpi patiantur; ob idque peſtilentiſſimas ſententias, quibus hodie inimicus homo ille per operarios iniquitatis ſimplicium mentibus illudit, ut a ſimplicitate, quae eſt in Chriſto, excidant, deteſtentur, exagitent, refellant, demoliantur, et ut a communi eccleſiae ſenſu abhorrenteis, etiam cum vitae periculo, quantum poſſunt, ex hominum mentibus ſtirpitus evellant: in hoc numero eas eſſe, Henricum Borbonium regis titulo inſigniri poſſe aut debere; tuta conſcientia ejus partibus adhaerere, illique decimas vel vectigalia perſolvere aut obſequi licere; regem ſub conditione, modo ſit Catholicus, haberi poſſe; haereticum, nedum relapſum et extra eccleſiae communionem poſitum, in Gallia jus regnandi habere poſſe; pontificibus jus non eſſe regem diris devovere; licere, imo neceſſe eſſe, cum Benearnenſi et haereticis foedus icere. Has et hujuſmodi ſententias ut ex animo execrentur, praecipit: nam haereticorum fautores ac defenſores quotannis in die coenae Dominicae, ſpeciatim autem Henrici Borbonii imperiis legibus ac mandatis parenteis, a ſummo pontifice in ſolio Petri ſedente dirarum fulmine feriri, et proinde excommunicationis ſententia innodatos continuo in peccato et damnationis ſtatu exiſtere. Ad extremum vetat, ne quis contra reverentiam Apoſtolicae ſedi et illuſtriſſimo legato debitam loquatur; externa Catholicorum auxilia damnet; ſanctam Catholicorum unionem, quorumcunque abuſuum praetextu, quos nihilominus, ſi qui irrepſerint, deplorent, improbent, ac execrentur, in odium trahat, aut ea dicat quae, quamvis vera ſint, plus detrimenti ac offenſionis quam publicae conſolationis populo afferant: qui contra fecerint, eos ut eccleſiae Dei pernicioſos, perjuros, et matri inobedienteis, imo tanquam putrida et contagioſa membra de corpore ſocietatis reſecandos et ejiciendos, cenſet. Haec acta, ſalvo per omnia ſanctae ſedis judicio, et adhibito illuſtriſſimi legati conſenſu, qui poſtea intervenit, nec non epiſcopi et urbis curionum; qui per jusjurandum vocati id probarunt, et tactis ſacroſanctis evangeliis ipſi jurarunt, et manu propria ſubſignarunt. Haec mox Lutetiae publicata, additis pontificis et Alexandri cardinalis [b] Montis-alti literis VI Non. Octobr. et III Kalend. Januar. datis ad collegium theologorum Pariſienſium, quibus eorum pietas et auctoritas ad confirmandos in unione Catholica ordinum regni animos multum commendabatur. Secundum haec Cajetanus Kalendis Martiis ad archiepiſcopos et epiſcopos ſcribit, perlatum ad ſe, aliquos

INTERPR. [a] *la Ligue.* [b] *Montalto.*

aliquos ex eorum ordine, fortaſſe etiam omneis, ad [a] civitatem Turonum invitatos, ut de Henrico Borbonio, qui ſe Francorum regem appellari jubet, in orthodoxa religione inſtruendo inter ſe capita conferant: id etſi aliquam pietatis ſpeciem habeat, tamen cum pernicie et ſacrae diſciplinae periculo conjunctum videri; nam ab illis vocari qui nullam habent epiſcopos convocandi poteſtatem, praeſertim cum adſit legatus pontificius, ad quem proprie pertinet, ſi opus ſit, ex univerſo regno epiſcopos convocare: deinde ad eam urbem, in qua ſine animae periculo verſari ipſis non liceat; quippe cum is in ea principatum gerat, qui jampridem a ſua ſanctitate cenſurae fulmine ictus ſit: poſtremo ad id negotium, quod aut ſine ipſis perfici poteſt, aut ab ipſis non ſine ſcelere tractari: nam ſi Henricus Borbonius petat ſuppliciter in orthodoxa fide inſtrui, quid epiſcoporum conventu, quid tot praeſulum fatigatione opus eſſe? id per quoſvis doctores ac concionatores Catholicos, qui in urbe illa ſint, facile praeſtari poſſe: non enim ad ejuſmodi inſtructionem auctoritate opus eſſe, et ſufficere eruditionem tenuem ac vulgarem: nam vix Borbonium ignorare poſſe, quae ſit eccleſiae Romanae fides, qui eam aliquando coluit ac profeſſus eſt: ſi vero exigatur controverſiarum inter eccleſiam Romanam et Calvinianam ſynagogam dijudicatio, quod ipſe ſuſpicetur, quid hoc aliud eſſe quam quae a ſacra oecumenica Tridentina ſynodo definita ſunt iterum retractare velle, ejuſque ſynodi auctoritatem, a qua ſunt omnes Calviniani errores jampridem damnati, cujuſque fidei dogmata non minus Gallia quam reliquus Chriſtianus orbis veneratur et obſervat, labefactare atque convellere? quid aliud denique quam de Catholica eccleſia triumphum haereticis dare, et de religione, quod S. Hilarius dicit, ludibrium facere? eum, qui vere et ex animo haereſeis deteſtatur, et in veram fidem doceri cupit, theologos adhibere debere, qui praelegant ei et exponant concilii Tridentini decreta, catechiſmum Romanum, aut fidei profeſſionem a Pio IV editam, eidem concilio in omnibus congruentem: nulla igitur opus ſynodo, nulla epiſcoporum convocatione: proinde pro poteſtate ſibi a pontifice commiſſa inhibere cunctis epiſcopis, ne ad civitatem Turonum accedant, neve in conventum ullum aut ſynodum coeant; ſi ſecus fiat, proteſtari ſe non pro legitimo conventu coetum illum habiturum, et jam nunc declarare acta ejus conventiculi omnia irrita et inania; epiſcopos autem, qui hujuſmodi coetui intereſſe non dubitaverint, cum excommunicationis et depoſitionis periculo id facturos denunciare.

VI. CUM his literis Latine editis et publicatum exemplum literarum Gallica lingua exaratarum ad nobilitatem, a factioſis, ut vero ſimile fit, fabricatum; quibus ſatis prolixe diluebantur quae vulgo factioni foederatorum objiciebantur, nimirum res ab iis eo adductas, ut, confuſis omnibus ordinibus et nobilitate a plebe oppreſſa, regnum incerto ſucceſſore everteretur, et, everſo regno, religio, cujus cauſa obtendebatur, in periculum vocaretur. Quibus literis ut fidem facerent, eorundem ſuggeſtione ſenatus-conſultum convocatis univerſis claſſibus conditur III Nonas Martias, quo jubentur omnes, cujuſcunque dignitatis ac conditionis ſint, Carolum X pro rege legitimo et ſupremo domino agnoſcere, eique fidem et obſequium, quod fidi ſubjecti principi ſuo debent, praeſtare, et Carolo Lotharingo Meduanae duci ſtatus et coronae Francicae generali vicario ad omnia obedire, et opes ſuas, fortunas in id impendere, ut regem e captivitate, in qua ab Henrico Borbonio detinetur, in libertatem aſſerant. Cunctis pariter inhibet, ne per ſe aut per alios cum memorato Henrico Borbonio ejuſve miniſtris conſilia communicent, privatim publiceve, voce vel ſcripto, de pace aut foedere cum eo agant, poena mortis et bonorum publicationis in ſecus facienteis conſtituta: ſi quos noverint cum eo conſilia agitare, aut aliquid contra

INTERPR. [a] *Tours.*

contra obſequium ac fidem regi debitam ac tranquillitatem publicam facere, id cognitori regio protinus denunciare teneantur, ut de iis inſigni exemplo meritae poenae exigantur; ni fecerint, mortis poena et publicatione bonorum mulctentur. Sexto poſt die jusjurandum jam ſemel atque iterum pro unione praeſtitum repetitur; et, quo majore religione fieret, ad Auguſtinianorum coenobium conventus indicitur, ſacrumque in eo pompa ſolemni a Joſepho [a] Fullone S. Genovefae monaſterii abbate celebratur, cui legatus ſub uraniſco ſedens interfuit; habitaque concione a [b] Bernardo Foliacenſis ordinis decano, mercatorum praefectus, aediles, et tribuni militares, tactis ſacroſanctis evangeliis, coram legato fidem denuo obligarunt, in [c] S. Unione ſe ad ultimum vitae ſpiritum perſeveraturos, auſpiciis Caroli X et Meduanii ejus vicarii ad exſtirpandum ſectarium virus; neque conſenſuros in pacem, foedus, inducias, aut ullam cum rege Navarrae reconciliationem; et item operam daturos, ut rex ſuus, qui captivus detinetur, in libertatem aſſeratur. Idem actum poſtea in ſenatu et aliis tribunalibus, inſtrumentaque publica de eo confecta.

VII. ALIQUOT ante diebus Philippus [d] Mantuae Carpetanorum diploma emiſerat, quo multa de egregia ſua in religionis negotio voluntate magnifice prolocutus, ob eam cauſam ſe pacem cum Henrico II Francorum rege feciſſe aiebat; et ad exſtirpandas in florentiſſimo regno haereſeis auxilia Carolo ejus filio, ſororio ſuo, ſummiſiſſe: excitatis dein in Belgio ab [e] Arauſionenſi principe turbis, perduelleis in ordinem coegiſſe, et meliorem earum provinciarum partem ab hac peſte liberaſſe; et, quanquam annitentibus Franciae et Angliae ſectariis, ut regni Luſitani morte Sebaſtiani ad ſe legitima ſucceſſione delati jure ſpoliaretur, juris ſui compotem evaſiſſe: nunc cum videat eorundem ſectariorum aſtu eo res deveniſſe, ut orbis Chriſtianus in Turcorum poteſtatem venire periclitetur; id quippe fieri diſſenſionibus ab iis ubique ſeminatis, atque regnum Francorum praecipue bellis civilibus jamdudum attritum; ea propter cunctos principes Catholicos hortari, ut vireis ſecum conjungant ad exſtirpandas haereſeis et liberandum e carcere Carolum X, in quo ab haereticis injurioſe detinetur, ut, repurgato ab ea peſte florentiſſimo Francorum regno, vireis et opes ſuas ad exterminandas per cetera regna haereſeis, iis de medio ſublatis, ad terrae ſanctae expeditionem, a nobilitate Catholica olim tanta alacritate ac felicitate ſuſceptam, cuncti concordi animorum voto impendant: de cetero coram Deo et Angelis proteſtari, apparatus bellicos non alio fine ſe facere, quam matris noſtrae eccleſiae Catholicae Apoſtolicae Romanae amplificandae, quietis ac ſecuritatis vere Catholicorum ſub legitimis eorum principibus conſtituendae, exſtirpandi ubique ſectarii veneni, pacis et concordiae principum Chriſtianorum firmandae cauſa; in quam non ſolum opes, ſed et vitam ac ſanguinem proprium effundere paratus ſit, quippe cum in juſtiore cauſa impendi non poſſit, quam quae ad Dei et ſanctae eccleſiae ſuae honorem et univerſi Chriſtiani orbis utilitatem ſpectat. Id actum VIII Eidus Martias. Poſtridie Gaſpari Quirogae archiepiſcopo [f] Toletano, tanquam magno cancellario et ſupremo ſanctae Inquiſitionis praeſidi, per Caſtellae commendatorem mandat, ad ſumptus in illud bellum faciendos et prohibendos Germanorum delectus, qui ad ſectariam peſtem in Franciae regno ſeminandam propediem deſcenſuri ſunt, ut concilia provincialia more ſolito cogat, et collationem pecuniae imperet, per ſingulas dioeceſes, aequalitate ſervata, diſtribuendae.

VIII. PAULO ante ex ſuſpicione Lugduni quidam comprehenſi, quaſi cum Momoranſio, Alfonſo Ornano Corſo, et Diguierio de urbe prodenda in occulto conſilia agitaſſent,

INTERPR. [a] *Foullon abbé de Ste Genevieve.* [b] *Dom Bernard doyen de l'oratoire de l'ordre des Feuillans.* [c] *la Ligue.* [d] *Madrid.* [e] *d'Orange.* [f] *de Tolede.*

CIƆ IƆ XC.
HENRICUS IV.

agitaſſent, die S. Matthiae feſto ad rem exequendam condicta. Ex iis quidam capite luerunt, alii fuga periculo praeverterunt. Eodem menſe XI *Kal. Martias* [a] Rotomagi arx, quae Dieppenſem viam ſpectat, a [b] Ludovico et Cavio ordinum ductoribus, qui in ea erant, conſilio prius cum aliquot regiis ducibus habito, occupatur. Sed cum a quibuſdam ſub id ad arma acclamaretur, [c] Londa locum corona cingit; et mox, ſupervenientc Aumalio equite, admoventur tormenta: quorum ter repetita diſploſione cum ad oppugnationem cuncta inſtructa eſſent, quarto poſt die fit deditio. IV ex dedititiis in furcam acti, ceteris ſecundum pacta parcitum. Quo eodem die, hoc eſt VII Kalendas Martias, Edmundus [d] Burgoinus Dominicanus [e] Caeſaroduni Turonum, inſtante Aloiſia regis vidua, adjuncto cognitore regio, in jure interrogatus eſt. Is poſt caedem a Jacobo [f] Clemente Dominicano patratam conciones elaboratas continuis aliquot diebus magna auditorum frequentia habuerat, quibus et factum miris laudibus extollebat, et regem Holoferni, Clementem Judithae, liberationem urbis ſolutae Betuliae obſidioni, comparabat. Quia vero coenobii, ex quo furia illa prodierat, tunc prior erat, et factum publica laudatione approbaverat, facile in ſuſpicionem, exulceratis tunc maxime animis, venerat, quaſi auctor et ſuaſor deteſtandi paricidii aut facti conſcius extitiſſet, et in illud conſenſiſſet. Teſtes contra eum producti, qui eum non ſolum publice factum in concionibus laudaſſe affirmabant, quod ille fatebatur, ſed ejus ſe auctorem fuiſſe, a Clemente ſuper ea re conſultum, imprudenter inter concionandum jactaſſe addebant: quod tamen ille praefracte negabat. Itaque, partim per confeſſionem, partim per probationes convictus, convocatis univerſis claſſibus ad mortem ſenatus-conſulto damnatur, addito elogio, quod unus ex crudelis, perfidioſi, et abominandi paricidii auctoribus et conjuratis, ejuſque patrandi paricidae auctor fuiſſet, eoque patrato et paricidam et paricidium in concionibus laudaſſet et adprobaſſet. Ob id decretum ut corpus ejus a quatuor equis in contrarium tendentibus diſcerperetur, quae paricidarum et perduellionum vetus poena eſt, et membra a corpore avulſa flammis conſumpta in cineres redigerentur, ac cineres poſtremo in aërem diſpergerentur. Cum ad ſupplicium traheretur, magnam conſtantiam vultu prae ſe tulit, non tam judicii ſeveritatem quam teſtium fidem incuſans; quippe judices recte et ex animi ſententia judicaſſe, ſi quidem probationes contra ipſum factae verae eſſent: nam paricidium ſe execrari, ac ingenue profiteri, poenam graviſſimam commeritum eum qui regis interficiendi auctor aut ſuaſor extitiſſet: verum nunquam ſe de paricidio, antequam patraretur, quidquam reſciviſſe, multo minus conſilium ejus perpetrandi dediſſe; et falſum eſſe quod teſtes affirment, id inter concionandum jactaſſe ipſum. Poſt ſententiam pronunciatam cum tormentis ad indicandos ſocios ſubjiceretur, eandem conſtantiam ſervavit, nihilque aliud confeſſus eſt, quam ſe in publicis concionibus gratias Deo optimo pro liberatione urbis egiſſe, exemplumque Betuliae in medium adduxiſſe: ceterum quod ad regis caedem ſpectat, nunquam factum laudaſſe, quinimo illud ex animo deteſtari et execrari. Quibus dictis, poſt valde piam orationem ad Deum alta voce conceptam, ſumma cura corpus compoſuit, ne quid indecens pati cogeretur; et ita vitam inter cruciatus finivit.

IX. REX poſt ſolutam [g] Meulanti obſidionem pridie Kal. Mart. caſtra ad [h] Drocum oppidum ponit, quod a [i] Falandrio cum valido praeſidio tenebatur. Ad eum Joannes [k] Aumontius equitum tribunus ex Campania, [l] Carolus Engoliſmenſis Franciae prior et Annas [m] Anglurius Givrius ex Bria, cum delectis copiis venerant. [n] Roletus

rem

INTERPR. [a] *Chateau de Rouen.* [b] *le capitaines Louis & la Cave.* [c] *le marquis de la* [illegible] [d] *Burgoin Jacobin.* [e] *Tours.* [f] *Clement.* [g] *Meulant.* [h] *Dreux.* [i] *de Falandre.* [k] [illegible] *d'Aumont.* [l] *Charles batard de Valois duc d'Angouleſme, grand prieur de France.* [m] [illegible] *Givry.* [n] *du Roulet.*

item ex [a] Arcuenſi-ponte ſubſidia in eam rem miſerat. In ſuburbiis acriter pugnatum; quae tandem, hoſte intra moenia ſe recipiente, capta ſunt. Inde poſt aliquot colubrinarum diſploſiones ad arcem admota tormenta; et V Non. Martias, qui in Saturni diem incidebat, verberatione facta, ſub meridiem cuncta ad oppugnationem inſtruuntur. Defenſores initio a tormentis regiis multum infeſtati, dein, cum a regiis vis facta eſſet, irrumpentibus ſumma virtute reſtiterunt, ac eos poſtremo cum damno repulerunt. Nox inſequens ruinae ſarciendae et exſtruendo a tergo vallo ac munitioni impenſa. Poſtridie, cum denuo ad oppugnationem redituros regios obſeſſi crederent, deficiente pulvere et pilis, intermiſſa fuit verberatio, Givrio Meulantum cum levi armatura miſſo, qui neceſſaria ad continuandam obſidionem comportanda curaret: et, ne nihil ageretur, Nonis proximis ad cataractam et turrem vicinam aliquot ictus diſploſi; ac poſtremo, cum de hoſtis proximo adventu cognitum eſſet, deducuntur tormenta, XIII poſtquam obſideri coeperat die. Diverſa parte Meduanius Bruxellas uſque in Belgium excurrerat, ut auxilia a Philippo promiſſa a Parmenſi impetraret: nam jam tunc aperte Philippus res foederatorum in regno adjuvabat. Facta ſpe brevi mittendorum, ille in caſtra revolat, et [b] Drocum verſus iter intendit, poſt Belgicarum copiarum, quibus cum ſummo imperio praeerat Philippus [c] Egmondanus comes, adventum. Itaque [d] Dammartinum VI Eid. Mart. venit; quo eodem die Egmondanus cum ſuis [e] Duram amnem, qui [f] Autrico Carnutum labens Drocum alluit, trajecit. Inde Joannem [g] Saulium Tavanii vicecomitem caſtrorum praefectum, Lud. [h] Moncellum Villarium-Udencum, et Chriſtianum [i] Savinium Ronaeum, qui levem armaturam ducebat, et Aemarum [k] Caſtum Geſſanum mittit, qui de rebus hoſtium cognoſcerent. Sic autem per eos comperiebat; regem tormenta loco moviſſe, et levi armatura, cui Franciae prior praeerat, ad Duram amnem, qui [l] Udencum alluit, in citeriore ripa collocata, pone eam Motellae ac locis vicinis caſtra metatum eſſe; Aumontium, qui [m] Euriaci in Durae tranſitu hoſpitium habebat, inde diſceſſiſſe, et ad regem ſe contuliſſe; idem qui [n] Arenariis erant feciſſe: tantum relictos aliquot ſcloppetarios in [o] Alnetenſi arce Aumalii ditionis, a [p] Valentina olim regiis ſumptibus exſtructa. Quod eo conſilio factum apparebat, ne a Droci obſidione omnino diſceſſiſſe videretur, et loco commodo amnibus his interpoſitis caſtra muniret, ex quibus data occaſione vim facere, nec ad proelium cogi poſſet. Nam, fama de adventu Meduanii ſparſa, undique auxiliares ad eum veniebant; et propediem ex [q] Pictonibus Claudius [r] Tremollius cum numeroſa nobilitate ac delectis copiis, et Philippus [s] Mornaeus Pleſſius, ac Joannes Baudeanus Paraberus, ex Picardia [t] Longavillanus cum Franciſco Lanovio et Carolo Humerio, ex [v] Neuſtria Aemarus [w] Caſtus exſpectabantur. Rex biduo poſt [x] Nonancuriam venit, municipium paulo ante impetu captum; tentatoque vado, cunctis ut in diem ſequentem ſe ad pugnam capeſſendam pararent denunciat. Proxima aciei ordinandae cura fuit; cujus ſtructura in charta ipſius regis manu deſcripta cum mire Armanno Birono et Joanni Aumontio tribunis equitum praecipuis belli conſiliariis placuiſſet, Carolo Birono Armanni filio ſupremo caſtrorum praefecto negotium datur, ut ſingulis ordinum et equitum ductoribus id ſignificaretur; deligiturque Dominicus [y] Vicus, vir fidei et virtutis ſpectatae ac veteri diſciplinae innutritus, qui ordinum circumeundorum curam ſuſciperet, et [z] primarii centurionis officio eo die fungeretur. Pugnae certa ſpe cum omnes gaudio

INTERPR. [a] *Pont de l'Arche.* [b] *Dreux.* [c] *le comte d'Egmond.* [d] *Dammartin.* [e] *la riviere d'Eure.* [f] *Chartres.* [g] *de Saulx vicomte de Tavannes mareſchal de camp.* [h] *de Monceaux Sr de Villers-Houdan.* [i] *de Savigny Sr de Roſne.* [k] *de Chaſtes Sr de Geſſan.* [l] *Houdan.* [m] *Ivry.* [n] *Garennes.* [o] *Anet.* [p] *la ducheſſe de Valentinois.* [q] *Poictou.* [r] *de la Tremoille.* [s] *de Mornay Sr du Pleſſis, & J. de Baudean Sr de Parabere.* [t] *le duc de Longueville, & les ſieurs de la Nouë & d'Humieres.* [v] *Normandie.* [w] *le commandeur de Chaſtes.* [x] *Nonancourt.* [y] *de Vic.* [z] *ſergent de bataille.*

gaudio exſilirent, preces publicae totis caſtris conceptae. Ipſe rex ceteris exemplo ſuo praeivit, prius teſtatus non ſanguinis fundendi aut ultionis deſiderio, non vanae gloriae ſtimulis incitatum ſe ad pugnam inſtruere; ſola regni patriaeque charitate duci; cujus ſe bono natum cum ſciat, id unum totis votis orare, ut ejus quieti ac commodis inſervire poſſit; Deum, cordium ſcrutatorem, ſuorum conſiliorum teſtem appellare, ac quam demiſſe poteſt obſecrare, ut, ſicut utile ac neceſſarium reipublicae fore pro ſua immenſa bonitate judicabit, ita de eventu decernat, ſuamque ſalutem commendatam habeat, quatenus regno expedire, nec aliter, cognoverit.

X. Post vota nuncupata, ardentibus pugnae deſiderio cunctis, et in certam victoriae ſpem jam erectis, ad [a] Andreae-fanum, quod IV a Nonancuria leucis [b] Euriacum verſus abeſt, iter pronunciatur, quo jam veniſſe hoſtis putabatur. Trans eum vicum lata planities jacet, undique vicis aliis circumdata, et luco. In ea regia acies eo ordine inſtruitur. Univerſus equitatus, quo praecipue exercitus conſtabat, in VII agmina diſtribuitur, confertis ordinibus incedens, quippe ſine haſtis et tantum ſcloppetis inſtructus; quorum totidem peditum globi latera tegebant, praemiſſis in fronte aliquot volonibus, atque aequata fronte in hunc modum, ut cornua paulum prominerent. Primum equitum, qui CCC erant, agmen ad laevam ducebat Joannes [c] Aumontius, legionibus II Gallicis hinc inde cinctus: proximum Franciſcus Borbonius [d] Monpenſerius pari equitum numero; cujus latus ſiniſtrum IƆ circiter Germani pedites, Helvetii totidem dextrum claudebant. Pro tertio agmine levis armatura, quae CCCC equitibus conſtabat, ante frontem collocata in duo agmina diſtributa erat, quibus Franciae prior et Givrius praeerant. Vidus Lavallus [e] Nigellae marchio, quanquam alae cataphractorum equitum dux, eo die cum Priore pugnavit. Ad laevam IV tormenta majora, II colubrinae poſitae fuerant. Tum quartum agmen CCL fere equitum, cui praeerat Carolus Bironus, aequata fere cum levi armatura fronte, itidem ad laevam ſequebatur. Rex quintum ducebat, in quo erant IƆ C delecti; cui et ſupervenientes Franciſcus Borbonius [f] Contius, Tremollius, Pleſſius Mornaeus, et Philibertus Guichius magnus tormentorum praefectus cum ſuis copiis ſe junxere. Regium agmen ad laevam Helvetiorum [g] Claronenſis legio, et altera [h] Rhaetorum; ad dextram totidem, ſcilicet [i] Soloturnenſis pagi et Baltaſaris [k] Griſſaci legiones tegebant; IV itidem Gallorum legiones, [l] praetoriana, et III aliae, quibus [m] Brignellius, Vignelius, et Sanjoanius praeerant. Sextum agmen ad ſubita ſepoſitum erat, CL delectorum equitum, duce A. Birono, in cujus virtute et prudentia ad reſtituendum certamen, ſi quid praeter ſpem accidiſſet, magnum momentum rex poſuerat; illud II Gallicis legionibus itidem tegebatur. Ultimum Germani equites faciebant, duce Theodorico Schombergio. Juſſi Franciae prior et Givrius ulterius progredi, ut de hoſte cognoſcerent, et in [n] Durae tranſitu cum diviſis copiis intercluderent, fruſtra fuere: nam jam Meduanius ſumma diligentia uſus cum toto exercitu fluvium trajecerat, ratus regem, quem Nonancuriam veniſſe antea intellexerat, [o] Vernolium in Perticenſi agro tendere, quo eum ſubſequi certus Andreae-fanum petebat. Sed cum praecurſores ab eo miſſi conſpectos regios renunciaſſent, mox [p] Ronaeum, Geſſanum, et Urbanum [q] Lavallum Boſcodelfinum cum expeditis mittit, qui propius quid eſſet inſpicerent, et ad ſe referrent. Ex quibus cum intelligeret regem cum toto exercitu adeſſe, et eo loco res eſſe ut neutris citra certamen integrum eſſet inde diſcedere, ſuos et ipſe in aciem inſtruit. Helvetii in duo agmina diſtributi, quos hinc inde

INTERPR. [a] *le village de S. André.* [b] *Ivry.* [c] *le mareſchal d'Aumont.* [d] *le duc de Montpenſier.* [e] *Neſle.* [f] *le prince de Conti, de la Tremoille, du Pleſſis Mornay, & Philibert de la Guiche.* [g] *Suiſſes du canton de Glaris.* [h] *Griſons.* [i] *de Soleurre.* [k] *de Griſſac.* [l] *le regiment des gardes.* [m] *de Brignolles, de Vigneles, & de S. Jean.* [n] *la riviere d'Eure.* [o] *Verneuil au Perche.* [p] *les ſieurs de Roſne & de Geſſan.* [q] *de Laval de Bois-Dauphin.*

inde Germani ac Galli pedites cingebant, tormentis ad laevam collocatis. Equitatus medius incedebat, aequata cum Gallici peditatus ſignis fronte. Ita a meridie cum utrinque acies conſtitiſſent, ſub veſperam nulla re alia geſta diſceſſum eſt: tantum proluſionibus levibus certatum. Eodem die copiae [a] Ebroico, Dieppa, et Arcuenſi-ponte venere, Aemaro [b] Caſto Dieppae praefecto, P. [c] Grimovilla Larcantio juniore, et N. [d] Roleto ducibus; quae ſe Monpenſerio [e] Neuſtriae praeſidi conjunxerunt. Rex ultimus, ceteris ducibus, ſicuti juſſi erant, ad curanda corpora ſe recipientibus, cum Aumontio et Birono ac paucis aliis ad multam noctem remanſit obequitans, ut formam hoſtilium caſtrorum propius contemplaretur: inde ſe Fucrainvillam ad hoſpitium ſuum contulit. In Meduanii caſtris inter belli duces conſultatum, an proelii alea tentanda eſſet; et, ſi quidem tentanda eſſet, rex in ipſis caſtris, ad tollendam omnem moram ipſis ſumme pernicioſam, oppugnari et ad proelium compelli deberet. Sic autem diſputabatur: omnem, quam in poteſtate haberent, regionem vaſtatam; contra, quae regiis a tergo eſſet, commeatu abundare, et quotidie nova ad ipſos ſubſidia confluere: ex Campania propediem novas copias et Germanos venturos, cum nulla ipſi aliunde auxilia exſpectarent; et ſerum eſſe de receptu cogitare tam vicinis exercitibus, nam vix leuca intercedebat, nec niſi cum manifeſta pernicie alterum in alterius conſpectu poſſe diſcedere: itaque aequalibus utrinque viribus mature capeſſendam pugnam, ne, ſi cunctentur, ad extremum neceſſitate victi iniquiore conditione ad certamen cogantur. Accedebant importunae Ecmondani juvenis bello inexperti et ſtolide ambitioſi voces, ſe ſolum cum ſuis, ſi Galli pugnam detrectarent, Navarro, ſic loquebatur, debellando parem jactitantis. Quas, etſi ad invidiam ſuam et apertam nominis Gallici contumeliam pertinenteis, pro tempore diſſimulavit Meduanius, Philippi regis offenſionem veritus, quod non niſi cum inſigni contra Ecmondanum contumelia, ſi eas ad animum palam revocaſſet, revinci poſſent. His rationibus victus, quanquam de exitu male ominaretur, quippe regiorum virtutem, contra ſuorum imbecillitatem, Arcuenſi ſucceſſu nuper expertus, ad pugnam copias poſtridie, qui in Mercurii diem incidebat, ſummo mane inſtruit, Helvetiis, quibus [f] Berlingus et Lud. Fiferus praeerant, hinc inde ad laevam et dextram collocatis; inter quos praetorium vexillum ccc delectis equitibus firmatum apparebat, in quo ipſe, [g] Nemoroſius frater, et Aumalius eques erant. Ecmondanus ad dextram Meduanii cum cccc equitibus Belgis, ccc ad laevam collocatis, incedebat. Ante praetorium vexillum circiter L paſſuum ſpatio praemiſſi circiter L equites, ducibus [h] Tremontio et Terralio. [i] Piſcarii et Ponſenaci legiones, praecedente modico volonum globo, Berlingum tegebant, attributis IV tormentis; Fiferum inde Ludovici [k] Bellovallii Tremblacurii et Teniſſaei reguli legiones, inde Antonius Sanpaulus cum Germanico peditatu: inter quos rurſus Germanici equites loco edito ſtabant, eoſque a laeva centum delecti equites Galli ex [l] Fontani Martelli, Perdrielli, et Loncampii turmis, et Hiſpanorum levis armatura, quae cc equitibus conſtabat, a dextra cingebant. Dum [m] Roſnaeus et Tavanius aciem ordinant, rex, levi ſomno in culcita paleis farta, ut ſolebat, quanquam ſumme frigido coelo, defunctus, anxia de eventu mente, ante ſolis ortum expergiſcitur; conſpectiſque in caſtris hoſtium ignibus, et altum ſilentium mirans, primum in ſuſpicionem venit, eos [n] Dura tranſmiſſo retro ceſſiſſe, quod et exploratores confirmabant, qui poſt igneis accenſos multos milites ſibi viſos affirmabant. Verum ubi contrarium conſtitit, mox et ipſe eodem ordine, quo die heſterno,

INTERPR. [a] *Evreux, Dieppe, & Pont de l'Arche.* [b] *le commandeur de Chaſtes.* [c] *de Grimoville Sr de Larchant.* [d] *du Roulet.* [e] *gouverneur de Normandie.* [f] *Berling & Phiffer.* [g] *le duc de Nemours & le chevalier d'Aumale.* [h] *de Tremont & du Terrail.* [i] *du Peſcher & de Ponſenac.* [k] *de Beauvau Sr de Tremblecourt, & le baron de Theniſſay.* [l] *Fontaine-Martel, Perdriel, & Lonchamp.* [m] *le Sr de Roſne, & le vicomte de Tavannes.* [n] *Eure r.*

CIↃ IↃ XC.

HENRICUS IV.

heſterno, aciem inſtruit, ſub horam fere decimam matutinam; et in hoſtem recta tendens, cum [1] ſeſquileuca ab eo abeſſet, paulum ad laevam deflexit. Quod conſpicatus Meduanius, qui huc uſque ſuos continuerat, idque a rege fieri quaſi vicum vicinum, ex quo tanquam ex loco ſuperiore poſtea impetum faceret, occupaturo interpretatus, Tavanio mandat, ut cornu dextrum, in quo Germani pedites et equites Hiſpani erant, procedere juberet; Ronaeo, ut cum laevo cornu, in quo Belgicus equitatus, Helvetii et tormenta erant, incederet; ipſeque cum praetorio vexillo in veſtigio manſit, ſic fore judicans, ut aut regem a propoſito vici occupandi revocaret, aut in latus incumbens aciem ejus diſturbaret. Non vici occupandi cauſa, ſed ut ſolem et ventum a tergo haberet, nec fumo ſcloppetorum oculi ſuorum turbarentur, iter flexiſſe rex poſtea edito ſcripto profeſſus eſt, inſigni peritiae militaris documento. Itaque ſtatim converſa fronte, Eandem mihi nunc fortunam, inquit, proceres, tribuni ac commilitones, quam ſemper expertus ſum, non ad privatam gloriam, quod juvenis aliorum imperatorum exemplo fortaſſe olim ambivi, ſed ad communem omnium ſalutem ac dignitatum fortunarumque veſtrarum conſervationem a Deo dari exopto; et ita fore minime dubito, ejus, a quo cuncta bona proveniunt, gratia et mea bona fortuna fretus, praecipue in tam juſta cauſa, et adverſus eos, qui ſpecioſo pietatis nomine ad faſcinandos plebis animos deteſtanda ſimulatione abutuntur. Deus enim, penes quem judicium et veritas eſt, quique mendacii tenebras veri luce diſſipare gaudet, cum cunctos iniqua patranteis, tum peſſime omnium ſimulatores odit. Et hactenus diſſimulationi, inter homines animorum impulſu plerumque caecos, non ſine aliquo ſucceſſu locus fuit: nunc res coram Deo exercitu-um agitur, ſine fuco et fallaciis, quas haec dies, inclinata ad alterutrum victoria, manifeſtabit. Ipſi, quam diverſa belli hujus cauſa utrinque obtendatur, jam nunc videtis. Illi religionis cauſam urgent; ego regni ſalutem: uter ex animi ſententia loquatur dijudicare, veſtri arbitrii facio. Ego lege regni, praeter ſpem votumque, in ſumma patriae calamitate veſtro omnium conſenſu ad regnum, quo dignitas mea et ſalus veſtra inextricabili nodo colligata continentur, vocatus, quid aliud vel improbiſſimis votis expetere poſſum, quam ut utriuſque petiti mihi a miſericordia divina fiat gratia? quicquid facio, facturuſque porro ſum, non alium finem habuit, et dictis facta ſemper reſponderunt. Quid illi contra? vanos ab Anglis ac longe petitos metus ad ciendas turbas ſibi fingunt; trans Alpeis et Pyrenaeum injuſtiſſimo bello praetextum ac ſubſidia emendicant: religionis negotium, quod niſi pacatis animis et tranquillitate publica conſtituta explicari nequit, inter arma, caedeis, ultiones, ſe promovere jactant; et, uno verbo dicam, homines ad perniciem ac ſummum Gallici nominis dedecus nati patriae ſalutem extra patriam quaerunt. Quid enim aliud faciunt, cum conſilia cum jurato Gallici nominis hoſte communicant, ejus auſpiciis ſtipendia faciunt, ſub ſignis militant, et, ad omnia imperia ſerviliter ancillantes, pro furor! ferrum etiam ejuſdem intra propria viſcera accipiunt? Id vobis jampridem praedictum, neque creditum, nunc tempus comprobavit. En ſigna Hiſpana ante oculos explicata aſpicitis. Quicquid turbarum totis XXX annis *toto* regno excitatum eſt, id aſtu, dolis, et occultis machinationibus eorum factum, qui illud everſum cupiebant. Color a religionis cauſa quaeſitus; re vera regnum petebatur. Id deceſſoris mei, optime de me, optime de vobis meriti principis, a quo illi ipſi hujus truculenti belli incentores tot beneficia acceperunt, miſerabili fato patuit; qui, quanquam a ſectariis, quos illi vocant, tantopere alienus, ab ipſis tandem verſis armis appetitus, regni potiore parte exutus, et ad extremum nefanda proditione vita ſpoliatus eſt. Tam indignae caedis huc ultores veniſtis. Plura apud vos, quorum ſalus, dignitas, fortunae ex hoc ſucceſſu pendent, qui vobis non cum Gallis ſed cum

Hiſpanis

NOT. [1] *potius* ſemileuca.

Hiſpanis rem nunc palam cernitis, dicere ſupervacuum arbitror. Reliquum eſt, ut quos adverſus regni hoſteis animos ſemper antea oſtendiſtis, eoſdem hodie ſervetis. De me ſpondere audeo divina gratia fretus, quam nunc benignum principem hactenus experti eſtis, tam fortem et certum ad decus et victoriam vobis praeeuntem imperatorem hodie habebitis. Diverſa parte Meduanius, ordines ſingulos circumeundo, ad pugnam capeſſendam ſuos hortabatur, ſubinde cauſam religionis ingerens; non pro hac vita caſibus obnoxia et tandem peritura, quanquam et haec quoque avide a ſectariis ſanguinem Catholicorum ſitientibus petatur, ſed pro ſempiterna beatitudine certari: bellum hoc per ſe ſanctum ac juſtum, ac, niſi Dei cauſae patriaeque proditores haberi velint, neceſſarium, Dei, qui regna dat et aufert, et ſummi illius in terra vicarii auſpiciis ſuſceptum: de ejus proſpero ſucceſſu dubitari non poſſe, niſi ab iis qui dubitant an Deo cauſa ſua curae ſit, et cuncta certo ac deſtinato a divina providentia ordine potius quam caſu et fortuito regantur: igitur conjunctis animis ſigna inferant, et ſummi pontificis auctoritate tuti, et potentiſſimi toto terrarum orbe principis, qui magnitudinis ſuae fineis gloria Dei circumſcripſit, Philippi auſpiciis; et ita ſibi perſuadeant, victores nunquam interituram laudem, profligata ſectariorum peſte, et aſſerto in libertatem Chriſtianam florentiſſimo regno, manere; et, ſi quid praeter ſpem accidat, ſempiternam in altera vita bene meritis de religione propugnatoribus coronam repoſitam eſſe. His dictis cum ſe quiſque ad pugnam compararet, paribus animis, diverſa facies utriuſque aciei apparebat. Nam in regia ferro horrida, quippe ornatus omnis ac ſaga aberant, plus terroris; in altera, auro relucentibus armis et ſagis ſumptuoſe exornatis, plus pompae videre erat. Rex, ut tempus pugnae inſtare vidit, innata diligentia ac ſolertia Guichio, ut tormentis rem gereret, imperat: quod opportune et tanta celeritate adminiſtratum eſt, ut novies diſploſio repetita ſit, antequam tormenta hoſtilia ignem concepiſſent; quod magnum momentum regis rebus attulit: nam turbatis hoſtibus ſtatim gradum accelerat, et Germani equites in hoſtili acie, diſploſione facta, non more ſuo in gyrum converſo agmine praetervecti ſunt, ſed a tormentis infeſtati retro in praetorium vexillum revoluti ſunt; ita ut Meduanius, qui regios accedenteis videret, ut periculum averteret, haſtis in eos directis incumbenteis propellere neceſſe habuerit. Idem fecere [a] Ecmundanus cum Belgis ſuis, quorum pars a palantibus Germanis diſſipati ſunt. Chriſtophorus [b] Baſſompetra fruſtra fugienteis retinere conatus Meduanio ſe conjunxit. Eodem tempore Tavanius, cum [c] Fontani-Martelli equitum turmis impreſſionem facturus, ab Aumontio exceptus ac retro in lucum proximum compulſus eſt. Levis armatura ad primos impetus expoſita, cum primo violenta Germanorum equitum diſploſione ſoluta eſſet, et interim Tavanio incumbente inclinaret, Monpenſerius, praetervecto jam Aumontio, laborantibus praeſto fuit; et equo ſuffoſſo deturbatus, mox alio inſcenſo certamen gnaviter reſtituit. Inde totis viribus inter duo praetoriana agmina concurſum eſt: et cum CCCC ſcloppetarii equites, egregie loricis et galeis armati, eminus, ita tamen ut vix XXV paſſibus a regiis abeſſent, in eos infeſtam diſploſionem feciſſent, inclinata ab illa parte acie multi diſturbati ſunt; et Henricus [d] Potus Rodius, qui [e] vexillum regium portabat, adoleſcens ſtrenuus, cum ictu lethali in oculos directo, cruore viſum perſtringente et habenis inciſis, conto etiam, quo vexillum geſtabat, fracto, huc illuc ab equo indomito raptaretur, magni tumultus occaſionem dedit; quippe regem e pugna diſceſſiſſe pleriſque credentibus, et vexilliferum vagantem ſequentibus. Verum rex, qui futurum id praeſagierat, ſumma prudentia criſtam ex plumis pavonis albi inſignem, ita ut longe a cunctis conſpiceretur, galeae

INTERPR. [a] *le comte d'Egmond.* [b] *de Baſſompierre.* [c] *de Fontaine-Martel.* [d] *Pot de Rodes.* [e] *la cornette blanche.*

CIↃ IↃ XC.

HENRICUS IV.

galeae imponendam curaverat; monueratque, ſi forte vexillum, ut fit, dejiceretur, ut in criſtam inſpicerent ac ſe ſequerentur. Itaque ad eam tanquam certiſſimum ſignum intuentes prudentiores, minime ordines deſeruerunt; quanquam aliud tunc incidit, quod rurſus magnam confuſionem peperit. Nam quidam adoleſcens ex primaria nobilitate, quo ſe conſpicabilem magis eo die exhiberet, ſimilem e plumis albis criſtam galeae ambitioſe aptaverat; qui vexilliferum ab equo raptatum ſecutus cum alios in errorem traxiſſet, multis fugiendi ſeu occaſionem ſeu excuſationem praebuit. Sed et hunc errorem virtute ſua non citra periculum rex emendavit; et cum primum Germanis dilapſis explicandi ſe commoditas data eſt, praetoriis vexillis nullo obice interjecto inter ſe oppoſitis, ipſe ante ordines criſta illa inſigni conſpiciendus, equo incitato, ſuos renidenti vultu quaſi victoria certa denuo cohortatus, pugnae initium fecit. Nec ſegniter rem geſſit Meduanius cum haſtatis ſuis, diuque ambigua haeſit victoria, cum concurſu facto cuncti in veſtigio manerent: ſed heic quoque experimento patuit, confertis ordinibus quam ſeriatim melius pugnari; tandemque diſſipatas haſtatorum ſeries regii perrupere, ita ut Meduanius paene ſolus cum [a] Nemoroſio et Aumalio et xxx circiter aliis remanſerit, in ipſo loco, in quo pugnatum erat, jam praetervectis noſtris diu poſt conſiſtens, ſi forte palanteis ſuos ad vexillum revocare poſſet. Cum nulla ſpes ſupereſſet, ipſe cum paucis [b] Euriacum verſus tendit: Carolus [c] Belloſonclius Ciconia, qui praetorium ipſius vexillum geſtabat, capitur. Nemoroſius et Aumalius eques cum [d] Baſſompetra, Tavanio, Ronaco, aliis, [e] Autricum Carnutum ſe receperunt. Rex, dum calore pugnae inter medios verſatur, hoſti fugienti inſtans, ſuos de ſalute ipſius anxios aliquandiu moeſtos tenuit, donec pulvere et ſanguine conſperſus ad ipſos rediit, feſtis clamoribus, ut in certa et plena victoria, totis caſtris exceptus: obviaque III Belgarum equitum crucibus rubris inſignitorum vexilla, quae, inter Helvetiorum agmina forte collocata, belli fortuna reliqua fecerat, poſt aliquod certamen ad internecionem delevit, vexillis captis. Mox ad eum [f] Aumontius integro agmine, [g] Franciae prior, [h] Givrius, et paulo poſt Carolus [i] Bironus venerunt; et de Helvetiis, qui in pugnae loco adhuc integri ſtabant, expugnandis conſultatum fuit. Placebat initio, ut peditatus Gallicus cum delecto equitatu in eos immitteretur; ſed reclamavit A. Bironus, et tormenta potius contra illos tanquam contra munitionem dirigenda cenſuit, ut parta victoria aut citra jacturam exſcinderentur, aut ad deditionem compellerentur. Miſſi interim, dum admoventur tormenta, qui cum iis agerent: et illi, cum nullam ſpem reliquam viderent, vim praeſentem veriti ultro deditionem fecere, ſignis ſuppliciter traditis, quae ſtatim ipſius regis benignitate reſtituta ſunt. Sub initium pugnae Carolus [k] Humerius Picardiae legatus, Iſaacus [l] Valdraeus Moius, alii, cum ſe equitibus in caſtra venerant; quos rex pro tempore, ne ordines inſtitutos turbare cogerentur, ad fortuita ſepoſuerat. Cum iis, aſſumpto ſecum Franciſco Borbonio [m] Contio, [n] Monpenſerio, Franciſco Aureliano Fani-Pauli comite, Aumontio, [o] Tremollio, victoriae reliquias proſequi inſtitit. Verum dum cum Helvetiis agitur, dum palantes ad ſigna revocantur, tantum temporis effluxit, ut Meduanius trajectis ad Euriacum, quae ex ſtrage ſuperabant, copiis ſatis temporis habuerit: magnus tamen in municipio, anguſtis adeo vicis, jam inciſo a praetervectis ponte, conflictus fuit, Germanis pleriſque equitibus interceptis; ubi et miſerabili caſu in luto, dum fugientes ardentius inſequitur, equo labente abſorptus periit [p] Gutta Rupellanus, admirandi ingenii

INTERPR. [a] *le duc de Nemours, & le chevalier d'Aumale.* [b] *Ivry.* [c] *de Beauſoncle Sr de Cicogne.* [d] *de Baſſompierre, de Tavannes, & de Roſne.* [e] *Chartres.* [f] *le mareſchal d'Aumont.* [g] *Charles batard de Valois grand prieur de France.* [h] *le Sr de Givry.* [i] *le baron de Biron.* [k] *le Sr d'Humieres lieutenant general en Picardie.* [l] *de Vaudray Sr de Mouy.* [m] *le prince de Conti.* [n] *le duc de Montpenſier, & F. d'Orleans comte de S. Paul.* [o] *de la Tremoille.* [p] *la Goutte Rochellois.*

ingenii adoleſcens, ut ex pauculis, quae ipſius reſtant, quaeque ſummum ejus deſiderium cunctis merito reliquerunt, videre licet. Plus ibi ſanguinis quam in ipſo pugnae loco fuſum conſtat. Ponte abrupto et vado periculoſo, conſultum viſum, ut ad [a] arcem Alnetenſem fluvius tranſmitteretur; et circuitu facto tantundem rurſus temporis ad fugiendum hoſti conceſſum. Rex tamen eum inſecutus eſt uſque ad [b] Meduntae portas; ubi Meduanius, vix precibus exorata plebe, quae cum fortuna mutaverat, intra moenia acceptus eſt. Rex perſequendi finem non niſi cum dici fine fecit, et [c] Roſnii haud hinc longe receptum habuit, quod a Medunta non plus leuca abeſt; ut, ſi oppidani, quod ſperabat, et mox accidit, mutarent, ad omneis caſus praeſto eſſet. Cum jam cibum ſumeret, Aumontius, cui ſecundum regem tantae victoriae decus merito debebatur, veniſſe nunciatur. Tum ſurgens rex ad imas ſcalas uſque venientem perhumaniter eſt complexus, aequum eſſe dictitans, ut eum, qui nuptias ſuas praeſentia ſua cohoneſtaſſet, viciſſim honorifice domi exciperet; ac renuentem menſae ſecum aſſidere juſſit. Certamen majorem partem equeſtre fuit: itaque amplius IƆ CCC ex hoſtibus in loco pugnae interfecti, aut [d] Euriaci luto et in tranſitu aqua hauſti. Germani pedites ad unum caeſi; Gallicus peditatus armis amiſſis aufugit. Capta cuncta fere ſigna et impedimenta. Magni nominis periere Egmondanus, datis temeritatis ſuae poenis, Ericus Brunſvicus nothus, Joannes [e] Vivonus Caſtaneus, Fabii, ab Hiſpanis ante VIII annos ad [f] S. Michaelis inſulam indigna morte affecti, frater, [g] Arconatus. Capti [h] Auſtfriſius comes Germanorum equitum dux, [i] Boſcodelfinus, Ciconia, Carolus Franciſcus Roſellus Medavidius, Theniſſaeus, Franciſcus Fontanus Martellus, Loncampius, Lodonius, Falandrius, Caſtellerius, alii. Nec incruenta victoria fuit: deſiderati ex regiis Carolus [k] Balſacus Claromontanus ſtipatorum praefectus, Theodoricus Schombergius Germanorum equitum dux, qui ad regium vexillum eo die pugnavit, [l] Lanconaeus ex [m] Neuſtriae inferioris nobilitate ſeptuagenario major, ictu tormenti initio proelii diſcerptus, [n] Crenaeus Monpenſerii ſignifer, [o] Paſſus Fequerius: [p] Nigellae marchio ex crebris vulneribus tunc acceptis in [q] Eclimontiana ſoceri arce poſtea XVII Kalend. Maii deceſſit. [r] Lavernius item, qui Alençonii ducis ſtipatorum olim praefectus, poſtea Annae [s] Jouſae in [t] Vellaunis militaverat, et vulneribus in ea expeditione acceptis valde debilitatus fuerat, ex novo vulnere paulo poſt obiit. Sauciati Franciſcus [v] Angennaeus Monluetus, Jacobus [w] Hoſpitalius Choiſii, Franciſcus [x] Dallonius Ludae comites, Franciſcus [y] Dous, qui quaeſturam regni adminiſtrabat, Maximilianus [z] Betunius Ronius, alii.

XI. MEDUANIUS Medunta, ubi ſe minus tutum exiſtimabat, ſtatim diſceſſit, et tranſmiſſo [aa] Sequana [bb] Pontem-Eſiae et inde [cc] Dionyſii-fanum ſe contulit; ubi ad eum ſolandum venerunt Cajetanus cardinalis, Bernardinus Mendoza Philippi orator cum Joanne [dd] Moreo, auxilia nova principis ſui nomine prolixe deferens, Petrus Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis, Monpenſeria ſoror. Ibi aliquot dies haeſit, occurſum plebis Pariſienſis et contumelioſa verba poſt tantam cladem veritus; et inde literas ad Philippum dedit, quibus rei aleae proelii commiſſae, quod ſemper antea vitaverat, rationes reddebat; nimirum ut [ee] Droci oppidi ſumme partibus foederatorum fidi et ad res gerendas opportuni, quod jam unam et alteram oppugnationem ſuſtinuerat, obſidionem ſolveret, tunc numero copiarum major, quae poſt tranſmiſſum

INTERPR. [a] *Chateau d'Anet.* [b] *Mante.* [c] *Roſny.* [d] *Ivry.* [e] *de Vivonne Sr de la Chaſteigneraie.* [f] *l'Iſle de S. Michel aux Açores.* [g] *d'Arconat.* [h] *le comte d'Oſt-Friſe.* [i] *de Bois-Dauphin, de Cicogne, de Rouxe.* [b] *Sr de Medavy, le baron de Theniſſay, la Fontaine-Martel, de Lonchamp, de Lodonan, de Falandre, & la Caſteliere.* [k] *de Balſac de Clermont capitaine des gardes.* [l] *de Lancaulnay.* [m] *Normandie.* [n] *de Crenay.* [o] *de Pas Sr de Fequieres.* [p] *Neſle.* [q] *d'Eclimont.* [r] *de Lavergne.* [s] *de Joyeuſe.* [t] *Velay.* [v] *d'Angennes Sr de Montlouet.* [w] *de l'Hoſpital comte de Choiſy.* [x] *de Daillon comte du Lude.* [y] *d'O ſurintendant des finances.* [z] *de Bethune Sr de Roſny.* [aa] *la Seine.* [bb] *Pontoiſe.* [cc] *S. Denis.* [dd] *le commandeur Moreo.* [ee] *Dreux.*

tranſmiſſum a ſe [a] Duram fluvium majores ſpe ad Navarrum, ſic regem appellabat, momento confluxerunt: quod Helvetii in caſtris tumultuarentur, et niſi praeſenti pecunia ſatisfieret, et in poſterum Cajetanus pontificis nomine de ſtipendio perſolvendo fidem interponeret, a caſtris ſe diſceſſuros interminarentur: idem Germani jam multum imminuti dicerent; urbes paſſim diuturnioris belli pertaeſae fremerent; ipſe vero, quaſi ambitioſe protelationem belli, ut interea cum ſummo imperio eſſet, affectaret, ubique calumnioſe traduceretur: his de cauſis ex ducum conſilio ad proelium deſcendiſſe ſpe victoriae, quae et procul dubio ſecutura fuerit, inclinata initio Navarrena acie, niſi Germani hoſtilium tormentorum ictibus infeſtati retro impulſi ſuos turbaſſent, et ipſum ad pugnam ſe parantem remorati eſſent: inde confuſos ordines, ac poſtremo ſolutos, Navarrumque ſolutis ac palantibus incumbentem praeter ſpem victoria potitum eſſe: nihilominus non deeſſe ſuis animos; et urbes, in quibus praecipuum robur, in fide manere: Lutetiam ante alias; a qua tamen, niſi pecunia, qua maxime laboret, ſubveniatur, non mediocriter ſibi metuat: nam urbem populoſam amplo commeatu multiſque ad vitam rebus neceſſariis indigere, quarum penuriam brevi ſenſura ſit, niſi novis et copioſis auxiliis, quae a Catholica majeſtate exſpectentur, quam primum juvetur: quae ſi in tempore comparuerint, minime dubitare, quin et amiſſa recuperare et partae victoriae fructum hoſti facile eripere poſſit: ſe interim proteſtari, quod et jam apud Jo. Baptiſtam [b] Taxim alioſque Philippi miniſtros antea fecerit, ſive auxiliis juvetur, ſive ab hominibus deſeratur, pro Dei cauſa, qui ſuos nunquam deſerat, vitam et opeis conſtanter profundere paratum. Ad pontificem eodem die et literas dedit, quibus et caſus inſperati rationes reddebat, ejus rei culpa in Germanos et alias externas copias rejecta, quae ſtipendii defectu minus dictis ducum audientes fuerint. Tum graviſſimam expoſtulationem contra ipſum pontificem inſtituit, quod neque milite neque pecunia tam juſtam cauſam juvare decreverit; purgatque ſe a criminibus improperatis, quod bellum alat, quod ad privatam ambitionem moderatione regni ſibi conceſſa abutatur; et oſtendit quanto cum religionis periculo conjunctum ſit hoc conſilium: ſic enim fieri, ut Navarrus ſectariorum in regno princeps interea in imperio confirmetur, et ope Catholicorum Catholicos opprimat: atqui haec arma contra regem defunctum ſumpta, alioqui legitimum et majorum religioni in ſpeciem ſemper addictum, ab ipſo pontifice juſta pronunciata fuiſſe, quae nunc adverſus pertinaciter haereticum ab eodem nuper proſcriptum multo juſtiora ſint: quid igitur in promiſſis auxiliis diutius cunctari? quo tot opes tanta cura repoſtas, aut in quos uſus melius expendi poſſe, quam ad conſervationem illius regni, cujus tot merita erga ſanctam ſedem extent, et in cujus exitio orbis Chriſtiani ſalus periclitetur? an vero ſpem eſſe, quod artificioſe quidam jactant, ut Navarrus aliquando reſipiſcat, et exemplo ſuo ceteros in regno ſectarios in viam reducat? an contra metus inceſſit, ne, victoria ad ſectarios inclinante, quod nimis facile multi de bona cauſa deſperantes ſibi perſuadent, eo irritatior Navarrus erga Catholicos et ſanctam ſedem minus ſe civilem praebeat? at enim decere eum, qui ſupremum in orbe Chriſtiano magiſtratum gerit, quique Dei vices in terris fungitur, quam a coelo propius abeſt, tam ab omni hujuſmodi humano affectu abeſſe: haec ſiquidem vana eſſe animi cogendis opibus intenti et ſe a ſumptibus excuſantis, atque interea ad miſerabile publicae calamitatis ſpectaculum otioſe ſedentis, commenta ac ſomnia: proinde palam Deum hominesque conteſtari ſe, nullam ſuam ob culpam in Dei cauſa a Dei vicario deſeri, atque adeo Dei cauſam prodi, et tam juſtae querimoniae apud poſteros teſtatam memoriam cupere. Ad extremum, inter mandata oratoribus, quos apud pontificem habebat, additum erat, ut elevaretur

INTERPR. [a] *Eure r.* [b] *de Taxis.*

elevaretur victoriae a rege partae decus, excepto peditatu armis exuto, totum equitatum ſervatum, cum ipſe multo minores copias haberet, nimirum circiter VIII CIↃ, rex vero XI bellatorum CIↃ. Inſtigante Philippo id, neque aliter, ſcripturum fuiſſe Meduanium ex eo conſtat, quod eodem tempore Romae Hiſpanus orator, is erat Henricus Guſmanus Olivaris comes, urgebat, ut pontifex aperte ope foederatos juvaret, et principes ac praeſules, qui a Navarri partibus ſtabant, dirarum fulmine feriret: cumque in eo eſſet ut, pontifice negotium protelante, proteſtaretur, pontifex, affectatis cum Olivare ex contumelioſa contentione inimicitiis, ut alius ad ſe mitteretur apud Philippum obtinuit; habitaque in conſiſtorio vehementi oratione cardinaleis delegavit, qui de controverſia ſuper ea re inter ſe et Philippum exorta cognoſcerent. Interim [a] Conſalvus Cordubenſis Sueſſae dux ex regno Neapolitano aliquanto poſt tempore miſſus eſt, ſed eo tempore cum prius valetudine adverſa ac poſtremum lethali pontifex conflictari coeperat. Eas autem ob cauſas ſubſidia non miſiſſe foederatis Sixtum memorant, quod opes tanta cura congeſtas, quas ad regnum Neapolitanum, ſi mors Philippi incidiſſet, ſanctae ſedi uniendum deſtinarat, in incerti belli exitum expendi nollet: quod ſi exitu non careret, metuebat rurſus, ne Philippus, parta ſuis opibus contra regem victoria, dilatandi ſuarum ditionum pomoerii cupidus, in praedae partem cum foederatis venire vellet, et ita potentia ejus jam vicinis formidabilis plus juſto exreſceret. [b] Lucemburgus etiam ſpem fecerat de rege, quem non ita alienum eſſe a majorum religione affirmabat, ſi honeſtae rationes ineantur, eccleſiae reconciliando; idque confectu facile aiebat, ſi pontifex ſe non alieno ab eo animo eſſe oſtenderet; alioqui tantas eſſe ejus in regno opes, vires ac clientelas, ut vi debellari non poſſet; et perire omnes inutiliter ſumptus, quicumque in bellum illud fierent: itaque ſenem avarum, et bello, quod in Hiſpanos majore cum profectu meditabatur, intentum, ab auxiliis Meduanio ſummittendis abſtinuiſſe; tantum L CIↃ aureorum a Cajetano, aegre ac vix conſentiente pontifice, foederatis, poſt cladem illam, ne omnino animis conciderent, parce erogata eſſe.

XII. EODEM, quo ad [c] Euriacum virtute regis atque adeo manu propria debellatum eſt, die, in Arvernis ad [d] Iſſoriacum, ſive, ut alii vocant, Iſſiodorum, ejuſdem auſpiciis feliciter pugnatum fuit. Eam urbem ad radices Cebennarum in magna Arvernorum valle, [e] Limaniam vulgo vocant, loco amoeniſſimo ſitam, cum ad res gerendas magnum tota provincia momentum habere minime ignorarent qui bellum adminiſtrabant, ob id in poteſtate habere omni ope nitebantur. Eam ſuperiore quidem anno Joannes Ludovicus [f] Rupifulcaudius Randanus foederatorum nomine occupaverat. Qui [g] Claromontii erant, regii nominis vindices acerrimi, inſtigante Paulo [h] Tiſſanderio urbis aedile, conſilium de ea intercipienda capiunt, loco prius luſtrato et foſſarum profunditate ac murorum altitudine diligenter notata. Expeditioni deſignati duces [i] Baſſetus et Sala ordinum ductores, cum [k] Boberio Bermondeti fratre; quibus attributae [l] Gueſlaei et Crucii cohortes: qui Claromontio, quod VI leucis ab urbe abeſt, XIII Kalend. Mart. cum ſcalis eo profecti, albeſcente jam die in foſſam exſcenderunt, et ſcalis admotis in ſummum, quamvis a ſpeculatore detecti, praecupte [m] Altarupio Iſſorienſi a foederatis domo pulſo, enituntur. Mox ad Pauliſanum obviam ſtationem obtruncant. Inde verſus ad arcem impetus; admotiſque uno et altero crepitaculis cum nihil proficeretur, gnaviter ſe defendentibus praeſidiariis, Claromontium miſſi, qui promiſſa auxilia quamprimum ſubminiſtrari peterent. Itaque confeſtim eo miſſus, qui cum ſummo imperio praeeſſet, Claudius

Quellius

INTERPR. [a] *Gonçalez de Cordouë duc de Seſſa.* [b] *le duc de Piney.* [c] *Yvry.* [d] *Yſſoire en Auvergne.* [e] *la Limagne.* [f] *de la Rochefoucaud comte de Randan.* [g] *Clermont.* [h] *Tiſſandier.* [i] *les capitaines Baſſet & la Sale.* [k] *Bobier frere de Bermontet.* [l] *la Gueſle & la Croix.* [m] *de Haulteroche d'Yſſoire.*

[a] Quellius Floratus Arvernorum ſeneſcallus, et cum eo [b] Chaviniacus Blotius, Bermondetus, Fredevilla, Mota-Arnoldus, cum centum circiter cataphractis equitibus; qui poſtridie incolumes Iſſoriacum pervenerunt. Tum diſtributae inter belli duces urbis regiones, et cincta arce Floratus molatrinam juxta hoſpitium ſuum firmavit. Baſſeto et Salae regio obvenit, quae proximas arci domos complectitur, et in vicum, qui ad urbem ducit, deſinit. Ab eo vico ad rivum, qui molatrinis urbis ſervit, porrectam regionem Fredevilla tuendam ſuſcepit. Blotius et Bermondetus incipientem a rivo regionem ad laevam uſque ad moenia urbis ſortiti ſunt, quibus Boberius et [c] Muratus regis cognitor, qui relicto [d] Rigomago partes regias inſigni fidei exemplo ſecutus erat, ſe ſocios adjunxerunt. Dum in aggere promovendo, perfodiendo muro, et cuneis agendis laboratur, hoſtes obſeſſis ſuppetias ferentes undique collecti apparuerunt pridie Eidus Februarias, et auxiliareis Claromontio regiis ſummiſſos in itinere interceperunt; ita ut Floratus, dum arcem obſidet, in oppido quaſi obſeſſus ſummis difficultatibus conflictaretur, deficiente equis pabulo, et annona jam arctiore. Cum tamen ab obſidione diſcedere nollet, undique mittit, qui [e] Reſtiniacum Meſſillacum, H. Borbonium Lavedani vicecomitem, Gilbertum Chaſeronum, Franciſcum Chabanium Curtonii marchionem, regiis partibus addictos de auxiliis ſolicitarent. Ii dum per [f] Orillacum conjunctis viribus Claromontium tendunt, aliquoties ad urbem pugnatum fuit, ſemel atque iterum interceptis qui Claromontio miſſi adveniebant. Capta et ab hoſtibus ſuburbia; et cum Randanus aliquot armatos in arcem immiſiſſet, et III tormenta in ea ad infeſtandos oppidanos diſpoſuiſſet, conſerta pugna [g] Chaluſius molatrinis corrumpendis a Randano deſtinatus magna vi a Baſſeto caeſus et in fugam conjectus eſt, amiſſis XXX ex ſuis, et [h] Santhilario Chaluſii vicario capto. Jam Joannes [i] Barrenſis Neovius cum CCC equitibus in caſtra hoſtium advenerat: et, Florato inſtante, viciſſim Chriſtophorus [k] Chabanius Rupifortius et Henricus [l] Rupius Curtonii filii, [m] Rivorius, Foreſtus Griſſeus, Vernetus, Tallezatus Chaſeroni vexillifer, jam convenerant, ſuis in urbe laborantibus praeſto futuri; cum Griſſeus cum XX delectis, ut obſeſſis animos faceret, in urbem noctu per medias hoſtium ſtationes perrumpit; adventuque ejus confirmati regii praeſidiarios arcis poſt violentam contra oppidum diſploſionem erumpenteis fortiter repulerunt. Poſtea ab hoſte tranſlata tormenta, et in aggerem regiorum ad dextram directa poſtridie verberatio. Inde, ſub tempus Lavedani vicecomitis et Reſtiniaci adventus, cum Neovius, cum [n] Murolio Stagnii vicecomite, [o] Levio Charluſio, et Chaluſio, acie inſtructa in conſpectu regiorum conſtitiſſet, Florati juſſu Fredevilla cum XX delectis exit, et, inſidiis in ſuburbii maceria loco idoneo locatis, eos ad certamen prolectat; in quo, erumpentibus ex improviſo qui in inſidiis latebant, Neoviani male accepti ſunt, Neovio ipſo et [p] Caſtronovio ſauciatis. Paulo poſt Fredevilla, dum ſtationes circuit, improviſo e longinquo ictu occiſus eſt; cui in caſtrorum praefectura Bermondetus ſuffectus eſt. Interea ad excipiendos auxiliares Orillaco advenientes obviam Claromontio [q] Alaniacum profecti Curtonius marchio cum Rupifortio et Rupio filiis, Rivorio, [r] Cappio, Blotio, et CCCC circiter oppidanis ſcloppetariis; conjunctiſque copiis inde cuncti Claromontium reverterunt, ubi aliquot dies commorati ſunt, Chaſeronum opperientes. Medio tempore convecta [s] Villam-novam [t] Santeremi provinciae reguli arcem et revecta ab hoſte tormenta;

INTERPR. [a] *de la Queille Sr de Florat, ſeneſchal d'Auvergne.* [b] *de Chauvigny Sr de Blot, Jacques de Virelurie Sr de Bermontet, & les ſieurs de Fredeville & la Mothe-Arnaud.* [c] *de Murat procureur du Roy.* [d] *Riom.* [e] *Raimond comte de Reſtignac de Meſſillac, de Bourbon vicomte de Lavedan, de Chazeron, & de Chabanes marquis de Curton.* [f] *Aurillac.* [g] *le Sr de Chaſlus.* [h] *de S. Hilaire.* [i] *de Neufvy le Barrois.* [k] *de Chabanes de Rochefort.* [l] *de la Roche.* [m] *du Sais Sr de Rivoire, de la Foreſt Sr de Griſſé, du Vernet, & de Tallezat.* [n] *Jean d'Eſtain vicomte d'Eſtain Sr de Muré.* [o] *Claude de Levis baron ou comte de Charlus.* [p] *de Chaſteauneuf.* [q] *Alagniat.* [r] *de Chappes.* [s] *Villeneufve prés d'Iſſoire.* [t] *de S. Herem.*

tormenta; et cum [a] Sanmarcus Georgii [b] Villoclari Guerchii Marchiae praefecti vicarius cum copiis ſuperveniſſet, directa verberatio contra urbis moenia inter Pauliſanum et interiorem regiorum aggerem; factaque ingenti ruina, dum de induciis ultra citraque ab utraque parte commeantibus nunciis agitur, hoſtes impetum faciunt, et in ruinam inſiliunt, unde magna vi a regiis cum damno tandem dejecti ſunt. Pauci ex obſeſſis deſiderati; tantum [c] Griſſeus ſcloppeti fragmine in brachio ictus eſt. Id actum III Eidus Martias. Jam [d] Chaſeronus Claromontium cum ſuis advenerat. Itaque, inſtante Florato, auxiliares in viam ſe dant, cum CCC circiter cataphractis equitibus et IↃ ſcloppetariis, ex quibus CC ex Claromontii et Monferrandi oppidanis erant. Eo autem ordine incedebant: Chaſeronus primam aciem ducebat; Curtonius, qui cum ſummo imperio praeerat, in media acie ſtabat cum [e] Lavedano, Reſtiniaco, et Gilberto Coëſerio Deſiato: praefecti caſtrorum erant Rivorius et Cappius: a peditatu IV minora tormenta trahebantur, et II carri majoribus ſcloppetis onuſti. De adventu eorum certior factus Floratus, relicto in aggere militum idoneo numero, ex omni numero XXC equites cataphractos deligit, et cum [f] Bermondeto, Blotio, Baſſeto, et Arnoldo-Mota poſt vota nuncupata urbe exit, ut ſe cum auxiliaribus conjungeret. Hoſtes planitiem inter montem proximum, cui [g] Cruci Rolandi nomen, et oppidum ſitam, qua auxiliares venturi erant, acie inſtructa inſederant, et ſcloppetarios ad laevam in luco abdiderant, loco admodum anguſto. Quod conſpicati regii exiguum numerum ſuorum praemittunt; ceteros per averſum montis latus, depulſis aliquot hoſtium qui vallem ſubjectam occupabant, in ſummum cacumen, ex quo hoſtium vires numerari et ordo ac inceſſus notari commode poterat, eniti jubent. Inde diſploſa in eos tormenta; a quorum ictibus ut ſe defenderent, ordinem incedendi mutant, et ſparſas ad montis pedem domos incendunt, ne regiis ad urbem tendentibus uſui eſſent. Regii cum tormentis et impedimentis, quae copiis ſuis tanquam munimentum incedendo praetendebant, monte deſcendunt; et, oppoſitum ad laevam hoſtem praetervecti, ad rectam ipſi, per ſubjectam vallem, oppidum verſus pergebant. Quo animadverſo [h] Randanus relicta planitie per montem ſuos gradum accelerare jubet, ut regiis properantibus a tergo et in latus incumberent. Quod Florato commodum accidit, aditum ad auxiliareis quaerenti; qui, relicta planitie et montem flectente hoſte, illi patuit. Magna gratulatione a Curtonio exceptus cum ſuis in prima acie inter Chaſeronum et Rivorium ac Cappium conſtitit, manente priore ordine; qui ſaepe ab hoſte confuſus ac mutatus illi poſtremo perniciem attulit. Nam Randanus, ubi regios, accepto Florato, eodem quo antea ordine incedere vidit, mox ex monte et ipſe deſcendit, et in planitie tumultuario aciem inſtruit, tripartito ordine. Primum agmen ducebat [i] Chaluſius, Sanmarcus, [k] Monſanius: ſecundum XX a priore paſſibus incedebat, [l] Sigheato, [m] Flageato, Cormillonio, et Conſo ducibus: ultimo praeerat Randanus cum [n] Caſtroclavio vicecomite et [o] Monrevellio. In Randani exercitu IↃ equites erant, et totidem ſcloppetarii. Prima impreſſio a Chaluſio facta, et a C circiter ſcloppetariis regiis excepta; quos ille declinans in Floratum et Rivorium ac Cappium incubuit; qui, veriti a ſecundo agmine alteram in latus impreſſionem, minime ſe loco moverunt. Cum ſecundum agmen lentius ſequeretur, Caſtroclavius, qui in ultimo erat, confuſis ordinibus antevertit, et cum Florato et Rivorio ac Cappio acriter conflixit. Poſt obſtinatum certamen ad extremum

INTERPR. [a] *de S. Marc.* [b] *de Villequier vicomte de la Guerche, gouverneur de la Marche.* [c] *de Griſſé.* [d] *de Chazeron.* [e] *de Lavedan, de Reſtignac, & de Coeffier Sr d'Effiat.* [f] *de Bermontet, de Blot, le capitaine Baſſet, & la Mothe-Arnaud.* [g] *Montagne de Croz-Roland.* [h] *le comte de Randan.* [i] *de Villebouche Sr de Chaſlus.* [k] *Gaſpar Loup Sr de Monſan.* [l] *de Laſtic Sr de Siogheat.* [m] *les ſieurs de Flagheat, de Cormillon, & Cons.* [n] *de Chaſteaucloux.* [o] *de Montrevel.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

extremum Randanus diſſipatis ſuis victus ac fuſus eſt. Interea duo priora agmina reſtitutis ordinibus certamen repetierunt, et obfirmatis animis cum [a] Curtonio, [b] Lavedano, [c] Chaſerono et Reſtiniaco diu depugnarunt; tandemque et ipſi victi ſunt. Randanus captus ab [d] Arnoldo-Mota et [e] Iſſoriam perductus ex vulnere in ilibus accepto ſtatim exſpiravit. Deſiderati et eo proelio ex hoſtibus c circiter e nobilitate, et in iis [f] Sanmarcus, Sangervaſius Claromontii ſeneſcallus, Monſanius ſenior, Arbozaeus, Ronzaeus, Villatus, Neovillus ſenior, Sala, Rupimorus, alii: plures ex gregariis militibus. Captus a [g] Florato [h] Caſtroclavius, ejus item legatus ac ſignifer, [i] Monrevellius, Sanmichaëlius, qui poſtea ex vulneribus [k] Claromontii deceſſit, [l] Fraxinetus, alii. Ex regiis cecidere [m] Vernetus Chaſeroni legatus, et alii duo e nobilitate; pauci gregarii milites. Vulnerati circiter VIII, et in iis [n] Rupifortius Curtonii filius, [o] Crenacus, Rota. Non intermiſſo victoriae curſu inde ad arcem obſeſſam promota caſtra; cujus praeſidiarii, cognita Randani morte et ſuorum caſu, deditionem eodem die fecere, traditis tormentis et omni inſtrumento bellico. Poſtridie celebrato ſolemni ſacro gratiae Deo publicae actae. Habito inter belli duces poſt prandium concilio, cuſtodia urbis et arcis Bermondeto cum idoneo praeſidio committitur. Ipſi, deficiente commeatu ac pabulo, mature inde diſceſſerunt, abductis ſecum tormentis, alteriſque caſtris Claromontium triumphantes ingreſſi ſunt; ubi ſolemni pompa rurſus in majore urbis templo beatorum Auguſtini et Ambroſii canticum, effuſo in laetitiam populo, decantatum eſt. Hujus victoriae, quae regis res in Arvernis et vicinis provinciis firmavit, in eandem cum Euriaca concurrentis diem, ſucceſſus, victricis ejus fortunae certiſſimum indicium fuit, quae principem bono patriae natum ad extremum ſecuta eſt.

XIII. DUM ad [p] Meduntam nuper receptam ad reficiendum militem haereret exercitus, [q] Bironus a Cajetano cardinali ad colloquium ſolicitatus, cum Cajetano tam ſuo quam nomine regis caviſſet, [r] Noſiacum permiſſu regis profectus eſt cum pleriſque e nobilitate. Ea eſt arx magno ſumptu et elegantia a [s] Radeſiarum duce, qui tunc in Italia aberat, ſtructa. Cardinalis [t] Gondius Radeſiani frater cum Cajetano venit, inter regem ac pontificem medius. Ibi poſt honorificos utrinque ſermones ante et poſt prandium habitos, cum Cajetanus longe aliam rerum faciem, quam putarat, repeririſſet, et obfirmatos regiorum animos ad cauſam regni contra communeis hoſteis defendendam videret, multum confuſus ab illo colloquio diſceſſit; experientiaque didicit, longe aliter in Romana aula inter cardinaleis et homines otioſos de calamitate aliena plerumque ſecuros, quam in regno ipſo a nobilitate et iis quorum maxime intereſt, de regni cauſa exiſtimari ac judicari. His acceſſit ſimulatae ab Anna [v] Anglurio Givrio, qui cum Birono venerat, demiſſionis ludibrium. Is adulatorie per ingentem ubique ſparſam famam et merita ad defectionem ſolicitatus, cum minime flecti videretur, poſtremo, cum tanquam vere Catholicus ſaltem a pontifice et ejus vicario, ut veniam praeteritorum peteret, gratia parata invitaretur, homo feſtivus genu flexo ſupplex et compoſito vultu veniam ſe contra Pariſienſeis admiſſorum petere profeſſus eſt: interpoſitaque aliqua mora, quaſi ſerio rem gereret, poſtquam a cardinali benedictionem accepit, antequam ſurgeret, etiam futurorum gratiam ſibi fieri petiit; nam decreviſſe contra Pariſienſeis acrius quam antea bellum gerere. Quibus dictis cum riſu ſe a cardinalis gratiam factam revocantis conſpectu ſubduxit.

Verum

INTERPR. [a] *le baron de Curton.* [b] *le Sr de Lavedan.* [c] *le Sr de Chazeron, & le comte de Reſtignac.* [d] *la Mothe-Arnaud.* [e] *Iſſoire.* [f] *de S. Marc, de S. Gervaſy ſeneſchal de Clermont, de Monſun, d'Arbouze, Ronzay, la Villate, de Neufville, la Sale, & Rochemore.* [g] *le Sr de Florat.* [h] *de Chaſteaucloux.* [i] *de Montrevel & de S. Michel.* [k] *Clermont.* [l] *Frecinet.* [m] *du Vernet.* [n] *de Rochefort fils du Sr de Curton.* [o] *de Chaſtelard Sr de Creſné, & du Rouë.* [p] *Mante.* [q] *le mareſchal de Biron.* [r] *Noiſy.* [s] *de Rets.* [t] *de Gondy.* [v] *d'Anglure Sr de Givry.*

Verum quam ſe fortem adverſus cardinalis blanditias praeſtitit, tam ſe Pariſienſibus, ſicuti prae ſe ferebat, minime infeſtum oſtendit, annona et commeatu praeter regis voluntatem large per [a] Chamoſium pontem, cui praeerat, ſuppeditata; cujus penuria rex ſeditioſos ad deditionem, atque adeo ad bonam mentem, citra urbis perniciem adduci poſſe ſperabat. Eodem colloquii tempore, ne quid intentatum a foederatis relinqueretur, [b] Villaregius in occulto a [c] Meduanio ſummiſſus, quaſi ad parentem, qui [d] Allincuriae haud longe a Medunta erat, iturus, cautione a rege accepta, venit; et Philippum [e] Mornaeum Pleſſium regi tunc perfamiliarem regis permiſſu convenit; et poſt deploratum calamitoſum regni ſtatum, cum acri ejus ſenſu affici ſe oſtenderet, et ex regno diſcedendi copiam ſibi a rege fieri peteret, per occaſionem de pace ſermonem injecit, a qua Meduanium non ita alienum affirmabat; agitataeque de ea inter ipſos conditiones aliae atque aliae, ſive rex ad ſacra majorum rediret, ſive in Proteſtantium religione perſeveraret, ſed irrito exitu, cum nulla ſe expreſſa mandata habere diceret Villaregius, ceterum de iis coram Meduanio acturum, et per occaſionem ad ipſum Mornaeum relaturum, pollicetur.

XIV. Rex v Kal. April. cum Medunta diſceſſiſſet, alteris caſtris [f] Capreolium venit, Guiſianorum caſtellum; quo praeſidio firmato per [g] Montem-Lerici incedens ad [h] Corbolium caſtra ponit, quod Kal. April. deditum eſt; alteroque poſt die [i] Latiniacum, quod eſt oppidum ponte ad Matronam opportunum, pariter deditionem fecit. Erat regis conſilium pontes infra et ſupra Lutetiam occupare, tam Sequanae quam Matronae impoſitos, ut urbem citra certamen ad deditionem compelleret. Dum Corbolii eſſet, rei bene a Rogerio [k] Convena Sobollio et Ant. [l] Moreto Realio, qui in [m] Mediomatricibus cum eo remanſerat, contra Hiſpanos geſtae, [n] Nerveſiana legione ad [o] Lonvium caeſa, nuncius ad ipſum venit. Ibi et literas a Franciſco Lucemburgo, qui Romae erat, accepit, quibus certior fiebat de pontificis voluntate multum a foederatis alienata, ut qui de rebus noſtris per ipſum Lucemburgum inſtructior promiſſa auxilia ſumminiſtrare prorſus recuſaret, et Cajetano legato graviter ſuccenſeret quod factioſis in urbe ſe adjunxiſſet, et non potius, ſicuti juſſus erat, cum Carolo [p] Vindocino et Philippo Lenoncurio cardinalibus, qui regias partes ſequebantur, conſilia communicaſſet. Sub id de Vidi [q] Sangelaſii Lanſaci copiis in [r] Cenomanis caeſis allatum eſt. Is cum IV legionibus, ſua, [s] Bellaii Foliaceni, Monteſſoni, Quercaci Sablerenſis, Nonis Aprilibus Meduanam oppidum improviſo occupaverat, et arcem corona cinxerat. Quo intellecto Arnoldus [t] Beovillus Stella, qui [v] Damfronium tenebat, mox cum legione ſua obſeſſis ſuppetias laturus accurrit, monito Renato [w] Sandionyſio Hertraeo, penes quem in [x] Perticenſi comitatu ſumma armorum erat; qui cum [y] Razelerio ac delectis poſt biduum [z] Laſſaeum, et inde [aa] Ambieriam II a Meduana leucis, venit: ubi cognito [bb] Viceum ex inferiore [cc] Neuſtria foederatis auxilio adventare, eo magis gradum accelerat, praemiſſo Gilberto [dd] Loraeo cum CCC ſcloppetariis, qui ſuburbia trans amnem occuparet. Eodem confeſtim advolavit cum totidem ſcloppetariis [ee] Coſſevilla. Poſtridie, qui in III Eidus incidebat, ex ducum belli conſilio [ff] Gapallerius cum L delectis ex Loraei legione miſſus, qui domos quaſdam ab arce defenſas inſideret. Quem mox ſubſecuti ſunt Hertraeus ipſe, Loraeus, Jo. [gg] Madallanius Montatarius alae equitum

Condaei

INTERPR. [a] *pont de Chamois.* [b] *de Villeroy.* [c] *le duc de Mayenne.* [d] *Allincour.* [e] *de Mornay Sr du Pleſſis.* [f] *Chevreuſe.* [g] *Montlehery.* [h] *Corbeil ſur Seine.* [i] *Lagny ſur Marne.* [k] *de Comminges Sr de Sobole.* [l] *de Moret Sr des Reaux.* [m] *pays Meſſin.* [n] *le regiment de Nerveze.* [o] *Lonvy.* [p] *les cardinaux de Vendoſme & de Lenoncourt.* [q] *de S. Gelais Sr de Lanſac.* [r] *le Maine.* [s] *de la Feuillée du Bellay, de Monteſſon, & le Sr des Cheſnays auprés de Sablé.* [t] *de Beauville Sr de l'Eſtelle.* [v] *Domfront.* [w] *de S. Denis Sr de Hertré.* [x] *du Perche.* [y] *le Sr de Razeliere.* [z] *Laſſay.* [aa] *Ambieres.* [bb] *le Sr de Vicques.* [cc] *Normandie.* [dd] *de Loré.* [ee] *de Coſſeville: la Relation le nomme Coſſeſſeville.* [ff] *le capitaine Gapaillere.* [gg] *de Madaillan Sr de Montataire.*

Condaci legatus, [a] Coſſaeus, Mimbraeus, Sanſaeus, Roſarius, alii e nobilitate; qui munitiones ab hoſte contra arcem excitatas ſumma vi adoriuntur, et ante [b] Falas ipſas conſiſtunt, [c] Bizolio Crucio Alençonio ſtrenue rem gerente, quem [d] Stella et Coſſevilla cum robore copiarum ſubſequebantur. Id conſpicati hoſtes, conglobatis circiter IↃ ſcloppetariis et LX equitibus, ad Falas conveniunt, unde poſt aliquod certamen poſtremo ſemper cedendo extra urbem pelluntur. Hertraeus, qui pedes pugnabat, ſumpto commodum equo, cum Montatario, [e] Torcantio, Roſario, Mimbraeo, [f] Sanrocho cedentibus inſtat. Tum Loraeus cum ſcloppetariis ſuperveniens in latus incumbit, et Lanſacum anguſto loco nactus caedit et in fugam conjicit. Eo in conflictu Monteſſonus, qui praetorium vexillum geſtabat, a Roſario interfectus eſt. Eodem tempore [g] Brandelius Campanus Villanae marchio cum L e nobilitate delectis advenit, qui cum Roſario et Montatario, Hertraeo, Stellae et Coſſevillae, dum veſtigiis fugientium ardentius inſiſtunt longius provectis, praeſto fuit, et CCC ex ſtrage hoſtium ſuperſtites loco iniquo adſecuti fuderunt, et armis exuerunt. Pauci e regiis deſiderati: ex hoſtibus ad CCC, et in iis praeter Monteſſonum [h] Quercaeus, qui praefecti caſtrorum munere fungebatur.

XV. INTER tot proſpera caſus intervenit, qui regis res in [i] Armorica non parum labefactavit. Honoratus [k] Buellius Fontanus, qui in Caroli regis gratia praecipuum olim locum tenuerat, ob claritatem gentis et invidioſas opes, nam hujuſmodi homines fere a foederatione alieni erant, [l] Mercuriano provinciae praeſidi ſuſpectus, [m] Fanum-Maclovii in ea tenebat, primariam urbem, epiſcopali dignitate ornatam, et ob portus opportunitatem navigationibus oppidanorum maxime famoſam. Arx portui imminebat, juxta quam ſine ſuſpicione naves appellere conſueverant. In eam Fontanus omnem gazam pretioſam ſtudioſe tanquam in locum tutiſſimum recondiderat; cujus illecebra capti ſeditioſi a Mercuriano ſubornati, cum contra praefectum opulentorum civium bonis inhiare et occaſionem urbis diripiendae quaerere apud plebem criminarentur, in ipſum conjurant, et pleroſque in facti conſcientiam ſecum trahunt; notatoque loco haud ita firmo nec ſtationibus frequenti, in quem per malos navium aſcendi commode poterat, et corrupto cubiculario in familia praefecti a puero educato, qui diſcedentibus ſtationibus ſignum daret, nocte, quae diem quartum decimum Martii praeceſſit, in arcem cum conſciis perrumpunt, et paucos obvios trucidant. Ipſum Fontanum ad ſtrepitum forte excitatum, et ex feneſtra in portum deſpicientem, per hominem ad id deſtinatum ictu ſcloppeti interficiunt; potitique arce ſupellectilem pretioſam et pecuniam pro praemio accipiunt, parte [n] decurionibus urbis ad uſus publicos conceſſa, quo factum olim in omnem eventum tuerentur. Id poſtea ut juſſu ſuo factum adprobavit Mercurianus. Maclovienſes viciſſim foederationi ſubſcripſerunt; ceterum juſſi praeſidium accipere recuſarunt, et arcem ad finem belli per homines e ſuo numero retinuerunt. Tunc vero, rebus ad bellum paratis, cum Anglos vicinos ob defectionem infeſtos fore providerent, tantiſper ab omni navigatione abſtinendum ad tempus cenſuerunt; idque per literas Maſſilienſibus et ipſis foederationi addictis in altero mari praepotentibus, quibus cum illis propter commercium arcta neceſſitudo intercedebat, ſignificant, rogantque aequo animo ferrent, ſi tantiſper negotiatio intermitteretur, donec fortuna de rebus Galliae decreviſſet. Rex interim ſucceſſus urgens, dum Corbolii eſſet, exercitum praemittit, qui [o] Melodunum ſupra [p] Corbolium ad Sequanam ſitum obſidione cingeret. Id oppidum, licet ambitu parvum, Lutetiae inſtar, triplex eſt, et duobus

pontibus

INTERPR. [a] *de Coſſé, de Mimbray, de Sanſay, & des Roſiers.* [b] *les Halles.* [c] *Bizeuil, dit le capitaine la Croix, de la garniſon d'Alençon.* [d] *de l'Eſtelle.* [e] *de Torchant.* [f] *de S. Roch.* [g] *Brandelis de Champagne, marquis de Villaines.* [h] *le Sr des Cheſnays, mareſchal de camp.* [i] *Bretagne.* [k] *de Beuil Sr de Fontaines.* [l] *le duc de Mercœur.* [m] *S. Malo.* [n] *Eſchevins.* [o] *Melun.* [p] *Corbeil ſur Seine.*

pontibus lapideis conjungitur: in medio arx eſt ſtructura antiqua. Spatioſius oppidum eſt, quo [a] Briam ſpectat; qua parte rex tormenta VII admovet, et II colubrinas, duobuſque locis verberationem dirigit. Locum tenebat [b] Furronius cum LX equitibus et III legionibus, quae CCCC peditibus nec amplius conſtabant, Lutetia ſummiſſis, et adhuc integris, ut quae Euriacenae pugnae minime interfuerant. Praeterea ex oppidanis IↃ egregie armati erant, qui munitionibus intra urbem per vicos exſtruendis et defendendis gnaviter incumbebant. Portam, quae pulſabatur, tegebat exiguum munimentum opere tumultuario ſtructum; ad quod CC ictibus diſploſis cum turris aperta eſſet, morae impatientes regii, qui hoſtem contemnere didicerant, vix ducum exſpectato imperio ſcalas admovent, et quamvis plus XX pedum altitudine enixi per foramen in turrim enituntur, fere ſinguli, per funem alteri alterum attrahentes. Quo conſpecto praeſidiarii attoniti, poſt exiguum, nec tanto numero ac tot munitionibus per vicos exſtructis dignum certamen, in mediam urbem ſe recipiunt, deſideratis circiter L ex ſuis, et accenſo ad caſtellum, quod pontem defendebat, igne, ex materia picea artificioſe ad id parata, ut ſpiſſitate et graveolentia fumi ab inſequendo regii prohiberentur. Protinus de deditione actum; et cum biduum obſeſſi inepta vanitate petiiſſent, intra quod, niſi a Meduanio ſuccurrerentur, oppidum traditurі eſſent, perſcriptae hac lege conditiones; ſecundum quas, cum Meduanius, qui plus quatridui itinere aberat, minime compareret, Melodunum deditum eſt III Eidus Apriléis, quinto poſtquam obſideri coeperat die: quo eodem [c] Villaregius in caſtra rediit, et cum certioribus Meduanii mandatis de pace agere inſtitit, palam profeſſus, niſi conveniret, ſe regno excedere decreviſſe. Interea [d] Moretum, Creſciacum, exigua circumpoſita oppida, in fidem accepta; et [e] Provinium Briae metropolis, opulenta, ceterum ſitu debilis, in poteſtatem venit. Rex inde per [f] Nangium facto itinere, fluvii adverſi oram ſemper legens, ulterius pergit, et miſſo Renato [g] Viutio Chanlivotio [h] Montem-Rigoli capit, ſitu commodum oppidum, quod ad illud Igonna ſe in Sequanam exonerat; captumque locum valido praeſidio firmat, eique Chanlivotium imponit. Inde digreſſus XIV Kal. Maias, cum interim [i] Pons ad Sequanam et [k] Braium deditionem feciſſent, Braium primis caſtris venit, et ad [l] Nogentum Sequanae item impoſitum oppidum mittit qui deditionem praeſidiariis ſuo nomine imperarent. Oppidani, qui viderent ad reſiſtendum ſe impares, et cognito vicinos in fidem acceptos ſumma clementia a rege habitos, praeſidium emittunt, et ultro ſe imperata facturos oſtendunt. [m] Mericum haud hinc longe ſcalis admotis captum ac direptum fuit a fremente et praedae avido milite, conniventibus ad ea belli ducibus; qui tutius rati cum paucorum injuria aliquid militibus indulgeri, quam ſi aſtrictiore diſciplina tam neceſſario tempore, dum retinere conantur, transfugiendi ad hoſtem occaſionem praeberent. Feriis Paſchalibus dum cuncti privatis devotionibus religioſe operantur, rex ad [n] Agendicum Senonum civitatem, quae hodie de regionis nomine vocatur, foederatorum partibus maxime addictam, mittit; quam cum exiguo praeſidio tenebat Jacobus [o] Harlaeus Chanvallonius. Cum eo erant Fortunatus [p] Malavicinus marchio cum XL cataphractis equitibus alae [q] Nemoroſii, et [r] Peloſo Cremonenſi ſtrenuo ordinum ductore; [s] Mota Cottelaſſus Autiſſiodori praefectus, qui eo ad illum venerat. Cum deliberandi ſpatium Senones popoſciſſent, et poſtridie poſt feſtum Paſchale reſponſuros ſe recepiſſent, mittitur ad eos rurſus tubicen; qui nullum aliud reſponſum retulit, quam oppidanos extrema cuncta

prius

INTERPR. [a] *la Brie.* [b] *de Fourrone.* [c] *de Villeroy.* [d] *Moret & Creſcy.* [e] *Provins.* [f] *Nangis.* [g] *de Viou Sr de Champlivaut.* [h] *Montereau ſur Yonne.* [i] *Pont ſur Seine.* [k] *Bray.* [l] *Nogent ſur Seine.* [m] *Mery.* [n] *Sens.* [o] *de Harlay Sr de Chanvallon.* [p] *de Malavicino.* [q] *le duc de Nemours.* [r] *il capitano Peloſo Cremoneſe.* [s] *le capitaine la Mothe-Coutelas, gouverneur d'Auxerre.*

prius paratos experiri, quam committere ut privatae ſaluti cauſam religionis poſthabuiſſe viderentur. Itaque rex quamprimum inde diſcedere decrevit, Lutetiae arctius cingendae intentus; quam, oppidis, quae ab [a] Auguſtobona Tricaſſium ad Sequanam ſunt, occupatis, et Igonna per Montem-Rigoli fraenato, brevi ad extremam penuriam redactum iri ſperabat. Diſceſſurum revocavit Chanvallonius, qui cum Aumontio viro ſincerae probitatis miſſis crebro nunciis egit, perſuaſitque oppidanos ad deditionem compelli poſſe; inſtructoque, ut putatur, et Pariſienſes poſtea publicarunt, dolo, Cottelaſſum, praefectum juridicum, et ex aedilibus unum mittit, qui Braii regem convenerunt, et ſcriptis conditionibus cum eo tranſegerunt, ac inſuper rogarunt, quo plebe in poſterum obſequentiore uti poſſent, rex ad urbem venire dignaretur, qui praeſentia ſua turbulentos animos componeret. Secundum haec miſſus Aumontius; qui, ſuborta ex compacto in urbe ſeditione, cum Chanvallonius, plebe contra ipſum tumultuante, in aedeis archiepiſcopi confugiſſet, quid in urbe accidiſſet ſtatim ad regem perſcribit, et ut cum exercitu acceleret monet; ſic enim fore, ut ſeditioſi, inde a Chanvallonio ac praeſidiariis, inde a rege veluti obſeſſi, quieſcere ac reſipiſcere cogantur. Rex, quanquam aegre faceret ut inſtitutam ad urbem profectionem retardaret, tamen, ne occaſionem tantam praetermiſiſſe videretur, nihil de fraude ſuſpicatus in conſpectum civitatis venit, factaque pulſatione vim facit; in qua Carolus [b] Choeſelius Pralinius graviter in ilibus ſauciatus, et [c] Avantinius junior, qui ex vulneribus paulo poſt deceſſit: deſiderati et ex militibus aliquot. In ea oppugnatione irrita cum notaſſet rex, nullum in urbe diſſidentium, ut putabatur, exauditum tumultum, conjectans quod erat, dolum ſibi ſtructum, obſidionem ſolvit, hoc addito, ſicuti a [d] Droci obſidione nuper diſceſſiſſet ut victoriam de hoſte reportaret, ſic ab [e] Agendico irrito obſidionis conatu nunc diſcedere ut Lutetiam capiat.

XVI. Inter haec cardinalis Cajetanus, qui, cincta undique Lutetia et inſeſſis ad eam aditibus, provideret fore ut brevi in ſummas anguſtias redigeretur, quo, aliqua mora interjecta, reſpirandi a tanta clade foederatis et importandi commeatus ſpatium concederet, ad [f] Bironum, qui [g] Provinii erat rebus belli ordinandis intentus, ſcribit, et de magnis rebus cum ipſo agere velle oſtendit, petitque ut Marco Antonio [h] Mocenico Cenetenſi epiſcopo patricio Veneto, quem ad ipſum miſſurus ſit, idonee caveatur: quo, regis permiſſu, facto, Bironus Braium, quo jam rex redierat, venit, et hoſpitium perhonorifice Cenetenſi parari juxta ſuas aedeis curat. Igitur exeunte Aprili Cenetenſis Braium venit, et biduum commoratus cum Birono collocutus eſt. Summa ſermonum fuit, ut ad aliquot menſeis induciae pangerentur, intra quos Romam et in Hiſpaniam utrinque mitterentur legati de pace acturi. Induciarum conditione rejecta, Bironus, re primum cum rege communicata, reſpondit, paratum regem et principes, ac primarios regni proceres qui circa ipſum ſunt, de pace agere, nihilque magis cupere quam ut ejus faciendae rationes ſalvo jure ſuo ac dignitate quamprimum ineantur; quas a principibus externis exſpectari, neque tutum neque ſibi Gallicoque nomini honorificum exiſtimet: id ni fiat, decreviſſe regem bellum pro ſalute regni contra veteres hoſteis ſuſceptum abſque mora proſequi. Cenetenſis, antequam Braio diſcederet, ſive a Birono invitatus, ſive ipſe id cuperet, ad Catholicorum, qui in ea aula erant, numerum ineundum, ſolemni ritu ſacrum celebrare voluit, cui proceres omnes ac equites, praecipuique belli duces qui in caſtris erant, regis juſſu interfuerunt. Poſtea cum [i] Longavillano duce, Fani-Pauli comite ejus fratre, et [k] Carolo Enguliſmenſi Franciae priore collocutus; et

longe

INTERPR. [a] *Troyes.* [b] *de Choiſeuil Sr de Praſlin.* [c] *d'Avantigny.* [d] *Dreux.* [e] *Sens.* [f] *le mareſchal de Biron.* [g] *Provins.* [h] *Mocenigo evêque de Ceneda.* [i] *de Longueville.* [k] *Charles batard de Valois, duc d'Angouleſme, grand prieur de France.*

longe aliter ex eorum ſermonibus res habere vir prudens, neque partibus addictus, didicit, quam a foederatis in urbe jactabatur. Regem minime Braii ſalutavit, nam id ei per Cajetanum non licebat: cum tamen maximopere id ipſum cuperet, Petri [a]Delbenii abbatis viri et elegantibus literis ornati, et uſu aulicarum rerum experti, ultro citroque commeantis, interventu conventum eſt, ut rex Cenetenſem, occaſione captata, quaſi fortuito occurſu compellaret. Igitur dimiſſus Cenetenſis cum [b]Braio diſcederet, regem a venatione redeuntem in itinere obvium habuit, ſtatimque ex equo deſcendens eum ſalutavit. Tum in equum inſilire juſſus diu obequitando cum rege ſermones conſeruit; rexque eum non tanquam epiſcopum a Cajetano miſſum, ſed tanquam ex ea republica prognatum, quam reges deceſſores ſui ac ſpeciatim ipſe amiciſſimam ſemper expertus ſit, complexus, de Cajetano graviſſimam querimoniam inſtituit, qui hoſtili animo regnum ingreſſus ſe hoſtem quam amicum habere maluerit, et ad urbes tantum foederatas divertendo, praeter pontificis voluntatem, cum perduellibus potius quam cum Vindocino et Lenuncuriano cardinalibus conſilia hactenus agitaverit, et nunc, ſpreta regni majeſtate, Hiſpanorum ac ſeditioſorum partes palam fovere non deſinat, fratris ſcilicet auſpiciis Philippi in Belgio militantis, potius quam mandatorum pontificis, memor: injectam de induciis mentionem eo pertinere, ut auxiliis e Belgio venturis ſpatium concedatur: atqui ſibi tot regum minime indigno heredi conſtitutum eſſe, aut regem legitimum Franciae univerſae quamprimum dare, aut, quo tot miſerorum hominum vitae fortuniſque parcatur, proprio ſanguine majorum manibus parentare. Addita a rege multa humanitatis et comitatis privatae erga Cenetenſem officia, quibus oneratus Lutetiam revertitur, re, ob quam miſſus fuerat, infecta.

XVII. EODEM tempore varii nuncii varie animos adfecerunt. [c]Vernolium in Perticenſi agro Februario proximo captum, cujus arx a Theodoro Lignerio infrequenti praeſidio, ne popularibus gravis eſſet, tenebatur, a Carolo Franciſco [d]Roſello Medavidio nocturnis inſidiis interceptum eſt, non citra certamen; in quo Joan. [e]Drocenſis Morinvilla provinciae praeſes ſtrenue pugnando deſideratus eſt. Is ex perilluſtri Drocenſium familia, ex qua [f]Monfortii comites, ac poſtmodo citerioris [g]Britanniae duces, propagati ſunt, a [h]Ludovico Craſſo procul dubio genus repetebat: cumque controverſia ei de ſtatu mota eſſet, ſenatus-conſulto obtinuit: vir ceteroqui bonus et valde ſtrenuus, qui inter belli diſcrimina aſſidue verſatus nullum toto vitae tempore vel leve vulnus acceperat, ex eoque primo, quod in ilibus accepit, deceſſit major quinquagenario, e tanta gente ultimus, nullis relictis liberis. Cladem in Vernolii amiſſione a regiis acceptam penſavere legiones duae hoſtium caeſae; altera Joannis [i]Saulii Tavanii vicecomitis, qui ad famam intercepti Vernolii [k]Rotomago, cui praeerat, accurrens, in itinere a [l]Monpenſerio Neuſtriae univerſae praeſide ſignis amiſſis fuſus eſt, vix ipſo et C ex omni numero ſalvis; altera [m]Ponſenaci, quae poſt [n]Euriacam pugnam utcunque ſuppleta, dum ad Meduanium Auguſtam Sueſſionum verſus tenderet, a Carolo [o]Humerio juxta [p]Compendium itidem ad internecionem paene deleta eſt. Sub id et nuncius ad regem venit de re feliciter a [q]Realio in [r]Mediomatricibus geſta. [s]Felinum arcte obſidebant Lotharingi, nec ſuppetias in tempore ferre potuerant regii; qua ſpe falſi, ne ſine aliquo operae pretio reverterentur, Lotharingos ab expeditione reductis tormentis triumphantes tam idoneo loco adoriuntur, ut CCC pedites, LX circiter equites, ex iis interfecerint, ceteris fuga dilapſis. Capta tormenta ac ſigna, ac L circiter ex omni numero, ac inter

INTERPR. [a]*l'abbé Delbene.* [b]*Bray.* [c]*Verneuil au Perche.* [d]*de Rouxel Sr de Medavy.* [e]*de Dreux Sr de Morinville.* [f]*Montfort.* [g]*Bretagne.* [h]*Louis-le-Gros.* [i]*de Saulx comte de Tavannes.* [k]*Rouen.* [l]*le duc de Montpenſier, gouverneur de Normandie.* [m]*de Ponſenac.* [n]*d'Ivry.* [o]*d'Humieres.* [p]*Compiegne.* [q]*des Reaux.* [r]*pays Meſſin.* [s]*Felin.*

inter eos praecipui nominis duces [a] Artigotius et Vaſtinus. Id actum XIV Kalendas Maias. Nec mediocriter regis animum recrearunt literae interceptae, ad Cajetanum Roma ſcriptae, quibus ſignificabatur, comitem Olivarem Philippi oratorem cum pontifice magna cum verborum acerbitate contendiſſe, ut Lucemburgum a ſe dimitteret, et proceres, aliosque omneis qui regi militant, diris devoveret; alioqui fore, ut deinceps Philippus minime ipſum pro pontifice coliturus ſit: pontificem autem hominis arrogantiam non ferentem, congregatione cardinalium facta, de ipſo Olivare Roma pellendo deliberaſſe, parumque rem ab exitu abſuiſſe. Interim rex, occupatis omnibus, qui ad [b] Igonnam a [c] Senonum civitate [d] Montem-Rigoli uſque, ab [e] Auguſtobona ad Sequanam ſunt pontibus, et Matrona per [f] Latiniacum fraenato, [g] Calas S. Botrudis venit VII Eid. Maii; ac poſtridie Lutetiam uſque progreſſus ad S. Martini ſuburbium acri cum Pariſienſibus certamine pugnavit, in quo Franciſcus [h] Lanovius, dum ardentius in hoſtem invehitur, periculum vitae adiit, ſuffoſſo generoſo equo ipſi a rege donato, et ictu ſcloppeti in crure accepto; ex quo brevi poſt convaluit. Mox [i] Charentonius et [k] S. Mauri Foſſatenſis ſive caſtri Bagaudarum pontes ad Matronam capti ac praeſidio firmati ſunt; et Charentonio quidem is qui praeerat, quod locum debilem tueri adverſus exercitum auſus eſſet, a tergo circumventus capite luit. Charentonio et [l] Confluentiae, qui vicus eſt, ad quem Matrona in Sequanam exoneratur, impoſitus Annas [m] Anglurius Givrius cum valido equitum et peditum praeſidio, ex omni natione attributis delectis copiis ac aliquot tormentis, ut juſti exercitus ſpeciem praeſidium illud referret, munitis circum caſtris et ſtrato pontibus fluvio. Ipſe vero amoeno juxta et eleganti vir ingenio, qui imperator dici gauderet, dum comitatis officiis cum Cajetano, Nemoroſia, Monpenſeria et Guiſiana viduis, aliiſque belli ducibus qui in urbe erant, certat, et, pane, carnibus, aliiſque bellariis crebro ſummiſſis, extremam neceſſitatem inſcio rege moratur, obſidionem in longum extraxiſſe creditus eſt; ejuſque exemplo plerique eadem humanitate erga obſeſſos uſi poſtremo regis conatum irritum reddiderunt. [n] Aumontius [o] Fani-Clodoaldi pontem cum delectis copiis ſervandum ſuſcepit. Molatrinae ſubventaneae, quae urbi inſerviunt, ante omnia incenſae; et Bellomontium, quod eſt oppidum ad Eſiam, dedente [p] Potrincurio, [q] Inſulae Adami caſtrum ac [r] Fanum Honorinae in Eſiae et Sequanae confluenti recepta ſunt, et valido praeſidio firmata. Rex, qui [s] Goneſſam ſub id venerat, inde [t] Giſortium excurrit in Vexinenſi agro, quod [v] Flavacurtii, qui arcem ſervabat, fidei diffideret; eoque amoto Chriſtophorus [w] Alegrii marchio imponitur, dato negotio Franciſco [x] Aureliano Fani-Pauli comiti, ut cum delecto equitatu, quem rex ei attribuerat, curaret, ne commeatus illac ex [y] Neuſtria in urbem importaretur, et [z] Bellovacenſes annona per terram comportata Pariſienſeis juvarent. Inde reverſus rex [aa] Argentolium venit; ubi de [bb] Firmitate Bernardi [cc] Meduanii ditionis in [dd] Cenomanis opulento oppido, quod [ee] Dragus Comnenus a Briſſaco impoſitus tenebat, dedentibus oppidanis et pulſo ipſo Drago, recepto cognovit; nec non et de morte cardinalis Borbonii, qui eodem quo rex Calas venit die [ff] Fontenaii in Pictonibus, ubi cuſtodiebatur, ex calculi doloribus ultimum vitae diem clauſit, cum annum LXVI ſupergreſſus eſſet; homo non ſolum illuſtriſſimae gentis, ſed florentiſſimi toto Chriſtiano orbe regni ludibrio natus; cujus ingenio ad propriae gentis Gallicique nominis perniciem poſtquam diu

abuſus

INTERPR. [a] *d'Artigoty & de Gaſtines.* [b] *Yonne r.* [c] *Sens.* [d] *Montereau.* [e] *Troyes.* [f] *Lagny ſur Marne.* [g] *Chelles Ste Baudour.* [h] *de la Nouë.* [i] *Charenton.* [k] *S. Maur les foſſez.* [l] *Conflans.* [m] *d'Anglure Sr de Givry.* [n] *le mareſchal d'Aumont.* [o] *S. Cloud.* [p] *de Poutrincourt.* [q] *Liſle-Adam.* [r] *Ste Honorine.* [s] *Goneſſe.* [t] *Giſors au pays du Vexin.* [v] *de Flavacourt.* [w] *d'Alegre.* [x] *d'Orleans comte de S. Paul.* [y] *Normandie.* [z] *ceux de Beauvais.* [aa] *Argenteuil.* [bb] *la Ferté Bernard.* [cc] *du duc de Mayenne.* [dd] *le Maine.* [ee] *le Sr Dragues de Comnene.* [ff] *Fontenay en Poictou.*

abuſus eſt Guiſius, et tanquam larvam populis veſanientibus eum oſtentavit, ad extremum ipſe ſibi exitium accerſivit, accenſo in patria bello internecino, quo poſt utriuſque obitum *Gallia* omnis paene conflagravit.

XVIII. Fuit cardinalis Borbonius religionibus paene ad ſuperſtitionem [α] addictus, de cetero liberalis et in voluptates profuſus, atque ex credulitate nimia proniore ad mathematicorum praedictiones fide; qui ſaepius curioſe conſulti cum regni olim ſpem feciſſent, paulatim alienari a ſuis animo, et praeſentia, quibus totus antea occupabatur, faſtidire, ac futura circumſpicere, et quo ſerius ſubibat, eo violentius ambitio in eo feſtinare coepit, per fas nefaſque perrumpens, et, poſthabita patriae charitate ac gentilium periculo, Guiſium per abrupta, quocunque ducebat, ſequens. Nec [β] deerat ſeni ingenium fraudum capax, quo interdum negotium ipſi Guiſio faceſſebat. De ducenda Monpenſeria Guiſii ſorore olim cogitaverat, et, ſi tempore delati per ſeditiones regni in libertate fuiſſet, ut plerique credunt, duxiſſet, facili per eam ad fratres regni tranſmiſſione, quandocunque ſine liberis deceſſiſſet. Morte cardinalis Borbonii, quem foederati Carolum x indigitabant, cujuſque nomine moneta aurea et argentea in primariis regni urbibus cuſa eſt, etſi non infracti factioſis animi, qui non tam ſpem [γ] in eo ponebant, quam ejus nomine ad partes in Gallia fovendas abutebantur, tamen non mediocriter turbatae foederatorum res fuere, cum incertum eſſet, cujus ſupremi principis nomine edicta, decreta, ac judicia fierent, et prenſationibus Hiſpanorum, qui impatienter id exſpectabant, per obitum cardinalis, quaſi per interregnum, ad corrumpendos theologorum in urbe et obnoxiorum animos porta patefieret. Itaque Meduanius multum ab eo tempore laboravit, ut importune ad aures ſuas excubantium Hiſpanorum dolos et aſtus eluderet, et nihilominus eorum opibus ſe adverſus regem et Gallicum nomen contra externos inſultus tueretur. Quod potuit, regni comitia, [a] Melodunum antea indicta, Lutetiam quamprimum celebranda tranſtulit; in quo de rege Catholico creando ageretur, et religionis ac regni ſaluti mature proſpiceretur: interea iiſdem titulis, quos ante Carolum x regem promulgatum uſurpabat, ſupremam poteſtatem ſibi commiſſam gereret. Tunc vero ille aberat, in Belgium profectus, ut auxilia a Parmenſi impetraret; cui a Philippo enixe mandatum ſciebat, ut urbi ſuae Pariſienſi in tempore ſuccurreret, hoc addito, ſi memoriam ingentis claſſis contra [b] Britanniam deſtinatae ac ante biennium amiſſae inductam vellet, tali occaſioni minime deeſſet. Igitur, habito cum Parmenſi [c] Condati colloquio, cognitoque ipſum cum potenti exercitu venire in Galliam decreviſſe, partem aliquam copiarum ab eo accepit, nimirum legionem Hiſpanorum, qui nuper rebellaverant, duce Antonio Sunica, et Italorum item legionem, cui Camillus [d] Capiſuccus praeerat, et ccc cataphractos equites Belgas; cum quibus in Picardiam rediit, ſparſa fama, ut magis falleret, et regem ab oppugnatione tentanda, quod illi perfacile erat, interim revocaret, quaſi Mansfeldius tantum venturus eſſet, Parmenſi ad Mauritii Naſſovii conatus reprimendos in Belgio remanente. In itinere Meduanius [e] Cameraci [f] Balagnium convenit, et, purgatis ſuſpicionibus quas ille de Parmenſi conceperat, auxiliareis aliquot copias ab ipſo itidem obtinuit. Dum redit, regem obvium habuit, qui cum CIↃ CC cataphractis equitibus,

ccc

VAR. LECT. [α] addictus, inter monachorum, quos impenſe diligebat, greges a puero educatus; de cetero liberalis et in voluptates profuſus; ut ignavia vitae, ſic libidinibus in occulto infamis; et, quod peſſimum in eo erat, ex credulitate nimia *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] deerat furenti ſeni *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[γ] in ſene deliro ponebant, *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *Melun.* [b] *Angleterre.* [c] *Condé.* [d] *Capizucci.* [e] *Cambray.* [f] *de Montluc de Balagny.*

CIƆ IƆ XC.
HENRICUS IV.

ccc Germanis equitibus et IƆ circiter equitibus ſcloppetariis, domi relictis impedimentis, illuc advolaverat, [a] Creſciacum uſque in agro Laodunenſi progreſſus, et XVIII leucas uno die emenſus; qua celeritate tamen minime antevertere Meduanium potuit, qui, cognito regis adventu, propere ad [b] Laodunum clavatum ſe recepit, et in ſuburbiis oppido ſubjectis caſtra munivit. Rex, per Carolum [c] Guntaldum Bironum ſummum caſtrorum praefectum cum c delectis equitibus in caſtra hoſtium ſemel atque iterum impetu facto, et cum [d] Carondeleto Sequano manu conſerta, cum fruſtra proelii aleam tentaſſet, et A. [e] Sanpaulum averſo per [f] Meldos itinere cum IƆ ccc equitibus et copioſo commeatu ad urbem tendere reſciviſſet, propere inde VI Eid. Jun. diſceſſit. Interea Lutetiae cuncta ad obſidionem diligenter parabantur. Praeerat urbi cum ſummo imperio Carolus [g] Sabaudus Nemoroſii dux, Meduanii frater uterinus, adoleſcens magnitudine animi praeſtans et impiger, amoto inde Aumalio, cujus infelicitas ſive ignavia ipſis gentilibus ſuis ſuſpecta erat. Cum vero is, qua erat ingenii ſupra aetatem ſolertia, plus negotii in plebis tractandis animis et domeſticis incommodis, quibuſcum luctandum erat, tolerandis, quam in externa vi, a qua regem abhorrere noverat, ſuſtinenda, fore provideret, per concionatores populum ad extremae neceſſitatis patientiam obtentu religionis cohortatus fuerat.

XIX. JAM ante [h] Rotomagi menſe Aprili ſenatus-conſultum factum fuerat, quo nobiles, aliique in caſtris regis militantes, domum redire intra VIII dies jubebantur, fide data, aut quieturos, aut quamprimum ad exercitum, cui Meduanius ſummus imperator praeerat, profecturos. Idem ſaepius Lutetiae factitatum, vitae bonorumque amiſſionis tanquam in perduelleis addita poena. Sed cum haec decreta paucos moverent, ad continendos tam in urbe quam in aliis regni urbibus plebis animos Pariſienſium exemplo, factioſi, qui vulgo Sexdecimani a numero regionum urbis dicebantur, hoc commento utuntur: Sorbonicum collegium conſulunt, porrecto libello ante cardinalis Borbonii obitum, praefecti mercatorum, urbis aedilium, et multorum melioris notae civium nomine, quo petebant, an, incidente morte regis optimi Caroli X, aut eodem in favorem Henrici Borbonii cedente regni jure, interea, dum injuſto carcere detinetur, Galli aut poſſint, aut ſalva conſcientia debeant, memoratum Henricum aut etiam principem ſectariae peſtis fautorem in regem admittere, hoc etiam conceſſo, ut is a criminibus et cenſuris fuerit abſolutus, cum evidens periculum immineat ab ejus perfidia et religionis ac regni ſubverſione; item an de haereſi ſuſpectus aut fautor dici debeat, qui pacem cum Henrico fieri procurat, et, cum impedire poſſit, permittit: an haec jure divino deciſa ſint, aut a Catholicis citra peccatum et vitae aeternae jacturam omitti poſſint: ad extremum, an gratiam apud Deum mereatur, qui ſe toto ſtudio Henrico oppoſuerit; et, ſi ad ſanguinis uſque effuſionem reſiſtatur, vere martyrium dici debeat. Ad haec capita a collegio poſt Sancti Spiritus invocationem, ſacro ſolemni peracto, Nonis Maii reſponſum; jure divino prohiberi Catholicos hominem ſectarium aut ſectarii mali fautorem et eccleſiae manifeſtum hoſtem, multoque magis relapſum, et a ſancta ſede nominatim ab unione Catholica excluſum, ad regnum admittere; et ſi quidem aliquis ejuſmodi abſolutionem a criminibus ac cenſuris in foro exteriore impetraverit, ſubſit tamen manifeſtum perfidiae ac ſimulationis et everſionis religionis Catholicae periculum, eodem jure cenſeri, et excludi illum debere: eos autem qui ſatagunt ut is in regem aſciſcatur, aut ei ſtudent et favent, aut etiam ad regnum provehi permittunt, cum impedire poſſint, et ex officio debeant, ſacris decretis eſſe injurios, de haereſi

merito

INTERPR. [a] *Creſcy au Laonnois.* [b] *Laon.* [c] *Gontaud de Biron mareſchal de camp general.* [d] *Carondelet de la Franche-Comté.* [e] *de S. Paul.* [f] *Meaux,* [g] *de Savoye duc de Nemours.* [h] *Rouen.*

merito ſuſpectos et religioni ac eccleſiae pernicioſos; et contra eos, cujuſcunque dignitatis ac conditionis ſint, eo nomine agi poſſe et debere: proinde cum Henricus Borbonius ſectarius et mali ſectarii fautor, hoſtis eccleſiae manifeſtus, relapſus, et nominatim excommunicatus ſit, et, ſi forte abſolutionis beneficium ei impertiretur, periculum tamen perfidiae, ſimulationis, et religionis everſae ſubſit, propterea regni Chriſtianiſſimi aditu, etiam abſolutione impetrata, et quovis alio legitimo herede mortuo vel cedente, Francos prohibere, et a pace cum eo facienda abhorrere teneri; ac qui ei favent, ſanctis decretis injurios, de haereſi ſuſpectos et eccleſiae pernicioſos, et, tanquam hujuſmodi criminum convictos, ſerio ſeduloque coercendos ac caſtigandos eſſe: et quemadmodum qui Henrico ad regnum aſpiranti favent, aut ſuppetias ferunt, religionis deſertores ſunt, et in peccato cum vitae aeternae diſpendio degunt, ita qui ſe illi pro religionis defenſione opponunt, plurimum apud Deum et homines mereri; et ut illos in hoſtis generis humani regno ſtabiliendo pertinaces aeterna poena manet, ſic hos, ſi ad ſanguinis uſque effuſionem reſiſtant, aeternum in coelo praemium, et ut fidei propugnatores immarceſcibilem martyrii coronam, proculdubio conſecuturos. Inde inſtrumentum publicum confectum, et typis Latine et Gallice mandatum, ac nomine Pariſienſium cum praefatione ad regni civitates, quae unioni nomen dederant, promulgatum; qua Sorbonici collegii ſodalibus hoc elogium tribuitur, ad eos pertinere inter lepram et lepram judicare, eorumque decreta tanti in eccleſia momenti eſſe, ut ea ſancta ſedes ſemper probaverit, et ſecundum ea pronunciaverit; proinde ut ipſi ea tanquam a ſpiritu ſancto dictata amplecti et ad extremum vitae ſpiritum ſequi decreverunt, ſic univerſos hortari ut his ſubſcribant, et vel cum vitae hujus fortunarumque omnium periculo, certa vitae melioris fiducia, acquieſcant et pareant.

CIƆ IƆ XC.
HENRICUS IV.

XX. Vix fidem apud poſteritatem merebitur, nec ſine riſu nunc recitari poteſt, quod boni illi viri poſt ſeria ſua decreta ad commovendos dementis plebis animos coram Cajetano cardinali, ac tot epiſcopis, qui eum ex Italia ſecuti erant, Franciſco Panigarola [a] Aſtenſi epiſcopo, Roberto Bellarmino e collegii Jeſuitici ſodalitio, quaſi rem probantibus, inſtituerunt feceruntque. Nam ſupplicationes novo et ad hunc diem non viſo paratu, publice, populo ſpectante, per cunctos frequenteis urbis vicos celebratae; in quibus Gul. [b] Roſa epiſcopus Silvanectenſis et Carthuſianorum prior, altera crucem, altera haſtam manu tenentes, tanquam ſcenae choragi et ſtrenui Machabaei, ſic enim ſe appellari gaudebant, primos ordines ducebant. Sequebantur ordine patres Capucini, [c] Foliaceni, Pauliani, Franciſcani, Dominicani, Carmelitae, ſuccincti omnes et cuculla ſupra humeros rejecta, quippe galeati et loricati. Seniores primi incedebant, torvo vultu, rubentibus oculis, aprugnis dentibus, totoque corporis geſtu minas et militarem faſtum ſcenica ſimulatione referentes. His ſuccedebant juniores eodem habitu, ſcloppetis armati, quos plerumque in obvios inconſiderata temeritate diſplodebant; eorumque ictu unus e Cajetani domeſticis, dum otioſus ſpectat, interfectus eſt, magno circumſtantium fremitu; qui mox compoſitus eſt, ſparſa voce, quaſi ille, qui in tam religioſo ſpectaculo periiſſet, jam inter beatos confeſſorum choros receptus eſſet; nam Cajetanum, penes quem de his rebus pronunciare jus eſſet, ita affirmare. Omnium oculos in ſe convertebat [d] Bernardus e Foliaceno ordine, adhuc juvenis, nuper Henrico III rege concionibus notus apud populum; qui altero pede claudus, nuſquam certo loco conſiſtens, ſed huc illuc curſitans, modo in fronte, modo in agminis tergo, latum enſem ambabus manibus rotabat, et claudicationis vitium gladiatoria mobilitate

INTERPR. [a] *d'Aſte.* [b] *Roze evêque de Senlis.* [c] *Feuillans, Minimes, Cordeliers, Jacobins, Carmes.* [d] *Bernard de Montgaillard, appellé le petit Feuillant.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

mobilitate emendabat. Quae omnia cum intermiſtis epodis faciebant, atque hoc mimo militantis eccleſiae faciem exprimi jactabant; ſubinde illud ex B. Jobo repetentes, vitam hominis militiam eſſe, cujus militiae praemium ipſi in triumphanti eccleſia, hoc eſt, in coelis, olim eſſent reportaturi. Hoc ſpectaculum pauci praeter auctores ipſos laudabant, plures mirabantur, prudentiores indignabantur, tam ridicula pompa patientiae tot miſerorum hominum illudi, qui obtentu religionis, nulla neceſſitate cogente, tot periculis objicerentur. Ita praemunitis oppidanorum animis, minime neglecta a Nemoroſio vera praeſidia. Ludovicus [a] Hoſpitalius Vitrius, quem poſt Henrici mortem a rege defeciſſe diximus, in urbem evocatus venit, cum CL delectis equitibus, quibus ſtipendia numerabantur. Bernardinus Mendoza Philippicus orator exeunte Maio itidem venit; et revocati in urbem CIↃ IↃ Germani pedites, qui ſub [b] Collalto comite merebant, ante per vicina urbi loca diſtributi. Tum celebratae ipſo Aſcenſionis die ſupplicationes majore quam antea pompa, religioſis reliquiis et capſis ſacroſanctis circumlatis, quibus non jam monachi ridicule armati, ſed Nemoroſius ipſe, Claudius [c] Lotharingus Aumalii frater, qui peditatui praeerat, cum ceteris belli ducibus interfuerunt; et in principe urbis baſilica, ſupra majus altare, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ſe pro cauſa religionis vivere et mori paratos profeſſi ſunt, et urbem adverſus Navarrum defenſuros: idem ſacramentum paſſim a reliquis belli ducibus ac magiſtratibus dictum. Ad eos confirmandos et recitatae Meduanii literae, qui Perona ſcribens auxiliorum brevi ſummittendorum ſpem certam faciebat. Tum facta deſcriptione capitum et annonae, cenſa ſunt capita CC CIↃ, quibus alendis in menſem commeatus in urbe ſufficere repertus eſt. Reperti inſuper avenae CIↃ IↃ modii, ad extremam neceſſitatem ſepoſiti; et ex [d] Antonii Amici partibus addictiſſimi conſilio fit decretum, ut ſingulis piſtoribus in unaquaque regione ad id delectis ſextarius tritici, ea erat menſura quae duodecimam partem modii efficit, diſtribueretur IV aureorum pretio, qui panis libram duobus ſolidis cum ſemi plebi dare tenerentur. Ita in praeſens penuriae proſpectum; ſed, deficiente pecunia, cum plerique murmurarent, et tantam auri vim, undique ex bonis abſentium et aliunde corraſam, nullis redditis rationibus, paucorum libidine et avaritia abſumptam quererentur, ea ſeditionis principia quamprimum cardinalis Gondius urbis epiſcopus compoſuit; ſanxitque ut ex omnibus templis donaria aurea et argentea conflarent, cautione data poſt obſidionem pretium eorum reſtitutum iri. Inſuper Cajetanus ex pontificis pecunia, vix tandem ab eo extorta, in publicum contulit; et Mendoza panem in ſingulos dies ad ſublevandam tenuiorum miſeriam pro CXX aureis daturum promiſit.

INTERPR. [a] *de l'Hoſpital Sr de Vitry.* [b] *le comte de Collalte.* [c] *le chevalier d'Aumale.* [d] *Antoine l'Amy Marchand.*

JACOBI AUGUSTI THUANI
HISTORIARUM SUI TEMPORIS
LIBER NONAGESIMUS NONUS.

EPITOME.

BORDESERIA *Aureliano egreſſus Magdunum ad Ligerim et Caſtellodunum in poteſtatem redigit. Eo mox miſſus Aumontius, qui oppidum recepit. Urbe ad extremas anguſtias redacta ſenatuſconſultum factum, quo de pace cum Henrico Borbonio agere capitale erat. Crebrae inter haec velitationes.* II. *Dammartinum in Pariſienſi agro in poteſtatem regis venit: Dionyſii item fanum, quo capto in arcto urbs relinquebatur.* III. *Philippus Huraltus Cevernius cancellarius in aulam revocatur. Nivernius in caſtra regis venit, et cum delectis copiis Turenae vicecomes. Inſidiae ad intercipiendum Silvanectum a Ronaeo ſtructae ac detectae.* IV. *Irritum Cajetani cum Jo. Vivono Piſanii marchione colloquium. Suburbia omnia eodem tempore a rege capta. Magna in caſtris regiis ſecuritas, et incerta de Parmenſis adventu adhuc fama. Toto trimeſtri in urbe* XII *hominum* CIↃ *fame abſumpta.* V. *Condictus colloquio ad S. Antonii coenobium extra muros Gondio cardinali et archiepiſcopo Lugdunenſi locus, quo rex cum Cevernio cancellario et Birono equitum tribuno venit. Regis ad petitiones delegatorum reſponſum. Literae regis ad Nemoroſium.* VI. *Meduanii et mox Parmenſis cum toto exercitu ad Meldorum civitatem adventus. Nantolieta arx praeſidio valido firmata. Petri Delbenii ad Fanum-Dionyſii obitus.* VII. *Rex obviam hoſti cum toto exercitu proficiſcitur. Miſſus ad Meduanium fecialis qui proelii copiam faceret. Ad denunciationem reſponſum Parmenſis, qui interim Latiniacum oppugnatione capit.* VIII. *Rex, datis ad praefectos literis, irritae obſidionis caſum elevat. Dimiſſi belli duces in ſuas quiſque provincias. Rex Silvanectum concedit, ubi Jac. Faius Speſſaeus obit. Claromontium oppugnatione captum et arx dedita. Tavanius vicecomes et Falandrius a Guichio, Ragniaco, Sipetra, occurſu fortuito caeſi. Mirabellum in Pictonibus a Villoclaro Guerchio vi captum. Auguſtobona Tricaſſium magna cum regiorum jactura fruſtra tentata.* IX. *Corbolium a Parmenſi vi captum. Rex Giſſoriaco in agro Vexinenſi Turenae vicecomitem ad auxiliarem exercitum ſcribendum miſit.* X. *Corbolium a Givrio receptum. Irrita Menehildis-fani in Campania a Lotharingicis copiis obſidio. Poxium a Nivernio vi captum et direptum.* XI. *Rex Parmenſem cum rapta manu inſequitur. Corbia ab Humerio capta. Villafranca in Campaniae limite a Sanpaulo occupata.* XII. *Henrici Dumbarenſis in Armorica contra Mercurianum res geſtae. Auxiliaris ex Hiſpania exercitus Blavetum appellit, cui praeſto fuit Mercurianus. De Hiſpanorum in provinciam adventu literis ad invidiam in Mercurianum plenis apud Ordines expoſtulat Dumbarenſis. Loca in limite Armoricae et Cenomanorum ope Dumbarenſis recepta.* XIII. *Burdigalae Matignonus a ſenatu tandem obtinet, ut vetere regio ſigillo conflato novum cuderetur, in quo regis Henrici* IV *nomen et inſignia coelata erant. Rionium in Condomenſi agro receptum. Burgus in Garumnae et Duranii aeſtuario capitur, arce ſalva; quam Eſpernonius auxilio veniens, oppido abſcedentibus hoſtibus, penes ſe retinuit. Curiae belli tempore ad Fanum Joannis Angeriaci, Bergeraci et Montalbani, quae Proteſtantibus jus*

dicerent, inſtitutae, regio diplomate revocantur. XIV. *Sabaudo in Provincia ſegnaviter opponit Valeta. Diguierii contra Sabaudum res geſtae. Carſius ad Salonem poſitis caſtris a Valeta caeſus. Aquis Sextiis ſenatuſconſultum fit, quo legatio ad Sabaudum decernitur, ut patrocinium Provinciae contra ſectarios ſuſcipiat. A factioſis ei ad ingreſſum cuncta honorifice inſtructa. Accipitur intra urbem* XVIII *Kalendas Decembreis.* XV. *Diguierius ad Gratianopolim redit, et urbem conditionibus perſcriptis ab Albinio recipit.* XVI. *In Gexenſi praefectura capta Cluſura Genevenſes infeſtantur. Magna inter Juraſſum montem et Cluſuram vaſtitas. Gul. Cluniacus Conforginus Vianam fruſtra tentat. Ad Cruſilliam Neapolitani et Hiſpani ab eo caeſi.* XVII. *Virorum literis illuſtrium mortes: Fr. Hotomani juriſconſulti, Jacobi Cujacii juriſconſulti, Gul. Salluſtii Bartaſſii, Roberti Garnerii, Jo. Bapt. Benedicti, Joannis de Nores Cyprii, Julii Alexandrini, Nicodemi Friſchlini, Franciſci Salinae, Ambroſii Moralis. Diſpar Marci Bragadini et dignus vita exitus.*

EX AUCTORIBUS,

Actis publicatis, Regia ephemeride, Obſidionis Lutetiae diario, Joannis Monmartini commentariis rerum Armoricarum, Actis curiae Pariſienſis, Diguierii diario militari.

LIBER NONAGESIMUS NONUS.

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

SUB id, regiis copiis circa Lutetiam occupatis, Georgius [a] Babous Bordeſeria occaſionem nactus [b] Aureliano copias educit cum aliquot tormentis, et [c] Magdunum ad Ligerim epiſcopi caſtellum, quod a [d] Paludello Villanovano cum paucis tenebatur, poſt aliquot ictuum diſploſionem dedente praefecto recepit. Inde ulterius progreſſus [e] Caſtellodunum opulentum oppidum Longavillanorum ditionis, et ſuburbiis oppido potioribus cinctum, nullo negotio in poteſtatem accepit: nam locus fere debilis erat; et occupatis ſuburbiis oppidani, quorum opes in ſuburbiis erant, facile in deditionem conſenſerant. Quo cognito rex, etſi de loco, recuperatu quippe facili, haud valde ſolicitus, tamen quod in diuturna obſidione haerenti commeatu, qui copioſus ex [f] Belſia et vicinis locis in caſtra importabatur, ſibi opus eſſe, et Caſtelloduno ab hoſtibus inſeſſo ejus facilem ſubvectionem impediri provideret, eo Aumontium cum delectis copiis quamprimum mittit; cui ſe conjunxit Franciſcus Borbonius [g] Contius, copiis in [h] Turonibus, Cenomanis, Pictonibus per regis abſentiam deſtinatis praeeſſe juſſus. Primo impetu ſuburbia capta, moxque oppidum arbitrio victoris deditum, et quidam ex deditis extremo ſupplicio affecti: quod ul[illegible]tum ſubiti incendii, quod inter haec ſeu caſu ſive livore hoſtis locum tueri non valentis excitatum ampliſſima illa ſuburbia hauſit, ingenti oppidanorum jactura, quae ad C aureorum CIↃ et amplius aeſtimata eſt. Paulo ante Pariſienſes, quaſi ſerio de pace acturi, publico inſtrumento caveri a rege petierant delegatis ex ſuo ordine, qui ad Meduanium proficiſcerentur, eique denunciarent, niſi de pace univerſorum nomine quamprimum paciſceretur, fore, ut ipſi ſibi privatim conſulerent. Ii erant

Petrus

INTERPR. [a] *de Babou de la Bourdaiſiere.* [b] *Orleans.* [c] *Meun ſur Loire.* [d] *Palluau Sr de Villeneufve.* [e] *Chateaudun.* [f] *Beauſſe.* [g] *le prince de Conti.* [h] *Touraine, le Maine, & Poictou.*

Petrus Eſpinacus archiepiſcopus Lugdunenſis, [a] Vitrius, duo e ſenatorio ordine, et [b] Brigardus urbis cognitor. Et rex pacis cupidus poſtulatis annuerat: ſed, interceptis ſub id literis cujuſdam, quibus apparebat longe diverſum legationis ipſorum propoſitum eſſe, nimirum ut obſeſſos ad extrema paratos oſtenderent, modo aliqua auxiliorum ſpes eſſet, de quibus coram cum Meduanio et aliis belli gerendi rationibus acturi erant, rex gratiam conceſſam revocavit, productiſque literis, quam parum ſincere ſecum agerent, ipſis demonſtravit; continuoque ad Pariſienſeis [c] Aubervilleria, quo ex Picardia rediens ſibi hoſpitium ſumpſerat, XVII Kalend. Quintil. ſcribit, et cauſas, cur cautionem revocaſſet, aperit, monetque ut mature ſe reſpiciant, neque hominibus ex deſperatione ipſorum et imprudentia privatum commodum captantibus aures ulterius praebeant, neque alienae ambitionis et inſaniae periculum in ſe potius ſuſcipere quam ſuae clementiae experimentum facere velint: adhuc integra manere inter eos omnia, et regi voluntatem ad eos in gratiam recipiendos, et ipſis obſequium ad gratiam regis demerendum ſupereſſe: quapropter extremae neceſſitati praevertant, ne ſerae poenitentiae fructus pereat, et gratia ſpreta in juſtum furorem vertat. Hae literae, ſive non lectae, aut a factioſis calumnioſe acceptae, parum momenti apud obſtinatos animos habuerunt; qui, ut conſtantiam ſuam intempeſtiva vanitate oſtentarent, ſenatuſconſultum eodem die fieri curant, quo ſub capitis poena enixe prohibebatur, ne quis de pace cum Henrico Borbonio facienda agere aut ſermonem injicere auderet, ſed omnes [d] Nemoroſii tanquam urbis praefecti et ſummi armorum ducis dictis audientes eſſent. Toto Junio interim levibus eruptionibus certatum fuit, rege, nunc diſpoſitis in [e] Montefalconio tormentis, mox in [f] Montem-martyrum tranſlatis, in urbem fulminante. Acerrime pugnatum eſt pridie Eidus Junias, et triduo poſt inter Givrium et Vitrium arcta cognatione conjunctos, et extra cauſam belli amiciſſimos; qui aliquandiu fide data collocuti, poſt complexus utrinque datos, ſtatim ſoluta fide arma expediunt; et a laſcivia ac vanitate militari initium factum mox in cruentam pugnam exiit, multis ex Givrianis graviter ſauciatis, et in iis [g] Sarreto juvene ſtrenuo, qui paulo poſt ex vulneribus deceſſit. [h] Sanpaulus ab exercitu Meduanii digreſſus [i] Meldorum civitatem venit, et per [k] Matronam fluvium oram legens commeatus copiam ſubvehit, et obvium in itinere navigium per [l] Livriacam ſylvam incedens intercepit, et incolumis, perruptis regiorum inſidiis, Lutetiam pervenit; ac triumpho ſimilis homo ſuperbus, et magno beneficio ſibi obnoxios habere Pariſienſeis viſus, urbem ingreſſus eſt. Menſe Quintili proximo inter velitarias illas incurſiones, eruptione a Pariſienſibus facta, Carolus [m] Colinius Andelotus Caſtellionaei frater [α] captus eſt, magna gratulatione ab oppidanis exceptus; honorumque blandimentis poſtremo ineſcatus foederatorum unioni ſubſcripſit, et operam ſuam Nemoroſio addixit, multum dehortante Caſtellionaeo fratre, qui in regis caſtris erat, et eum acerbe increpante, quod a rege ſuo defeciſſet, ut capitalium familiae ſuae inimicorum, atque adeo Pariſienſium, qui parentem ipſius perfidioſe occiſum ignominioſe per vicos [β] tractum raptaverant, partes ſequeretur.

II. INSESSIS circa urbem aditibus et prohibitis fluminum ſubvectionibus ſuperabat caſtrum [n] Vicennarum altero ab urbe lapide, locus munitiſſimus, [o] Dammartinum Momorantianae ditionis ditiſſimum municipium in agro Francico [γ] VII ab urbe

VAR. LECT. [α] captus eſt, ex compacto, ut poſtea creditum eſt; quippe magna gratulatione mox ab oppidanis exceptus, quibus adeo odioſum fuerat olim Gaſparis parentis maris praefecti nomen; honorumque blandimentis *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

[β] tractum ad furcas Monfalconias capite inverſo ſuſpendiſſent, partes ſequeretur. *MS. Samm.*

[γ] X ab urbe *MS. Samm.*

INTERPR. [a] *de Vitry.* [b] *Brigard procureur de la ville.* [c] *Aubervilliers.* [d] *le duc de Nemours, gouverneur de la Ville.* [e] *Montfaucon.* [f] *Mont-martre.* [g] *Sarret.* [h] *le Sr de S. Paul.* [i] *Meaux.* [k] *la Marne.* [l] *de Livry.* [m] *de Coligny Sr d'Andelot, frere de monſieur de Chaſtillon.* [n] *Vincennes.* [o] *Dammartin.*

urbe leucis, quod copioſa annona abundabat, arce veteri firmum, et [a] Dionyſii-fanum; quae ab hoſte adhuc tenebantur; ad quae admotae copiae. Dammartini obſidioni praeeſſe juſſus Carolus Robertus [b] Marcianus Maulevriae comes. Rex Dionyſii-fanum arcte cingebat, in quo ſumma omnium rerum penuria erat; et cum ab urbe jam ad extremas anguſtias redacta, nec niſi avenaceo pane victitante, fruſtra auxilia exſpectaret, accidit, ut aliquot equites Lutetia ſummiſſi per ſegetes jam praealtas depreſſis callibus incedentes ſtationarios fefellerint, et in oppidum penetraverint, allatis ſecum exiguo numero panibus. Dum noſtri jam praetervectos nequicquam perſequuntur, [c] Brignelius legionis tribunus in crure minori tormento ictus eſt, quo ex vulnere poſtea deceſſit, magno ſui relicto deſiderio. Praeſidiarii autem, pane allato, cum quanta in anguſtia Pariſienſium res verſarentur viderent, mature rebus ſuis conſuluerunt. Itaque III Non. Quintil. conventum hac lege, ut, niſi intra triduum commeatu et milite obſeſſi juvarentur, oppidum dederetur. Toto illo tempore actae diligenter excubiae, quibus rex ipſe in armis tota nocte vigil interfuit; ac tandem quarto poſt die oppidum traditum, in quo numerati IↃ CC praeſidiarii, ducibus [d] Picardo Vaudargentio, [e] Burgo, et Canterio; qui incolumes dimiſſi et in tutum deducti ſunt cum minore colubrina, ſic enim convenerat. Dammartinum paulo poſt deditur, et [f] Botillerius Vignelius e vicina nobilitate loco cum praeſidio impoſitus. Ad Vicennarum caſtrum majus negotium fuit, quod ſaepius aſtu tentatum, et contrariis praefecti inſidiis eluſo conatu, in hoſtium poteſtate manſit uſque ad urbem captam.

III. EODEM tempore rex Philippum [g] Huraltum Cevernium Franciae cancellarium in aulam, ut munere ſuo defungeretur, evocat, miſſo ad eum cum benevolis literis Jacobo Auguſto Thuano ſororio. Is poſtquam a rege defuncto domum remiſſus fuerat, ſicuti ſuo loco diximus, [h] Eclimontiana in arce agri Carnotenſis ſe continuerat, erga [i] Autrici vicini oppidanos, quippe provinciae praeſes, comiter ſe gerens, et quibus poterat officiis regis res in occulto adjuvans. Cum vero poſt Henrici obitum ſigilla regia, quorum procuratio Franciſco [k] Montolonio credita fuerat, ſive ultro cedente ipſo, ſive invito adempta eſſent, et initio [l] cardinali Vindocino commiſſa, mox, cum ea rex penes ſe habere vellet, a Vindocino, qui [m] Caeſaroduni Turonum procul a rege erat, repetiit. Cum vero nulli certae perſonae attributa a Martino [n] Ruzaeo quatuorviro a ſecretis epiſtolis cuſtodirentur, ſaepe accidebat, ut Armannus Bironus armorum ſecundum regem ſupremus dux, et Franciſcus Dous aerarii praefectus, haud bene inter ſe concordes, cum concilium haberetur in diplomatis obſignandis diſſiderent, et alioqui ab hominibus regiarum conſtitutionum et juris antiqui ac noſtri ignaris, quae illum gnaviter ſcire oportet qui tanto magiſtratu ornatus eſt, cuncta negotia perverſo ordine agerentur, magno regiae exiſtimationis detrimento. Itaque Doo annitente revocari Cevernium placuit; qui ſtatim paruit, et pridie quam Fanum Dionyſii deditum eſt [o] Aubervilleriam ad regem venit, ab eo perhumaniter exceptus, et laetitiam ex ejus ad aulam reditu in ſpeciem [illegible] ipſo Birono, qui moleſtis cum Doo contentionibus per Cevernii praeſentiam fi[illegible]impoſitum gaudebat. Rex tum forte in caſtris habebat circiter X CIↃ peditum et III CIↃ equitum; quorum numerus, fama memorabilis victoriae per totum regnum crebreſcente, mirum in modum auctus eſt. Nam [p] Contius cum delectis ex [q] Pictonibus, Andibus, Cenomanis, Turonibus copiis in caſtra venit, poſt [r] Caſtellodunum

receptum;

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *de la Marck comte de Maulevrier.* [c] *de Brigneul.* [d] *Picard Sr de Vaudargent.* [e] *les ſieurs du Bourg & de la Chanterie.* [f] *de Bouthillier Sr de Vineuil.* [g] *Hurault de Chiverny.* [h] *Eclimont au pays Chartrain.* [i] *Chartres.* [k] *de Montholon.* [l] *le cardinal de Vendoſme.* [m] *Tours.* [n] *de Ruzé ſecretaire d'Eſtat.* [o] *Aubervilliers.* [p] *le prince de Conti.* [q] *Poictou, Anjou, le Maine, & Touraine.* [r] *Chateaudun.*

receptum; et Ludovicus Gonzaga [a] Nivernii dux, qui, diu quid ageret ambiguus, poſtquam Cajetanum ad partes tranſiiſſe et nullam in concordia ſpem ſupereſſe vidit, ex Euriacenae pugnae eventu conſilium cepit, et, praemiſſo Mario Birago cum praeterita excuſaſſet, cum delecta nobilitate ad regem venit. Venit poſtremo ex [b] Aquitania longo tempore exſpectatus Henricus [c] Turrius Turenae vicecomes, ex gravi morbo, et lethali diu credito, recreatus, et tamen adhuc in lectica decumbens, cum CIↃ delectis equitibus et IV CIↃ peditum egregie inſtructis. Tunc et allatum de [d] Aumalio ab [e] Humerio caeſo, cum caſu in illum numero firmiorem cum minoribus copiis improviſus incidiſſet: ſed victrici regiorum fortunae ac Humerii virtuti contra homines vinci ſolitos nihil conatu arduum aut ſucceſſu dubium erat. Allatum et ſub id de inſidiis ad intercipiendum [f] Silvanectum ab hoſte ſtructis, quarum ſucceſſum eventus pariter fruſtratus eſt. [g] Dezonvilla Viepontii Saintinae frater antea captus, et diu ſub cuſtodia Silvanecti aſſervatus, cum quibuſdam e ſacro ordine fere otioſis, quorum magnus in exiguo illo oppido proventus eſt, egerat de prodendo Silvanecto, et convenerat. Oppidani ob aſſertam initio contra foederatos libertatem, et plerique ex honeſtioribus Lutetiae familiis, qui factionis infeſtae furorem fugientes pretioſiore ſupellectile ſecum aſportata domos reliquerant, et illuc tanquam in portum tutiſſimum confugerant, cum ſibi ab inſidiis timerent, hujuſmodi homines et alios vitae perditae e faece plebis tanquam ſuſpectos diligentius obſervabant. A coctore cerviſiae, qui Franciſcanis induſtriam ſuam addixerat, conjuratio detecta. Is inter confabulandum ab illius coenobii ſodalibus, incaleſcentibus mero, dum ante focum in opere aſſidui ſunt, animis, inaudiverat, brevi fore tempus, ut Sectariorum jugo excuſſo ipſi priſtinam libertatem recuperarent, et de peſtiferis Politicis ultionem ſumerent: quod ſi ſuccederet, nulli Pariſienſium, et eorum qui prioris ab unione defectionis in oppido auctores fuerant, parcitum iri; nam decreviſſe conſcios in cunctos ad internecionem ſaevire. Ad mentionem tam ſaevae lanienae exhorruit cerviſiarius, et tamen horroris ſenſum preſſit, ac ſermonem cum fratribus proſecutus eſt, quouſque de die executioni deſtinata cognovit; continuoque ad Gulielmum [h] Momorantium Thoraeum pergit, monetque ut ſibi ab illa nocte (ea erat media inter V et IV Non. Quintileis) duplicatis ſtationibus caveret, ſuppreſſis tamen conſciorum, quaſi ea ignoraret, nominibus, ne amicis alioqui hominibus negotium faceſſeret. Ita autem ordo inter conjuratos ex Chriſtiani [i] Savinii Ronaei, qui expeditionis dux futurus erat, conſilio componitur: XII delecti manu prompti in urbem introducuntur ruſticorum habitu, cum ſportis, quaſi ceraſa, piſa, fabas, olera vendituri; qui mox ſinguli ſe per diverſoria recipiunt, atque inde ſimul omnes in domum cujuſdam S. Reguli collegii ſodalis, nomine [k] Guillotii, ex adverſo pomoerii conveniunt, quo jam ſacerdotes et monachi conſcii arma, a militibus illis in luco proximo extra urbem depoſita, ſub religioſo amictu celata attulerant. Pomoerium ab illa parte valde anguſtum intus et humile: foſſa extrorſum paulum acclivis erat, neque admodum profunda, ita ut per eam aſcenſus facilis eſſet. Die condicta cum Ronaeus cum CIↃ CCC veniſſet nocte illuni et in foſſam deſcendiſſet, applicatis ad murum ſcalis forte delecti aſcendunt, et jam ad pinnas muri pervenerant, cum Ludovicus Momorantius [l] Bottavilla Thoraei vicarius ab eo monitus ſupervenit, et poſt eum [m] Porta Bottavillae legatus. Bottavilla, qui ſaepius repetitis indiciis fatigatus ea contemnere coeperat, ſolus et inermis, tantum gladio accinctus, venerat; percontatuſque a ſpeculatore,

INTERPR. [a] *de Nevers.* [b] *Guienne.* [c] *de la Tour vicomte de Turenne.* [d] *le duc d'Aumale.* [e] *le Sr d'Humieres.* [f] *Senlis.* [g] *de Dezonville, frere de Vieuxpont Sr de Saintine.* [h] *de Montmorency Sr de Thoré.* [i] *de Savigny Sr de Rosne.* [k] *Guillot chanoine de S. Rieule.* [l] *de Bouteville.* [m] *la Porte.*

CIↃ IↃ XC. HENRICUS IV.

ſpeculatore, ecquid ſtrepitus in foſſa ſenſiſſet, cum ille negaret, eo magis timere et attentior ad ſtrepitum eſſe coepit. Tum primi, qui aſcendebant, ſummiſſas voces quaſi ad conſcios mittere, et Bottavilla ut conſcius ad eas itidem ſummiſſa voce reſpondere, et, quanquam caſu ſubito perculſus, cum ſibi tam a ſpeculatore ipſo quam ab hoſte timeret, minime tamen, ut erat praeſenti animo, ſe deſerere; pinnamque muri, quam jam unus e militibus manu ferrea prenſabat, toto corporis niſu molitus, a reliquo muro forte avulſam in aſcenſores demiſit, et ruinae pondere confractis ſcalis eos in foſſam deturbavit, nuſquam ſe moventibus, qui in proxima domo latebant, conſciis; quantumvis eos ut in pomoerium vim facerent hortante, et cum conviciis ignaviam cunctantibus exprobrante, hoſpite Guillotio; cui ſi fidem illi habuiſſent, conatum exitu non cariturum fuiſſe plerique crediderunt. Fragore ſcalarum ruptarum et armatorum concidentium experrecti ſtationarii mox ad arma conclamant, pulſatoque tintinnabulo oppidani cum facibus et telis accurrunt; quibus ſubnixus Bottavilla pomoeria urbis cum iiſdem inermis, a quibus antea metuebat, ſecurus circuit; comperitque ad illam partem, ad quam ruina tempore obſidionis facta fuerat, hoſtem etiam ſcalas admoviſſe, ſed, ſtrepitu ſociorum poſt irritum conatum dilabentium exaudito, aufugiſſe. Nox inter paventium et gratantium, conſcioſque aut ſuſpectos per domos veſtigantium, diſcurſationes tranſacta. Albeſcente die unus ex hoſtibus crure fracto a ſociis relictus in foſſa repertus eſt; qui in urbem illatus, facta veniae ſpe ſi ordinem conjurationis et complices detegeret, omnia aperit; ex ejuſque indicio in Guillotianae domus cella latentes XII ſocii, quorum dux Gratianus, capiuntur: ex quorum confeſſionibus rurſus, cum tormentis ſubjecti eſſent, conſcii in urbe noſcuntur. Capti circiter ſeu monachi ſive alii e ſacro ordine XXVII; qui interrogati ac convicti, eodem in amictu, nulla characteris aut fori praeſcriptionis ratione habita, utpote in flagranti delicto deprehenſi, tanquam perduelles extremo ſupplicio cum XII militibus afficiuntur. Ex iis juvenes quidam ſubeunte poenitentia ultro faſſi ſunt, a Ronaeo ipſis proditionis pro praemio promiſſum fuiſſe, ut de virginibus et mulieribus formoſis, quae in oppido erant, ac praecipue exulum uxoribus, pro arbitrio ſtatuere poſſent; deſcriptione ipſarum facta, ut quas quiſque habiturus eſſet certo conſtaret.

IV. Irrito contra Silvanectum conatu attoniti Pariſienſes, cum, urgente fame, et jumentis, equis, aſinis, nec non et canibus, catis muribuſque, quorum carnes foeda neceſſitas obſtinatis ad extremam patientiam animis in uſum verterat, abſumptis, ſolita inſolitaque alimenta deeſſent, ut interim tempus extraherent, dum Meduanius cum auxiliari exercitu, cujus ſpem in dies faciebat, adveniret, per cardinalem Cajetanum cum Jo.[a] Vivono Piſanii marchione quondam regis apud pontificem oratore colloquium poſcunt, et fide utrinque data Cajetanus cum Gondio cardinali ad Hieronymi Gondii aedeis in Sangermano ſuburbio venit; quo et Piſanius permiſſu regis acceſſit: vagiſque de regni et religionis cum regno periclitantis exitio ſermonibus habitis, cum cardinalis peteret ut totum negotium pontifici [illegible] permitteretur, interimque, dum de eo pro auctoritate ſua ſtatueret, obſidio ſolveretur, et induciae ab utraque parte pangerentur; Piſanius contra pugnaret, et regem non prudenter facturum diceret, ſi, prius quam Pariſienſes ipſi debitum obſequium praeſtitiſſent, arma deponeret; utrinque re infecta diſceſſum eſt. Id ſemel atque iterum fruſtra repetitum. Eodem tempore per Mericum [b] Barbeſerium Cemeraldum, qui in regis caſtris erat, [c] Villaregius itidem regis animum tentavit, obtentu ſalvi conductus, quem, ut regno excederet, ab eo petebat. Rex vero, qui jam ad extremam egeſtatem redactos obſeſſos ſciret, obſidionem arctius urgere inſtitit, et ſuburbia

urbis

INTERPR. [a] *de Vivone marquis de Piſany.* [b] *de Barbezieres Sr de Chemeraud.* [c] *de Villeroy.*

urbis ſimul eodem tempore occupare decrevit. Itaque Carolo [a] Birono negotium datum, ut cum Joannis [b] Gardae et Joannis Bodeani Paraberi legionibus in Sammartinianum, Gulielmo [c] Altamero Fervacio cum [d] Vignelii et Motae-Tibergii legionibus in Sandionyſianum, vim facerent. Franciſcus [e] Spinaeus Sanlucius cum [f] Magezii legione portam [g] Monti-martyrum oppoſitam inſidere juſſus. Bironus parens equitum tribunus cum praetoriana legione et altera Helvetiorum S. Honorati ſuburbium capiendum ſuſcepit. Trans [h] Sequanam miſſi [i] Aumontius equitum tribunus et Joannes [k] Bellomanerius Lavardinus caſtrorum praefectus; qui, S. Germani ſuburbio occupato, ad [l] Buſſianam et Nigellanam portas excurrerent. Franciſcus Colinius Caſtellionaeus, qui nuper ex Septimania cum CIↃIↃ peditibus et CCCC equitibus venerat, ad S. Michaelis, S. Jacobi, S. Marcelli, et S. Victoris ſuburbia capienda deſtinatus. Impetus eodem veluti momento a cunctis ſactus, nocte jam profunda, quae VIII Kal. Sextil. praeceſſit, ſpectante rege ex Monte-martyrum; et poſt exiguum certamen regii ſuburbiis potiti ſunt, defenſoribus ex pomoerio fruſtra ſe oſtentantibus, et irritos ictus in eos jaculantibus. Poſtridie A. Bironus duas muraleis machinas contra portam S. Honorati dirigit, et munitiones eam cingenteis demolitur. In Sangermano ſuburbio, licet loco a noſtris occupato, coenobium tuebatur [m] Ant. Mutinenſis cum L militibus; qui biduo poſt ſuperveniente rege, cum vitam toto eo tempore herbis et virgultis toleraſſet, deditionem fecit. Demum, crebreſcente fama de Meduanii adventu, nam adhuc incertum in caſtris regiis erat, Parmenſis ipſe veniret, an auxiliarem exercitum Carolo Mansfeldio duce mitteret; rex tot viribus ſubnixus, initio partem earum ad obſidionem relinquere, cum parte obviam hoſti proficiſci, decreverat: tantaque ſecuritas noſtrorum animos invaſerat, quaſi jam urbem in poteſtate haberent, adulatoribus cuncta ſecunda in horas nunciantibus, ad gratiam, aut quo regem ab oppugnatione tentanda revocarent, ut prius [n] Meldorum civitatem Parmenſis cum exercitu venerit, quam de ejus adventu regi conſtiterit; et nihil toto eo tempore regii contra urbem ſint moliti, quam vel ſola oppugnationis ſimulatae oſtentatione ad deditionem compellere potuiſſent: ſiquidem ſumma erat omnium in ea animorum conſternatio, et ob alimenti penuriam tanta corporum debilitas, ut vix ferendis armis, nedum ad ſuſtinendum integrorum impetum, praeſidiarii aut oppidani pares eſſent. Jam enim abſumptis carnibus tenuiores, virgulta, ſtirpeis et internatas ſaxis herbas vellentes, aegre vitam tolerabant; plerique ac pueri fere avidiores polenta ex avenae furfure decocta, Bernardini Mendozae conſilium ſecuti, victitabant; cujus plenas ollas, nec non herbarum ſine ſale coctarum, per plateas et frequentiores vicos expoſitas videre erat; talemque victum foedi morbi ſequebantur, et inflati paene omnes ventre albo ac cruribus tumidis deficiebant, quotidieque multi acervatim in vicis moriebantur; miſerabile utique ſpectaculum: quod tamen concionatores impudentia ſumma elevabant, beatos eos praedicantes, et conſtantiam in religionis cauſa artificioſis laudibus extollentes, facta interim ſpe ut propediem auxilia advenirent; qua fiducia miſeri auditores, quamvis deſperabundi ad concionem veniſſent, ad patientiam compoſito animo domum redibant. Plus XII CIↃ toto trimeſtri fame periiſſe memorant, qui vero majora non fingunt; ululatibus et horrendis moribundorum gemitibus vici paſſim perſonabant, et per noctis ſilentium triſtes jacentium ſub dio voces bene valentibus ſomnos adimebant. Quibus melius erat, pane admodum parce utebantur;

et

INTERPR. [a] *le baron de Biron.* [b] *de la Garde, & de Baudean Sr de Parabere.* [c] *de Hautemer de Fervacques.* [d] *de Vigneles & la Motte-Tibergeau.* [e] *d'Eſpinay Sr de S. Luc.* [f] *de Mageſieu.* [g] *Montmartre.* [h] *la Seine.* [i] *le mareſchal d'Aumont.* [k] *de Beaumanoir Sr de Lavardin, mareſchal de camp.* [l] *portes de Buſſy & de Neſle.* [m] *il capitan Antonio Modeneſe.* [n] *Meaux.*

CIↃ IↃ XC. HENRICUS IV.

et Cajetanus ac Mendoza tantum VI uncias panis viritim in dies domeſticis admetiebantur. In coenobiis complures dies ſine pane tranſegerunt. Germani, genus ferox, canes, qui ad cuſtodiam domorum a pleriſque alebantur, plerumque ſcabioſos, in angiportibus obſervabant, et blanditiis attractos mox collari injecto ſtrangulabant, diſcerptaſque carnes adhuc crudas prae fame cunctis ſpectantibus devorabant: iiſdem pellibus et coriis caeſorum animalium veſci pro lautiſſimo cibo erat: et, quod Hieroſolymis accidiſſe ſemel atque iterum traditum eſt, etiam humanis carnibus non abſtinuiſſe, pueroſque fame enectos in cibum vertiſſe, conſtat. Quod tamen caute a concionatoribus aliiſque urbis moderatoribus ſuppreſſum fuit, ne facti horrore pertinaciae ſemel in plebis animis accenſae ardor reſtingueretur. Nec melior poculentorum quam eſculentorum conditio fuit, oenopoliis, in quibus generoſa vina antea proſtabant, in cerviſiarum inſipidarum et ptiſſanarum male coctarum officinas converſis. Cum vero a B. Mendoza aliquando mentio injecta eſſet extremae neceſſitatis ſubſidii, quo Turci a Perſis in quodam caſtello obſeſſi uſi erant, tuſis cadaverum oſſibus, et ex iis farina confecta, multi quaſi ab homine Hiſpano ad Gallorum tanquam ſub jugum miſſorum patientiam tentandam commentum repertum primo exhorruerunt, ac tandem eadem neceſſitate victi uſurparunt. His malis accedebat omnium rerum caritas: nam libra ſiliginei panis aureo, libra butyri II aureis, ſextarius modii frumenti C aureis vaenibat; et, penuria ligni, aedificia a dominis deſerta tignis et trabibus, ſumma urbis deformitate, nudabantur. His miſeriis oppreſſi Pariſienſes ad Meduanium Nonis Sextilibus ſcribunt, et quibus anguſtiis conflictentur oſtendunt; periculum non ſolum urbis, ſed religionis, in calamitate ipſorum verti; proinde videat, ne quae conſtantiae ceteris regni provinciis exemplo ſuo praeivit, ea in exemplum iiſdem proprio exitio ſit, ne tam conſtantes in fide ſervanda maneant. Biduo poſt Henrica Sabauda Meduanii uxor ad maritum dat literas, obteſtaturque per communes liberos, nam, quantum ad ipſam pertinet, vitam ſe propriam parvi facere, niſi jam cum Parmenſi conjunctus recta in itinere ſit ut obſidionem ſolvat, diſerte ac citra fucum perſcribat, qua ratione ſibi liberiſque conſulere debeat: nam eo ventum eſſe, ut, ſi mora vel tantilla interponatur, ipſi ad ultionem crudeliſſimi hoſtis ſine conditione exponantur.

V. INTEREA in urbe tumultuatum fuerat, facto concurſu in [a] Palatii area quorundam panem aut pacem confuſis clamoribus petentium; quibus, vi ab equite [b] Aumalio et Sexdecimanis oppoſita, compreſſis, Renardus in imis ſubſelliis cognitor comprehenſus, quod ſe ducem veluti tumultuantibus praebuiſſet, ad ceterorum terrorem patibulo ſuſpenſus eſt. Majorem motum veriti Cajetanus et Mendoza, ut plebem aliqua ſpe lactarent, et oppugnationis impediendae occaſionem quaererent, de pace inter regem, quem Navarrum vocabant, et Meduanium facienda mentionem injiciendam curant, et auctoritate ſenatus, in aula D. Ludovici congregati, ad regem deſtinantur legati cardinalis Gondius et archiepiſcopus Lugdunenſis, aliique e ſacro ordine, cum mandatis, ut cum rege colloquendi ad [illegible] contenderent. Iis a rege fide interpoſita cautum, ut ad ſe venire poſſent, et inde, ſi convenire inter eos poſſet, ad Meduanium tranſire. Condictus colloquio ad [c] S. Antonii coenobium primo ab urbe lapide locus, quo venit rex cum principibus ac proceribus, [d] Cevernio cancellario ac Birono equitum tribuno. Pro Pariſienſibus verba fecit cardinalis Gondius; et deplorata regni calamitate publica, adductiſque pleriſque in eam rem exemplis, ut pro religione populos extrema cuncta perpeſſos oſtenderet; quibus malis ut finis imponatur, hanc provinciam a ſenatu et urbis

INTERPR. [a] *la cour du Palais.* [b] *le chevalier d'Aumale & les Seize.* [c] *le petit S. Antoine.* [d] *de Chiverny.*

urbis ordinibus demandatam ſuſcepiſſe, ut ad ipſum venirent, et inde ad Meduanium tranſirent, ad religionis in tuto conſtituendae et pacis inter utrumque ſarciendae incundas rationes. Id multis verbis cum explicuiſſet Gondius, nobilitate circumfuſa et ipſos premente paulum turbatus, rex moleſtiam illam ad delegatos converſus feſtivo juxta et opportuno dicterio excuſavit; nimirum condonandum eſſe illis, qui tam arcte in acie hoſtem premere conſueſſent, ſi regi ſuo interdum moleſti eſſent. Tum Gondium et Lugdunenſem ſeducit, et cum ſingulis aliquanto tempore ſermocinatur. Dein dimiſſis iis in conclave ingreſſus cum conſiliariis ſuis ſuper reſponſo deliberavit, et ante omnia per Ludovicum Revolium mandata ipſorum exhiberi voluit; quae licet manca eſſe et fraudis dolique ad tempus extrahendum plena judicaret, ad haec mentionem ſui non ſatis digne in iis factam animadverteret, tamen admiſſos delegatos hoc acri reſponſo dignatus eſt: nulli magis quam ſibi publicam calamitatem dolere; ſiquidem ad ſingulos privatum cujuſque damnum, ad ſe tanquam regem univerſorum ſenſum pertinere: proinde nulli remediorum malis pernicioſis a foederatione peſtifera exortis quaerendorum curam propiorem eſſe: hoc bello et regem nefarie occiſum, et ſempiterna infamia nomen Gallicum commaculatum: enimvero ſe aequo animo laturum, ſi ſenatus Venetus, aut alius foederatus princeps, ad motus inter ſe Meduaniumque Hiſpanorum viribus ſubnixum componendos, partes ſuas interponeret; id vero Pariſienſeis ſibi ſubditos tentare, nulla ratione excuſari poſſe: illos, ſi quid a ſe deſiderant, id a ſe petere debere, qui et plurimum illis nocere, ſed multo plus gratificari poſſit, et vero velit: ſe regni ſui principem civitatem, tanquam patrem filiam primogenitam, complecti, eodemque plane affectu proſequi, quo parens illa, quae filium amittere quam in partes ſecaretur conſentire maluit: hactenus populorum in Gallia aures et animos vanis terroribus aſtu hoſtium impletos; nunc et vana ſpe duci: ſi malis levamentum quaerant, ſic velle ac jubere, ut non alii quam ſibi tantum beneficium debeant, non id ab ope Hiſpanorum aut Meduanii interventu exſpectent: nam aſpirante Dei gratia, tantaque principum ac procerum et belli ducum, adeoque numeroſae nobilitatis, quam ſecum trahat, conſtantia, abunde ſibi virium fore, ut impediat, quo minus rex Hiſpaniae colonias, ut in Braſiliam, ſic in Galliam deducat: pudere ipſos debere, qui ſub coelo Francico nati ſunt, quod patriae libertatis obliti tam prona cervice jugum Hiſpanorum induant, et, ſive metu, ſive praepoſtera diſſimulatione, interim tot homines miſera fame perire ante oculos patiantur, potius quam quidquam pro ſalute publica mutire audeant, quo Cajetanus, aut Didacus Ibarra, aut B. Mendoza offendantur: atqui Deum ultorem fore, et decies mille animas intra x dierum ſpatium fortaſſe perituras ab ipſis repoſciturum, qui ovium curae ſuae commiſſarum de ſalute parum ſe ſolicitos oſtendant: nec exemplis ſecum pugnandum; nam quod de Sancerranis adducitur ad rem minime facere, quippe quibuſcum praeter religionis cauſam, de bonis, dignitate, ac vita certaretur: at nihil Pariſienſibus tale metuendum, dummodo mature, et dum licet, ſecum in gratiam redeant, et oblatas conditiones accipiant: nec audiendos eſſe qui urbem hoc rerum ſtatu deditam funditus everſum iri clamitant: falli et fallere eos, qui haec ad alienandos animos calumnioſe aut impudenter comminiſcuntur: perſpectam cunctis ſuam fidem eſſe ac clementiam; nec urbe dedita ullos ex ea niſi forte Sexdecimanos migraturos, quorum loco c capitum CIↃ ſint ſucceſſura: omnibus ad ſe patere aditum, nulli gratiae portam praecluſam: moram ſibi omnem regno urbique detrimentoſam videri: nuper Meduanio per Briſſacum ſignificaſſe, ultro ſe unius digiti manus mutilatione redempturum proelii aleam, quippe de victoria certum: ſin pacem malit, etiam libentiſſime duos digitos amiſſurum: ſcire quibus anguſtiis urbs conflictetur, pane avenaceo victitans, ut

ſcilicet regi Hiſpaniarum rem gratam faciat; qui nuper ad Parmenſem ſcripſit, ſe Belgii periculum Lutetiae amiſſioni, quaſi jam urbs ſua ſit, poſthabere: atqui Pariſienſeis, qui tam infirmo ac fragili praeſidio nitantur, in caducum parietem inclinare, quippe [a] regis jam ſenio fracti ac debilitati opem implоranteis, atque hoc agentis, ut florentiſſimum hoc regnum diſſipet, et quot proreges in Indiis, tot tyrannos in Gallia conſtituat: ſibi, quod deceſſores ſui fortaſſe non habuerunt, extra ſucceſſionis legitimae ordinem, quo ad regnum vocatur, praepotenteis clientelas et affinitates cum principibus et cunctis proceribus intercedere; quibus ſubnixus, ſi regni jus ad electionem devolutum eſſet, ſperare poſſit, non alium quam ſe concordibus omnium ſuffragiis in regem electum iri: iiſdem nunc etiam fretum ſperare, ut brevi rubrae cruces, hoc eſt Hiſpani, ex urbe principe, atque adeo ex omni Gallia, eliminentur; qui ſi diutius ferantur, ipſum non ſolum Meduanium, ſed etiam eos omnes qui illos tanquam auxiliareis introduxerunt, ejecturi ſunt, immanium ſuppliciorum in ea tanquam in celeberrimo orbis theatro formidanda ad omnem poſteritatem exempla edituri. His dictis, et mandatis prolatis, quanquam ea defectus plena eſſe appareret, tamen, ne verbis inſiſtere potius quam rei ipſi rex videretur, has leges Pariſienſibus proponit: licere ipſis ut Meduanium intra VIII dierum ſpatium conſulant; modo ante omnia de conditionibus dedendae urbis conveniatur, obſideſque dentur, quae convenerint bona fide impletum iri; ſi intra illud tempus Meduanio adveniente obſidio non ſolvatur, pacta conventa ſerventur; ſin contra, rex obſides libertati reſtituat. Tum, ut ſe pacis perquam ſtudioſum omnibus approbaret, cardinali Gondio et archiepiſcopo Lugdunenſi poteſtatem facit, ut ad Meduanium adeant, et cum eo de pace agant; in qua ſi conveniat ut urbs comprehendatur, conditiones deditionis irritae habeantur; ſin contra, neque obſidio ſolvatur, neque de pace generali intra octiduum conveniatur, deditionis leges impleantur. Haec ſummo ornatu et temperamento verborum acta; quibus addita multa a rege quaſi affectu paterno communem vicem, vaſtatos agros, arbores caeſas, aedificia paſſim deſtructa commiſerante. Utrinque re indeciſa diſceſſum, reductique in tutum perhonorifice a Carolo Birono delegati; quibus et ſcripto comprehenſum, ſed paulum immutatis verbis, regis reſponſum, a P. [a] Forgeto Fraxineo ſubſcriptum, ne qui dicta regis maligne interpretarentur, traditum eſt, ut in conſeſſu eorum, a quibus miſſi erant, publice recitaretur. Poſtridie rex, verbis vim et terrorem addi opportunum ratus, aliquot tormenta in ſuburbio Sangermáno diſponit, muri oppoſitam partem admodum debilem ab ea parte pulſaturus; quam Nemoroſius ſumma diligentia muniendam curavit. Eodem tempore ad ipſum Nemoroſium dat literas, ipſumque per jus cognationis, proprium periculum, et perſpectam ſatis ſuperque ea obſidione conſtantiam obteſtatur, ſe reſpiciat, neque vana auxiliorum ſpe deceptus urbem capi facilem, ſi diutius animum obfirmet, in manifeſtum direptionis diſcrimen adducat: ſine proelio ſuccurri obſeſſis non poſſe, cujus aleam tentaturum Meduanium, nuper eodem periculò magna ſua cum jactura defunctum, [illegible] non ſit ſimile; et, ut contra votum ſuccedat, quam faciem Franciae fore, rege [illegible] devicto, et per ejus cladem impoſito ipſi cunctiſque diro crudeliſſimi omnium Hiſpani jugo? quapropter ad praeterita animum convertat, ex iiſque quid in poſterum ſperare poſſit rectum judicium faciat. Ejuſdem argumenti datae clam literae ad Guiſii viduam et ipſam Nemoroſii parentem, quae miti et alieno ab armis ingenio regis partibus favere in occulto putabatur, ſpe, ut aiunt, ſororis regis filio in uxorem obtinendae.

VI. JAMQUE

VAR. LECT. [a] *regis morbo caduco laborantis opem imploranteis,* *MSS. Reg. et Samm. Put. et Rig.*

INTERPR. [a] *de Forget Sr de Freſnes.*

VI. Jamque Meduanius, praemiſſis ex [a] agro Laodunenſi quas penes ſe habebat copiis, [b] Meldorum civitatem venerat, cum Carolo Aumalio patruele, Henrico [c] Lotharingo Chalignio levis armaturae e Lotharingia miſſae praefecto, Claudio [d] Caſtreo primario belli duce, Florimondo [e] Halvinio Menelei marchione, Joanne [f] Monlucio Balagnio, Ant. Sanpaulo. Eodem aliquanto poſt, hoc eſt XI Kalendas Septembreis, venit Parmenſis cum X CIϽ peditum et III equitum CIϽ, adductis ſecum primariae dignitatis viris, [g] Cimaci, Aſculi, et Caſtri-Bertrami principibus, Emmanuele [h] Lalanio Rantiaci marchione levis armaturae praefecto, Arembergii et Barlemontii comitibus; Antonio [i] Sunica, qui in Belgium, poſt Meduanii ex eo diſceſſum, redierat; Sanctio [k] Leva, Alfonſo Idiaco, Petro Cajetano, Jo. Bapt. Taxi generali exercitus curatore: et rurſus V poſt diebus Valentinus [l] Pardeus Mota tormentorum praefectus venit, qui ultimum agmen ducebat. Magna laetitia exceptus Parmenſis, et ad majus urbis templum inſigni pompa deductus, poſt gratias Deo actas, ut ſuſpiciones purgaret, quaſi ſpecie auxilii ferendi loca in regno munita nomine Hiſpani occupaturus veniſſet, proteſtatus eſt, ſe tantum ut regnum a ſectariorum peſte liberaret in Franciam deſcendiſſe, ob idque vitam profundere paratum. Inde in commune cum Meduanio conſultat de liberanda urbe et commeatu in eam inferendo; quod ut commode et citra periculum fieri poſſet, placuit, ut loca vicina urbi Matronae et Sequanae impoſita caperentur. Hoc conſilio Parmenſis duos pontes ex navigiis in Matrona ſternit; per eoſque tranſmiſſo toto exercitu in viam ſe dat, eo ordine, ut primam aciem Aumalius et Caſtreus ducerent, mediam Parmenſis ipſe et Meduanius, ultimum agmen clauderent Chalignius et Sanpaulus cum Mota, qui XX tormenta ſecum trahebat: et ita incedens ſingulis diebus tam exacta diligentia caſtra foſſa et vallo muniebat, ut ad proelium, quod regem ſummopere expetere ſciebat, cogi non poſſet. Antea in caſtris durante obſidione deliberatum fuerat inter belli duces, utrum Meldorum civitas tentanda eſſet; et Jo. [m] Calvimontio Guitrio ita videbatur, quod, ea capta, non ſolum annona, quae copioſa per Matronam fluvium in Sequanam et inde Lutetiam importatur, interciperetur, ſed etiam acceſſus ad urbem auxiliari exercitui ſpes omnis una praeriperetur: verum alii contra differebant, et oppugnatione illa frangi vireis, quas in uſum magis neceſſarium integras ſervari oportebat, intempeſtivum judicabant; et citius ac minore negotio Lutetiam ad deditionem compelli, quam Meldorum civitatem capi, poſſe contendebant. Itaque, omiſſa ea expeditione, [n] Nantolietam arcem, regali ſumptu olim ab Antonio Pratenſi cardinali ſtructam, et foſſa lata ac profunda circundatam, amplius muniri validoque praeſidio firmari placuit. Eam, mortuo nuper Antonio Pratenſi cardinalis nepote, Nemoroſius occupaverat, impoſito Alfonſo quodam trapezita; quo inde expulſo, eandem protutoris nomine a rege commiſſam tuebatur Jacobus Auguſtus Thuanus, qui Mariam ſororem Annae Barbanſonae Antonii liberorum parentis in matrimonio habebat, et adhuc ex gravi et violenta febre decumbebat, qua XXI d[illegible] per caniculam non ſine vitae diſcrimine laboravit. Itaque ei attribut[illegible]nus ordinum ductor [o] Andegavenſis nomine cum CXX delectis, qui, ſi Parm[illegible]nſis ex Meldis deſcendens in itinere contra arcem vireis verteret, ejus impetum totos XX dies remoraturum ſe audacter regi receperat. Eodem tempore, quo vix Thuanus ex morbo recreari coeperat, Petrus Delbenius abbas, vir ingenii elegantia ac doctrina cumprimis ornatus, magnoque rerum agendarum uſu expertus,

circiter

INTERPR. [a] *le Laonnois.* [b] *Meaux.* [c] *de Lorraine comte de Challigny.* [d] *de la Chaſtre.* [e] *de Hallwin marquis de Meygnelers.* [f] *de Montluc de Balagny, & Ant. de S. Paul.* [g] *les princes de Chimay, Aſcoli, & Caſtel Beltrano.* [h] *de Lalain marquis de Renty.* [i] *de Zuniga.* [k] *de Leyva, de Idiaquez, de Gaetano, & de Taxis Veedor del Armada.* [l] *de Pardieu Sr de la Motte.* [m] *de Chaumont Sr de Guitry.* [n] *Nantouillet.* [o] *le capitaine l'Angevin.*

CIƆ IƆ XC.

HENRICUS IV.

circiter quadragenarius, violenta itidem febre in oppido [a] Sandionyſiano extinctus eſt, magno ſui regi et amicis relicto deſiderio; ſicuti et alii innumeri, accedente ad immodicos aeſtus, aliaque diuturnae obſidionis incommoda, aquarum gypſo infectarum valetudinariis infeſtiſſimo malo.

VII. REX vero de Parmenſis adventu jam certus ſummopere diſcruciabatur, animi anxius, in obſidione maneret, urbe ad extremam inopiam redacta, nec quatriduum, ut putabatur, amplius duratura, an ſoluta obſidione cum toto exercitu contra hoſteis tenderet; quippe qui Parmenſem eo ingenio eſſe ex Franciſco Lanovio didicerat, ut nullam rei bene gerendae occaſionem praetermitteret, neque tamen quidquam temere fortunae committeret: itaque apparere, cum Lutetiae liberandae cauſa veniret, non commiſſurum tot adoreis mactum imperatorem, ut gloriolae vanitate potius duci, quam urbis in diuturniore mora periclitantis ſaluti conſuluiſſe, videretur: igitur conferto cum exercitu acceſſurum, ita munitis caſtris, ut, ſi petatur, cum eo tanquam firmiſſima urbe incluſo pugnandum ſit. Ambigenti regi, an partem copiarum aliquam in ſuburbiis relinqueret, ad prohibendam commeatus importationem, et cum reliquo exercitu obviam venienti hoſti occurreret, conſultius viſum, ut totum exercitum ſecum duceret, ne diviſis copiis eodem errore quo ad [b] Ticinum quondam, ac majore fortaſſe rerum jactura, peccaretur. Et ita [c] Nivernius, Bironus, Aumontius equitum tribuni, Philibertus [d] Guichius rei tormentariae praefectus, [e] Lanovius, Jo. Calvimontius Guitrius, Henricus Turrius, Claudius Tremollius, Fr. Colinius Caſtellionaeus praecipui belli duces cenſuerunt, ea maxime ratione adducti, quod ſi quas copias in obſidione relinqui oporteret, eae exiguo numero relinquendae eſſent, parum roboris ad eruptiones obſeſſorum repellendas allaturae; et cum ad prohibendam commeatus ſubvectionem deſtinentur, quem fidem earum praeſtare poſſe? ſiquidem regios ad eam inopiam, ac pedites praeſertim, redactos, ut dubitari non poſſit, quin plerique galeris, tunicis interioribus, calceis, omnique re hujuſmodi deſtituti, accepta protinus ab hoſte pecunia, fraudem regiis edictis ſint facturi, et ipſi clam annonam in urbem illaturi. Sed eandem ob cauſam in ſumma anxietate rex verſabatur, quomodo ſoluta obſidione militem ſub ſignis retinere poſſet: nam ſpe capiendae urbis multos in caſtris eſſe conſtabat, ea evaneſcente pariter a ſignis diſceſſuros. Huic difficultati optimum remedium ex Bironi conſilio repertum, ſparſa fama, quaſi non tam obſidio ſolveretur, quam ad proelium certa victoria conferendum, cujus ſpem ſuis facere cuncti militiae duces juſſi erant, profectio pararetur. Haec ſpes tot laboribus fatigatos regios ac jam de receſſu cogitanteis aliquantum recreavit, ac nobilitatem praecipue, quae, decoris ad inſaniam apud nos avida, nihil non, ut proelio intereſſet, paſſura videbatur. Igitur pridie Kal. Septembr. rex praeſidia ſuburbiis deducit, et [f] Calas S. Botrudis verſus cum toto exercitu iter intendit, municipium loco paludoſo ſitum, medio rivulo, qui paludem alluit, coenobio virginum ſacrarum nobile, quo jam metatores hoſtilis exercitus venerant, a Caſtellionaeo et Lavardino caſtrorum praefectis a rege praemiſſi, pulſi. Ibi cum IƆC circiter equites comparuiſſent, inter quos Parmenſis et Meduanius eſſe dicebantur, aliquandiu rege ſuperveniente pugnatum fuit. Poſtridie acies inſtruitur in planitie paulo ſupra Calas, quae pone duos colleis hinc et inde habens in lucum deſinenteis, medio rivulo interjacente. In luco caſtellum eſt, et trans lucum palus ſubeſt, auſtrum verſus planitie modica diſtincta, quae inter caſtellum et paludem ad Matronam uſque porrigitur, medio rurſus altero rivulo: quo loco caſtra

muniverat

INTERPR. [a] *S. Denis.* [b] *Pavie.* [c] *le duc de Nevers, les mareſchaux de Biron & d'Aumont.* [d] *le Sr de la Guiche, grand maiſtre de l'artillerie.* [e] *de la Nouë, de Chaumont, de la Tour, de la Tremoille, & de Coligny Sr de Chaſtillon.* [f] *l'abbaye de Chelles Ste Baudour,* al. *Ste Bauptour.*

muniverat Parmenſis. In caſtris noſtris erant V CIƆ equitum magnam partem ex nobilitate egregie inſtructorum, XVI CIƆ peditum, in eo numero Helvetiis et Germanis comprehenſis. Rex more ſuo equitatum diſtinxerat, et globos delectorum peditum ad latera diſpoſuerat. In dextro cornu ad collis jugum VI tormenta erant, Helvetiique, et pars peditatus Gallici, qui Helvetiorum latera tegebat: in laevo quaſi in poſtrema acie Germani ſtabant, cum reliquo peditatu Gallico et totidem tormentis. Ita ab hora XI diei ad veſperam, et VIII inſequentibus diebus, in mutuo conſpectu alteri alterorum ſteterunt, nulla re memorabili geſta: tantum levibus aliquot proeliis certatum fuit. Quo tempore aliquoties fecialis ad Meduanium a rege miſſus, ut proelii copiam faceret, et finem Galliae calamitatibus ſemel imponeret, cum verbis ad decus militare compoſitis invitans. Verum fecialis a Meduanio ad Parmenſem remiſſus hoc ſolum reſponſum tulit, veniſſe ſe Philippi potentiſſimi principis auſpiciis, ut urbem ab obſidione, qua tutiore ac meliore videbitur ratione, liberet, quod ſe ope Dei brevi confectum daturum ſperet; ceterum prudentis non eſſe imperatoris fortunae credere, quod in poteſtate habet: ſi vero qui provocat tanti nominis imperator adeo pugnae avidus eſt, rationem ineat, qua laceſſitum ad proelium cogat; tunc enim quid vires et virtus utriuſque poſſint, experimento egregio cunctis conſtiturum. Quae eo majore fiducia a Parmenſi dicebantur, quod interim, aperto ad urbem per terram acceſſu, ex [a] Carnutibus et ſuperiore [b] Belſia, lociſque vicinis, a praefectis ac ruſticis in dies et horas commeatum libere importari certo ſciret. Interea Meduanius ex citeriore Matronae ripa directo tormento [c] Latiniacum municipium, coenobio item nobile, trans amnem ſitum, infeſtabat. Locum tuebatur Jacobus [d] Laſinius cum VIII cohortibus, per ſe debilem, nec pomoerio aut extemporaneis munitionibus ſatis firmum; ad quem VIII admota tormenta, et recta ac decuſſata verberatione muri pulſati, intermedio fluvio. Tum per pontem ex navigiis ſtratum II legiones ad oppugnationem immiſſae, altera Gallica, altera Italica, [e] Capano Mediolanenſi et Andrea Narnienſi centurionibus praemiſſis, qui ruinam inſpicerent: propoſitaeque interim conditiones deditionis ab obſeſſis; quae cum ampliores juſto viderentur, oppugnatio tentata eſt; quam, ſummiſſis ſub id tempus per alteram fluminis partem auxiliaribus, aliquandiu ſtrenue ſuſtinuere; tandemque vi oppidum in noſtrorum conſpectu et ſub regis oculos, ut Parmenſis jactabat, captum eſt, id excuſantibus noſtris, et ventum adverſum, quo minus fragor tormentorum exaudiretur, et amnem interpoſitum nimiae ſuae ſecuritati praetexentibus. Interfecti in ea oppugnatione ad CCCC ex regiis, et Laſinius ipſe captus. Ex hoſtibus Aurelius [f] Lantius et Bramantius [g] Antonianus, ſtrenui ordinum ductores, ac complures alii deſiderati. Oppidum muris mox ducum juſſu nudatum fuit. Id actum VIII Eidus Septembreis. Damnum in amiſſione Latiniaci acceptum cum ad nominis Gallici injuriam pertinere exiſtimaret rex, pudore iram incendente, conſilium de Lutetia quavis ratione in poteſtatem redigenda, quod ante non fecerat, cepit; et biduo poſt in campis [h] Bondianis infra [i] Livriacum ſaltum univerſis copiis horam co[illegible]t, atque inde partem copiarum ſub veſperam praemittit ad Sangermani ſuburbia; ſcaliſque aliquot ab ea parte, utpote debiliore, admotis, cum breviores illae juſto repertae eſſent, conatus fruſtra fuit. Petrus [k] Cornelius homo Hiſpanus, qui in urbe erat, et antea Belgica, tunc et Francica illius temporis plerumque minus exacta diligentia ſcripſit, Jeſuitas ad ſtrepitum primos accurriſſe, et in pomoerio ad

oppugnationem

INTERPR. [a] *Pays Chartrain.* [b] *Beauſſe.* [c] *Lagny ſur Marne.* [d] *de la Fin.* [e] *les capitaines Chiapon Milanois, & André de Narni.* [f] *Lanti.* [g] *Antoniani.* [h] *la plaine de Bondy.* *la foreſt de Livry.* [k] *Cornejo.*

oppugnationem ſuſtinendam paratos in armis ſe oſtendiſſe, ac quendam ex noſtris, qui jam in murum evaſerat, propriis manibus mactaſſe, tradit. Erat et tunc in urbe Philippus Pigafeta, qui cum Cajetano venerat, multis ac variis peregrinationibus clarus, et aliquot ante annos a Philippo Hiſpaniarum rege ad inſpiciendum Angliae litus ac portus deſcribendos, qua de re et commentarium edidit, miſſus; qui multa ipſe in illa obſidione paſſus, extremae neceſſitatis pleraque exempla prodidit; homines tanta rabie prae fame correptos, ut caneis et feleis in vicis interceptos protinus manibus diſcerptos in conſpectu omnium, cyclopum ritu, avide devorarent, manante per ora ſanie, et crepitantibus oſſibus, quae illi ferino dente frangebant: quendam etiam repertum, qui cum cane generoſo, quem ex inſidiis interficere non potuerat, diu luctatus, poſtremo ab ipſo proſtratus eſt et ſtrangulatus, et, niſi prohibente turba, quae ad dirum ſpectaculum accurrerat, verſa vice, paulum abfuit, devoratus. Hic exitus obſidionis Pariſienſis fuit maxime memorabilis; cujus irritae qui cauſas inquirebant, eas in Nemoroſii virtutem ac ſolertiam ſupra aetatem in illo principe adoleſcente admirandam, Cajetani praeſentiam, qui pontificis auctoritatem in cauſa religionis ſumma prudentia diſpenſabat, oratoris Philippici eleemoſynas, aſſiduas ac efficacis eloquentiae plenas concionatorum ad populum allocutiones, frequentes Meduanii de auxiliaribus vero citius venturis per literas aſſeverationes, rumores artificioſe a Monpenſeria pro more ſuo ſparſos, et poſtremo Jeſuitarum ad omneis caſus ſolicitam diligentiam, rejiciebant.

VIII. Rex, dum adhuc [a] Calis eſſet, VII Eid. Septembr. datis ad praefectos provinciarum literis, veritus ne, ad rei non ex voto ſuccedentis famam, populorum longe poſitorum animi ac voluntates infringerentur, ſic factum excuſabat, ut diceret, ſe potiundae urbis, quam in manibus habebat, occaſionem, dum a vi et direptione, quae vim neceſſario conſequitur, charitate ſuorum nimia abhorret, amiſiſſe; quam tamen brevi recuperaturus ſit, clauſis undique aditibus, et commeatu, qui in urbem interim illatus eſt, haudquaquam in multos dies ſuperfuturo. Inde, poſt irritum ultimum illum conatum, Goneſſam pulcherrimum Franciae terrae pagum itum; concilioque belli ducum habito, placuit ut copiae dimitterentur. Exiguam ex iis manum rex penes ſe retinuit; ceteros fatigatos ſub ſignis amplius retinere non ſolum inutile ſed periculoſum viſum, recenti hoſte, qui proelium detrectanteis ſempiterna ignominia, ſi manus conſererent impares inevitabili ruina, proculdubio eſſet affecturus. Vicina loca ante omnia validis praeſidiis firmata, [b] Melodunum, Corbolium, Silvanectum, Medunta, Meulantum, et circumpoſita caſtella. Tum remiſſus in [c] Cenomanos, Andeis, Turones, Franciſcus Borbonius [d] Contius, in [e] Neuſtriam [f] Monpenſerius, in Picardiam Longovillanus, in Campaniam Nivernius, in [g] Heduos Aumontius cum delectis copiis, quibus provincias ſibi commiſſas in fide retinerent. [h] Fano-Dionyſii urbi proximo nuper capto, et debilibus muris nec profunda foſſa cincto, atque ob vaſtitatem difficilis cuſtodiae, cum valido praeſidio imponitur Joannes [i] Bellomanerius Lavardinus. Ita, poſt amiſſam potiundae urbis occaſionem, et praeciſam conſerendi cum hoſte proelii ſpem, ſubito dimiſſus tam potens exercitus, frementibus pleriſque et conſtantiam majorem requirentibus; quippe probroſum eſſe deſperatas hominum quiſquilias, bajulos, ſedentarios artifices, calones, mulierculas, ad extremae patientiae neceſſitatem redactas, ne motis quidem ad querelam labiis, ullave lamentabili vocula edita, nullo formidinis aut deditionis indicio vel leviſſimo dato, arctiſſimam ſex menſium obſidionem conſtantiſſime ſuſtinuiſſe; tot interim illuſtreis viros, ac nobilitatis Gallicae lumina,

quarto

INTERPR. [a] *Chelles.* [b] *Melun, Corbeil, Senlis, Mante, & Meulant.* [c] *le Maine, Anjou, & Touraine.* [d] *le prince de Conti.* [e] *Normandie.* [f] *le duc de Montpenſier.* [g] *Bourgogne.* [h] *S. Denis.* [i] *de Beaumanoir Sr de Lavardin.*

quarto poſt hoſtis ante Calas adventum die, famis metu caſtra moviſſe. Rex [a] Goneſſa [b] Silvanectum venit. Cum eo erant [c] Turenae vicecomes, [d] Tremollius, Caſtellionaeus, David [e] Bocardus Albaterrae vicecomes, cui praetoriani vexilli ob eximiam virtutem geſtandi munus honorificum, ſi res ad proelium veniſſet, commiſſum erat, alii e primaria nobilitate. Jacobus [f] Faius Speſſaeus digniſſimus curiae praeſes, vir praeter omnigenam doctrinam ac raram facundiam multis legationibus et longo rerum uſu ac fide praeſtans, cum regem in armis toto illo tempore ſecutus eſſet, ex nimio aeſtu ac laboribus inſuetis concepto gravi morbo, cum tantum XLVII annos exegiſſet, magno regis ipſius et omnium bonorum deſiderio ſub id Silvanecti deceſſit, perhonorifice in majori urbis templo ſepultus. Inde rex [g] Creolium venit, ad Eſiam ſitum caſtellum, arce regia magnificentia, ut tunc tempora erant, olim a Carolo V in Ludovici Borbonii ſororii ſui gratiam aedificata nobile. In ea Claromontii comitum domicilium erat, quamdiu comitatus ille in familia Borboniorum fuit, quae eam portionis hereditariae titulo jam a Roberto B. Ludovici filio acceperat. Tunc vero [h] Claromontium ipſum in Bellovacis, oppidum ſitu et arce antiqua firmum, a foederatis tenebatur; ex quo continuis excurſionibus circumpoſita regio et Silvanectum et [i] Compendium ſummopere infeſtabantur. Igitur locus obſidione cinctus, et poſt verberationem aperto muro ac dejectis propugnaculis vis facta; quam obſeſſi minime ſuſtinuerunt, ſed continuo in arcem confugerunt, incenſis circa eam domibus: ac poſtridie is qui arcem tenebat, Annae Jouſae olim, ſicuti cõnſtans fama erat, pediſſequus, eam dedidit. In ea obſidione A. Bironus equitum tribunus ſclopperi ictu in crure petitus eſt, dum locum luſtraret, periculoſo primum credito, ex quo tamen paulo poſt convaluit. Eodem tempore allatum eſt de re a Philiberto [k] Guichio, Franciſco [l] Magdaleno Ragniaco, Imberto [m] Marſilio Sipetra, et [n] Firmitano Imbaldo, contra Joannem [o] Saulium Tavanium juniorem, qui foederatorum partes obſtinate ſequebatur, [p] Falandrium, et alios feliciter geſta. Ii domum tendentes cum ſibi in itinere nihil tale cogitantes occurriſſent, protinus arma expediunt; concurſuque facto noſtri, licet numero impares, ſuperiores evadunt, multiſque ex hoſtibus caeſis ſeu captis ceteros in fugam vertunt, impedimenta capiunt. [q] Drocum Tavanio et Falandrio fugientibus perfugium fuit. Lavardinus item, quem [r] Dionyſii-fano impoſitum a rege diximus, cum II hoſtium legiones, ut ſe reficerent, [s] Surenam vicum ſupra [t] Clodoaldi-fanum loco amoeniſſimo poſitum veniſſe intellexiſſet, protinus eo cum parte praeſidiariorum tendit, et interceptas eas caedit et armis ſpoliat, captis tribunis ipſis et III ſignis. Triſtiora e longinquioribus provinciis nunciata ſunt. In [v] Andibus [w] Mirabellum Monpenſerii ditionis municipium, arce firmum, quae a [x] Vallicellione praeſidio tenebatur, a Georgio [y] Villoclaro Guerchio primario foederatae factionis his in locis duce vi captum Nonis Septembribus, et mox arcem a Vallicellione deditam. In Campania aliquot poſt diebus, XV Kalendas Octobreis, irrito noſtrorum ad [z] Auguſtobonam Tricaſſium conatu magnum damnum acceptum. Joachimus [aa] Dintevilla provinciae praeſes, inſtigante Euſtochio [bb] Megrinio urbis praetore, rem aliquoties tentaverat, quae tunc parum ab exitu fuit. Claudius [cc] Jouſa Torteronus, comitis [dd] Granpratenſis nuper occiſi frater, ex Sedani praeſidiariis, quaſi vindemiam [ee] Remis intercepturus, aliiſque vicinis copias delectas coegerat, tam pedeſtreis quam equeſtreis, quibus diem

INTERPR. [a] *Goneſſe.* [b] *Senlis.* [c] *Turenne.* [d] *les ſieurs de la Tremoille & de Chaſtillon.* [e] *Bouchard vicomte d'Aubeterre.* [f] *de Faye Sr d'Eſpeſſes.* [g] *Creil ſur Oyſe.* [h] *Clermont en Beauvoiſis.* [i] *Compiegne.* [k] *de la Guiche.* [l] *de la Madeleine Sr de Ragny.* [m] *de Marcilly Sr de Cipierre.* [n] *le Sr de la Ferté-Imbault.* [o] *de Saulx Sr de Tavannes.* [p] *de Falandre.* [q] *Dreux.* [r] *S. Denis.* [s] *Surene.* [t] *S. Cloud.* [v] *Anjou.* [w] *Mirebeau.* [x] *de Vaucillon.* [y] *de Villequier Sr de la Guerche.* [z] *Troyes.* [aa] *de Dinteville, lieutenant general en Champagne & Brie.* [bb] *de Meſgrigny.* [cc] *de Joyeuſe Sr de Tourteron.* [dd] *de Grandpré.* [ee] *Reims.*

diem XV Kalendas Octobreis, qui B. Lamberto ſacer eſt, quo ad molatrinas [a] Fucianas convenirent, condicit, praemiſſis vinitorum ſpecie militibus cum ſportis, qui laſcivis cantiunculis, ut fit, per citeriorem foſſae aggerem incedentes explorarent, an ſtationarii adeſſent: cognitoque per eos jam illos diſceſſiſſe, protinus ſcalae admoventur ad locum cui a molatrinis incenſis vulgo nomen, minus frequentem et tantum palis et aſſeribus clauſum, foſſa infra fere deſiccata; et CXX loricati immittuntur, qui mox ad S. Jacobi portam defenſoribus vacuam pergunt, et cuneis ferreis, vectibus ac malleis, ſeras unius et alterius portae, pontis ſublicii, et clathralis muri revellunt, et raſtrum impoſitum effringunt; portiſque apertis CC equites et CCCC pedites irrumpunt, et ad [b] S. Petri plateam et epiſcopaleis aedeis conveniunt; in quibus Claudius Lotharingus [c] Jonvillae princeps, qui jam annum gubernatoris titulo res adminiſtrabat, cum [d] Buſillonio aliiſque e nobilitate erat; et in ſumma templi majoris turre vexillum album, regis nomine inclamato, ſtatuunt. Tum ad arma urbe tota conclamatum. Jonvillanus aegre, ſuadente Buſillonio, impar viribus in ſecretius templi proximi veſtiarium confugit: ſed concurſu oppidanorum ex omnibus vicis in noſtros facto, cum portas clauſas quidam renunciaſſet, ſpe auxilii praeciſa, conſternatio magna animorum ſecuta eſt, parſque in epiſcopi aedeis, pars in templum trepida fuga dilabuntur: major pars ad portam, qua venerant, tendunt; quam trabe tranſverſa ſemiclauſam cum reperiſſent, incumbentibus oppidanis male mulctati ſunt. CC amplius in urbe deſiderati. E nobilitate foederata qui cum Jonvillano erant, equis inſcenſis, ex ſtrage elapſos ad [e] Maurae uſque fanum inſecuti ſunt. [f] Ivo Tarterius S. Stephani decanus, homo factioſus et aſtuta eloquentia in comitiis regni et in urbe ſeditiones molitus, cum ad ſtrepitum in armis exiiſſet, interfectus eſt. Qua re efferata plebs poſt pulſos regios in ſuſpectos ex aedibus propriis aut carcere immani feritate ſaeviit, et N. [g] Eſſartium Soloturnium e primaria provinciae nobilitate, nuper bello captum, in domo, in qua cuſtodiebatur, obtruncavit, et cum eo III alios itidem e nobilitate. Multa die illa patrata ſunt, quae cum nullo belli jure, nulla legum auctoritate, defendi aut excuſari poſſent, poſtremo, gratia a rege ex pacto quadriennio poſt conceſſa, ſempiternae oblivionis ſilentio abolita ſunt.

IX. INTEREA diſſoluto regis exercitu Parmenſis VIII Kalend. Octobr. ad [h] Corbolium caſtra ponit, oppidulum ad Sequanam V ſupra urbem leucis poſitum, in angulo, quem amnis [i] Stampis per [k] Eſſonam proximum pagum in via Lugdunenſi labens efficit, foſſa ex eo derivata ab altera parte inſulae ſpecie clauſum. Colles duo loco imminent, ex quibus vi tormentorum graviter infeſtatur; alter ad meridiem paulo longinquior, alter vicinior ad ortum porrectus, in [l] Bria proxima, intermedio Sequana; collique ſuburbium ſubeſt, quod cum oppido ponte lapideo conjungitur; et in imo ponte ſuburbium verſus arx veteri ſtructura debilis, quam primo impetu Parmenſis occupatis ſuburbiis in poteſtatem redegit. Tum ad angulum, quem dixi, orientem verſus directa verberatio; in quo turris erat antiqua ſtructura Romanorum temporibus, ut ab indigenis vulgo creditur, condita: quam cuneis actis citius quam pulſatione dirui poſſe cum perſuaſum haberet Parmenſis, aliquot dies operi impendit; quo conſummato praeſidiarii, qui in ea erant, periculum veriti, quam gnaviter locum tenuerant, tam eum tempeſtive deſerunt. Itaque mox, diſpoſitis in colle ſuburbio imminente ad dextram Sequanae ripam V tormentis et II colubrinis, redintegrata verberatio, qua non ſolum privatorum aedes ſubjectae, ſed oppidani per vias incedentes, ſummopere infeſtabantur. Sed praeſidiariorum diligentia cum intus

INTERPR. [a] *de Fouchy.* [b] *place de S. Pierre.* [c] *Joinville.* [d] *le Sr de Buſſillon.* [e] *Ste Maure.* [f] *Ives de Tartrier.* [g] *des Eſſarts Sr de Saultour.* [h] *Corbeil ſur Seine.* [i] *Eſtampes.* [k] *Eſſone.* [l] *la Brie.*

intus foſſa hemicycli forma ducta eſſet, et latera apprime palis et doliis munita ac firmata, miſſi qui locum propius inſpicerent, Euſebius [a] Senogallenſis et Hiſpanus quidam centurio. Ii natatu in ulteriorem ripam cum evaſiſſent, Hiſpanus frigoris impatiens tanquam emanſor ad obſeſſos transfugit. Senogallenſis aliquot ſcloppetorum ictibus leviter perſtrictus ad ſuos rediit, et oppugnationem ab illa parte ſumme periculoſam eſſe renunciavit; itaque ſaepius huc illuc mutata et tranſlata verberatio. Tandem tumulus ex adverſo anguli erectus, et ex quadam ſuburbii domo terra oppleta directa decuſſata verberatio, qua defenſores maxime infeſtabantur; et pons ex navigiis ab ea parte in fluvio ſtratus, per quem miles pluteis ad id paratis tectus ad ruinam commode ſubiret. Locum tuebatur [b] Grangeus e proxima nobilitate, cui attributus erat [c] Rigaldus Provincialis, humili loco natus et ſcribae munere diu in foro verſatus, qui his poſtremis bellis virtute ſua meruerat, ut legionis, quales multae tumultuario tunc ſcribebantur, tribunus crearetur. Cum tam gnaviter locum per ſe debilem ab iis defenſum rex videret, laborantibus ſubveniendum ratus, eo cum delectis copiis [d] Calvimontio, quo venerat, tendit; et in itinere Nicolaum [e] Glatium Dalmatam et [f] Baronium Epirotarum equitum duces, et II legiones [g] Potrincurii et [h] Lurei Vaſconis, [i] Surenae medio die vi facta intercepit, Glatio et Baronio captis, ac ceteris fere caeſis ſeu captis: nam Potrincurius et Lureus aberant. Quo facto cum ulterius iter perſequeretur, cognovit amiſſum Corbolium. Poſt excitatum tumulum et deductos trans flumen in tutum oppugnatores, ruina ingenti edita, impetus factus XVII Kalendas Novembreis; et poſt acre ac obſtinatum certamen, in quo Rigaldus et plerique ſtrenui defenſores interfecti ſunt, oppidum captum eſt, immani edita ſtrage: nam obvii quique trucidati, ac paucis vitae gratia facta: in foeminas etiam ac virgines impotenti libidine ſaevitum, praecipue ab Hiſpanis, magno gentis ad diſciplinam militarem prae aliis, ut ſibi videtur, natae dedecore. Captus Grangeus cum paucis aliis. Ex victoribus Attila [k] Triſſinus Vicentinus gravibus vulneribus acceptus eſt. Joannes Baptiſta Taxis annonae curator lethaliter ſauciatus. Primis obſidionis diebus E. [l] Lalanius Rantiaci marchio, dum locum luſtraret, et ipſe ſcloppeti ictum in crure accepit. Paulo ante cardinalis Cajetanus cum [m] Cenetenſi et Aſtenſi epiſcopis, R. Bellarmino, Pigafeta, de quo modo dixi, ſoluta jam urbis obſidione et commeatu firmata, quaſi re feliciter confecta, Italiam repetiturus in caſtra venerat, ut Parmenſem et Meduanium viſeret: quibus ſalutatis in viam ſe dedit, quanta potuit celeritate profectionem accelerans, ut comitiis novi pontificis intereſſet; nam jam de Sixti V, et mox Urbani VI morte, de qua poſt plenius dicemus, fama percrebuerat. In itinere, dum Creſciacum in Bria praetervcheretur, Jacobus [n] Vinea Baſtidius, qui locum praeſidio tenebat, in eum impetu facto ultimum agmen carpſit, et impedimentorum partem cepit; ipſeque, dum ardentius invehitur, ab hoſte capitur, initio male habitus, quod caedi Guiſianorum fratrum interfuiſſe crederetur, donec, Nemoroſii ipſum minime caedi participaſſe affirmantis commendatione, pretio perſoluto, periculo ereptus eſt. Cajetanus per Campaniam iter perſecutus, deducentibus eum Challignio et Sanpaulo, in Lotharingiam incolumis pervenit. Capto Corbolio XX dies reficiendo militi inſumpti; quibus totis Parmenſis in oppido commoratus ineunte Novembri diſceſſit, relictis CC Germanis ex comitis Collalti legione et aliquot Hiſpanis, quibus Alfonſus Toraques praeeſſe juſſus,

INTERPR. [a] *di Sinigaglia & Alfiere Spagnuolo.* [b] *de la Grange.* [c] *Rigaud Provençal.* [d] *Chaumont.* [e] *Glaſſi.* [f] *Baroni capitaine des Albanois.* [g] *de Poutrincourt.* [h] *le capitaine Lure Gaſcon.* [i] *Surene.* [k] *Triſſino nobile Vicentino.* [l] *de Lalain marquis de Renty.* [m] *les evêques de Ceneda & Aſti.* [n] *la Vigne Sr de la Baſtide.*

CIϽ IϽ XC. HENRICUS IV.

juſſus, minore utique numero quam ut locum ſitu opportunum tam vicinis regiis diu tenere poſſet. Sub id [a] Autrici, Dordingae, Droci, quae Carnutum oppida ſunt, praeſidiarii cum II tormentis [b] Maintenoniam, Ludovici [c] Angenei regi ſumme fidi arcem, per quam et Nogentum regiis tutum iter erat, aggrediuntur, rati ea capta omnino illac tranſitum noſtris impediri. Sed, Franciſco Angeneo [d] Monlucto Ludovici fratre et [e] Pregentio Laſinio Malinio ſupervenientibus cum C circiter equitibus, illi cum dedecore trepida fuga obſidionem ſolverunt, relictis tormentis et amiſſis impedimentis. Eademque felicitate Nicolaus Angeneus [f] Rambulietus in [g] Cenomanis ad [h] Sablatum hoſteis fudit, qui oppido occupato arcem corona cinxerant. Ille ſumma celeritate laborantibus ſubſidio veniens cum in arcem acceptus eſſet, inde mox eruptione facta munitiones circum exſtructas dejecit, et uxorem liberoſque jam captos, caeſo ac pulſo hoſte, liberavit. Et virorum huc uſque virtus regis auſpiciis inclaruit; etiam fortuna juſtae regis cauſae arridens belli decus in foeminas tranſtulit. Nam Margarita [i] Dallia, Franciſci [k] Colinii, qui tunc cum rege erat, uxor, [l] Caſtellione ad Lupam a [m] Burrono Montargirii praefecto obſeſſa, cum jam miles, oppido et inferiore arcis curte capta, ad praedam diſcurreret, tanto viro dignos ſpiritus mulier gerens minime ſe deſeruit; verum in interiorem arcem cum paucis, quos penes ſe habebat, receptu facto, collectis animis tanta virtute erupit, ut non ſolum hoſteis repulerit, ſed victorem Burronum ipſum ceperit, omnemque praedam captam et jam carris impoſitam receperit. Tunc rex [n] Geſſoriaci erat in agro Vexinenſi, quo ad eum venit Catharina Borbonia amita, nobiliſſimi ſacrarum virginum coenobii antiſtita olim [o] Auguſtae Sueſſionum fundati, quod in urbe oppidanorum fidem ſolicitare diceretur, Hieronymo Hennequino epiſcopo, ut illa aiebat, inſtigante, injurioſe expulſa: quam rex et honorifice excepit, et inſigne violatae religionis exemplum auctoribus in invidiam vertere ſatis habuit. Heic de auxiliari Germanorum exercitu in ſequentem annum conducendo deliberatum; et cum Gaſpar Schombergius [p] Nantolii comes et Nicolaus [q] Harlaeus Sancius jampridem in Germaniam cum mandatis miſſi ob diverſas longe cauſas pro tempore minus idonei haberentur, ejus rei cura Henrico [r] Turrio Turenae vicecomiti demandata eſt, viro ſupra claritatem generis et bellicae rei uſum tractandorum negotiorum longe peritiſſimo. Inde rex [s] Fanum-Petri venit, ut Carolo [t] Birono pulverem ac reliqua ad bellum neceſſaria Dieppa in caſtra advecturo praeſto eſſet. Tum, intellecto Parmenſem cum exercitu in eo eſſe ut domum reverteretur, et per occaſionem aliquid in itinere moliretur, tradito Armano Birono equitum tribuno exercitu, cum Carolo Birono ejus filio, ſummo caſtrorum praefecto, ac delectis copiis in viam ſe dat, ut Parmenſem inſequeretur, et veſtigiis recedentis inſiſtens ejus conatus impediret. Bironus [v] Paſſiacum et Nonancuriam in poteſtatem redegit, [w] Mignonvillae hominis ſtrenui indignam mortem, dum cum ſeditioſis colloquitur interfecti, multorum pernicie ultus. Rex cum Carolo Birono ac delectis copiis, aſſumpto ſecum [x] Tanaquillo Venatore Carrugio, qui lectam manum ex Neuſtria adduxerat, [y] Eſcovii pridie Non. Novembr. profectus ad perſequendum hoſtem, iter [z] Compendium verſus intendit, quo tendere hoſtem rumor erat; quanquam [aa] Theodorici-caſtrum alii facturum illum aiebant.

X. Du-

INTERPR. [a] *Chartres, Dourdan, & Dreux.* [b] *Maintenon.* [c] *d'Angennes.* [d] *le Sr de Monlouet.* [e] *Pregent de la Fin Sr de Maligny.* [f] *le Sr de Rambouillet.* [g] *le Maine.* [h] *Sablé.* [i] *de Dailly.* [k] *de Coligny.* [l] *Chaſtillon ſur Loing.* [m] *Sallart Sr de Bourron, gouverneur de Montargis.* [n] *Giſors au pays de Vexin.* [o] *Soiſſons.* [p] *Nanteuil.* [q] *de Harlay Sancy.* [r] *de la Tour vicomte de Turenne.* [s] *S. Pere.* [t] *le baron de Biron.* [v] *Paſſy & Nonancour.* [w] *de Mignonville.* [x] *Tanneguy le Veneur Sr de Carrouges.* [y] *Eſcouy.* [z] *Compiegne.* [aa] *Chateau-Thierry.*

X. DUM deliberat, [a]Givrius Briae praeſes, qui [b]Meloduni erat, conſilium de [c]Corbolio intercipiendo init cum Joanne [d]Baudeano Parabero; condictaque praeſidiariis vicinis hora in pervigilio B. Martini ſcalas ad locum notatum ſtationibus infrequentem admovet, et nocturno impetu oppidum capit, caeſis aut captis praeſidiariis; eodemque fortunae ſucceſſu uſus [e]Latiniacum recipit: quibus occupatis Lutetia rurſus in eaſdem, ex quibus adventu Parmenſis nuper emerſerat, anguſtias redigebatur. Occultae inter Meduanium et Parmenſem ex aemulatione ſimultates exortae fuerant, ſuſpicionibus auctae, quaſi Parmenſis juſſu Philippi expeditionem in Gallia ſuſcepiſſet, ut ſpecie amicitiae et auxiliorum omnem auctoritatem Meduanio praeriperet, et, impoſitis in loca capta praeſidiis, Gallos ad libertatem aſpirantes duro ſervitutis jugo opprimeret, renovato Aeſopicae de equo et cervo fabulae exemplo. Sparſiſque ea de re in caſtris artificioſe rumoribus Parmenſis, qui perſpectam noſtrorum levitatem haberet, omnem operam dabat, ut eam invidiam a ſe amoliretur: idque in cauſa fuiſſe pleriſque perſuaſum fuit, cur debile adeo praeſidium Corbolio impoſuerit. Itaque, capto eo, cum Pariſienſes miſſis legatis rogarent ut exercitus reduceretur, Parmenſis capta occaſione acerbe eos increpuit, quod parum caute rebus ſuis conſulerent, tam opportuno loco adeo debili praeſidio firmato, et rumuſculis propriam ſalutem poſthaberent. Ad extremum ſe excuſavit, quod imminuto morbis exercitu, appetente hyeme, periculoſum duceret relicta a tergo repetere, et obſidiones eo tempore difficiles tentare, facta ſpe ut in itinere aliquo operae pretio acceptam ad Corbolium cladem ſarciret: quod de Theodorici-caſtro ad [f]Matronam ſupra [g]Meldorum civitatem poſito intelligi volebat. Quo cognito rex, antevertendum ratus, Compendio, quo ex Picardia delecti e nobilitate ad ipſum convenerant, eo protinus tendit, et Franciſcum [h]Lanovium exploratae fidei et virtutis ducem loco imponit, quem Cl. [i]Pinarius Comblizii vicecomes regis nomine tenebat. Inde miſſi qui hoſtem incedentem infeſtarent; qui x Kalend. Decembr. cohortem Hiſpanam adſecuti ceciderunt, et armis exuerunt. Triduo poſt rex ipſe cum ccc delectis equitibus venienti hoſti occurrit, et compluribus velitationibus cum eo ſine gravi utrinque damno conflixit. Nivernio diem condixerat rex ut ad ſe veniret, quo conjunctis copiis hoſtem recedentem adorirentur. Is, ex quo a caſtris regis diſceſſerat, in Campania occupatus fuerat, a foederatis et Lotharingiae duce tunc graviter infeſtata: ſiquidem ille [k]Menehildis-fanum, quod a Joachimo [l]Dintevilla ejus vicario defendebatur, totos xv dies ſuperiore menſe obſederat, crebris eruptionibus interim a regiis factis, in quibus plerique hoſtium, et in iis [m]Nerveſius Hiſpanus ſtrenuus ordinum ductor, deſiderati ſunt. Nivernius, qui praeſidiariorum virtuti confiſus loco ſatis proſpectum ſciebat, interim contra A. Sanpaulum, qui proximam regionem crebris excurſionibus vaſtabat, ducit; et, cognito eum in [n]Tiraſcenſem agrum deſcendiſſe, praemiſſo [o]Vendio caſtrorum praefecto [p]Carbugnium venit x Kal. Novembreis. Inde [q]Poxium et Montiniacum deflectit, III a [r]Mezeria leucis, quo Sanpaulum profectum intellexerat. Ad equitatus regii conſpectum hoſtes intra Poxium ſe colligunt, et tumultuariis munitionibus ſe muniunt. Cum vim facere equites vellent, Nivernius prohibuit, et pedites circiter IↃ, qui ſubſequebantur, exſpectari juſſit; qui tamen non niſi jam ſole occaſo comparuerunt. Itaque nocte tota inſomnis fuit, equite aditus ſervante, ne obſeſſi elaberentur, aut Sanpaulus obſeſſis ſuccurreret. Poſtridie fruſtra tentata oppugnatio, hoſtibus in templo

INTERPR. [a] *de Givry gouverneur de Brie.* [b] *Melun.* [c] *Corbeil.* [d] *de Baudean Sr de Parabere.* [e] *Lagny.* [f] *la Marne.* [g] *Meaux.* [h] *de la Nouë.* [i] *Pinart vicomte de Comblisy.* [k] *Ste Menehoud.* [l] *de Dinteville.* [m] *de Nervaez meſtre de camp.* [n] *Tierache.* [o] *de Vendy mareſchal de camp.* [p] *Charbougne.* [q] *Poix & Montigny.* [r] *Mezieres.*

pagi et coemeterio proximo, quod vallo cinxerant, gnaviter ſe defendentibus. Verum, advectis [a] Omontio proximo [b] Retelenſis principatus caſtello tormentis, cum nulla ſpes auxilii eſſet, propoſitae ab obſeſſis conditiones, quas Nivernius recuſavit, locum, quem tuerentur, non hujuſmodi eſſe dictitans, de quo ſecum paciſci deberent; proinde ſe ſine conditione dederent, ſibique perſuaderent, rem cum mentis aequae imperatore fore. Cum illi metu impedimentorum amittendorum retinerentur, vis a regiis facta; qui poſtremo potiti loco defenſores obvios trucidarunt. CCC circiter interfecti, pauci capti, qui cum aliis captivis permutati ſunt. Nivernius re feliciter geſta [c] Mauberti-fontem ac mox [d] Corneti-montem et Rupem-regiam venit, advectis inde tormentis, quae ſecum [e] Catalaunum duxit; demumque cognovit Lotharingiae ducem ab obſidione Fani-Menchildis diſceſſiſſe, quaeſito colore, quaſi Poxii obſeſſis ſuppetias laturus veniſſet. Hae diuturnioris in Campania Nivernii morae cauſae; qui per [f] Eſpernaeum facto itinere in [g] Tartenenſem agrum ad [h] Faram Novembri ineunte deſcendit, ut ſe cum rege conjungeret.

XI. Parmensis [i] Fimo VI Kal. Decembris caſtra movit; et, tranſmiſſo ad [k] Pontem vicinum [l] Axona, regem obvium habuit cum IↃCCC delectis equitibus: qui, praemiſſo C. Birono, mox cum delecta manu ſubſecutus eſt uſque ad [m] Bazochium vicum; et F. [n] Lanovio, qui [o] Theodorici-caſtro ad ipſum venerat, negotio dato, ut ex ſingulis equitum alis delectos ad ſe mitteret, V globos ſtruit, ſingulos L circiter equitibus conſtanteis. Heic acriter certatum, initio a Carabinis, ii ſunt equites ſcloppetarii loricis tecti, qui cominus ictus ejaculantur; in quos impreſſione facta Bironus cum multoties manus conſeruiſſet, tandem, ſuperveniente univerſo hoſtili exercitu, noſtri ceſſere, longiore quam putabatur receptu, eoque periculoſiore. Quamobrem qui res Parmenſis ſcripſere, regios ea die caeſos prodiderunt: quos tamen majore periculo quam damno certaſſe conſtat; quippe duo tantum deſiderati, plures ex hoſtibus, atque in iis [p] Blaſius Capiſuccus Romanus alae equitum dux. Inde rex ſenſim cedendo et frontem ſemper hoſti obvertendo ad [q] Longovallum vicum pervenit, ſemper inſequente hoſte, donec nox certamen diremit. [r] Pontarſium ea nocte hoſpitium regi praebuit, quae fuit inſomnis, hoſte a tergo et a fronte ſibi metuente, nec noſtris ſatis loco fidentibus. Poſtridie Nivernius ex Campania, [s] Meloduno [t] Givrius et Paraberus cum delectis copiis venientes ſe regi conjunxerunt. III demum Kal. Decembr. cum hoſtilis exercitus [v] Marlam verſus tendens ad [w] Arborem Guiſae, ſic locum cum vocant, conveniſſet, rex, equitatu ad [x] Creſciacum convenire juſſo, ad locum venit, C. Birono cum XL delectis praemiſſo, qui ultimum agmen carperet; quem Longovillanus dux e veſtigio ſecutus eſt, cum equitum agmine. Rex ipſe cum reliquis quas habebat copiis Bironum aſſecutus certamini intervenit, quod a Carabinis e proximo loco incumbentibus inchoatum; et cum illi a Birono pulſi eſſent, ſuperveniente cum cataphractis haſtatis Georgio Baſta, reſtitutum eſt, ſuffoſſo Bironi equo. Poſtremo regis de Bironi ſalute ſoliciti ſuperventu finis pugnae impoſitus, hoſte in fugam verſo, deſideratis pleriſque e ſuis, et parte impedimentorum amiſſa: et, ſi quidem reliquus equitatus in tempore adveniſſet, ea die ſucceſſu majore debellari potuiſſe prudentioribus perſuaſum fuit. Parmenſis ubi ad limitem pervenit, habito cum Meduanio colloquio, poſt amplexus utrinque datos, partem copiarum penes ipſum reliquit; quibus ſpem fecit, ut vere proximo novae ſummitterentur, quae in feſſorum locum ſuccederent.

Ita

INTERPR. [a] *Chateau d'Omont.* [b] *le duché de Rethelois.* [c] *Maubert-fontaine.* [d] *Mont-cornet &* *Rocroy.* [e] *Chaalons.* [f] *Eſpernay.* [g] *Tartenis.* [h] *la Fere.* [i] *Fimes.* [k] *Pont-averé.* [l] *l'Aiſne r.* [m] *Bazoches.* [n] *de la Noüe.* [o] *Chateau-Thierry.* [p] *Biaſio Capizucchi.* [q] *Longueval.* [r] *Pontarſy.* [s] *Melun.* [t] *les ſieurs de Givry & de Parabere.* [v] *Marle.* [w] *l'Arbre de Guiſe.* [x] *Creſcy.*

Ita re feliciter confecta, ac Lutetiae ſoluta obſidione, triumphabundus in Belgium revertitur. Rex ad [a] Quintini-fanum divertit; quod viciſſim, quaſi re bene geſta et pulſo hoſte, ovanti ſimilis ingreſſus eſt; laetitiamque publicam mox cumulavit felix ad [b] Corbiam ſucceſſus. Id oppidum eſt in Ambianis IV ſupra [c] Samarobrigam leucis ad Somonam poſitum, coenobio venerandae antiquitatis olim a Carolo Magno condito nobile, alteri Corbienſi cognomine, quod ab eodem Carolo in Saxonia fundatum eſt. Locum ſitu et arte ut in limite firmum tuebatur Pontius [d] Bellaforerius, qui a rege defuncto fruſtra ſolicitatus poſt Guiſii caedem ad partes foederatorum defecerat. Carolus Humerius Longovillani provinciae praeſidis vicarius conſilium de eo intercipiendo jam pridem ceperat; quod multoties varias ob cauſas dilatum IV Eid. Decembr. executus eſt, admotis crepitaculis; quorum diſploſione refractis unius atque alterius portae clauſtris, vis facta, et oppidum, trucidatis praeſidiariis atque ipſo Bellaforerio, captum eſt, magno Samarobrigae civitatis incommodo, quae, inde [e] Piquinio, inde Corbia, tanquam cornibus prenſa, ab eorum locorum potente legem fere accipit. Erat in eo coenobio pretioſa librorum veterum ſupellex; quae, a ſtudioſis raptim illac tranſeuntibus antea carpta, tunc omnino expilata eſt. Chriſtophorus [f] Lanoius Boſſerius uxoris Humerii frater uterinus, qui cum Parabero egregiam in eo capiendo operam navaverat, cum valido praeſidio loco imponitur. Inde rex [g] Silvanectum venit; ubi Gulielmum [h] Daſiſium ſenatus Burdigalenſis primarium praeſidem audivit, virum graviſſimum et eloquentiſſimum, cum XI ex eodem ordine delegatis miſſum, ut regem ad majorum religionem capeſſendam, ejerata Proteſtantium doctrina, hortaretur. Quod cum ille digniſſime feciſſet, rex in bonam partem ejus orationem ſe accipere teſtatus eſt, nihilque potius in votis habere dixit, quam ut, quamprimum per inimicorum turbas ac pernicioſos contra regnum conatus liceret, inſtructioni toties a ſe expetitae, ſive per univerſale, ſive per nationale legitimum concilium id fieri poſſet, vacaret, et eorum deſideriis hac in parte ſatisfaceret. [i] Nivernius a rege dimiſſus cum in [k] Campaniam rediiſſet, cognito Sanpaulum ad [l] Villafrancam in limite caſtellum ad Moſam munitiſſimum caſtra poſuiſſe, protinus illuc tendit: ſed, ſive proditione, ſive ignavia praefecti, oppidum jam deditum reperit, cum damno repulſis iis quos ſubſidio miſerat.

XII. IN aliis quoque regni partibus vario eventu hoc anno pugnatum fuit. Henricus Borbonius [m] Dumbarum princeps, nuper [n] Armoricae cum ſummo imperio impoſitus, quamprimum Lavallo in provinciam rediit, [o] Condate Rhedonum, quo copiis ſuis diem condixerat, profectus, [p] Namnetes verſus iter intendit; cognitoque [q] Mercurianum, ut conatus ipſius impediret, Vincentium [r] Launaeum Quercaeum-Vauluetum levis armaturae praefectum cum CC equitibus miſiſſe, inopinato venientem aggreditur, ac fundit, Renato [s] Riuſio Surdeaco et [t] Broſſaeo rem gnaviter gerentibus: in certamine ipſe Vauluetus cum pleriſque aliis captus. Inde [v] Dumbarenſis [w] Anceniſium verſus cum exercitu procedit, caſtellum loco amoeniſſimo ad Ligerim ſitum, quod a foederatis tenebatur, et quo peditatus hoſtilis hoſpitium habebat. Ibi crebris velitationibus acriter certatum, deteriore hoſtium conditione. Sed hoſtium cladem penſavit jactura in morte [x] Pontii reguli peditatus regii praefecti, qui ex vulnere in brachio accepto deceſſit, accepta. Is moriens viridi adhuc juventa teſtamento praecipit, ut filia, quam unicam ampliſſimorum bonorum heredem relinquebat,

INTERPR. [a] *S. Quintin.* [b] *Corbie ſur la Somme.* [c] *Amiens.* [d] *de Belleſourieres.* [e] *Piquigny.* [f] *de Lannoy Sr de la Boiſſiere.* [g] *Senlis.* [h] *Daffis.* [i] *le duc de Nevers.* [k] *Champagne.* [l] *Villefranche.* [m] *de Dombes.* [n] *Bretagne.* [o] *Rennes.* [p] *Pays Nantois.* [q] *le duc de Mercœur.* [r] *de Launay de la Cheſnaye Vaulouet.* [s] *de Rieux Sr de Sourdeac.* [t] *le Sr du Broſſay.* [v] *le prince de Dombes.* [w] *Ancenis ſur la Loire.* [x] *le baron du Pont.*

relinquebat, filio Renati [a] Tornaminii Hunaldaei provinciae legati itidem puero, cum primum uterque adoleviſſet, deſponderetur. Pontio in peditatus praefectura ſuffectus eſt [b] Sebaſtianus Roſmadecus Molaci regulus, qui ſtrenuam admodum operam toto bellorum tempore regi navavit. Interea [c] Vitreum in finibus provinciae [d] Cenomanorum poſitum oppidum ſuperiore anno a Mercuriano tentatum, quod a Joanne [e] Maſſa Monmartino tenebatur, arctius premi coepit, vicinis caſtellis ab hoſte inſeſſis; quae Maſſa cum praeſidiariis tunc egreſſus eductis tormentis vi cepit, ac demolitus eſt: et cum [f] Martinaeus et Hurlaeus ordinum ductores cum CC circiter laborantibus ſubveniſſent, ab eodem caeſi ſunt. Nec multo poſt [g] Caſtellionis et Fulgerei oppidi praeſidiarii ex inſidiis Vitreanam arcem noctu intercipere aggreſſi, jam intromiſſis XL ex ſuis, ab ipſo expeditionis duce proditi, partim interfecti, partim capti ſunt: praecipuaque [h] Ratonis centurionis primarii in eo certamine opera fuit; qui et poſtea, cum Monmartinus abeſſet, a rege ad obſidionem Pariſienſem haerente evocatus, arce a [i] Menovio Monmartini vicario ſeu connivente ſeu ſecure agente amiſſa, cum oppidanis et praeſidiariis ſtrenue ad eam recuperandam ſe accinxit, et ex periculo animos capiens, admotis ad pontem ſublicium crepitaculis, cum [k] Mercurianus haud longe cum univerſis copiis eventum opperiretur, vim fecit, occiſoque hoſtium duce, nec alia praeterea caede facta, arcem recepit. Diverſa parte [l] Dumbarenſis, collectis copiis in inferiorem provinciam deſcendens, [m] Hennebondam verſus tendit, II a [n] Blaveto portu optimo, VII a [o] Venetorum civitate leucis oppidum, licet non ita firmum, tamen portu et ad res gerendas commodo ſitu opportunum, ex quo vicinis locis, quae a regiis tenebantur, ac [p] Breſto inprimis, multum incommodabatur. Itaque ex conſilio Vidi [q] Riuſii Caſtronovii, qui Breſtum tenebat, locum capi placuit, qui et IX tormenta in eam rem commodavit; quibus admotis et ruina facta praeſidiarii vitam et res ſalvas pacti ſe dedidere. Impoſitus Hennebondae Antonius [r] Pratenſis ſtrenuus ordinum ductor cum legione ſua, relictis in ea tormentis Breſto advectis: cui et negotium datum loci feſtinatis operibus muniendi; jam enim fama percrebuerat de auxiliari Hiſpanorum exercitu brevi appulſuro, quibus Blavetum portum pro receptu Mercurianus deſtinaverat. Capta Hennebonda exercitus [s] Joſſelinum verſus ducitur, [t] Roanae ditionis caſtellum, turri quadrata admirandi operis inſigne, quod ab [v] Oueſta amne [w] Maleſtretum praeterlabente alluitur. Caeſa primo adventu levis armatura hoſtium, quam Gilbertus [x] Pedifolius Comberondus ducebat. Inde medio amne rei utrinque gerendae tentata occaſio; et cum proelii conferendi copiam fieri ſumme expeteret Dumbarenſis, ad [y] Fani-Andreae rupem tentatum ab hoſte vadum, ſed ſimulate, ut mox apparuit: nam oſtentatis utrinque copiis cum Dumbarenſis juvenili impatientia hoſtem laceſſeret, nuſquam ad manus ventum eſt; tantum leves velitationes per intervalla conſertae, plerumque deteriore noſtrorum conditione, dum avidius in hoſtem feruntur. In iis captus [z] Giffarderius, errore notarum in conflictu deceptus, et ex vulneribus poſtea mortuus. Tandem, cum Dumbarenſis in vaſto ericeto, cui vulgo a [aa] Quercu-torta nomen, diu commoratus eſſet, fruſtra tentata proelii alea, Maleſtretum tendit; ubi, impedimentis relictis, reficiendo militi aliquid temporis impendere ſtatuit. Unde occaſione capta Mercurianus, qui IX levis armaturae alas, II cataphractorum equitum Gabrielis [bb] Guleni, et Daradoni, cum

praeſidiariis

INTERPR. [a] *de Tournemine Sr de la Hunaldaie.* [b] *Sebaſtian de Roſmadec baron de Molac.* [c] *Vitré.* [d] *le Maine.* [e] *du Mas Sr de Montmartin.* [f] *les capitaines Martinaye & Hurlaye.* [g] *Chaſtillon & Fougeres.* [h] *le capitaine Raton ſergent major.* [i] *le Sr de Meſneuf.* [k] *le duc de Mercœur.* [l] *le prince de Dombes.* [m] *Hennebond.* [n] *Blavet.* [o] *Vannes.* [p] *Breſt.* [q] *de Rieux Sr de Chateauneuf.* [r] *du Pré.* [s] *Joſſelin.* [t] *de Rohan.* [v] *Ouſt.* [w] *Maleſtroit.* [x] *du Puy du Fou Sr de Combronde.* [y] *le Roc S. André.* [z] *de la Giffardiere.* [aa] *Cheſne-tort.* [bb] *de Goulenes & Daradon.*

praeſidiariis [a] Dinami, Dolae et Fulgerei, quos ſecum Franciſcus Lotharingus [b] Chauſſinii marchio Mercuriani frater adduxerat, inferioris item [c] Armoricae copias, [d] Farveto, Rozempone, Coetreſalco, Queruzio ducibus, ſuam praetorianam equitum, et Joannis [e] Avaugurii Sanlaurentii alam, III peditum legiones, et XXII equitum ſcloppetariorum cohortes penes ſe haberet, protinus Hennebondam verſus iter intendit, quaſi eam petiturus; moxque ad [f] Lopadrum deflexit, vicum in Blaveti canalis, qui loco nomen poſtea dedit, aeſtuario ſitum; in quem plerique e plebe vicina regi fida ſe cum uxoribus, liberis, ac ſupellectile receperant. Oppugnatio terra marique eodem tempore facta; et cum ſe obſeſſi fortiter a terra defenderent, claſſe expugnati ſunt. Nullo non genere crudelitatis in captos ſaevitum; non aetati, non ſexui parcitum: viri foeminaeque gravidae et pueri lactantes immaniter trucidati ſunt. Ad obſidionis ſubitae famam [g] Dumbarenſis copias tumultuario coegerat; eae erant VI levis armaturae alae, V cataphractorum equitum, et praetorianum vexillum, III legiones peditum, et XVII cohortes ſcloppetariorum equitum; quibus ſe adjunxerant [h] Molacus et Franciſcus Momorantius [i] Halotus, cum novis, quas in limite Neuſtriae ſcripſerat, peditum cohortibus. Dum in itinere eſſet, clade obſeſſorum cognita, nihilominus pergit, ultione ardens, et caſtra inter [k] Hennebondam et Auraicum, ubi [l] Mercurianus hoſpitium ſumpſerat, metatur, et II tormenta ac totidem colubrinas Hennebonda advehi curat. Quo cognito hoſtes, traductis trans canalem in aeſtuario maris, qui Auraicum ſecat, tormentis, verſus [m] Venetorum civitatem fugientibus ſimiles tendunt: eoſque inſecutus Dumbarenſis, et acie in conſpectu eorum inſtructa, velitationes ciet, in quibus Aegidius [n] Loraeus Jovius caſtrorum praefectus, genus ab [o] Ambroſio illo annalibus noſtris famoſo duce, qui tam fidam Carolo VII contra Anglos operam navavit, ducens, calore pugnae provectus, cum ſepta munitionum hoſtilium perrupiſſet, interfectus eſt, magno ſui relicto deſiderio. Cum ne ſic quidem hoſtis ad certamen prolectari poſſet, Auraicum ab hoſte deſertum concedit, feſſis ſuis, et Neuſtriae copiis a ſignis quotidie diſcedentibus; quanquam Molacus et [p] Rucavilla omnem operam darent, ut militem in officio continerent. Sed accidit res, quae plerorumque animos nonnihil turbavit. Franciſcus [q] Keraldanetus Raſcorius, e nobilitate provinciae vir opulentus, militem in inſulis ditionis Anglicae et Scotia ſcripſerat, cum eoque regi militabat, ſuſpicione procul, quippe Proteſtantium doctrinae addictus; quam tamen de ſe concitavit, Franciſcano quodam, quem a [r] Keruzio Mercuriani tribuno miſſum poſtea conſtitit, ad Dumbarenſem adducto et commendato. Ob id comprehenſus et tormentis ſubjectus, quanquam nihil fateretur, tamen, quaſi conjurationis contra Dumbarenſem regiumque nomen initae reus peractus, ex belli conſiliariorum, qui in exercitu erant, ſententia ad mortem damnatur, et V Kal. Quintil. Auraici ſecuri percutitur, non ſine occulta eorum qui Dumbarenſis juventuti admoti erant invidia, cum plerique judicium calumniae ſuſpicione minime carere arbitrarentur. Inde exercitus ad [s] Moncontureium admovetur, [t] Pentevriae principatus Mariae Lucemburgae Mercuriani uxori dotalis primarium caſtellum, in [v] Brioceuſi dioeceſi; quam expeditionem Dumbarenſis, novis copiis [w] Quintino, Limollano, et Hunaldaea nuper ſummiſſis fretus, ſuſceperat, proelii cum hoſte, ſi auxilio ſuperveniret, conſerendi, aut loci toto eo tractu ad res gerendas valde opportuni potiundi fiducia. Cum hoſtis non compareret, poſt verberationem factam oppugnatio tentatur, irrito conatu, ſed eo metu

obſeſſis

INTERPR. [a] *Dinan, Dol, & Fougeres.* [b] *Chauſſins.* [c] *Bretagne.* [d] *de Farvet, Rozempon, Coitrefaux, & Querouzy.* [e] *d'Avaugour Sr de S. Laurent.* [f] *Lopedran.* [g] *le prince de Dombes.* [h] *le baron de Molac.* [i] *le Sr de Halot.* [k] *Hennebond & Auray.* [l] *le duc de Mercœur.* [m] *Vannes.* [n] *de Loré Sr de Joué.* [o] *Ambroiſe de Loré.* [p] *de Rugueville.* [q] *Keraldanet Sr du Raſcol.* [r] *le Sr de Kerouzy.* [s] *Montcontour.* [t] *Penthievre.* [v] *S. Brieu.* [w] *Quintin, Limollan, & la Hunaldaie.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

obſeſſis incuſſo, ut ſtatim honeſtis conditionibus ſe dediderint. Cum [a] Lemballam alterum Mercuriani praecipuum caſtellum capere in animo haberet Dumbarenſis, et primo impetu oppidum cepiſſet, dum ad arcis obſidionem cuncta apparantur, cognito hoſtem, qui ad [b] Maleſtretum caſtra poſuerat, vaſa conclamaſſe, et [c] Dinamum aut Maclovii-fanum petere, obſidionem ſolvit, [d] Guingano omiſſo, quod initio tentari placuerat; obviamque hoſti progreſſus, quaſi de ſumma cum Mercuriano decreturus, comperit [e] Sanlaurentium cum parte copiarum Dinamum ab eo miſſum, ipſum [f] Reddonum cum reliquis copiis conceſſiſſe. Itaque feſſis jam ſuis exercitum dimittere coactus, vix a ducibus impetravit, ut tormenta, quae penes ſe habebant, ipſis comitantibus, [g] Condate Redonum in tutum deducerentur. Jamque auxiliaris Hiſpanorum exercitus, qui V CIↃ bellatorum conſtabat, duce [h] Joanne Aquila, [i] Laredo Cantabriae portu ſolverat; qui Octobri ineunte ad Blavetum aeſtuarium appulit. Iis praeſto fuit Mercurianus cum equitatu ſuo et peditatu, conjunctiſque copiis Hennebondam petit; et, admotis compluribus tormentis, partim ex [k] Namnetibus, partim ex Hiſpania advectis, cum ingentem ruinam edidiſſet, nec [l] Pratenſis, qui loco praeerat, ſatis diligentiae in loco muniendo adhibuiſſet, fit deditio, accedente ad loci adeo opportuni amiſſionem IX machinarum ac belli apparatus, qui in eo copioſus erat, jactura. Daradonus loco a victore cum valido praeſidio imponitur. Dumbarenſis, jam propriis viribus contra hoſtem impar, cum Condate interim veniſſet, et Hiſpanum atque adeo juratum Gallici nominis hoſtem in [m] Armoricam, in qua jus ſibi arrogabat, introductum indigniſſime ferret, literas XVII Kal. Novembr. ad provinciae ordines dat, invidiae contra [n] Mercurianum plenas, qui, ut ambitioni ac libidini privatae ſatisfaceret, omnia divina et humana jura miſcuiſſet, et fidem regi de ſe tam bene merito fefelliſſet, ac caedi ejus participaſſet, et, cum poſtremo viribus ſuis in provincia ſtare non poſſet, Hiſpanum majore ſcelere induxiſſet. Tum cunctos ordines hortatur, ut, amoto a conſpectu religionis velo, cujus obtentu ipſis pernicioſiſſime per ſceleratae factioni addictos concionatores hactenus impoſitum fuit, ſe reſpiciant, et teterrimae ſervitutis jugum, quod ab Hiſpano per libidines et crudelitates, ubicunque rerum potitur, tota Europa et in Indiis graſſante imminet, liberis adhuc cervicibus excutiant: brevi ultorem fore Deum, qui nomini ſuo per ſimulationem religionis illudi minime paſſurus ſit: nec id eo dicere, quod potentiam hujus aut illius reformidet; nec petere, ut in ipſorum arces, caſtella, urbes recipiatur; tantum orare, ut ſe domi contineant, et ſpectatores ad rerum eventus ſedeant, neque hoſtem tecto aut conſilio juvent: quod ſi faciant, ſe Dei ope fretum et regiis armis ſubnixum ſperare, ut propediem, parto de alterius perfidia et alterius immanitate inſigni triumpho, utrumque ſceleris et temeritatis poeniteat. Paulo poſt IↃCCC Germani pedites ab exercitu regio jam diſſoluto in Armoricam miſſi: et cum a circumpoſitis caſtellis in Cenomanorum et provinciae finibus multum damni acciperent regii, [o] Brandelius Campanus Villanae marchio, qui Lavallum tenebat, ad Dumbarenſem ſcribit, et ut ſibi in iis capiendis praeſto eſſet rogavit. Miſſus [p] Hunaldaeus cum C equitibus et IↃ ſcloppetariis; cujus ope fretus Villanius [q] Malenciam inter Vitreum et Redones ſitam admotis tormentis capit. Tum progreſſus [r] Patreriam, cui [s] Picainus cum valido praeſidio praeerat, eo ad colloquium evocato, in fidem accipit. [t] Burgallum haud hinc longe, [v] Cratumno vicinum, immiſſo prius

ab

INTERPR. [a] *Lamballe.* [b] *Maleſtroit.* [c] *Dinan & S. Malo.* [d] *Guingam.* [e] *de S. Laurent.* [f] *Reddon.* [g] *Rennes.* [h] *Don Juan de l'Aguila.* [i] *Laredo en Biſcaye.* [k] *Nantes.* [l] *Du Pré.* [m] *Bretagne.* [n] *le duc de Mercœur.* [o] *Brandelis de Champagne marquis de la Villaines, fils puiſné de Nicolas de Champagne, premier comte de la Suze au Maine creé en 1566.* [p] *le Sr de la Hunaldaie.* [q] *Chateau de Malence, entre Rennes & Vitré.* [r] *la Patriere.* [s] *le capitaine Picaignes.* [t] *Chateau de Bourgeau.* [v] *Craon.*

ab hoſte incendio, deſertum eſt. Majus negotium in [a]Corileto ad Meduanam, ſitu et arte firmo caſtello, capiendo fuit, cui [b]Brocarderius impoſitus fuerat, homo factioſus, et qui belli initio [c]Guntheri-caſtrum in Andibus ceperat. Is cum juſſus locum dedere recuſaret, diſploſis tormentis et ſcalis admotis oppugnatio tentatur; in qua LX circiter ex obſeſſis interfecti, ceteri capti: Brocarderius aliique ſeditioſi in furcam acti ſunt. Haec extremo anno in [d]Armorica geſta.

XIII. IN Aquitania Jacobus [e]Gobio Matignonus provinciae praeſes res ſumma moderatione adminiſtrabat, ſatiſque habebat, ſi ceteras civitates ac ſubditos ampliſſimae toto regno provinciae populos ſine armis exemplo Burdigalenſium in officio contineret. [f]Burdigalae etſi plerique, inſtigantibus Jeſuitis hujus belli initio urbe exactis, qui [g]Aginni et Veſunae Petrocoriorum urbibus foederationi addictis receptum habuerant, et eorum emiſſariis, a regis partibus alieni erant, tamen Matignoni metu, qui arces in poteſtate habebat, voluntates renudare non audebant. At apertius in ſenatu res agebatur, ubi odio Proteſtantium et regis eorum doctrinam ſequentis nondum in actis publicis nomen regis aſcribebatur, tantumque ſigillo defuncti regis in ſenatus-conſultis obſignandis utebantur. Id perridiculum et exemplo pernicioſum cum prudentioribus videretur, ut cujus morte mandatum expiraverat, ejus auctoritate et nomine acta publica, quaſi interregnum eſſet, ſpreto eo qui regnabat, valerent, malo occurrendum ratus Matignonus, ſic illud citra tumultum prudenter correxit, N. [h]Contio libellorum ſupplicum magiſtro, qui ſigilli curam gerebat, ſuggerente. Per eum ſiquidem novum ſigillum, conflato vetere, cudi curavit, in quo HENRICI IV FRANC. ET NAV. R. nomen et inſignia aſcripta erant. Cum diplomata hujuſmodi nomine ac ſigillo firmata non admitteret ſenatus, diemque Contio dixiſſet, cognitor regius interceſſit: et, re in deliberationem deducta, cui Matignonus interfuit, cum ſuſpecti ab eo judicio aliis de cauſis rejecti eſſent, tandem ſenatusconſultum tenuit, ut regis nomen et inſignia in actis publicis ubique reciperentur. Aliquanto poſt, cum Matignonus in [i]Condomenſem agrum profectus abeſſet, foederati [k]Rionium in Vaſatenſi agro [l]Labretanae ditionis caſtellum ex inſidiis in Franciſcanorum coenobio portae caſtelli proximo ſtructis occupant; et, obſidionem veriti, continuo ipſum coenobium, ejectis Franciſcanis, a quibus introducti fuerant, a fundamentis demoliri aggrediuntur. Sed ſuperveniente ſtatim Matignono locus corona cingitur; et poſt verberationem edita ruina obſeſſi deditionem, vita et rebus ſalvis, paciſcuntur. Poſtea IV Kal. Novembr. [m]Burgum, in confluenti [n]Garumnae et Duranii ſitum oppidum, itidem a foederatis intercipitur, arce, in quam [o]Juviſerius ſe receperat, ſalva; quam et ille magna conſtantia adverſus hoſtes defendit, donec, copiis Burdigala ſummiſſis, quae loco illo occupato ſummis difficultatibus conflictabatur, et ſuperveniente [p]Eſpernonio cum praeſidiis [q]Enguliſma et locis vicinis adductis, foederati, inter arcem et regios obſeſſi, locum relinquere coacti ſunt, Burgo penes Eſpernonium remanente, vixque poſt varias regis interpellationes reſtituto. Sub id, dum rex in caſtris prope [r]Medontam eſſet, diploma, IV Eid. Novembr. datum, [s]Caeſaroduni Turonum in ſenatu decimo poſt die recitatur, quo curiae, initio bellorum Henrico III rege ad jus inter Proteſtanteis dicendum inſtitutae, in Santonibus ad [t]Joannis Angeriaci fanum, Bergeraci in Petrocoriis, et Montalbani in Cadurcis revocantur, et juriſdictio iis attributa ad tribunalia antiqua ac curias, unde extractae

INTERPR. [a] *du Coudray ſur la Mayenne.* [b] *Brochardiere.* [c] *Chateau Gonthier en Anjou.* [d] *Bretagne.* [e] *de Goyon mareſchal de Matignon gouverneur de Guienne.* *Bourdeaux.* [g] *Agen & Perigueux.* [h] *le Conte maiſtre des requeſtes.* [i] *le Condomois.* [k] *Rions en Bazadois.* [l] *d'Albret.* [m] *Bourg.* [n] *la Garonne & la Dordogne.* [o] *Juviſiere.* [p] *le duc d'Eſpernon.* [q] *Angouleſme.* [r] *Mante.* [s] *Tours.* [t] *S. Jean d'Angely en Saintonge, Bergerac en Perigort, & Montauban en Quercy.*

extractae fuerant, transfertur. Quo nomine rex non parvam gratiam a Burdigalenſibus inivit, et benevolentiam eorum arctius in poſterum ſibi devinxit.

XIV. In Delfinatum et [a] Provinciam majore mole bellum incubuit, quibus provinciis ut magis vicinis Sabaudus jampridem inhiabat. Itaque cum ſuperiore anno fruſtra Delfinates, quibus Alfonſus [b] Ornanus Corſus et Franciſcus Bona Diguierius regis nomine praeerant, ſolicitaſſet, in Provinciam, in qua Bernardus Nogaretus Valeta rem gerebat, totas vireis vertit. Ineunte anno Diguierius ad [c] Gratianopolim, quam foederatorum nomine Carolus [d] Simiena Albinius tenebat, caſtra poſuerat, et lenta obſidione urbem populoſam premebat, ratus ad deditionem penuria annonae eam compelli poſſe: ſed, Martio ſuperiore immiſſo ab Antonio Olivera commeatu et milite, cum Diguierius a rege, ut Sabaudo bellum faceret, ſolicitaretur, in longius quam ſperabatur tempus extracta obſidio eſt. Res Sabaudi in Provincia promovebat ope factioſorum Chriſtiana [e] Daguerra, Franciſci Ludovici [f] Agutii Saltus comitis vidua, magni animi foemina, privatis injuriis ab Eſpernonio acceptis exaſperata, et a Joanne [g] Garda Vincio, qui ſororem mariti defuncti in matrimonio habebat, et rem bellicam foederatorum nomine adminiſtrabat, homine factioſo et a Sabaudo corrupto, incitata. Ea ſatagente Sabaudus cum potenti exercitu deſcenderat, cui ſe Valeta obvium fecit; conſertiſque aliquot levibus certaminibus cum ſemper ſuperior evaſiſſet, terrore ſui ſparſo [h] Pertuſi arcem, Puimichellum, Vallenſolam, Montiniacum et alia caſtella, ſeu vi ſeu deditione in fidem accepit, copiis Diguierii adjutus, qui cum CCC equitibus et CIƆ CC ſcloppetariis ad eum venerat. Haec Junio et Julio menſibus acta. Quo tempore [i] Caëta in arce ſua [k] Genebrae monti vicina oppreſſus eſt. Is natione Gallus, macellario, ut jactabatur, prognatus, animos ſupra fortunam ſumpſerat; et per bella civilia a Sabaudo corruptus cum in eo eſſet ut militem ejus mandatu ſcriberet, et [l] Brigantionem proximum et Ocellos, qui a foederatis tenebantur, Sabaudo addiceret, per amicos, quos in proxima valle regi fidos Diguierius habebat, admotis crepitaculis, nihil tale cogitans arce ſua capta et ipſe interfectus eſt Eidibus Quintilibus. Magnum ea mors ad res illis locis gerendas momentum Diguierio attulit, qui continuo ex Provincia illuc cum ſuis revolavit, ut Brigantionem reciperet, in quo multos regi fidos eſſe ſciebat, ceteros morte Caëtae territos ad primum impetum de deditione acturos. Eo IV tormenta muralia celeritate ſumma comportari curat; valloque ducto, antequam diſploſio fieret, [m] Clavaſonus, qui loco a Meduanio olim impoſitus fuerat, colloquium poſcit, et cum Diguierio de Brigantione tranſegit VIII Eidus Sextileis. Inde protinus ad Genebram montem tendit, ſi forte Ocellos, ubi pleroſque ſibi addictos habebat, eodem impetu in poteſtatem recipere poſſet; eo conſilio, ut, occupatis illis Alpium faucibus, per quas Gallis ad tormenta in Italiam traducenda olim aditus patuit, Sabaudum ingreſſu in Galliam ab illa parte prohiberet. Cum conatus non ſucceſſiſſet, rurſus in Provinciam deſcendit, a Valeta evocatus, qui ad [n] Maximini-fanum obſeſſis ſuccurri cupiebat. Franciſcus [o] Martinengus, qui, revocato a Ferrarienſi duce [p] Sanmartino comite, cum ſummo imperio Sabaudi copiis praeerat, oppidum arcte cinxerat, prope ut obſeſſi, cum ſumma omnia feciſſent, omni ſpe auxilii abjecta animis deficerent. Cum haud longe a [q] Barcinona ditionis Sabaudae oppido Diguierius abeſſet, [r] Salinas veteranus dux Hiſpanus, qui loco praeerat, in [s] Boſſetum peditum cohortis, et [t] Bricomontium cataphractorum equitum alae duces, quos caſtris exuturus venerat, incidens,

INTERPR. [a] *Provence.* [b] *le colonel d'Ornano, & F. de Bonne Sr de Leſdiguieres.* [c] *Grenoble.* [d] *de Simiane Sr d'Albigny.* [e] *Daguerre.* [f] *d'Agout comte de Sault.* [g] *de Garde Sr de Vins.* [h] *Pertuis, Puimichel, Vallenſole, & Montagnac.* [i] *le capitaine la Caiete.* [k] *Mont-Genevre.* [l] *Briançon & Exilles.* [m] *Clavaiſon.* [n] *S. Maximin.* [o] *il conte Martinengo.* [p] Campana le nomme *Marcheſe di Sanmartino.* [q] *Barcelonette.* [r] *de Salinas.* [s] *le capitaine Boiſſet.* [t] *de Bricquemaut.*

incidens, male ab ipſis mulctatus eſt, amiſſis ex ſuis amplius C, captis circiter XXX; vixque ipſe cum paucis ſe periculo ſubduxit. In eo conflictu [a] Vollurius ſtipatorum Sabaudi praefectus, qui, parenti Sabaudi ante X annos poſt Rogerii [b] Bellogardii equitum tribuni mortem arce [c] Carmaniolae tradita, pro proditionis praemio hanc dignitatem meruerat, captus, ex vulneribus in eo conflictu acceptis mox deceſſit, et morte ſupplicium ſceleri debitum effugit. Id accidit nono poſt Brigantionem deditum die. Poſtridie [d] Riſolium a Diguierio receptum ditionis Sabaudae caſtellum, in quo duo erant peditum ſigna, cum armis dimiſſa, traditis ſignis. Progrediente exercitu Martinengus, qui ad Fanum-Maximini haerebat, obſidionem ſolvit. Quo cognito Diguierius, ne ſine aliquo operae pretio in Provinciam deſcendiſſe videretur, [e] Barlam corona cingit, et poſt VIII dierum obſidionem pridie Kal. Septembr. locum capit, dedentibus ſe ejus arbitrio praeſidiariis. Parte alia Sabaudus ipſe cum III CIↃ peditum et CCC equitibus ad [f] Pauli-fanum caſtra ponit, admotiſque III tormentis templum tumultuaria opera a Diguierio in ipſius Sabaudi ditione munitum quatit, et eodem quo Barla capta eſt die deditione recepit, dimiſſis praeſidiariis cum armis, ſignis explicatis, et ſonantibus tympanis. Quo eodem die cum celeritate ſibi familiari Diguierius uſus, ut Fano-Pauli obſeſſis praeſto eſſet, [g] Varium III leucis ab hoſtium caſtris veniſſet, Sabaudus, congreſſum noſtrorum veritus, protinus in proximum montem Arcus vulgo dictum, vix conclamatis vaſis, profugit, et ad facium lumen tota nocte iter proſecutus eſt, donec in tutum pervenit. Noſtri ultimum agmen tantum carpſere, in quo Petrus [h] Varga ſtipatorum uxoris Sabaudi primarius centurio captus eſt. Diguierius poſtridie ſucceſſum urgens Fanum-Pauli nuper amiſſum obſidet, et, non expectatis tormentis, crepitacula admovet, medioque die poſt trium horarum obſtinatum certamen vi capit, CC praeſidiariis, qui in eo erant, trucidatis, et [i] Sapata loci praefecto et Hercule [k] Capra ejus centurione captis. Eodem tempore [l] Sonnas Sabaudi juſſu in [m] vallem Ocellis ſubjectam deſcenderat, cum III CIↃ peditum ac CCC equitibus ad vaſtandum [n] agrum Brigantinum et Ebrodunenſem miſſus, conjunctiſque copiis [o] Guilleſtram poſtea petiturus. Huic ut occurreret Diguierius protinus Brigantionem verſus iter intendit; cognitoque hoſtem ad [p] Calmoſium caſtra metatum, anguſtias illas occupandas per [q] Convallenſeis curat, eoque [r] Morgium cum ſua L cataphractorum ala et II peditum ſignis mittit; qui, certamine jam inchoato, ſub id tempus venit, quo victoria feſſis noſtris nutabat; continuoque equis relictis in pedes deſcendit, et ad munitionem, quam hoſtes tribus locis cum CIↃIↃ oppugnabant, reſtituta pugna eos loco pellit, CXX ex iis interfectis. Id accidit V Eidus Septembreis. Quatriduo poſt Diguierius II ab Ocellis leucis caſtra promovet; ubi cognovit Sabaudum [s] Nicaeam retro ceſſiſſe, Sonnati parte copiarum relicta: quem ut ad proelium compelleret Ocellos petit, et IV tormenta Ebroduno trans montes advehi curat. Sonnas ad [t] Caumontium tunc haerebat; quo mox relicto, noſtros tam vicinos veritus, cum CIↃ IↃ ſcloppetariis et V equitum alis [v] Seguſionem conceſſit. Eum Diguierius adſecutus tam idoneo loco vim facit, ut hoſtem ſolutum in fugam protinus verterit, magna ſtrage edita. Deſiderati amplius CCC; in iis [w] Montagrius, Vallerius, Capotius ſenior, et complures ordinum ductores: capti itidem permulti, inter quos fuere Capotius junior caſtrorum praefectus legatus marchionis [x] Trefortii, [y] Triſſilvius, Raverius, et [z] Santhononus nobiles ordinum ductores. Sonnas ipſe, diu

INTERPR. [a] *la Vollure.* [b] *le mareſchal de Bellegarde.* [c] *Carmagnolle.* [d] *Riſoles.* [e] *Chateau de Barles.* [f] *Egliſe nommée S. Paul.* [g] *Vars.* [h] *de Vargas.* [i] *de Zapata.* [k] *Capra.* [l] *de Sonnas.* [m] *Vallée d'Exilles.* [n] *le Briançonnois & l'Embrunois.* [o] *Guilleſtre.* [p] *Chaumois.* [q] *ceux des Vallées.* [r] *le Sr de Morges.* [s] *Nizza.* [t] *Chaumont.* [v] *Suſe.* [w] *les ſieurs de Montaigre, de Valieres, & Chapot.* [x] *de Trefort.* [y] *Troiſſelves Savoyard, & la Rauviere.* [z] *Sainthanon*: la Relation met *S. Honos.*

diu per opacum noctis vagatus, aliquandiu pro mortuo a ſuis habitus eſt. Fugientibus Seguſio perfugium fuit. Biduo poſt Ludovicus [a] Blanius Poetus et H. Foreſtus Blaconus in caſtra cum delectis copiis venerunt; eae erant CC cataphracti equites, et CCC ſcloppetarii: quibus ſubnixus Diguierius ad Ocellos in extremo limite noſtro poſitum caſtellum caſtra ponit. Ponſenacus, qui loco praeerat, res Sabaudi acciſas videns, admota jam tormenta, regios novis viribus firmiores, infeſta circum omnia, neque auxilii ſpem ullam reliquam, mature de deditione cogitare coepit; vitamque ac res ſalvas pactus pridie Kalen. Octobr. locum Diguierio tradidit. Inter [b] Seguſionem et Novaleſiam loco edito ad montis radices juxta Talonum hoſtis VIII ſigna duce Venuſto collocaverat; quem locum, poſtquam de duello inter Morgium et Sonnatem facta ſponſio, excuſante ſe Sonnate quod a Sabaudo mandatum nondum accepiſſet, evanuit, acri oppugnatione cepit Diguierius, LX circiter occiſis, et in iis [c] Venuſto ipſo, Caſſardo et Caburdio primariis ducibus: captus [d] Villarius cum aliquot aliis: IV cohortes, quae [e] Gentovio caſtrorum praefecto militabant, a ſignis diſceſſere. Inde [f] Ocellos reditum, et [g] Ebrodunum reducta tormenta; eodemque tempore II tormenta [h] Vapinco, quod illac iter commodius eſſet, ditionis Sabaudae in Nicaeenſi principatu oppidum deducta: quibus admotis, et ruina idonea facta, Carolus [i] Roboreus Aſtenſis, qui loco praeerat cum CCC praeſidiariis, locum dedidit pridie Eidus Octobreis, armis, ſignis et impedimentis in eo relictis: tantum ductoribus conceſſum, ut cum gladiis et equis non militaribus exirent. Poſtridie [k] Merlaium caſtrum in eo tractu pulſatum; ruinaque edita vim veriti qui in eo erant noctu diffugere, relictis tantum XXX ſtationariis, qui mane in loco reperti et capti ſunt. Interea Sabaudus, qui plus in aſtu et ſecreta cum factioſis negotiatione praeſidii quam in ſuorum virtute poneret, inſtructo novo exercitu Nicaea in Provinciam ſecundum maris litus deſcendit; et, facto per [l] Antipolim itinere, [m] Forum Julii antiquum ac ſede epiſcopali inſigne oppidum ineunte Octobri occupat. Mox et [n] Draguinianum vi cepit, et aliquot circumpoſita caſtella. Cumque ſub id Gaſpar [o] Ponteveſius Carſii comes ad [p] Salonam in lapidoſo campo caſtra poſuiſſet, ſuperveniente Valeta et eruptione ab obſeſſis facta caeſus, vix cum paucis ad [q] Aquas Sextias receptum habuit. Ea in urbe ſenatus Provinciae habetur, et factionum ſtudia praecipue vigebant, annitentibus [r] Daguerra et Vincio eorumque emiſſariis. Itaque ſenatus-conſulto facto ex eorum conſilio mittuntur tandem ad Sabaudum legati Eleazarus [s] Raſtellus epiſcopus Regienſis, Caſtellanus Ampuſius, et N. Fabrica in curia patronus; quibus datum negotium, ut eum orarent, civitatis illius Catholicae atque adeo Provinciae univerſae patrocinium ſuſcipere dignaretur, eamque meliore qua videretur ratione a ſectariorum armis ac tyrannide defenderet, ac ei, qui Deo volente legitimus regni heres exiſteret, integram ſervaret. Legatos benigne excepit et audivit Sabaudus; laudataque eorum prudentia ac fide, qui ſe e multis delegiſſent, cui regni patrocinium multis nominibus debitum deferretur, ſuam operam eis prolixe, vel cum ſuarum ditionum periculo ac pernicie propria, viciſſim detulit, ob idque in Hiſpaniam ſe protinus [t] Ligniaci regulum miſſurum promiſit, qui de ratione belli gerendi et auxiliis quamprimum expediendis coram cum Philippo ageret. Dimiſſi honorifice legati et magnis muneribus ac majoribus promiſſis onerati, cum ſuae factioni addictis cuncta a Sabaudo ſecunda renunciaſſent, ad eum excipiendum civitas cuncta apparat; frementibus Gallici nominis ſtudioſis, qui hominem

externum

INTERPR. [a] *de Blain Sr du Pouet, & Hector la Foreſt Sr de Blacons.* [b] *Suſe & Novalaiſe prés de Talon.* [c] *le general Venuſte, & les capitaines Caſſard & Chaburd.* [d] *de Villars.* [e] *Gentou.* [f] *Exilles.* [g] *Embrun.* [h] *Gap.* [i] *Rouere d'Aſt.* [k] *Merlaus.* [l] *Antibes.* [m] *Frejus.* [n] *Draguignan.* [o] *de Pontevez comte de Carces.* [p] *Salon de Craux.* [q] *Aix.* [r] *Daguerre & le Sr de Vins.* [s] *Raſtel evéque de Riez, de Caſtellane Sr d'Ampus, & l'avocat Fabregues.* [t] *le Sr de Ligny.*

externum ac formidoloſum hoſpitem domum arceſſi non ſolum dedecoroſum ſed periculi plenum exiſtimabant. Ipſe motum veritus, ne repulſam pati cogeretur, in viam ſe dat, non tanquam [a] Aquas petiturus, ſed ſenſim progrediendo augurium ex eventu captans. Tandem, cum factionem in urbe praevalere intelligeret, ab emiſſariis confirmatus, Aquas XVIII Kalend. Decembris acceſſit, cum [b] Carſius, quanquam foederatis addictus, quem ad Salonam paulo ante caeſum huc perfugium habuiſſe diximus, omnia ſumma feciſſet, ne Sabaudus acciperetur: quod cum impedire non poſſet, ultro e civitate profugit. Venienti Sabaudo obviam proceſſere cuncti ordines, etiam praelato uraniſco; quem ille ſubire affectata modeſtia recuſavit, cum diceret, hunc honorem legitimo principi, qui in regnum ſuccederet, reſervandum eſſe. Poſtridie in ſenatum venit, et, Honorato [c] Laurentio regio patrono in verba praeeunte, poſt habitam ab ipſo orationem, cuncti praerogativae ordine incedentes tanquam provinciae protectori ac ſummo moderatori, manum prius deoſculati, fidem addixerunt. Venerant et [d] Maſſilia a factioſis legati, orantes, ut ipſe ad ſe venire dignaretur: verum, diſcordi et alioqui militari populo foeta civitate, cum non ſatis tutum ad eam acceſſum judicaret, negotia cauſatus pro tempore ſe excuſavit.

XV. JAMQUE Diguierius poſt diſceſſum ex Provincia ad obſidionem [e] Gratianopolis redierat, ad [f] Laurentii-fanum caſtra metatus: quam poſtremo, cum [g] Albinius omnia ſumma feciſſet, ut oppidanos ad extremas anguſtias redactos, ne cum rege convenirent, impediret, his conditionibus in fidem accepit: ut religio Catholica Apoſtolica Romana, ſicut antea fuit, ita deinceps libera in urbe et ſuburbiis maneat; eccleſiaſtici bonis reſtituantur; Proteſtantibus libere in [h] Triclauſtrenſi ſuburbio tantum convenire jus ſit; cuncti civitatis ordines fidei jusjurandum Henrico IV Franciae et Navarrae regi praeſtare teneantur, [i] Santandreano ſenatus praeſide et [k] Caſtellario ſenatore verba praeeuntibus coram Sofredo Calignone; qui id facere recuſabunt, iis liberum ſit domum divertere, et, ubicunque aut domi aut extra regnum manere maluerint, bonorum libere fruendorum plenam facultatem habeant, modo nihil contra regem regnumque moliantur: cuſtodia urbis cui rex volet committatur, ſpatio trimeſtri Albinio ad deliberandum conceſſo: qui ſi intra illud tempus ſupplex regi factus ſacramentum dicat, eam praefecturam a rege impetrabit: interim regis nomine civitati [1] Rupigironus praeſit: tam Albinio, quam provinciae ſyndico, oppidanis, belli ducibus, tributorum, angariarum et pecuniae collationum, tractatuum cum hoſtibus regni habitorum, nihil imputabitur, rexque plenam harum rerum gratiam eis Diguierii interventu faciat: praeteritorum oblivio ſanciatur, nullo injuriarum acceptarum ſenſu penes victorem remanente; cunctique ſe tanquam fratres, amicos, ac concives mutuo diligere, abolita omni tranſacti temporis memoria, teneantur: ad conciliandam animorum concordiam, qui belli ratione juriſdictionem regis nomine [l] Pertuſii exercebant, protinus ad munia ſua conjunctim obeunda Gratianopolim redeant: ad res provinciae ordinandas quamprimum regis permiſſu ordinum conventus celebrentur. Haec XI Kal. Jan. acta.

XVI. DIVERSA parte capta [m] Cluſura, magno Genevenſium damno, infeſtis hoſtium in [n] Gexenſem praefecturam excurſionibus via aperta eſt, paulatim ſeſe circa urbem Sabaudis effundentibus, et terra ac per lacum praedas agentibus. Ob id poſtulatus qui loco praeerat, et quod ſive avaritia ſive negligentia ſua munitionis amiſſioni cauſam dediſſet convictus, ad mortem CC virorum ſententia damnatus eſt;

quam

INTERPR. [a] *Aix.* [b] *le comte de Carces.* [c] *du Laurent avocat du Roy.* [d] *Marſeille.* [e] *Grenoble.* [f] *S. Laurent.* [g] *d'Albigny.* [h] *de Treſcloiſtre.* [i] *de S. André.* [k] *de Chaſtelard.* [l] *Pertuis.* [m] *Pas de la Cluſe.* [n] *la bailliage de Gex.*

NOT. [1] *forte* Puigironus. *Put.*

quam nequicquam ab iis deprecatus tandem ſupplicio Genevae affectus eſt XI Kalendas Junias. Septimo poſt die a [a] Creſti praeſidiariis, ex [b] Thononienſi praefectura pecuniae collationem exigentibus, cum Sabaudis ad [c] Dovanam certatum, aut potius cum coeli coruſcationibus et grandine, quae memoria hominum nuſquam horridior, non ſolum eos ab hoſte jam ſolutos et palanteis, ſed omnem vicinam regionem, magna calamitate afflixit, aquarum mox diluvionibus ſubſecutis, quae meſſem omnem corruperunt. Majore mole certatum Nonis Junii, cum, praeda ingenti per Gexenſem agrum facta, CL circiter loricati equites, CCCC pedites, per civium oculos tranſirent: nam [d] Lurbinius cum levi armatura urbe egreſſus, impreſſione acri in equitatum jam via feſſum facta, eos fudit, et ad [e] Fargas peditatum compulit, ubi circiter ex iis C occiſi ſunt, odiis ita accenſis, ut raro in captos utraque pars jure belli uteretur. Lurbinius, paucis ex ſuis amiſſis, dum ardentius fugienteis inſequitur, ex equo decidit; quo ex lapſu homo corpulentus ac gravibus armis oneratus totis membris luxatus fuit, ac diu poſtea in lecto decubuit. Hanc cladem incendiis paſſim relucentibus ulti ſunt Sabaudi, et XII Kalend. Jul. ad [f] Bernaeum Genevenſeis temere ad pugnam ſine duce egreſſos fuderunt, et, XXX occiſis, L ceperunt; qui, cum ſe praeſenti pecunia non redimerent, varia peſte afflictati ſunt. Cum excurſionibus et incendiis utrinque inter Genevenſeis et pabulatores hoſtium diu certatum eſſet, [g] Amadaeus cum juſto exercitu, in quo erant IϽ equites, II CIϽ IϽ pedites, per [h] Cluſuram in Gexenſem praefecturam deſcendit pridie Nonas Quintileis, et ſtationes in conſpectu urbis diſponit, ac inſidias locis idoneis ſtruit. Tum ex occaſione armenti abacti, exeuntibus ad recipiendam praedam Genevenſibus, pugna incaluit; moxque, erumpentibus undique qui in inſidiis latebant, et ſuperveniente hoſtili equitatu, undique Genevenſes circumfunduntur ac caeduntur. Plus C in veſtigio occubuerunt; qui vulnerati ſunt, haſtis fere tranſverberati, cuncti ad unum perierunt: capti inſuper L, qui in manus Hiſpanorum et Italorum inciderunt, ultione incitatis animis, poſt pugnam interfecti ſunt. Hanc cladem tanta animorum conſternatio ſecuta eſt, ut, niſi Lurbinius, qui vix adhuc ſe commode lecto moliri poterat, ad portam urbis ſe transferendum curaſſet, et praeſentia ſua animos civibus feciſſet, hoſtis fugientibus immiſtus urbe potiri potuiſſe eo die creditus ſit. Nec minor in agro deſolatio, cum ruſtici nullam ſpem in Genevenſium praeſidio amplius reponerent, et alio ſedem cum uxoribus et liberis miſerabili ubique ſpectaculo transferrent: tantaque vaſtitas fuit, meſſe ubique corrupta et vicis a victore incenſis, ut IV leucarum ſpatio inter [i] Juraſſum montem et Cluſuram nulla humanitatis veſtigia apparerent. Multi ex urbe in [k] Sequanos ad amicos ſe contulerunt, cum de republica actum putarent. Tandem collectis ex pavore animis, cum cautius, Lurbinio jam confirmatis viribus ad munia priſtina redeunte, eruptiones fierent, et aliquot levibus certaminibus ex hoſtibus nonnulli occiſi fuiſſent, in [l] Chablaſianum et Foſſiniacum agrum excurrere coeperunt, et ad [m] Brantam vicum proſpere ſemel atque iterum cum [n] Ermanſii regulo conflixerunt. Sub id Gulielmus [o] Cluniacus Conforginus ad urbem venit, vir bello expertus; qui eodem die, hoc eſt X Kalendas Septembreis, ſub veſperam treis peditum cohorteis navibus imponendas curat, ut [p] Vianam ad lacum ſitum pagum aſtu interciperent, miſſo diverſa parte ad [q] Langinum equitatu, ut hoſtium animos a ſuſpicione illius expeditionis averteret. Sed, re detecta, neque ad equitum conſpectum hoſtes ſe loco moverunt, et Vianae praeſidiariis excubias ſedulo agentibus conatus fruſtra fuit. Inde per lacum diſcurrentibus cum

INTERPR. [a] *Creſt.* [b] *bailliage de Thonon.* [c] *Douvaine.* [d] *de Lurbigny.* [e] *Farges village.* [f] *Bernay.* [g] *Don Amedée baſtard de Savoye.* [h] *Pas de la Cluſe.* [i] *le Jura.* [k] *Franche-Comté.* [l] *Chablais & Foſſigny.* [m] *Branthe.* [n] *le baron d'Hermance.* [o] *de Clugny baron de Conforgien.* [p] *Eſvian villete prés de Thonon.* [q] *Langin.*

cum aliquo ſemper ſucceſſu urbanis navigiis, et ob novi imperatoris adventum cum hoſti terrorem ſui injectum cernerent Genevenſes, amiſſa fere meſſe, de vindemia colligenda cogitare coeperunt. Quo cognito [a] Ermanſius Chablaſiac praeſes ex vicinis praeſidiis CC equites, IↃ pedites, cogit, et locis idoneis diſpoſitos aditus ſervare jubet, quo ſecuros in reditu interciperent. Igitur cum XVI Kal. Octobreis Genevenſes cum carris et doliis profecti Bonnam verſus iter intendunt, quos [b] Conſorginus ad omnia paratus cum CL peditibus delectis et totidem loricatis equitibus comitatus eſt, ad molatrinam a ſuis inſeſſam Ermanſius primum apparere coepit; quem conſpicatus Conſorginus, poſt preces de more conceptas, ſtatim ſuos inſtruit, praemiſſis quibuſdam qui pugnam velitariam cierent; quibus alios L delectos ſummittit, qui ad molatrinam in itinere occurrentem vim facerent. Inde XXX loricatos mittit ad aperiendam viam et occupandum collem proximum et laceſſendum hoſtilem equitatum, ut ex ejus inceſſu conſilium caperet. Interim molatrina poſt aliquod certamen occupata fuit. Cum XXX loricati in quoſdam cataphractos incidiſſent, eos curſu citato praetervehuntur Bonnam verſus tendentes: quos a ſociis metu divulſos rati hoſtes in turmam ſequentem invehunt, de aliis actum putantes; ſed mox illi frontem obvertunt, et in latus Sabaudorum acri impreſſione incumbunt. Tum ſuperveniente Conforgino, quem pedites hinc inde ſequebantur, pugna incaleſcit, tandemque hoſtes in fugam vertuntur, poſt obſtinatum trium horarum certamen, in quo ex iis CCC circiter occubuere. L capti, quorum plerique ſtatim a Conforgino trans [c] Arvam remiſſi ſunt, eo facto acerbitatem odiorum, quibus hactenus utrique uſi erant, mitigari et ad juſti belli rationem res adduci poſſe ſperante. Eodem auctore ſenatus erga alios graviter vulneratos ſummam humanitatem exercuit. Ita vindemia pacate collecta pro ſolatio amiſſae meſſis fuit. Poſtea cum hominibus clementius actum; tantum in pagos ab utraque parte ſaevitum. Demum exeunte Octobri Conforginus [d] Cruſilliam verſus III a Geneva leucis cum delectis iter intendit, ubi Neapolitani, Hiſpani, et alii levis armaturae equites, hoſpitium ſumpſerant. Sub noctem mediam admotae ſcalae, et crepitaculo diſploſo portarum repagula refracta; ad cujus fragorem excitati praeſidiarii in arcem et ſubjectam munitionem omnia ſua diligenter comportant, tenebris tuti. Genevenſes irruptione facta in proximam domum ignem immittunt, ut lumen accenderent: inde alias atque alias domos ſimiliter incendunt, et deprehenſos in illis opprimunt, opperientes dum eluceret. Interim per omneis vicos vicinos tota nocte pulſata tintinnabula. Inde conjiciens Conforginus fore ut praeſidiarii undique auxilio advolarent, cum nullum receptum videret, et tempore opus eſſe ad capiendam arcem longiore, quam armata ubique concurrente multitudine ſperari poterat, mature receptui cani juſſit, et, occiſis circiter centum ex hoſtibus, multis equis captis, incolumes ſuos ſub veſperam ad urbem reduxit. Poſtea ſub exitum anni incenſa aliquot granaria juxta [e] Sonvianam munitionem, quae a Sabaudo tenebatur. Et haec uſque ad Nicolai [f] Harlaei Sancii adventum geſta; qui a rege miſſus, et ſuis ac novis a fortuna ſubminiſtratis ſubſidiis, non parum res Genevenſium juvit.

XVII. SEQUUNTUR virorum literis illuſtrium mortes: Franciſci Hotomani Petro ſenatore Pariſienſi parente Lutetiae nati, qui literis egregie inſtructus cum juri civili operam [g] Aureliani dediſſet, ob religionis cauſam patria profugus [h] Lauſanae primum docuit. Inde a Joanne [i] Monlucio Valentiae epiſcopo, et poſtea a Margarita [k] Biturigum duciſſa evocatus, repetitis vicibus Valentiae, et [l] Avarici Biturigum, ubi

INTERPR. [a] *le baron d'Hermance, gouverneur du Chablais.* [b] *le baron de Conſorgien.* [c] *l'Arve r.* [d] *Cruſilles.* [e] *de Sonvy.* [f] *de Harlay Sancy.* [g] *Orleans.* [h] *Lauſanne.* [i] *de Montluc evêque de Valence.* [k] *la ducheſſe de Berry.* [l] *Bourges.*

ubi eum aliquandiu audivi, juventuti in jure dicendo aſſiduam operam longo tempore navavit, uſque ad tumultum Pariſienſem; poſt quem patriam omnino deſeruit, et ad [a] Montem-Pelicardi in Sequanis, ac poſtremo [b] Baſileae Rauracorum, amiſſa ante aliquot annos conjuge, larem fixit, atque hoc anno pridie Eid. Febr. ex hydrope deceſſit, aetatis LXV, variis editis de jure et aliis ad antiquitatis et politioris literaturae illuſtrationem toto vitae tempore operibus; quae ſimul poſtea Jacobus [c] Lectius juris-conſultus, ſicuti ab auctore paulo ante mortem recognita ac digeſta erant, publicavit. Morienti adſtitit Baſilius Amerbachius juris-conſultus; mortuum laudavit Jo. Jacobus Grinaeus. Poſt eum commemorandus venit Jacobus Cujacius Toloſae natus, rarum non ſolum Galliae, ſed univerſi Chriſtiani orbis, in quo literae et juriſprudentia vigent, ornamentum, a ſummis juris conditoribus interpres primus et ultimus, cui quicquid purae nativaeque lucis ei ſcientiae undecunque acceſſit, aetas haec debet, et poſtera debitura eſt; haec enim elogia illi a viro doctiſſimo et gratiſſimo P. [d] Pithoeo merito tributa ſunt. Huic rara felicitate, quod vix aliis poſt mortem datur, contigit, ut vivus videnſque laude quam meruerat frueretur, et in foro ac ſubſelliis, ubi purior juris veteris ſcientia, quam ille profitebatur, a pragmaticis noſtris minore in pretio habetur, cum alii peculiari quiſque nomine ſuo citentur, ipſe per eminentiam Juriſconſulti nomine appellaretur. Brevi ſtatura fuit et corpore compacto ac quadrato; nullis fere morbis tota vita, quam continuis et improbis ſtudiis fatigavit, conflictatus; tantumque importuno ſingultu interdum vexabatur, quem ceſſatione aliqua et hilariore inter diſcipulos convictu tranſigebat. Tam firma valetudine fretus hanc ſortem ſibi divina benignitate concedi optavit et vero ſperavit, ut octogenarius, integris adhuc mentis et corporis viribus, frequenti auditorio juventuti praelegere poſſet, quod Philippum [e] Decium, qui [f] Piſis ante XXC annos docuit, feciſſe meminerat. Ea fiducia divinum obſervationum opus, cujus ſinguli libri XL capitibus abſolvuntur, ad XL uſque libros perducere decreverat, eumque ſibi vitae et ſcribendi finem praeſcripſerat. Verum civilium bellorum foeda ſuborta tempeſtate, cum vir, ut profeſſione, ſic moribus, juris et aequi obſervantiſſimus, omnia jura per factiones perverti, ingenuam libertatem, in qua adoleverat, corrumpi, candorem per fucos et deteſtandas in religione ſimulationes amitti, ſeque non jam muris ſed parietibus includi, neque tantum a ſceleratis obſervari, ſed ad caedem oculis deſignari, videret, expetitam longiorem vitam, ſi publico prodeſſe potuiſſet, melioris deſiderio generoſe abrupit, et moerore confectus [g] Avarici Biturigum Cuborum, ubi docebat, optime meritam de republica animam Deo, a quo acceperat, pie reddidit V Nonas Septembreis, cum LXVIII annum ageret, publico funere elatus, et in B. Petri aede ad [h] Avaronis pontem conditus. Mortuum laudavit Claudius Mareſcallus, olim ejus auditor, et jam tunc ſenator Pariſienſis, acri juxta ingenio ac probo praeditus. Relicta filiola, bibliothecam libris, et propria diligentia notatis et ad manuſcriptos codices ſumma cura collatis, inſtructiſſimam teſtamento publice venundari mandavit, ut in plurium manus perveniens diſſiparetur; eo conſilio, ne, ſi in unius poteſtate eſſet, praepoſtere curioſis, ex notis ejus male intellectis, farragines librorum conſarcinandi occaſionem praeberet: adeo vir reipublicae juvandae natus etiam de re literaria poſt obitum accurate ſolicitus fuit. Poſt hos commemorandi veniunt Gul. [i] Salluſtius Bartaſſius, qui nobili familia in Auſciis natus, militaribus ſtudiis a puero innutritus, eorum feritatem dulci Muſarum conſortio ita temperavit, in eaque facultate tam feliciter excelluit, ut, quanquam vitio nationis a puritate Gallici ſermonis alienus, et inter arma et tubas procul a doctorum

INTERPR. [a] *Montbeliard.* [b] *Baſle.* [c] *Lect.* [d] *Pithou.* [e] *Decio.* [f] *Piſe.* [g] *Bourges.* [h] *le pont d'Auron.* [i] *Salluſte Sr du Bartas.*

a doctorum commercio adultus, [a]Hebdomade illa toties recuſa, et ab aliis Latine et Italice certatim expreſſa, perilluſtre inter hujus ſaeculi poetas nomen meruerit, proximumque a Ronſardo noſtro locum tenere a multis exiſtimetur. Stylum ejus tanquam nimis crebro figuratum, tumidum, et Vaſconice ampullatum, critici quidam reprehendunt. Ego, qui hominis candorem novi, et familiariter cum eo, dum ſimul inter arma in [b]Novempopulonia incederemus, ſaepius collocutus ſum, poſſum teſtari nihil ſimile in ejus moribus deprehendiſſe : nam cum plerique tam magnifice de eo exiſtiment, ſumma ipſe de ſe et opere ſuo moderatione ſemper loquebatur, natalis ſoli et tempeſtatis infelicitatem crebris ſermonibus incuſans, per quam ei non licuiſſet, ut, communicato cum peritis conſilio, de erroribus ſuis admoneri eoſque emendare poſſet. Quod, ſedatis turbis, profectione ad nos ſuſcepta, cum facere apud animum ſuum conſtituiſſet, dum interim Matignono provinciae praeſidi in bello aſſiduam operam navaret, equitum turmae praefectus, ad plagas non bene curatas accedente militiae et laboris aeſtu, in ipſo aetatis flore extinctus eſt menſe Quintili, anno aetatis XLVI, cum paulo ante Scotica legatione, in qua a Jacobo VI peramanter exceptus et honorificis conditionibus ut ſecum maneret invitatus eſt, ſumma fidei ac prudentiae laude defunctus eſſet. Haud multo poſt aetate provectior, quippe LVI annos natus, fatis conceſſit Robertus [c] Garnerius in [d] Cenomanis natus, poetica et ipſe facultate clarus, quam in cothurno tragico praecipue exercuit, editis IX tragoediis, poſt Jo.[e]Peruſium et Stephanum Jodellium, quae principem locum vel Ronſardi noſtri judicio illis praeripuerunt. Is in magno, quod vocant, concilio aſſeſſor, turbis exortis, dum tempori cedendum putat, factioſis ſe immiſcuit potius quam eorum partes ſecutus eſt ; et, veneni paulo ante mortem a domeſticis propinati peſte uxoris periculo devitata, cum tot tragoediarum, quae ille ex antiquis aut externis petebat et ſiccis oculis tractabat, argumenta ante oculos quotidie obverſari cerneret, tandem ex moerore obiit. Noſtris externos adjungam. Ante alios dicendus venit Jo. Baptiſta [f]Benedictus Venetus, qui ſe patritia familia ob nominis ſimilitudinem prognatum falſo jactabat, cum patrem medicum [g]Valentiae Conteſtanorum in Hiſpania Tarraconenſi natum habuiſſet, et ille porro ſe Gallia oriundum diceret. Fuit excellens mathematicus, operamque primum Octavio Farneſio Parmenſium duci navavit ; dein Friderici [h] Aſinarii Camerani comitis commendatione in Emmanuelis Philiberti Sabaudiae ducis familiam tranſivit, cui et affirmavit fore, ut Pinarollii et Savilliani reſtitutionem regum Franciae beneficio impetraret ; quae eodem quo praedixerat anno ſecuta eſt, cum Henricus III e Polonia rediens per ejus ditionem tranſivit. Unicam filiam Ludovicam nomine habebat, quam turbato ordine extulit, cum ejus triſtem obitum multo ante praedixiſſet. Latine fere neſciebat ; et, cum emendicato calamo in ſcribendo egeret, Franciſci Mariae Vialardi, qui ſtudiis in ea academia incumbebat, fere opera uſus eſt. Ejus ſunt quae contra [i]Silvium Pellum de proportione ſcripſit ; phyſicae item mathematicae ſpeculationes ; Gnomonica, in qua ſolaria analemmate ſuo dignitati priſtinae reſtituiſſe creditus eſt : quae omnia publicata ſunt. Reliquit et multa non edita, de optica, muſica, machinis ; quae per abſentiam Vialardi Bernardo [k]Trollo moriens commendavit, et nunc in Sabaudiae ducis muſaeo aſſervantur, magno reipublicae bono olim lucem viſura. Obiit ſexagenarius [l] Auguſtae Taurinorum XIII Kalendas Februarias, ſicuti fore praedixerat, et in B. Auguſtini aede ſepultus eſt. Haud multo

poſt

INTERPR. [a] *la Semaine.* [b] *Gaſcogne.* [c] *Garnier.* [d] *le Maine.* [e] *la Perouſe & Eſtienne Jodelle.* [f] *Benedetto.* [g] *Valence en Eſpagne.* [h] *Aſinari comte de Camerano.* [i] *Silvio Pello.* [k] *Trollo.* [l] *Turin.*

CIↃ IↃ XC.
HENRICUS IV.

poſt Jaſon [a] Denores Cyprius, et nobilitate generis, quam ex Neuſtria noſtra repetebat, et eruditione clarus, qui jam XIII totos annos moralem philoſophiam in [b] Patavino gymnaſio profitebatur, poſt ingentem in Cypro a Turcis occupata acceptam cladem, moerore acerbiſſimo oppreſſus eſt, ob Petrum filium unicum propter nobilis Veneti, quicum in rixa ad manus venerat, caedem in exilium pulſum; ex eoque vitam hoc anno cum morte commutavit. Inter alia quae ſcripſit, cum de poetica diſſerens tragicomoedias paſtoraleis, quae hodie inter Italos uſurpantur, tanquam monſtra quaedam, et nullo veterum exemplo contraque poeticae priſcae leges ab imperitis rei antiquariae introducta, exagitaſſet, Baptiſta [c] Guarinus lectiſſimus eques Ferrarienſis, qui ſub id Paſtorem fidum magno plauſu ubique in Italia exceptum ediderat, cum ſermonem ad injuriam ſuam pertinere exiſtimans, defenſionem ſub nomine [d] Verati publicavit; quam apologia contraria ſtatim Denores refutavit. Sed dum alteram defenſionem meditatur Guarinus, morte minime fatali Denores conceſſit, quae, niſi dilectiſſimi filii calamitate fuiſſet praecipitata, alterius Verati lectione accelerari potuiſſe credita eſt: tanta ſiquidem vi eloquentiae ſimul et aſperitate ac verborum amaritudine in Jaſonem invectus eſt Guarinus, ut Archilochum ipſum in Lycamben iambos ſtringentem eo ſcripto ſuperaſſe paſſim jactaretur. Julium Alexandrinum paene indictum praeterieram, qui hoc anno Tridenti extinctus, octogenario quatuor annis major, medicinam feliciſſime ſub Caeſaribus fecit, et multa ſcripſit; Maximiliano autem valetudinario principi chariſſimus fuit, ab eo ampliſſimis honoribus donatus, quos in filios licet naturaleis tanti imperatoris indulgentia tranſcripſit. Extremo hoc anno Flaminius [e] Nobilius Lucenſis, familia patritia, philoſophiae cultioris peritiſſimus, et extrema aetate theologiam profeſſus, poſt egregie navatam in Latinorum Bibliorum a Sixto V procurata editione operam, cum Roma in patriam migraſſet, anno aetatis LVIII ad meliorem patriam migravit, ad B. Mariae ab Antonio fratris filio ſepultus. Ex eadem Italia prodiit Hieronymus [f] Zanchius Bergomas, qui paulo poſt Petri Martyris Vermilii diſceſſum ob eandem cauſam [g] Argentinam conceſſit, et Vermilio in Angliam evocato anno LIV in munere ſucceſſit. Poſtea [h] Clavennae in Rhaetia, dein [i] Baſileae uſque ad annum LXXVIII, ac poſtremo [k] Neapoli Nemetum docuit; ac tandem Heidelbergae XIII Kal. Decembr. defecit anno aetatis LXXV, ad B. Petri honorifice tumulatus. Scripſit multa, quae profundae in theologicis ſtudiis eruditionis fidem faciunt; quorum partem dum vixit in lucem dedit, partem filii, quos plureis reliquit, poſt mortem ejus publicarunt: ſummamque in ſcribendo moderationem ſervavit, et a ſciſſura olim ſarcienda minime ſe alienum oſtendit. Annum quippe agens LXX fidei confeſſionem ad Ulyxem [l] Martinengum comitem Barchenſem et patritium Venetum ſcripſit, et tam ſuo quam familiae propriae nomine, ſic enim titulus praefert, edendam curavit, qua proteſtatur, ſe a Romana eccleſia non ſimpliciter et in omnibus defeciſſe, ſed in illis duntaxat rebus in quibus ipſa defecit ab Apoſtolica, atque adeo a ſe ipſa veteri et pura eccleſia; neque alio diſceſſiſſe animo, quam ut, ſi correcta ad priorem eccleſiae formam redierit, ipſe quoque ad illam revertatur, et communionem cum ea in ſuis porro coetibus habeat; quod ut tandem fiat, toto animo Deum comprecari: quid enim pio civi optatius, quam ut ubi per baptiſmum renatus eſt, ibi etiam in finem uſque vivat, modo in Domino? Amarior eo Romanae eccleſiae et Pontificii nominis oppugnator Jacobus [m] Andreanus, qui Joanni

INTERPR. [a] *de Nores Cypriot.* [b] *de Padoue.* [c] *Guarini.* [d] *Verato.* [e] *Nobili Lucquois.* [f] *Zanchio de Bergame.* [g] *Strasbourg.* [h] *Chiavenne aux Griſons.* [i] *Baſle.* [k] *Spire.* [l] *Martinengo conte di Barco & nobile Venetiano.* [m] *Andrea.*

Joanni [a]Brentio in [b]Tubingenſi academia ſucceſſerat, ſaepius cum paſtoribus Genevenſibus congreſſus, et ante quinquennium cum Theodoro Beza ad [c]Pelicardi montem, nuper vero [d]Badae coram Jacobo marchione cum Joanne Piſtorio diſputatione ſub anni ſuperioris exitum inſtituta, cum res illi ex voto non ſucceſſiſſet, ſive ex moerore, ſive jam annis ac laboribus fractus, domum reverſus Januario proximo ineunte deceſſit. Jacobus autem, poſt ſolutam diſputationem dimiſſis Auguſtanae confeſſionis paſtoribus, majorum religionem per ditionem ſuam reſtituit. Nec diu hic rerum ſtatus duravit: nam mox dyſenteria correptus VII Eid. Sextil. ex hac vita migravit, Eliſabetha [e]Florentii Culenburgii in Batavia reguli filia gravida relicta, quae aliquanto poſt peperit Erneſtum Jacobum ditionis heredem; cujus tutelam levir viduae et defuncti patruus Erneſtus Fridericus Badenſis cum ſuſcepiſſet, ſtatim ablegatis Pontificiis Auguſtanae confeſſionis miniſtros revocavit. Nec ſilentio praetereundus videtur Nicodemus Friſchlinus, quanquam non niſi cum praefatione dicendus, [f]Balingae vetuſto Sueviae oppidulo natus; quippe qui cum ingenio, nec medioeri ad poeticam facultate, et aſtronomicae rei ſcientia valeret, vita ſolutiore et impotenti blaterandi libidine non ſolum famam literis quaeſitam obſcuravit, ſed fortunam ſuam omnino evertit, ac poſtremo indignum vita literaria exitum habuit: nam cum [g]Graecii in Stiria, dein [h]Labaci in Carniola, dum in iis Auſtriacae ditionis provinciis Auguſtana confeſſio toleraretur, nec non [i]Friburgi Briſgoiae, ac poſtremo Brunſvicae in Saxonia in juventute inſtituenda multum temporis triviſſet, in Sueviam reverſus et Tubingae aliquandiu profeſſus, poſtremo ob eandem linguae petulantiam in arcem [k]Hohen-Auracenſem ditionis Wirtembergicae ſub cuſtodia conjectus fuit; ex qua dum evadere conatur, rupto funiculo quo ſe demittebat, in aliam atque aliam petram ſubjectam praecipitans, confractis miſerabiliter membris interiit pridie Kalendas Decembreis, vix quadrageſimum quartum aetatis annum ſupergreſſus. Ultimi referentur Franciſcus [l]Salinas et Ambroſius Morales. Salinas, Joannis, qui quaeſtorium munus ſub Carolo V exercuit, filius, [m]Burgis natus, vix decennis oculorum uſum amiſit, cum Didymo Alexandrino quadantenus ob id comparandus; quippe indole innata fretus, dum orbitatis ſolatium quaerit, tantum valuit, ut non ſolum exactam utriuſque linguae cognitionem ſit adeptus, ſed etiam in mathematicis artibus maxime excelluerit, ac praeſertim in muſica, de qua eruditiſſimos libros reliquit, qui tanti a peritis harum rerum fiunt, ut aliunde potius quam ab hominis caeci induſtria profecti credantur. Inter haec et poeticam excoluit, et ex Martiale Hiſpano ipſe Hiſpanus quaedam feliciſſime lingua vernacula tranſtulit. In Pauli IV et Ferdinandi Alvari [n]Toletani Albae ducis gratia floruit; a quo, dum regni Neapolitani ſummam praefecturam teneret, opimo S. Pancratii coenobio donatus eſt: Joannis Alvari Toletani denique, Gaſparis [o]Quirogae, Roderici [p]Caſtrenſis, nec non Antonii [q]Perrenoti Granvellani cardinalium familiaris fuit, et arctiſſimam longe cum Lud. [r]Legionenſi Auguſtiniano eremita, divinorum librorum in academia [s]Salmanticenſi interprete, cujus elegantiſſima in Canticum Canticorum explanatio extat, ob ſtudiorum et conſiliorum conſenſionem coluit amicitiam; ubi muſicae profeſſor eximius conſenuit ad annum uſque LXXVII, quo in vivis menſe Februario eſſe deſiit. Morales patria [t]Cordubenſis, Antonii praeſtantiſſimi medici filius, in literis humanioribus et antiquitate patria indaganda egregie doctus, ab initio cum Dominicanorum ſodalitio nomen dediſſet, a ſodalibus ordine motus eſt, quod, veſano impetu inſtigante, ad refraenandas libidines ſibi

virilia

INTERPR. [a] *Brentzen.* [b] *de Tubingue.* [c] *Montbeliard.* [d] *Baden.* [e] *Floris baron de Culembourg en Hollande.* [f] *Paling en Souabe.* [g] *Gratz en Stirie.* [h] *Labach.* [i] *Fribourg en Briſgau*, i.e. *pays de Briſach.* [k] *Hohen-Aurach.* [l] *de Salinas & de Moralez.* [m] *Burgos.* [n] *de Tolede duc d'Albe.* [o] *de Quiroga.* [p] *de Caſtro.* [q] *Perrenot cardinal de Granvelle.* [r] *de Leon.* [s] *de Salamanque.* [t] *de Cordouë.*

CIↃ IↃ XC.

HENRICUS IV.

virilia exemplo Origenis Adamantii amputaſſet. Itaque ad priora ſtudia revolutus, [a] Compluti, ubi ſtuduerat, rurſus oratoriam profeſſus eſt, et libris editis hiſtoriam patriam valde illuſtravit, et a [b] Floriano Campenſi inchoatam perſecutus uſque ad obitum [c] Veremundi III regis Legionenſium, hoc eſt annum ſalutis CIↃ XXXVII, ac tandem in eadem academia ſexagenario major hoc anno vitam cum morte commutavit. Sextili menſe itidem dignum flagitioſa vita exitum habuit Marcus [d] Bragadinus, Mamugna vulgo dictus, in inſula [e] Creta natus, ex cognomine familia Veneta originem repetens; qui olim in Capucinorum, quos vocant, ſodalitio monaſticam profeſſus, poſtea abjecto cucullo praeſtigiis ſuis magnum nomen meruerat, et, faſtoſae vitae oſtentatione multiplicandi auri artem callere creditus, ſecreti illius periculum Venetiis fecerat in aedibus Jac. Contareni patricii Veneti, hydrargyro in aurum, ſed exigua quantitate, transfuſo; [f] Pataviique, quo ſe contulerat, magnus ob id ab omnis generis hominibus concurſus fiebat; donec paulatim fraude et flagitioſa nebulonis improbi vita detecta, ipſe clam in [g] Noricum confugit: ubi in aula Baioariae principis dum porro iiſdem praeſtigiis fucum facere non deſinit, principis juſſu comprehenſus ac [h] Monaci ſecuri percuſſus eſt. Una et duo canes nigri ſcloppetorum ictibus confoſſi, totidem malignos ſpiritus, quibus ille ad praeſtigias ſuas abutebatur, celare crediti.

INTERPR. [a] *Alcala de Henares.* [b] *Fiorian de l'Ocampo.* [c] *Bermudo Roy de Leon.* [d] *Bragadino* nommé *il Mamugna.* [e] *Candie.* [f] *Padoue.* [g] *Baviere.* [h] *Munchen* ou *Munick.*

FINIS TOMI QUARTI.

LONDINI, Imprimebat JACOBUS ROBERTS.

KALENDARIVM ROMANVM,

Quod ſtylo utrique in adverſa TABVLA *pariter accommodari poteſt.*

IANVARIVS.	FEBRVARIVS.	MARTIVS.	APRILIS.	MAIVS.	IVNIVS.
1 *Kalendae* Jan.	1 *Kalendae* Febr.	1 *Kalendae* Mart.	1 *Kalendae* Apriles	1 *Kalendae* Maiae	1 *Kalendae* Juniae
2 IV Nonas	2 IV Nonas	2 VI Nonas	2 IV Nonas	2 VI Nonas	2 IV Nonas
3 III Nonas	3 III Nonas	3 V Nonas	3 III Nonas	3 V Nonas	3 III Nonas
4 pridie Nonas	4 pridie Nonas	4 IV Nonas	4 pridie Nonas	4 IV Nonas	4 pridie Nonas
5 *Nonae* Januariae	5 *Nonae* Febr.	5 III Nonas	5 *Nonae* Apriles	5 III Nonas	5 *Nonae* Juniae
6 VIII Idus	6 VIII Idus	6 pridie Nonas	6 VIII Idus	6 pridie Nonas	6 VIII Idus
7 VII Idus	7 VII Idus	7 *Nonae* Martiae	7 VII Idus	7 *Nonae* Maiae	7 VII Idus
8 VI Idus	8 VI Idus	8 VIII Idus	8 VI Idus	8 VIII Idus	8 VI Idus
9 V Idus	9 V Idus	9 VII Idus	9 V Idus	9 VII Idus	9 V Idus
10 IV Idus	10 IV Idus	10 VI Idus	10 IV Idus	10 VI Idus	10 IV Idus
11 III Idus	11 III Idus	11 V Idus	11 III Idus	11 V Idus	11 III Idus
12 pridie Idus	12 pridie Idus	12 IV Idus	12 pridie Idus	12 IV Idus	12 pridie Idus
13 *Idus* Januariae	13 *Idus* Februariae	13 III Idus	13 *Idus* Apriles	13 III Idus	13 *Idus* Juniae
14 XIX Kal. Febr.	14 XVI Kal. Mart.	14 pridie Idus	14 XVIII Kal. Mai.	14 pridie Idus	14 XVIII Kal. Quint.
15 XVIII Kal. Feb.	15 XV Kal. Mart.	15 *Idus* Martiae	15 XVII Kal. Mai.	15 *Idus* Maiae	15 XVII Kal. Quint.
16 XVII Kal. Febr.	16 XIV Kal. Mart.	16 XVII Kal. April.	16 XVI Kal. Mai.	16 XVII Kal. Jun.	16 XVI Kal. Quint.
17 XVI Kal. Febr.	17 XIII Kal. Mart.	17 XVI Kal. April.	17 XV Kal. Mai.	17 XVI Kal. Jun.	17 XV Kal. Quint.
18 XV Kal. Febr.	18 XII Kal. Mart.	18 XV Kal. April.	18 XIV Kal. Mai.	18 XV Kal. Jun.	18 XIV Kal. Quint.
19 XIV Kal. Febr.	19 XI Kal. Mart.	19 XIV Kal. April.	19 XIII Kal. Mai.	19 XIV Kal. Jun.	19 XIII Kal. Quint.
20 XIII Kal. Febr.	20 X Kal. Mart.	20 XIII Kal. April.	20 XII Kal. Mai.	20 XIII Kal. Jun.	20 XII Kal. Quint.
21 XII Kal. Febr.	21 IX Kal. Mart.	21 XII Kal. April.	21 XI Kal. Mai.	21 XII Kal. Jun.	21 XI Kal. Quint.
22 XI Kal. Febr.	22 VIII Kal. Mart.	22 XI Kal. April.	22 X Kal. Mai.	22 XI Kal. Jun.	22 X Kal. Quint.
23 X Kal. Febr.	23 VII Kal. Mart.	23 X Kal. April.	23 IX Kal. Mai.	23 X Kal. Jun.	23 IX Kal. Quint.
24 IX Kal. Febr.	24 VI Kal. Mart.	24 IX Kal. April.	24 VIII Kal. Mai.	24 IX Kal. Jun.	24 VIII Kal. Quint.
25 VIII Kal. Febr.	*Ann. communi,*	25 VIII Kal. April.	25 VII Kal. Mai.	25 VIII Kal. Jun.	25 VII Kal. Quint.
26 VII Kal. Febr.	25 V Kal. Mart.	26 VII Kal. April.	26 VI Kal. Mai.	26 VII Kal. Jun.	26 VI Kal. Quint.
27 VI Kal. Febr.	26 IV Kal. Mart.	27 VI Kal. April.	27 V Kal. Mai.	27 VI Kal. Jun.	27 V Kal. Quint.
28 V Kal. Febr.	27 III Kal. Mart.	28 V Kal. April.	28 IV Kal. Mai.	28 V Kal. Jun.	28 IV Kal. Quint.
29 IV Kal. Febr.	28 pridie Kal. Mart.	29 IV Kal. April.	29 III Kal. Mai.	29 IV Kal. Jun.	29 III Kal. Quint.
30 III Kal. Febr.	*Ann. biſſextili,*	30 III Kal. April.	30 pridie Kal. Mai.	30 III Kal. Jun.	30 pridie Kal. Quint.
31 pridie Kal. Febr.	25 *bis* VI Kal Mart.	31 pridie Kal. April.		31 pridie Kal. Jun.	
	26 V Kal. Mart.				
	27 IV Kal. Mart.				
	28 III Kal. Mart.				
	29 pridie Kal. Mart.				

QVINTILIS, *qui et* IVLIVS.	SEXTILIS, *qui et* AVGVSTVS.	SEPTEMBER.	OCTOBER.	NOVEMBER.	DECEMBER.
1 *Kalendae* Quint.	1 *Kalendae* Sext.	1 *Kalendae* Sept.	1 *Kalendae* Oct.	1 *Kalendae* Nov.	1 *Kalendae* Dec.
2 VI Nonas	2 IV Nonas	2 IV Nonas	2 VI Nonas	2 IV Nonas	2 IV Nonas
3 V Nonas	3 III Nonas	3 III Nonas	3 V Nonas	3 III Nonas	3 III Nonas
4 IV Nonas	4 pridie Nonas	4 pridie Nonas	4 IV Nonas	4 pridie Nonas	4 pridie Nonas
5 III Nonas	5 *Nonae* Sext.	5 *Nonae* Sept.	5 III Nonas	5 *Nonae* Nov.	5 *Nonae* Dec.
6 pridie Nonas	6 VIII Idus	6 VIII Idus	6 pridie Nonas	6 VIII Idus	6 VIII Idus
7 *Nonae* Quint.	7 VII Idus	7 VII Idus	7 *Nonae* Octobres	7 VII Idus	7 VII Idus
8 VIII Idus	8 VI Idus	8 VI Idus	8 VIII Idus	8 VI Idus	8 VI Idus
9 VII Idus	9 V Idus	9 V Idus	9 VII Idus	9 V Idus	9 V Idus
10 VI Idus	10 IV Idus	10 IV Idus	10 VI Idus	10 IV Idus	10 IV Idus
11 V Idus	11 III Idus	11 III Idus	11 V Idus	11 III Idus	11 III Idus
12 IV Idus	12 pridie Idus	12 pridie Idus	12 IV Idus	12 pridie Idus	12 pridie Idus
13 III Idus	13 *Idus* Sext.	13 *Idus* Septembres	13 III Idus	13 *Idus* Nov.	13 *Idus* Decembres
14 pridie Idus	14 XIX Kal. Sept.	14 XVIII Kal. Oct.	14 pridie Idus	14 XVIII Kal. Dec.	14 XIX Kal. Jan.
15 *Idus* Quint.	15 XVIII Kal. Sept.	15 XVII Kal. Oct.	15 *Idus* Octobres	15 XVII Kal. Dec.	15 XVIII Kal. Jan.
16 XVII Kal. Sext.	16 XVII Kal. Sept.	16 XVI Kal. Oct.	16 XVII Kal. Nov.	16 XVI Kal. Dec.	16 XVII Kal. Jan.
17 XVI Kal. Sext.	17 XVI Kal. Sept.	17 XV Kal. Oct.	17 XVI Kal. Nov.	17 XV Kal. Dec.	17 XVI Kal. Jan.
18 XV Kal. Sext.	18 XV Kal. Sept.	18 XIV Kal. Oct.	18 XV Kal. Nov.	18 XIV Kal. Dec.	18 XV Kal. Jan.
19 XIV Kal. Sext.	19 XIV Kal. Sept.	19 XIII Kal. Oct.	19 XIV Kal. Nov.	19 XIII Kal. Dec.	19 XIV Kal. Jan.
20 XIII Kal. Sext.	20 XIII Kal. Sept.	20 XII Kal. Oct.	20 XIII Kal. Nov.	20 XII Kal. Dec.	20 XIII Kal. Jan.
21 XII Kal. Sext.	21 XII Kal. Sept.	21 XI Kal. Oct.	21 XII Kal. Nov.	21 XI Kal. Dec.	21 XII Kal. Jan.
22 XI Kal. Sext.	22 XI Kal. Sept.	22 X Kal. Oct.	22 XI Kal. Nov.	22 X Kal. Dec.	22 XI Kal. Jan.
23 X Kal. Sext.	23 X Kal. Sept.	23 IX Kal. Oct.	23 X Kal. Nov.	23 IX Kal. Dec.	23 X Kal. Jan.
24 IX Kal. Sext.	24 IX Kal. Sept.	24 VIII Kal. Oct.	24 IX Kal. Nov.	24 VIII Kal. Dec.	24 IX Kal. Jan.
25 VIII Kal. Sext.	25 VIII Kal. Sept.	25 VII Kal. Oct.	25 VIII Kal. Nov.	25 VII Kal. Dec.	25 VIII Kal. Jan.
26 VII Kal. Sext.	26 VII Kal. Sept.	26 VI Kal. Oct.	26 VII Kal. Nov.	26 VI Kal. Dec.	26 VII Kal. Jan.
27 VI Kal. Sext.	27 VI Kal. Sept.	27 V Kal. Oct.	27 VI Kal. Nov.	27 V Kal. Dec.	27 VI Kal. Jan.
28 V Kal. Sext.	28 V Kal. Sept.	28 IV Kal. Oct.	28 V Kal. Nov.	28 IV Kal. Dec.	28 V Kal. Jan.
29 IV Kal. Sext.	29 IV Kal. Sept.	29 III Kal. Oct.	29 IV Kal. Nov.	29 III Kal. Dec.	29 IV Kal. Jan.
30 III Kal. Sext.	30 III Kal. Sept.	30 pridie Kal. Oct.	30 III Kal. Nov.	30 pridie Kal. Dec.	30 III Kal. Jan.
31 pridie Kal. Sext.	31 pridie Kal. Sept.		31 pridie Kal. Nov.		31 pridie Kal. Jan.

T A B V L A,

Qua collatio ſtyli novi ſive Gregoriani cum vetere ſive Juliano uſque ad annum MDCC exhibetur.

Computatio Gregoriana anno MDLXXXII *Romae quinto die Octobris, in Gallia autem die decimo Decembris, ſtylo vetere, primum recepta fuit.*

IANVARIVS.		FEBRVARIVS.		MARTIVS.			APRILIS.		MAIVS.		IVNIVS.	
St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian. Ann. comm.	Stylo Julian. Ann. biſſ.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.
1	Decemb. 22	1	Januar. 22	1	Februar. 19	Feb. 20	1	Martii 22	1	Aprilis 21	1	Maii 22
2	23	2	23	2	20	21	2	23	2	22	2	23
3	24	3	24	3	21	22	3	24	3	23	3	24
4	25	4	25	4	22	23	4	25	4	24	4	25
5	26	5	26	5	23	24	5	26	5	25	5	26
6	27	6	27	6	24	25	6	27	6	26	6	27
7	28	7	28	7	25	26	7	28	7	27	7	28
8	29	8	29	8	26	27	8	29	8	28	8	29
9	30	9	30	9	27	28	9	30	9	29	9	30
10	31	10	31	10	28	29	10	31	10	30	10	31
11	Januar. 1	11	Februar. 1	11	Martii 1	1	11	Aprilis 1	11	Maii 1	11	Junii 1
12	2	12	2	12	2	2	12	2	12	2	12	2
13	3	13	3	13	3	3	13	3	13	3	13	3
14	4	14	4	14	4	4	14	4	14	4	14	4
15	5	15	5	15	5	5	15	5	15	5	15	5
16	6	16	6	16	6	6	16	6	16	6	16	6
17	7	17	7	17	7	7	17	7	17	7	17	7
18	8	18	8	18	8	8	18	8	18	8	18	8
19	9	19	9	19	9	9	19	9	19	9	19	9
20	10	20	10	20	10	10	20	10	20	10	20	10
21	11	21	11	21	11	11	21	11	21	11	21	11
22	12	22	12	22	12	12	22	12	22	12	22	12
23	13	23	13	23	13	13	23	13	23	13	23	13
24	14	24	14	24	14	14	24	14	24	14	24	14
25	15	25	15	25	15	15	25	15	25	15	25	15
26	16	26	16	26	16	16	26	16	26	16	26	16
27	17	27	17	27	17	17	27	17	27	17	27	17
28	18	28	18	28	18	18	28	18	28	18	28	18
29	19	*Ann. biſſ.* 29	19	29	19	19	29	19	29	19	29	19
30	20			30	20	20	30	20	30	20	30	20
31	21			31	21	21			31	21		

IVLIVS.		AVGVSTVS.		SEPTEMBER.		OCTOBER.		NOVEMBER.		DECEMBER.	
St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.	St. Gr.	Stylo Julian.
1	Junii 21	1	Julii 22	1	Auguſt. 22	1	Septemb. 21	1	Octob. 22	1	Novemb. 21
2	22	2	23	2	23	2	22	2	23	2	22
3	23	3	24	3	24	3	23	3	24	3	23
4	24	4	25	4	25	4	24	4	25	4	24
5	25	5	26	5	26	5	25	5	26	5	25
6	26	6	27	6	27	6	26	6	27	6	26
7	27	7	28	7	28	7	27	7	28	7	27
8	28	8	29	8	29	8	28	8	29	8	28
9	29	9	30	9	30	9	29	9	30	9	29
10	30	10	31	10	31	10	30	10	31	10	30
11	Julii 1	11	Auguſt. 1	11	Septemb. 1	11	Octob. 1	11	Novemb. 1	11	Decemb. 1
12	2	12	2	12	2	12	2	12	2	12	2
13	3	13	3	13	3	13	3	13	3	13	3
14	4	14	4	14	4	14	4	14	4	14	4
15	5	15	5	15	5	15	5	15	5	15	5
16	6	16	6	16	6	16	6	16	6	16	6
17	7	17	7	17	7	17	7	17	7	17	7
18	8	18	8	18	8	18	8	18	8	18	8
19	9	19	9	19	9	19	9	19	9	19	9
20	10	20	10	20	10	20	10	20	10	20	10
21	11	21	11	21	11	21	11	21	11	21	11
22	12	22	12	22	12	22	12	22	12	22	12
23	13	23	13	23	13	23	13	23	13	23	13
24	14	24	14	24	14	24	14	24	14	24	14
25	15	25	15	25	15	25	15	25	15	25	15
26	16	26	16	26	16	26	16	26	16	26	16
27	17	27	17	27	17	27	17	27	17	27	17
28	18	28	18	28	18	28	18	28	18	28	18
29	19	29	19	29	19	29	19	29	19	29	19
30	20	30	20	30	20	30	20	30	20	30	20
31	21	31	21			31	21			31	21

00035280

Digitized with financial assistance from

Government of Maharashtra

on 01 February, 2020